DIRECTORIUM CONFESSARIORUM, CONTINENS DECEM DECALOGI PRAECEPTA; ET...

Antonius : a Sancto Spiritu

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M 8
19 — N
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DIRECTORIUM
CONFESSARIORUM,

CONTINENS

DECEM DECALOGI PRÆCEPTA;

ET TOTAM MATERIAM

DE JUSTITIA ET JURE:

Ubi etiam de Contractibus tam in genere, quàm in ſpecie, non ſolùm ſecundùm jus commune, ſed etiam juxta leges Luſitanas, imò & Hiſpanas agitur: ubi etiam Eccleſiæ præcepta elucidantur,

A R. P. F. ANTONIO A SPIRITU SANCTO,

EX INSIGNI OPPIDO DE MONTE MOR O VELHO,

CARMELITARUM DISCALCEATORUM THEOLOGIÆ MORALIS quondam Primario Lectore, nunc Definitore Generali Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniæ pro Provincia Regni Portugalliæ.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATA.



LUGDUNI,

Sumptibus GUILIELMI BARBIER.

M. D C. LXXX.

CUM PERMISSU SUPERIORUM ET APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google



EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO DE SOUZA,

COMITI DO PRADO, MINARUM MARCHIONI,

Utriuſque ſtatus meritiſſimo Conſiliario; nempe Bellici & Politici, Oppidi vulgariter Beringel, & Prado utiliſſimo Domino, Urbis de Beja præfecto Maximo,

In Chriſti ordine inſignito, & S. Mariæ de Azeuro, Pena verde, & S. Marthæ de Viana dignissimo Commendatario, necnon Commendæ Sinis Divi Iacobi Equiti benemerito,

Provinciæ Interemnenſis plauſibili Duci, ac ſæpe ſæpius Generali triumphanti; ac tandem Beatitudinum S. S. D. D. N. N.

Clementis IX. & Clementis X. extraordinario Legato, in cauſiſque Regni Luſitani pro curia Romana diligentiſſimo Aſſiſtenti conſecrat, vovet, dicat, & offert.

NON me tenuit aliqua dubitatio, GENEROSISSIME PRINCEPS, nec minus fefellit aliquis ſcrupulus, ut hoc tertium volumen, laboris mei fructus, ſtudij mei flos, ac intellectus partus, ſub tegmine alarum tuarum umbraculum quærat, & inebrietur ab ubertate favoris tui, ut in lumine tuo videat orbis lumen, quo mens Chriſtiana à peccatorum tenebris, decem Decalogi Præceptis eluceſcat, radiet, & reſplendeat. Pluribus namque titulis conſultò conſecro non applauſus ambitione, non adulationis concentu, non exactæ ſapientiæ

Digitized by Google

penicillo tuas decantare virtutes: ſed me tenet amoris ambitio obſequij fœnore pignorata, ut tuæ benevolentiæ conſpectu non ſit ad orbem hic liber minus utilis, ad Lectores Magiſter, ad intuentes gratus, ad ſtudioſos ſtylus, quam ad ſuum authorem alata fama per totam mundi rotunditatem, tuo patrocinio celebris. Tribus politicis rationibus politice arguebat Mantuanus, in quarum fundamentis jactabat mens diligenti obſervatione quærens: quænam ſit dignior? ſub cujus umbra, & amplexu utraque manu turari poſſit caninos murmurantium dentes, effrænatas maledicentium linguas, blaſphema verborum ora contra infatigabilium tempora ſtudiorum; ſiſtebat namque aut in ſanguinis ratione, aut in auctoritatis perſona, aut in officiorum expeditione. Si ſanguinis rutilationem contemplor, Phœnicis acies deeſt ut unico intuitu oculorum albugo inter viſus accidentia obſtupida maneat. Si auctoritatis perſonam miror; ſpecioſus forma præ filiis hominum ante oculos obſervatur, non minus animos ad reverentiam concilians, quam corda ſollicitans ad obſequium. Si officiorum expeditionem intueor: orbis proclamat, intonat mundus, Luſitania ora hiat, Interamnis teſtatur, & Romæ deeſt copia fandi. Quo me vertar, neſcio. In ſanguine; tot legalis ſceptri imperio condecoratus inſigniris, tot perilluſtrium ſtigmatum laureola inſignitus condecoraris, tot magnanimorum Principum concatenata ſobole ornatum perluſtramus, tot excellentium Dominorum conglutinata ſtirpe perilluſtris ornaris: ut poſſit dulciſonis modulis decantare. Quidni coronent ſidera, quem ſol veſtit; ſi ſol (ni fallor) generoſi ſanguinis eſt prototypus. Quid verborum ſidera coronant ſi ſanguinis ſol te ornat? quid ingenioli mei ſtilus applaudit, ſi ſobolis lux te condecorat? Quid amoris mei ambitio celebrat, ſi Regiæ proſapiæ radius te illuminet? ſole clarior, luce ſplendidior, & radio formoſior? In auctoritatis perſona: facilè hæc ſigna mundi oculis orbis conſpectui propalabo; in cujus pelago omnia virtutum lineamenta (non offenſa modeſtia) excuſſo pedum pulvere, manu calamo extenſa, morum exemplar, vitæ normam, modeſtiæ ſpeculum, rationis arbitrum, prudentiæ ſuggillatorem veneratur tempus, adorat ætas, ſculpit Luſitania, & manet mea alta mente repoſta, ut pignoratus (fateor,) ut amans, & in amore amens ſi non acuta fiſtula cano, obſequentiſſimo corde veneror.

In officiorum expeditione, univerſum terrarum orbem audax offendo, quando per univerſum terrarum orbem tot merita, tot tantæque dignitates: in officiis ſplendet expeditio, in meritis ſolſtitiat juſtitia, in dignitatibus conſpicitur auctoritas. Deveniamus ad armorum ſtrepitum abſque ſtrepitu armorum, quando in expeditione bellica Interemnenſi equo ſedentem te Cæſarem miror proclamare, te appellitare Alexandrum conſpicio, & quadrupedante putrem ſonitu quatiebas ungula campum: in diſponenda acie undequaque circunſpectus, in tyronum diſciplina ſtudioſus, in veterano militum ſtipendio notitioſus; non minus gladio Cæſar, quam liberalitate Julius. Cingebas enſem, manum aperiebas: enſem ad debellandos ſuperbos; ad parcendos ſubjectos manum: dextera utpote potenti potentes devaſtabas: ſiniſtra tamen ut cordiali corda mulcebas: dextera ad hoſtiles acies ſuperandas, ſiniſtra ad animos ſubigendos; dextera pectora ad ſervitutem filialem; dextera ut ſtrenuus dux legebas, ſiniſtra nutriebas ut amoroſus pater; ſi te patrem diligebant milites ut filij; te fortem, bellicoſum timebant hoſtes, quando

Digitized by Google

quando in arenam deſcendentem, hoſtes tanquam arena exigua æſtimabantur in conſpectu tuo. Veniebas, videbas, vincebas ut Mars? in bello, ut in pace Mercurius, & ſi bellica arma te ornant, Civilis toga te cingit: quam ob rem ſi palma te triumphalem, & ovantem coronat, Laura tua tempora cingit plauſibilem, celebrem, notitioſum, efformans, & in pace politicum æternizat & omnium judicio ex millibus electum ad Romanam curiam ubi minarum ſumptus, verè minarum Marchionem te fama æreo diplomate, aureoque ſtylo ad poſteritatis admirationem, ad nationum exemplar, ad gentium applauſum nobilitat, gravat & condecorat, & ſi non Icariis alis ad ſolis conſpectum liquefactis tuum vaticinabatur exitium: præpeti, celerique volatu ad Romanorum oculos tuum inaugurabat numen. Vidit emporium Romanum & pavit. Viderunt nationes; obſtupuerunt ſteteruntque & vox faucibus hæſit. Vidit omnis homo, & merito illud dulciſonæ cantilenæ poëma ex noſtro Ludovico de Camoës, depromptum recitare valeat.

Naon ſiquei homen naon mas mudo, e quedo
E iunto de hum penedo, outro penedo.

Siquidem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit perlucidum, flavumque aurum, quod conſecrabat Orientalis plaga, gemmarum congeries ad quarum progeniem ſol ſua jubara puriora influxit, ad quarum productionem deſtillata gutta pluit matutinus ros tot veſtium globulos, tot adamantium puritatem ſolis æmulantium geſtiebat Indicum mare, tot ſerica variegata indumenta ubi dealbicabat argentum, aurum flavabat, purpurabat coccus, ars induſtriæ ſuæ ſudore elaborabat: in equo ſedens; ſpumabat brutum, onus verè regale ſentiens, Regium ſe ſuperbiebat, intumeſcebat, & ſi non pegaſo æmulans, in curſu phœbeos equos excedens in jubare, tot crinitæ comæ, tot lucentes radij, tot ſparſi capilli, tot luces radiantes: ſedebas in equo, ſed volitabas in fama, per plateas equitabas, per orbem volabas in notitia, per Romam incedebas eques, per mundum celebrabat applauſus; tot Eminentiſſimorum Cardinalium ſtipatus Reverentia, tot extraordinariorum Legatorum ſociatus Urbanitate, tot Nobiliſſimorum ducum conductus hoſpitio, tot illuſtrium Marchionum circumſeptus ſocietate, tot magnanimorum Comitum veritus ſanguine, tot militum in omni militiæ expeditione ſtrenuorum vallatus inſigniis, tot Dominorum in ſanguine, in armis, in toga, in bello, in pace, in enſe, in litteris civiliter conducebaris ad ſupremum S. S. D. N. Papæ Thronum; ſi pedes oſculabaris vere Eccleſiæ obediens filius, corde excipiebaris verè dilectus: Si filius ad Patrem recurrebas; Pater accurrens cecidit ſuper collum tuum amoris annulum digito tuo inſerens, ſtolam primam gratiæ collo tuo imponens, & ad gremiale ſolamen exceptus erectuſque ad paternum amplexum ex illo pectore benevolentiæ fontem ebibiſti, & ex illo ſigno tamquam ex ditiſſimo Theſauro amoris divitias captaſti: quibus Luſitanum Imperium ſub tuo auſpicio feliciter creſcat, ſub tuo

Digitized by Google

numine Olysiorum cordium augeatur fortuna, cujus voluminis tutius patrocinium experiatur, & mei coagmentetur obligatio. Vive ut vis. Valeas, ut volo.

Tuus addictissimus Capellanus & obsequentissimus servus,

PATER FRATER ANTONIUS
DE SPIRITU SANCTO.

PRÆFA

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUM noſtrum Regularium Directorium ſumma felicitate pleriſque, non ſolùm exteris, ſed etiam naturalibus hujus Regni fuerit acceptum; ipſa legentium apud me humanitas, & benevolentia coëgit, alterum Directorium Confeſſariorum, in hoc erudito Scripturientium ſæculo ante oculos omnium proponere, cujus prima, & ſecunda pars Lugduni, jamdiu in prælo veriantur, & quamprimùm lucem, Deo dante, videbunt, in quibus omnem doctrinam omnium Sacramentorum in genere, & ſpecie, & Cenſuratum, ea brevitate, claritate, & ingenio, quo potui invenies: Suppetebat mihi hæc tertia Directorij Pars, in qua omnia Decalogi, & Eccleſiæ præcepta, & tota materia de Juſtitia, & Jure, & Contractibus continentur. Sed quia res non minoris ponderis erat, ideo plus in ea temporis immoratus ſum. Habes ergo jam illam, *Benevole Lector*, methodo, & ordine non ingratam: conatus enim ſum ex melioribus omnibus Authoribus dare collectam. Brevitatem in ea amplecti ſtudui, placet enim omnibus brevitas, placet in omnibus: Quapropter ſummopere ſtudui, paucis potius multa reſtringere, quam in longas ambages diſcurrendo, oculos, & animos laſſare Lectorum. Sed ne dum multa paucis congero, vel paucis omnia, neceſſaria nempe Confeſſario coacervo, ut ſic habeas plenam in brevitate abundantiam, non obſcura methodo coacervatam, ſed qua potui claritate digeſtam; odi namque ſemper tenebras: non enim, ut non intelligar ſcribo, ſed ut ab omnibus percipiar. Inſpice ergo, & brevitatem ſimul cum claritate invenies. Plures Authores, & illorum ſententias refero, non tamen eas omnes defendo, ſed aliquas ut probabiles propono, alias defendo, alias ſuis authoribus probandas relinquo, & ſolum illas refero, ut ſcias quid ſentiant alij, & ut in perplexitate noſcas effugium. Faxit Deus, ut tibi volumen arrideat; ſi enim, quod Deo favente ſpero, eandem quam in primo apud te amice Lector inveniam benevolentiam, dabis mihi pennas ut aquilæ ad volandum, volabo & non quieſcam; & tertium Directorium humanæ, politicæ, & Eccleſiaſticæ Jerarchiæ, quod jam præ manibus duco, feliciter Deo dante prælo committam. Interim labore hoc noſtro in tui, & aliorum bonum diu feliciter fruere. Vale.

CENSVRA P. F. EMANVELIS A CHRISTO, quondam Theologiæ Moralis Lectoris Primarij & Collegij Conimbricenſis Rectoris meritiſſimi.

EX commiſſione Superiorum, librum, qui Directorium morale Confeſſariorum, inſcribitur, à R. P. Fr. Antonio ab Spiritu Sancto Carmelita Excalceato, & noſtræ Provinciæ hujus Luſitaniæ regni Diffinitore generali compoſitum attentè perlegi. Nihil in eo omnino, aut partim veræ, ſanctiſſimæque Fidei noſtræ regulæ adverſans reperio, imò omnia bonis moribus conſona. Directionem ejus ſequendo Confeſſarij vias Domino præparabunt, & cæteri mandata ejus exquirent. Ea brevitate, ſatis amplam præceptorum Decalogi materiam perſtringit Author juxta Senecæ documentum: Debet ſcriptor totum comprehendere ſub exiguo; eâ claritate dilucidat, ut fugato faſtidio, quod obſcuritas gignit, prolixitas parit, volumen iſtud cum ſapore comedas. Quapropter opus prælo dignum cenſeo. Vliſſipone in hoc Conventu Deiparæ Virginis *dos Remedios*, die 4. Julij, anni 1667.

FR. EMANUEL DE CHRISTO.

Cenſura R. P. F. Andreæ à Regibus, quondam Theologiæ Lectoris primarij, & nunc huius Provinciæ Definitoris & Conſiliarij ingenioſiſſimi & ſapientiſſimi.

EX commiſſione noſtri Definitorij Summi Pontificis auctoritate, in hoc Luſitaniæ regno Generalis vices gerentis hoc præclarum opus, cui titulus eſt, *Directorium Confeſſariorum*, continens decem Decalogi Præcepta, &c. à P. F. Antonio ab Spiritu Sancto quondam, in noſtro Vienenſi Collegio Moralis Theologiæ Prælectore, & modò hujus Provinciæ Definitore generali: pari diligentia & delectatione perlegi: in eo enim libri auctor dulciſſimum citharœdum agens, dum decem præceptorum doctrinam tractat, quaſi decem chordarum ſonorum plectrum pulſat, ut fas ſit dicere illud Pſalmiſtæ: plenis fibris adimpleſſe ad annuntiandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem in decachordo, Pſalterio, cum cantico in cythara: cùm enim decachordum Decalogum ſignificet teſte Ugone ad citatum locum. Decalogus enim habet decem chordas æreas ſcilicet, durabiles & ſonoras, ſcilicet decem Præcepta pulſat Auctor, dum propulſat & propalat. Ergo ſumma ſuavitate, dulcedine ſumma omnibus Sapientibus inquam & Inſipientibus accordem harmoniam offert, dum Decalogi Directorium profert; Sapientibus inquam qui matutina luce perfuſi literarium diem agunt miſericordiam annuntiat: Inſipientibus qui opacis ignorantiæ tenebris oppreſſi neſcientiæ noctem patiuntur, veritatem inculcat; vel aliter manè miſericordiam annuntiat, dum probatorum authorum ſententias illuminat, & nocte veritatem explicat, dum reprobatorum errores eliminat. Ergo in hoc Directorio nihil indirectum, ſiniſtrum, inviúmve, obvium aliquis inveniet: in hoc decachordo nihil diſſonum, abſonum, obſonúmve, obauditum ſentiet, ſed omnia ad ſanæ doctrinæ regulas, & Chriſtianorum morum leges compoſita dicet: Sic cenſeo, & ut in lucem exeat exopto in noſtro Carmeli Excalceati Uliſſiponenſi cœnobio. 1. Auguſti 1667.

FR. ANDREAS A REGIBUS.

FR. Stephanus à Sancto Joſeph, Generalis Ordinis Diſcalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Primitivæ Obſervantiæ. De conſenſu Diffinitorij celebrati authoritate Apoſtolica Vliſiponeanno M. D C. LXVII. Vt liber cujus titulus eſt, *Directorij Confeſſariorum pars tertia*, à P. F. Antonio à Spiritu Sancto, nunc Diffinitore Generali noſtri Ordinis, quondam primario Lectore Theologiæ Moralis, ſuis elucubrationibus accuratè compoſitus, & à gravibus doctiſque viris (quibus ipſum videndum & examinandum fuit commiſſus,) recognitus, & approbatus typis mandetur, & in lucem prodeat, quantum in nobis eſt licentiam, & facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra, ac Secretarij nomine ſubſcriptas, ſigillique noſtri prælo munitas fieri viſimus. Matriti die octava menſis Martij. Anno Domini M. DC. LXX.

FR. STEPHANUS A SANCTO JOSEPH,
Generalis.

FR. ANTONIUS A MATRE DEI,
Secretarius.

Licentia Supremi Tribunalis Inquiſitionis Regni Luſitaniæ, ut hic Tomus imprimatur.

VIſtas as informaçones que ſe houveraon podeſe imprimir o livro intitulado, *Directorium Confeſſariorum, &c.* Autor o P.F. Antonio do Spiritu Sancto Carmelita deſcalço, na forma que vai emendado: e deſpois de impreſſo tornara à Conſello para ſe conferir com o Original, e ſe dar licença para correr, & ſem ella nae correrà. Dia 15. de Gouſto de 1669.

DIOGO DE SOUSA.

FR. P. DE MAGALHAINS.

MANOEL DE MAGALHAINS DE MENESES.

DON VERISSIMO DE LANCASTRE.

FRANCISCO BARRETO.

RELI

RELIGIOSISSIMO, AC SAPIENTISSIMO P.M.

F. ANTONIO
A SPIRITU SANCTO,

Carmelitanæ Familiæ Excalceatorum Lectori Emeritiſſimo, olim Viannenſis Collegij Priori digniſſimo, nunc totius Provinciæ Definitori integerrimo, tertium jam ſuæ Theologiæ Moralis volumen edenti,

ENCOMIASTICON.

AUREUS, Antoni, liber eſt, ſimul aurea pandit
Dogmata; quæ mores viſa referre tuos.
Pro nive Carmelum multo circumfluis auro;
Aureus hoc auro forſan & orbis erit.
Ternum prorumpis ceu fons pretioſus in amnem,
Tergeminum reddunt terna fluenta librum.
Primo Morales tradit Directio normas,
Ceu foret ille aliis norma tenenda libris.
Sacramenta aliud pangunt ſeptena volumen,
Quam bene concinnum gratia plaudit opus.
Tertius iſte tamen labor invidioſus utrique,
Ditior eloquij flumine lura docet.
Has tibi divitias non auri effuſus in imbres
Iuppiter, at nomen, qui dedit, ille tulit.
Scilicet athereo demiſſa Periſtera cælo,
Cuncta Magiſterio quæ docet apta ſuo;
Illa tibi merito ſignat cognomine nomen,
Et ſcribenda dedit quaque voluminibus.
Ergo quid miror tam docta Volumina, quando
Scribenti pennam ſacra Columba dedit.

Addictiſſimus in Chriſto ſervus

P. JOANNES DE CARVALHO è Societate JESU.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Sectionum, & Paragraphorum, qui in hac tertia parte hujus Directorij continentur.

TRACTATUS I.

De virtute Fidei, & de ejus actibus, & vitiis ei oppoſitis.

DISPUTATIO I.

De Fide, & de ejus actibus.

SECT. 1. QUid ſit Fides. pag 1
2 An Fides ſit neceſſaria ad ad ſalutem? ibid.
3 Ad quæ objecta ſe debeat extendere actus Fidei tam ex neceſſitate medij, quam præcepti? 2
4 Quando, & quoties obligentur fideles elicere actum fidei? 3
5 An homo teneatur aliquando fidem exterius confiteri? ibid.
6 Quomodo teneatur fidem nunquam exteriùs negare? 4

DISPUTATIO II.

De vitiis Fidei Chriſtianæ contrariis.

SECT. 1. Quid ſit infidelitas, & quotuplex? 5
2 De infidelibus. 6
3 De hæreſi; quid, & quotuplex ſit hæreſis? 7
4 De pœnis, quæ in jure ſtatuuntur contra hæreticos. 8
5 De apoſtaſia, & ſchiſmate. 10
6 An fideles teneantur ſub præcepto non diſputare de rebus fidei cum infidelibus, & hæreticis. 11
7 Qui teneantur ex Tridentino emittere fidei profeſſionem? ibid.

TRACTATUS II.

De virtutibus Spei, & Charitatis, & eis annexis, & contrariis.

DISPUTATIO I.

De Spe.

SECT. 1. QUid ſit Spes, & de peccatis contra Spem. 12

DISPUTATIO II.

De Charitate.

SECT. 1. QUid ſit charitas? 13
2 Utrùm teneamur ex charitate proximum diligere? 14
3 Quomodo præceptum charitatis, qua diligitur proximus, obliget nos ad diligendos inimicos? ibid.
4 Utrùm injuriam paſſus teneatur ſalutare inimicum, ſi ex eo quòd non ſalutet alij ſcandalizentur, vel quando ex tali ſigno ſperatur ſalus ſpiritualis inimici? 15
5 Utrùm injuriam paſſus poſſit abſque peccato non ſalutare inimicum dum ſalutat omnes ſibi occurrentes, etſi inimicus ſit cum illis cæteris ſalutatis, & ipſe ſolitus eſſet ante inimicitiam eum prius ſalutare. 16
6 An teneatur quis ſub mortali reſalutare inimicum ſalutantem illum? ibid.
7 An injuriam paſſus teneatur, ſub mortali veniam concedere inimico petenti humiliter illam, & pacem cum illo componere? 17
8 An teneamur ex charitate proximo verſanti in extrema neceſſitate ſpirituali ſuccurrere, etiam cum vitæ, aut facultatum periculo? ibid.
9 An teneamur ſub mortali in neceſſitate gravi, aut extrema corporali proximi ei cum gravi damno temporali noſtro ſuccurrere. 18
10 Utrùm teneamur ex charitate in aliquo caſu expendere bona temporalia pro conſervanda vita proximi ubi de eleemoſyna. 19
11 Utrùm ſatisfacies eleemoſynæ, ſi rem qua proximus indiget mutues, vel dilata ſolutione vendas, vel dones ſub conditione ut reddat acceptum, ſi ad pinguiorem fortunam venerit? 21
12 Utrùm Eccleſiaſtici arctiùs obligentur ad eleemoſynam quam ſæculares, & quæ ſit hæc obligatio? ibid.
13 An beneficiatus peccet contra juſtitiam. 22

& ad reſtitutionem teneatur, ſi quæ ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſubſtentationi ſuperſunt in profanos uſus conſumat. 22
14 An debitor extremam neceſſitatem patiens teneatur reſtituere rem acceptam, ſeu ſolvere debitum creditori ſimili neceſſitate laboranti. 23
15 De quibus bonis facienda ſit eleemoſyna? 24
16 Quis poſſit facere eleemoſynam? ibid.
17 Quibus danda ſit eleemoſyna? 25
18 An ex præcepto charitatis teneamur corrigere fratrem? 26

DISPUTATIO III.

De vitiis Charitati contrariis.

SECT. 1. De odio Dei, & proximi. 28
2 Utrùm ſemper ſit contra charitatem malum proximo deſiderare? ibid.
3 De invidia qua ratione ſit peccatum charitati contrarium? 30
4 De acedia, qua ratione ſit peccatum charitati contrarium? 31
5 De ſcandalo, qua ratione, ſit peccatum charitati contrarium? ibid.
6 An permittere in proximo peccatum aliquo bono fine quod impedire poſſet ſit ſpeciale peccatum ſcandali? 32
7 Utrùm peccet peccato ſcandali, qui parato grave peccatum committere ſuadet committere minus? 33
8 Utrùm poſſit quis licite eligere minus peccatum ad evitandum majus? 34
9 Utrùm cooperatio cum peccante ſemper ſit peccatum ſcandali, vel aliquando poſſit eſſe licita? 35
10 De diſcordia, contentione, & ſchiſmate, quomodo charitati opponantur? 39

TRACTATUS III.

De primo Decalogi Præcepto.

DISPUTATIO I.

De divino cultu per adorationem.

SECT. 1. QUid ſit adoratio, & in quos cedat? 40

DISPUTATIO II.

De Oratione in communi.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit oratio? 41
2 An oratio ſit adultis neceſſaria ad ſalutem? 42
3 Quæ ſint in oratione petenda, & quis à quibus, & pro quibus orare poſſimus? 43

DISPUTATIO III.

De oratione publica, horis canonicis, & laude Dei per cantum, & pſalmodiam?

SECT. 1. Qui teneantur divinum officium in choro recitare? 43
2 Quo loco, tempore, & habitu, horæ canonicæ à Clericis in choro celebrandæ ſint? 45
3 De obligatione recitandi officium divinum privatim ratione ordinis, vel ſtatus. 47
§. 1. Qui teneantur divinum officium recitare? ibid.
2 Quæ formula ſervanda ſit in horis canonicis, & quomodo ſint recitandæ. 48
3 An qui addit, vel diminuit aliquod ab officio divino, vel illud in alia lingua à Latina recitat peccet mortaliter? 50
4 An qui mutat officium unius, in officium alterius diei, ſtando ſemper in eodem ritu, peccet mortaliter? 51
5 De modo recitandi divinum officium. 52
6 Quo tempore debeat divinum officium recitari? 53
7 De cauſis excuſantibus à divini officij recitatione. 55
8 De pœnis quos beneficiati incurrant non recitantes divinum officium. 56

DISPUTATIO IV.

De cultu qui Deo exhibetur per decimas, primitias, & oblationes.

SECT. 1. Quid ſit decima, & quo jure populus Chriſtianus decimas ſolvere tenetur? 57
2 De quibus rebus decima debeatur? 58
3 Cui parochiæ decimæ ſint ſolvendæ? 59
4 An decima ſolvenda ſit deductis expenſis? 60
5 Quo loco, & tempore decima ſolvenda ſit? ibid.
6 An Eccleſia, vel ejus miniſtri verum habeant dominium decimarum ante quam ſeparentur à cumulo fructuum vi præcepti ſolvendi decimas? ibid.
7 Quæ perſonæ ad decimas teneantur? 62
8 De vi, & efficacia, quam conſuetudo, præſcriptio, & tranſactio in decimis habet? 64
2 An pauperes communi vel gravi paupertate laborantes liberentur ratione paupertatis à ſolutione decimarum? 66
10 Quæ pœnæ impoſitæ ſint contra non ſolventes decimas? ibid.
11 Quo jure, & quibus debeantur primitiæ? 67
12 An oblationes ſint in præcepto? ibid.

TRACTATUS IV.

De vitiis oppositis Religioni.

DISPUTATIO I.

De irreligiositate, ejúsque speciebus.

SECT. 1. QUid sit irreligiositas, & quot modis dicitur, & quomodo vitia contraria religioni generatim distinguenda sint. 68

2 De tentatione Dei formali, & expressa, & de tentatione Dei interpretativa. 69

3 De blasphemia, quid sit blasphemia, & quotuplex, & quibus modis committatur. 70

4 Quale peccatum sit blasphemia. 72

5 De pœnis, & absolutione blasphemantium. 74

DISPUTATIO II.

De superstitione, ejúsque speciebus.

SECT. 1. Quid sit superstitio, & quænam ejus species. ibid.

2 Quid sit idololatria, & quale peccatum. 75

3 Quid, & quotuplex sit divinatio. 76

4 De vana observatione & de emplalmis, & salutatoribus. 78

5 De Missis S. Amatoris, & aliis orationibus, & novenalibus, & devotionibus an superstitiosæ sint? 80

6 De divinatione per astra, & de vera, & falsa astrologia. 81

7 De divinatione ex elementorum observatione. 82

8 De divinatione, quæ sumitur ex varia volucrum observatione. 83

9 De divinatione, quæ ex corporis humani membris, & partibus ducitur. ibid.

10 De divinatione per somnia. 84

11 De divinatione per sortes. ibid.

12 Quid, & quotuplex sit magia? 87

13 Utrùm liceat sagas adire, & consulere, ut maleficia faciant, vel tollant? 89

14 Utrùm liceat tollere ligaturas, nodos, capillos, chartas, & alia signa malefica posita à maleficis, eo fine ut diabolus desinat nocere. ibid.

15 De pœnis à jure statutis in veneficos, striges, sortilegos, divinos, & magos, & illos consulentes, & ad quem judicem spectet hoc crimen, an judices sæculares possint inspicere processus relaxatorum, & an inquisitores teneantur illis remittere striges pueros occidentes, etiam si convertentur, & tandem an peccatum lamiarum sit reservatum? 90

DISPUTATIO III.

De Sacrilegio.

SECT. 1. Quid & quotuplex sit sacrilegiũ? 92

2 Utrùm divisio sacrilegij in tres species recensitas sit in species ultimas, seu infimas, an in species subalternas? 94

DISPUTATIO IV.

De Simonia.

SECT. 1. Quid sit simonia? 95

2 An communis divisio pretij simoniæ, nempe muneris à manu, à lingua, & obsequio sit bona? 97

3 Quotuplex sit simonia? 98

4 Quo jure sit prohibita simonia, & an aliqua sit simonia, solùm de jure Ecclesiastico? 99

5 Utrùm vendere spiritualia naturalia, ut scientias, & artes, quæ humano sudore comparantur sit simonia? 100

6 An dicere pretio Theologiam sit simonia? 101

7 Utrùm gratia unionis, gratia sanctificans, persona increata, dona supernaturalia, & actus ejus, possint esse materia simoniæ? 102

8 Utrùm recipere pretium pro sacramentis sit simonia? 103

9 Utrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo pecuniam pro sacramentalibus? 104

10 Utrùm simonia committatur vendendo sepulturam? 105

11 Utrùm simonia committatur tradendo, vel promittendo aliquid temporale alteri ut operetur actum utilem solum ipsimet operanti, ut si tradatur alicui pecunia, ut fiat Christianus, religiosus, vel ut sacramenta recipiat? 106

12 Utrùm simonia committatur accipiendo aliquid pro divinis officiis, vel etiam pro privata oratione? 107

13 Utrùm tradi, vel accipi possit aliquid pro ingressu in religionem, vel confraternitatem? ibid.

14 Utrùm simonia committatur in venditione, vel emptione habituum militarium, & quid de commendis, tam clericalibus, quam militaribus dicendum sit? 108

15 Utrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus ordinum, & pro divinis officiis, vel etiam pro privata oratione? 109

16 Utrùm sit simonia accipere pecuniam pro collatione ordinum? ibid.

17 Utrùm venditio actuum pertinentium ad jurisdictionem spiritualem interni, & externi fori sit simonia? 110

18 Utrùm labor repertus in operibus ſpiritualibus, & obligatio ad illa pretio compenſari poſſit abſque ſimonia? 112

19 Utrùm intentio remunerandi dono ſpirituali antidoralem obligationem ortam ex temporali faciat ſimoniam mentalem, & an liceat talem obligationem in pactum deducere, vel ſaltem ſtipendium ſuſtentationis pro functione ſpirituali? 113

20 An pactio, & traditio rei temporalis ad obtinendam rem ſpiritualem excuſetur à ſimonia reali, & conventionali, propter intentam redemptionem vexationis? 115

21 An poſſit vendi beneficium Eccleſiaſticum abſque ſimonia, ubi etiam de penſionibus. 117

22 An jus patronatus, & officia Eccleſiaſtica vendi, alienarique poſſint abſque ſimonia? 120

23 Quæ permutatio in caſibus ſpiritualibus fieri poſſit abſque ſimonia? 121

24 Utrùm poſſit ex conſenſu ordinarij in mutatione beneficiorum compenſari pecunia, vel penſionum fructuum inæqualitas? 123

25 Quæ renunciatio beneficij ſit ſimonia. ibid.

26 Quæ reſignatio confidentialis ſimoniaca ſit. 125

27 Quæ pactio licita ſit ad componendam litem in cauſis beneficialibus. 126

28 Quæ ſint pœnæ inferendæ, vel ipſo jure impoſitæ ſimoniacis. 125

29 An requiratur ſimoniam eſſe completam, ut pœnas impoſitas ipſo jure ſimoniaci contrahant. ibid.

30 Quæ pœnæ impoſitæ ſint ingredientibus ſimoniace religionem, & ſic ingreſſos recipientes? 118

31 Quæ pœnæ imponantur pro ordine ſimoniace dato, vel accepto. 119

32 De pœnis impoſitis dantibus, & recipientibus ſimoniacè beneficium. ibid.

33 Quas pœnas inducat ſimonia confidentialis. 130

34 Utrùm acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui. 131

35 Quomodo ſimoniæ crimen probari poſſit, ut ſimoniaci puniantur, & condemnentur. 132

36 De poteſtate diſpenſandi cum ſimoniacis. 133

TRACTATUS V.

De ſecundo Decalogi præcepto.

DISPUTATIO I.

De Juramento.

SECT. 1. QUid ſit juramentum. 134

2 Quotuplex ſit juramentum. 135

3 Utrùm juramentum purè aſſertorium differat à promiſſario. 136

4 De variis formulis, ſeu modis jurandi. ibid.

5 Utrùm juramentum ſit actus licitus, & honeſtus. 138

6 Utrùm ad honeſtatem juramenti veritas, juſtitia, & judicium requiratur. 139

7 Quod peccatum ſit defectus veritatis, juſtitiæ; & judicij in juramento aſſertorio. ibid.

8 Quale peccatum ſit in juramento promiſſorio defectus veritatis, & juſtitiæ. 140

9 Quod peccatum ſit in judicio, vel extra judicium juramentum præſtare in alio ſenſu ab eo, quem alius intelligit. 141

10 Utrùm juramentum fictum, tam in judicio, quam extra, ſit peccatum mortale. 144

11 Quando conſuetudo jurandi gravem culpam inducat. 145

12 Qua ratione liceat alicui inducere aliquem ad jurandum, quem tamen exiſtimat eſſe pejeraturum, vel per falſos Deos juraturum. 147

13 Quinam poſſint juramentum emittere. 148

14 Quæ pœnæ impoſitæ ſint perjuro. 149

15 Qualis & quanta ſit juramenti promiſſorij obligatio. 150

16 Utrùm juramentum habeat vim confirmandi contractus alioquin irritos. ibid.

17 Utrùm juramentum habeat vim confirmandi contractus factos contra prius juramentum. 153

18 Utrùm juramentum dolo, vel errore extortum obliget. 154

19 Utrùm juramentum metu extortum obligationem inducat. 156

20 Quæ materia requiſita ſit in juramento promiſſorio, ut obligationem inducat. 157

21 De juramento medicorum, decurionum, ſcribarum, & aliorum judicum. 159

22 Utrùm tanta ſit obligatio juramenti, ut non detur locus compenſationi. 160

23 Utrùm obligatio juramenti ita ſit perſonalis, ut nullo modo tranſeat ad hæredes, vel ſucceſſores. 161

24 Utrùm juramentum per procuratorem præſtari poſſit. ibid.

25 An

Digitized by Google

25 An juramenti obligatio antequam præſtetur impediri poſſit. 162
26 Quomodo juramentum ſit interpretandum? ibid.
27 Quæ juramenta in honorem Dei præſtita irritari, relaxari, commutativè poſſint, & à quibus? 165
28 Quæ juramenta in favorem hominum præſtita irritari, vel remitti poſſint, & à quibus? ibid.
29 Utrùm in contractibus juratis relaxatio peti poſſit, & quando, & à quibus? 166

DISPUTATIO II.

De Voto.

SECT. 1. Quid ſit votum, & in quo ejus formalis ratio conſiſtat? ibid.
2 An promiſſio vera requiratur ad votum, an ſufficiat ſimulata? 167
3 Quæ deliberatio, ſeu libertas ad votum neceſſaria ſit? 168
4 Utrùm metus impediat libertatem requiſitam ad votum? 169
5 Qualiter error, vel ignorantia impediat voti libertatem, & conſequenter ejus valorem? 170
6 An votum ſoli Deo faciendum ſit? 171
7 Utrùm votum de re moraliter bona emiſſum propter malum finem ſit validum? ibid.
8 Utrùm votum de opere indifferenti valeat? 173
9 An opus malum poſſit eſſe materia voti? 174
10 Utrùm votum de materia impoſſibili ſit validum? 175
11 An votum de materia partim poſſibili, partim impoſſibili, partim honeſta, & partim inhoneſta, & partim turpi, vel indifferente, ſit validum? ibid.
12 An votum poſſit eſſe de rebus præceptis? 177
13 Utrùm votum debeat eſſe de meliori bono? ibid.
14 Utrùm immiſſio voti, illiuſque executio ſit actus à religione emiſſus? 181
15 Quotuplex ſit votum? ibid.
16 Qualis ſit obligatio voti? 182
17 Quæ perſonæ voto obligari poſſint? 183
18 Pro quo tempore votum obliget ad ſui executionem? 184
19 Utrùm votum non impletum tempore deſignato deſinat obligare? 185
20 Utrùm qui nequit implere votum tempore præfinito teneatur illud prævenire, & votum prius implere? 186
21 Utrùm obligatio voti ita ſit perſonalis, ut ſolum volentem adſtringat, ab ipſoque ſolum impleri poſſit? ibid.
22 An obligatio voti tranſeat ad hæredes? 187
23 De obligatione voti de quo dubitetur an factum ſit? 188
24 An quis teneatur voto ſi dubitet an tempore voti adfuerit libertas, & uſus rationis? 189
25 Qualiter votum ſit interpretandum quando ejus materia non eſt determinata? 190
26 Qualiter votum conditionale obliget? 192
27 Qualiter votum pœnale obligationem inducat? 194
28 An obligatio voti ceſſet ceſſante cauſa, ob quam factum eſt, vel notabili mutatione ſuperveniente? 195
29 Quid ſit voti irritatio, quotuplex & unde ortum habeat, & quibus competat? 196
30 Ad quæ vota irritativa poteſtas ſe extendat? 198
31 Qualiter, & quando irritatio concedi poſſit? 201
32 Quæ, & qualiter Religioſorum vota irritari poſſint? 202
33 Qualiter parentes, tutores, & curatores poſſint vota filiorum pupillorum, & minorum irritare? 203
34 An omnia vota uxoris poſſit maritus irritare? 204
35 Qualiter vota ſervorum poſſit dominus irritare? 205
36 Qualiter obligatio voti ceſſet diſpenſatione? ibid.
37 Qui habeant poteſtatem diſponendi & in quæ vota? 207
38 Quæ vota ſint ſummo Pontifici reſervata? 208
39 An ſint aliqui caſus in quibus prælati inferiores poſſint diſpenſare in votis reſervatis? 209
40 Quibus competat, & in quæ vota poteſtas delegata diſpenſandi? 210
41 Quid ſit commutatio, & an ad votum mutandum ſemper requiratur poteſtas Eccleſiaſtica, ita ut nunquam propria authoritate poſſint commutari? 211
42 An vota ſemel commutata reviviſcant, ſi non impleatur materia ſubrogata? 213

TRACTATUS VI.

De tertio Decalogi præcepto.

DISPUTATIO I.

De obſervatione Feſtorum.

SECT. 1. QUis poſſit dies feſtos inſtituere? 214

Digitized by Google

Index Tractatuum,

Qui teneantur ad dies festos observandos? 215
3 Quid in hoc præcepto præcipiatur? 216
4 De obligatione audiendi missam in die festo ibid.
5 De causis excusantibus ab auditione missæ. 218
6 An teneantur fideles non ponere impedimenta ad missam audiendam? 220
7 Quænam opera permissa sint, vel prohibita in die festo? ibid.
8 De causis excusantibus operantem in die festo. 221
9 Quæ opera non servilia jure in die festo prohibeantur? 223

DISPUTATIO II.

De jejunio Ecclesiastico.

SECT. 1. A quibus cibis abstinendum sit tempore jejunij? 224
2 Quotuplex refectio sumi possit in die jejunij? 226
3 An in die jejunij possit sumi refectiuncula vespertina, & in qua qualitate, & quantitate? 227
4 Qua hora sumi possit refectiuncula, & comestio in die jejunij? 228
5 Quo jure, & quibus diebus jejunandum sit? ibid.
6 An qui administrat aliis cibos in die jejunij peccet, & quomodo? 229
7 Quinam lege jejunij teneantur? 230
8 De prima causa excusante à jejunio, quæ est impotentia. 231
9 De secunda causa excusante à jejunio, quæ est labor. 232
10 De tertia causa excusante à jejunio, quæ est pietas. 233
11 De quarta causa excusante à jejunio, quæ est justus metus. 234
12 De quinta causa excusante à jejunio, quæ est dispensatio. ibid.

TRACTATUS VII.

De quarto præcepto Decalogi.

DISPUTATIO I.

De obligatione filiorum erga parentes, & parentum erga filios.

SECT. 1. QUomodo filij teneantur parentes diligere. 236
2 De reverentia à filiis parentibus præstanda. ibid.
3 De obedientia à filiis parentibus præstanda. 237
4 Quomodo filij teneantur subvenire parentibus, tam in necessitate spirituali, quam corporali? ibid.
5 De obligatione parentum erga filios. 239

DISPUTATIO II.

De obligatione inter virum, & uxorem.

SECT. 1. De obligatione virorum erga uxores. 241
2 De obligatione uxorum erga maritos. 244

DISPUTATIO III.

De mutua obligatione dominorum, ac famuli.

SECT. 1. De obligatione servorum erga dominos. 245
2 De obligatione dominorum erga servos. 246
3 De obligatione famulorum erga dominos. ibid.
4 De obligatione dominorum erga famulos. 247

DISPUTATIO IV.

De obligatione fratrum ad invicem.

SECT. 1. De obligatione fratrum in fratres, & sorores, quoad alimenta, & dotem. 248
2 De obligatione fratrum in fratres, quoad partitionem bonorum, & quæ bona teneantur adducere ad divisionem? 249
3 An dos data filiæ ut sit religiosa, vel patrimonium filio pro sacris instituto sit conferendum ad collationem? 250
4 Utrùm donatio à patre facta pro militia, pro assistentia in curia regia, pro studio literarum, & doctoratus gradu, pro libris emendis, & aliis ad studium necessariis adducenda sint ad collationem? 251
5 An expensæ à patre factæ cum filio pro doctoratu, pro militia, pro redemptione à captivitate, pro liberatione à crimine, pro beneficio obtinendo sint adducendæ ad collationem? 252
6 An pater possit remittere filio sub patria potestate constituto usumfructum bonorum adventitiorum, & profectitiorum quin filius teneatur æstimationem illius adducere ad collationem? ibid.
7 Utrùm bona quæ filius sub patria potestate constitutus sua industria, vel labore acquisivit teneatur adducere ad collationem? 253
8 An officia donata à Rege patri, vel empta pecuniis paternis adducenda sint quoad valorem ad collationem inter fratres, & alios cohæredes? ibid.
4 Utrùm filius teneatur adducere ad collationem cum aliis fratribus, & cohæredibus ea, quæ malè consumpsit? 254

DISPU

Disputationum, & Sectionum.

DISPUTATIO V.

De obligatione subditorum, & discipulorum erga suos superiores, & magistros.

Sect. 1. De obligatione subditorum sæcularium erga principem laicum, & è contra. ibid.
2 De obligatione subditorum Ecclesiasticorum erga suos prælatos, & è contra. 255
3 De obligatione prælatorum Ecclesiasticorum erga suos subditos. 256
4 De obligatione Magistrorum erga suos discipulos, & è contra. 257

TRACTATUS VIII.

De quinto Decalogi præcepto.

DISPUTATIO I.

De homicidio publica authoritate facto.

Sect. 1. Vtrùm liceat occidere malefactores? 257
2 Utrùm liceat aliquando indirectè interficere innocentes? 258
3 Utrùm judex possit condemnare ad mortem Petrum reum, qui re vera innocens est, probatur tamen in judicio nocens, per allegata & probata? 259
4 Utrùm judex qui privata scientia novit Petrum esse dignum morte, sed in judicio probatur innocens, possit eum morte damnare? 260
5 Utrùm liceat aliquando indirectè interficere innocentem? 261

DISPUTATIO II.

De homicidio justo privata authoritate facto, ubi etiam de duello.

Sect. 1. Utrùm liceat occidere invasorem injustum pro tuenda propria vita, vel aliena? 262
2 Utrùm liceat interficere injustum invasorem ob defensionem bonorum temporalium? 264
3 De homicidio ob defensionem honoris, & pudicitiæ, tam propriæ quam alienæ. ibid.
4 An ad tuendam vitam, honorem, vel divitias liceat alicui aliquando offerre, seu acceptare duellum? 265

DISPUTATIO III.

De homicidio sui ipsius, & proximi injusto.

Sect. 1. Utrùm liceat seipsum occidere directè, vel indirectè? 267
2 Utrùm liceat seipsum mutilare? 268
3 De homicidio proximi injusto. 269
4 De circumstantiis homicidij in confessione explicandis. 270

TRACTATUS IX.

De sexto Decalogi præcepto, ubi etiam de nono.

DISPUTATIO I.

De Fornicatione.

Sect. 1. Quid sit fornicatio simplex? 270
2 Utrùm fornicatio simplex sit intrinsece mala vel solum mala quia prohibita? 271
3 Utrùm de peccato fornicationis dari possit ignorantia invincibilis? 272
4 De circunstantiis fornicationis, quos pœnitens tenetur explicare in confessione. ibid.
5 De concubinatu. 273

DISPUTATIO II.

De sacrilegio in materia luxuria.

Sect. 1. Quid sit sacrilegium in materia luxuriæ? 273
2 Quomodo ratione loci sacri detur sacrilegium in materia luxuriæ? ibid.
3 Utrùm ratione circunstantiæ temporis dari possit sacrilegium in materia luxuriæ? 274

DISPUTATIO III.

De Adulterio.

Sect. 1. Quid sit adulterium? 274
2 Utrùm conjux committens sodomiam cum uxore, vel cum altero committat adulterium. ibid.
3 Quas pœnas incurrant adulteri. 275

DISPUTATIO IV.

De Incestu.

Sect. 1. Quid sit incestus. ibid.
2 Utrùm conjux committens incestum cum consanguinea suæ uxoris incurrat impedimentum non petendi debitum. ibid.
3 Utrùm copula sodomitica oriatur incestus. 276
4 Utrùm incestus sit crimen mixti fori. ibid.
5 Quas pœnas incurrant incestuosi. ibid.

DISPUTATIO V.

De Stupro.

Sect. 1. Quid sit stuprum. 277
2 Quomodo amittatur virginitas. ibid.

Index Tractatuum,

DISPUTATIO VI.

De Raptu.

SECT. 1. Quid sit raptus? 278
2 Quas pœnas incurrant raptores? ibid.

DISPUTATIO VII.

De Peccatis contra naturam.

SECT. 1. Quid sit mollities? 279
2 De Sodomia, & de ejus pœnis, tam jure civili quam canonico. 281
3 De Bestialitate. 282

TRACTATUS X.

De septimo Decalogi præcepto, ubi etiam de decimo.

DISPUTATIO I.

De Iustitia, & Iure.

SECT. 1. QUid, & quotuplex sit justitia? 283
2 De justitia legali. ibid.
3 De justitia distributiva. 284
4 De justitia commutativa. ibid.

DISPUTATIO II.

De Iure, & Dominio.

SECT. 1. Quid sit jus, objectum justitiæ? ibid.
2 Quid sit dominium? 285
3 Quid sit usus fructus, & usus nudus? ibid.
4 Quid sit habitatio, emphyteusis, & feudum? 286
5 Quid sit superficies, servitus, livellum, & possessio? ibid.

DISPUTATIO III.

Pœnes quos possit esse dominium?

SECT. 1. Utrùm sola natura rationalis sit capax dominij? 287
2 An jure servi, & propria mancipia habeant aliquarum rerum dominium? ibid.
3 Utrùm filij familias habeant aliquarum rerum dominium? 288
4 Utrùm religiosi habeant aliquarum rerum dominium? ibid.
5 Utrùm clerici habeant aliquarum rerum dominium? 289

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi dominium.

SECT. 1. Utrùm omnia homine inferiora cadant sub hominis dominio? ibid.
2 Quibus modis acquiratur rerum dominium? ibid.
3 An, & quomodo possit unus homo acquirere dominium alterius hominis? 290
4 Quo usque se extendat jus dominorum in servos, & an fas sit illis fugere ad suos? 291
5 Quibus modis servi à servitute contracta liberentur? 292
6 Qualiter dominium animalium acquiratur, & acquisitum deperdatur? ibid.
7 Utrùm venatio, piscatio, & aucupatio prohiberi possint, & qualiter peccent, & ad restitutionem teneantur, piscationem, venationem, & aucupium prohibitum exercentes? 293
8 Qualiter in mari, & in fluminibus dominium acquiratur, ubi de ambaro invento in littore, & de piscibus grandibus, an reales sint? 294
9 Qualiter dominium silvarum, & pascuorum acquiratur? 296
10 Quomodo acquiratur dominium in lapillos, corallium, gemmas, in metallorum venas inventas, & in thesauros? ib.
11 Qualiter acquiratur dominium bonorum, quæ nullius fuere, vel quæ pro derelictis habentur, vel quæ inventa sunt, ubi etiam de bonis incertis, & vacantibus? 298
12 De modo acquirendi dominium per alluvionem, accessionem, formationem, confusionem, & mixtum. 299

DISPUTATIO V.

De modo acquirendi dominium in rem alterius, absque ejus consensu, quod fit per præscriptionem, vel usucaptionem.

SECT. 1. Quid sit præscriptio, & usucaptio? 301
2 Declarantur conditiones requisitæ ad præscriptionem, specialiter prima, quæ est possessio. ibid.
3 Explicatur secunda conditio, quæ est titulus. 302
4 Explicatur tertia conditio præscriptionis, quæ est bona fides. ibid.
5 An ignorantia invincibilis juris, vel facti faciat aliquem bonæ fidei possessorem? 303
6 An mala fides authoris noceat bonæ fidei successoris? ibid.
7 An in aliquo speciali casu possit cum mala fide præscribi? 304
8 De quarta conditione ad præscriptionem, quæ est continuatio possessionis per tempus à lege præscriptum. ibid.
9 Quæ non præscribi possint? 306
10 Qualiter præscriptio currat, dormiat, interrumpatur, vel continuetur? ibid.
11 Quibus concedatur restitutio in integrum adversus præscriptionem peractam? 307

DISPU

Disputationum, & Sectionum.

DISPUTATIO VI.

De Furto.

Sect. 1. Quid sit furtum? ibid.
2 Quæ quantitas requiratur in furto, vel in damno dato ad constituendum peccatum mortale? 308
3 Quando peccet mortaliter, qui multa minuta furta committit? 309
4 De quantitate sufficienti ad mortale in furto domesticorum. ibid.

DISPUTATIO VII.

De restitutione in genere.

Sect. 1. Quid sit restitutio, & unde oriatur obligatio restituendi, & an sit necessaria? 311
2 An requiratur semper culpa, ut sit obligatio restituendi pro damno dato? 312
3 Qualis culpa requiratur, ut sit obligatio restituendi ex contractu? 313

DISPUTATIO VIII.

De obligatione restituendi ex injusta acceptione, seu dammificatione.

Sect. 1. De obligatione restituendi, ratione damni spiritualis. 314
§. 1. An teneatur restituere, qui privat aliquem per injuriam, v. g. philtro, veneno, vel alio modo, ab aliquo sensu, vel usu rationis? ibid.
2 Utrùm teneatur restituere, qui alterum ad peccandum induxit? ibid.
3 An qui avertit aliquem à religione, quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad restitutionem? 315
Sect. 2. De inferente damnum in bonis corpori intrinsecis, ut in vita, & membris. ibid.
§. 1. Quinam homicida ad restitutionem teneatur? ibid.
2 Quod damnum homicida injustus restituere teneatur? 317
3 Cui teneatur restituere homicida? ibid.
Sect. 3. De restitutione ex stupro, & adulterio. 318
§. 1. Utrùm stuprator teneatur aliquid restituere pro solo damno naturali? ibid.
2 Ad quid teneatur corruptor virginis quando matrimonium ei non promisit? 319
3 Ad quid teneatur corruptor virginis si eam defloravit promissione conjugij? ibid.
4 Utrùm qui ante voverat ingredi religionem possit ingredi, si postea puellam sub promissione vera, vel ficta matrimonij deceperit? 320
5 Quid restituendum ratione adulterij commissi? 321
Sect. 4. De obligatione restituendi ex quacumque acceptione, aut læsione injusta. 322
§. 1. Qualiter sit obligatio restituendi ob fidem dubiam debitoris? ibid.
2 Quomodo ex mora culpabili oriatur obligatio restitutionis? 323
3 An ex acceptione ob turpem causam oriatur obligatio restituendi? 324
4 Utrùm acceptum ob causam honestam, quam quis facere, vel omittere tenebatur sit restituendum? 325
5 De obligatione restituendi ex læsione injusta absque usurpatione rei alienæ. ib.
6 De impediente bonum alteri, ejusque restitutione, quo ad ea, quæ pertinent ad justitiam commutativam. 326
7 De impediente bonum alteri, quoad ea quæ pertinent ad justitiam distributivã. ibid.
8 De restitutione falsificantis moneram, fingentis paupertatem, vel vectigalia, seu gabellas defraudantis. 328

DISPUTATIO IX.

De obligatione restituendi, quæ oritur ex re accepta.

Sect. 1. An possessor bonæ fidei cum cognovit rem, quam possidet esse alienam teneatur aliquid restituere? 329
2 Utrùm possessor bonæ fidei teneatur simul cum re fructus perceptos restituere? 330
3 Utrùm qui rem furtivam, bona fide emit, ubi novit esse furtivam, teneatur eam domino reddere, an vero possit dissolvere contractum, & eam furi reddere suo pretio recepto? 331
4 An is qui mala fide emit rem à fure possit eam tradere furi, ut pretium suum recuperet? 332
5 An possessor bonæ, vel malæ fidei, qui ex mixto rei furatæ cum propria aliquid à fure accepit, teneatur illud restituere? ibid.
6 An dubius, an res sit aliena, possit eam accipere, retinere, vel alienare? 333
7 An qui per occultam compensationem recompensat id, quod sibi debetur, teneatur ad restitutionem? 334
8 An necessitas accipientis rem alienam excuset à furto? 338

DISPUTATIO X.

De obligatione restituendi quæ oritur ex contractu, ubi de contractibus.

Sect. 1. Quid sit contractus, quid & pactum, & quotuplex? 339
2 Utrùm omnis contractus obliget in foro interno, & externo? 340
3 Utrùm consensus internus necessarius omnino sit ad valorem contractus? ibid.
4 Qui possint contractus legitimè celebrare? 341
5 Quando, & qualis restitutio in integrum competat per validum contractum? ibid.

6 Utrùm contractus celebratus ſine ſolemnitate à jure requiſita ſit validus? 343

DISPUTATIO XI.
De Promiſſione.

SECT. 1. Quid ſit promiſſio, & in quo differat à propoſito? ibid.
2 Utrùm promiſſio ante acceptationem obliget? 344
3 Qualis, & quanta ſit promiſſionis obligatio? 345
4 In quibus caſibus promiſſio acceptata, & antea valida deſignat obligare. 346

DISPUTATIO XII.
De Donatione.

SECT. 1. Quid ſit donatio, & de ejus ſpeciebus. ibid.
2 Qui donare poſſint? 347
3 Quas donationes liberales poſſint Patres facere filiis ſuis? 348
4 Utrùm donationes inter conjuges ſint validæ, & an morte conjugis donantis confirmentur? 349
5 Quantum quis poſſit donare? 350
6 De donatione conditionali & in diem adjectione. 351
7 Utrùm donatio facta ad certum uſum, vel finem, vel ob aliquam cauſam ſit valida, ſi uſus, finis, vel cauſa præſtetur, vel ſubſiſtat? 352
8 Quibus caſibus poſſit donatio revocari? ibid.

DISPUTATIO XIII.
De Depoſito.

SECT. 1. Quid ſit depoſitum. 353
2 Utrùm depoſitarius uti poſſit depoſito? 354
3 Cujus ſit incrementum, vel decrementum depoſiti, quod conſumitur? 355
4 Quis poſſit eſſe deponens, & depoſitarius? ibid.
5 Ex qua culpa teneatur depoſitarius, ſi depoſitum pereat, vel deterius fiat? ibid.
6 An depoſitarius in pari periculo ſuæ rei, & rei depoſitæ obligetur rem alienam præferre ſuæ? 356
7 An depoſitarius teneatur reddere depoſitum deponenti, quoties ab eo poſtulatur, etiamſi ſciat ei, vel aliis periturum? 357

DISPUTATIO XIV.
De commodato & precario.

SECT. 1. Quid ſit commodatum? 358
2 An commodatum repeti poſſit ante tempus præſcriptum ob par incommodum, vel damnum vitandum commodantis? ibid.
3 An commodatarius teneatur de caſu fortuito? 359
4 De precario? ibid.

DISPUTATIO XV.
De mutuo, & uſura.

SECT. 1. Quid ſit mutuum. 360
2 Quid ſit uſura. 361
3 Utrùm licitum ſit aliquid ſupra ſortem exigere non ex mutuo, aut vi illius, ſed ex aliis licitis, & honeſtis cauſis, & titulis? ibid.
4 An ratione damni emergentis liceat aliquid ſupra ſortem accipere? 363
5 An ratione lucri ceſſantis poſſit aliquid ſupra ſortem exigi in mutuo ſine uſura? ibid.
6 An mutuator licitè poſſit ſumere lucrum quod ipſi ceſſabit nunc ab initio mali? 364
7 An qui facit contractum uſurarium, quod bona fide exiſtimabat eſſe juſtum, poſſit retinere lucrum ex eo partum, ſi illud ex contractu juſto habere potuiſſet. ibid.
8 An ob difficultatem, vel periculum recuperandi ſortem poſſit aliquid ſupra ſortem reportari? 365
9 An creditor pro ſuſcepto in ſe periculo rei mutuatæ, poſſit quidpiam exigere? ibid.
10 An poſſit imponi pœna mutuatario ſi non ſolverit ſtatuto tempore, & eam ultra ſortem accipere quando fuit in mora? 366
11 An liceat mutuanti accipere fructus pignoris eos in ſortem minimè computando? ibid.
12 An montes pietatis ſint uſurarij. ibid.
13 An liceat deponere pecunias in montibus pietatis, & ex illis accipere quinque pro centum. 367
14 An ille qui pecuniam ſumpſit fœnore poſſit illam mutuo dare alteri cum pacto ſolvendi ſibi idem fœnus, vel fœneratori. 368
15 Quinam ex cooperantibus ad uſuram teneantur reſtituere. ibid.
16 An petere mutuum ſub uſuris à fœneratore parato abſque neceſſitate, ſeu utilitate, ſit peccatum mortale. 369
17 Quænam pœnæ impoſitæ ſint uſurariis. 370

DISPUTATIO XVI.
De Teſtamentis & Legatis.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit teſtamentum. ibid.
2 De teſtamentis privilegiatis, quas ſolemnitates requirant tam de jure communi, quàm Luſitano. 371
3 Utrùm teſtamentum ex defectu ſolemnitatis nullum ſuſtineatur in foro conſcientiæ. 372
4 Qui poſſint, & non poſſint teſtari. 373
5 Qui poſſint, vel non poſſint legatarij inſtitui. ibid.
6 Quibus modis poſſit quis hæredi ſubſtitui. 375
7 De hæredibus neceſſariis. 376

8 De hæredibus ab inteſtato, quo ordine ſuccedant? 377
9 De inventario faciendo. ibid.
10 Utrùm teſtamentum poſſit ſemper revocari? 379
11 De obligationibus hæredis. 380
12 Quid & quotuplex ſit legatum? 381
13 Quomodo mens teſtatoris in legatis interpretanda ſit? 382
14 Quinam ordo ſervandus ſit in ſolvendis legatis? 384
15 Quibus modis ceſſet legatum? ibid.
16 De his quæ pertinent ad executores teſtamentorum. 385
17 De Codicillo. 386

DISPUTATIO XVII.

De contractu emptionis, & venditionis.

SECT. 1. Quid ſit emptio, & venditio? 387
2 Quæ perſonæ emere, vel vendere poſſint? 388
3 De rebus, quæ vendi, vel emi poſſunt? 390
4 Quod ſit juſtum pretium rerum vænalium. 393
5 An res exquiſitæ, & novæ, quæ non habent pretium legitimum, nec vulgare poſſint vendi quanti contrahentes inter ſe conveniant? 394
6 An ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poſſit venditor rem carius vendere, quam pretio ſupremo currenti valeat? 395
8 Utrùm mercator, qui ſcit pretium mercium breviter minuendum, vel per leges, vel per multorum rerum abundantiam poſſit ſuas pretio currenti diſtrahere? ibid.
8 An fas ſit rem pluris credito, quam numerato pretio vendere? 396
9 An ob anticipatam ſolutionem liceat merces minoris emere, quam numerata pecunia valeant? ibid.
10 An creditum, ſeu chirographum poſſit minoris emi numerata, ſeu anticipata pecunia? 397
11 Utrùm liceat carius vendere credito, ut ſtatim vilius numerato eidem ematur? 398
12 Utrùm liceat vendere, & emere cum pacto retrovenditionis? ibid.
13 An ille cui res vendenda traditur per decem poſſit ſibi aſſumere, id pro quo plus vendidit? 399
14 De deceptionibus occurrentibus in venditione, & emptione. 400
15 De fraudibus in monopoliis. 403

DISPUTATIO XVIII.

De Cenſibus.

SECT. 1. Quid ſit cenſus, & quotuplex, & quid contractus cenſualis? 404
2 An cenſus tam realis, quàm perſonalis, & mixtus ſit licitus? ibid.
3 Quæ conditiones jure naturæ requirantur ad contractum cenſualem? 405
4 Quæ conditiones jure poſitivo, maximè ex bullis Pij V. requirantur, ut cenſus licitus ſit, & validus? 406

DISPUTATIO XIX.

De Cambiis.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit cambium, & qualiter ab aliis contractibus differat? 409
2 Utrùm tam cambium ſiccum, quam reale ſit licitum? 410
3 Utrùm licitum ſit cambium cum lucro conceſſum ei, qui nullam pecuniam habet in loco ſolutionis deſignato? 411
4 Ad quid campſor obligare poſſit campſarium, ſi termino conſtituto non ſolvat? 412
5 Utrùm liceat alteri cambientium recipere mercedem ab altero, quando uterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus? 413
6 An teneatur campſor ſolutionem ſortis acceptare non ſoluto cambiorum detrimento, ſeu intereſſe? ibid.
7 An campſor negare poſſit cambium in locum ſibi minus lucroſum, ut compellat ſumere in locum ubi majus lucrum comparabat? ibid.
8 Explicantur conditiones à Pio V. requiſitæ pro cambij contractu. 414
9 An proviſiones, quas ſolent campſores, & bancarij accipere juſtè accipiantur? 415

DISPUTATIO XX.

De locatione, & conductione.

SECT. 1. Quid ſit locatio, & conductio. 416
2 Quæ res locari poſſint? ibid.
3 Qui locare vel conducere poſſint? ibid.
4 Quodnam cenſeatur juſtum ſtipendium, vel penſio locationis? 417
5 De obligationibus locatoris? 418
6 An locator licitè poſſit expellere conductorem antequam tempus conductionis finiatur? 419
7 De obligationibus conductoris? ibid.
8 Utrùm ſucceſſor ſtare debeat locationi, vel conductioni factæ à ſuo anteceſſore? 421

DISPUTATIO XXI.

De Emphyteuſi, & Livello.

SECT. 1. Quid ſit emphyteuſis, & quomodo differat à livello, feudo, & aliis ſimilibus contractibus? 422
2 Quotuplex ſit emphyteuſis? ibid.
3 An ad emphyteuſis valorem ſcriptum requiratur? 423
4 Utrùm emphyteuta teneatur ſolvere penſionem? ibid.
5 An emphyteuta non ſolvens penſionem incidat

incidat in incommissum, & quando id accidat? ibid.
6 An emphyteuta, cadens in incommissum ob non solutam pensionem possit moram purgare? 425
7 An bona subjecta Ecclesiæ possint emphyteuticari, & quomodo? ibid.
8 Utrùm emphyteuta possit rem emphyteuticam vendere irrequisito domino? ibid.
9 Qualiter alio titulo quam conditione, emphyteuta emphyteusin alienare possit? 426
10 Quando emphyteuta teneatur solvere laudemium? ibid.
11 Quis in emphyteusin succedere debeat? 427
12 Utrùm Pater possit emphyteusin pro se, & filiis datam prælegare uni ex filiis, vel renuntiando, vel aliter in extraneum alienando eisdem filiis præjudicare, saltem præhabito concedentis consensu? 429
13 Utrum emphyteusis transeat in monasterium per ingressum emphyteutæ? 430
14 Utrùm emphyteuta, sive pater sit, sive filius possit nominare aliquem ad emphyteusin inconsulto domino? ibid.
15 Quæ nominatio sit valida, quæ revocabilis, quæ irrevocabilis, & quot testes sint necessarij in his nominationibus? 431
16 An emphyteusis concessa filiis, & nepotibus masculis comprehendat filios, & eorum descendentes masculos? 432
17 Utrùm emphyteusis concessa alicui pro se, & filio suo primogenito, mortuo primogenito, deferatur secundo genito, vel filio relicto à primogenito? 433
18 Utrùm emphyteusis concessa ad tres personas cum pacto, quod illis finitis revertatur libere ad dominum sit iterum renovanda descendentibus ultimi possessoris? ibid.
19 In quibus casibus publicatis bonis emphyteutæ, emphyteusis transeat ad fiscum? ibid.
20 Utrùm quando finitur emphyteusis ob finitas vires illius possit dominus mutare investituram, ejusque qualitates in priori investitura appositas? 434
21 Utrùm in Emphyteusi, tam sæculari, quam Ecclesiastica possint succedere filij naturales, & spurij? ibid.
22 An emphyteusis concessa pro se, & pro uxore sua Maria, & pro filio utriusque, possit concedi filiis uxoris secundæ, & tertiæ? 435
23 Utrùm Pater nominans ad emphyteusin, tam liberæ nominationis, quam de pacto, & providentia possit gravare nominatum, sive in testamento, sive extra? ibid.
24 De renovatione emphyteusis. ibid.
25 Utrùm res Ecclesiæ, quæ non solent emphyteuticari, & traduntur in emphyteusim de consensu summi Pontificis possint iterum beneficio renovationis concedi? 437
26 Quæ causæ excusent dominum directum à renovatione facienda? 438
27 Utrùm dominus directus pro beneficio renovationis possit accipere pecuniam? ibid.

DISPUTATIO XXII.

De Feudo.

Sect. 1. Quid sit feudum? 439
1 De conditionibus, quas debet habere contractus, ut sit feudalis? ibid.
3 In quibus distinguatur feudum ab emphyteusi? 440
4 De obligationibus quas habet feudatarius? ibid.
5 Quibus ex causis amittatur feudum? 441

DISPUTATIO XXIII.

De assecuratione.

Sect. 1. Quid sit contractus assecurationis? ibid.
2 De conditionibus, quas debet habere assecuratio ut sit licita? 442
3 Utrùm assecurator habens tantum quinque millia possit assecurare navim importantem decem accipiendo tantùm pretium quinque? ibid.

DISPUTATIO XXIV.

De ludo, & sponsionibus, & sororibus.

Sect. 1. Quid sit ludus, & an sit licitus? 443
2 De prima conditione ad justitiam ludi, scilicet quod ludens possit libere disponere de his, quæ ludo exponit. 444
3 De secunda conditione ad justitiam ludi, ut ludens fraudibus non utatur contra leges ludi. 445
4 De tertia conditione ad justitiam ludi, nempè ut alter alterum per injuriam non traxerit ad ludum. ibid.
5 De quarta conditione ad justitiam ludi, scilicet quod æqualis sit utriusque ludentis conditio. 446
6 Utrùm qui ludit animo non solvendi possit lucrari. ibid.
7 Utrùm is qui ludendo ad creditum perdidit teneatur ad restitutionem? 447
8 Utrùm acquisita ludo prohibito obnoxia sint restitutioni. 448
9 De sponsione. ibid.
10 De sortibus. 449

DISPUTATIO XXV.

De contractu, seu quasi contractu societatis.

Sect. 1. Quid, & quotuplex sit societas. 450
2 Utrùm in societate licitum sit pactum cum sociis, ut salvam præstent sortem, & reddant quotannis lucrum parvum pro incerto

Digitized by Google

incerto magno? 451
3 Qua ratione debeat fieri lucri, & damni divisio in fine societatis? 452
4 Quæ damna, & expensæ ponentis operam sint communes sociis? ibid.
5 De requisitis ad societatem circa animalia. 453
6 Quando incipiat, vel dissolvatur societas? 454

DISPUTATIO XXVI.

De Fidejussione.

Sect. 1. Quid sit fidejussio? ibid.
2 Quis possit fidejubere? 455
3 An si plures fidejubeant singuli teneantur in solidum? 456
4 Utrùm fidejussor possit agere contra debitorem, ut liberetur à fidejussione? ibid.
5 Utrùm fidejussor aliquando liberetur à debito fidejussionis? 457
6 Utrùm fidejussor possit pecuniam accipere à debitore pro fidejussione? ibid.

DISPUTATIO XXVII.

De pignore, & hypotheca.

Sect. 1. Quid, & quotuplex sit pignus. 458
2 Quis possit pignorare, & quot bona? ibid.
3 Utrùm fructus pignoris debeant in sortem computari? 459
4 An si res data in pignus, vel hypothecam varietur, remaneat pignus, & quomodo? ibid.
5 Utrùm creditor possit licitè vendere pignus, debitore non solvente, tempore statuto. 460
6 Utrùm creditor vendens pignus teneatur de evictione? 461
7 Quid, & quotuplex sit hypotheca? ibid.
8 Quidnam juris habeat creditor in rem sibi hypothecatam? 462

DISPUTATIO XXVIII.

De contractu mandati negotiorum gestorum, de tutela, & cura, de compromisso, de arbitris, de transactione, & compositione.

Sect. 1. De mandato. ibid.
2 De negotiis gestis. 464
3 De tutela, & cura. ibid.
4 De compromisso. 465
5 De arbitris. 467
6 De transactione. 468
7 De compositione. 469

DISPUTATIO XXXI.

De obligatione restituendi, quæ oritur ex cooperatione ad furtum, & ad damnum injustum?

Sect. 1. An ut cooperantes ad damnum injustum teneantur restituere sit necesse eos ita influere, & concurrere ad damnificationem, ut sine illis damnificatio injusta non fieret? ibid.
2 De mandante. 470
3 De consulente. 471
4 De consentiente. 473
5 De adulatore, & receptore? ibid.
6 De participante. 474
7 De concurrentibus negative ad damnum, & eorum restitutione. ibid.
8 Quo ordine hæ concausæ restituere debent? 475
9 Quando plures æque secundariæ, vel æque principales sunt causa damni ad quid teneantur? 476

DISPUTATIO XXX.

De ordine, loco, & tempore restitutionis, & expensis in ea factis.

Sect. 1. De circumstantia quis. ibid.
2 Quid, & quantum restituendum sit? 477
3 Cui facienda sit restitutio ibid.
4 Quomodo facienda sit restitutio. 478
5 Quando quis teneatur restituere. 479
6 Quis ordo servandus sit in restitutione, quando bona non sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus. 480
7 Quo loco, & cujus expensis facienda sit restitutio ex delicto 482
8 Quo loco, & cujus expensis facienda sit restitutio ex re accepta. ibid.
9 Quo loco, & cujus expensis restitui debeat, quod ex contractu licito debetur. 483

DISPUTATIO XXXI.

De causis excusantibus à restitutione.

Sect. 1. Quomodo impotentia, vel inopia excuset à restitutione. ibid.
2 Utrùm quis teneatur restituere cum jactura status 484
3 Utrùm remissio creditoris excuset à restitutione. ibid.
4 Utrùm cessio bonorum excuset à restitutione. 485
5 Utrùm ille qui solvere non potest debita, sperat tamen quod postea manens in sæculo poterit, possit omissa restitutione ingredi Religionem. ibid.
6 Utrùm dispensatio, vel compensatio cum prælato excuset à restitutione. ibid.
7 Quomodo se gerere debeat confessarius, cum pœnitente, cum possit, non restituit, nec debita solvit. 486

TRACTATUS XI.

De octavo Decalogi præcepto.

DISPUTATIO I.

De falso, seu temerario judicio.

Sect. 1. Utrùm judicium temerarium sit peccatum. 487
2 Utrùm temerè suspicari de re gravi sit peccatum mortale. ibid.
3 De quibusdam ad judicium temerarium spectantibus. ibid.

4 Utrùm in judicio ſemper ſit judicandum in meliorem partem? 489

DISPUTATIO II.

De detractione in fama, & honore.

SECT. 1. Quid ſit fama, & honor, & quibus modis lædatur? ibid.
2 Quid ſit detractio? 490
3 Utrùm ſit peccatum mortale detractionis defectus proximi occultos, tam naturales quam morales aliis propalare? ibid.
4 Utrùm audiens detractorem peccet mortaliter? 431
5 Utrùm ſemper ſit peccatum mortale peccata occulta proximi aliis propalare? 492
6 Utrùm ſit peccatum mortale revelare crimen proximi uni, vel duobus, quibus dicere perinde ſit, ac ſi nulli diceretur? ibid.
7 Utrùm crimen proximi, quod publicum eſt in aliqua civitate, liceat alibi patefacere. 493
8 Quomodo peccet detrahens de defuncto? 494
9 Utrùm ſit peccatum mortale ſeipſum infamare? ibid.
10 Utrùm poſſit quis ſibi falſum imponere ad vitanda tormenta præſertim, ſi ob id eſſet ultimo ſupplicio damnandus? 495
11 Utrùm ſit peccatum mortale revelare ſententiam probatam in aula S. Officij contra delinquentem ſolicitantem fœminas in confeſſione, vel ſodomitam illis, qui prolationi ſententiæ non fuerunt vocati? ibid.

DISPUTATIO III.

De fama reſtitutione.

SECT. 1. Quænam requirantur ut quis infamans famam reſtituere teneatur? ibid.
2 Utrùm qui famam abſtulit teneatur non ſolum ad famæ reſtitutionem, ſed ad reſtitutionem aliorum damnorum ex infamia ſecutorum? 496
3 Utrùm fama reſtituenda ſit cum jactura, ſeu periculo vitæ? ibid.
4 Utrùm ſi fama reſtitui non poſſit ſine vitæ periculo, debeat pecuniis compenſari? 497
5 Quomodo fama ſit reſtituenda? 498
6 Utrùm teneatur famam reſtituere is, qui bona fide exiſtimans eſſe verum, & publicum narravit, & infamavit proximum? 499
7 Utrùm Prælatus non impediens diffamatorem teneatur ad reſtitutionem? ibid.
8 An qui ſe mutuo infamant excuſentur à mutua reſtitutione? ibid.
9 Utrùm reſtitutio famæ poſſit condonari? ibid.
10 Utrùm accuſatus de vero crimine, ſi illud neget, teneatur famam accuſanti reſtituere? 500
11 Quæ excuſent à reſtitutione famæ? ibid.

DISPUTATIO IV.

De Contumelia.

SECT. 1. Quid ſit contumelia? 501
2 An conficientes libellos famoſos peccent mortaliter, & ad quam reſtitutionem teneantur? ibid.
3 Utrùm liceat contumeliam contumelia, convitium convitio aliquando repellere? 502
4 Quomodo ſit honor reſtituendus? ibid.

DISPUTATIO V.

De mendacio, & ſecreti revelatione.

SECT. 1. Quid, & quale peccatum ſit mendacium? 903
2 De obligatione ſecreti, & de reſtitutione ob ſecreti revelationem? 504
3 Utrùm qui aperuit literas alterius peccet mortaliter? ibid.

DISPUTATIO VI.

De inſuſurratione, irriſione, & maledictione.

SECT. 1. De ſuſurratione. 505
2 De irriſione, ibid.
3 De maledictione. 506

DIRECTO

Digitized by Google

DIRECTORIJ CONFESSARIORUM

PARS TERTIA,

DE DECEM DECALOGI PRÆCEPTIS.

TRACTATUS PRIMUS,

DE VIRTUTE FIDEI, ET DE EIUS ACTIBUS, & de vitiis oppoſitis.

PROOEMIUM.

CVM ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, ut explicemus, quem cultum homines reddere teneantur Deo, priùs de Fide, Spe, & Charitate nobis dicendum eſt, & ſtatim de cultu Deo debito diſputabimus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Fide, & de ejus actibus.

SECTIO I.

Quid ſit Fides?

SUMMARIUM.

1 *Fides eſt virtus Theologica.*
2 *Quomodo definiatur?*
3 *Fides eſt Dei donum.*
4 *In qua potentia ſit habitus Fidei?*

1 DIco primò: Fides eſt virtus Theologica à Deo infuſa, per quam firmiter propter ipſius Dei authoritatem aſſentimur iis, quæ à Deo revelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita. Ita colligitur ex D. Thom. *quæſt. 4. 1. 2. art. 1.* (*Dicitur virtus Theologica à Deo infuſa, ut ſciamus fidem non eſſe quid naturale,*) ut eſt fides humana, qua fidem præſtamus dictis hominum, ſed eſſe quid ſupernaturale, & Dei donum, & non hominis operibus acquiſitum. 2

Dicitur per quam firmiter propter ipſius Dei authoritatem aſſentimur. Tum ut oſtendatur objectum formale, ſeu ratio formalis, qua creduntur res Fidei, quæ eſt prima veritas, & Dei authoritas obſcurè revelantis. Tum ut oſtendatur potentia in qua eſt habitus fidei, nempè intellectu, quo rebus fidei aſſentimur. Dicitur tandem, iis quæ à Deo revelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita, ut oſtendatur objectum materiale circa quod verſatur fides; verſatur enim circa myſteria à Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt. 1. art. 1.* Malderus *ibi, ſect. 2.* 3 4

SECTIO II.

An Fides ſit neceſſaria ad ſalutem?

SUMMARIUM.

5 *Fides habitualis infuſa omnibus fidelibus eſt neceſſaria, etiam peccatoribus, & infantibus. Fides verò actualis ſolùm ratione utentibus competit.*

6 *Fides actualis alia eſt explicita, alia implicita, & quid utraque ſit?*
7 *Quid dicatur neceſſarium neceſſitate medij, quid præcepti?*
8 *Fides habitualis neceſſaria eſt neceſſitate medij, tam parvulis, quam adultis.*
9 *Fides actualis eſt adultis uſum rationis habentibus neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti.*

PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono Fidem ſupernaturalem, aliam eſſe habitualem, aliam actualem. Habitualis, infuſa eſt omnibus fidelibus, etiam peccatoribus, & infantibus, qui baptizati ſunt. Actualis vero, ſolum ratione utentibus competit. Secundo ſuppono Fidem actualem eſſe duplicem, aliam explicitam, per quam aliqua propoſitio fidei ſpeciatim creditur, ut quod Deus ſit trinus. Alteram implicitam, per quam fidei propoſitio non in ſe ipſa ſpeciatim creditur, ſed in aliqua alia, in qua implicitè continetur, ut quando quis credit, quidquid Eccleſia catholica credendum docet; hic namque implicitè credit Deum eſſe trinum, fuiſſe crucifixum, &c. Ita Valentia *tom.3. diſp.1. queſt.2. part.7.* Azorius *tom.1. lib.8 cap.6.* & alij communiter. Tertio ſuppono duobus modis aliquid eſſe neceſſarium, neceſſitate ſcilicet medij, & præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij, quo prætermiſſo, ſalus non obtinetur, quamvis inculpabiliter prætermittatur. Illud verò dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quo culpabiliter prætermiſſo, ſalus non obtinetur, bene tamen, ſi inculpabiliter prætermittatur. His ſuppoſitis.

Dico primò: Fides habitualis neceſſaria eſt neceſſitate medij ad ſalutem, tam parvulis, quam adultis. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ad *Hebræos* 11. Tum quia anima non eſt accepta Deo ſupernaturalium bonorum largitori, niſi ſuper vires naturales elevata, ſecundum intellectum ornata ſit habitu ſupernaturalis cognitionis, aut fidei, ſecundum voluntatem habitu ſupernaturalis amoris, ſeu Charitatis.

Dico ſecundò: Fides actualis, & ſupernaturalis eſt, & fuit ſemper adultis rationis uſum habentibus neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti. Ita Trid. *ſeſſ.6.cap.7.* & communiter DD. & ſumitur ex illo Pauli ad *Hebræos* 11. *accedentem ad Deum oportet credere.* Tum quia Fides ex eodem Apoſtolo, eſt ſperandarum rerum ſubſtantia. Dixi eſſe fidem actualem neceſſariam adultis rationis uſum habentibus, nam infantes, & qui illo ſemper caruere, Fide habituali, & baptiſmo ſalvantur, abſque fide propria actuali. Ita communiter DD.

SECTIO III.

Ad quæ objecta ſe debeat extendere actus fidei, tam ex neceſſitate medij, quàm præcepti?

SUMMARIUM.

10 *Ad quæ objecta ſe debeat actus fidei explicitus in adultis ratione utentibus extendi neceſſitate medij?*
11 *Quæ debeat Chriſtianus ſcire ex præcepto D. fidei?*
12 *Quæ debeant rudes neceſſario ſcire?*
13 *Quid debeant Paſtores, Confeſſarij, & Curati neceſſariò ſcire.*

DIco 1. In omnibus adultis ratione utentibus, neceſſitate medij ad ſalutem eſt ad minus neceſſarius actus fidei explicitus, quo credant Deum eſſe, & quod ſit omnium cauſa, & ab omnibus independens, & quod Deus ſit remunerator meritorum, ita ut juſtis reddat vitam æternam, & peccatoribus ſupplicium æternum. Ita cum communi ſententia Fagund. in primum præceptum Decalogi *lib.1.c.2. n.15.* Imò aliqui addunt, quod licet in omnibus juſtificationibus adultorum per ſe requiratur, quod actus fidei ad omnia per ſe explicitè terminetur; aliquando tamen ſatis erit, quod aliqua ex eis cognoſcantur, & credantur expreſsè, aliqua vero ſolum virtute, & in voto, ut optimè cum Suario, Fagundez, *ſuprà num.15.* 10

Et idem dicendum exiſtimo de fide explicita Chriſti: Aliquando namque fides explicita Incarnationis, Trinitatis, Circumciſionis, Reſurrectionis, &c. non eſt adultis neceſſarium medium ad ſalutem, ſed ſufficit adultis ex neceſſitate medij cum Baptiſmo credere, quod credit Eccleſia. Ita Saa, Turrian. Vaſquius, Coninch. quos refert, & ſequitur Diana *p.3.tr.5.reſ.46.* & 48. Palaus *tom.1.tr.4. diſp.1.p.11. n.5.* & 7. Thomas Tamburinus *in Decal. lib.2.c.2. §.1. n.5.* Non enim audeo majorem obligationem ponere hominibus, ne dicam infinitam Chriſtianorum multitudinem condemnari, qui de myſterio Trinitatis, & Incarnationis vix quidquam rectè norunt, imò perverſè ſentiunt; ſi interroges, ut bene cum Saa, advertit Tamburinus *ſuprà.*

Dico ſecundò. Quilibet Chriſtianus ex præcepto Divino tenetur ſcire & credere ſaltem quoad ſubſtantiam primò, omnes articulos Symboli Apoſtolici: [Excipe communionem Sanctorum.] Secundò Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Tertiò Decalogum, & Orationem Dominicam. Ita cum aliis Fagundez *lib.1. Decalogi c.2.n.30. 38.* & 41. Ratio quoad primam partem eſt, quia myſteria, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum ſunt præcipua noſtræ fidei fundamenta: Ergo explicitè ſunt ſcienda, & credenda à fidelibus; patet conſequentia, quia omnes tenentur jure Divino amplecti explicitè doctrinam Evangelij, & illi credere, & ſumma Evangelij continetur in articulis fidei. Dixi excepta communione Sanctorum, quia intellectu difficilis eſt, etiam pro doctis. Fagundez *ſuprà num.29.* 11

Quoad ſecundam vero partem etiam probatur. Quia omnes tenentur ſcire, quæ debent recipere, & à Deo poſtulare, ex divino præcepto; ſed omnes fideles tenentur recipere Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam, & à Deo pro neceſſitate animæ, & corporis exorare; ergo hæc omnia debent ſcire, cum ex præcepto teneantur recipere. Imo & Ordinem & Matrimonium, ſi ea Sacramenta ſuſciperent. Quod ſi hæc, & alia non ſuſceperint. Quod ſi hæc, & alia non ſuſceperint, non tenentur ex præcepto ea ſcire, cum ex præcepto non teneantur recipere. Fagundez *ſuprà num.40.*

Dixi quoad eorum ſubſtantiam, ut ſignificarem, non eſſe neceſſe ea memoriâ callere, [niſi fortè ſub culpa veniali, ob textus id præcipientes] ſiquidem ſatis eſt ea, quoad res ipſas ſcire, præſertim rudibus, & ruſticis, qui ſine dubio propter impotentiam excuſandi ſunt. Imo etiam rudes facilè præſumi poſſent ſcire quantum ſufficit Baptiſmum, Pœnitemtiam, Euchariſtiam, Decalogum, & Eccleſiæ præcepta, eo ipſo quod ſe eſſe Chriſtianos 12

bapti

Digitized by Google

baptizatos fatentur, & quod ad confeſſiones accedunt, ſacram Euchariſtiam adorant, atque inter Chriſtianos verſantur, cum aliquo timore peccandi; hæc enim ſunt ſigna, quod illa quoad ſubſtantiam ipſi ſciunt. 13 Dixi quilibet ex Chriſtianis, nam Paſtores, Confeſſarij, Curati, & ſimiles tenentur ſcire hæc cum aliqua majori explicatione, nam quilibet ex præcepto tenetur ſcire ea, quæ ſui muneris ſunt: Prædictorum autem munus, cum ſit alios docere, explicatius ea ſcire oportebit.

SECTIO IV.

Quando, & quoties obligentur fideles, elicere actum fidei?

SUMMARIUM.

14 *Aliquando tenetur fidelis neceſſitate medij elicere actum fidei.*
15 *Quo tempore illum debeat elicere?*
16 *Ex vi præcepti fidei tenetur fidelis aliquando elicere actum fidei.*
17 *Quo tempore teneatur fidelis ex vi præcepti elicere actum fidei?*

PRo hujus ſectionis intelligentia nota, quæſtionem poſſe eſſe, vel de actu fidei neceſſario neceſſitate medij, vel de actu fidei neceſſario neceſſitate præcepti: his ſuppoſitis.

14 Dico primò: Actus fidei neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem ſufficit, ſi ſemel in vita à quolibet fideli eliciatur. Ita Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 3. num. 18. & 24.* & cum aliis Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 1. num. 3.* Tempus autem, quo talis actus debet elici, eſt cum puer primum ad uſum rationis devenit, niſi ignorantia, ut ferè ſemper accidit excuſetur, ut benè notat Sanchez *ſuprà cap. 1. num. 3.* & cum aliis Malletus *in Decalogum malleatione 2. bractea 7.* 15 Si verò adultus fuerit, eliciendus eſt ab eo actus fidei, cum primum propoſiti ei fuerint fidei articuli, & cum jam prudenter incipit cognoſcere myſteria audita fidei eſſe credenda, & contrarias ſectas eſſe falſas. Sanchez *ſuprà num. 16.*

16 Dico ſecundò: Non ſolum tenemur aliquando elicere actum fidei, ex neceſſitate medij ſimul, & præcepti, ſed ex vi præcepti fidei, neceſſariò tenemur aliquando in vita elicere actum fidei. Ita cum Valentia, & aliis communiter Sanchez *in Decalogum lib. 2. cap. 1. num. 3.* Ratio eſt, quia datur præceptum affirmativum de actu fidei, ut patet ex illo Pauli ad Hebræos, accedentem ad Deum oportet credere; ſed præceptum affirmativum aliquando obligat: ergo aſſignandum eſt aliquod tempus, in quo obliget hoc præceptum ex vi virtutis fidei.

17 Quale autem hoc tempus ſit, variant DD. exiſtimo tamen, tempus eliciendi actum fidei ex vi præcepti hujus virtutis eſſe cum quis gravem aliquam tentationem contra fidem patitur, quam aliter vincere non poteſt, quam eliciendo actum fidei, tunc enim obligat fides ex vi præcepti ut illum eliciat, ſicut obligat virtus caſtitatis ad eliciendum actum illius, cum aliter tentationem carnalem vincere non poteſt. Ita Valentia *2. 2. diſp. 1. quæſt. 2. part. 5.* Bonacina *tom. 2. diſput. 3. quæſt. 1. part. 2. num. 11.* Eſcobar *tom. 6. lib. 47. de fide, num. 22.* Alia tempora aſſignat Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 1. num. 3.* quem videre poteſt. Unde rejicienda eſt opinio Thomæ Tamburini *lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 1. à n. 9.* ubi docet ex neceſſitate præcepti, nullo unquam tempore teneri Chriſtianum elicere actum fidei, quo myſteria fidei implicitè, vel explicitè credat, ut eam rejecit, & merito ſub anathema ſibi reſervato prohibet Alexander VII. *in ſuo decreto* edito 24. die Septemb. ann. Dom. 1665.

SECTIO V.

An homo teneatur aliquando fidem exterius confiteri?

SUMMARIUM.

18 *Datur præceptum exterius fidem confitendi, & illam non negandi.*
19 *Quando teneatur homo ex præcepto exterius fidem confiteri?*
20 *Quomodo quis interrogatur an ſit catholicus teneatur cum periculo vitæ ſe talem fateri?*
21 *Quid ſi interrogetur ab infideli an ſit Sacerdos, Monachus, &c.*
22 *Quid ſi tyrannus præcipiat ut omnis catholicus à ſuo regno exeat, vel deferat ſignum ſuæ Religionis?*
23 *Quid ſi fidelis videat ſacras imagines conculcare.*

PRo hujus ſectionis intelligentia nota: Quod præter duplex præceptum, quod quilibet fidelis habet credendi articulos fidei, quæ huc uſque explicuimus, dari alia duo præcepta, aliud affirmativum confitendi exterius fidem, & aliud negativum illam exterius non negandi. Primum obligat ſemper, ſed non ad ſemper; præceptum verò negativum obligat ſemper, & ad ſemper. His ſuppoſitis. 18

Dico primò: Ex præcepto affirmativo fidem exterius confitendi tenetur homo fidem exterius confiteri, quando confeſſio exterior fidei neceſſaria eſt, vel ad Dei magnum honorem, vel ad animæ proximi ſalutem, vel ad propriam ſalutem. Ratio eſt, quia etiam aliarum virtutum actus tunc ſunt in præcepto, quando ſunt neceſſarij ad finem charitatis erga Deum, erga proximum, erga ſeipſum. Ita cum D. Thoma, Suario, Bonacina, *in primum præceptum Decalogi diſp. 5. quæſt. 2. part. 3. num. 3.* Malletus *malleatione 2. bractea 9.* 19

Dico ſecundò: Si confeſſio fidei non ſit neceſſaria ad prædicta, nec utilis, ſed potius perturbationem generet, peccat mortaliter, vel veniaſiter illam faciens juxta menſuram perturbationis, niſi fortè inadvertentia, vel ignorantia excuſet. Ita Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 2. num. 1.*

Hinc fit primò: Quod ſi privata perſona evaginato gladio interroget ex pluribus, quis eſſet catholicus, ut eum occideret, non teneri quemlibet ſe catholicum confiteri, ſed poſſe tacere, vel interrogationem illudere. Secus ſi à perſona publica interrogarentur, quia in primo caſu non periclitatur honor Dei, bene tamen in ſecundo; nam eſt Dei major honor, quod veram principibus, ejus fides abſque metu confiteatur.

Advertè tamen, quod ſi ex eo, quod interrogatus etiam à privata perſona, an ſit catholicus, ille taceat, vel illudat interrogationem, ſequatur magnum proximi ſcandalum, quia alias fides catholica putaretur falſa, & error in fide ab aliquo amplecteretur, vel ex eo quod illam confiteretur 20

aliquis infidelis converteretur, qui aliàs alio modo converti non poteſt, teneri quemlibet fidem, etiam cum vitæ periculo, exterius confiteri. Ita & bene cum Valentia, Malletus, *malleatione* 2. *bractea* 10.

21 Secundò fit; Quod ſi quis etiam à publica perſona interrogetur, an ſit Sacerdos, Monachus, vel an audierit Miſſam, vel à carnibus abſtinuerit die jejunij? poſſe filere, vel reſponſum illudere. Secus ſi interrogetur à perſona publica, an ſit Papiſta. Ratio eſt, quia in prioribus caſibus, etiamſi neget ſe eſſe Sacerdotem, Monachum, &c. non negat fidem, cum multi ſint catholici, qui nec ſunt Sacerdotes, Monachi, &c. in ultimo vero jam, ſi neget ſe eſſe Papiſtam, æquivalenter negat, ſe eſſe catholicum, cum nomen Papiſtæ, pro Catholico uſurpetur, quod tamen non licet fieri coram perſona publica, imo neque coram perſona privata, niſi ſit non reſpondendo, vel illudendo reſponſum, non tamen negando ſe eſſe Catholicum, vel Papiſtam, etiamſi ſit cum amphibologia. Boſcus *verbo fides* 2. *num.* 2.

22 Tertiò fit: Quod ſi tyrannus præcipiat, quod omnis catholicus à ſuo regno exeat, vel tantam ſummam ſolvat, vel talem veſtem in ſignum ſuæ Religionis deferat, non teneri quempiam è Regno exire, vel ſummam ſolvere, aut veſtem portare, ſed poſſe tacere, & veſtem non portare; nam cum præceptum ſit iniquum, non obligat, & cum non interrogetur, non tenetur ſe propalare, niſi aliàs ex ejus taciturnitate, vel ex eo quod talem veſtem non portet, vel à Regno exeat, honor Dei, vel proximi graviter periclitetur, ut ſupra diximus. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *part.* 15. *num.* 4. & cum Sanchez, Tamburinus, *ſuprà num.* 5. & cum Maldero, Malletus, *malleatione* 2. *Bractea* 10. Et idem dicendum eſt, ſi quis timeat ſuperventuram perſecutionem contra fidem in aliquo regno, poteſt enim ſe abſcondere, vel ab illo Regno fugere, ſi ejus fuga non ſit aliis occaſio ruinæ, vel niſi ex illa graviter periclitetur honor Dei. Ita cum Filliucio, Sanchez, Becano, & aliis Tamburinus *ſuprà num.* 6.

23 Quarto fit: Quod ſi quis videat Turcam, vel infidelem templa, vel ſacras imagines conculcare, aut virgines profanari, teneri ſi poteſt illos cohibere, etiam cum periculo propriæ vitæ; quia ita poſtulat Dei honor, & veræ fidei indemnitas. Dixi ſi poteſt, nam ſi ejus prohibitio, ſeu conatus non judicatur profuturus, non eſt caput, unde talis inſurgat obligatio. Ita cum Bonacina, Tamburinus, *ſuprà num.* 7.

SECTIO VI.

Quomodo teneatur homo nunquam Fidem exteriùs negare?

SUMMARIUM.

24 *Fidelis tenetur nunquam fidem exterius negare ex præcepto negativo fidei.*
25 *Quid ſi utatur veſtibus infidelium.*
26 *Quid ſi ſit periculum mortis, vel neceſſarium ſit uti veſte infidelium?*
27 *Catholicus ex magna cauſa poteſt comedere carnes diebus vetitis inter infideles.*
28 *Sacerdotes poſſunt omittere divinum Officium ex gravi cauſa inter infideles.*
29 *Quando poſſit fidelis ingredi templa falſæ religionis?*
30 *Quæ actiones poſſit vir animo catholicus efficere inter infideles ne dignoſcatur?*
31 *An deficiente catholico, qui Baptiſmum miniſtret, poſſit quis ab hæretico Baptiſmum recipere?*

Dico primo: Ex præcepto negativo fidem exterius non negandi, obligatur ſemper quilibet catholicus abſtinere à dictis, vel factis, quibus vera fides negatur. Ratio eſt, quia præceptum negativum obligat ſemper, & ad ſemper: ſed præceptum de non neganda fide eſt negativum; ergo tale præceptum ſemper obligat. Ita communiter Doctores. 24

Hinc fit primò: Peccare contra præceptum negativum fidei, qui affirmaret ſe eſſe Turcam, vel hæreticum. Ita cum Azorio, Becano, Reginaldo, & aliis Malletus, *malleatione* 2. *Bractea* 9. *reſponſ.* 2. Et idem dicendum eſt de eo, qui dicit ſe non eſſe Chriſtianum, niſi fortè hoc nomen ſumatur pro aliqua natione, ut olim aſſumebatur inter Indos occidentales, pro Ibero, teſte Bañez *part.* 2. *queſt.* 3. *art.* 2. *ad* 2. Secus dicendum eſt de eo, qui negat ſe eſſe Sacerdotem, Monachum, vel Miſſam audiviſſe, vel abſtinuiſſe à carnibus die veneris: nam per hoc non negat ſe eſſe catholicum, ſed tantum negat ſtatum, & actiones ſuas. Tamburinus *ſuprà num.* 3.

Secundò fit: Vtentem veſtibus infidelium, ſi veſtes tantum ſint ſignum diſtinctivum nationis, verbi gratia, Indi, Mauri, non eſſe contra præceptum negativum fidei eis uti, quia id non eſt negare fidem, ſed fateri ſe eſſe illius nationis. Et idem dicendum eſt, ſi veſtis ſit ſignum diſtinctivum Religionis ad ſolum finem politicum dignoſcendi, quiſnam ſit talis Religionis. Secus ſi ſit ſignum inſtitutum ad confitendam illam falſam Religionem. Ratio eſt, quia quando veſtis ſolum eſt ad finem politicum diſtinguendi, quis ſit illius Religionis, geſtatio talium veſtium non eſt ſignum illius falſæ Religionis, ſed politicæ illius diſtinctionis duntaxat: Et quamvis id ſit quædam ſimulatio, poteſt ex gravi cauſa excuſari à culpa: Imò ſi quis non intendat ſe fingere Judæum, vel Turcam, ſed ſolum diſſimulare ſe Chriſtianum eſſe, in loco, ac tempore, quo fidem ſuam non tenetur propalare, videtur excuſandus, etiam ſine magna cauſa; utitur enim jure ſuo illas veſtes ex ſe indifferentes induendo. Ita Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 5. 25

Vnde in comœdiis ad repræſentandum, in vexillis ad decipiendum hoſtes, in ſpeculatoribus ad explorandos Turcarum apparatus, & in ſimilibus, licebit uti communibus veſtibus, & ſignis ipſorum, quia id non eſt profiteri illorum ſectam, ſed politica ſigna exhibere eodem modo, ac faciunt clerici, cum tranſeunt per terras infidelium, qui nec capti ſint veſtibus infidelium utuntur. Ita cum communi ſententia Sanchez, *in Decalogum cap.* 1. *numero* 22. & 23.

Imo exiſtimo ſatis probabile, quod ex magna cauſa, verbi gratia, ad evitandam mortem, victoriam ab hoſtibus reputandam, poſſe Chriſtianos uti veſte inſtituta ad profitendam falſam ſectam, verbi gratia, veſte ſacerdotali Turcarum, vexillo ubi ſit depictus Mahometus. Ratio eſt, quia licet illa ſigna ſint apud Turcas proteſtativa falſæ ſectæ, poſſunt etiam aſſumi ad ornatum, vel ad ſignificandam falſitatem ſectæ; cumque Chriſtiani non cogantur ea aſſumere 26

Digitized by Google

assumere, prout sunt protestativa falsæ sectæ, possunt ex gravissima causa, ea sumere ad ornatum, ad significandum Fabulorum sectam, vel historiam Mahometi, &c. Ita Layman. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. Tamburinus *lib.* 2. *Decalogi cap.* 1. §. 3. *num.* 7. Probabile putat Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *p.* 17. *n.* 7. ubi alios citat, contra Sanchez *supra num.* 22. & contra Azorium *part.* 1. *lib.* 8. *cap. ultimo quæst.* 4. Malletum, *malleatione* 2. *bractea* 9. & alios communiter.

27 Tertio fit: Posse Catholicos ex magna causa, v.g. ad vitandum grave malum, comedere carnes diebus vetitis inter infideles, & hæreticos; secus si solum detur irrisio hæreticorum, de hac enim, si non detur alia causa, non est curandum. Ratio vero assertionis est. Quia illa comestio carnium non est protestatio falsæ sectæ. Excipe cœnam, quam hæretici cum ceremoniis faciunt ad profitendum cultum hæreticæ religionis, nam hanc cœnam nullo modo possunt Catholici comedere, præcipuè cum illis ceremoniis, vel aliquo id advertente, secus tamen si nihil referendo ad falsum cultum, & nemine vidente, illas carnes materialiter comedat, nam cum illæ carnes sint indifferentes, si non detur scandalum, vel intentio falsi cultus, nullum erit peccatum eas comedere, ut solent dicere DD. de carnibus sacrificatis idolo. Ita cum Palao, Layman, & aliis Tamburinus *supra num.* 8. & 9.

28 Quartò fit: Posse sacerdotes omittere divinum Officium, & Missam non celebrare ne cognoscantur, si timeant grave malum. Imò meliùs facient Missionarij non celebrando, etiam in diebus festis inter infideles, & hæreticos, etiam occultè, ne ab aliquo famulo id forte vidente accusati, ut sæpè accidit, priventur fructu missionis, & libertate. Ita cum Layman, Tamburinus, *supra num.* 9.

29 Quintò fit: Posse Catholicos sine culpa gravi, & si detur causa proportionata, etiam sine veniali, ingredi templa falsæ Religionis, si non detur scandalum aliorum, qui forte exemplo ingredientis moveantur ad cultum idolo exhibendum. Poterit etiam Catholicus templa intrare ad allociandum dominum, vel ad audiendum concionem ad illam confutandam, si non detur periculum deserendi fidem, vel aliorum scandalum. Ingressus tamen non potest adolere idolo, vel illi genuflectere, nisi forte genuflectente domino, famulus genuflectet, non idolo exhibendo venerationem, sed domino, quomodo concessit Eliseus Naamano. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palao, Tamburinus, *supra num.* 11. Si tamen ingressus templi præcipiatur à Rege in cultum falsæ sectæ, non possunt catholici ingredi talia templa, nam cum his circumstantiis, ingressus ille est protestativus falsæ sectæ, non enim juberet ingressus materialis, sed formalis, & ita videtur declarasse Paulum V. apud Sanchez *in Decalogum cap.* 31. *num.* 27. Layman, *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6.

30 Sextò fit: Eodem modo posse Regem animo catholicum prædictos, similesque actiones, circa scandalum catholicorum exercere, ut sic, nec irritet infideles subditos, expectetque aptius tempus ad eorum conversionem, vel ut facilius in cognitionem hæreticarum deveniat, ut eos possit punire, & è Regno ejicere. Non poterit tamen thus idolo adolere, illi genuflectere, vel alias actiones significativas falsi cultus efficere, non enim sunt faciendamala, ut veniant bona. Tamburinus *supra n.* 12. Vnde non potest contrahere matrimonium, etiam cum Catholica coram parocho hæretico, benè tamen coram magistratu civili, dummodo postea fiat coram parocho catholico, vel antea factum fit. Conninch. *de fide disp.* 15. *dub.* 3. *num.* 65. Tamburinus *supra num.* 13.

An autem si non sit Catholicus, à quo quis possit 31
recipere Baptismum, possit quis ingredi templa hæreticorum ad Baptismum ibi recipiendum, vel possit confiteri cum Sacerdote hæretico in articulo mortis, si non sit alius catholicus, à quo Sacramentum Pœnitentiæ possit recipere? Respondeo affirmativè. Ratio est, quia Baptismus, & Pœnitentia collati ab hæreticis, cum sint vera Sacramenta [suppono enim ipsos esse veros sacerdotes, & rectè illa administrare] non sunt ritus falsæ sectæ, sed veræ fidei, & cum aliàs detur necessitas extrema, & sint media necessaria necessitate medij ad salutem, non est cur catholici non possint eis uti citra scandalum, & perversionis periculum; cætera tamen Sacramenta cum non sint necessaria necessitate medij ad salutem, non possunt ab hæreticis recipere, nisi fortè in casu, quo aliquod ex eis foret necessarium necessitate medij, ut si quis esset in peccato, & dubitaret de contritione, ac pœnitentiam suscipere non posset, quia non aderat, qui absolvere posset, vel vellet, nam is potest recipere Eucharistiam vel Extremamunctionem ab hæretico, qui validè eam administrare voluisset. Ita cum aliis Fagundez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 6. *num.* 12. & 13.

DISPUTATIO II.

De vitiis Fidei Christianæ contrariis.

SECTIO I.

Quid sit Infidelitas, & quotuplex?

SUMMARIUM.

32 *Duplex est infidelitas, negativa, & positiva, & quid utraque sit?*
33 *Quotuplex sit infidelitas negativa?*
34 *Quotuplex sit infidelitas positiva?*
35 *Schisma non opponitur fidei, sed paci, & charitati.*

DIco primò: Sicut duplex est præceptum fidei, affirmativum, & negativum, ita illi opponitur duplex peccatum, omissionis contra affirmativum, & commissionis contra negativum; ac proinde duplex est infidelitas, negativa scilicet, & affirmativa, seu positiva. Rursus negativa est duplex, alia invincibilis, & purè negativa, qualem habent, qui nunquam rerum fidei notitiam habuerunt, & hæc infidelitas peccatum non est, ut patet ex illo ad *Romanos* 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt.* Alia est privativa, qualem habent hi, quibus doctrina fidei sufficienter est proposita, & nolunt credere, & hæc semper est peccatum, etiamsi nullum habeant errorem in intellectu positivum. Infidelitas verò positiva addit supra privativam expressum contemptum divinæ authoritatis; est enim positiva incredulitas objecti sufficienter propositi, cum positivo judicio contra veritatem revelatam cum pertinacia: & de hac est sermo in præsenti. 33

Est autem hæc infidelitas triplex: Paganismus, 34

Digitized by Google

Judaïſmus, & hæreſis. Paganiſmus eſt, quando quis nullius myſterij revelati fidem habet; Judaïſmus quando quis credit veteri teſtamento, non tamen novo. Hæreſis quando quis aliquas veritates, ſive ex novo, ſive ex veteri teſtamento negat. Hæc autem diviſio non eſt eſſentialis generalis in ſpecies, ſed tantum accidentalis penes magis', & minus, ſiquidem omnes privant eadem fide, & cum illa habent oppoſitionem, ut bene probat cum Suario, Coninch. Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 2. p. 1. num. 4.* contra Amicum *tom. 4. diſput. 16. ſect. 1. num. 21.* cum hoc tamen ſtat, quod ſemper quis debeat in confeſſione explicare, an Paganiſmum, Judaïſmum, vel hæreſim amplexatus fuerit poſt baptiſmum, propter diverſos errores, & idololatrias, & blaſphemias, & ceremonias vanas, quæ continentur in quocunque ex illis, quæ diverſimodè Religioni opponuntur, ut bene Palaus *ſuprà num. 6.* Hæc autem diviſio comprehendit omnes ſpecies infidelitatis, nam in hæreſi continetur apoſtaſia, ſolum enim diſtinguitur ab illa tanquam magis, & minùs, quantum eſt ex parte termini à quo; in
35 paganiſmo continetur Atheïſmus, Turciciſmus. Schiſma verò quantum eſt ex parte termini à quo, non opponitur fidei, ſed paci, & charitati, ſed de his vide latius Palaum, *ſuprà num. 7.*

SECTIO II.

De Infidelibus.

SUMMARIUM.

36 *Pagani non poſſunt cogi ad fidem.*
37 *Poteſt Pagano damnato ad mortem offerri fides ad mortem evitandam.*
38 *Rex Chriſtianus poteſt cogere Paganos ſibi ſubditos ad audiendum Evangelium.*
39 *Poteſt bellum movere contra infideles communiter nolentes admittere prædicationem Evangelij, & alia contra legem naturalem facientes.*
40 *Princeps Chriſtianus poteſt tolerare in Paganis ſibi ſubditis ipſorum ritus, modo non ſint contra jus naturæ.*
41 *Poteſt expellere è regno ſuo Paganos eo ſolum, quia ſunt infideles, ſi noluerint fidem recipere.*
42 *Quæ communicatio prohibita ſit fidelibus cum infidelibus.*

36 PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono. Pro infidelibus in hac ſectione ſumi Paganum, & Hebræum, & Sarracenum, cum hi enim omnes veram fidem Chriſti non habeant infideles ſunt, unde de ſingulis aliqua dicenda ſunt.

Dico primò: Certum eſt Paganos, [hoc eſt illi, qui idola colunt] ſive ſubjectos, ſive non, principi Chriſtiano, non poſſe cogi ad fidem, bene tamen allici muneribus. Ita cum communi ſententia Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 2. part 6. n. 3.* Ratio eſt quia fides Chriſti voluntariè ſuſcipienda eſt, alias magnum periculum eſſet fictionis, & ſacrilegij in ſuſcipiente illam, cui tamen libertati munerum propoſitio non nocet.

Hinc fit, non poſſe bellum ſuſcipi contra infideles, ex ſolo titulo, quod fidem reſpuant, nec id poſſet
37 Summus Pontifex demandare. Poteſt tamen Rex capite plectendum liberare à morte, ſi fidem ſuſcipiat. Liberare populum à tributo, ſi fidem accipiat. Poteſt etiam mulier ducere infidelem, ſi ad fidem convertatur: Hæc enim non cogunt, ſed alliciunt. Poteſt etiam rex infidelibus graviora tributa, juſta tamen, imponere, niſi velint ad fidem converti, & infideles advenas à ſuo Regno expellere, niſi convertantur. Poteſt etiam eis prohibere uſum ſuæ religionis, utpotè contrarium juri naturæ; hoc enim non eſt agere ad fidem directè, ſed indirectè. Ita & bene cum Valentia, Bonacina, Suario, Becano, Palaus *ſuprà num. 4.*

Dico ſecundò: Rex Chriſtianus poteſt infideles 38
ſibi ſubjectos cogere ad audiendum Evangelium, ad abſtinendum à peccatis contra Deum, & Chriſtum, & contra jus naturale, non tamen poteſt cogere ad hoc ſibi non ſubjectos. Ita cum aliis Palaus *ſuprà p. 7. num. 4.* Ratio eſt, quia cum in ſubjectos habeat juriſdictionem, poteſt eos cogere ad eas actiones, quæ non ſunt compellere ad fidem; ſed ſolum eum audire, & abſtinere ab his delictis, quæ communitatis bono, & tranquillitati nocent, non eſt compellere ad fidem; ergo. At vero cum in minime ſubjectos juriſdictione careat, ad prædicta illos cogere non poterit.

Adverte tamen, quod ſi infideles non ſubjecti 39
univerſali ferè conſenſu præcludant prædicatoribus aditum prædicandi, ſi maledicta, & probra in Chriſtum jaciant, ſi perſequantur eos, qui Evangelium amplectuntur, ſi minis, & fraudibus Chriſtianos ad infidelitatem pertrahant, ſi diis ſuis homines immolent, vel eoſdem comedant, tunc poſſet Rex Chriſtianus contra eos bellum movere, niſi à ſceleribus prædictis deſiſtant; quia id jam non eſſet dicere jus in non ſubjectis, ſed defendere innocentes, & punire eos, qui injuriam Chriſto, ejuſque Religioni inferunt. Dixi ſi univerſali ferè conſenſu, nam ad bellum inferendum, cum ſit magnum, & publicum malum, non ſatis eſt quodcunque delictum hominis particularis, ſed requiritur culpa gravis, & univerſalis. Ita cum Suario, Valentia, Coninch, & aliis Palaus *ſuprà num. 5.*

Dico tertiò: Princeps Chriſtianus poteſt tolera- 40
re in Paganis ſibi ſubjectis ipſorum ritus, dummodo non ſint contra jus naturæ, nec detur periculum ſubverſionis aliorum. Imo debet illos tolerare, quoties rixæ, diſſidiaque, orientur, vel ad fidem converterentur difficilius, ſi ea permiſſio illis non concederetur. Ita enim bonum publicum expoſcit. Ita cum aliis Palaus *ſuprà p. 7. n. 2.* Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 8. num. 4.*

Dico quartò: Rex Chriſtianus poteſt expellere 41
ex regno ſuo Paganos ibi natos, & procreatos, eo ſolo titulo, quia infideles ſunt, modo detur illis electio, ut maneant ſi velint ad fidem converti, ſi vero nolint vendant omnia bona, & libere alio decedant. Ita cum Azorio, Tamburinus, *ſuprà num. 5.* Ratio eſt, quia quamvis poſſent tolerari, ut modo diximus, propter tamen mala, quæ ſolent ex commercio cum infidelibus oriri, poſſunt etiam expelli.

Sed quæres, quæ communicatio prohibita ſit 42
fidelibus cum infidelibus? Reſpondeo prohibitum eſſe Chriſtianis ſpecialiter cum Judæis habitare, eorum azymis veſci, Judæis medicis uti, ab eiſdem medicamenta accipere, cum ipſis ſimul in balneo intrare, eos invitare, vel ad eorum convivia accedere, eſſe obſtetrices, aut nutrices ipſorum in eorum domibus, eiſdem famulari, eiſdem legata in teſtamentis relinquere, eorundem eſſe mancipium, eiſdem officia publica committere. Cum Sarracenis

Digitized by Google

cenis verò prohibitum est fidelibus famulari Paganos, publicis officiis præponere, ad illos, & alios Christiani nominis hostes lignamina, victualia, arma, & alia prohibita portare, & cum infidelibus matrimonia inire. Ex quibus prohibitionibus duæ ultimæ obligant semper sub mortali; nam deferre arma, & alia prohibita ad infideles obligat sub excommunicatione lata in Bulla Cœnæ. Matrimonium verò celebratum cum infidelibus, non solum est illicitum, sed invalidum. Cœteræ verò prohibitiones nunquam obligant ad mortale, nisi detur periculum subversionis, vel nisi communicatio cum illis sit ad favendum in falsis ritibus: sublato enim hoc periculo, non est res magni momenti communicatio civilis cum infidelibus, & excommunicatis, & cessat finis prohibitionis. Ita cum Aragonio, Saa, Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 8. num. 8.*

SECTIO III.

De Hæresi, quid, & quotuplex sit hæresis.

SUMMARIUM.

43 *Quid sit hæresis?*
44 *Dubium in fide hæreticum est.*
45 *Hæresis suppone baptismum.*
46 *Si constet aliquem invalidè fuisse baptizatum non potest Ecclesia eum cogere ut iterum recipiat baptismum.*
47 *Ignorantia invincibilis excusat ab hæresi.*
48 *Quid, & in quo consistat pertinacia ad hæresim necessaria?*
49 *Quæ pertinacia requiratur ad hæresim?*
50 *Hæresis alia interna, alia externa, & quid utraque sit?*
51 *Quid requiratur ad hæresim externam constituendam?*

43 Dico primò: Hæresis est error hominis baptizati in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia. Dicitur error: hoc est, assensus fallus intellectus, quia sicut actus fidei in intellectu consummatur, sic etiam error fidei contrarius in intellectu completur. Hinc fit non esse hæreticum, qui sponte, vel metu impulsus hæresim aliquam proferret, vel idolum adoraret, si verè in animo non habet assensum talis propositionis hæreticæ, vel non existimavit idolum esse verum Deum, quia sine errore non datur hæresis. Unde iste non incurrit pœnas fulminatas contra hæreticos in jure, vel in Bulla Cœnæ, ac per consequens potest à quocunque Confessore absolvi. Ita cum communi sententia Fagundez *in primo præcepto lib. 1. c. 10. num. 6.*

44 Secundò fit: Dubium in fide esse hæreticum: nam qui scit aliquem articulum fidei ab Ecclesia esse propositum, & illud incertum esse judicat, is verè, & formaliter hæreticus est; sed quicunque de hujusmodi fidei articulo deliberatè dubitat, is sive implicitè, sive explicitè judicat esse incertum; ergo verè, & formaliter hæreticus est. Ita cum communi sententia Layman *lib. 2. tractat. 1. c. 13. num. 5.* Idem dicendum est de eo, qui solum opinativè assentit rebus fidei, siquidem ad fidem requiritur, ut certò articuli credantur ex Dei revelatione. Dixi, solum, nam si articulum ut certum teneamus ex Dei revelatione, & simul aliqua ratione probabili confirmes, hoc non est hæreticum, sed laudabile. Palaus *tom. 1. disp. 3. tract. 4. p. 2. num. 12.*

Dicitur secundò: Hominis baptizati, ut ostendatur subjectum capax hæresis, requiritur enim ut supponatur baptismus, ut quis deferens aliquem articulum dicatur hæreticus, saltem coram Ecclesia, & quoad pœnas, licet alias sit hæreticus coram Deo. Hinc fit cathecumenum non esse propriè hæreticum saltem quoad hoc, ut incurrat pœnas ab Ecclesia statutas, siquidem nondum suscepit baptismum, nec intravit in Ecclesiam, nec illi subjicitur. Ita cum communi sententia Fagundez *supra n. 28.* Dicitur tamen hæreticos coram Deo, & quoad peccatum, nam ad hoc sufficit, ut cathecumenus deserat fidem, quam jam susceperat. Filliucius *tr. 22. cap. 6. num. 157.* 45

Et idem dicendum est de fictè, vel invalidè baptizato, siquidem adhuc non est ingressus in Ecclesiam, nec illi subjectus. Ita cum Sanchez, Sairo, Suario, & aliis Fagundez *supra num. 30.* contra Felinum, Igneum, Simancas, & alios. Imo si certo constet de nullitate baptismi, ex quocunque capite sit, non potest Ecclesia cogere sic nulliter baptizatum suscipere baptismum. Secus si detur præsumptio aliqua pro validitate baptismi, ut quando fuit defectus intentionis baptizantis, vel suscipientis baptismum, nam tunc per accidens ex defectu probationis potest Ecclesia cogere sic nulliter baptizatos persistere in fide. Ita cum Suario, Fagundez *supra num. 31.* 46

Dicitur tertio: In intellectu voluntarius: quia sicut assensus fidei oritur, & existit in intellectu, ex voluntatis affectu, ita hæresis est assensus rationis contra fidem ex voluntate electionis profectus, quo fit, ut assensus contra fidem, si deliberatione careat, non sit hæresis, ut sunt plures motus rationis, qui subito contra fidem irrepunt. Secundò fit ignorantiam invincibilem excusare ab hæresi, non alia causa, nisi quia tollit voluntarium. Fagundez *supra n. 16.* Dicitur quartò, contra aliquem fidei articulum: quia error in aliis materiis non facit hæresim. 47

Dicitur tandem cum pertinacia, id est, cum certa scientia, quod Ecclesia censeat contrarium ejus, quod ipse credit. Hinc fit pertinaciam non consistere in aliqua temporis mora, ut innuere videtur Sylvester *verbo hæresis 1. quæst. 2.* Sed in electione deliberata voluntatis cum certa cognitione, quod illud sit contra id, quod sentit Ecclesia. Ex quo fit in momento temporis hæresim consummari posse. Fateor ex mora brevi conjici fidelem præsertim timoratum non consensisse cogitationi de hæresi admittenda, quod fortasse dicere voluit Sylvester. 48

Secundò fit: Eum qui tenet aliquid contra fidem, sed ipse ignorat, sive invincibiliter, sive vincibiliter, esse contra illam, non esse hæreticum; quia pertinacia, quæ requiritur ad hæresim consistit in eo, quod error sit scienter contra Romanam Ecclesiam. Dixi sive invincibiliter, sive vincibiliter, quia ignorantia vincibilis crassa, & supina, & etiam affectata, sufficit in foro interno, ut non detur peccatum hæresis, licet aliàs illâ laborans in foro externo reputetur hæreticus: quia ad hæresim non satis est quælibet culpa, ut accidit in aliis materiis, sed requiritur præterea pertinacia, quæ certè non est in ignorante, de quo loquimur. Ita cum Suario, Azorio, Coninch. Palaus, *tom. 1. disput. 3. tractat. 4. p. 2. num. 2.* & cum communi 49

communi ſententia Fagundez *in* 1. *præcepto lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 20. & 22.

50 Dico ſecundò: Hæreſis dividitur in meræ internam, quæ ſcilicet conſummatur in ipſo intellectu, nullo ſigno externis dato, & in externam, quæ externus prodit per aliquam vocem, vel nutum, etiam ſi nullus prorſus ſit, qui illam audiat, vel videat; & ſiquidem prodeat coram multis, dicitur hæreſis publica, ſi verò nullo audiente, vel paucis, putà duobus, vel tribus, dicitur externa occulta; quod ſi ſolum quis exterius affirmet hæreſim, ſed non habeat in mente errorem, verè non dicitur hæreticus exterior, vocari tamen ſolet hæreticus purè exterior, & regulariter in foro externo reputatur, & punitur ut verè hæreticus, quia ei non creditur, ſi alleget ſe non conſenſiſſe errori interius, Palaus *tomo... tract.* 4. *diſp.* 3. *p.* 2. *num.* 16.

51 Dico tertiò: Ad hæreſim externam requiruntur tres conditiones. Prima ut ſignum, ſive vox exterior procedat ex affectu hæreſis. Secunda ut ſignum illud ex ſe, vel ex aliis circumſtantiis hæreſim determinatè exprimat. Vndè ſi quis manifeſtaret hæreſim per actus bonos, vel caveret malis juxta præſcriptum hæreticæ ſectæ per actus indifferentes, non cenſeretur hæreticus, quia tales actus ex ſe non ſunt manifeſtativi hæreſis, nec mali ex objecto, ſed tantummodo ex animo, ut ſi quis malè ſentiens de Sacramento Euchariſtiæ ante ipſum pertranſiens non detegeret caput, aut reverentiam non exhiberet, quia talia ſigna non ſunt manifeſtativa hæreſis, ſed ſolum extrinſecè, & ex prava intentione. Tertia ut actus externus, quo manifeſtatur hæreſis ſit peccaminoſus mortaliter, & intrinſecè malus, quia ſi ex ſolo animo eſſet malus, non ſatis eſſet. Vndè ſi quis hæreſi interna aliquid agat, quod ſit veniale peccatum, v. g. comedat panum carnis die vetito, non eſſet per illam actionem abſolutè hæreticus externus. Mailetus *malleatione* 2. *bracteæ* 21. & cum Sanchez, Palao, Diana *part.* 4. *reſol.* 240.

SECTIO IV.

De pœnis, quæ in jure ſtatuuntur contra hæreticos.

SUMMARIUM.

52 *Pœnæ ab Eccleſia conſtitutæ contra hæreticos ſolum comprehendunt hæreticos externos.*
53 *Prima pœna contra hæreticos eſt excommunicatio Papæ reſervata.*
54 *Secunda pœna eſt irregularitas, & à quibus hæc pœna incurratur?*
55 *Tertia pœna infamia.*
56 *Quarta pœna eſt privatio beneficiorum, & officiorum poſſeſſorum, & inhabilitas ad futura.*
57 *Quid ſi hæreticus ſponte reconcilietur?*
58 *Quid ſi renunciet beneficia ante ſententiam declaratoriam hæreſis?*
59 *Quinta pœna eſt quod filij hæreticorum non poſſint ad ullum officium Eccleſiaſticum, vel publicum admitti.*
60 *Sexta pœna eſt privatio dignitatum.*
61 *Septima pœna eſt confiſcatio bonorum.*
62 *Ad quæ bona hæc pœna extendatur.*
63 *Pœna confiſcationis non obligat ante ſententiam judicis.*
64 *Hæreticus ante ſententiam declaratoriam poteſt bona ſua alienare, & quomodo?*
65 *Quid ſi bona alienet in fraudem fiſci?*
66 *Hæreticus poſt ſententiam, ſi fiſcus ab eo non petat bona, poteſt ea retinere, & frui illis.*
67 *Octava pœna contra hæreticos eſt incapacitas teſtandi.*
68 *Nona pœna eſt incapacitas hæreditatis, ſucceſſionis, legati, & donationis.*
69 *Decima pœna eſt exemptio filiorum à patria poteſtate.*
70 *An filius hæretici ſuccedat in majoratu?*
71 *Vndecima pœna eſt privatio dominy in ſervis.*
72 *Duodecima pœna, eſt pœna carceris, flagellationis, exilij, & mortis.*

PRo explicatione hujus ſectionis ſuppono. Pœnas ab Eccleſia contra hæreticos conſtitutas, ſolum eſſe contra hæreticos externos, ſive occultos, ſive publicos, modo in ſequentibus explicando, & non contra meræ internos; Eccleſia enim viſibilis non judicat de internis, ſed de externis. His ſuppoſitis. 52

Dico primò: Prima pœna contra hæreticos externos eſt excommunicatio latæ ſententiæ ſummo Pontifici in Bulla Cœnæ reſervata. Non debemus tamen talem hæreticum vitare, niſi poſtquam fuerit nominatim declaratus excommunicatus. Vnde non ſufficit ſententia declaratoria hæreſis, ſed inſuper requiritur quod ut excommunicatus declaretur, ſicuti etiam non cenſentur nominatim excommunicati Luterani, Calviniſtæ, &c. etiamſi generaliter ſint expreſſi in excommunicatione, ſi quidem illa eſt tantum quædam generalis denunciatio, quæ non ſufficit, ſed requiritur ſpecialis, & nominatim, ut debeant vitari, ut cum Sanchez, notat Filliucius *tractatu* 22. *cap.* 7. *num.* 199. Facta tamen hac declaratione ſpeciali incurrit in cæteris, quæ excommunicationem comitantur. Imo hæc excommunicatio extenditur ad hæreticorum credentes, fautores, receptores, defenſores, & eorum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes, ut conſtat ex Bulla Cœnæ, de quibus vide, quæ latè diximus in explicatione excommunicationum Bullæ Cœnæ in ſecunda parte hujus Directorij: Interim vide Fagundez *in primum præceptum lib.* 1. *cap.* 12. *per totum.* Tamburinum *lib.* 2. *Decalogi cap.* 1. §. 5. *per totum.* Filliucium *tract.* 22. *cap.* 7. *per totum.* 53

Dico ſecundò: Secunda pœna contra hæreticos lata eſt irregularitas, *cap. ſi nos* §. *item.* Hæc autem pœna non incurritur, niſi ab hæretico publico, & non ab occulto. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 4. *p.* 4. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. *num.* 6. contra Suarium, Valentiam, & alios, quos refert, & ſequitur Fagundez *lib.* 1. *primi præcepti Decalogi cap.* 17. *num.* 2. Filliucius *ſuprà num.* 209. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia jura, quæ hanc pœnam imponunt, loquuntur de delicto notorio, & ex alia parte irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus in jure expreſſis. Sed de his vide, quæ latiùs dixi *in* 2. *part. hujus Directorij in tractatu de irregularitate*, ubi latè egimus de receptoribus, & defenſoribus hæreticorum, de ſuſpectis in fide, &c. 54

Dico 3. Tertia pœna contra hæreticos eſt infamia, *cap. infames* 6. *quæſt.* 1. *cap. excommunicamus de hæreticis, & alibi.* Ad hanc autem perfectè incurrendam debet hæreſis eſſe notoria, vel notorietate facti, vel juris, hoc eſt, vel ex ſe, vel ex ſententia judicis. Ratio eſt, quia infamia eſt prava opinio de alio circa plures: donec igitur ad plures notitia delicti non pervenerit, perfecta non erit per commiſſum 55

Digitized by Google

missum crimen, sed tantum inchoata, & crimini debita. Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 4. num. 4.* Fagundez *lib. 1. cap. 18. n. 6. primi præcepti Decalogi.*

56 Dico 4. Quarta pœna contra hæreticos est privatio beneficiorum, & officiorum possessorum, & inhabilitas ad futura. Hæc autem pœna, ut incurratur requiritur sententia judicij. Vnde ante judicis sententiam hæreticus non est privatus titulo beneficij, licet à die commissi criminis possit ab illo beneficium auferri, & ab alio impetrari, quia ab illo die conceditur confiscatio, non potest tamen à possessione detrudi ante sententiam. Ita cum probabiliori sententia Fagundez *lib. 1. c. 18. n. 10.*

Hinc fit. Quod si hæreticus sponte reconcilietur, & redeat ad fidem ante judicis sententiam, non 57 potest privari beneficijs antea possessis; non enim apparent textus id clare decidentes. Ita cum Sanchez, Palao, Tamburinus *lib. 2. Decalogi 1. cap. 1. §. 5. num. 10.* Secundò fit hæreticum ante sententiam non teneri se suo beneficio spoliari, sed posse fructus illius recipere, nec tenetur illos restituere, si alioquin suo muneri satisfaciat. Tertiò fit posse 58 hæreticum suum beneficium in favorem tertij renuntiare, & illud cum alio permutare, valéque permutatio, & renunciatio donec crimen hæresis per sententiam declaretur, declarato tamen retrotrahitur sententia usque ad diem commissi criminis; & ea resignatio, & permutatio à die commissi criminis rescinditur, invalidatur, & auferetur beneficium ab eo in cujus favorem renuntiatum, vel commutatum fuit. Ita cum Suario, Sanchez, & aliis Fagundez *suprà num. 11.* Ille tamen qui permutavit cum hæretico, potest ad suum redire beneficium propria authoritate, quia hæreticus tanquam incapax beneficij jus nullum acquisivit, nec permutatio sortita est effectum. Ita cum Sanchez, Fagundez, *suprà num. 11.* Quartò fit hæreticum esse inhabilem ad beneficia, officiáque publica, unde si ei beneficium conferatur, collatio est nulla, utpote irregulari, & excommunicato facta, quod si ab hæresi resipiscat, poterit promoveri, etiam sine dispensatione ad beneficium, si hæresis fuit occulta, secus si fuit publica, Tamburinus *lib. 2. Decalogi, cap. 1. §. 5. num. 16.*

59 Dico 5. Quinta pœna contra hæreticos est, ut eorum filij, & qui hæreticis favent ad nullum officium Ecclesiasticum, vel officium publicum admitti possint *cap. quicunque §. hæreticis de hæreticis num. 6.* Circa quam pœnam nota, filios hæreticorum non amittere officia antea possessa *cap. statutum 2. de hæreticis in 6.* Secundò nota hujusmodi pœnam comprehendere filios, tam legitimos, quam non legitimos, & natos tum ante, tum post commissam hæresim paternam. Ita Tamburinus *lib. 2. cap. 1. §. 5. num. 10.* Tertiò nota hujusmodi pœnam extendi ad finem usque ad secundum gradum per lineam paternam, per lineam verò maternam usque ad primum tantum gradum. Ita cum multis Fagundez *in primum præceptum Decalogi lib. 1. c. 18. num. 19.*

60 Dico 6. Sexta pœna contra hæreticos est privatio dignitatum, & carentia similium in futurum in personis Ecclesiasticis, quæ ad preces hæreticorum, vel credentium, receptatorum, defensorum, vel factorum eorum receperunt beneficia *cap. quicumque §. ad hæc de hæreticis in 6.* Circa quam pœnam nota primo, non includi in illa, nisi viros Ecclesiasticos, non vero sæculares. Secundò non includi ea, quæ non sunt dignitates, personatus, vel beneficia. Tertiò preces debere esse efficaces, hoc est, ut ex vi illarum obtentum sit beneficium. Quarto ad privationem acquisitorum non requiri scientiam, sed sufficere quod beneficium per preces hæreticorum, vel fautorum eorum obtentum sit. Ad incurrendam vero earentiam ad futura, requiri scientiam precum hæreticorum, ut clare patet ex textu citato. Tandem nota, quod cum textus non dicat, hunc fore inhabilem, sed non esse admittendum ad beneficia futura, admissio non est invalida, sed solum illicita. Ita Palaus *tom. 1. tract. 4. d. 4. p. 5. n. 9.* Tamburinus *lib. 2. decalogi c. 1. §. 5. n. 11.*

Dico septimò: septima pœna contra hæreticos 61 est, confiscatio bonorum *c. cum secundum leges §. finalis de hæret. in 6.* Circa hanc autem pœnam nota primo, sententiam confiscationis debere dari à judicibus Ecclesiasticis, scilicet ab Inquisitoribus, ut patet ex eodem textu. Fagundez *lib. 1. cap. 19. n. 2.* Secundò nota, omnia bona, qua sunt hæretici, sive mobilia, sive immobilia, & etiam jura, obnoxia esse confiscationi. Dixi quæ sunt hæretici, nam quæ donaverat, non in eandem fisci, & illa quorum tantum habet usumfructum, & non proprietatem, ut sunt jus patronatus, majoratus, fideicommissum, emphyteusim, & bona adventitia, & profectitia filiorum, solum sunt obnoxia fisco, quoad usumfructum, Paraphernalia vero filiorum, & dos uxoris, Paraphernalia, arrhæ, & quæcumque illius sunt, 62 nec quoad usumfructum pertinent ad fiscum. Et idem dicendum est de illis, quæ relinquuntur hæretico occulto ex testamento, ut hæreditas, fideicommissum, legatum, hæc enim omnino pertinent ad substitutos, vel ad consanguineos proximiores, illa testamento relinquentibus, nam hæreticus propter hæresim jam est incapax talis hæreditatis, *juxta legem Manichæos C. de hæreticis.* Ita cum communi sententia Fagundez *lib. 1. primi præcepti Decalogi cap. 22. num. 22.* Pertinet tamen ad fiscum legitima filiorum; in aliquo tamen casu poterunt Domini Inquisitores cum eis uti aliqua misericordia, ut si filius patrem hæreticum denunciavit. Fagundez *suprà num. 6.*

Tertiò nota, hanc pœnam confiscationis non 63 obligare ante sententiam judicis. Vnde hæretici quandiu non accedit sententia judicis retinent dominium, & possessionem bonorum suorum; manet tamen hoc dominium vulneratum, siquidem eorum bona à die commissi delicti manent obligata fisco. Ex quo fit omnes donationes, & contractus à die commissi delicti post sententiam latam posse rescindi, ut tenent communiter DD. ipse tamen hæreticus antequam condemnetur habet dominium utile suorum bonorum. Unde non tenetur bona sua offerre fisco, sed potest licite, & valide bona sua occultare, retinere, & illis frui, sine ullo scrupulo, nec fiscus ante sententiam potest ea sibi accipere, quamvis posset post criminis scientiam ea sequestrare, & aliis custodienda tradere.

Potest etiam hæreticus ante sententiam bona sua 64 alienare, & vendere, quæ necessaria sunt ad vitæ suæ, & status, & familiæ sustentationem, modo inde damnum ementi, vel recipienti evenire non possit. Potest etiam efficere liberales donationes, siquidem illorum bonorum dominium utile habet. Hæ tamen omnes donationes, sive liberales, sive onerosæ, à die commissi delicti factæ, [non tamen antea factæ, si perfectæ sint] revocari possunt à fisco, nisi ad præscriptionem devenerint. Si tamen alienatio facta fuit bona fide per contractum onerosum venditionis, permutationis, &c. debet parti tradi à fisco pretium, quo talem rem emit, & illius melioramenta. Secus si mala fide emit, nam tunc solum tenebitur fiscus ei tradere pretium

Digitized by Google

melioramentorum, quæ ipse fur[illegible]pensis fecit. Ipse tamen possessor malæ fidei tenebitur, non solùm rem restituere, sed etiam fructus omnes, quos ab illa mala fide suscepit, & consumpsit, etiam si non fuerit inde factus ditior, quod tamen non accidit in eo, qui fructus bona fide consumpsit, nam hic solum tenebitur fisco restituere id, in quo factus est ditior. Ita cum communi sententia Fagun-

65 des *suprà num.* 32. Tunc autem datur mala fides, quando in fraudem fisci facta est alienatio; Vnde non sufficit ut detur in recipiente scientia delicti, nam cum hac etiam hæreticus ante sententiam licite vendit, sed ultra requiritur ut fiat in damnum fisci. Ita cum Suario, Fagundez, *suprà num.* 24. contra Vasquium, & alios.

66 Quintò nota Hæreticum etiam post sententiam, si fiscus ab eo non petat bona sua posse ea retinere, & eis frui, nec obligatur ea offerre: seu manifestare fisco, non potest tamen positivè resistere ejus executioni, dum tamen non exiguntur potest bona sua consumere, nec tenetur ad restituendum consumpta, quia dum fiscus ea non exigit, conceditur delinquenti bonorum suorum liber usus. Non potestatem delinquens, vel ejus hæres aliqua bona occultare, ne fiscus ea occupet, nec potest negare ea se habere, si à fisco interrogetur, nec tradere alteri clam conservanda, quia jam sic positive resisteret, ne fiscus exigens consequeretur ea bona, quæ per sententiam sua jam omnino sunt. Ita cum Simancas, Azor, Molina, Sanchez, Bonacina, Suario, Tamburinus, *lib.* 2. *Decalogi c.* 1. *§.* 5. *num.* 2. contra Palaum *disp.* 18. *n.* 6.

67 Dico 8. Octava pœna contra hæreticos est, incapacitas testandi *ex cap. excommunicamus* 1. *§. credentes de hæreticis*. Nam cum eorum bona addicta sint fisco, intestabiles redduntur: circa quam pœnam nota primo Testamentum hæreticorum ante sententiam judicis non esse omnino nullum, sed annullandum, nam cum ipsi habeant dominium utile suorum bonorum, sicut eorum contractus, & donationes non sunt omnino nullæ, sed annullandæ post sententiam; ita & testamentum. Ita cum Vasquio, Sanchez, Farinacio, & aliis, Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *§.* 5. *d.* 16. Secundò nota hæreticum postquam reconciliatus fuit cum Ecclesia, posse testari licitè, & valide de bonis acquisitis post abjurationem. Ita cum Vasquio, & aliis, Palaus *suprà n.* 1.

68 Dico 9. Nona pœna hæreticorum est incapacitas hæreditatis, successionis, legati, & donationis; Palaus *suprà num.* 2. Circa quam pœnam nota satis probabile esse, hæreticum non esse incapacem successionis, legati, & donationis, sed tantum esse indignum. Ita Sanchez, Lessius, Rojas, & alij, quos refert, & probabile putat Palaus *suprà num.* 6. Vnde in hac sententia hæreticus non tenetur repudiare hæreditatem, successionem, legatum, vel donationem, sed potest eam obtinere, usquequo à fisco ab eo auferantur. Palaus *suprà num.* 5. Si tamen voluerit renuntiare hæreditati, legato, vel donationi, etiam in hac sententia, licite potest efficere, licet hoc cedat in damnum fisci, ut bene probat cum Vasquio, & aliis, Palaus *suprà n.* 8. In contraria tamen sententia, quæ communis est, cum hæreticus dum hæreticus est, sit incapax successionis, legati, & donationis, tenetur illud repudiare, & si non repudiet, venit hæredibus ab intestato. Palaus *suprà num.* 6. Tamburinus *lib.* 2. *Decalogi c.* 1. *§.* 5. *n.* 22. Secundò nota hæreticum postquam hæresim abjuravit, capacem esse in omni sententia successionis, legati, & donationis Tamburinus *suprà n.* 23.

69 Dico 10. Decima pœna contra hæreticos est, exemptio filiorum à patria potestate *ex c. quicumque §. illorum de hæreticis in* 6. A die enim commissi criminis, filij eximuntur à patria potestate, & fiunt sui juris. Ita cum communi sententia Palaus *suprà n.* 12. Non extenditur tamen hæc pœna ad filios receptatorum, & fautorum hæreticorum, ut voluit Eymericus, ut recte probat Sanchez *lib.* 2. *summæ c.* 14. *n.* 5. hullus enim de hoc datur textus.

An tamen filius hæretici succedat in majoratu, quo pater ob hæresim fuit privatus? Respondeo quod vel majoratus habet annexam dignitatem, ut ducatum, comitatum, &c. vel non: si non, succedit filius hæretici, si Catholicus est, siquidem in hoc casu filius non succedit patri hæretico, sed primò institutori majoratus, ut late probat Molina *de primogenitis lib.* 1. *c.* 1. *n.* 17. & cum alijs Catena, *p.* 2. *tit.* 1. *§.* 31. *n.* 168. secus dicendum est, quando majoratus habet annexam dignitatem: nam cum filij hæreticorum sint infames, sunt incapaces dignitatis, & etiam simplicis jurisdictionis, ut cum multis probat Carena *suprà n.* 170. 70

Dico 11. Undecima pœna contra hæreticos est, privatio dominij in servos, *ex c. absolutos de hæreticis*. Hæc tamen pœna non habet locum, nisi post sententiam judicis, data tamen sententia, servi si Christiani sint, non transeunt in dominium fisci, sed remanent libri, secus si pagani, & infideles sint, ut latè probat cum aliis Palaus *suprà n.* 1. & 18. 71

Dico 12. Duodecima pœna contra hæreticos est, pœna carceris, flagellationis, exilij, & mortis, de quibus late Palaus, *suprà d.* 6. per totum, quæ quia pertinent ad forum exterius, hic à nobis omittuntur. Vide si placet apud illum. 72

SECTIO V.

De Apostasia, & Schismate.

SUMMARIUM.

73 *Apostasia quomodo differat ab hæresi?*
74 *An sit necessario explicanda in confessione?*
75 *Apostasia a fide externas incurrit pœnas hæreticorum?*
76 *Quis dicatur purus Schismaticus?*
77 *Schismaticus si simul sit hæreticus, incurrit omnes pœnas hæreticorum.*
78 *Purus Schismaticus incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & inhabilitatem ad officia Ecclesiastica habenda, & illorum jurisdictionem.*
79 *Schismaticus, si crimen fuerit notorium, incurrit irregularitatem ex infamia.*

Dico primò: pura apostasia differt ab hæresi tanquam majus, & minus; nam apostasia est negatio totius fidei, hæresis vero alicujus, vel aliquorum articulorum. Vnde in confessione, si Apostata iterum ad fidem redeat, sufficit si dicat, negavi fidem, est enim tantum circunstantia aggravans, quæ secundum meliorem sententiam, non est necessario explicanda. Non potest tamen pœnitens in confessione dicere, negavi aliquos articulos fidei, nam tunc non diceret peccatum, quod fecit, sed quod non fecit. Tamburinus *lib.* 2. *Decalogi c.* 1. *§.* 9. *num.* 2. Diana, *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 14. Bosæus, *verbo apostasia num.* 1. Dixi pura apostasia, nam si ultra puram negationem fidei, amplectatur quis aliâ sectam v.g. paganismum, Judaismum, &c. certum 73 74

est

est tunc id necessariò explicandum esse, ut *suprà* diximus.

75 Dico secundò: Apostata si non solum internus sed externus sit, incurrit omnes pœnas hæreticorum. Tamburinus *suprà num.* 1. Si tamen tantum fuerit apostata internus, non vero externus, non incurrit prædictas pœnas. Tamburinus *ibi*: Quod si tantum fuerit externè apostata, non tamen interne non incurrit in foro interno prædictas pœnas, bene tamen in foro externo. Ita cum multis Bosæus, *in supplemento verbo apostasia num.* 3.

76 Dico tertiò: Purus schismaticus est, qui cum credat omnes articulos fidei retrahit se ab obedientia Papæ, ut est Christi Vicarius; & idem dicendum est de eo, qui instituit, vel sequitur Pseudo-Pontificem, qui Romanum Pontificatum usurpat, qui universales Synodos absque legitima authoritate congregat, vel eas postquam dissolutæ sunt prosequitur, & qui cum rebellione, & pertinacia renuit obedire præceptis, vel Romanæ Ecclesiæ, vel Romani Pontificis, & judicium ejus subire recusat, nolendo illam agnoscere matrem, & Romanum Pontificem Patrem, & Christi Vicarium.

77 Dixi purus schismaticus, nam si ultra divisionem à capite, addat aliquam hæresim, ut si credat Pontificem summum caput Ecclesiæ non esse, est etiam hæreticus, & incurrit omnes pœnas hæreticorum. Dixi ab obedientia Papæ, est Christi Vicarius, nam si nolit obedire Papæ extra decreta fidei, & morum, quia est ei ejus persona invisa, & odiosa, non est schismaticus; ut bene cum Azorio, Reginaldo, Sanchez, & aliis, Bosæus, *in supplemento verbo schisma, num.* 2.

78 Dico quartò: Schismaticus, si simul non est hæreticus, præter gravissimum peccatum, quod ex genere suo, minus est hæresi, ut bene Bosæus, *verbo schisma num.* 4. incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ. Fit item inhabilis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & amittit eorum jurisdictionem, si quam habuerat. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 1. *Decalogi* §. 9. *num.* 3. Non incurrit tamen irregularitatem, nec privationem beneficiorum jure obtentorum, modò crimen non sit notorium: nullibi enim talis pœna irregularitatis invenitur expressa. Ita cum multis Basæus *in supplemento, verbo schisma. num.* 6. contra Azorium, & alios.

79 Dixi nisi crimen fuerit notorium, nam si fuerit notorium, incurrit irregularitatem ex infamia, quæ oritur ex quovis crimine notorio. Hæc tamen irregularitas cessat ablata infamia per contrariam pœnitentiam. Tamburinus *suprà num.* 3. Basæus *suprà num.* 5. Tandem adverte, eos qui à schismaticis scienter, & sponte ordines, & beneficia suscipiunt, esse ipso jure suspensos ab usu, & functione Ordinum, & à beneficiis sic impetratis. Thomas Tamburinus *suprà num.* 4.

SECTIO VI.

An fideles teneantur sub præcepto non disputare de rebus fidei cum infidelibus, & hæreticis?

SUMMARIUM.

80 *Fideles etiam clerici, si indocti sint tenentur sub præcepto naturali de fidei dogmatibus non disputare.*

81 *Datur præceptum sub excommunicatione ferendæ ne laici disputent cum hæreticis, & infidelibus de rebus fidei.*

82 *Quid si laici sint docti, & detur necessitas, & utilitas fidelium?*

83 *An hoc præceptum sit alicubi consuetudine abrogatum?*

84 *Ubi non est consuetudine abrogatum tantum obligat sub venialis.*

Dico primò: Certum est omnes fideles, sive clerici, sive laici teneri sub præcepto naturali de fidei dogmatibus non disputare, si indocti sint, vel detur periculum deserendi fidem, si contrariæ hæretici disputantis rationes urgentiores appareant, vel si detur periculum audientium. Præter autem hoc præceptum naturale, datur præceptum sub excommunicatione ferenda, ne laici disputent cum hæreticis, & infidelibus de rebus fidei *cap. quicumque* §. *inhibemus, de hæreticis in* 6. Circa quod præceptum nota primò, non comprehendere clericos, etiam primæ tonsuræ, vel Regulares, sed hos solum teneri præcepto naturali: Undè solùm comprehendit laïcos, etiam doctos. Ita cum Azor. Sanchez, Coninch. & aliis Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *p.* 4. *num.* 4. contra Bannes, Ledesmam, & alios, quos *ibi* refert, quibus adde Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 96. & *part.* 5. *tract.* 15. *resol.* 22. Balæum *verbo fides* 2. *num.* 9. Tamburinum *lib.* 2. *Decalogi, cap.* 1. §. 11. *num.* 3. 80 81

Ratio nostræ resolutionis est, quia lex Ecclesiastica aliquid addit supra naturalem, sed ex lege naturali laïcus indoctus prohibetur disputare de rebus fidei: ergo lex Ecclesiastica cum id laïcis prohibet de doctis loquitur propter excellentiam doctrinæ. Undè nunquam cessat lex in illis, ex eo quod docti sint. Cessabit tamen lex, quoad laïcos doctos, quando à clericis rogantur, ut disputationem suscipiant in honorem fidei. Palaus *supra num.* 7. vel in casu necessitatis, vel evidentis utilitatis; qualis esset, si hæreticus suis dictis ad errores retraheret fideles, & nullus esset clericus, qui eum confunderet. Palaus *ibi num.* 6. vel si esset in terris hæreticorum, ubi fideles permixti vivunt cum hæreticis, quia in his consuetudine jam hæc lex abrogata est. Ita cum Suario, Conincho, Sanchez, Palaus, *ibi num.* 28. An vero hæc lex etiam ubi non est consuetudine abrogata obliget sub mortali? Negativè respondeo. Ita cum Palao, Tamburinus *suprà numer.* 7. pœna enim excommunicationis ferendæ, qualis est hæc in lege imposita, non est signum obligationis sub mortali. 82 83 84

SECTIO VII.

Qui teneantur ex Tridentino emittere fidei professionem?

SUMMARIUM.

85 *Omnes curam animarum habentes tenentur in manibus Episcopi, vel ejus vicarij elicere fidei professionem.*

86 *Eandem obligationem habent provisi in canonicatibus & dignitatibus in Cathedralibus.*

87 *Adidem tenentur provisi in Patriarchas, Episcopos, vel Archiepiscopos.*

88 *An non facientes fidei professionem amittant fructus ante judicis sententiam.*

Digitized by Google

89 *Hæc lex non obligat ad culpam gravem, ſed tantum ad pœnam.*
90 *Hoc præceptum non obligat prælatos regulares.*
91 *Hæc lex in multis locis non eſt uſu recepta.*
92 *Ubi hæc lex eſt recepta, ſufficit quod ſemel profeſſio fidei fiat.*

85 PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono, ex Trid. *ſeſſ. 24. c. 21. de reformatione*, teneri omnes curam animarum habentes à die adeptæ poſſeſſionis ad minùs intra duos menſes in manibus Epiſcopi, vel eo impedito, in manibus vicarij, emittere fidei poſſeſſionem. Et ad idem tenentur provisi de canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolùm coram Epiſcopo, ſed etiam coram capitulo, aliàs non faciunt ſuos fructus, nec illis poſſeſſio
86 ſuffragatur. Et ad idem tenentur promoveri in Patriarchas, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos, in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint, ut patet ex co-
87 dem Trid. *ſeſſ. 25. cap. 2 de reform. & ex conſtitutione Gregorij XIV. & Pij IV.* qui ſupradictum decretum extendit ad Prælatos Regulares, & ad omnes Doctores, Magiſtros, Regentes, & alios Profeſſores Artium liberalium: his ſuppoſitis.

Dico, primò: Hoc decreto ſolùm comprehenduntur parochi beneficiati, non tamen illi, quibus Epiſcopus curam Eccleſiarum communicat, non tamen de beneficio providit; Decretum enim ſolùm loquitur de provisis in beneficijs. Ita cum
88 Sanchez, & aliis Palaus *tom. 1. tract. 4. diſput. 1. p. 19. num. 3.* An autem non facientes talem profeſſionem amittant fructus ante ſententiam judicis? Reſpondeo negativè, nam cum hæc lex ſit pœnalis non obligat, niſi poſt latam ſententiam, & cum Pontifex aliud velit illud declarat, ut fecit Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. de reformatione*, quando obligavit non recitantes divinum Officium ad reſtituendos fructus perceptos ante aliam judicis ſententiam. Ita cum Navarro, Sanchez, Rodriguez, Barboſa, Palaus, 89
ſupra num. 16. contra Azorium, Gaetanum, Ugolinum, & alios. An autem hæc lex obliget, non ſolùm ad prædictam pœnam, ſed etiam ad culpam gravem: Reſpondeo ſatis probabile eſſe, non obligare ad culpam, ſed tantùm ad prædictam pœnam. Ratio eſt, quia lex pœnalis ad nihil amplius, quam ad pœnam obligat, atqui hæc lex eſt pœnalis: ergo: ita cum Valentia, Villalobos, Navarro, Azor. Filliucio, & aliis Tamburinus *in opuſculo de ſacrificio lib. 3. cap. 1 §. 8. num. 14.* Diana *part. 1. tract. de legibus reſol. 20.*

Dico ſecundò: Licet Pius V. Hoc decretum ex- 90
tenderit ad Prælatos Regulares, & ad omnes Doctores, & Magiſtros Artium liberalium, ſive Sæculares, ſive Clericos, ejus extenſio in multis Religionibus, & locis non fuit uſu recepta, quare ubi non obligat: Ita cum Sanchez, Sorbo, & aliis Tamburinus *lib. 2. cap. 1. Decalogi §. 12. num. 6.* Imo Sorbus apud illum docet nullibi eſſe receptum. Advertit tamen pro locis ubi tale decretum eſt receptum, 91
imo & pro parochis, & aliis obligatis, ſatis eſſe ſemel efficere hanc fidei profeſſionem. Unde ſi parochus, Canonicus, vel Epiſcopus, vel quicunque alius, de alio beneficio, vel magiſtratu provideatur, non tenetur ex neceſſitate præcepti hanc pro-
feſſionem iterare, ſed ſufficit ſe ſemel illam feciſſe, 92
jam enim quoad ſubſtantiam præcepto ſatisfecerunt. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *ſupra n. 6.* contra Azorium, & alios, quos refert, & ſequitur Palaus *ſupra num. 7.*

TRACTATUS SECVNDVS,

DE VIRTVTIBVS SPEI, ET CHARITATIS, & iis annexis, & contrariis.

DISPUTATIO I.

De Spe.

SECTIO Unica.

Quid ſit Spes, & de peccatis contra Spem.

SUMMARIUM.

1 *Spes eſt virtus Theologica.*
2 *Quomodo definiatur?*
3 *Quid ſit objectum ſpei?*
4 *Datur præceptum affirmativum, & negativum ſpei.*
5 *Quando obliget affirmativum?*
6 *Quomodo peccator peccet contra præceptum ſpei?*
7 *Quando detur deſperatio?*

DIco primò: Spes eſt virtus Theologica divinitùs infuſa, per quam certo ſperamus futuram beatitudinem per merita ex Divina gratia provenientia. Dicitur autem ſpes virtus Theologica, quia verſatur circa Deum, tanquam circa objectum, ſicut fides, & charitas, infunditque à ſolo Deo in voluntatem noſtram, in qua eſt ſicut in ſubjecto. Dicitur autem, per quam certo expectamus 2
futuram beatitudinem, quia beatitudo eſt objectum primarium, circa quod verſatur ſpes, gratia vero, virtutes, & alia bona opera, quæ hujus conſecutioni deſerviunt, ſunt illius objectum materiale ſecundarium, objectum vero formale ſpei eſt Deus, 3
ut ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ, quaſi in commodum amantis, ex quo amore naſcitur deſiderium beatitudinis, qui eſt actus perſecutionis hujus virtutis, & timor mali contrarij, qui eſt ejus actus fugæ, ad eandem enim virtutem pertinet amare bonum, & odio habere contrarium. Palaus *tom. 1. tract. 5. diſp. unica p. 1. num. 1. & 2.* & alij communiter.

Dico ſecundò: Duplex datur præceptum ſpei, 4
aliud affirmativum, & negativum aliud. Negativum ſemper obligat, non tamen affirmativum, ſed ſuo tempore. Quando autem urget affirmativum? Reſpondeo affirmativum *per ſe ſolum* obligare,

gere, quando aliquis gravi tentatione desperationis vexatus, in succumbendi periculo est, nisi actu spei contrario animum confirmet; tunc enim per se hoc præceptum obligat, quia eodem spei præcepto tenetur homo sperare, & non desperare; si ergo tunc elicere actum spei est per se medium ad non desperandum, obligabit præceptum spei ad illum eliciendum. Ita cum Valentia, Bañes, Ledesma, Aragonio, Sanchez, *lib. 2. Decalogi cap. 35. num. 3.* & cum aliis, Escobar *tom. 6. lib. 48. de spe num. 9. & n. 82.* ubi addit aliquando esse actum spei necessarium ad vincendas alias tentationes in aliis materiis, sed hoc non est per se, sed per accidens, ratione præcepti superandæ illius tentationis. Vnde rejiciendus est Thomas Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 2. §. 1. num. 2.* qui hujusmodi obligationem per se ex vi hujus præcepti a fidelibus omnino tollit, ut merito eum rejicit sanctissimus Papa noster Alexander VII. *in suo decreto edito 24. Septembris anno Domini 1665.*

6 Dico tertiò: Tribus modis peccatur contra hoc præceptum spei, primo non sperando, quando oportet. Secundo desperando. Tertio præsumendo. Quod sic probatur. Nam quodlibet præceptum duobus modis potest violari, vel omittendo, quod præcepit, vel committendo, quod fieri vetat, commissio autem dupliciter fit, aut excedendo medium virtutis, quæ præcipitur, aut deficiendo à medio. Vnde fit, ut contra spem peccetur primo, non sperando, quando præceptum urget. Secundo excedendo spem per præsumptionem. Tertio deficiendo à spe per desperationem. Ita cum communi sententia Balæus *in supplemento verbo spes num. 8.*

7 Dico quartò: Præsumptio committitur, cum quis confidit ex se ipso, vel ex naturæ viribus consecuturum, sive gratiam, sive virtutes supernaturales, sive gloriam vel confidit ex Dei auxilio, sine sua cooperatione prædicta consecuturum. Desperatio verò committitur, cùm quis desperans gratiam, & gloriam consecuturum, suam cooperationem adhibere non curat. Potrò peccatum tum præsumptionis, tum desperationis licèt venialia esse possint ob defectum deliberationis, sicut & alia omnia; semper tamen sunt mortalia ex parte materiæ, sicut & odium Dei, blasphemia, & similia. Aliquando etiam his peccatis additur peccatum hæresis, si error intellectus intercedat, ut si quis credat gratiam habendam ex solis propriis meritis, aut per solam Dei misericordiam. Balæus *verbo spes num. 5.*

DISPUTATIO II.

De Charitate.

SECTIO I.

Quid sit Charitas?

SUMMARIUM.

8 *Charitas est virtus theologica.*
9 *Quomodo diffundatur?*
10 *Quid sit objectum charitatis?*
11 *Datur præceptum affirmativum Charitatis.*
12 *Quo tempore obliget hoc præceptum.*
13 *Quomodo peccet homo contra hoc præceptum.*

DIco primò: Charitas est virtus theologalis, & supernaturalis infusa, qua amatur Deus amore supernaturali benevolentiæ super omnia, & proximus propter ipsum. Dicitur virtus supernaturalis infusa, quia sicut fides, & spes non nostro labore, sed Dei munere habentur à nobis, juxta illud Pauli *ad Romanos, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ponitur qua amatur Deus, ut indicet primarium objectum Charitatis, quod est Deus, tanquam supernaturalis noster finis per fidem à nobis cognitus in hac vita, per visionem verò, & fruitionem habendus in futura. Additur verò, amore supernaturali benevolentiæ, ut significetur primarius actus Charitatis, qui est amor amicitiæ, qui in hoc distinguitur ab amore concupiscentiæ, quod amor amicitiæ sit, quo bonum volumus amico propter ipsum, & amor concupiscentiæ sit, quo bonum alteri volumus propter nos, seu propter nostram utilitatem. Addtur verò, super omnia, ut ostendat modum Charitatis, qui est diligere Deum plus ceteris rebus omnibus, non intensivè, sed appretiativè, hoc est, non intensiori actu Deum aliis rebus amando, sed Deum aliis omnibus præponendo, juxta illud *Matthæi 10. qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Tandem ultimo loco ponitur, & proximum propter ipsum, ut ostendatur secundarium, ac minus principale objectum charitatis, quod est nos ipsi, & proximi. Ita cum communi sententia Malletus, *malleatione 2. Decalogi bractea 26.*

8 9 10

11 Dico secundò: Certum est dari præceptum affirmativum diligendi Deum. Vt patet ex illo Deuteronomij, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, hoc est, quod nihil sit in intellectu, in voluntate, ac desiderio, neque in sensu, neque in externa operatione, quod non Deo subjiciatur, & cui Deus non præponatur. Vnde Christus *Marci 22.* dixit hoc esse maximum, & primum mandatum. Hoc autem præceptum non obligat directe ad amorem supernaturalem, nec naturalem, sed solum ad amorem Dei super omnia ob ejus infinitam bonitatem, quantum cum Dei gratia quis possit. Vnde si homo habeat habitum supernaturalem, vel auxilium Dei, amabit eum amore supernaturali, si illis careat, amabit amore naturali, de quibus vide Palaum *tract. 6. disp. 1. p. 3. n. 2.*

12 Dico tertiò: Licèt Doctores varia tempora assignent, in quibus obliget hoc præceptum diligendi Deum, & eliciendi actum positivum amoris Dei, ut in primo instanti usus rationis, vel in fine vitæ; vel in tota vita indeterminatè, vel saltem semel in ea, vel in omnibus diebus festis, vel quando suscipitur Baptismus, vel homo justificatur per Pœnitentiam, vel recipit Eucharistiam, aut Matrimonium, vel quando à Deo accipit beneficium. Ego tamen existimo, solùm teneri *per se ex vi hujus præcepti* elicere actum amoris Dei, cùm graves odij Dei tentationes instant, & periculum succumbendi illis adest, nisi tentatus actum amoris Dei eliciat. Vnde solùm in hoc eventu existimo obligare hoc præceptum dilectionis Dei super omnia *per se, & ex vi hujus præcepti*, sicut *suprà* diximus *de præcepto fidei, & spei.* Vnde si odium sit Dei, ut authoris supernaturalis, obligabit præceptum contrariæ dilectionis, nempe Dei, ut authoris supernaturalis, si verò sit odium Dei, ut

authoris naturalis, obligabit dilectio Dei, sive ut authoris supernaturalis, sive naturalis. Ita Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 35. num. 9.* Vnde rejiciendus est Thomas Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 3. §. 2. n. 2.* ubi nullum tempus determinat, in quo hoc præceptum obliget per se, & ex vi hujus præcepti, sed tantùm dicit obligare per accidens ex vi aliorum præceptorum, quod etiamnum rejecit summus Pontifex Alexander 7. *in suo decreto edito 24. die Septembris anni Domini 1665.* ut diximus *de præcepto fidei, & spei.*

13 Dico quartò: contra charitatem Dei dupliciter peccatur. Primò per missionem contra præceptum affirmativum de amando Deum, ut si quis ipsum non amet eo tempore, & eo modo appretiativo, quo amandus est. Secundò per commissionem præceptum negativum de non odio habendo Deo, ut si quis habet odium Dei, quod est scelus omnium gravissimum. Ita Tamburinus *suprà num. 3.* An autem homo peccet contra hoc præceptum, si in hac vita ultimum finem constituat volendo hic perpetuò durare. Respondeo quòd si homo delicias hujus sæculi fruitioni Dei præponat, ablque dubio peccare mortaliter: at si longum tempus vitæ desideret, quia nescit an salvandus, vel damnandus sit, ut illud periculum damnationis fugiat, non peccare Ita Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 1. p. 1. num. 6.*

SECTIO II.

Utrum teneamur ex charitate proximum diligere?

SUMMARIUM.

14 *Tenemur ex charitate proximum sicut nosmetipsos diligere, & quomodo id intelligatur.*
15 *Homo non tenetur diligere proximum actu interno distincto ab amore Dei.*
16 *Quomodo id intelligatur?*
17 *Tenetur homo non habere odium internum proximi.*

14 Dico 1. Certum est teneri nos ex charitate proximum diligere, sicut nos metipsos, ut habetur Matt. 22. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Vbi nota illam particulam, sicut, non importare æqualitatem, sed similitudinem. Per proximum autem intelliguntur illi, qui sunt capaces beatitudinis. Quapropter fideles, & infideles, peccator, inimicus, prædestinatus, & reprobus, nomine proximi intelliguntur, quia omnes hi dum in hac vita degunt, sunt capaces beatitudinis. Quòd si alicui revelatum esset, aliquem esse reprobum, adhuc posset simplici affectu illi desiderare beatitudinem, vel quòd non tot peccata committat; non tamen potest quis illi desiderare beatitudinem efficaciter quia hoc est impossibile. Ita cum aliis Palaus *tom. 1. tract. 4. d. 1. p. 5. num. 1.*

15 Dico secundò: Non tenetur homo diligere proximum per aliquem actum internum expresse tendentem in ipsum proximum, sed satis est, si amet Deum, in hoc enim amore Dei involvitur amor proximi, qui est de Dei voluntate. Quare si quis abstineat ab eliciendo actu odij contra proximum, si erga ipsum exequatur opera externa benevolentiæ, de quibus *infrà*, facto ipso, & sæpe interne proximum sufficienter amabit. Ratio horum est, quia homo solùm tenetur Deum amare, & proximum, hic amor cedit in Dei, & proximi commodum, at actus internus præcisè in bonum proximi non cedit, cum illi sit incognitus; bene tamen in honorem Dei, cui omnia patent: ergo respectu Dei tenetur homo amorem internum habere, respectu verò proximi, solùm quatenus est necessarius ad vitandum odium. Ita cum D. Thoma, Suario, Coninch. Lorca, Palaus *tract. 6. d. 1. p. 5. num. 4.* 17

SECTIO III.

Quomodo præceptum Charitatis, quâ diligitur proximus, obliget nos ad diligendos inimicos.

SUMMARIUM.

18 *Proximus potest considerari ut peccator, vel ut amicus, vel inimicus.*
19 *Charitatis præceptum obligat, non solùm ad diligendos justos, sed etiam peccatores.*
20 *Tenemur præcepto divino diligere non solum amicos, sed & inimicos.*
21 *Injuriam passus tenetur diligere saltem in genere inimicum.*
22 *Deducuntur aliqua corollaria.*
23 *Nemo tenetur ex præcepto exhibere signa specialia dilectionis erga inimicum, bene tamen ex consilio.*
24 *Aliqua corollaria deducuntur.*
25 *Filius tenetur exhibere semper signa dilectionis specialia erga patrem.*

PRo explicatione hujus sectionis notandum est, proximum diligendum ex præcepto charitatis posse in triplici statu considerari. Primò ut est peccator. Secundò prout amicus. Tertiò prout inimicus. 18

Secundò notandum est, signa dilectionis exhibenda proximo, alia dici generalia, & communia, ut sunt neminem à communi oratione, quam pro omnibus fidelibus exhibet excludere, & nullum ab eleemosyna, quam omnibus pauperibus hujus loci distribuit excludere, & his similia. Alia dicuntur specialia, & particularia, ut hunc aliquem visitare, salutare, consolere, hospitio recipere, cum eo loqui, familiaritatem cum eo habere, pro eo orare in speciali, eum amare amore speciali, &c. III. notandum est, injuriam, & offensam remitti posse, vel quoad odium tantùm, & vindictam, privatam, vel etiam quoad actionem injuriatam, ac latisfactionem: his suppositis.

Dico primò: Præceptum charitatis obligat nos, non tantum ad diligendum justos, sed etiam peccatores, non quà peccatores sunt, sed quà homines sunt. Ita communiter DD. Ratio est, quia cum peccator sit homo, & capax beatitudinis, ac per consequens diligendus. Vnde aliquæ locutiones sacræ scripturæ, in quibus peccatores odio habentur, & mala gravia eis desiderantur, & imprecantur, ut in illo loco *Psalmi 118. Iniquos odio habui, in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, & Psalmo 103. Deficiant peccatores, ita ut non sint, & Psalmo 9. convertantur peccatores in infernum*, aliæ hujusmodi, intelligendæ sunt de odio, non contra naturam, sed contra peccatum; peccatores enim secundùm peccatum, quod Deo adversatur, odio habendi sunt. Vnde potest etiam peccatoribus 19

catoribus deſiderari malum, non ſpirituale, ſed temporale, ut in melius emendentur, ut mala, quæ in illis locis peccatoribus imprecantur, non illis optantur, ut malum formaliter, ſed ut bonum juſtitiæ, intereſt enim reipublicæ Chriſtianæ, ut iniqui homines affligantur. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 28. *art.* 6. *ad* 3. quem ſequuntur communiter DD.

Hinc fit, licitum eſſe tutâ conſcientiâ optare mortem, vel ſupplicium Tyranno, vel alteri homini iniquo, tum ad bonum publicum reipublicæ, tum ut non proſequatur bonos. Imò ut ait Sotus *de juſtitia lib.* 5. *quæſt.* 12. *art.* 1. poſſum alteri mortem deſiderare ad bonum reipublicæ, etiamſi ſciam damnandum, ac etiam de ejus morte gaudere ob bonum, quod inde ſequitur, quia bonum commune ſemper eſt præferendum privato. Navarrus *in ſumma cap.* 15.

20 Dico 2. datur præceptum, tum divinum, tum naturale de diligendis, non tantùm amicis, ſed etiam inimicis. Ita communiter DD. & patet ex illo *Matt.* 5. ubi Chriſtus dicit. *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, ut filij lucis ſitis.* Tum quia inimici in quantum homines, ſunt noſter proximus: tum quia odium formaliter inimicitiæ repugnat erga creaturam rationalem, cum per ſe ſit ſemper malum, quatenus reſpicit perſonam, quæ nunquam poteſt eſſe objectum formale odij, ſed tantùm materiale, ratione mali, quod in ſe habet.

21 Dico tertiò: ex præcepto charitatis tenetur injuriam paſſus diligere inimicum in genere, & nunquam illum excludere à dilectione communi, & generali proximorum ratione naturæ. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 8. & 9. & communiter DD. Ratio eſt, quia dilectio inimicorum, quantùm ad naturam, ſcilicet univerſali, eſt de neceſſitate charitatis, ut ſcilicet aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat; ergo injuriam paſſus tenetur non excludere inimicum à generali dilectione proximi.

22 Hinc fit, quòd ſi quis ab amore, quo diligit proximum, vel a communi oratione, quam pro toto populo, vel à communitate exhibet, vel ab eleemoſyna, quam omnibus pauperibus hujus loci diſtribuit, excluderet inimicum, peccaret mortaliter. Secundò fit, neminem teneri, quando orat pro populo, actualiter orare pro inimico; ſed ſufficit ſi virtualiter oret, non excludendo illum a communi oratione. Imò, quando quis nullo præcepto cogitur dare eleemoſynam pauperibus hujus, vel illius loci, ſi unà cum quibuſdam aliis, qui non ſunt ejus inimici relinquat ſuum inimicum, non peccat contra præceptum charitatis, quia illum non excludit à ſignis communibus dilectionis, ſed à ſpecialibus.

23 Dico quartò: nemo tenetur per ſe ex præcepto charitatis exhibere ſigna particularia, & ſpecialia delictionis erga inimicum, ſed tantùm de conſilio, & perfectione. Ita communiter DD. Ratio eſt, quia hæc ſigna non tenemur per ſe ex præcepto, etiam amicis, & conſanguineis exhibere; ergo nec inimicis.

Hinc fit, injuriam paſſum, depoſito odio de neceſſitate præcepti non teneri amare ſpeciali amore inimicum, nec pro illo in ſpeciali orare, nec illum
24 ægrotum viſitare, neque mœſtum conſolari, nec obviam factum ſalutare, nec hoſpitio recipere, nec familiaritatem cum illo habere, nec cum illo loqui, quia hæc omnia ſunt ſigna ſpecialia benevolentiæ, quæ aliis, etiam non inimicis, non fiant, ergo inimicus ratione inimicitiæ, non debet fieri melioris conditionis, quàm alij, ad hoc ut quis hæc ſigna reſpectu illius teneatur exercere.

Dices. Injuriam paſſus denegando locutionem, vel ſaltem ſalutationem inimico ponitur in proximo periculo proſequendi odium; ergo ſaltem ratione hujus periculi tenebitur ad minùs illum ſalutare. Reſpondetur negando antecedens, nam cùm hæc ſigna communia nemini debeantur, non eſt fundamentum, ut dicamus poſſe eſſe illi occaſionem proſequendi odium internum, quod jam ſupponimus eſſe ablatum.

Adverte tamen, filium non poſſe ſine peccato mortali negare patri ſalutationem, quia patri hæc ſigna à filio ex juſtitia debentur. Ita cum D. Thoma, & aliis Vidal *titulo de charitate, in arc. vitali, inquiſitione* 1. *num.* 55. Et idem dicendum eſt de valde conjunctis ſanguine, nam inter hos alioquutio, & ſalutatio ſunt ſigna communia dilectionis; unde ſine ſpeciali cauſa injuriam paſſus non poteſt illa denegare, niſi fortè ſit ad tempus, in pœnam juſtam admiſſæ culpæ. Vidal *ſuprà num.* 54. 25

SECTIO IV.

Utrum injuriam paſſus teneatur ſalutare proximum inimicum, ſi ex eo quòd non ſalutet alij ſcandalizentur, vel quando ex tali ſigno ſperatur ſalus ſpiritualis inimici?

SUMMARIUM.

26 *Ponitur ſententia Vidal negativa.*

27 *Opinio Vidal non abſolutè ſed aliquo modo admittitur, & quomodo?*

28 *Si injuria læſus prævideat ex ſua ſalutatione fore ut inimicus odium deponat, tenetur eum ſalutare, ſi ſine gravi incommodo poteſt.*

29 *Quid ſi ladens prius læſum ſaluteſ?*

IN neutro caſu teneri injuriam paſſum ſalutare inimicum, etiam ſi antea ſolitus fuerit illum ſalutare, affirmat Vidal *ſuprà n.* 76. Ratio illius, quoad primam partem, eſt; quia non ſalutare inimicum, non eſt mortiferè malum, & illicitum; ergo nec mortiferum erit ſuo exemplo alios ad id inducere. Tum quia denegando ſalutationem inimico, nullum ſcandalum generatur, ſed ſolùm admiratio, cur nunc non exhibeat ſalutationem, cùm antea exhiberet. Deinde quoad ſecundam partem, etiam probat; quia extra caſum extremæ neceſſitatis, nemo ſi non ſit Parochus, nec Prælatus tenetur providere ſaluti proximi, cum ſuo gravi detrimento temporali, ut tenent communiter DD. ergo injuriam paſſus non tenetur cedere honori ſuo, & famæ, ut proximi ſpirituali vitæ provideat; atqui ſi teneretur exhibere inimico in hoc caſu ſigna ſpecialia dilectionis, præcipuè ſi inimicus non eſſet longè ſuperior, nec vellet veniam poſtulare, & ſatisfactionem offerre, cedit honori ſuo, & famæ; ergo ad id non tenetur. Ac proinde ſi inimicus pejor fiat, id ſibi imputet, ſicut ſi quis ſe occideret, quia poſtulando ab aliquo decem aureos, eos ei noluit dare. 26

Verùm ego huic ſententiæ nunquam potui abſolutè acquieſcere, ſed ſolum eam admitto, quando quis infamem accepit injuriam, cujus æſtima- 27

tio

tio petit auſtetiorem vultum, ut ſi quis ab aliquo vocatus fuiſſet fur, Judæus, ſodomita, cornutus; tunc enim prudenter cenſetur omiſſionem ſalutationis non eſſe ex odio; ſed ex juſto dolore, qui juſtè adimit urbanitatis ſigna. Et idem dicendum eſt de parente, Prælato, Judice reſpectu ſubditorum, quando ex circunſtantiis colligitur, eos non ſalutare ſubditos inimicos in juſtam pœnam, & non ex odio. Ita & bene cum Hurtado, Tamburinus *lib.5. Decalogi cap.1. §.3. num.12.* Secus dicendum exiſtimo, quando injuria non fuit admodum gravis: nam tunc talis omiſſio ſalutationis prudenter cenſebitur fieri ex odio, & fomitem odij ſine dubio præbebit; ergo in his caſibus, ut vitetur ſcandalum, & proximi ruina, tenetur injuriam paſſus ſalutare inimicum. Ita & bene cum Filliucio, Eſcobar, *tom.6. lib.49. de charitate num.10.* Tamburinus *lib.5. Decalogi c.1. §.3. num.12.*

28 Et idem dicendum exiſtimo, quando læſus prævidit ex ſua ſalutatione fore ut inimicus odium deponat, nam tunc tenetur ex charitate eum ſalutare, ſi ſine multa animi difficultate, & gravi incommodo poteſt, nam cùm abſque gravi incommodo poſſit bono ſpirituali proximi ſubvenire, ad
29 id tenetur ex charitate, præſertim ſi lædens eum priùs ſalutet, vel ſi ipſi læſo prius oblata fuerit occaſio alterum ſalutandi, ut ſi prior per alterum tranſeat, vel de novo accedat ad locum, ubi lædens antea erat, vel ſi lædens erat perſona læſo multo nobilior. Ita & bene Tamburinus *ſuprà num. 26. & 27.*

SECTIO V.

An injuriam paſſus poſſit abſque peccato non ſalutare inimicum dum ſalutat omnes ſibi occurrentes, & ſi inimicus ſit cum aliis cæteris ſalutatis, & ipſe ſolitus eſſet ante inimicitiam eum priùs ſalutare?

SUMMARIUM.

30 *Si injuriam paſſus graviſſimam accepit injuriam licitè poteſt, aliis cum inimico occurrentibus ſalutatis, inimicum non ſalutare.*
31 *Secus ſi injuria non fuit adeo gravis.*
32 *Quid dicendum de religioſo, qui graviſſimam accipiens injuriam ab alio religioſo illum per multos annos obvium non ſalutat?*
33 *Quid ſi per aliquos dies omittat ſalutationem ob levem rixam?*

30 DIco primò: Si injuriam paſſus graviſſimam accepit injuriam, ut ſi eum lædens vocavit furem, Judæum, ſodomitam, cornutum, &c. Exiſtimo poſſe eum non ſalutare in prædicto comitatu & bene cum Hurtado, Tamburinus *lib.1. Decalogi cap.1. §.3. num.3.* Ratio eſt, quia omiſſio ſalutationis in hoc caſu non odio, ſed ſignificationi proprij gravaminis, vel injuriæ prudenter tribuetur.
31 Secus ſi injuria non fuit adeò gravis: nam tunc juſtam haberent videntes occaſionem ſcandali. Ita cum Azorio, Sylvia, & aliis communiter Palaus *tom.1. tract.4. diſp.1.p.6. num.5. contra Vidal, ſuprà num.64.*
32 Nec obſtat quòd etiam videntes ſcandaliſentur, quando quis graviſſimam injuriam paſſus non ſalutat inimicum. Nam tunc eorum ſcandalum non eſt activum, ſed ſi abfuerit ab illis prava voluntas, non id odio, ſed ſignificationi proprij gravaminis attribuent. Quòd ſi odio attribuerint, ſibi imputent; eſt enim ſcandalum paſſivum, quod nemo cum damno gravi ſuo tenetur vitare.

Advertè tamen: Quòd licèt per ſe hæc ita ſint, ſi tamen Religioſus ob graviſſimam acceptam injuriam per totam vitam, vel multos annos, nunquam cum alio Religioſo ejuſdem Conventûs loqueretur, vel eum ſalutaret more ſolitò, multum dubitarem de ejus conſcientia, an hoc ex odio procederet; nam licèt doctrina hujus Sectionis ſit, per ſe ſumpta, probabilis, cum his tamen circunſtantiis, quòd ambo vivant in eodem conventu, & ſæpè oblatæ fuiſſent occaſiones loquendi, vel ſe ſalutandi, ut quotidie accidunt, & quòd id non faciant cum aliorum nota, & ſcandalo, grave fundamentum eſt odij. Ita & bene Tamburinus *ſuprà num. 28.* Secus dicerem, ſi ob levem rixam Religioſus timoratus alterum per aliquos dies non ſalutaret, nam tunc id videntes non odio, ſed levi cuidam paſſioni, vel ſignificationi accepti gravaminis attribuent. Ita Tamburinus *ſuprà num.13.* 33

SECTIO VI.

Utrùm teneatur quis ſub Mortali reſalutare inimicum ſalutantem illum?

SUMMARIUM.

34 *Non reſalutans inimicum ſalutantem, etiam ſi graviſſimam acceperit injuriam peccat mortaliter.*
35 *Quid ſi ſalutans ſit inferior?*
36 *Quid ſi diſſimulet ad ſalutationem non advertiſſe?*
37 *Qui prævidit inimicum non reſalutaturum ſibi ſalutanti, non tenetur eum ſalutare.*
38 *Quid ſi ſemel ſalutavit, & alter non reſalutavit?*

DIco primò: Si quis inimicum, etiam graviter ſibi infenſum eum ſalutantem non reſalutet peccat mortaliter, & hoc, etſi ab eo graviſſimam acceperit injuriam. Ratio eſt, quia poſita inimicitia, omiſſio reſalutationis in hoc caſu non ſolùm imputabitur juſto dolori, & ſignificationi acceptæ injuriæ; ſed maximo odio. Excipe, niſi adeò inferior eſſet ſalutans, vel eâ adeſſent circunſtantiæ, ut hujuſmodi odij judicium non fieret, vel ſi quis adeò ſe animò diſtractum ſimularet, ut verè appareret ad ſalutationem non advertiſſe. Ita cum Suario, Coninch. Bonacina, Tamburinus *lib.5. Decalogi cap.1. §.3. num.14.* & cum Palao, Villalobos, Eſcobar *tom.6. lib.49. de charitate n.21. contra Vidal ſuprà n.66.* & Dianam *p.2. tr.1. miſcellaneo*, qui dicunt etiam in hoc caſu non teneri læſum ſalutare inimicum. 34 35 36

Sed quæres: An ſi quis certò moraliter prævideat tibi ſalutanti inimicum, illum cum debita reſalutatione non reſponſurum, poſſit illum abſque mortali non ſalutare, quamvis ei incumbat priorem eſſe in ſalutando? Reſpondeò non teneri illum ſalutare, ne exponatur periculo evehendi contra non reſalutantem, & fiant pejora prioribus, & tunc imputare ſibi debet offenſus, qui ita ſe gerit, ut certitudinem moralem de omiſſione reſalutationis alteri det. Quod à fortiori dicendum eſt, ſi ſemel illum 37 38

illum offenſus ſalutavit, & ille non reſalutavit. Ita & bene Tamburinus *ſuprà num.* 15.

SECTIO VII.

An injuriam paſſus teneatur ſub Mortali veniam concedere inimico petenti humiliter illam, & pacem cum illo componere?

SUMMARIUM.

39 *Injuriam paſſus tenetur ſtatim deponere odium, & deſiderium vindictæ.*

40 *Si offenſor non exhibeat debitam ſatisfactionem, offenſus non tenetur veniam, & pacem concedere.*

41 *Si offenſor offerat debitam ſatisfactionem, adhuc poteſt offenſus coram judice petere vindictam offenſæ.*

42 *Quando offenſa reſultat in alios, læſus ſolus non poteſt concedere veniam offenſæ.*

43 *Ledens ut plurimum tenetur à læſo veniam poſtulare.*

44 *Excipiuntur aliqui caſus, in quibus non tenetur veniam poſtulare.*

45 *Quid ſi non detur aliud remedium ad reſarciendam injuriam niſi venia petitio?*

39 Dico primò: Injuriam paſſus tenetur ſtatim omne odium contra perſonam deponere, & omnem cupiditatem vindicandi privatè injuriam,
40 & hoc ei aliquo ſigno externo oſtendere. Attamen ſi offenſor non offert debitam ſatisfactionem pro injuria, non tenetur offenſus ſub Mortali veniam, & pacem concedere petenti. Ita cum Azorio, Bonacina, Suario, Reginaldo, Valentia, Vidal, *tit. de charitate, inquiſitione 1. num. 75.* Tamburinus *ſuprà num. 23.* Ratio eſt, quia nemo tenetur ſine ſatisfactione juri ſuo cedere. Tum quia læſus rem ſibi debitam expoſcit, & odij fomitem non miniſtrat, ſed adverſarius, qui ſatisfactionem, quam poteſt dare immeritò negat: Tum quia, ſi quis ſic remitteret injurias, parvi penderetur in populo; ſufficit ergo quòd inimico oſtendat ſe odium depoſuiſſe.

41 Sed quid, ſi offenſor debitam ſatisfactionem offerat, vel illi ſit impoſſibilis offerre? Reſpondeo æquum eſſe, ut offenſus veniam illi concedat, & pacem cum eo componat: id enim eſt conforme Evangelio. Attamen ſi offenſus adhuc velit coram judice proſequi actionem petendi vindictam, non peccat mortaliter; adhuc enim jus juſtitiæ habet. Ita Tamburinus *lib. 5. Decalogi cap. 1. §. 3. num.* 21. Vidal *ſuprà num.* 80. Et idem dicendum eſt, quando id neceſſarium videtur ad reprimendam inimici audaciam, id enim ſæpè fit in bonum ipſius inimici; eſt enim quoddam genus correctionis, juxta illud Proverbium, *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſic ſapiens eſſe videatur.* Vidal *ſuprà num.* 17. Adverte tamen, hoc maximè expoſitum eſſe periculo peccandi. Vnde ſi offenſus ſæpè ſæpius ſe videat victum à tentatione odij, & deſiderij privatæ vindictæ, tenetur ſub mortali remittere injuriam inimico, maximè ſi offerat ſatisfactionem debitam, & hoc etiam coram Judice, quando illum proſequitur amore vindictæ, & odij. Ita cum Azorio, Filliucio, Layman, & aliis Vidal *ſuprà num.* 81.

Illud etiam inſuper nota, non eſſe coarctandum offenſum, ut ſtatim, ac injuriam paſſus eſt, veniam dare teneatur, cum tunc ſatis ſit negativè ſe habere, debet ergo ſpectari, ut aliquod tempus arbitrio prudentis intercedat, ut interim animus ſedetur; hoc enim fragilitas humana expoſtulat. Adverte etiam aliquando læſum non poſſe remittere injuriam, & ſatisfactionem condonare. Quod tunc ac- 42
cidit, quando ad ipſum non pertinet actio contra injuriantem, ſed ad ſuperiores, nempe ad patrem, dominum, Prælatum, maritum, reſpectu filij, ſervi; ſubditi, uxoris, & tunc ſufficit, ſi ipſi deponant odium. Vidal *ſuprà num.* 83.

Sed quæres: An ſemper inimicus, qui læſit te- 43
neatur à læſo veniam poſtulare? Reſpondeo frequentiſſimè hanc obligationem non eſſe, ſemel tamen, & iterum dari. Et in primis non datur talis obligatio, quoties aliam æquivalentem, qui læſit exhibet, v. g. per pecuniam, per præventionem in honore, per amicitiæ ſigna, vel officia, per amicorum interceſſiones, &c. Secundò, Quoties injuriæ inter inimicos factæ invicem ſe compenſant. Tertiò. Quoties læſus eam veniæ petitionem, vel non curat, vel ad iracundiam magis eum incitare judicabitur. Vel quando apud aliquos, v. g. nobiles viros uſui illa non eſt. Quartò. Quoties is, qui 44
offendit multò ſuperior eſt, ut non conveniat à ſubdito veniam poſtulare, niſi fortè tanta ſit injuria ſuperioris, ut ad hujuſmodi petitionem ipſum prudenti judicio urgeat. Tamburinus *ſuprà num.* 24. Quintò, Quoties præſumis petitâ venia, & ſatisfactione pro ſua parte exhibitâ, alium non correſponſurum, tunc enim titulo recompenſationis retinere quaſi in depoſitum ſatisfactionem poteris, quouſque videas alium paratum debitum exhibere. Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 1. p. 8. num.* 10. Sextò. Quoties offenſus eſt abſens, nec facilè per ſe, nec per alium conveniri poteſt. Trullenc. *lib. 1. Decalogi cap. 5. dub. 1. num.* 11. Septimò. Quoties non eſt elapſum competens tempus, ut *ſuprà* dixi.

Solùm igitur tunc erit neceſſaria hæc veniæ 45
petitio à læſo, quando gravis fuit læſio, & aliud remedium ad reconciliationem adhiberi, vel non poteſt, vel, omnibus à viro prudenti penſatis, non debet. Sic filius reſpectu patris, ſubditus reſpectu Prælati, uxor reſpectu viri, ſervus reſpectu domini, in gravioribus injuriis ſæpè veniam petere debebunt, à quo alij facilius ex prædictis, vel ſimilibus capitibus excuſabuntur. Tamburinus *ſupra num.* 24.

SECTIO VIII.

An teneamur ex charitate proximo verſanti in extrema neceſſitate ſpirituali ſuccurrere: etiam cum vitæ, vel facultatum periculo?

SUMMARIUM.

46 *Nemo tenetur cum æquo periculo ſalutis ſpiritualis ſuccurrere ſaluti ſpirituali proximi.*

47 *Quid ſi id velit ex charitate efficere?*

48 *Quid ſi alterius ſalus neceſſario periclitetur, tua vero contingenter?*

49 *In neceſſitate extrema ſalutis ſpiritualis proximi tenetur homo bona, & vitam expendere.*

Digitized by Google

50 *Quid ſi quis eſſet in peccato mortali, & perdifficilis fuiſſet ad contritionem?*

51 *Extra caſum extremæ neceſſitatis nemo tenetur cum periculo morali vitæ, aut gravi jactura bonorum ſuccurrere proximo in ſpiritualibus.*

52 *Graviter periclitante, vel extremè bono communi, ſeu principe tenetur quis cum periculo etiam propriæ vitæ, ei ſuccurrere.*

46 PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono, Hominem teneri velle potiùs ſibi gratiam, & gloriam, quàm univerſo mundo, quid enim ei proderit, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Hinc fit neminem teneri æque ſalute ſua ſpirituali, & proximi periclitante, ſuam exponere periculo, ſiquidem in æquali periculo, tenetur quis ſibi potiùs providere, quàm aliis, ut cum communi ſententia probat Palaus *tom. 1. tract. 2. diſp. 2. p. 9. §. 3. num. 9.* Cum hoc tamen ſtat poſſe quempiam ſi velit, exponere ſe probabili periculo peccandi ob ſalutem ſpiritualem proximi, & etiam ob gravem, & honeſtam cauſam, ut cum Navarro, utroque Sanctio, Suario,
47 Pontio, & aliis Palaus *ſuprà num. 8. & 10.* nam cum periculum peccati non ſit peccatum formaliter, ſed illius occaſio, ex aliqua ratione excuſari poteſt.

48 Secundò ſuppono: Quòd ſi alterius ſalus neceſſariò periclitatur, alicujus verò contingenter: ut contingit, ſi puer apud infideles moriturus ſit, ſine baptiſmo, ſi aliquis non accedat, & ſi accedit timet ſubverſionem, tunc non ſolùm poteſt, ſed tenetur ſe exponere illi periculo ob infantis ſalutem ſpiritualem. Ita cum Bañes, Valentia, Suario, Palaus, *ſuprà num. 9.* Ratio eſt, quia non debet ſpoliari infans jure ſuo, quod habet ad baptiſmum ob infidelium malitiam, vel ob fragilitatem baptizaturi. His ſuppoſitis.

49 Dico primò: In extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis proximi, tenetur homo non ſolùm bona temporalia; ſed etiam vitam expendere, ſi illi ſit ſpes fore profuturum. Ita cum communi ſententia Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 1. p. 7. num. 3. contra Ioannem Sanctium*, quem refert, & probabile putat Baſæus, *verbo charitas num. 18.* Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia præceptum exponendi vitam pro ſalute ſpirituali proximi, in aliquo caſu obligat, aliàs ſupervacaneum eſſet; ergo ad minus obligare debet in caſu extremæ neceſſitatis, hoc eſt, non quando aliquis non poteſt, niſi cum magna difficultate vitare mortem æternam, quamvis phyſicè poſſit, ut voluit Valentia *tom. 3. diſp. 3. queſt. 4. p. 3.* ſed ſolùm quando ſalus proximi phyſicè eſt impoſſibilis, ut ſi infans ſit morti proximus, & ſi quis non ſuccurrat moriturus ſit ſine baptiſmo. Ita cum Hurtado, Coninch. & aliis Cotonius, *verbo vitam exponere num. 3.*

50 Sed quid, ſi quando urget hæc neceſſitas extrema, is qui miniſtraturus eſt baptiſmum, eſſet in peccato mortali, & ad contritionem perdifficilis eſſet, nec poſſet confiteri: teneretur ne, etiam tunc cum periculo vitæ illi ſuccurrere? Reſpondeo adhuc illum poſſe à Deo auxilium ſperare ad contritionem in facto tam urgenti, unde poteſt, & debet periclitanti ſuccurrere, ut bene cum Bañes, Bonacina, Cotonius, *verbo vitam exponere, num. 5. contra Hurtadum.*

51 Dico ſecundò: extra caſum extremæ neceſſitatis phyſicæ, nemo tenetur cum periculo morali propriæ vitæ, aut amiſſionis membrorum, aut gravi jactura bonorum fortunæ, ſuccurrere proximo in ſpiritualibus. Ita cum D. Thom. Navarro, Coninch. Valentia, Bonacina, Saa, Palaus *ſuprà n. 9.* Ratio eſt, quia non decet ſuavitati legis Evangelicæ, ob neceſſitatem proximi, à qua ipſe ſe poteſt liberare, aliquem eſſe arctandum ad propriæ vitæ, bonorumque fortunæ amiſſionem jus enim conſervandi propriam vitam, & ea, quæ vitæ ſunt neceſſaria, eſt maximè naturale. Hinc fit neminem teneri cum periculo vitæ, vel gravi jactura honoris, vel divitiarum impedire proximi peccatum, nec teneri ad Indos proficiſci: tum quia Indi non ſunt in extrema neceſſitate, cum ſint alij ibi, qui ſuccurrant: tum quia non eſt moraliter certum euntem poſſe eis ſuccurrere.

Dico tertiò: graviter periclitante bono ſpirituali proximi, tenetur quis cum levi incommodo ei ſuccurrere, ſi poteſt: Secus ſi proximus tantùm patiatur neceſſitatem levem. Ita cum Saa, Suario, Valentia, Palaus, *ſuprà num. 11.* Ratio eſt, quia gravis neceſſitas ſpiritualis eſt bonum ſuperioris ordinis, quod præferri debet cuilibet jacturæ temporali levi. Excipe principem, paſtorem, & ſuperiorem; nam hi tenentur non ſolùm cum levi incommodo, ſed etiam cum vitæ periculo ſuccurrere gravi neceſſitati ſpirituali cujuſlibet ſubditi, ſi moraliter ſperant remedium profuturum, & alias ex illorum occurſu reliqui ſubditi grave damnum non patiantur, ut ſi princeps vitam neceſſariam pro publico bono, pro vita unius exponeret. Ratio autem eſt, quia ſecluſo hoc caſu, hi ratione officij, & ſtipendij à ſubditis accepti, obligantur cum proprio detrimento illorum ſpirituali neceſſitati ſuccurrere. Ita cum communi ſententia Palaus *ſuprà num. 12.* Hinc fit tempore peſtis, vel perverſionis ab Hæretico, non poſſe paſtorem fugere, niſi relicto aliquo ſufficienti, qui ejus officium gerat. Palaus *ſuprà num. 13.* 52

Dico quartò: Extremè, vel graviter periclitante bono communi, ſeu Republica, ſeu principe neceſſariò ad commune bonum, tenetur quis non ſolùm cum periculo bonorum fortunæ, ſed etiam propriæ vitæ, eis ſuccurrere, ſi alias ſperat auxilium profuturum. Ita cum Suario, Coninch. Palaus *ſuprà n. 10.* Boſæus *verbo charitas, num. 21. contra Ioannem Sanctium diſp. 43. num. 41.* Qui ſolum id admittit in obligatis ex pacto, ut ſunt milites, & alij. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia bonum commune præponendum eſt bono privato, & pars exponenda eſt pro conſervatione totius, quæ omnia à fortiori dicenda ſunt, quando bonum commune ſpirituale Reipublicæ periclitatur. 53

SECTIO IX.

An teneamur ſub mortali in neceſſitate gravi, vel extrema corporali proximi ei cum gravi damno temporali noſtro ſuccurrere?

SUMMARIUM.

54 *Pro bono publico tenetur quis, etiam vitam exponere.*

55 *In æquali ſui, & proximi neceſſitate nemo tenetur ſuccurrere proximo.*

56 *Quid ſi neceſſitas ſit inæqualis?*

57 *In æquali ſui, & proximi neceſſitate poteſt quis ſuccurrere proximo cedendo propriæ conſervationi,*

toni, si detur aliqua specialis ratio, & qualis esse debeat?

58 *Deducitur quoddam corollarium.*

59 *Aliquando teneturne quis unum proximum præ altero diligere, & quando?*

54 SVppono ut certum, debere quemlibet in æquali sui, & Reipublicæ, vel principis necessarij Reipublicæ necessitate, non solùm bona fortunæ, sed etiam propriam vitam pro Reipublicæ, & principis conservatione expendere; bonum enim commune privato præferendum est. Ita cum D. Thoma, Valentia, Suario, & aliis Palaus *tract. 6. disp. 1. p. 8. num. 1. contra Ioannem Sanctum disp. 43. num. 41.* Tamburinum *lib. 5. Decalogi cap. 1. §. 1. num. 7.*

55 Secundo suppono, Quemlibet in æquali necessitate sui, & proximi, præferendum esse: ordo enim charitatis prior est, & cæteris paribus ad se, quàm ad alios. Unde mea, & proximi vita extremè periclitantibus, si utrique nequeo, mihi sine culpa consulere absque dubio possum; at si inæquales sint neces-

56 sitates, agiturque de utriusque vita, ut si proximus privatus sit in extrema, ego in gravi, vel ille in gravi, ego in communi, vel ille in periculo gravi mortis certo, ego in probabili, tunc possum si voluero illi succurrere, non tamen teneor. Ita cum Valentia, & aliis Palaus *suprà num. 2.*

Ratio prioris partis est, quia secundum ordinem charitatis est, ut majus bonum proximi, minori proprio præferatur; sed vita proximi, quæ aliâ viâ conservari non potest, majus bonum est, quàm exclusio probabilis periculi vitæ propriæ; sicut gravius malum est mors certa, quàm periculum illius; ergo secundum charitatem est, in æquali periculo proximi quemlibet se exponere pro conservanda illius vita. Quod autem ad id non teneatur, etiam liquet, quia præceptum de conservanda vita proximi, non obligat cum gravi proprio detrimento; esset enim nimis durum, si ad hoc obligaret; ergo. Tertiò suppono. In bonis, quæ non tenetur quis conservare sub obligatione, posse proximo potiùs consulere, quam sibi; id enim munus est charitatis, quare potest quis pro bono proximi suas divitias profundere, si alios filios, & uxorem, vel debita non habeat. An autem in aliquo casu teneatur bona temporalia expendere pro conservanda vita proximi? *infrà* dicemus. His suppositis.

57 Tota difficultas est. An quilibet peccet contra charitatem, si constitutus in æquali necessitate bonorum, quæ ex præcepto conservare debet, ut vitæ, & corporis, cedat sui conservationi, ut vita, & proximi corpus conservetur? Affirmant Paludanus, Gabriel, & alij, quos refert Palaus *suprà num. 4.* Negat verò Lessius, Coninch. & alij, quos ibi refert Palaus *suprà num. 4.* Ego tamen existimo utramque opinionem conciliari posse, si quis dicat, primam procedere, si nulla intercedat ratio specialis conservandi vitam proximi, potiùs quam suam, ut si sit persona extranea, & ignota: secundam verò procedere, si quis exponeret vitam pro amico, pro benefactore, pro necessario Reipublicæ: nam tunc ratio hæc specialis sufficit, ut quis laudabiliter vitam offerat pro proximo, si aliàs ejus vita aliis necessaria non est, puta filiis, uxori, &c. nam si quis potest pro acquirendo honore, divitiis, &c. vitam exponere, quantò magis pro amico, benefactore, &c. Ita & bene cum Suario, Valentia, Palaus *suprà num. 5.* & cum aliis Cotonius *verbo vitam exponere, num. 7.*

58 Et hinc deduces, licere constituto in extrema necessitate relinquere cibum unicum, & necessarium, ut comedat amicus, vel benefactor paris necessitatis. Item potest quis se exponere feræ furenti, ut amicus evadat; permitti se occidi, ne invasorem occidat; tradere equum amico, ut ab fastibus evadat; dare illi vestem unicam, ut à frigore evadat; tabulam unicam in naufragio, ut salvetur, peste infectis servire, & si mors certa sit, in omnibus enim his, & similibus casibus, quis non concurrit ad suam mortem directè, sed solùm non se tuetur, cùm possit. Ita & bene cum Maldero, Diana, & aliis Cotonius *supra num. 8.*

An autem teneatur quispiam aliquando unum 59
proximum præ alio diligere? Respondeo affirmativè, quia unus præ alio nobis, & Deo conjunctior est. Unde non solùm in effectu externo, sed etiam in affectu, tenetur quis patrem, uxorem, filios, cæteris præponere in casu, quòd omnibus prodesse non posset, ut bene explicat Palaus *tract. 6. disp. 1. p. 10. num. 1. & 2.* Ordo autem habendus in hac prælatione hic est, quòd qui conjunctior alicui est, alteri non tam conjuncto præferatur. Hinc pater præferendus est omnibus, etiam patri spirituali. Deinde mater, uxor, filij, & alij consanguinei suo ordine, deinde cæteri, etsi sanctiores sint. Palaus *suprà num. 7. 9. & 13.* Hæc autem debent intelligi per se, & cæteris paribus, adeoque respectu ejusdem necessitatis, & gradûs, licèt in diverso conjunctionis genere; potiùs enim extraneo in extrema necessitate, quàm consanguineo in leviori, & in spirituali extrema cujusvis proximi, potiùs quàm parentibus in extrema corporali subveniendum est. Ita & bene Basæus *verbo charitas n. 22.*

SECTIO X.

Utrùm teneamur ex charitate in aliquo casu expendere bona temporalia pro conservanda vita proximi? ubi de Eleemosyna.

SUMMARIUM.

60 *Quid sit eleemosyna, & à qua virtute procedat?*

61 *Qua dicatur necessitas extrema, gravis, & communis?*

62 *In extrema necessitate proximi tenetur quis de superfluis vitæ necessariis tamen status, dare eleemosynam?*

63 *Quid si pro succurrenda necessitate extrema alicujus privati deberet quis necessario cadere à suo statu?*

64 *In necessitate gravi tenetur quis sub mortali succurrere proximo ex bonis superfluis statui præsenti.*

65 *Quando in necessitate communi teneatur quis succurrere proximo?*

PRo hujus sectionis intelligentia suppono, Eleemosynam esse alienæ miseriæ sublevationem. 60
Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 3. art. 1.* Hæc autem sublevatio, si procedat eo quod alieni aliena miseria displicet, eamque removere intendit, est actus exterior virtutis moralis charitatis, scilicet misericordiæ; si verò procedat ex voluntate placendi Deo, placet enim ipsi, ut proximis benefaciamus, & eorum miseriam sublevemus, est actus charitatis Theologicæ: quòd si ex motivo aliarum virtu-

Digitized by Google

tum eleemoſyna detur, ut ad redimenda peccata, ex affectu recognoſcendi Deum, &c. tunc erit actus imperatus à Pœnitentia, vel Religione, & ſic de cæteris, ſemper tamen externa ſublevatio miſeriæ procedit immediatè à virtute Miſericordiæ, vel Charitatis. Ita cum communi ſententia Coninch. *diſp.27.dub.2.*

61 Secundò ſuppono. Neceſſitatem in temporalibus, aliam eſſe extremam, aliam gravem, aliam communem. Extrema eſt, quam quis patitur cum probabili, & moraliter certo periculo mortis, quia non habet neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, nec alius adeſt, qui eum adjuvare poſſit, & velit. Et ad hanc reduci poteſt periculum certum mutilationis membri, perpetui carceris, infirmitatis incurabilis. Ideoque neceſſitas horum eventuum vocatur à Doctoribus quaſi extrema. Palaus *tract.6. diſp.2.p.2. num.1.* idque ſive hæc neceſſitas proveniat fortuitò, ſive ex alterius malitia. Secus ſi oriatur ex propria nequitia. Diana *part.5. tract.8. reſol.1. & 7.* Cotonius *verbo eleemoſyna, num.2.* Gravis eſt, quæ hominem conſtituit non in certo, ſed in gravi periculo morbi incurabilis, vel morbi gravis, vel abbreviationis vitæ, vel captivitatis injuſtæ, vel cadendi à ſuo ſtatu, vel cujuſcunque mali gravis. Communis eſt, quâ homines communiter non decedendo à ſuo ſtatu laborant, & cui cum aliqua morali ſolicitudine ſuccurri ab eodem patiente poteſt. Tertiò ſuppono, bona temporalia, alia eſſe cuilibet neceſſaria ad vitæ propriæ, ſuorumque ſuſtentationem, alia ad ſtatum ſuum decenter conſervandum, alia quæ nec vitæ, nec ſtatui ſunt neceſſaria, quæ ſuperflua vocantur. His ſuppoſitis.

62 Dico primò: In extrema, vel quaſi extrema proximi neceſſitate, tenetur quis eleemoſynam de ſuperfluis vitæ, etiamſi neceſſariis ſtatui dare; ordo enim Charitatis poſtulat per ſe loquendo, & cæteris paribus, ut proximi vitam plutis faciamus, quàm dignitatem propriam, & vita proximi præferenda eſt decenti noſtro ſtatui. Ita cum D.Thoma, & aliis communiter Palaus *tom.1. tract.6. diſp.2. p.2.n.5.* & cum aliis multis Malletus, *malleatione 2. bractea 32.* Baſæus, *verb.eleemoſyna, num.4.* Eſt autem hæc obligatio tantùm ex charitate, [excipe obligatos ex officio, ut ſunt Paſtores, Principes temporales, dominus indigentis, vel cui in Republica incumbit cura Pauperum. Malletus *ſuprà bractea 33.*] Vnde ſi quis præter annumeratos huic obligationi non ſatisfaciat, non tenetur ad reſtitutionem. Ita cum Mendoza, Bellarmino, Diana, Cotonius, *verbo eleemoſyna num.3. contra Vaſquium*, & alios, quos *ibi* refert.

63 Dico ſecundò: Si pro ſuccurrenda neceſſitate extrema cujuſcunque hominis privati, ita exponenda ſint alicujus bona ſuo, ſuorumque ſtatui neceſſaria, ut abſque illis nullâ ratione conſervari ſtatus poſſit, ſed neceſſariò ab illo cadere debeat, non tenetur cum tanto damno ſuccurrere proximo in neceſſitate extrema laboranti, bene tamen cum aliquo detrimento non deprimente ſtatum. Ita cum Mendoza, Diana, Cotonius *verbo eleemoſyna n.12.* & cum Coninch. Palaus, *ſuprà num.6.* Ratio eſt, quia nemo tenetur ſuccurrere arctiùs vitam proximi, quàm propriam; ſed propriam non tenetur ſuccurrere cum amiſſione proprij ſtatûs; ergo nec vitam proximi. Dixi hominis privati; nam pro conſervatione hominis, ex cujus vita notabiliter pendet ſalus Reipublicæ, tenetur quis, etiam cum periculo vitæ, ei ſuccurrere in neceſſitate extrema, bonum enim commune præponendum eſt privato. Baſæus *verbo eleemoſyna n.4.* Malletus *ſuprà bractea 33.* Imò addo non teneri quempiam, etiam divitem, magnas divitias, v.g. tres, aut quatuor mille aureos expendere pro redimenda vita cujuſlibet privati, etiamſi ob id ab ſtatu cadere non debeat; ille enim ſumptus, in morali æſtimatione Reipublicæ, & quoad utilitatem Reipublicæ, pretioſior eſt, quàm vita hominis privati. Ita cum Coninch. Palaus *ſuprà num.7.* & cum Diana, Cotonius *ſuprà num.14.*

64 Dico tertiò: In neceſſitate gravi tenetur quis ſub mortali ſuccurrere proximo graviter indigenti ex bonis, quæ ſuo ſtatui præſenti ſuperfluunt, etiamſi forent neceſſaria ad conſecutionem altioris ſtatus. Ita cum Suario, Torres, Bellarmino, Valentia, Coninch. Palaus *ſuprà num.15.* Thomas Tamburinus *lib.1. Decalogi cap.1. §.3. num.5.* contra Medinam, Gerſon, quorum ſententiam probabilem putat Bonacina, quem refert Palaus *ſuprà num.10.* Baſæus *verbo eleemoſyna num.5.* Tamburinus *ſuprà n.15.* Ratio reſolutionis ſumitur ex illo Joannis 3. *qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Tum quia virtus charitatis jubet proximo ſuccurrere ſine gravi incommodo: at ſuccurrere ex bonis ſuperfluis ſtatui præſenti incommodum grave non affert; ergo. Dixi ſuperfluis ſtatui præſenti, ut innuerem non ſatis eſſe, ut bona non dicantur ſuperflua, quòd ſint neceſſaria ad comparandum nobiliorem ſtatum, ut voluit cum Granado, Diana, Cotonius *verbo eleemoſyna num.13.* Lugo *in reſponſis lib.1. dict. 11.* & probabile putavit Tamburinus *ſuprà num.14.* Sed ſatis eſſe ad hoc, ut dicantur ſuperflua, quòd ad ſtatum præſentem conſervandum non ſint neceſſaria, ut bene cum Coninch, Torres, Lorca, Suario, Palaus, *ſuprà n.14.* aliàs vix in ſæcularibus, etiam principibus eſſet, qui ſuperflua haberet, unde ferè omnes deobligarentur in hoc caſu ab eleemoſyna, quod contrarij Authores non verentur aſſerere.

65 Dico quartò: In communi neceſſitate tenetur quis ſub mortali aliquando adjuvare proximum, ſatis tamen erit, ſi ex ſuperfluis ad præſentem, & futurum prætenſum ſtatum det pauperibus aliquam interdum eleemoſynam, ut ſi ex centum aureis annuis duos det, ex ducentis quatuor, &c. proportionaliter. Ita Tamburinus *ſuprà num.17.* & cum Valentia, Suario, Bonacina, Palaus *ſuprà num.15. contra Dianam*, quem refert, & ſequitur Cotonius *verbo eleemoſyna num.9.* Suarium, Navarrum, Malderum, quos refert Baſæus *verbo eleemoſyna, num.5.* nullam in hoc caſu obligationem ſub mortali agnoſcentes. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia dives habens ſic ſuperflua, & nunquam eleemoſynam tribuens, vel longo tempore omittens, pluribus egenis poſtulantibus Reipublicæ grave detrimentum infert, cum totum onus alendi pauperes in ipſam transferat, nec illi ſubſidium præſtet, cùm poſſit. Hinc ſit Advocatum peccare mortaliter non ſuſcipiens patrocinium pauperis, & Medicum, & Chirurgum non præſtando opera ſua indigenti, ſi aliàs id poſſunt facere ſine incommodo. Malletus *ſuprà, bractea 32.* Secundò ſit non teneri divitem proximum egenum quærere, ut ei eleemoſynam tribuat, ſed ſatis eſſe ſi paratus ſit ſubvenire, cùm ejus neceſſitas illi conſtet. Palaus *ſuprà num.3.*

SECTIO

SECTIO XI.

Utrum quilibet satisfaciat obligationi Eleemosynæ, si rem quâ proximus indiget, mutuet, vel dilatâ solutione vendat, vel donet sub conditione, ut reddat acceptum, si ad pinguiorem fortunam venerit?

SUMMARIUM.

66 *Si proximus solum indiget rei usu, nemo tenetur ei dare, nisi usum.*

67 *Si proximus hic indigens alibi habeat bona, nemo tenetur ei dare rem, qua indiget, sed sufficit si eam ei mutuò det, vel vendat.*

68 *Proximo extremo indigenti tenetur quis rem, qua indiget absolutè illi dare, & non sufficit si mutuo, vel sub conditione det.*

69 *Quando quis eleemosynam mutuo dat non potest in pactum lucrum cessans deducere.*

66 SUppono ut certum. Quòd si proximus non re, sed solo usu illius indiget, neminem esse obligatum rem donare, sed usum, ut si indigeat equo, vel alia re, quæ transacta occasione necessitatis perseverat, non tenetur quispiam illum ei donare, si donet illius usum, quia solus usus est illi necessarius.

67 Secundò suppono. Quòd si proximus indigens hic, & nunc re alicujus, alibi habeat bona, quibus satisfacere possit, vel spem proximam habendi ex successione, vel proprio labore, & industria non alieno à suo statu, quemlibet satisfacere huic obligationi, si rem illam mutuò det vel vendat, quia hic non est absolutè pauper, indiget enim tantùm pro aliquo loco, tempore, &c. Ita cum Suario, Valentia, Bonacina, Palaus, *tract.6. disp.2. part.4. num.2.* Basæus *verbo eleemosyna num.7.*

Difficultas igitur est, quando proximus est in extrema necessitate, & non habet aliundè bona, quibus danti traditum reddere possit, nec spem habendi illud absque notabili difficultate, an tunc tentatur quis illi gratis dare, an verò satisfaciat mutuando? Affirmant multi satisfacere mutuando, vel vendendo, si ponatur conditio, ut restituat tempore lautioris fortunæ. Ita Navarrus, Toletus, Adrianus, Covarruvias, Vasquius, Lessius, quos refert Palaus, *supra*

68 *num.4.* Verùm probabilius existimo neminem satisfacere huic obligationi mutuando, vel conditionatè dando, sed debere absolutè donare. Ita cum Azorio, Maldero, Filliucio, Diana, Basæus, *verbo eleemosyna num.7.* Valentia, Coninch. Reginaldo, Palaus, *supra num.5.* Ratio est, quia præceptum obligat ad actum virtutis eleemosynæ, non verò ad alium actum; ergo per alium actum præcepto non satis-facit.

Quæ ratio adeò urgens est, ut etiam probet, quòd quoties quis in gravi, vel etiam communi necessitate tenetur proximo succurrere, non satisfacere huic obligationi mutuando, vel tradendo sub conditione, sed absolutè debere dare. Ita cum Coninch.

69 Valentia, Suario, Palaus, *supra num.6.* Advertè tandem, quòd quando quis eleemosynam mutuò facit, non posse sic mutuantem lucrum cessans deducere in pactum. Ratio est, quia cum teneatur mutuari, non potest lucrum licitè acquirere ex mutuo. Ita cum Vasquio, Palaus, *supra num.7. contra Bonacinam de charitate, disp.3.q.4.p.6.n.16.*

SECTIO XII.

An Ecclesiastici arctiùs obligentur ad eleemosynam, quàm sæculares, & quæ sit hæc obligatio?

SUMMARIUM.

70 *Ecclesiastici in casibus in quibus sæculares tenentur elargire eleemosynam arctius obligantur.*

71 *Ecclesiastici de bonis patrimonialibus non tenentur facere eleemosynam, nisi in casibus, in quibus tenentur sæculares.*

72 *Ecclesiastici si bona patrimonialia in propriam substentationem, vel opus pium insumant, totidem possunt compensare de fructibus beneficij.*

73 *Beneficiarij tenentur expendere in eleemosynas, vel pia opera quæ ex fructibus beneficij sua congruæ sustentationi supersunt.*

74 *Graviter peccat beneficiarius, qui superflua sui status in re gravi donaret venatoribus, histrionibus, &c.*

75 *Quæ quantitas censeatur gravis?*

76 *Quantum ex fructibus beneficij, quæ supersunt sua congruæ sustentationi teneatur beneficiarius pauperibus elargiri.*

SUppono primò: In omnibus casibus, in quibus sæculares tenentur facere ex præcepto eleemosynam, arctiùs obligatos esse Ecclesiasticos ad eam faciendam, quia ratione status debent esse patres pauperum, & aliis exemplum. Difficultas igitur 70
est, an Ecclesiastici teneantur in casibus, in quibus laïci non obligantur: Secundò suppono, bona clerici esse in duplici differentia, alia patrimonialia, quæ successione, donatione, labore, vel industriâ obveniunt. Alia quæ in stipendia Missarum, Sermonum, Officiorum, Capellaniarum, & aliorum munerum spiritualium tribuuntur, alia quæ ex beneficio recipiuntur, qualia sunt annui fructus ex decimis. His suppositis.

Dico primò: Ex bonis patrimonialibus, & ex 71
illis quæ in stipendia munerum spiritualium Ecclesiasticis tribuuntur, ut sunt stipendia Missarum, distributiones quotidianæ, quæ interessentibus divino Officio tribuuntur, stipendia mortuorum, eleemosynæ Concionum, & stipendia Capellaniæ, etiam collativæ, vel stipendia, quæ eis pro aliquo labore, puta visitatione, vel alio tribuuntur, non alia via obligantur Clerici facere eleemosynam, quàm Laïci, quia eodem modo illa possident, ac si Laïca essent. Ita cum Hurtado, Sanchez, Diana, & aliis Cotonius *verbo eleemosyna num.18.* Vnde si Clericus hæc bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia in suam sustentationem insumat, totidem poterit compensare ex fructibus beneficij, & illa in quos usus voluerit insumere; quia integra sustentatio debetur beneficiato ex fructibus beneficij. Et idem dicendum est, si in opera pia fructus 72
patrimoniales insumat: tantundem namque poterit ex fructibus beneficij accipere, quæ in opera pia debebant expendi: Excipe nisi voluntatem expressam habuisset non faciendi recompensationem. Et idem dicendum est de eo, quòd parce vivendo minùs insumpsit, quàm insumere posset in suam congruam sustentationem, nam de sic reservatis poterit disponere, ac de patrimonialibus, & in his con-

venſunt DD. quos abundè refert, & ſequitur Palaus *tract.6. diſp.2.p.5.num.5.uſque ad 7.*

73 Dico ſecundò: Beneficiarij tenentur ſub mortali elemoſynam facere, vel in alia pia opera expendere omnia bona, quæ ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi ſuperſunt. Ita communiter DD. quos larga manus refert, & ſequitur Palaus *ſuprà n.6.* Provenit autem hæc obligatio, tum ex Tridentino *ſeſſ.25. cap.1.de reformatione.* Tum jure naturali, ut rectè cum communi ſententia probat Palaus *ſuprà num.6.* Cotonius *verbo eleemoſyna num. 17. contra Sotum*, qui *lib.10. quæſt.4. art.3.* tantùm eſſe ex jure poſitivo affirmat. Ratio eſt, quia hæc bona non cenſentur data à fidelibus, niſi in ſuſtentationem miniſtrorum, & ad pauperum miſeriam ſublevandam, bonaque opera facienda, unde comprehendit omnes beneficiarios, & etiam Papam; nec Papa in hoc præcepto poteſt diſpenſare, ut rectè cum Sanchez notavit Cotonius, *ſuprà,*
74 *contra Cordubam.* Et hinc fit graviter peccare Beneficiarium; qui hæc ſuperflua ſui ſtatûs in quantitate gravi donaret venatoribus, hiſtrionibus, aucupibus, paraſitis, & ſimilibus, quia nec eſt opus pium, nec ſtatum Eccleſiaſticum decet. Ita cum Vaſquio, Palaus, *ſuprà num.6.*

75 Sed quæres, quæ quantitas ex fructibus, qui ſuperſunt ſuſtentationi congruæ beneficiarij, dicatur gravis, quam ſi beneficiarius in profanos uſus expendat peccet mortaliter? Reſpondeo requiri quartam partem horum annuorum reddituum. Ita cum Coninch. Molina, Palaus *ſuprà num.6.* Advertè tamen ad congruam ſuſtentationem beneficij pertinere non ſolùm ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſe, tuámque familiam alendam; ſed etiam ea, quæ ſunt neceſſaria ad moderata convivia cum amicis, & conſanguineis exhibenda, vel ad hoſpites recipiendos, ad donationes remuneratorias, & liberales moderatas, & multo magis ſi fuerint neceſſariæ, ut ſi patribus, aliiſque conſanguineis alimenta adminiſtret, ſi fortè pauperes ſint, quibus poſſint vivere, ita honeſtè ut dedecus non ſit beneficiarios eos parentes habere. Ita cum Navarro, Coninch. Toleto, Palaus *ſuprà num.9.* Ad hanc etiam congruam ſuſtentationem pertinet ſuſtentatio filiorum ſpuriorum, ſi, quod abſit, beneficiarius illos habeat, quia, ſuppoſito delicto, ſuſtentatio illis jure naturæ debetur, unde illos poteſt dotare juxta qualitatem beneficiati, etiam ex fructibus beneficij, ſi aliàs non habeat patrimoniales. Ita cum Molina, Palaus, *ſupra.*

76 Si tamen quæras quantùm ex fructibus, qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt teneatur beneficiarius pauperibus elargire? Reſpondeo ſatisfacere ſuæ obligationi ſi ex ſuperfluis det quartam partem, & cætera in pios uſus conſumat. Imò ſi beneficiarius non fuerit, Epiſcopus ſi fficit, quòd quintam partem, vel ſextam pauperibus diſtribuat, & cætera in pios uſus expendat. Ita cum Granado, Diana, Cotonius, *ſuprà num.18.* Excipe in neceſſitatibus gravibus: nam in his tam Epiſcopi, quàm alij beneficiati, etiam non curati tenentur omne ſuperfluum in eleemoſynas elargiri, Diana *part.5.tract.8. reſol.27.* An autem in neceſſitatibus ordinariis teneantur beneficiati quærere pauperes, ut eleemoſynam tribuant? Reſpondeo curatos teneri, non verò cæteros. Ita cum Sanchez, Diana, Cotonius *verbo eleemoſyna num.18.*

SECTIO XIII.

An beneficiatus peccet contra juſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur, ſi quæ ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, in profanos uſus conſumat?

SUMMARIUM.

77 *Beneficiarius ſolum ex charitate tenetur, quæ ſuperſunt ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi pauperibus elargiri.*
78 *Si ſuperflua in profanos uſus conſumat, non tenetur ad reſtitutionem.*
79 *Beneficiati ſunt domini ſuorum reddituum.*
80 *Idem dicendum eſt de penſionariis Eccleſiaſticis.*
81 *Beneficiati regulares non habent dominium ſuper fructus beneficij, ſed Monaſterium.*
82 *Si aliqua alienent in uſus ſuperfluos, alienatio eſt nulla.*
83 *Religioſus aſſumptus ad epiſcopatum non habet dominium reddituum illius, ſed tantum eſt penes Eccleſiam.*
84 *Si aliquid prodigè diſtribuat, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem.*

77 Dico primò: Beneficiatus non tenetur ex juſtitia, quæ ſuperſunt ſuæ congruæ ſuſtentationi ex redditibus beneficij pauperibus elargiri, ſed tantùm ex charitate. Vnde ſi illa in profanos uſus inſumat, non tenetur ad reſtitutionem. Hæc concluſio his temporibus eſt communior inter DD. ita
78 cum utroque Molina, Covar. Sarmiento, Coninch. Leſſio, Valentia, Palaus, *tom.1.tract.6. d.2.p.6.n.5.* & cum Diana, & aliis Cotonius, *verbo eleemoſyna, num.18.* Ratio eſt, quia nemini eſt imponenda obligatio juſtitiæ, ſine manifeſto textu, vel ratione, ſed nec textus, nec ratio datur hanc obligationem perſuadens, ergo & quidem quòd non detur textus patet, quia nullus afferitur id convincens, nam omnes explicantur de obligatione ex charitate, ut rectè exponit Palaus, *ſuprà num.5.*

Quod verò nec ratio afferatur efficax etiam probatur: quia ſi quæ poſſet afferri eſſet illa, quod iſta bona ea conditione à fidelibus cenſentur donata, ut ſi quæ ſuperfuerint pauperibus diſtribuantur; ſed de hac conditione nullibi conſtat, ſed potiùs contrarium, & iſta conditio explicari poteſt de obligatione ex charitate, ergo. Hinc fit beneficiatos 79
eſſe veros dominos omnium ſuorum reddituum, & ſolùm teneri ex charitate, ſtrictiori tamen modo, quàm ſæculares pauperibus ex ſuperfluis ſuæ ſuſtentationi ſubvenire modo dicto. Ita cum Diana, Cotonius, *ſuprà num.18.*

An autem hoc idem dicendum ſit de Penſionariis, ac de aliis beneficiatis? Reſpondeo de Penſionariis Eccleſiaſticis idem eſſe dicendum, nam cùm 80
hæc ſit pars fructuum Eccleſiaſticorum eſt vere beneficium Eccleſiaſticum, ut bene cum Hurtado, Diana, Cotonius, *verbo eleemoſyna, num.17.* Secus dicendum eſt, ſi penſio laïca ſit, ut ſunt comendæ, quæ dantur equitibus ordinum militarium titulo laïco. Ita cum Mendoza, Diana, Cotonius, *ſuprà numero 17.* & cum Vaſquio, Garcia, Palaus, *ſuprà num.2.*

Sed quæres quid dicendum ſit de beneficiatis re- 81
gularibus. Reſpondeo certum eſſe regularem aſſumptum

Digitized by Google

ptum ad aliquod beneficium, ſive regulare, ſive ſæculare, nullum habere dominium reddituum beneficij, ſed penes monaſterium eſſe, ipſiſque ſolum concedi adminiſtrationem ad uſus pios, & non aliter. Vnde ſi aliquid in ſuperfluos uſus conſumant, & peccant mortaliter, & alienatio facta eſt nulla.

82 Quæ debent intelligi, non ſolùm de beneficiis amovibilibus ad nutum prælati, ſed etiam de beneficio perpetuo, & quod à prælato auferri non poteſt; ratione enim voti paupertatis non poſſunt habere dominium, quidquid reclamet de beneficiatis perpetuis Vaſquius *de redditibus cap.* 3. *dub.* 8. nullibi enim invenimus votum paupertatis his regularibus beneficiatis, etiam perpetuis, ut ſunt Epiſcopi, vel aliis ſublatum eſſe; vel diſpenſatum, ut recte probat Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 2. *p.* 8. *num.* 1.

83 Hinc fit Religioſum aſſumptum ad Epiſcopatum non habere dominium redditum ſui Epiſcopatus, ſed dominium eſſe penes ſuam Eccleſiam, & illum ſolùm habere plenam, perpetuam, & liberam ad-

84 miniſtrationem illorum redditum in uſus pios. Vnde ſi aliqua prodigè diſtribuat, & peccat contra juſtitiam & accipiens tenetur ad reſtitutionem. Ita cum Sanchez, Coninch; Valentia, Navarro, & aliis multis Palaus *ſuprà num.* 3. & 5. contra Sotum, Vaſquium, Medinam, Gratianum, & alios quos refert Palaus *ſuprà num.* 2.

SECTIO XIV.

An debitor extremam neceſſitatem patiens teneatur reſtituere rem acceptam, ſeu ſolvere debitum creditori ſimili neceſſitate laboranti?

SUMMARIUM.

85 *Patiens extremam neceſſitatem poteſt aliena ſurripere.*

86 *Idem poteſt facere graviter indigens, ſi alia via non poſſit ſuccurri.*

87 *Quid ſi ante gravem, vel extremam neceſſitatem quis rem alienam accepit ex aliquo contractu.*

88 *Debitor extreme laborans non tenetur rem acceptam, ſive ex contractu, ſive non, reſtituere creditori ſimili neceſſitate laboranti.*

89 *Quid ſi eam injuſtè acceperit, quando dominus eadem neceſſitate laborat?*

90 *Debitor in gravi neceſſitate non tenetur rem acceptam ex contractu domino in ſimili neceſſitate reſtituere.*

91 *Quid ſi rem injuſtè poſſidet?*

91 *Quid ſi creditor ſit in extrema neceſſitate?*

85 SVppono patientem extremam neceſſitatem poſſe aliena ſurripere, ſi aliâ viâ ſibi ſuccurrere non poteſt. Nec poſtea ad meliorem fortunam veniens tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia cum in extrema neceſſitate omnia ſint communia, non dicitur accipere alienum, ſed proprium, modò de illa re nihil ſuperſit tranſacta neceſſitate. Ita Malletus, *malleatione* 2. *bractea* 34. Baſæus, *verbo eleemoſyna num.* 9. & nos *infra* dicemus. Vnde ſi extremam patiens neceſſitatem à divite rem valde pretioſam acciperet, nec peccaret, nec poſtea teneretur ad reſtitutionem, ſi tranſacta neceſſitate nihil ſuperſit. Ita Tamburinus *lib.* 5. *Decalogi cap.* 1. §. 3. *n.* 12. *contra Palaum, tract.* 6. *d.* 2. *p.* 9. *n.* 7.

Secundò ſuppono in gravi neceſſitate poſſe pauperem, ſi aliâ viâ ſuccurri non poſſit, clam à divite 86
aliena ſurripere, ſi alias illi non conſtet eſſe alios graviter indigentes, quibus dives vult ſuperflua ſui ſtatus elargiri. Ita & bene cum Navarro, Vaſquio, Leſſio, Coninch. Palaus, *tract.* 6. *d.* 2. *p.* 9. *num.* 5. Ratio eſt, quia in hoc caſu tenetur dives ex charitate de ſuperfluo ſui ſtatus graviter indigenti ſuccurrere, ergo ſi illi de neceſſitate pauperis conſtet, & illi non providerit, poteſt pauper clam ſibi providere, ſi poteſt abſque ſcandalo. An autem tranſacta neceſſitate ad pinguiorem fortunam veniens teneatur ad reſtitutionem? *infra* dicemus *tract.* 10. *d.* 9. *ſect.* 8. *dict.* 4.

Tertiò ſuppono, Quod ſi quis ante neceſſitatem 87
extremam rem alienam accepit ex aliquo contractu transferente dominium, ut exemptione, mutuo, &c. teneri tranſacta neceſſitate, ſi ad pinguiorem fortunam deveniat ad reſtitutionem: nam tunc rem ſuam conſumpſit, & obligatio ex contractu tradendi rem adhuc perſeverat. Ita cum Coninch, Vaſquio, Diana, Palaus, *tract.* 6. *d.* 2. *p.* 10. *num.* 2. Secus dicendum eſt ſi rem ex contractu non transferente dominium accepit, ut ſi pignore, vel depoſito accepit, nam cum dominium apud illius dominum ſit, ſicut ab eo poterat alia ſurripere; ita & hæc. Ita & bene cum Azorio, Torres, Petro Navarra, Bonacina, Leſſio, Palaus, *ſupra num.* 2. Malletus, *malleatione* 2. *bractea* 34. Et idem dicendum exiſtimo de re quam ante neceſſitatem furatus fuerat, ſi in extrema neceſſitate conſumpſit: nam per conſumptionem cenſetur reſtituere, ſiquidem dominus tenebatur eam illi tradere, ut eam conſumeret. Ita & bene cum Petro Navarra, Coninch. Leſſio, Palaus, *ſuprà numero* 3. contra Vaſquium: his ſuppoſitis.

Tota difficultas eſt, An debitor extremam ne- 88
ceſſitatem patiens teneatur, rem acceptam reſtituere, ſeu ſolvere debitum creditori ſimili neceſſitati laboranti? Reſpondeo per ſe minimè teneri, ſive rem acceperit medio contractu, ſive non. Imò in tali caſu uxor, Avus, Parentes, filij, & ſecundum quoſdam, etiam fratres, poſſunt creditori perferri, nam ſtrictius eſt debitum naturale, quod illis debetur, quam debitum morale, quo tenemur erga creditorem. Ita cum Toleto, Reginaldo, Soto, Aragonio, Baſæus, *verbo eleemoſyna num.* 8. Malletus *malleatione* 2. *bractea* 34. Temperanda tamen 89
eſt hæc ſententia, modo debitum non acceperit injuſtè, dum verus dominus eadem neceſſitate laborabat, tunc enim ſi eadem res in ſpecie perſeveret, tenetur eam reſtituere domino eadem neceſſitate laboranti. Secus dicendum eſt de eo, qui rem accepit etiam injuſtè ante neceſſitatem extremam domini, vel rem termino conſtituto non ſolvit, vel quando res injuſtè ſublata tempore extremæ neceſſitatis domini in propria ſpecie non exiſtit, quia tunc melior eſt conditio poſſidentis. Ita cum aliis Palaus, *ſuprà num.* 3. & 4. Baſæus, *ſuprà num.* 8.

An verò debitor in gravi neceſſitate conſtitutus 90
teneatur reddere debitum creditori in ſimili neceſſitate gravi laboranti? Reſpondeo quod ſi debitor non habet ex contractu transferente dominium non teneri, nam tunc melior eſt conditio poſſidentis. Et idem dicendum eſt, ſi quis rem habeat ex contractu depoſiti, precarij, commodati, & tempus conſtitutum non ſit tranſactum; quia licèt dominium apud debitorem non ſit, eſt tamen illi juſta poſſeſſio illarum rerum, cum adhuc tempus contractûs non ſit finitum; ergo pro tunc melior eſt conditio poſſidentis. Ita cum Vaſquio, Bonacina, Palaus, *tract.* 6. *d.* 2. *p.* 11. *num.*... Secus dicen- 91
dum

Digitized by Google

dum existimo de debitore, qui injuste retinet rem alienam, quia vel furto accepit, vel finitum est tempus depositi, &c. nam tunc cum dominus suæ rei dominium habeat, & debitor injuste possideat, tenetur etiam cum gravi suo detrimento eam tradere domino existenti in æquali necessitate. Malletus
92 *malleatione 2. bractea* 34. Et idem dicendum existimo, quando creditor est in extrema necessitate, debitor vero in gravi, nam tunc sive debitum sit ex contractu, sive ex injusta acceptione, semper tradendum est creditori. Ita Malletus *suprà bractea* 34.

SECTIO XV.

De quibus bonis facienda sit eleemosyna?

SUMMARIUM.

93 *Eleemosyna danda est ex bonis propriis.*
94 *Quomodo facienda de bonis, quæ in communi possidentur?*
95 *Ad sublevandam extremam necessitatem proximi potest quis surripere alienum si proprium non habet.*
96 *Turpiter acquisita ob circumstantiam accidentalem actionis possunt dari in eleemosynam.*
97 *Turpiter aquisita per actionem injustam ut furto, usuris, &c. non possunt dari in eleemosynas.*
98 *Quid si Dominus ignoretur, & alienum fuerit per minutas actiones acquisitum?*
99 *Ille cujus bona sunt Fisco addicta ob aliquod crimen, dum illa possidet, potest in eleemosynas distribuere si id in fraudem Fisci non faciat.*

93 DIco primò: eleemosyna danda est ex bonis propriis, ut patet *Luca* 18. Frange esurienti panem tuum. Tum quia per eleemosynam transfertur dominium; hoc autem transferri non potest, nisi à domino rei, vel ejus authoritate. Ita cum communi sententia Basæus, *verbo eleemosyna, num.* 13. Hinc fit non posse quem de bonis alienis facere eleemosynam, eo quod dominus negligens sit in ea facienda. Excipe nisi habeat consensum Domini, qualem censetur habere administrator, servus, filius, de bonis paternis, uxor de bonis viri, servus de bonis heri, & Religiosus de bonis monasterij, nam hi per consensum rationabiliter præsumptum aliquam possunt facere eleemosynam, ut suo loco dicemus. Basæus *suprà num.* 13. Malletus *suprà, bractea* 35.

94 Secundò fit, de bonis quæ in communi possidentur, ita ut singulis sua portio debeatur, non posse fieri eleemosynam, nisi de omnium consensu, cùm quilibet suæ partis dominus sit, Malletus *suprà n.* 14. Secùs dicendum est de bonis, quæ collegialiter possidentur. Nam de his potest fieri eleemosyna absque consensu singulorum, de solo consensu superioris, vel majoris partis capituli, quia ad bonam administrationem horum bonorum pertinet, ut aliquid in eleemosynas distribuatur. Ita cum Reginaldo, Filliucio, Basæus, *suprà n.* 15.

95 Dico secundo: qui non habet unde possit ex propriis bonis necessitatem pauperum sublevare, potest aliena capere ad sublevandam extremam pauperis necessitatem, nec tunc tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia. Malletus *suprà bractea* 35. Basæus *suprà n.* 15. Imò addo, quòd quoties pauper tantam patitur necessitatem, quod possit alienum capere posse alterum qui non habet unde illi subveniat aliena capere, ut ei succurrat, quia tunc dominus non censetur rationaliter invitus. Basæus *suprà n.* 13. Malletus *suprà bractea* 35.

Dico tertiò: turpiter acquisita ob circunstantiam 96
accidentalem actionis, ut ex meretricio, vel homicidio patrato, &c. possunt dari in eleemosynam, quia talium rerum juste acquiritur dominium. Ita cum communi sententia Malletus *suprà, bractea* 36. Secùs dicendum est de turpiter acquisitis ob actionem injustam v.g. furto, usura, simonia, &c. nam cum harum rerum non acquiratur dominiũ, non possunt dari in eleemosynam. Excipe si res jam non extet 97
in propria specie, & eleemosynam distribuens ob id non reddatur impotens ad restituendum injuste acquisitum, nam tunc ex propriis facit eleemosynam Palaus *tract. 6. d. 2. p. 12. num.* 3. Basæus *suprà*, Malletus *suprà, bractea* 36. Excipe 2. si res partes 98
minutissimas à multis sit furata, nam tunc si extet magna summa, & domini ignorentur, vel leviter damnificentur, potest tota illa summa à possidente pauperibus restitui, Basæus *num.* 16.

An autem ille cujus bona fisco sunt ipso facto addicta ob aliquod crimen possit ea inter pauperes distribuere? Respondeo posse non solùm in extrema, 99
sed etiam in gravi, & communi necessitate, si hoc non faciat in fraudem fisci, sed ad sublevandam miseriam pauperum, siquidem non est privatus absolute dominio bonorum suorum, nec teneturille fisco tradere ante sententiam judicis. Ita cum Sanchez, Basæus, *suprà n.* 17. contra Azorium, & alios.

SECTIO XVI.

Qui possint facere eleemosynam?

SUMMARIUM.

100 *Solum qui habet dominium, & administrationem rerum suarum potest facere eleemosynam.*
101 *Quid dicendum sit de servo?*
102 *Quid de famulis?*
103 *Quid de filiofamilias?*
104 *Quid de Religioso administratore bonorum conventus?*
105 *Quid de aliis Religiosis, qui talem administrationem non habent?*
106 *Quid dicendum de uxore?*

DIco primò: illi qui rerum suarum habent do- 100
minium, & plenam administrationem, possunt facere eleemosynas, minime verò, qui tale dominium non habent, & administrationem, nisi forte faciant id de licentia, vel consensu præsumpto domini: in hoc conveniunt DD.

Hinc fit, Mancipium non posse facere eleemosy- 101
nas, nisi de illis, quæ à domino conceduntur sibi, si aliquid subtraxerit, nam tunc censetur consensus domini. Et idem dicendum est, si aliquid proprium habeat. Palaus *tr. 6. d. 2. p. 15. n. 4. & 5.* Et idem dicen- 102
dum est de famulis, nam hi nisi de proprio, si forte quid habeant, vel de sibi concesso, si quod subtrahant, vel si rarò aliquid parvum dent, vel in extrema necessitate: nam tunc censetur consensus domini, in nullo alio casu possunt facere eleemosynas de bonis domini. Malletus *suprà n.* 37. Palaus *suprà n.* 4.

Secundò

103 Secundò ſit Filiumfamilias non poſſe facere eleemoſynas, niſi in ſequentibus caſibus, primò de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, non tamen de adventitio, vel profectitio. Secundò poſſunt facere eleemoſynas tenues de bonis patrum, quas ſolent filij ſuæ authoritatis; nam tunc adeſt conſenſus patris. Tertiò quando peregrinantur, vel ſunt in ſtudio, nam tunc poſſunt facere eleemoſynas, quas alij ſuæ conditionis faciunt. Quartò quando accipiunt certam ſummam pro ſua ſuſtentatione ſi reſtringant expenſas, poſſunt quod ſupereſt in eleemoſynas erogare. Quintò quando eſſet extrema proximi neceſſitas, nam tunc omnia ſunt communia. Malletus *ſuprà bractea* 34.

104 Tertiò ſit Religioſum adminiſtratorem bonorum monaſterij poſſe facere eleemoſynas juxta præſcriptum regulæ, & conſtitutionem ordinis, alij autem Religioſi non poſſunt facere eleemoſynam de bonis monaſterij, niſi in ſequentibus caſibus. Primò quando Religioſus eſt extra monaſterium cauſa ſtudiorum, vel alterius negotij: nam tunc cum ſit adminiſtrator eorum bonorum, quæ pro eo tempore ei conceduntur, cenſetur adeſſe conſenſus ſuperioris.

105 Palaus *tract. 6. d. 2. p. 13. num. 9.* Secundò quando ſuperior adiri non poteſt, & occurrit gravis neceſſitas, nam tunc de ſuperfluis monaſterij poſſunt facere eleemoſynam ſub ſpe ratihabitionis. Tertiò quando eleemoſyna eſſet exigua, quia tunc præſumitur conſenſus ſuperioris, ſed hoc rarò admitterem, quia obſtat hæc diſpoſitio rectæ gubernationi domus, ut cum Lorca, Leſſio, Torres, notat Palaus *ſuprà num. 9.*

106 Quartò ſit Vxorem non poſſe de dote, aut bonis communibus facere eleemoſynam, ſine conſenſu mariti; quia eſto habeat dominium illius, non tamen habet adminiſtrationem. Ita Palaus *ſuprà num. 11.* Vnde ſolùm in ſequentibus caſibus poteſt facere eleemoſynam. Primò ſi eas faciat de bonis paraphernalibus, & de illis quorum habet dominium, & expeditam adminiſtrationem ſecundùm diverſa jura Regnorum, de quibus ſuo loco. Secundò quando uxori relicta eſſet adminiſtratio, & diſpenſatio bonorum, vel quia maritus eſt abſens, vel ægrotus, vel amens, &c. Tertiò quando ei aſſignatur à marito certa ſumma pecuniæ ad victum, quia tunc de eo quod ſupereſt, vel quod ſibi ſubtrahit, poteſt facere eleemoſynam. Quarto poteſt facere eas eleemoſynas de conſenſu tacito mariti, quas mulieres ſuæ conditionis facere ſolent. Tandem poteſt facere eleemoſynam ad vitandum damnum temporale mariti. Ita cum Sylveſtro, Navarro, Malletus, *ſuprà, bractea* 37. Palaus *ſuprà p. 13.*

SECTIO XVII.

Quibus danda ſit eleemoſyna?

SUMMARIUM.

107 *Eleemoſyna danda eſt pauperi, etiam inimico, modo inimicitia eleemoſyna non foveatur.*

108 *Non eſt danda vagabundis, niſi in gravem incidant neceſſitatem.*

109 *Qui ſimulata paupertate accipit eleemoſynam, & peccat, & tenetur ad reſtitutionem.*

110 *Cui in hoc caſu facienda ſit reſtitutio?*

111 *Magis indigenti facienda eleemoſyna, & quid ſi fuerint plures æque indigentes?*

112 *Si teſtator relinquit aliquod legatum dividendum pauperibus, non poteſt totum uni tribui.*

Dico primò: Eleemoſyna danda eſt pauperi indigenti, ſive juſtus ſit, ſive injuſtus, ſive amicus, ſive inimicus, modo non credatur iniquitatem, & inimicitiam ex eleemoſyna fovendam eſſe, quia tunc nullo modo facienda eſt illi eleemoſyna. Vaſquez, *opuſculo de eleemoſyna cap. 3. dub. 2. num. 9.* Hinc fit patientibus neceſſitatem, non ob amorem virtutis, ſed ob otium, tædiumque laboris, quales ſunt vagabundi, quique regulariter vitiis pleni ſunt, non debet eleemoſyna concedi, quia ſic eorum malitia fovetur. Excipe niſi in gravem neceſſitatem inciderent, & eleemoſyna ſic datâ crederetur ad meliorem frugem eſſe revocandos. Ita cum Coninch, Palaus, *ſuprà p. 14. num. 2.* Non tamen id de omnibus occurrentibus præſumendum eſt, ſed quando aliquæ fuerint conjecturæ, ut ſi adoleſcentes robuſti ſint, & nolint laborare. Malletus *bractea* 37. *in fine.* 107 108

Dico ſecundò: qui ſimulatâ paupertate accipit eleemoſynam peccat mortaliter, ſi materia eſt gravis, & tenetur ad reſtitutionem, quia recipit ſine titulo, cùm enim interponat fraudem facit, ut deficiat finis, quo dominus motus fuit ad dandum, qui finis erat paupertas. Ita cum multis Palaus *ſuprà p. 14. num. 5.* Tamburinus *lib. 8. Decalogi tract. 4. cap. 1. num. 2.* Et quoad magnas eleemoſynas Granado, Diana, quos refert, & ſequitur Cotonius *verbo paupertas num. 16. contra Paſcaligum centuria 4. n. 392.* Leſſium, Sotum, & alios, quos refert Palaus *ſupra num. 3.* 109

Sed quæres, cui facienda ſit in hoc caſu reſtitutio? Reſpondeo debere fieri, vel pauperibus, vel donanti: cui pauper fictus voluerit. Donanti, quia illius eſt, pauperibus, quia dum non conſtat, donantem voluntatem retractaſſe, cenſetur perſeverare in priori voluntate, quæ fuit rem illam pauperibus dare: ergo pauper fictus dans illam pauperibus voluntatem domini exequitur. Palaus *ſupra num. 7.* Advertè tamen, quod pauper, qui pigritiæ, vel etiam cupiditatis cauſa eleemoſynam poſcit, cum vere pauper ſit, nec peccaſſe mortaliter mendicando, nec teneri ad reſtitutionem. Ita Tamburinus *lib. 8. Decalogi tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 4.* 110

Dico quartò: ordo ſervandus in diſtribuendis eleemoſynis hic eſt. In genere ſuccurrendum eſt majori, & gravioni neceſſitati, cæteris paribus. In ſpecie verò conjunctiores, cæteris paribus, præferendi ſunt minus conjunctis, meliores minus bonis, utiliores reipublicæ minùs utilibus, & ſanctiores minùs ſanctis, ut dictum eſt *ſuprà*, Baſæus *verbo eleemoſyna num. 18.* 111

Hinc fit, quòd ſi alicui ex teſtamento committatur diſtributio alicujus eleemoſynæ, ſi ex voluntate teſtatoris aliud non conſtet, hanc regulam debere obſervari, ut ſemper pauperes conſanguinei teſtatoris præferantur, & inter extraneos, pauperiores, & nobiliores. Item ſi pauperibus aliquid diſtribuendum committatur, non poteſt totum legatum uni tribui. Item ſi teſtator certos pauperes nominavit, vel in genere pauperes hujus loci, non poſſunt alij eligi. Si tamen legatum relinquatur pro pauperibus nullos determinando, poterit executor ſuis conſanguineis pauperibus, vel ſibi pauperi diſtribuere. Ita Palaus *ſuprà n. 9. & 10.* & cum Sanchez, Diana, Cotonius, *verbo eleemoſyna, n. 10.* 112

Digitized by Google

SECTIO XVIII.

An ex præcepto charitatis teneamur corrigere fratrem?

SUMMARIUM.

113 *Datur præceptum naturale, & divinum de correctione fraterna.*
114 *Unde oriatur hoc præceptum?*
115 *Quando obliget hoc præceptum?*
116 *Materia hujus præcepti eſt peccatum moraliter certum pendens in futurum nondum emendatum.*
117 *Requiritur probabilis ſpes emendæ.*
118 *Quid ſi peccator ſit in articulo mortis?*
119 *Nemo tenetur peccata proximi indagare ut corripiat.*
120 *Quid ſi ſit prælatus?*
121 *Quid dicendum de concionatoribus?*
122 *Raro concurrunt circunſtantiæ ut præceptum correctionis obliget, præterquam in prælatis.*
123 *Correptio pro venialibus non eſt ſub mortali, niſi pro prælatis.*
124 *Non tenetur aliquis privatus vitam ſuam emendare, ut proximum utilius corripiat.*
125 *Quid ſi aliis ſit ſcandalum?*
126 *Hoc præceptum non obligat niſi detur ſpes fructus.*
127 *Ordo præſcriptus à Matthæo 18. obligat ſub mortali.*
128 *Nec in religionibus denunciandum eſt peccatum occultum prælato, etiam ut patri, niſi prævia correptione, niſi aliud lege ſtabilitum ſit.*
129 *Prælatus qui manifeſtat provinciali delictum occultum ſubditi, quod ipſe poteſt emendare peccat mortaliter.*
130 *Prælatus ob delictum occultum non poteſt à ſubdito miniſterium auferre.*
131 *Quando peccatum occultum fratris vergit in damnum commune, ſtatim denunciandum eſt.*
132 *Idem dicendum eſt quando peccatum eſt notorium.*
133 *Peccatum etiam occultum de quo eſt ſuſpicio hæreſis ſtatim denuntiandum & dominis inquiſitoribus abſque ulla correptione fraterna.*

CVm de hoc præcepto multa dixerim in noſtro Directorio Regularium *p.3. d.5. ſect.2.* ideò hic ſolum, quæ *ibi* latiùs dixi, breviter reſtringam, & ſi quæ defuere addam.

113 Dico igitur primo correctio eſt duplex, alia fraterna, alia judicialis: illa ad bonum proximi per ſe ordinatur; altera ad bonum commune: dari autem præceptum correptionis fraternæ nemini dubium eſt; eſt enim de jure naturali, juxta illud principium naturale, quod tibi non vis alteri ne facias. Eſt etiam de jure *divino Luc. 10. & Matth. 18. ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe, &c.* Vnde hoc præceptum cum ſit juris naturæ, omnes etiam infideles obligat, cùm tamen hoc præceptum ſit affirmativum, ſolùm obligat cum aliquæ dantur circunſtantiæ de quibus ſtatim.

114 Oritur autem hoc præceptum ex charitate Dei, & proximi, quia hæc virtus quodlibet malum Dei, & proximi avertere obligat, quoad fieri poſſit. Impleri tamen poteſt non ſolùm per actum elicitum à charitate, ut ſi ex deſiderio, quo velis Deum non offendi proximum corrigas, ſed etiam actu elicito à miſericordia, ut ſi ex deſiderio ſublevandi proximum à miſeria illum corrigas, juxta illud pſalmi, *corripiet me juſtus in miſericordia.* Circum- 115
ſtantiæ autem, quæ debent concurrere, ut præceptum obliget ſunt hæc: prima quòd peccatum mortale ſit vel veniale ad mortale inducens, vel grave ſcandalum generans. Secunda quòd ſperetur emendatio. Tertia quod detur opportunitas perſonæ corrigentis, conſiderata peccantis conditione. Quarta ut commode abſque damno notabili fieri poſſit, licèt enim in gravi neceſſitate proximi teneatur quis illum corripere cum aliquo detrimento boni temporalis; non tamen tenebitur quis cum periculo vitæ, honoris, vel ſtatus corripere, imò nec in neceſſitate extrema ſalutis proximi tenetur quis illum corripere cum periculo vitæ, ut cum Lorca, Valentia, & aliis diximus *in noſtro Directorio Regularium, loco citato.*

Dico ſecundò: materia hujus præcepti eſt ſolum 116
peccatum mortaliter certum pendens in futurum nondum emendatum. Dixi peccatum, nam ſi proximus aliquam actionem peccaminoſam ex ignorantia invincibili faciat, non habet locum hoc præceptum, niſi forte ex illius ignorantia damnum tertij, vel boni communis oriretur. Secus dicendum eſt, quando ignorantia eſt vincibilis; nam cum hæc non tollat peccatum, remanet materia hujus præcepti. Baſæus *ſuprà num. 10.* Dixi moraliter certum, quia non ſufficit moralis conjectura de peccato proximi, ſed requiritur certitudo moralis. Ita cum multis Baſæus, *verbo correctio fraterna n. 7.* Excipe niſi peccatum ſit contra bonum commune, & detur opportunitas illum corripiendi abſque eo quod oriatur aliqua ſuſpicio, nam tunc ſecundùm charitatem erit illum corripere conditionatè, ſi fortè commiſit. Baſæus *ibi.* Dixi pendens in futurum, nondum emendatum, nam ſi peccatum non pendet in futurum, vel jam ſit emendatum, non eſt materia hujus præcepti. Baſæus *ſuprà n. 4.*

Requiritur tandem probabilis ſpes emendæ. Vn- 117
de ſi talis ſpes non detur, non obligat hoc præceptum. Quod ſi detur dubium an profutura ſit, ſi non ſit dubium obfuturam, adhibenda eſt, ſecus ſi dubium ſit obfuturam. Excipe niſi peccator ſit in articulo mortis. Lanfrancus *de correptione fraterna cap. 4.* 118
n. 14. Imò addo, quòd ſi detur ſpes, quòd perſeverante proximo per aliquod tempus in peccato, poſtea correptione adhibita conſtantius reſurget, differenda eſt correptio ad illud tempus. Baſæus *ſuprà.* Imò aliquando permitti poteſt peccatum alicujus, ut meliùs corrigatur. Trullench. *tom. 1. Decalogi c. 5. d. 14. num. 8.* At ſi adhibita correptione opportuno tempore emendatio non ſequatur, non ſtatim crimen judici denuntiandum eſt, ſed bis, & ter, & toties correptio, etiam cum teſtibus, repetenda eſt, quoties profutura credatur. Ita cum Trullenc. Maldero, Sanchez, & aliis, Diana *p. 5. tr. 5. reſ. 32.*

Dico tertiò: nemo tenetur peccata proximi in- 119
dagare, ut corrigat, ſed quæ viderit tenetur corripere. Excipe prælatos, nam cum ad hos ſpectet cura de aliis, tenentur peccata ſubditorum inquirere ad corrigendum, dummodo hoc faciant debito modo; ne reddantur odibiles, & murmuratores 120
foveantur. Hinc ſit confeſſarios non teneri in confeſſione corripere pœnitentes, niſi de illis, quæ in confeſſione audierunt. Diana *p. 3. tract. 3. reſol. 12.* Concionatores verò tenentur publica peccata publicè corripere, & ſi ea committentes credantur non emendandi, niſi fortè majora mala timeantur, 121
ut fere accidit, ſuperiorum peccata publice reprehenduntur.

henduntur. Vnde cautè concionatores procedant, & priùs cum suo superiore communicent, ut bene advertit Diana *p.7.tr.5.res.13.* non peccat tamen concionatur moraliter corripiendo in morali.

112 Dico quartò: raro concurrunt circunstantiæ omnes, ut præceptum correptionis fraternæ obliget sub mortali, præter quàm Prælatis, quorum majot est obligatio subditos corripiendi. Vnde in illis facile potest esse mortale, si ex negligentia, & timore correptionem omittant. Alij verò, si omittant ex tepiditate, aut simili affectu, & non ex intentione, & propolito, non est, nisi veniale, nisi fortè damnum proximi esset tam notabile, ut graviter imputaretur nolenti succurrere per correptionem. Ita cum Granado, Diana, Cotonius, *verbo correptio fraterna num.24.*

113 Dico quintò: correptio pro venialibus licèt aliquando obliget, ut quando est veniale ad mortale inducens, vel grave scandalum generans, ut *suprà* diximus, & notat Basæus *verbo correptio, num.5.* non est tamen in præcepto sub mortali, nisi pro prælatis, vel magistratibus; neque tamen est mortale, si prælati cum aliquo talem defectum occultum dissimulent, neque si magistratus temporales universim in his dissimulent, nisi essent peccata multum conducentia ad pacem, & bonum reipublicæ. Ita cum Bañes, Diana, *p.7.tract.7. resol.7. & 8. & p.5.tra.5.resol.66.* An autem prælatus, & magistratus teneantur peccata mortalia ex justitia corripere, ita ut si non faciant teneantur ad restitutionem damnorum ex talibus peccatis aliis provenientium? Affirmat cum Cajetano, Hurtado, *2.2.tom.2.d.162. sect.4.§.42.* Negat tamen probabiliter cum Lorca, Diana, Cotonius, *verbo Prælati, n.5.*

114 Dico sexto: non tenetur privatus aliquis viram suam emendare, ut proximum utilius corripias, & si hic aliàs sit moriturus in peccato. Palaus *tract.6. d.3.p.7.n.6.* Quamvis hoc casu id affirmet Turrianus, *2.2.tom.1.d.88. dub.1.* Fateor ratione scandali, obligationem esse posse, cum suo peccato & malo

115 exempto facit, ut alij peccatis inhæreant, Palaus *ibi*, unde ad summum tenebitur quis ad emendationem externam, ad vitandum scandalum, nunquam tamen tenetur ad pœnitentiam interiorem, quantum est ex prædictis capitibus. Ita cum Castillo, Cotonius, *suprà n.22.* An autem judices præsertim Ecclesiastici peccent mortaliter exercentes actus judiciales in peccato mortali in alium peccatorem? aliqui affirmant. Sed contraria sententia est tenenda. Ita cum Duvalio, Diana, Cotonius, *suprà n.15.*

116 Dico septimo: hoc præceptum non obligat, nisi detur spes fructus. Hinc multis excusantur, qui non sunt magnæ authoritatis, vel etiam omnes alij respectu eorum, qui publicæ, & ex consuetudine peccant. Cotonius *suprà num.18.* Excusantur etiam multi, quando probabile est proximum alia ratione emendandum, vel per se, vel per aliorum correptionem. Ita cum Valentia, Diana, & aliis, Cotonius *suprà num.21.*

117 Dico octavo: ordo præscriptus *Matthæi* 18. obligat sub præcepto, quidquid dicat Hurtado 2.2. *d.16; sect.5.§.207.* Suarez *lib.10.c.7. num.13.* Ita cum communi sententia Cotonius *suprà n.3. & 27.* Vnde delinquens, si delictum sit occultum est secreto monendus, juxta illud, *corripe eum inter te, & ipsum solum.* Quòd si aliter fiat, peccatur mortaliter. Diana *p.7.tr.3.res.27.* Quando tamen peccatum est notorium, sive majori parti illius communitatis notum, tunc non est necesse præmittere correptionem privatam. Ita cum Valentia, Diana, *p.7. tr.3.res.42.* Cotonius *supr.n.31.* sicut cum ei creditur non profutura. Ita cum Suario, Dian. *ibi res.35.*

Hinc fit, quod nec in Religionibus denuntian- 118
dum sit peccatum occultum superiori tanquam patri sine prævia correptione fraterna, nisi in aliqua Religione contrarium lege stabilitum sit, ut est in Societate Jesu. Ita cum Tannero, & aliis Cotonius, *suprà num.28.* Nec contrarium probabile est, nisi prælatus sit vir prudens, & taciturnus, & sit spes majoris utilitatis, & aliàs in religione non detur lex, quod semper correptio fraterna præmittatur ante denuntiationem prælato, etiam ut patri, ut est inter nos, at patet *ex nostra constitutione 1.p. c.6. n.6.* Sed de his vide, quæ latius dixi *in nostro Directorio Regularium, loco citato.*

Secundò fit Rectorem, seu gubernatorem ali- 119
cujus Collegij, seu domus, qui manifestat Provinciali delictum occultum fratris, quod scivit ut Pater, & quod ipse potest emendare absque tali manifestatione, peccare mortaliter, quia absque illa poterat lucrari fratrem. Ita Trullenc *lib.1. Decalogi cap.5. d.6. num.1.* contra Palaum *tract.6. d.3. p.1. num.6.* non potest etiam prælatus, cui delictum 130
fratris occultum fuit revelatum ut patri, à subdito auferre ministerium commissum, vel in alium conventum mutare si inde illius fama periclitetur, & hoc necessarium sit ad præcavendum à relapsu. Ita cum aliis Giragus *p.3.lib.6.num.67.* In casu tamen quòd talem Religiosum mittat ad alium conventum, non potest monere prælatum illius novi conventus de delicto à tali fratre commisso, nisi fortè sit periculum, ut reincidat in tale crimen. Giragus *suprà num.68.*

Dico nono: in aliquibus casibus, potest quis cor- 131
riponem omittere, & peccatum fratris ad superiorem deferre. Primò quando peccatum occultum fratris vergit in damnum commune aliorum, nec videtur posse occurri sufficienter per privatam correctionem, ut si clam proditionem moliatur, vel incendium civitatis, aut alios inficiat hæresi. Secundò quando nullus profectus speratur. Tertiò 132
quando peccatum est notorium. Ita cum aliis Peirinis *de subdita, quæst.1. c.16. §.2. n.2.*

An autem peccatum de quo est suspicio hæresis vehemens, vel etiam levis, teneatur quis statim dominis inquisitoribus denuntiare, nullâ præmissâ correptione fraternâ? Ante decretum Alexandri VII. multi negabant, quos larga manu congerit Thomas Hurtado *tract.4.cap.6.num.8.* At post de- 133
cretum Alexandri, certum est omnes teneri hæreticos, & suspectos de hæresi, etiam leviter, dominis inquisitoribus denuntiare, nulla præmissa correptione fraterna; quia ita declaravit Sanctissimus sub gravissimis pœnis, quæ *in decreto* continentur. Et licèt *ibi* tantum videatur loqui Pontifex de his, qui malis artibus, & emendicatis doctorum opinionibus, & qui correptionis fraternæ, alióve prætextu, retrahunt se, & alios à denuntiatione, per quod non videtur loqui de illis, qui bonis artibus, & probabilibus doctorum opinionibus, & vero titulo correptionis fraternæ, cum certa spe emendæ, quando danda est, non denuntiant, [prætextus enim significat velamen, quo moveri se aliquis simulat ad aliquid faciendum, cum tamen alia causa moveatur, teste Azor *tom.1. lib.5. cap.2. quæst.1. versus. onum*, Pellizario *tract.7. cap.3. num.120.*] Attamen hanc explicationem decreto non audeo interponere, sed totum hoc oraculo Sanctissimi relinquo; ejus decretum est absolutum, & ad omnem correptionem extenditur, *nulla præmissa correptione fraterna*, per quod videtur declarare in hoc casu non obligare jus naturale, & divinum

Digitized by Google

dandæ correptionis, ſicut nec in caſu hæreſis, in quo Pontifex errare non poteſt, cum ſit decretum merum pro tota Eccleſia. Vnde dum aliter de ejus mente oraculo ipſius non conſtiterit, verbis decreti ad unguem exiſtimo parendum eſſe, ne fortè cum alios luctari velimus, ipſi reprobi efficiamur. Alia quæ hic deſiderari poſſent de hac correptione fraterna, latiſſimè explicavi *in noſtro Directorio Regularium, loco citato.*

DISPUTATIO III.

De vitiis Charitati contrariis.

SECTIO I.

De odio Dei, & Proximi.

SUMMARIUM.

134 *Odium directè opponitur charitati.*
135 *Quibus modis contingat.*
136 *Odium poteſt eſſe circa Deum, & circa proximum, & quomodo.*
137 *Tam odium Dei, quam proximi, eſt peccatum mortale.*
138 *Quomodo differat odium Dei, & proximi?*
139 *Omnia odia reſpectu proximi ſunt ejuſdem ſpeciei.*

134 DIco primò: actus qui primò, & per ſe directè opponitur charitati eſt odium, hoc autem eſt velle alicui malum, quia malum illius eſt. Hoc autem contingere poteſt dupliciter. Primò abominando ipſam perſonam, tanquam ſibi contrariam, & deſiderando ut
135 non ſit, & hic actus eſt odium abominationis. Secundò deſiderando illi aliquod malum ex ſupradicta abominatione, quod vocatur odium inimicitiæ. Vtrumque autem odium verſari poſſe circa Deum,
136 & circa proximum de fide eſt: circa Deum verſatur, non quatenus in ſe eſt, quia ut ſic nihil mali habere poteſt, ſed quatenus aliquem punit, illique difficilia imperat, ob has enim rationes poteſt quis illum averſari, & quantùm in ſe eſt velle, ut non ſit. Circa proximum verò verſatur, ſi ob malum, quod in ipſo reſidet, vel ob injuriam alicui illatam averſetur, velitque illum perimere, aut aliquod aliud malum illi evenire. Ita communiter DD.

Dico ſecundò: tam odium Dei, quàm proximi,
137 eſt peccatum mortale, & de odio Dei patet ex illo *Num.* 20. *fugiant qui oderunt te à facie tua*, & de odio proximi ex illo *Levitici* 19. *non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Ratio autem utriuſque eſt, quia cum Deus in ſe ſummum bonum ſit, graviſſimam injuriam illi quis facit, ſi aliqua ratione illi averſetur. De proximo vero etiam liquet, quia velle creaturæ rationali aliquod malum, quia malum illius eſt, inordinata eſt voluntas.

138 Datur autem hæc differentia inter odium Dei, & proximi, quòd odium Dei, directè opponitur Deo, odium verò proximi indirectè. Vnde licèt ambo opponantur charitati, diſtinguuntur hæc odia inter ſe ſpecie, & ut talia ſunt confitenda in confeſſione. Ita cum Torres, Coninch. & aliis Palaus *tr.* 6. *d.* 4. *p.* 1. *num.* 5. Secundò differunt, quòd in odio Dei non poteſt dari parvitas materiæ, ſed ſemper eſt peccatum omnium graviſſimum, niſi fortè inadvertentia, vel indeliberatio excuſet, bene tamen in odio proximi, ut bene advertit Malletus *malleatione* 2. *in decalogum, bralle.* 41. Palaus *ſuprà n.* 4. Baſæus *verbo odium num.* 3.

An autem omnia odia reſpectu proximi ſint ejuſ- 139
dem ſpeciei? Reſpondeo affirmative. Ita cum Cajetano, Valentia, Bañes, Bonacina, Diana, Baſæus, *ſuprà num.* 4. contra Suarium, Coninch, & alios, quos refert, & ſequitur Palaus, *ſuprà num.* 6. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia odium ſumit ſpeciem ab objecto formali, & non à materiali; ſed objectum formale ſemper eſt idem, ſcilicet malum proximi, quatenus malum illius eſt; ergo omnia odia ſunt ejuſdem ſpeciei. Vnde non eſt neceſſe explicare in confeſſione, an odium fuerit circa famam, divitias, ſeu perſonam, ſed ſufficit, ſi quis dicat, toties odi proximum. Ita DD. noſtræ ſententiæ.

SECTIO II.

Vtrum ſemper ſit contra charitatem malum proximo deſiderare?

SUMMARIUM.

140 *Quibus modis peſſimi mala alicui imprecari?*
141 *Malum culpæ ob quemlibet finem nunquam poteſt alteri imprecari.*
142 *Poſſumus mala peccatoribus imprecari per modum prænunciationis, & predictionis.*
143 *Poſſumus mala optare peccatoribus, ſi deſiderium referatur ad juſtitiam punientis, & non ad pœnam hominis.*
144 *Quid ſi deſiderium referatur ad pœnam hominis ut peccatoris?*
145 *Poſſumus optare actu inefficaci alicui malum temporale ob bonum finem, ſervato tamen ordine.*
146 *Quid ſi actus ſit efficax tendens in executionē?*
147 *Licitum eſt petere à Deo, vel à judice vindictam contra inimicos.*
148 *Licitum eſt gaudere de morte peccatoris ſcandaloſi, ne ultrà alius ſit occaſio ruinæ.*
149 *Licitum eſt deſiderare mortem militum, & principis injuſtè bellum moventium.*
150 *Quid dicendum de eo, qui ſibi mortem imprecatur, ut effugiat aliquam miſeriam?*

PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono pri- 140
mò, mala poſſe imprecari, & deſiderari alicui, primo enunciative, ut ſint potiùs quædam futurorum prænunciationes, quàm abſolutè imprecationes. Secundò optando malum, non in quantum eſt pœna hominis, ſed in quantum deſervit ad juſtitiam punientis. Tertiò in quantum malum refertur ad interitum hominis peccatoris, non ut hominis, ſed ſolùm ut peccatoris. Secundò ſuppono malum alteri imprecari ex animo, & intentione, ut illi eveniat dupliciter poſſe conſiderari. Primò ex parte cauſæ motivæ, an operetur ex ira, & appetitu vindictæ, an verò ex odio. Secundò ex parte finis, nempe an ob finem bonum, vel malum. Tertiò ſuppono malum poſſe alteri imprecari dupliciter, primo formaliter, ut malum eſt perſonæ. Secundò materialiter, prout habet aliquam rationem boni conſequentem. Quartò ſuppono duplicem eſſe odium, aliud perſonæ ſecundum ſe ipſam, alterum perſonæ non ſecundum ſe ipſam, ſed ſecundum malum illi adjacens, quatenus id nobis,

vel

vel aliis contrarium eſt, & hoc odium dicitur abominationis. Quinto ſuppono malum, quod alteri optatur poſſe dupliciter ſumi, vel ut eſt malum culpæ, vel ut eſt malum pœnæ. Primo modo ſumitur, quando optatur, ut alter peccet, & amittat Dei gratiam: ſecundo modo, quando alteri optatur pœna, ſc. mors, infirmitas, amiſſio bonorum, &c. his ſuppoſitis.

141 Dico primò: malum culpæ ob quemlibet finem nunquam licet alteri optare: eſt certa apud omnes, ita ut oppoſitum ſit erroneum. Ratio eſt, quia malum ſpirituale, ut tale eſt, ex quovis fine nunquam licet, ſed malum culpæ eſt malum ſpirituale, ergo.

142 Dico ſecundò: poſſumus mala peccatoribus imprecari per modum prænunciationis, & prædictionis futurorum. Ita communiter DD. Ratio eſt, quia ſic in ſcriptura ſæpius hæ imprecationes fiunt, ſunt enim non per modum optantium, ſed annuntiantium, ergo ſunt licitæ.

143 Dico tertiò: poſſumus mala optare peccatoribus, ſi deſiderium referatur ad juſtitiam punientis, & non ad pœnam hominis. Ita Raphael de la Torre, Toletus, Baldellus, quos refert, & ſequitur Vidal, *de charitate, inquiſitione 1. n. 14.* Palaus, *tract. 6. d 4. p. 1. n. 9.* & alij. Ratio eſt, quia hujuſmodi imprecationes ſunt bonum quoddam juſtitiæ, cum tendant ad illius conſervationem, ergo ut actus virtutis ſunt juſtæ, & bonæ. Tum quia ſæpe in ſcriptura mala imprecantur peccatoribus, ut patet *ex Pſal. 9. convertantur peccatores in infernum, lætabitur juſtus cum viderit vindictam*, & ex aliis. Tum quia Eccleſia Anathematizando ſæpe ſæpius pluribus mala imprecatur, ut conſtat; ergo.

144 Dico quartò: poſſumus licitè mala optare, & imprecari peccatoribus, quando deſiderium refertur ad malum hominis, non ut hominis, ſed ut peccatoris. Ita cum communi ſententia Vidal *ſuprà n. 28.* Ratio eſt, quia tales imprecationes ſolum faciunt ſenſum, quod homines deſinant eſſe peccatores; ergo ſunt licitæ. Patet conſequentia, quia in illis, non optatur alteri malum formaliter, ſed ſub ratione boni; ergo licitè optatur.

Nec obſtat quòd non poſſimus privata authoritate mala temporalia inferre peccatoribus, etiam ob bonum finem, ergo nec poſſumus licitè ea optare, ut veniant. Reſpondetur namque, concello antecedenti, negando conſequentiam. Ratio diverſitatis eſt, quia actus interni inefficax ſumit ſuam bonitatem, vel malitiam à fine, præſcindendo à circunſtantiis; at verò actus efficax, cum tendat ad executionem, ſumit bonitatem, non ſolum ab objecto, ſed etiam ab actu a quo formaliter ſpecificatur; unde cum actus externus ſit prohibitus, nunquam voluntas inferendi mala proximo erit bona; bene tamen ſimplex deſiderium inefficax, quia hoc non tendit ad executionem, ſed ſolùm tendit ad objectum, ſub ratione boni, præſcindendo ab aliis circunſtantiis ei annexis.

145 Dico quintò: licitum eſt, ſervato tamen ordine & forma, optare alteri malum temporale, ob honeſtum finem conſequendi aliquod bonum temporale. Ita Sa, Azor, Bonacina, Joannes Sanctus, & alij, quos refert, & ſequitur Vidal *ſuprà num. 96.* Diana *p. 3. tract. 6. Miſcellan. reſol. 84.* Tamburinus *lib. 5. Decalogi, cap. 1. §. 3. num. 33.* contra Navarrum, Gutthium, Reginaldum, Toletum, Molphesium, quos refert, & ſequitur Bonacina, ſibi contrarius *tom. 2. d. 4. circa 4. præceptum quæſt. unica p. 3. num. 3.* Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia actus inefficax, qualis eſt deſiderium, non fertur in objectum, ut executioni mandandum, ſed quatenus repræſentatur intellectui; ergo iſte actus inefficax ſolum habet illas circunſtantias, conditiones, & malitiam, ſeu bonitatem, ſecundum quas intellectui repræſentatur objectum; ergo quando objectum repræſentatur ſecundum bonum motivum, actus dicens ordinem ad tale objectum, erit bonus juxta motivum; ſed in caſu noſtro malum proximi repræſentatur ſub bono motivo; ergo actus deſiderij tendens ad illud erit etiam bonus.

Dices: Charitas obligat præferre vitam proximi 146
divitiis; ſed qui ob hæreditatem optat alteri malum, præfert proprium emolumentum vitæ proximi; ergo talis actus eſt contra charitatem. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, obligat præferre vitam proximi divitiis, actu efficaci tendenti ad executionem, concedo, actu inefficaci, nego. Ratio diverſitatis eſt, quia actus efficax tendit ad objectum cum omnibus ſibi annexis, & non præſcindit ab eo malas circunſtantias, bene tamen actus inefficax, nam hic denudat objectum ab omnibus malis circunſtantiis, & ſolùm reſpicit objectum ſub ratione boni, quod ei proponit intellectus; unde cum actus externus habeat malum annexum, non poteſt ex bono fine honeſtari, ita ut efficaciter poſſit eſſe volitum à voluntate; at actus inefficax, cum præſcindat malitiam ab objecto, poteſt illud inefficaciter velle, ergo cum in caſu noſtro actus deſiderij ſit inefficax, & non efficax, honeſtari poteſt ex bono fine.

Hinc fit licitum eſſe optare, & petere à Deo, vel 147
à judice vindictam ob privatam injuriam contra inimicos. Ita cum Palao, Torre, Sanchez, & aliis, Vidal *ſuprà num. 66.* Ratio eſt, quia non procedit vindicta ex odio, ſed ex jure; quòd quis ex jure poteſt ſe ſervare indemnem, & poſtulare ſatisfactionem injuriæ ſibi illatæ. Adverte tamen hoc debere fieri, non ex odio, ſed ex zelo juſtitiæ vindicativæ, vel commutativæ, dum quis optat dari ſibi debitam ſatisfactionem, non excedendo tamen in petitione vindictæ menſuram delicti, vel damni. Secundò fit ob bonum ſpirituale proprium, vel alienum licitum eſſe malum pœnæ alteri affectu inefficaci optare, velle, & imprecari; ſemper enim bonum ſpirituale præponendum eſt temporali, unde licitum eſt imprecari peccatori infirmitatem, facultatum amiſſionem, mendacium, infamiam, ut ceſſet à peccatis. Ita citati DD.

Tertiò fit licitum eſſe optare, & gaudere de morte peccatoris ſcandaloſi, ne amplius aliis ſit occaſio ruinæ, nam ſic deſideratur bonum ſpirituale proximi, & odio habetur vita ſcandaloſa peccatoris. Ita cum aliis Palaus *ſuprà n. 9.* Quartò fit licitum eſſe 148
alteri imprecari, & deſiderare malum temporale ex motivo tantum propriæ, vel alienæ utilitatis, ut eſt optare alteri infirmitatem, ne ludo bona omnia diſſipet, aut mortem ad vitandam inopiam, vel moleſtam infirmitatem, dummodo hæc infligantur, non ab homine injuſte. Ita cum Sanch. Palao, Baldello, Vidal, *ſuprà num. 65.* quintò fit licitum eſſe optare 149
mortem alicujus, & de illa gaudere, ob hæreditatem habendam. Sic Palaus *ſuprà num. 11.* Diana *p. 3. tract. 6. miſcellan. reſol. 84.* Vidal *ſuprà num. 66.* & nos *ſupra* diximus, nam objectum hujus actus non eſt malum, ſed commodum ex morte ſequens.

Sextò fit non eſſe illicitum deſiderare, & impre- 150
cari in injuſto bello mortem militibus unius principis, infauſtos ſucceſſus, ac deſtructionem ipſius ſtatus, vel amiſſionem dominij, propter alterius principis bonum, & majus emolumentum. Ita cum Torre, & aliis Vidal, *ſuprà num. 69.* Et ratio eſt, quia in hoc caſu malum deſideratur, tum propter innocentis conſervanda bona, & augenda illa, tum propter punitionem injuſti belliſeptimo fit ob eaſ-

Digitized by Google

dem rationes poſſe quem ſibi optare, & imprecari mala, nam ſi ob rationes dictas ea poteſt proximo deſiderare, ita & ſibi; non tamen mortem, vel alia mala poteſt ſibi inferre, ſicut nec alteri, propter ra-
150 tiones dictas. Et hinc multos excuſabis ruſticos, qui à Deo ſibi mortem poſtulando, ut fugiant incommoda hujus vitæ, exiſtimant graviter peccaſſe, vel quando mala imprecantur filiis, ut evitent infamiam, debent enim doceri à confeſſore de hac erronea conſcientia, ſiquidem hæc ſibi, & filius, vel aliis imprecando, ob fines dictos non peccant. Ita cum Vaſquio, Bonac. & aliis, Tamburinus *ſuprà n.* 34.

SECTIO III.

De invidia, qua ratione ſit peccatum charitati contrarium?

SUMMARIUM.

151 *Quomodo invidia definiatur?*
152 *Dolere de bono alterius quatenus meam æſtimationem diminuit, etiamſi nullam vim inferat, non eſt malum.*
153 *Invidia conſiſtit in apprehenſione per quam quis falſo credit bonum alterius prout bonum alterius eſt eſſe cauſam proprij mali.*
154 *Quomodo id ſit intelligendum?*
155 *Invidia ex genere ſuo eſt peccatum veniale.*

151 PRo hujus ſectionis intelligentia notandum eſt, Invidiam communiter definiri: eſt triſtitia de bono alterius, vel gaudium de malo alterius, quatenus ratione ſui per ſe proprium bonum, vel malum noſtrum diminuit. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 2. Secundò notandum eſt multipliciter poſſe hominem triſtari, & dolere de bono alterius, & de illius malis gaudere. Primò ſi doleat, quia bonum illius eſt; & hæc triſtitia, & dolor ad odium pertinet. Secundò ſi triſtetur de bono alterius, quia inde per accidens illi ſequitur aliquod damnum: Et hæc triſtitia, & dolor eſt licita, quia tunc non triſtatur homo de alterius bono, ſed de ſuo damno. Tertiò poteſt quis triſtari de bono alterius, non quia in illo eſt, ſed quia ipſe illo caret, & hæc triſtitia, & dolor non eſt invidia, ſed æmulatio, quæ bona eſt, ſi triſtitia ſit moderata, & circa res appetendas verſetur: quod ſi circa res improportionatas verſetur eſt veniale, ut ſi cum vides Papam doles, quia non ſis Papa. Si circa res turpes, aut illicitas, pro qualitate malitiæ peccatum erit. Quartò poteſt eſſe dolor de bono alterius, quia illo indignus eſt, & hic dolor erit bonus, ſi cum debita moderatione fiat, ut ſi doleas, quod officia publica indigni poſſideant, erit tamen malus ſaltem venialiter, ſi quis doleat quod mali pecunias poſſideant, ea tantum ratione, quia mali ſunt; nam cum illi juſte ſuas pecunias poſſideant, ut ſupponò, non poteſt inde ſumi cauſa honeſta ad dolendum. Poteſt tamen quis dolere, quod eis utantur male. Quintò denique poteſt quis dolere, & triſtari de bono alterius, eo quod per ſe, & ratione ſui proprium ſuum bonum diminuit. Poteſt enim bonum alterius eſſe occaſio diminuendi proprium bonum, ſine eo, quod aliquam ei vim inferat, ut ſi exiſtente aliquo in aliqua civitate in magna æſtimatione, eo quod nullus adeo doctus eſſet, venirent alij æque, vel magis docti, ob quam rationem, ſua peritia, & ſapientia non tanti æſtimaretur, ut antea, & hinc inde dolet, & triſtatur. De hoc igitur dolore, & triſtitia eſt præſens difficultas, an ſit bona vel mala?

Prima ſententia ait, hunc dolorem, & triſtitiam de bono alterius, quatenus per ſe, & ratione ſui proprium ſuum commodum diminuit, eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, in hoc enim ait hæc ſententia conſiſtere invidiam, unum ex ſeptem capitalibus. Ita cum D. Thoma, Valentia, Coninch. Bonacina, Suario, Palaus, *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 4. *p.* 2. *num.* 3. Ratio illorum eſt, quia licèt imminutio propriæ excellentiæ malum proprium ſit, & dignum, ut quis de illo triſtetur, tamen quia non ſolum de illo, ſed de bono proximi per ſe, & non per accidens triſtatur, quia per ſe, & immediate hanc imminutionem cauſat, ideo talis triſtitia mala eſt. Ita ſe habet communis ſententia: pace tamen illius.

152 Dico primò: dolere de bono alterius, quatenus meam æſtimationem minuit, etiamſi nullam vim inferat, non eſt malum, nec in hoc conſiſtit peccatum invidiæ. Ratio eſt, quia diminutio propriæ excellentiæ eſt malum dignum, ut quis de illo triſtetur, ut fatetur Palaus *ſuprà n.* 3. ſed quando homo de illo triſtatur, non triſtatur per ſe de bono alterius, ut vult Palaus, ergo talis triſtitia non eſt mala. Minor probatur, quia triſtatur de bono, non propter illud, ſed propter diminutionem propriæ excellentiæ, quam cauſat; ergo ratione alterius, & per accidens. Nec obſtat, quod bonum alterius immediate cauſet diminutionem dictam, nam tanto magis erit odio dignum, ſicut ſi gauderem de malo alterius, v. g. de morte patris, ut cauſante immediate bonum meum, puta hæreditatem, ſucceſſionem, &c. ita expreſſe Thomas Tamburinus *lib.* 5. *Decalogi c.* 1. §. 3. *n.* 37. & videtur de mente Lorcæ 2. 2. *quæſt.* 36. *addit. ad* 3. & Patris Vidalis *ſuprà num.* 67.

153 Dices, in quo ergo conſiſtit peccatum invidiæ? Reſpondeo conſiſtere in ea voluntate, qua admittitur illa apprehenſio, per quam quis falſo credit bonum alterius, ut bonum alterius eſt, cauſam proprij mali, v. g. quòd honor ſodalis mei, ſit dedecus meum. Dico *falſò*, nam ſi vere ita eſſet, invidiæ culpa non eſſet; fac enim Antonium ignobiliſſimum duxiſſe matrimonio ſororem Petri nobiliſſimi, cùm id bonum Antonij revera ſit dedecus Petri, quis eundem Petrum de invidia damnabit, ſi triſtetur de matrimonio, ſeu de hoc bono Antonij, non ut eſt bonum Antonij, ſed ut eſt cauſa ignominiæ ſui ipſius Petri; at ſi falsò ſimile quid apprehendam, ut ſi ſanitatem, divitias, ſcientiam mei proximi, ergo ſine ullo fundamento in meum dedecus deliberare apprehendam, deque illius proximi bonis triſter, meritò invidiæ reus exiſtimabor.

154 Adverte tamen nos non dicere peccatum invidiæ conſiſtere in apprehenſione; qui eſt actus intellectus, ſed dicimus conſiſtere in ea volitione, qua admitto, ſeu non repello, nec corrigo illas puſillas apprehenſiones, quibus ducor ad prædictam triſtitiam. Unde quando D. Thomas 3. *p.* 9. 85. *art.* 2. *ad* 1. dixit invidiam eſſe triſtitiam, qua quis dolet de bono alterius, ut eſt diminutivum propriæ excellentiæ, intelligendus eſt deſcripſiſſe invidiam ab effectu; ex voluntaria enim admiſſione illius puſillæ apprehenſionis naſcitur tanquam effectus triſtitia illa peccaminoſa. Quod ſi adhuc contendas invidiam conſiſtere in prædicta formali triſtitia, non gravabor admittere, dummodo intelligatur de triſtitia inordinata, quæ oritur ex apprehenſione illa falſa. Ita Tamburinus *ſuprà num.* 40. & 41.

155 Et hinc colliges, invidiam non eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, ſed veniale, nam cum illa admiſſio falſæ apprehenſionis, ſive illa triſtitia ſint actus

actus inefficaces, nec tranſeunt ad gravius quid, non eſt cur dicamus opponi notabiliter bono proximi. Fateor tamen ad inſidias graves, & damna contra proximum eligenda facile tranſire poſſe, & hac ratione dicitur vitium capitale, ſicut gula, & ſuperbia, quia ſunt radices, & capita, unde frequens mortalium numerus naſcitur. Lorca 2. 2. *quæſt. 56. in addit. ad 3. art.* Tamburinus *ſuprà num.42.*

SECTIO IV.

De acedia, qua ratione ſit peccatum Charitati contrarium?

SUMMARIUM.

156 *Quomodo definiatur acedia?*
157 *Acedia ſpecialis ſemper eſt mortale.*
158 *Acedia generalis, aliquando eſt mortale, aliquando veniale, aliquando nullum eſt peccatum.*
159 *Ex acedia ſpeciali fere omnia vitia oriuntur.*
160 *Filiæ acediæ numerantur.*

156 PRo hujus ſectionis intelligentia nota primò, Acediam eſſe triſtitiam de bono ſpirituali divino, & ex fine creationis nobis neceſſario. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2.2. *quæſt. 35. art. 2. in corpore & art. 3. ad 2.* Secundò nota dupliciter poſſe hominem dolere, & triſtari eo quòd teneatur aliquod opus ſpirituale efficere. Primò ſi doleat, & triſtetur eò quòd tenetur ex lege naturali eſſe amicus Dei, ejuſque mandata obſervare, ſub pœna æterni ſupplicij, & hæc triſtitia dicitur acedia ſpecialis. Secundò poteſt doleri, & triſtare de reſtitutione, ob affectum divitiarum, de jejunio, de ſtatu Religioſo, ob illorum molleſtiam, & hæc triſtitia dicitur acedia generalis. His ſuppoſitis.

157 Dico primò: acedia ſpecialis ſemper eſt mortale. Vnde ſi quis doleat, & triſtetur, eo quod tenetur lege naturali eſſe amicus Dei, ejuſque præcepta obſervare, peccat graviter contra charitatem, eſt enim hæc triſtitia contemptus majeſtatis divinæ, cujus amicitiam refugit, & poſtponit executioni ſuarum paſſionum, & voluntatum; unde in hoc conſiſtit peccatum acediæ ſpecialis. Ita communiter Doctores.

158 Dico ſecundò: acedia generalis non ſemper eſt peccatum mortale, ſed aliquando mortale, aliquando veniale, aliquando nullum, eſt igitur mortale, ſi quis triſtetur de objecto graviter præcepto ſecundum ſe, ſi verò triſtetur de objecto ſub veniali præcepto, erit veniale: Et idem dicendum eſt, ſi triſtetur de objecto graviter præcepto, non ſecundum ſe, ſed ob aliquam circunſtantiam temporis, vel loci, &c. ut ſi triſtetur, quòd tali die ſit præceptum jejunij, quòd tali hora concio habeatur; at ſi de obſervatione conſiliorum tædeat, nullum peccatum erit, ut ſi Religioſum tædeat, eo quòd Religioſum ſtatum, vel clericus quia clericatum aſſumpſit; ſi hoc abſque periculo tranſgrediendi præcepta contingat, quia cum nulla ſit obligatio ſuſcipiendi talem ſtatum, nulla eſt obligatio de illo ſuſcepto gaudendi, aut de illo non dolendi, eſt tamen hic affectus nimis periculoſus. Ita cum Suario, Cominch, Palaus, *tract. 6. d. 4. p. 3. num. 1.*

159 Dico tertiò: ex acedia ſpeciali, quæ graviſſimum peccatum eſt, fere omnia alia vitia oriuntur: nam quem tædet amicitiæ Dei, ejuſque beatitudinis, ob laborioſam conſecutionem, tædet etiam omnium, quæ ad illius conſecutionem ſunt neceſſaria, ac proinde omnes virtutes, paratque viam omnibus contrariis, ſex tamen ſpeciales filias acediæ enumerat D. Gregorius *lib. 31. moralium cap. 31.* Prima eſt de- 160
teſtatio, & odium bonorum ſpiritualium: ſecunda eſt rancor erga eos, qui hac acidia laborantem ad ſpiritualia movent: tertia eſt puſillanimitas erga bona ſpiritualia, quia ardua ſunt: quarta eſt negligentia ſui, & omiſſio dominorum præceptorum: quinta eſt vagatio mentis ad res illicitas, quæ oblectant: ſexta eſt defectus attentionis debitæ rebus ſpiritualibus exercendis, de quibus vide latiùs Palaum *ſuprà num. 6.*

SECTIO V.

De ſcandalo, qua ratione ſit peccatum Charitati contrarium?

SUMMARIUM.

161 *Datur ſcandalum activum, & paſſivum?*
162 *Quomodo utrumque definiatur?*
163 *Datur ſcandalum activum per ſe, & per accidens.*
164 *Scandalum per ſe, ſive generale, ſive ſpeciale ex ſuo genere eſt peccatum mortale contra charitatem, ſi inducit proximum ad mortale.*
165 *Scandalum per ſe, ſive ſpeciale, ſive generale eſt peccatum, non ſolum contra charitatem, ſed contra virtutem, cui opponitur.*
166 *Scandalum per accidens eſt peccatum ſpecie ab alijs diſtinctum.*
167 *Scandalum per accidens non opponitur aliis virtutibus ſpecialibus à charitate.*
168 *Quid ſi quis ſuo malo opere induxit alios præter ſuam intentionem ad formicandum?*
169 *Qui ſuo malo exemplo multos induxit tenetur dicere in confeſſione quot perſonas induxit.*

PRo hujus ſectionis notitia ſuppono primò, dari duplex ſcandalum, aliud activum, aliud paſſivum. Activum definitur, eſt opus minus rectum præbens proximo occaſionem ruinæ. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt. 43. art. 1.* Nomine operis, intelliguntur verba, vel facta, vel omiſſiones, nam quodlibet horum, ſi præbeat proximo occaſionem ruinæ, ſcandalum activum erit: Dicitur, minus rectum, quia 162
ad peccatum ſcandali activi neceſſario requiritur opus ſcandalizans eſſe malum, vel mali ſpeciem habere. Scandalum verò paſſivum, eſt ipſa ruina proximi, quæ aliquando dicitur ſcandalum Phariſæorum, aliquando puſillorum. Phariſæorum dicitur, quia ruit proximus, nulla data occaſione legitima, ſed ex malitia ipſius, ut faciebant Phariſæi videntes opera Chriſti. Scandalum puſillorum eſt, quando ex opere aliàs bono, ſumit proximus occaſionem ruinæ; vel quia ignorat bonum eſſe, vel quia fragilis eſt, ſicuti ex ornatu fœminæ licito labi poteſt fragilis ex fragilitate, perverſus ex malitia, & qui licere ignorat ex ignorantia.

Secundò ſuppono: Scandalum activum eſſe du- 163
plex unum per ſe, quod intendit ruinam proximi de induſtriâ, aliud eſt per accidens, quod eſt præter intentionem inter quæ medium eſt aliud, quod non quidem ex intentione operantis, ſed ex natura operis proximum invitat ad peccatum; itaque

itaque reſpectu operantis eſt per accidens, quia eſt præter ejus intentionem, reſpectu verò operis eſt per ſe, quia ſuapte natura idoneum eſt, ut alios trahat ad ruinam, ut ſi quis in conſpectu filiorum domi alat concubinam. Præterea ſcandalum per ſe activum adhuc duplex eſt. Aliud ſpeciale, aliud generale: ſcandalum ſpeciale, eſt peccatum ad quod quis alium inducit, intendens ipſius ſpirituale damnum: ſcandalum generale, eſt peccatum ad quod alterum inducit, ſeu præbet occaſionem ruinæ, non intendens ipſam ruinam, ſed quia ſibi, vel alteri eſt utilis. His ſuppoſitis.

164 Dico primò: ſcandalum per ſe, ſive ſpeciale, ſive generale, ex ſuo genere peccatum mortale eſt contra generalem virtutem charitatis, quâ tenemur proximum corporaliter ſpiritualiter & dirigere potius in viam ſalutis, quam ab ea ſeducere. Hoc tamen debet intelligi, dummodo inducat proximum ad mortale, nam ſi ſolùm etiam per actum peccati mortalis inducat proximum ad veniale; tantum erit peccatum ſcandali veniale, ut bene advertit cum Sanch. Filliucio, & aliis Baſæus, *verbo ſcandalum num.6.*

Hinc fit; ſcandalum per ſe, ſive ſpeciale, ſive generale, eſſe peccatum ſpecie diverſum ab aliis, ſiquidem non ſolùm opponitur charitati proximi, ſed etiam virtuti oppoſitæ; eadem enim virtus ca-
165 ſtitatis, verbi gratia, quæ obligat me directe ad caſtitatem in mea perſona cuſtodiendam, obligat indirecte, ne ex induſtria procurem proximum à caſtitatis virtute dejicere. Vnde ſi quis locutus fuit turpia ea intentione, ut ſocius in turpitudines incidat, non ſolùm debet dicere in confeſſione fuiſſe alteri occaſionem ruinæ, ſed debet explicare fuiſſe in tali turpitudine. Tamburinus *in methodo confeſſionis lib.2.cap.1.§.17.num.100.* Quod verum eſt, etſi proximus de facto non ruat, nam jam ex parte ſua directe totam occaſionem ruinæ poſuit. Et idem dicendum eſt de eo, qui peccatum publice commiſit, nam hoc peccatum ex ſe movet ad malum, & ad contemnendam virtutem, & per accidens eſt, quod alij non moveantur. Ita cum Ledeſma, Sanchez, & aliis, Palaus *tract.6.d.4.n.2.* Secus dicendum eſt de ſcandalo per accidens, & indirecto, in quo ſi ceſſet ruina proximi, quia de facto non ruit, vel quia tam pravus erat, ut malum exemplum parum nocuerit, & induxerit, ceſſat & ſcandalum, ut cum multis late probat Palaus *tom.1.tract.6.d.5.p.1.n.3.* Tamburinus *in methodo Confeſſionis lib.2.cap.1.§.17.n.103.*

166 Dico ſecundò ſcandalum indirectum, & per accidens quod accidit, cum quis non intendens ruinam proximi, nec ejus lapſum aliquod malum, vel ſpeciem mali habens patrat, prævidendo fore ut ex ſuo facto alij decidant, eſt peccatum ſpecie ab aliis diſtinctum, ſiquidem per hæc ſcandalum eſt cauſa injuſta damni, ſeu peccati proximi, à qua ex virtute charitatis, ne ſcilicet laberetur proximus debebat abſtinere. Vnde opponitur charitati. Ita Tamburinus *ſuprà num.102.*

167 An autem opponatur aliis virtutibus particularibus? Reſpondeo negative. Ita Tamburinus *lib.2. methodi confeſſionis cap.1.§.17.n.105.* & cum Navar. Suario, Lugo, Coninch. Perez, *de pœnitentia d.17. ſect.6. num.10.* Ratio eſt, quia licet quælibet virtus poſſit, non ſolùm obligare ad eam amplectendam, ſed etiam indirecte, ne aliquis in aliis illam impediat, non tamen obligat aliquem ad procurandum poſitive: quod alij eam amplectantur; ergo licet peccet contra charitatem, v.g. qui proximo luxuriam conſuluit, vel qui cum ad luxuriam perſuaſit, vel ei luxuriam mandavit, non tamen peccat ullo modo contra caſtitatem, qui proximi luxuriam non impedit: Et ideò qui laſcivum non corripit, peccat quidem contra charitatem, non tamen contra caſtitatem; ſicque non peccat contra caſtitatem, v.g. qui prævidens præter ſuam intentionem alium ex ſua actione inducendum eſſe ad fornicandum, id non impedit, nam caſtitas licet illum obliget ne procuret alios fornicari, non tamen, ut aliorum fornicationes impediat.

Hinc fit quòd ſi aliquis ſuo malo opere per acci- 168
dens, & præter ſuam intentionem induxit alios ad fornicandum, v.g. non teneri dicere in confeſſione, niſi quod alios ſuo malo exemplo induxit ad peccatum, & non tenetur explicare ſpeciem peccati, ad quam eos induxit, nec circunſtantias perſonarum, an fuerint Deo ſacræ, uxoratæ, vel ſolutæ. Ita cum Lugo, & aliis Tambur. *in methodo confeſſionis lib.2. cap.1.§.17.n.107.* Tenetur tamen dicere quot perſonas ſuo malo exemplo induxerit, & ſi multos uno ſolo actu induxerit, ut cum Diana, Filliucio, Borgia, Bonacina, Palao, Dicaſtillo, Leſſio, diximus 169
in 1. p.hujus directorij tract.de pœnitentia d.7.ſect.1.§.4. contra Lugum, Perez, & alios, quos refert, & ſequitur Tamburinus *ſuprà num.106.* Secundò fit, ex peccato publice facto malitiam ſcandali oriri, quia tale peccatum per ſe aptum eſt ad alios reducendos, & quod de facto inducat, per accidens eſt

SECTIO VI.

An permittere in proximo peccatum aliquo bono fine, quod impedire poteſt, ſit ſpeciale peccatum ſcandali?

SUMMARIUM.

170 *Permittere in alio peccatum eo fine, ut ipſe peccet, eſt peccatum grave contra charitatem.*

171 *Qui permittit peccatum alterius eo ſolo fine, ut in eo comprehenſus puniatur, peccat mortaliter.*

172 *Quid ſi habeat ſpem ut in eo comprehenſus emendetur?*

173 *Vt quis ſe indemnem ſervet poteſt licite permittere proximi delictum, ſi alia via commoda non detur.*

174 *Quid ſi quis offerat proximo occaſionem delicti, ut in eo comprehenſus corrigatur?*

SUppono ut certum peccatum grave eſſe contra 170
charitatem, permittere in alio peccatum, eo fine ut ipſe peccet: difficultas igitur eſt, An aliquo bono fine illud permittere liceat potenti illud peccatum impedire?

Dico primò: ſi quis permittat peccatum alterius, 171
eo ſolo fine, ut quis deprehenſus in illo puniatur, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia pœna illa, cum, non dum ſit contracta, non poteſt ab aliquo attendi, niſi intendatur, & peccatum ad quod illa conſequitur, & pœna ab illo aliter haberi non poteſt, niſi habeatur peccatum. Ita cum Sanchez, Medina, Palaus, *tr.6. d.6.p.5.n.2.* Vndè ſi cuſtos, v.g. gabellæ, vel horti, ſe abſcondat eo fine, ut merces aſportentur, vel viator civitatem, vel hortum ingrediantur, & ſic pœnam ſolvant, peccat mortaliter contra charitatem, non tamen contra juſtitiam; quia officium cuſtodis non eſt conſulere bonis delinquentium, eoſque à pœnis præcavere; Vnde non tenetur ad reſtitutionem. Ita cum Fauſto, & aliis, Thoma, Tamburinus *lib.5.decalogi cap.1.§.4.num.3.*

Dico

Digitized by Google

172 Dico ſecundò: ſi quis permittat peccatum alterius cum ſpe certa, vel valde probabili, ut ſic deprehenſus corrigatur, non peccat. Ratio eſt, quia tunc correctio abſoluta delinquentis eſt ſufficiens cauſa honeſtandi illam permiſſionem: ita cum Navarra, Valentia, Sanchez, & aliis Palaus *ſup. num. 3.* Hinc fit poſſe licite patrem permittere filij furtum, ut à ſe in illo inventus corrigatur.

173 Dico tertiò: ut quis ſe indemnem ſervet poteſt licite proximi permittere delictum, ſi alia via commoda non detur, qua indemnitas obtineri poſſit; hæc enim neceſſitas ſe indemnem ſervandi, dat ſufficientem cauſam ad eam permiſſionem: ita cum Molina, Sanchez, Bonacina, Navarra, Palaus *ſup. n. 4.* Hinc fit, poſſe maritum ſuſpicantem uxoris adulterium, vel illius ſecreto conſcium, adhibere ſecum teſtes, quibus poſſit adulterium probare, & divortium facere. Secundo fit poſſe licite hoſti cuſtodem ſe abſcondere, non ea intentione, ut viatores ingrediantur hortum, & deprehendantur in furto, ſed ut melius res ibi cuſtodiendas traditas cuſtodiat, & ratius delinquentes peccent, dum timent, ne forte à latitantibus deprehendantur: ita cum Navarro, Bedel. Tamb. *ſup. n. 3.*

Sed quæres, An ob prædictos fines liceat, non ſolum permittere proximi peccatum, vel etiam poſitive offerre delinquentibus occaſionem delicti committendi, ut ſic in illo comprehenſi corrigantur, v. g. An liceat patri relinquere clavem in arca, ubi ſunt pecuniæ, è qua filius furans deprehendatur, ad correctionem? Et an liceat marito dicere uxori, quod per æquivocationē conveniat cum amaſio, ut is veniat tali hora, [non ad peccandum, hoc enim illicitum foret, eſſet enim invitatio ad peccatum] & quod fores erunt apertæ, ut ſic deprehenſus emendetur, & corrigatur? Et an liceat domino convenire cum ſervo, ut afferat res ipſius domini ad furem, qui ipſum ſervum ad furandum excitat, quo fur comprehendatur, cum re furata, & ſic non amplius eundem ſervum ad furtum ſolliciet.

In his omnibus caſibus negat cum communi ſententia Sanch. *lib. 10. de Matrim. d. 12. n. 55.* Bon. *de peccatis d. 2. q. 4. p. 2. §. unico n. 28. & 34.* Baſæus *verbo ſcandalum § 4.* Ajunt enim oblationem illam occaſionis peccati eſſe tacitam, imò expreſſam volitio-
174 nem, ſeu acceptationem peccati. Verùm licèt hæc ſententia probabilior ſit, contrariam tamen reputo probabilem, ſicut eam aliquo modo probabilem putat Palaus *ſup. n. 6.* Tambur. *ſup. n. 5.* & eam abſolute tenet Petr. Navar. *lib. 3. de reſtit. c. 4. dub. ultim. n. 104. in ſecunda editione.* Joan. Sanc. *in ſelectis d. 35. n. 12.* Ghilinius *verbo peccatum n. 1.* Cotonius *verbo ſcandalum n. 2.* Et ratio eſt, quia hoc non eſt formaliter cooperari peccato, ſed illud permittere miniſtrando materiam, ad impediendum gravius damnum. Tum quia illa clavis oblatio, dictum illud æquivocum, illa advectio rei ad furem, non ſunt actiones ex ſe peccaminoſæ, ſed indifferentes, nec ullo modo expreſſæ, aut tacitæ acceptationes peccati, ergo ex magna cauſa honeſtari poſſunt.

SECTIO VII.

Utrùm peccet peccato ſcandali, qui parato grave peccatum committere ſuadet committere levius?

SUMMARIUM.

175 *Invitare ad minus peccatum non paratum ad majus eſt peccatum mortale.*

176 *Suadere minus malum omnino parato ad majus licitum eſt.*

177 *Quid ſi paratus ad majus malum de minori non cogitabat?*

178 *Quid ſi ſit reſpectu diverſarum perſonarum?*

179 *Poteſt quis juvare latronem ad furtum minus, ut omittat furtum majus reſpectu ejuſdem perſonæ.*

180 *Non poteſt adjuvare ad vulnus inferendum Petro, ut evitet mortem ejus.*

SUppono neminem poſſe invitare, conſiliumve 175
dare ad peccatum committendum abſolute loquendo, quod verum eſt, etſi conſulat minus malum, ſi conſulat non parato ad faciendum majus malum, nam hoc abſolute eſt invitare ad peccatum, quod abſque dubio peccatum grave eſt, & in hoc conveniunt: his ſuppoſitis.

Dico primo licitum eſt conſulere ſeu ſuadere al- 176
teri minus malum, ut omittat majus, ad quod faciendum paratus erat, quando aliter ab hoc iniquo propoſito revocari non poteſt, etiamſi minus malum, ſit intrinſece malum, ita Sot. Angelus, Navar. Medin. Armilla, Silvius, Cajet. Molin. Leſſ. Turrian. Lancſr. Barb. Dian. Vaſq. Pont. Bedel. quos refert, & ſequitur Vidal *de charitate, inquiſit. 4. n. 12.* Coton. *verbo ſcandalum n. 3.* Tamb. *lib. 5. Decal. c. 1. §. 4. n. 10.* contra Valent. Saa, & alios. Ratio eſt, quia dum ſuadetur minus malum præbetur conſilium conditionale, videlicet ſi majus commiſſurus es, elige minus; ſed ſuadere hoc, non eſt intrinſece malum, cum quis vere ad malum non inducatur; ſed ad electionem illam minoris mali, quæ eſt bona, ergo licite fit.

Dices Non ſunt facienda mala, ut inde veniant bona, ſed qui conſulit minus malum vult ipſum malum, ergo non poteſt illud licite velle ad evitandum majus malum. Confirmatur quia qui facit minus malum ad evitandū majus peccat; ergo qui conſulit minus malum ad evitandū majus, etiam peccat. Cōfirmatur ſecundò quia ſi conſulens non ſuaderet minus malum, malefactor illud non cōmiſiſſet, ſed aliud; ergo conſulens eſt cauſa illius mali, etiāſi bono fine id faciat. Confirmatur tandē quia quod eſt materia cōſilij poteſt aliquando cadere ſub præcepto, ſed minus malum nunquam poteſt præcipi, ergo neque conſuli.

Reſpondetur ad primum concedendo majorem, deinde diſtinguo minorem; qui conſulit minus malum, vult ipſum malum, diſtinguo, ut malum nego, ut carentiam majoris mali concedo: ergo non licet, negatur conſequentia: nam in illo caſu non eſt ſuaſio mali, vel deviatio, & carentia majoris mali, quod eſt bonum, & conforme ordini charitatis dictātis majus peccatum majori odio eſſe proſequendum. Ad Confirmationem. Reſpondetur concedendo antecedens de malo morali, & negatur conſequentia. Ratio diverſitatis eſt, quia in committente, unum peccatum non poteſt eſſe medium ad evitandum aliud, cum utrumque voluntariè committat: At in conſulente poteſt eſſe medium, cum non poſſit utrumque impedire ob alterius pravam voluntatem omnino determinatam ad malum patrandum, unde ſuadens non vult malum, ſed illud minus per ſe. Ad ſecundam Confirmationem Reſpondetur concedendo antecedens, deinde diſtinguitur conſequens, ergo conſulens eſt cauſa illius, diſtinguo per ſe, & directe nego, per accidens, & indirecte concedo, ergo peccat, negatur conſequentia quia in tali caſu, non ſuadetur malum per ſe, & ſimpliciter, ſed comparative ad majus evitandum, quod eſt bonum. Ad ultimam Confirmationem Reſpondetur conceſſa majori diſtinguendo minorem, minus

malum absolutè, & per se non potest præcipi, concedo; comparative, & sub conditione, dum alterius voluntas videtur determinata ad majus malum patiendum, non potest præcipi, negatur; nam tunc præcipitur electio minoris mali, quod est quid bonum, ut *suprà* diximus.

177 Et hinc fit primò licitam esse suasionem minoris mali, non totum quando ille qui suadetur ad tale malum paratus erat unum ex illis duobus patiare, verũ etiam quando de hoc minori malo nihil cogitabat, sed tantum de majori, ut si determinato Solomiam committere, quis consulat fornicationem. Ita cum citatis Doctoribus Vidal *suprà n.* 43. Et idem dicendum est, si parato ad furandum à Petro centum, quis consulat ut furetur quinquaginta propter eandem rationem. An autem idem dicendũ sit respectu diversarum personarum, ut si quis parato ad furandum à Petro centum, consulat ut furetur à Paulo quinquaginta, vel si quis parato ad occidendum Paulum, consuluat ut amputet potius brachium à Francisco, quando aliter vitari non potest, majus est dubium; & licet hoc totum admittat Vasquius, Turrianus, quos refert Vidal *suprà num.* 61. & non multum dissentiat Tamburinus *supr. n.* 11. & 12. Ego autem existimo hoc solum licitum esse in sequentibus casibus.

178 Primo quando quis utrique illud malum inferre decrevisset. Secundo quando damnum unius esset modicum, quia dives, & alterius magnum. Tertio quando ille tenetur pati illud minus malum, plebejus namque tenetur pati mortem, ne rex, vel princeps, occidatur. Quarto si personam in particulari nõ nominẽt, sed solum in communi, ut si volenti furari ab inope consulat, ut potiùs furetur à divite, nullum nominando, si volenti occidere Petrum consulat, ut potius aliam mutilet. Ita & bene Vidal *suprà n.* 61. Tamburin. *sup. n.* 3. Et nos infra dicemus. Ratio est, quia in his, & similibus casibus, qui patitur tale minus damnum, non potest esse rationabiliter invitus, ratione consulentis, quia non induxit propriè ad malum, sed ad majoris mali carentiam.

179 Sed quæres, quid dicendum sit, si latro consulenti dicat, nisi tu me adjuves ad furandum minus à Petro, ego furabor majus ab eodem Petro, poterisne illum adjuvare, si aliter non potes furem à furto avertere? Respondeo posse quia tunc non est dominus invitus. Quod si latro pari modo poscat auxilium ad furandum minus à Petro, secus furaturum majus à Paulo, vel postulet auxilium ad vulnerandum Petrum, secus occidet Paulum, esto posses modo dicto id consule-

180 re, non tamen potes adjuvare. Ratio est, quia consilium per se tendit ad vitandam majorem culpam, at auxilium, & cooperatio per se tendit ad ipsum peccatum, quod licèt minus, peccatum tamen est, quod sicut cómittere tibi non conceditur soli, ita neque cũ socio, etiam si sit ad vitandum majus malum. Sed de hoc Vide *sequent. sectionem*, & *infr. tr.* 10. *d.* 29. *s.* 3.

SECTIO VIII.

Utrùm quis possit licitè eligere minus peccatum ad evitandum majus?

SUMMARIUM.

181 *Minus malum intrinsece malum nunquam potest eligi ad evitandum majus.*

182 *Quando malum est malum quia prohibitum, potest quis, & tenetur eligere minus malum ad vitandum majus.*

183 *Deducuntur quædam corollaria.*

184 *Quando duo præcepta positiva concurrunt, quod magis obligat præponendum est.*

185 *Non potest eligi minus malum certum ad vitandum majus malum incertum.*

186 *Ex suppositione quod homo velit libere malum lege prohibitum eligere, non peccat quia eligit minus malum, sed ratione præcepti peccatum vitandi.*

DIco 1. Nunquam potest licitè eligi minus malum culpæ ad majus evitandum, quãdo est malum intrinsece, & ex natura sua: ita communiter DD. quos refert, & sequitur Vidal *de charit. inquis. 4. n.* 28. Ratio est, quia absolute unusquisque tenetur tã ex lege divina, quam humana, peccatũ omne formaliter tale vitare, sed qui eligit minus malũ ex natura sua tale, vult illud ut malũ, ergo tenetur illud vitare. 181 2

Dices ex duobus malis minus est eligendum; ergo si quis eligat minus malum ad vitandum majus malum licitè agit. Confirmatur, quia potest dari casus, in quo quis sit constitutus in extrema necessitate eligendi unum ex duobus malis culpæ, aut minus, aut majus, ergo tunc eligendo minus, recte facit. Respondetur ad argumentum, illud axioma intelligi quando malum non est intrinsece malum, implicat enim culpam esse, & licite eligi posse. Ad Confirmationem Respondetur malum intrinsece in nullo casu cohonestari, unde mendacium, nec ad vitandam mortem honestari potest.

Dico secundo: Quando malum est malum, quia 182
prohibitum, potest quis licite, & tenetur eligere minus malum, ad evitandum majus malum, quando utrumque cavere non potest, sed necessitate adstrictus unum è duobus eligere debet. Ita communiter DD. quos refert, & sequitur Vidal *supr. n.* 13. Ratio est, quia quælibet lex ut obliget, debet esse rationabilis, & possibilis; sed si lex absolute, in hoc etiam casu obligaret, jam non esset justa, rationabilis, & possibilis; ergo talis lex in hoc casu non obligat; ergo potest quis eligere minus malum, quia prohibitum ad evitandum majus, quia tunc minus malum propriè jam non est malum, nec censetur prohibitum per legem, sed bonũ cum ad illud dictet recta ratio.

Dices semper culpa committitur, cum alicui præcepto contravenitur; cum ergo detur præceptum, ut omne malum culpæ vitetur, quodcunque illud sit, sequitur quòd qui eligit minus malum culpæ ad vitandum majus malum, contraveniat præcepto, ac per consequens quod peccet. Ergo non licet. Respõdetur anteced. esse verũ, quando voluntariè contravenitur formaliter alicui præcepto, secus verò quãdo in casu necessitatis, nam tunc cessat cujusvis legis obligatio.

Hinc colligitur primò ad conservationem vitæ 183
cessare præceptum, etiam divinum, ut fecit David, quando ad conservandam vitam comedit panes propositionis. Secundo fit ad mortem vitandam licitam esse abscissionem brachij, vel alterius membri, & acceptationem rei alienæ, ita cõmuniter DD. Tertiò fit quòd ad impediendam proditionem patriæ, potest quis proditorem laute excipere, & eum inebriare, & hoc idem licitum est ad evitandum aliud gravius malum, nempe provocando paratum ad tale delictum ad se inebriandum, quia tunc non inducitur ad ebrietatem, nec illa intenditur, sed procuratur tale medium, ut impediatur proditio, vel majus delictum, ita cum aliis Diana *p. 6. tr. 7. res. 43.* & cum Baldello, Vidal *sup. n.* 4. Non potest tamen judex inebriare reum, ut ab illo veritatem eruat, quia jus non habet extorquendi veritatem per injuriam, quod faceret, si extorqueret eam ab invito, qualis esset reus ebrius. Ita cum Baldello, Vidal *sup. n.* 41.

Quarto

Digitized by Google

184 Quartò fit, quod quando duo præcepta positiva concurrunt, quod magis obligat præponendum esse; Vnde quando concurrit præceptum humanum cum naturali, vel divino, solum divinum observandum est, quia tunc cessat humanum, utpote debilius. Vidal *suprà num.* 44. Quintò fit quòd debet quis potiùs eligere mortem, quàm peccatum, quia præceptum amoris Dei, præfertur præcepto dilectionis erga propriam vitam. Sextò fit, teneri conjugem conscium nullitatis matrimonij, potius subire pœnam excommunicationis, & alias, quam cum peccato debitum conjugale solvere. Septimò fit; non esse committendum peccatum veniale, ut vitetòr mortale proximi, quia una culpa non est medium ordinatum ad tollendas alias culpas. Ita cum Suario, Sanchez, Vidal, *suprà num.* 56.

185 Octavo fit, non posse minus malum certum eligi, ad vitandum majus malum incertum, quia majus malum, si est minus certum, minori certo tolerabilius est: Nonò fit, teneri hominem etiam cum periculo vitæ, succurrere proximo existenti involuntarie simpliciter in extrema necessitate spirituali, ut si possim parvulum moribundum baptizare, vel adultum dormientem, quem scio esse in mortali, & fore occidendum: dixi existenti involuntarie simpliciter in extrema necessitate, nam si ille se sua voluntate in illa necessitate posuit, non teneor cum periculo vitæ illi subvenire; Vnde si quis cum peccato mortali vellet me, vel proximum occidere, possum eum occidere, quamvis sciam damnandum; quia non est in necessitate, sed in voluntate; Vnde si postquam eum percussi adest tempus pœnitentiæ, non teneor cum periculo vitæ, ei succurrere, quia potest si velit per solam contritionem salvari: excipe proprium Episcopum, & parochum, nam tunc sufficit gravis necessitas, cum hi teneantur ex justitia, & ex officio illi subvenire: excipe secundò respectu boni communis, nam tunc necessitas gravis, etiam cum periculo vitæ obligat. Ita cum Suario, & aliis, Vidal *suprà num.* 59.

186 Dico tertiò: non solùm quando homo est necessitatus ad eligendum unum è duobus, tenetur minus malum eligere lege prohibitum, sed ex suppositione quod malum liberè vult eligere, tenetur semper eligere minus malum, & eligendo majus malum, non peccat ratione prælectionis, sed ratione præcepti peccatum vitandi. Ita cum Sanchez, Soto, Ledelma, Suario, Vidal, *suprà num.* 45. Ratio est, quia illa electio, sive sit voluntaria, sive necessaria, comparative est bona, & consona ordini charitatis, secundum quam minus malum est eligendum, ergo ex suppositione, quod homo velit malum eligere, tenetur minus malum eligere, quàm majus.

Dices, voluntas tenetur omne malum vitare, ergo non potest licite eligere minus malum, ad vitandum majus. Respondetur concedendo voluntate absoluta teneri hominem vitare omne malum culpæ, ex suppositione tamen quòd ex malitia, vel fragilitate velit peccare, minus malum tenetur eligere, in quo casu non erit culpa ratione pravæ electionis, sed ratione peccati vitandi, quod poterat quis, & tenetur vitare.

* *
*

SECTIO IX.

Utrum cooperatio cum peccante semper sit peccatum scandali, vel aliquando possit esse licita?

SUMMARIUM.

187 *Ex causa rationabili non peccat, qui ex bono fine cooperatur cum aliquo in actione de se indifferenti, licet alias ille ea abutatur ad culpam.*

188 *Ratio communis famulatus est sufficiens causa ad excusandum famulum subditum, & filium facientem opera indifferentia remota actioni pravæ respectu domini, Patris, &c.*

189 *Quando opera indifferentia sunt proximiora peccato, major causa requiritur.*

190 *Ratio communis amicitiæ non sufficit, ut quis emat imaginem concubinæ pro amasio.*

191 *Quando teneatur dominus ejicere famulum, quem scit extra domum habere concubinam?*

192 *Potest quis licite concubinæ judicis munera dare, ut intercedat pro dante apud judicem.*

193 *Puella advertens se ab alio libidinosè tangi, si tactus sint ex se liciti secundum morem Patriæ, & publicè fiant, licitè potest eos tolerare.*

194 *Mulier nimium se ornando, si credat alicui, etiam indeterminatè fore lapsûs occasionem, tantum peccat venialiter.*

195 *Ex gravissima causa potest pictor depingere imaginem concubinæ amasio, & quæ causa hæc sit.*

196 *Idem dicendum est de histrionibus res lascivas repræsentantibus, dummodo absit periculum suæ impuræ delectationis.*

197 *Qui res suas venales habet, potest eas vendere etiamsi sciat ementem illis abusurum, si alias eas nequaquam venderet.*

198 *Vendentes esculenta possunt ea vendere soluturis jejunium.*

199 *Non potest quis idolum fabricare infideli nisi hoc faciat ex metu mortis.*

200 *Potest quis petere à sacerdote, quem scit esse in mortali, ut sibi ministret Sacramenta, si præsto non sit alius, qui ea possit ministrare, vel si petenti interest potius cum illo.*

201 *Potest quis ob suam necessitatem, vel utilitatem petere ab aliquo juramentum, quem timet falsò juraturum, dummodo non petat, ut falsum juret.*

202 *Ob mortis metum possunt Christiani captivi propugnacula adificare, arma afferre contra Christianos ad bellum, si alias id per alios fieri poterat.*

203 *Non possunt contra Christianos tormenta dirigere, ignem applicare.*

204 *Potest quis ab usurario etiam non parato, ob finem honestum petere mutuum sub usuris.*

205 *Famulus dicens domino usurario, ut det huic petenti mutuum sub usuris non peccat, nec tenetur ad restitutionem.*

206 *Si famulus cogat mutuatarium ad solvendas usuras peccat, & tenetur ad restitutionem.*

207 *Famulus qui scribit in libris usurariis, vel facit apodixas facientes fidem ad cogendum mutuatarium peccat, & tenetur ad restitutionem.*

208 *Non potest quis ministrare indifferentia illi, qui transgressurus est præceptum, ea solum*

cauſa, quia alibi eſt tranſgreſſurus, etiam ſi ille tales res non miniſtraſſet.

209 *Quid ſi detur alia cauſa?*

210 *Non licet paratum ad peccandum invitare ad actum in ſe peccaminoſum.*

211 *Parato abſolute ad peccandum, poteſt quis etiam ſine neceſſitate, cum aliqua tamen utilitate, offerre occaſionem peccati, quæ ex ſe ſit res indifferens.*

212 *Quid ſi id ab alio ſine peccato æque bene conſequi poſſet?*

PRo reſolutione hujus ſectionis nota non eſſe ſermonem de cooperatione in ipſa actione peccaminoſa proximi, v.g. in accipiendo aliena invito domino, in occidendo innocentem, &c. hoc enim manifeſtum eſt eſſe iniquum, ut in ſuperioribus dictum eſt: Quod ergo quærimus eſt, an liceat cooperari cum actione proximi ex ſe indifferente, ex qua ipſe ſumit occaſionem peccandi? an, v.g. liceat ſcalas feneſtræ admovere? quæ actio eſt ex ſe non mala, ſi videas aliquem velle illa commoditate uti ad furandum, licet furtum tu nunquam intendas.

187 Dico primò: ex cauſa rationabili juſta, nimirum, & proportionata, non committit peccatum, nec contrahit onus reſtitutionis is, qui ſcienter cooperatur cum aliquo in actione, quæ non eſt intrinſece mala, ſed quæ in ſe conſiderata indifferens eſt, ſi ipſe illam actionem ordinet ad finem bonum, id eſt, vel ad ſuam neceſſitatem avertendam, vel ad ſuam utilitatem conſequendam, quamvis alius ea abutatur ad peccandum. Ita Diana *p.5. tract.7.per totum*, Sanchez, *lib.1.decalogi cap.7.* Palaus *tract.6. d.6.p.7.* & cum aliis, Tamburinus *lib.5.decalogi cap. 1.§.4. num.16.* Cotonius *verbo ſcandalum num.8.* & cum aliis Baſæus *verbo ſcandalum num.8.*

Ratio eſt, quia quando urget cauſa rationabilis, ut quis faciat illud opus, moraliter cenſetur non poſſe aliud facere; illa enim urgens neceſſitas aufert à ſic faciente potentiam moralem; ergo tunc non tenetur ab eo opere ſe cohibere. Patet conſequentia, quia cum ab illo ſublata ſit potentia moralis ab illa neceſſitate, non poteſt aliud efficere; ſed nemo ad impoſſibile tenetur, ergo tunc non judicabitur velle peccatum proximi, ſed ſolum cenſebitur illud ob ſuam neceſſitatem permittere: Et hinc plura deducuntur, quæ placet colligere, ut inde quilibet dijudicare valeat, quando actio ſit indifferens, & cauſa juſta, & proportionata, ad hoc, ut hæc cooperatio ſit licita, uno enim ex his duobus deficiente, cooperantem peccare non eſt dubium, ut bene advertit Baſæus *ſuprà num.9.*

188 Colliges ergo primum rationem communis famulatus eſſe ſufficientem cauſam ad excuſandum famulum, filium, & ſubditum facientem opera indifferentia, quæ reputantur nimis remota actioni pravæ. Hæc autem indifferentia nimis remota ſunt, cibos condire, menſæ concubinæ miniſtrare, lectulum ſternere, illum ornare, equum quo uſura eſt præparare, januam domus illi aperire, deferre munuſcula, & internuntia ſolius urbanitatis plena, depictam jam imaginem concubinæ pro domino emere, dominum comitari, quem ſcit ire ad domum concubinæ, & illum ante fores expectare, non illum cuſtodiendo, nec animoſiorem reddendo, ſed tantùm ipſum mere comitando, juſſu heri uſurarij pecuniam numerare, deferre, recipere, referre mere in libris. Ita cum aliis Tamburinus *lib.5. decalogi cap.1.§.4. num.18. & 19.*

189 Quid ſi opera indifferentia ſint proximiora peccato, tunc majorem cauſam requirunt, ut licitè à famulo, filio, ſubdito fiant, nempe ſi pater torvis oculis filium aſpiceret, & filius timeret ab illo male tractari, vel ſi dominus è tua domo famulum ejiceret, & expulſus cogeretur mendicare, vel penuriam pati, & alium herum non ita facile inveniret, vel ſi dominus debita mercede privet, vel ſi eum eſſet continuo objurgaturus: opera autem proximiora peccato reputo, concubinam portare, ſignare locum domino ubi ſit, dicere concubinæ: dominus meus dicit, ut illum hac nocte expectes, vel eum videas, domino volenti aſcendere per feneſtram ad rem habendam cum fœmina, pedem ſuſtinere, ſcalam apponere, litteras deferre, tantum continentes, quod concubina ea nocte ad ſe veniat. Ita cum Sanchez, Azor, Rebello, & aliis Palaus *ſuprà n.5.* Cotonius *verbo cooperatio peccati n.5.*

Quod ſi actio indifferens magis propinqua ſit peccato, ut eſt aſſociare dominum ad duellum, vel ad domum concubinæ, & illum ad fores cuſtodire, ſola intentione ſociandi, ſciens illum hac ſocietate uti ad ſe animoſiorem reddendum, urgentior cauſa poſtulat, ut metus maximi nocumenti. Ita Palaus *ſuprà num.6.* Nulla tamen ex cauſa licet famulo litteras ſcribere, & deferre ad concubinam verba turpia, vel provocationem ad duellum continentes, hæc enim ſunt intrinſece mala. Ita cum Sanchez, Diana, Cotonius, *verbo peccato cooperari num.5.* contra Palaum *ſuprà num.7.*

Secundò colliges quid dicendum ſit de uno amico reſpectu alterius, non enim ſufficit communis ratio amicitiæ, ut emat imaginem jam fabricatam concubinæ pro amico, vel ut deferat concubinæ munuſcula, & alia amoris incitamenta, etſi hæc ex ſe ſint indifferentia; ſufficit tamen ad hanc actionem excuſandam, timor perdendi amicum ſibi maxime utilem, major tamen cauſa requiritur, ut illi commodet ſuam domum, ſciens illam poſtulare, ut ibi ſecurius cum concubina dormiat. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *ſuprà num.20.* 190

Tertiò colliges, quid dicendum ſit de domino reſpectu famuli, nimia enim neceſſitas illius famulatus ad evitandum aliquod notabile damnum ſufficit, ad excuſandum dominum non ejicientem famulum, quem ſcit extra domum habere concubinam; nam ſi tale damnum non ſequatur, tenetur ſub mortali eum ejicere, vel aliquid ab eo ſubtrahere, ſi hoc ſufficiat, ad tollendam occaſionem: Excipe niſi alias expulſus timeatur deteriorem futurum. Ita & bene Tamburinus *ſuprà n.11.* Et idem dicendum eſt de Patre reſpectu filij, non enim poteſt Pater domi retinere fœminam, cum qua ſcit filium, vel ſervum peccare, niſi ex illius expulſione aliquod grave damnum patiatur: Vnde non ſufficit quòd aliam ſervam facile non inveniat. Ita Tamburinus *ſuprà num.22.* 191

Quartò colliges; Poſſe quemlibet judicis concubinæ munera tradere, ut intercedat pro ipſo apud judicem, ſi adſit juſta cauſa, nec adſit alia via judicem propitiandi, nam & judex, & concubina poſſunt bene gerere, quod ille petit, & ex malitia ſua male agunt, quod alter non intendit, nec vitare tenetur, cum gravi incommodo. Ita cum Mendoſa, Diana, Cotonius, *verbo ſcandalum num.15.* & cum Palao, Hurtado, Sanchez, Tamburinus, *ſuprà n.n.25.* Et idem dicendum eſt de fœmina adeunte ad judicem pro ſua cauſa, ad medicum pro ſua infirmitate, hæc enim non peccat, etſi ſciat concupiſci à judice, vel à medico; neceſſitas enim illius gravius eam excuſat. Ita cum Hurtado, Diana *p.5. tract.7.reſol.20.* 192

Et idem dicendum eſt de puella advertente ſe ab alio 193

alio libidinoſe tangi, nam ſi tactus ex ſe ſint liciti, ut oſcula ex more patriæ. (de illicitis enim non eſt dubium continere peccatum illorum cooperationem) ſi publicè fiant poteſt illos tolerare, ſecus ſi occulte fiant, nam tunc tenetur non concurrendum cum alterius peccato, Tamburinus *ſuprà num.* 25. Poteſt tamen puella licitè permittere, ut videatur ab adoleſcente, intentione nubendi, non tamen poteſt permittere delectationes carnales de præſenti, Tamburinus *ſuprà num.* 26. Excuſatur etiam à peccato mortali puella, quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, a quo ſcit ſe turpiter amari, ſi hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel utilitate, aut ne ſe privet ſua libertate, vel jure exeundi è domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram: nam quod adoleſcens ruat, non provenit ex intentione, nec ex actionibus puellæ, ſed ex malitia adoleſcentis; ſecus dicendum eſt, ſi puella datâ operâ, abſque ulla neceſſitate, offerret ſe conſpectui illius amaſij, quadam vanitate ducta, & turpis illius amoris conſcia, & ſi illum non intenderet, nam tunc peccaret mortaliter, tenebatur enim ſaluti proximi conſulere, niſi ex aliqua cauſa excuſaretur. Ita cum Cajetano, Bonacina, Sanchez, Azor, Baſæus, *verbo ſcandalum* §. 3. Diana *p.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 30.

194 An autem teneatur puella reſpuere ornatus valde nimios, non ſolùm ſi ſciat ab aliquo in ſpecie concupiſcendam, ſed etiam ſi credat ſe fore alicui indeterminate lapſus occaſionem? Affirmant Granado *tract.* 13. *d.* 5. *ſect.* 5. *num.* 31. Verum Layman, Mendoſa, quos refert, & ſequitur Cotonius, *verbo ſcandalum num.* 12. tantum exiſtimant peccare fœminam in hoc caſu venialiter. Ratio eſt, quia mulier nimium ſe ornando ex cauſa oſtentationis ſolum venialiter peccat; ſed ſcandalum proximi non oritur ex hac intentione, ſed ex ſubſtantia ornatus, à quo mulier non præcipitur abſtinere, ergo mulier ſic ſe ornando, ſecluſo malo fine, tantum peccat venialiter: Et eadem ratione, non tenetur mulier ſe abſtinere à choreis licitis, ob dubium, ne aliquis illam ſit concupiturus, ſi tamen id ſciat, aut probabiliter timeat, & ſine incommodo poſſit, tenetur abſtinere, præſertim ſi ille peccat ex ſubita paſſione, Diana *p.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 25. Cotonius *ſuprà num.* 23.

195 Quintò colliges, poſſe ex graviſſima cauſa pictorem depingere imaginem concubinæ amaſio, quia hæc actio eſt de ſe indifferens. Ita Palaus *p.* 11. *num.* 6. contra Azorium *tom.* 2. *lib.* 12. *cap. ultimo quæſt.* 9. Graviſſima tamen cauſa non eſſet ſola amiſſio lucri, ſed metus mortis, vulneris, &c. Diana *p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 6. Vel ſi eo lucro indigeret ad victum, vel quid ſimile, Tamburinus *ſuprà num.* 28. Nec obſtat quod *ſuprà* diximus, famulum ex ratione ſolæ famulatus poſſe prædictam imaginem concubinæ emere pro domino, nam minor cooperatio eſt in ſola emptione, quando minus facile per ſe efficere poteſt, quam in ea facienda, nam dominus eam per ſe pingere non poteſt.

196 Idem dicendum eſt de hiſtrionibus res laſcivas repræſentantibus, ac de pingente imaginem concubinæ, dummodo abſit periculum luæ impuræ delectationis, quod rarò evenire poteſt, Tamburinus *ſuprà num.* 28. Erit tamen ſola amiſſio lucri cauſa ſufficiens excuſans aurigas deferentes concubinam in lectica, vel curru, ubi ſciunt peccaturam, ſi id ex officio faciunt. Ita cum Metola. Diana, *p.* 5. *tract.* 6. *reſol.* 11. & 46. Cotonius *verbo peccato cooperari num.* 4. Tamburinus *ſuprà num.* 30. Hoc tamen non concedunt DD. famulo ob rationem communem famulatus. Diana *ibi*, Tamburinus *ibi*.

Sextò colliges jacturam, quam quis pateretur, 197
ſi res ſuas, quas venales habet nequaquam venderet, eſſe ſufficientem cauſam, ut quis ſua vendat, etſi ſciat aliquem illis male uſurum eſſe, unde poteſt agnum vendere Judæo, quem ſcit uſui fore ad ſacrificium idoli: Fucos mulieri, quos ſcit emi, ut ad turpem amorem perundta juvenes alliciat, & taxillos eis, qui in ludo illicito ſunt illis abuſuri; Caupones poſſunt miniſtrare cibos in die jejunij, tum quando dubitant, an ad ſe venientes à jejunio excuſentur, tum quando putant eos non jejunare: Poteſt etiam quis vendere, vel locare domum ſuam meretrici, vel uſurario publico, niſi alias vicinitas meretricis multum noceret honeſtis fœminis in eo loco viventibus, nam tunc major cauſa neceſſaria eſſet, qualis foret, ſi alios non inveniret, quibus eam locaret.

Poſſunt etiam vendentes eſculenta, ea vendere 198
ſoluturis jejunium: ad vendendum tamen vinum ſcienter ſe inebrianti, major cauſa requiritur, quam merum pretium vini, nimirum timor alicujus injuriæ, vel ſi numerus emptorum multum diminuatur: non poteſt quis tamen gladium tradere furioſo, vel cum illo inimicum occidere volenti, & ſi illius ſit, niſi ex graviſſima cauſa; quod ſi aliter fecerit, non ſolùm peccat, ſed tenetur ad reſtitutionem. Et idem dicendum eſt de eo, qui tradidit venditoribus vinum, frumentum, cæteraque vendenda pretio juſto, & ſine fraude, ſi prævideat vendendum cum fraude, etiam ſi dominus tantum accipiat, juſtum pretium: nam tunc vendentes operantur nomine domini. Ita cum Hurtado, Diana, Cotonius, *verbo ſcandalum num.* 16. contra Merolam, quem refert, Diana *p.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 44. & *p.* 5. *tr.* 7. *reſol.* 39.

Poteſt tamen quis vinum, vel triticum ſuum 199
vendere illis, quos ſcit illud aqua mixtum vendituros, ſi aliàs illis non vendendo, difficulter vel cum ſuo damno alis vendere cogeretur. Ita cum aliis Tamburinus *ſuprà num.* 33. Non poteſt tamen quis pingere, nec fabricare idolum infideli, nec conſtruere Judæo Synagogam, niſi hoc faciat ex metu mortis, & alias hæc non poſtulentur in contemptum Religionis. Ita cum Mendoſa, Palao, Diana, Cotonius, *verbo cooperari peccatum num.* 7 contra Coninch. Poteſt etiam quis ex metu mortis idolum Ethnico vendere, furi dare inſtrumenta, quibus alterius feras infringat, & gladium parato ad alium occidendum; talis enim venditio ex ſe & prout proficiſcitur à vendente, cenſetur fieri ſolum, ut medium evadendi præſens periculum. Ita Tanerus, Valentia, Coninch. quos refert, & probabile putat cum Diana, Cotonius, *ſuprà numero* 8.

Colliges ſeptimo poſſe quem petere à ſacerdo- 200
te, quem ſcit eſſe in mortali, ut ſibi miniſtret ſacramenta, ſi aliàs præſto non ſit alius, qui ea ſibi poſſit miniſtrare, vel ſi pœnitenti interſit potiùs cum illo, quia docto, quam cum alio confiteri, & hoc, ſive ſacerdos, à quo petuntur ſacramenta parochus ſit, ſive non. Ita cum Azor, Tamburinus, *ſuprà num.* 39. Sacerdos enim ſi velit facile per contritionem mundari poteſt; Et idem dicendum eſt propter eandem rationem de petente ſacramenta ab excommunicato tolerato, ſecus ſi non ſit toleratus, vel publicus clerici percuſſor. Ita cum Sanch. Hurtado, & aliis Tamburinus, *ſuprà n.* 40. & cum Diana, Cotonius, *verbo ſcandalum num.* 10. Imò in articulo mortis, non ſolùm poteſt, ſed tenetur quis petere abſolutionem à malo miniſtro, ſi

Digitized by Google

non sit alias, etiamsi sciat illum peccaturum in absolvendo, quia præceptum urget, & ille absolvere potest sine peccato, quæ doctrina procedit, etiam in excommunicato non tolerato. Ita cum Ochag. Diana, *p.5. tract.7. resolut.58. & p.10. tract.11. resol.64.*

201 Colliges octavò posse quem ob suam necessitatem, vel utilitatem petere ab aliquo juramentum, quem timet falsò juraturum, dummodo non petat, ut juret falsum, nam ego actum bonum postulo, quem ille, nisi ex sua malitia licite præstare potest. Ita cum Suario, Diana, Cotonius, *verbo juramentum num.5.* Imò potest quis licite, aliquem inducere ad jurandum falsum, quòd ipse jurans ex ignorantia putabat esse verum, non enim tunc jurans inducitur ad juramentum falsum, quia hoc juramentum est moraliter verum. Ita cum Hurtado, Diana, *p.5. tract. 7. resol.14.* Cotonius, *verbo juramentum num.3.* contra Azorium, non tamen licet inducere aliquem ad jurandum verum, quod ipse jurans ignorat esse verum, nisi juraturus sibi persuadeat rem ita esse, in quo casu potest jurare rem ita esse, non tamen potest jurare se id scire, nisi fortè addat ex auditu, siquidem ex visu illum ignorat. Ita cum Hurtado, Diana, Cotonius, *suprà num.4.*

202 Colliges nonò ob urgentem causam, videlicet mortem, &c. licite posse Christianos captivos in triremibus Turcarum propugnacula ædificare, carcinas, machinas, & arma necessaria ad bellum afferre, scalas admovere contra Christianos, nam licet peccatum ad quod cooperantur materialiter perni-
203 ciosum sit, tamen illorum cooperatio non est adeo propinqua, ut sine illa damnum non inferatur, alij enim non deessent: non licet tamen illis contra Christianos tormenta dirigere, ignem applicare, seu damnum indirectum in personas illorum inferre. Imò non licerent prædicta in casu, quo res eo devenisset, ut Christiani ipsis reluctantibus, facili negotio vincerent, quia tunc tenerentur postponere propriam vitam bono communi reipublicæ. Ita cum Sanchez, Diana, & aliis Cotonius, *verbo peccato cooperari, num.13.* contra Toletum: excusantur tamen si inferant damnum Christianis in rebus externis eas capiendo, vel destruendo, quia tunc sunt in extrema necessitate illorum bonorum ad tuendam vitam; unde dominus illarum non esset rationabiliter invitus. Ita cum Palao, Diana, Cotonius, *suprà n.14.* Tamburinus *lib.5. decalogi c.1.§.4. num.41.* contra Coninch.

204 Colliges decimò posse quemlibet licitè petere ab usurario, etiam non parato ad fœnerandum mutuum, si adest aliqua causa rationabilis, puta aliquod opus pium, vel etiam ludus publicus, convivia, torneamenta, & similia, quæ quis sine dedecore omittere non potest. Ita cum Fausto, Diana, & aliis, Cotonius *verbo, scandalum num.8.* Et in his casibus potest quis petere mutuum sub usuris, nam dicens da mihi mutuum sub usuris, directe intendit solum mutuum, usuras verò solum permissive. Ita cum Sanchez, Diana, Cotonius, *suprà num.8.* Quæ procedunt, etiamsi usurarius ex ingenti avaritia usuras exigeret. Ita cum Mendosa, Cotonius *suprà*, cooperantes verò cum usurario licitè possunt efficere omnes eas actiones, quæ mutuatario sunt gratæ, & proficuæ ad mutuum recipiendum, non tamen illas actiones, quæ illi sint ingratæ, & multum damnosæ. Ratio utriusque est, quia in primo casu mutuatarius non est invitus, bene tamen secundo.

205 Hinc fit: famulum, vel alium consulentem domino usurario, ut det mutuum cum usuris huic petenti non peccare, nec teneri ad restitutionem. Et idem dicendum est de eo, qui adjuvat usurarium in numeranda vel deferenda pecunia, vel in scribendis, seu notandis rationibus, & debitorum nominibus, per meram scripturam, quæ non faciat fidem ad cogendum mutuatarium. Idem dicendum est de famulo si in exigendis usuris, sine ulla coactione amice moneat debitorem de suo debito, imò & adhortetur, ut solvat ne appareat infidelis. Item si deferat pignora pro securitate usuræ, in omnibus enim his, & similibus casibus fit res grata mutuatario.

Secus dicendum est, si tutor, curator absolutus 206
procurator, negotiorum gestor, dent mutuum sub usuris, ut tales sunt, quamvis nomine aliorum, omnes enim hi sunt causæ efficaces damni. Idem dicendum est, si famulus vel quicunque cogat mutuatarium ad solvendas usuras, si quis deponat pecunias apud usurarium, ut is usuras exerceat, si quis volentem gratis mutuari consulat, ut det sub usuris, in omnibus enim his, & similibus casibus fit res ingrata mutuatariis; unde sic cooperantes peccato, non solùm peccant, sed tenentur ad restitutionem. Ita Tamburinus *lib.5. decalogi c.1.§.4. num.43.* & nos *infrà* latiùs dicemus.

Et idem dicendum est si quis scribat libros usura- 207
rij, qui fidem faciunt, vel apodixas simili modo fidem facientes ad cogendum, secus si fidem non faciunt, Tamburinus *suprà num.51.* Vnde notarij instrumenta horum contractuum facientes non solùm peccant contra sunm juramentum, sed si de facto mutuatarius propter instrumenta prædicta cogatur solvere usuras, etiam quando fuit expressa usura in contractu, tenetur tertio loco (hoc est non restituente usurario, vel judice solutionem usurarum inique præcipiente) ad restitutionem: excipe nisi notarius rogatus à mutuatario fecerit prædictum instrumentum, sive expressa, sive palliata usura: nam tunc licet peccaverit contra juramentum de non faciendis injustis actibus, non tenebitur tunc ad restitutionem, siquidem in hoc non fecit injuriam mutuatario, quia volenti, & scienti non fit injuria, & cum alias notarius nihil accipiat ex usuris ut facit usurarius, inde est quod licèt mutuatarius respectu usurarij sit simpliciter invitus, non tamen respectu notarij. Et idem dicendum est de testibus, ac de notario in his usurarum instrumentis. Ita & bene Tamburinus *suprà num.36.*

Colliges undecimo non posse aliquem minis- 208
trare indifferentia ei, qui transgressurus est præceptum, ea solum causa, quia alibi est transgressurus, etiamsi ille tales res non ministraret, v.g. violaturus erat Petrus jejunium, & si tu illi cœnam non apponeres; occisurus Paulum, etsi gladium non ministrares; furtum commissurus, etsi scalas non adhiberes; non potest inquam absque mortali ei apponere cœnam, tribuere gladium, & scalam adhibere. Ratio est, quia quod proximus aliorum actionibus usurus sit, si tuæ non adsint, non tollit quod tu causa sis illius peccati. Tum quia licèt proximus decreverit non jejunare, adhuc poterit impediri ab illo peccato, vel Dei inspiratione, vel alia ratione, ergo non potest quis licitè hunc effectum bonum impedire. Ita cum Suario, Palaus, *tract.6. d.6. p.8. num.4.* contra Ledesmam, Lessium, Cajetanum, Rodrig. & alios, quos *ibi* refert *num.2.* & ex parte contra Sanchez, quem *ibi* refert *n.3.* quatenus id admittit, quando res indifferentes remote tantum ordinantur ad peccatum.

Dixi ea solùm causa, quia alibi erat transgressu- 209
rus, nam interveniente aliqua justa causa, qualis

pro

pro offerente cœnam amico eſt urbanitas, ut cum Mendoſa, Diana Cotonius *verbo jejunium num.* 39. licitè poſſint indifferentia miniſtrati tranſgreſſuro præceptum, ut *hucuſque* diximus, poſſint etiam prædictas res indifferentes ei miniſtrari cum ſuppoſitione, ſub conditione, ſi omnino velis cœnare, cœna mecum. Ita cum Hurtado, Diana Cotonius, *verbo jejunium n.* 39.

210 Colliges duodecimo nunquam licitum eſſe paratum ad peccandum invitare ad actum in ſe peccaminoſum, v. g. invitare ad cœnam illum, quem ſcis decreviſſe non jejunare, ſiquidem invitas ad actum, à quo alias malitiam non potes excludere. Ita cum Vaſquio, Palaus, *tract. 6. d. 6. p. 10. num.* 2. contra Cajetan. Navarr. quos *ibi* refert *num.* 1. quorum ſententiam etiam ego admitterem, ſi invitatio non fuiſſet abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, ſub conditione modo dicto *numero precedenti*, quomodo etiam eam admittit Tamburinus *lib.* 5. *Decalogi cap.* 1. §. 4. *num.* 65.

211 Tota igitur difficultas eſt, an quis ſine ulla neceſſitate, vel majori utilitate, poſſit parato peccare, abſolute offerre peccati occaſionem, quæ ex ſe ſit res indifferens, v. g. an à parato uſurario liceat uſuras petere? An a parato miniſtrare ſacramenta in mortali, liceat illa expoſcere? Reſpondeo affirmative. Ita Ledeſma, Emanuel, Lugo, quos refert Tamburinus *lib.* 5. *Decalogi cap.* 1. §. 4. Vaſquius, & alij, quos refert, & ſequitur Malletus, *malleatione* 1 *decalogi, bractea* 28. contra Bonacinam, Sotum & alios quos refert & ſequitur Palaus *tr.* 18. *d. unica p.* 13. *num.* 3. *& tom.* 1. *tract.* 5. *d.* 6. *p.* 10. *n.* 5. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia dum quis facit quod ſibi utile eſt, & non eſt malum, eſtque tale, quo alius recte uti poteſt, ſi illo recte non utatur, ſibi imputet.

212 Advertè tamen, hanc doctrinam procedere quando id, quod quis conſequitur à proximo cum peccato, ab alio abſque peccato non poteſt obtineri, & alias illud niſi utile ſit, quamvis non ſit neceſſarium: nam ſi æque bene id, quod quis poſtulat à malo miniſtro à bono miniſtro conſequi poſſet, tunc contra charitatem eſſet illud à parato peccate poſtulare, & in hoc caſu admitto ſententiam Palai *tract.* 6. *d.* 6. *p.* 50. Coninch. & aliorum, quamvis non deſint DD. qui contrarium etiam in hoc caſu affirment probabiliter, ut ſunt Fr. Joannes à Cruce, Sotus, Henriquez, quos refert, & probabile putat Fr. Chriſtophorus à Sancto Joſeph *de Sacramentis, verbo confeſſio dub.* 2. *n.* 4. Leander *tr.* 1. *d.* 5. *p.* 11. nam præſentia boni miniſtri non tollit à poſtulante jus, quod habet poſtulandi illam rem ſibi utilem à miniſtro parato; quam ille ſi velit poſſet faciliter miniſtrare.

SECTIO X.

De diſcordia, contentione, & ſchiſmate, quomodo Charitati opponantur?

SUMMARIUM.

213 *Proponitur definitio diſcordiæ.*
214 *Diſcordia ex genere ſuo eſt peccatum grave.*
215 *Contentio charitati contraria, eſt effectus diſcordiæ.*
216 *Quomodo ſchiſma definiatur?*
217 *Schiſma ex genere ſuo eſt graviſſimum peccatum.*

DIco primò diſcordia eſt, diſſenſio voluntatis 213
à voluntate proximi, circa bonum, quod velle ex charitate quilque tenetur: dixi diſſenſio voluntatis, quia diſſenſus intellectus in rebus fidei eſt peccatum fidei contrarium: dixi circa bonum quod velle ex charitate quilque tenetur, nam ſi ſit circa bonum, quod quis tenetur velle ex juſtitia, ut tenetur velle debitor credi ori, erit tunc diſcordia peccatum contra juſtitiam. Si diſſentiat ſubditus à voluntate præſati in bono præcepto, erit peccatum contra obedientiam, ſolum ergo diſcordia eſt peccatum charitati oppoſitum, quando fuerit diſſenſio voluntatis à voluntate proximi circa bonum, quod velle ex charitate tenebatur, ut ſi proximus vult aliquod bonum obtinere ſibi neceſſarium, aut valde utile, & aliquis ſine rationabili cauſa, deſideret illum impedire; ſi quis voluntates unius communitatis unitas dividat, ſeminando inter Patres querelas, præcipue inter prælatum, & ſubditos. Ita & bene Palaus *tract.* 6. *d.* 4. *n.* 1. *&* 2. Baſæus *verbo diſcordia num.* 1. Malletus, *malleatione* 2. *in Decalogum, bractea* 44.

Hinc fit, diſcordiam ex genere ſuo eſſe peccatum 214
grave. Tum quia charitati opponitur. Tum quia ſeminatorem diſcordiarum inter fratres ſumme Deus abominatur, Palaus *ſuprà num.* 3. Imò addo, tale peccatum eſſe in damnum communitatis, deſtruit enim pacem, & concordiam communitatis; unde tale peccatum committentes, etſi crimen occultum ſit, ſtatim prælato denuntiandi ſunt, nulla prævia correctione fraterna, Perinis *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 16. § 2. *dict.* 2. Fateor aliquando poſſe hoc peccatum eſſe leve ex defectu pleni conſenſus, & ex levitate materiæ. Ita cum Valentia, Coninch. Suario, Palaus, *ſuprà n.* 3. ubi infert cum Suario, conſulentem teſtatorem, ne relinquat hæredem, quem volebat, & electorem ne eligat ad beneficium, quem eligere intendebat, non peccaturum mortaliter, ſi abſque odio, invidia, & injuria fiat, & ſæpe nullum eſſe peccatum, ſi aliqua rationabili cauſa moveatur, quia ſecluſa neceſſitate, non tenetur quis proximo ſubvenire, illique benefacere, ac proinde nec conſentire in voluntate illius, qui ſubvenire, & benefacere intendit.

Dico ſecundò: contentio charitati contraria eſt 215
effectus diſcordiæ, definitur à D. Thoma *quæſt.* 38. *art.* 1. *Eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Ita Malletus *in decalogum, malleatione* 2. *bractea* 44. & cum aliis Palaus, *ſuprà num.* 4. dicitur autem impugnatio veritatis, ut excludatur contentio, & impugnatio, quæ pro veritate defendenda, indaganda, aut aliquo modo clarificanda aſſumitur, ut fieri ſolet in ordinariis diſputationibus, quia hæc non eſt contentio vitioſa, niſi ex aliquo accidenti extrinſeco vitium illi contingat; requiritur ergo ut altercatio ſit ad veritatem oppugnandam. Hanc autem poteſt quis impugnare tripliciter. Primò, ſi veritatem clare cognoſcat, & hæc eſt fortiſſima contentio. Secunda ſi quis dubius de illa ſit, & tunc eſt virtualis impugnatio veritatis, quia abſque ſufficienti examine, an verum, vel falſum ſit, quod oppugnat contentionem aſſumit. Tertiò cum ſub prætextu iniquo falſitatis veritatem impugnat, & falſum perſuadere procurat, ut faciunt hæretici. Hinc fit hanc triplicem contentionem ex genere ſuo peccatum grave eſſe. Ita cum D. Thoma, communiter, DD. opponitur enim paci, & charitati, per quam debemus proximo conſentire in bonis ipſi neceſſariis, eſt autem non leve nocumentum falſum illud docere, & errores perſuadere, Palaus *ſuprà num.* 5. Malletus *ſuprà bractea* 44.

Dico

216 Dico tertiò : ſchiſma eſt voluntarium, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, qui principem in Eccleſia locum habet. Ita communiter, Doctores dicitur ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, nam dupliciter poteſt quis ſeparari ab Eccleſia primo deſerendo fidem, quæ unica eſt in Eccleſia, & hic hæreticus eſt. Secundò deſerendo unitatem, quam fideles habent cum ſuo capite, quod fit per rebellionem in Pontificem, vel Eccleſiam, hic ſchiſmaticus eſt. Hæc autem rebellio in eo ſita eſt, ut quis verbis, vel factis oſtendat, ſe nolle Eccleſiam, vel Pontificem, qua talis eſt, cognoſcere : hoc autem dupliciter quis poteſt efficere. Primò directè, ut quando quis formaliter non vult recognoſcere Summum Pontificem, ut ſuperiorem. Secundò indirectè, ut cum facto ipſo oſtendit eum non cognoſcere, quòd ſi quis ſimul neget unitatem Eccleſiæ, vel Pontificis Prælationem, habet ſchiſma admixtum hæreſi. Si tamen hæc non neget, ſed ſolum malitiosè nolit Pontifici ſubjici, ſchiſmaticus tantùm eſt. Ita cum Valentia, Toleto, Sanchez, Palaus, *tract.6.d.4.p.8.num.3.*

Dico quartò : ſchiſma eſt graviſſimum peccatum 217
ex genere ſuo mortale. Tum quia opponitur charitati. Tum quia per ſchiſma violatur unitas corporis Eccleſiæ. Ita Valentia, Reginaldus, & alij, quos refert, & ſequitur Malletus *in decalogum, malleatione 2. tractat 45.* Hoc autem peccatum non poteſt fieri veniale ex parvitate materiæ, quia habet totam ſuam malitiam ſimul, Malletus *ſuprà, tractat 45.* ſed de his, & aliis, quæ *hic* deſunt, & de pœnis ſchiſmaticorum vide, quæ diximus agentes de fide *ſuprà, tractatu 1. d. 2. ſect. 5.*

TRACTATUS TERTIUS,

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO:

Unum cole Deum.

POST QUAM de fide, ſpe, & charitate, quæ ſunt præambula ad decalogum aliqua breviter more noſtro tetigimus, jam ad decalogi præcepta properat animus aſcendere ; & cum inter illa primum locum tenet obligatio colendi Deum, quod fit per virtutem Religionis, qua Deo debitum cultum exhibetur, ſignificando ejus excellentiam, noſtramque ſubjectionem, ideo à virtute Religionis principium ſumimus. Habet autem hæc virtus plures actus, tam internos, quàm externos, quia tamen præceptum divinum naturale de divino cultu non eſt de actibus pure internis, ſed de externis, ideo non de actibus mere internis hujus virtutis, ſed de externis prius agemus, & inter hos ſolum agemus de adoratione, oratione, de decimis, præmitiis, & oblationibus, & poſtea de vitiis Religioni oppoſitis, cætera, enim quæ *hic* tractari poterant, ut ſunt vota, & juramenta, in ſecundo præcepto commodiùs tractabimus, alia verò, ut ſunt obſervantia feſtorum, ſacrificium, & Miſſæ auditio, in tertio præcepto diſputabimus, ſit igitur

DISPUTATIO I.

De divino cultu per adorationem.

SECTIO Unica.

Quid ſit adoratio, & in quos cadat?

SUMMARIUM.

1 *Proponitur definitio adorationis.*
2 *Adoratio alia eſt abſoluta, alia reſpectiva.*
3 *Adoratio tam abſoluta, quam reſpectiva, dividitur in latriam, hyperduliam, & duliam.*
4 *Quid ſit latria abſoluta?*
5 *Quid latria reſpectiva?*
6 *Hyperdulia adoratur B. Virgo Maria.*
7 *Sancti adorantur dulia.*
8 *Vſus imaginum licitus, & honeſtus eſt.*
9 *Datur præceptum de Deo adorando.*
10 *Quando obliget hoc præceptum?*

DIco primò : adoratio eſt exhibitio reverentiæ 1
propter excellentiam illius, cui exhibetur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 84. *art.* 1. unde cum non ſit eadem excellentia in Deo, & in creaturis, ideo diverſa eſt adoratio Dei, & creaturarum ; & cum in creaturis etiam ſint diverſæ excellentiæ, ideo multiplex eſt adoratio. Alia enim eſt abſoluta, alia reſpectiva, abſoluta eſt, qua adoratur res propter excellentiam intrinſecam, quam habet. Reſpectiva eſt, qua adoratur res propter excellentiam alterius, ad quam dicit aliquem reſpectum, habitudinem, vel conjunctionem. Adoratio abſoluta ſolum convenit rei intellectuali, reſpectiva vero poteſt etiam competere rei uſu rationis carenti. 2

Dico ſecundò : tam adoratio abſoluta, quam re- 3
ſpectiva rurſus dividitur in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. Latria abſoluta eſt, qua Deus in ſe ipſo adoratur, & res illa, quæ habet conjunctionem realem cum divinitate. Hinc fit Chriſtum Dominum, & Euchariſtiam adorari latria abſoluta. An vero caro, & ſanguis, qui aliquando miraculoſe apparent in Euchariſtia, adorari debeant cultu latriæ abſolutæ? Aliqui affirmant, quia putant carnem Chriſti ibi 4
fuiſſe miraculoſe reproductam, & eſſe poſſe in duplici loco circumſpective. Ita Sotus, Gabriel, Major, quos refert Baſæus *verbo adoratio num.* 5. verùm dicendum exiſtimo, nequaquam adorari debere, etſi per multum tempus durent cultu latriæ abſolutæ, ſed reſpectivæ, ſi quidem illa caro, & ſanguis non eſt eademmet Chriſti, ſed illius imago. Ita cum D. Thoma, Suario, Baſæus, *ſuprà num.* 5.

Dico tertiò latria reſpectiva eſt qua adorantur 5
imagines Dei, Trinitatis, & Chriſti, reliquiæ ejuſdem Chriſti, ut ſpinæ, ſudarium, crux, ſeu ejus fragmentum, & omnia illa, quæ raliter

Chriſtum

Christum Dominum attigerunt, excipe illa quæ ignominiosè illum attigerunt, ut fuit manus illa sacrilega, quæ alapam Christo impegit, & manus crucifigentium, & os Judæ, nam hæc non participaverunt Christi sanctitati, propter incapacitatem illorum, & eorum impietatem de jumento tamen illo, in quo Christus sedit, si nunc existeret, major potest insurgi dubitatio, an adorandum esset cultu latriæ respectivæ? Sed absolute dicendum est non posse adorari cultu illo, quia licet contactus Christi sufficiens fuisset ad hanc adorationem respectivam, hoc tamen sæpe non decet, ut in præsenti. Ita cum Suario Candidus, *verbo adoratio, disquisitione 7. art. unico dub. 5.*

Excipe secundo: creaturas rationales quæ Christum attigerant, ut fuit B. Virgo, Apostoli, hæ enim non sunt adorandæ cultu latriæ respectivæ, quia per se possunt adorari, & honor latriæ qui ipsis exhibetur propter Christi contactum, videtur ipsis tribui propter se ipsos, cum tamen ipsi non sint hac adoratione adorandi. Ita cum communi sententia Basæus *supra num. 6.* an autem imagines illarum rerum inanimatarum, quæ Christum realiter attigerunt, sint adorandæ latriâ respectivâ, ut imago lanceæ, spongiæ, crucis, clavorum, &c. Respondeo imaginem crucis semper esse latria respectiva adorandam, quia semper est imago Christi, & sumitur ad repræsentandam Christi passionem. Aliæ tamen imagines instrumentorum, cum non assumantur ad repræsentandum Christum passum, sed ad repræsentanda illa instrumenta, quæ Christum attigerunt, ideo non sunt adoranda cultu latriæ. Ita cum D. Thoma, Basæus *suprà num. 7.*

6 Dico quartò: hyperdulia absoluta adoratur B. Virgo Maria propter ejus excellentiam. Et eodem cultu respectivo adorantur ejus imagines. Ita cum D. Thoma, & aliis communiter, Basæus *suprà n. 1.* Est etiam humanitas Christi adoranda hyperdulia absoluta, licet separata à verbo consideretur, propter excellentiam gratiæ, quam habet Basæus *suprà num. 4.*

7 Dico quintò: sancti sunt adorandi cultu duliæ absolutæ, illorum vero imagines, & reliquiæ cultu duliæ respectivo, sancti autem, qui hoc cultu adorari debent, si cultus publicus fuerit, hoc est, qui nomine Ecclesiæ fit, solum sunt, qui rituali beatificatione, seu canonizatione, vel saltem generali, canonizati, & beatificati sunt, si verò cultus sit privatus, possunt adorari hoc cultu illi viri, de quorum sanctitate prudenter nobis persuademus, nam tunc non est morale periculum errandi, sicut in exhibitione cultus publici.

Et hinc fit, cuilibet licere defuncti, (non tamen dum vivit nisi ex speciali instinctu Spiritus Sancti,) quem sanctum putat, præcisò semper scandalo, pedes, & reliquias deosculari, ejus imaginem domo habere, (non tamen in altari, etiam privato, nisi forte sit ad ornatum) Beatum, & sanctum nominare, ei privatim vota, & orationes fundere, & ejus diem observare, & in ejus vigilia jejunare: non tamen potest eum ponere in litania, etiam privata, nec in Missa de eo commemorationem facere, nec civitates ei possunt facere votum, vel diem festum, processiones, &c. etiam approbante Episcopo, quia hæc, vel cultum publicum supponunt, vel solum ad sanctos canonizatos sunt instituta, Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 5. §. 1. n. 11.*

8 Dico sextò: de fide est usum imaginum licitum, & honestum esse, si prudenter fiat, ut patet *ex Trident. sess. 25.* adverte tamen, quod in adoratione ipsa imaginis non tantùm exemplar, cujus est imago adoratur, sed etiam ipsamet imago, cum illud proprie adoretur, quod est terminus adorationis, seu materia circa quam versatur adoratio, semper tamen exemplar, cujus est imago intrat in adoratione, sive in recto, sive in obliquo, ut bene Lugo *de Incarnatione d. 36. sect. 3.* Secundò advertе adorationem Sanctorum non elici à virtute Religionis, ut elicitur adoratio debita Deo, & Christo, nam latria solvit Deo jus, & debitum fundatum in divina excellentia; dubia vero respicit jus creatum diversæ rationis; unde pertinet ad virtutem observantiæ, sed de his vide Lugum *de Incarnatione d. 31. sect. 1.*

Sed quæres, an sit præceptum de Deo adorando, 9
& quando obliget? Respondeo dari præceptum naturale, imò divinum positivum adorationis, ut patet ex illo *Deuteronomij 6. Dominum Deum tuum adorabis.* Hoc tamen præceptum cum non habeat tempus determinatum jure divino, nec ab Ecclesia, non potest assignari tempus, in quo per se jure divino obliget ad adorationem, necesse tamen est, ut non minus diu ab adoratione, & oratione desistamus, præcipue quando urget necessitas vincendi 10
tentationem contrariam, ut diximus *tract. 1. d. 1. sect. 4.* per accidens autem obligabit, si necessitas urgeat vitandi scandalum, vel contemptum, ut notat cum Lessio, Layman, Valentia, Escobar *lib. 28. decalogi num. 9.* Hinc fit, quod si homo quando transit per Eucharistiam eam non adoret proprie non peccare directe, & per se contra hoc præceptum, sed tantùm indirecte, quia illa omissio adorationis illo tempore, censetur virtualis quidam contemptus, quod maxime locum habet in sacrificante, in communicante, in audiente Missam, dum post consecrationem elevatur Eucharistia, unde 46
secluso contemptu, & scandalo hujusmodi, omissio ob negligentiam non est peccatum mortale, nec veniale, ut bene advertit Basæus *verbo adoratio, num. 5.*

DISPUTATIO II.

De Oratione in communi.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit oratio?

SUMMARIUM.

11 *Ponitur orationis definitio.*
12 *Oratio formaliter consistit in actu voluntatis, necessario tamen præsupponit actum intellectus.*
13 *Oratio est actus elicitus à virtute Religionis.*
14 *Oratio dividitur in mentalem, & vocalem, & quid utraque sit?*

DIco primò: oratio est petitio decentium à Deo. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 11
83. dicitur petitio ut denotetur, quod oratio non est quæcunque petitio (aliàs idem per idem definiretur) sed petitio religiosa ad cultum Dei spectans; & sic petitio est veluti genus, dicitur decentium, quia si non petatur aliquid decens, non est oratio secundum rationem virtutis, sed potius execratio, dicitur à Deo, ad differentiam aliarum petitionum, quæ orationes non sunt, jux-

ta dictam acceptionem Tancredi *tract. 3. de Religione lib. 1. d. 1. quæst. 1. à num. 2.*

12 Dico secundò: ad orationem necessario requiritur actus intellectus, & voluntatis, sed ipsa formaliter consistit in actu voluntatis. Ita cum Suario, Palaus *tract. 7. d. 1. p. 2. num. 5.* Pro quo nota, ad orationem tres actus necessario concurrere. Primus est humilis cognitio indigentiæ, quam quis habet illius rei, quam vult à Deo postulare, & potentiæ Dei ad illam concedendam. Secundus est desiderium, quo vult, quod Deus rem illam sibi, vel aliis concedat. Tertius est actus, quo quis practice Deo manifestat hoc suum desiderium, cum prædicta humili recognitione, ut inde moveatur Deus ad concedendum beneficium: his suppositis.

Probatur assertio: oratio non in primis duobus actibus formaliter consistit, siquidem potest quis cognoscere potentiam principis ad aliquid concedendum, illudque potest desiderare, & tamen nolle illud ab illo postulare; non ergo in illa cognitione, & desiderio oratio consistit, consistit ergo formaliter in illa practica manifestatione sui desiderij, cum illa humili recognitione; sed hæc practica manifestatio est formalis actus voluntatis, siquidem est voluntas, qua quis vult suum desiderium, & humilem cognitionem Deo fieri manifestam, ut inde ipse moveatur ad bona concedendum, per eam namque voluntatem loquitur quis cum Deo, ad illumque desideria sua dirigit, eo modo, quo unus Angelus cum alio loquitur, ergo oratio est formalis actus voluntatis, licèt supponat etiam actum intellectus. Ita Palaus *tract. 7. d. 1. p. 2. num. 3.* Tancredi *tractatu 3. de Religione lib. 1. d. 1. quæstione 2. num. 13.*

13 An autem oratio sit actus Religionis, vel alterius virtutis? Respondeo esse actum elicitum à Religione, nam illa manifestatio practica nostri desiderij, & humilis recognitionis debet procedere ex motivo colendi Deum, non enim oramus, ut Deo manifestetur quod prius erat incognitum, nec ut novam habeat voluntatem, sed ut eum colamus, ergo ratio à solo motivo Religionis procedit, licet tamen hic actus effective à Religione semper procedat, potest etiam imperari ab aliis virtutibus nempe à charitate, pœnitentia, &c. ex quorum affectu aliquid desideratur, ut bene notat Tancredi *suprà quæst. 2. num. 8. & 9.*

14 Dico tertio: oratio dividitur in mentalem, & vocalem: mentalis est, quæ actibus intellectus, & voluntatis perficitur. Vocalis quæ verbis exprimitur: deinde hæc vocalis, alia est publica, alia privata; publica est, quæ fit nomine Ecclesiæ per ministros ab ipsa deputatos, ea intentione, ut munus suum expleant, privata quam unusquisque propria authoritate offert. Vnde si laïcus recitaret horas Canonicas, non diceretur publicam orationem facere, quia non est minister ab Ecclesia deputatus, nec etiam Sacerdos diceretur publicam orationem facere, etiamsi horas Canonicas recitaret, si à se excluderet intentionem recitandi ut minister Ecclesiæ, requiritur; ergo ut hæc tria ad orationem publicam concurrant, primum esse orationem ab Ecclesia constitutam. Secundum esse factam ab ministro Ecclesiæ. Tertium procedere ex tali intentione. Ita cum Suario, Palaus, *suprà n. 5.*

* * *

SECTIO II.

An oratio sit adultis necessaria ad salutem.

SUMMARIUM.

15 *Oratio est adultis necessaria necessitate præcepti naturalis, divini, & positivi.*

16 *Præter tempus determinatum ab Ecclesia aliquando obligat præceptum naturale orationis.*

17 *Quo tempore obliget hoc præceptum naturale orationis?*

DIco primò: oratio est adultis necessaria ex necessitate præcepti naturalis, siquidem præciso quocunque Ecclesiæ præcepto, tenemur bona, quæ sunt nobis necessaria procurare, & mala removere, sed bona necessaria consequimur, & mala removemus, mediante oratione, ergo oratio est nobis in præcepto naturali necessaria. Ita cum communi sententia Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 5. §. 2. num. 3.* & cum aliis Basæus *verbo oratio num. 2.* Tancredi *tractatu 3. de Religione lib. 1. d. 7. quæst. 2.* Est etiam hoc præceptum naturale confirmatum præcepto divino positivo, ut patet ex illo Matthæi *vigilate, & orate ne intretis in tentationem*, & ex illo Jacobi 5. *orate pro invicem, ut salvemini*, & ex aliis locis. Fuit insuper determinatum hoc præceptum naturale, & divinum, tum pro ministris Ecclesiæ in recitatione divini officij; tum pro aliis in præcepto Missam audiendi, siquidem Sacerdote offerente, omnes circumstantes cum Sacerdote offerunt Deo sacrificium, & orant per orationes à Sacerdote exhibitas. 15

Sed quæres an præter hoc tempus determinatum ab Ecclesia, aliquando obliget hoc præceptum naturale, & divinum orationis? Respondeo Doctores communiter multa tempora assignare, in quibus dicunt obligare hoc præceptum, scilicet quando urget necessitas alicujus boni acquirendi, seu mali, vel tentationis avertendæ, quæ acquirere, seu avertere, sine Dei auxilio nos non posse tunc animadvertimus. Item quando peccator se ad gratiam disponere tenetur, ut quando aliquod Sacramentorum administrare, vel suscipere debet, & in evidenti periculo mortis, præsertim si quis sit in peccato mortali. Ita cum D. Thoma, Medina, Navarro, Filliucio, Lessio, Diana, Basæus, *verbo oratio num. 3.* Adverte tamen, quod in casibus in quibus oratio ad aliquod malum avertendum videtur necessaria, omissionem ejus non esse peccatum, nisi quis aliquo modo advertat suam obligationem, alioquin omissio non censetur voluntaria, ut est contra præceptum, unde nec ad culpam imputabitur. Quando autem est culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam distinctam ab illo peccato, quia solum est mala, quia est interpretativa volitio illius peccati. Ita cum prædictis Doctoribus Basæus, *suprà num. 3.* 16 17

SEC

SECTIO III.

Quæ ſint in oratione petenda; & quis, & à quibus, & pro quibus orare poſſimus?

SUMMARIUM.

18 *Summa petendorum comprehenditur in oratione Dominica.*

19 *Bona temporalia petenda ſunt tacita vel expreſſa conditione, ſi nobis ſint futura ſalutaria.*

20 *Soli creaturæ rationali ſuperiorem agnoſcenti convenit.*

21 *Sancti, & Angeli poſſunt à nobis orari.*

22 *Pro omnibus, qui non ſunt in termino, etiam inimicis orandum eſt.*

23 *Non datur oratio ſine intentione.*

18 DIco primò: ſumma petendorum breviter comprehenſa eſt in oratione Dominica, quæ licet omnia differte non contineat, ſed præcipua tantum, ad ea tamen facile reliqua reduci poſſunt: ſolum adverte bona ſpiritualia, ut ſunt fere omnia, quæ in oratione Dominica continentur, poſſe abſolute
19 à Deo peti; bona verò temporalia, ut ſunt divitiæ, honores, opulenta matrimonia, uxor ſpecioſa, pulcra proles, vel etiam mala, ut ſunt infirmitas, Dei judicium, &c. ſolum poſſe peti ſub conditione tacita, vel expreſſa, ſi nobis, vel aliis ſunt futura ſalutaria. Ita cum aliis Tanczedi *tr. 3. de Religione lib. 1. d. 3. quæſt. 1. num. 4. & quæſt. 2. num. 4.* & cum aliis Baſæus *ſuprà num. 4.*

20 Dico ſecundò: ſoli creaturæ rationali ſuperiorem agnoſcenti orare convenit à quo aliquid ſibi boni, vel alteri expectari poſſit. Vnde convenit Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis, qui ſunt in purgatorio, Chriſto ſecundum humanam naturam. Imò anima ejus etiam modo rogat divinitatem pro hominibus. Ita & bene cum multis Tanczedi *tract. 3. de Religione lib. 1. d. 3. quæſt. 4. n. 25. uſque ad 26.* & cum aliis Baſæus *ſuprà n. 5.* damnatis autem oratio proprie non competit, quia carent pio affectu, ex quo oratio procedere debet, ut ſit actus virtutis. Tanczedi *ſuprà num. 31.* Baſæus *ſuprà num. 5.*

21 Dico tertiò: ſancti, ſive Angeli, ſive homines in cœlo poſſunt à nobis orari, non quaſi primarij authores vitæ, & ſalutis noſtræ, quaſi ſua ipſi authoritate, & poteſtate poſſint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, id enim eſt aperta idololatria, ſed tanquam amici Dei chariſſimi, ut pro nobis orent, ſuamque nobis opem porrigant, hæc eſt de fide definita, ut notat Tanczedi *tractat. 3. de Religione lib. 1. d. 3. numero 6.*

22 Dico quartò: pro omnibus orandum eſt, qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris, quia omnibus ſalutem deſiderare, & quantum commodè poſſimus procurare debemus. Vnde orare debemus, etiam pro paganis, & hæreticis, & ſceleratis, ut eos Deus reducat ad veritatem, non tamen poſſumus orare, ut omnes etiam improbi ſalvi fiant, hæc enim oratio eſt ſtulta. Ita cum aliis Baſæus *ſuprà num. 7.*

23 Dico quintò: non datur oratio ſine intentione. Vnde ſi quis orationem Deo funderet ſine intentione orandi non oraret, ſufficit tamen intentio implicita, ſeu virtualis, ut ſi quis incepit recitare D. officium intentione orandi, etſi ab illa actuali intentione ceſſet, adhuc orat, quia remanet voluntas orandi nondum retractata in ipſo affectu, quo officium D. legit. Ita Tamburinus *ſuprà num. 7.* an autem requiratur etiam attentio, ſive interna, ſive externa dicemus *diſp. ſequent.*

DISPUTATIO III.

De oratione publica, horis canonicis, & laude Dei, per cantum, & pſalmodiam.

SECTIO I.

Qui teneantur D. Officium in Choro recitare?

SUMMARIUM.

24 *Perſolvere D. officium in choro, ſive cantu, ſive ſine illo, ſanctum, & laudabile eſt.*

25 *Datur præceptum dicendi divinum officium in choro, quoad canonicos, & prebendatos Cathedralium, & Collegiatarum.*

26 *Hæc obligatio ſub præcepto non comprehendit regulares, ſed ad id ſolum tenentur ex regula.*

27 *Prebendatus recitans in choro, vel cum alio non attendens ad partem, quam chorus, vel alter recitat, non ſatisfacit ſuæ obligationi.*

28 *Contraria opinio non eſt improbabilis.*

29 *Quid dicendum ſit de cæco, & ſurdaſtro?*

30 *Si totam horam canonicam muſici cantent cantu organico, prebendatus, vel Religioſus ſatisfacit ſuæ obligationi attendendo ibi cantui, etſi nihil recitet.*

31 *Prebendatus qui ita ſubmiſſa voce recitat, ut non audiatur ab alia parte, etſi ſatisfaciat præcepto, non facit ſuas diſtributiones quotidianas.*

32 *Prebendatus qui in choro ſolum aſſiſtit attendendo ad omnia, quæ recitantur, etſi nihil recitet, ſi domi recitet facit fructus ſuos, non tamen diſtributiones.*

33 *Prebendatus qui dum chorus recitat impetitur à ſomno, ſi ejicere procuret non ſatisfacit præcepto, facit tamen ſuas diſtributiones quotidianas.*

34 *Prebendatus qui dum alij recitant confabulatur cum aliis, ſi legitimè recitet, quæ ſunt à ſe recitanda, non amittit diſtributiones quotidianas.*

MVlta de hac materia dixi *in noſtro directorio regularium p. 1. d. 6. à num. 1580. & ſequentibus.* Ad complementum tamen hujus materiæ plura, quæ *ibi* latiùs dixi in ſummam reducam, & alia addam. 24

Dico igitur primò: certum de fide eſt perſolvere divinum officium in choro, ſive cum cantu, ſive ſine illo, ſanctum, & laudabile eſſe. Vnde 25

licite poteſt in eo uti cantu figurato, & muſicis inſtrumentis. Imò extat præceptum, & obligatio ſub mortali publicè dicendi divinum officium in choro. Obligat autem hoc præceptum clericos deputatos ad chorum, ut ſunt Canonici, præbendati Eccleſiarum, & cathedralium & Collegiatarum, & alij Prælati in Eccleſiis inferioribus ad id ſpecialiter deputatis, ut patet *ex cap. ultimo quæſt. 2. & Clement. 1. de celebratione Miſſarum*, & *cap. 1. eodem titulo*. Ita cum Suario, Tancredi *tract. 3. de Religione lib. 4. d. 3. num. 7.* Elcobar *lib. 28. decalogi num. 95.*

26 An autem hæc obligatio comprehendat regulares? Satis probabile eſt non comprehendere. Ita cum Vidal, Lezana, diximus *in noſtro Directorio regularium ſuprà num. 1584.* Tancredi *tract. 3. d. 4. quæſt. 2. dub. 1. num. 11.* Ipſi enim ſolum tenentur ad chorum ex vi regulæ, quæ aliàs non obligat ad mortale, ut ſuppono. Cadit autem hæc obligatio principaliter in totam communitatem, & in prælatum, & rectorem ad hoc ut curet, ut debitis horis hoc officium in choro ſufficienter cantetur *ex Clement. 1. de celebratione Miſſarum*. Vnde non obligat ſingulos, niſi prælatus muneri ſuo curandi, ut choro ſatisfaciat, deficiat: nam eo deficiente curare de choro obligantur ſubditi, ſi tamen chorus abſolute non deficiat, præbendatus qui choro non intereſt, etiam voluntariè, vel per multum tempus, ſecluſo ſcandalo, non peccat mortaliter, perdit tamen diſtributiones quotidianas, Tamburinus *lib. 2. decalogi c. 5. §. 4. num. 7.* & cum Reginaldo, Diana, Tancredi *ſuprà num. 9.*

27 Dico ſecundo: præbendatus, vel Religioſus, qui in choro, vel cum ſocio recitans, & qui partem ſuam cum attentione pronuntiat, ad partem autem, quam alter chorus, vel ſocius recitat, mente diſtractus, non attendit, non ſatisfacit ſuæ obligationi, etiam in illa opinione, quæ docet neminem obligari interne attendere, ut quam probabilem docuimus, *in noſtro directorio regularium p. 2. d. 6. num. 1630.* Ita Tamburinus *lib. 2. decalogi c. 5. §. 4. n. 1.* Ratio eſt, quia ex eo in prædicta ſententia, quis ſatisfacit non attendendo interne, quia externe attendit, proferendo devote verba; ſed hic interne non attendit, & externe non pronuntiat verba, ergo nullo modo dimidio officio attendit: non obſtat quod ei aſſiſtat devote, nam D. officio non ſatisfit per ſolam aſſiſtentiam in choro, ut ſatisfit Miſſæ præcepto per aſſiſtentiam in Eccleſia.

28 Non dico tamen opinionem contrariam eſſe improbabilem, ut bene etiam advertit Tamburinus *ſuprà num. 11.* Tum quia aliqui abſolute exiſtimant probabile hominem voluntarie diſtractum ſatisfacere penſo officij in choro, & cum ſocio, & non videntur loqui de ſola parte, quam pronuntiant. Tum quia Caramuël. *in regulam S. Benedicti d. 108. num. 1383.* probabile exiſtimat recitantem cum ſocio non teneri partem illius audire, ſed tantum expectare ejus finem. Quod etiam placuit Tancredo *tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 4. d. 15. num. 15.* ergo etiam eſt probabile, quod non attendens interne ad partem, quam dicit chorus, ſatis ſolvere penſum D. Officij, quod à fortiori ſine ulla hæſitatione admittendum eſt, quando quis ex parte ſua attendit, quantùm moraliter valuit, ut alterum chorum, vel ſocium audiret, licet de facto nihil perceperit, nam tunc fecit quod potuit, & per eum non ſtetit, quod non audiret, unde hic etiam ſi non repetat domi, quod non audivit ſuas facit diſtributiones, & ſatisfacit præcepto recitationis. Ita cum Saa, Tamburinus, *ſuprà num. 12.* & cum Suario, Trullench. Leander, *tract. 6. de ordine d. 13. quæſt. 15.* contra Palaum *tom. 2. d. 3. p. 4. num. 6.*

29 Et idem dicendum exiſtimo de cæco, & ſurdaſtro, qui poſſunt ſuam partem recitare, dum enim ſuam partem ſolvunt, ad aliam verò attendunt, etſi non percipiant, quantum poſſunt fiunt ſocij orationis communis, ſiquidem chorus non tenetur propter indiſpoſitionem ſurdaſtri vel cæci, alta voce perſonare. Ita cum Suario, Tamburinus *ibi*. Secus dicendum eſt de omnino ſurdo, qui non poteſt alteram partem audire, vel de cæco, qui ſuam partem non poteſt legere, licet audiat alterum chorum, nam omnino ſurdus non cenſetur, more humano loquendo, recitare illud, nec ad illud moraliter aſſiſtere, quod audire nullatenus poteſt, & cæcus non dicitur D. Officium recitare, dum nec ſuam partem recitat, nec ſocij partem audit. Ita & bene Tamburinus, *ſuprà num. 13.* Contrarium tamen de omnino ſurdo reputo probabile, cum Suario, Diana, Paſcaligo, quos refert, & ſequitur Baſæus *verbo hora canonicæ, num. 13.*

30 Adverte tamen, quod ſi totam horam canonicam muſici cantent cantu organico, præbendatum, vel regularem ſatisfacere ſuæ obligationi attendendo illi cantui, etſi nihil recitet. Ita cum Pelizario, Tamburinus, *ſuprà num. 14.* & cum Navarro, Soto, & aliis multis Leander *ſuprà quæſt. 17.* Secus dicendum eſt, ſi loco antiphonæ organum pulſetur, nam tunc vel ab aliquo alta voce in choro repetenda eſt, vel à ſingulis repeti debet. Ita cum Pelizario, Tamburino *ſuprà num. 14.* & cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 17.* contra Sanchez, quem refert, & probabile putat Trullenc. *lib. 1. decalogi cap. 7. dub. 16. num. 6.* Quorum ſententiam ſolum admitto pro organiſta, vel pro illis, qui ponunt libros, vel è choro mittuntur ad thurificandum altare: nam hi non tenentur privatim recitare id, quod non audierunt, nec per ſe ipſos dixerunt, dum hæc officia exercent, quia dum illis rebus illi ad celeritatem officij occupantur, totus chorus pro illis ſupplet, & ſatis dicere ſunt æſtimandi, qui miniſtrant dicentibus. Ita cum Aragonio, Diana, Leander, *ſuprà quæſt. 17.* & cum Baucio, Sanchez, Tamburinus, *ſuprà num. 14.*

31 An autem præbendati, qui ita ſubmiſſa voce verſus ſuos dicunt, ut ab altera chori parte non audiantur ſatisfaciant præcepto, & lucrentur diſtributiones? Reſpondeo ſatisfacere præcepto. Ita cum Tabiena, Fauſto, Suario, Trullenc. & aliis Leander *ſupra quæſt. 16.* & cum aliis Tamburinus *ſuprà num. 15.* non facit tamen ſuas diſtributiones quotidianas. Ita cum Bonacina, Tamburinus, *ſuprà num. 15.* quibus videtur conſentire Leander *ſuprà quæſt. 16. in fine.* Ratio utriuſque eſt, quia in primo caſu ponit, quod debet, ſiquidem audit unam partem, & cum altera facit idem corpus, licet ſubmiſſa voce recitet. Quoad ſecundam verò partem etiam liquet, quia non ſatisfacit muneri ſuo, quod eſt alta voce canere, excipe canonicos, & præbendatos aliquarum Eccleſiarum, quibus ex conſuetudine, vel privilegio conceſſum eſt, ſolum intereſſe choro, aliis clericis omnes chori partes perſolventibus, ut ſunt omnes canonici Eccleſiarum Cathedralium Hiſpaniæ, & Portugalliæ, nam his modeſtè attendentibus, nec Pius 5. nec Trid. ſuum jus acquiſitum, vel privilegium adimit. Ita cum Suario Azor, Leſſio, Bonacina, Garcia, Palaus *tract. 7. d. 3. p. 3. n. 5.* Tamburinus *ſuprà num. 18.* Tancredi *tr. 3. de Religione d. 16. n. 30.*

32 An verò præbendatus, qui in choro ſolum aſſiſtit nihil dicendo, ſi attendat ad omnia, quæ recitantur,

tantur, ſatisfaciat ſuæ obligationi? Reſpondeo, quod ſi is domi particulariter recitet divinum officium, facere fructus ſuos, non tamen diſtributiones, excipe, ut dixi, Canonicos Cathedralium Hiſpaniæ, & Portugalliæ, nam hi, ſi domi recitent, & faciunt fructus ſuos, & diſtributiones, ut diximus. Ita cum prædictis doctoribus Tamburinus *ſuprà num.* 17.

33 An autem præbendatus, qui dum choro rite aſſiſtit, maxime à ſomno impetitur, ipſe tamen quantum poteſt ei reſiſtens, evincere non valet, ita ut eo preſſus, nec ad verba, nec ad officij miniſterium attendat, ſatisfaciat præcepto, & lucretur diſtributiones? Reſpondeo non ſatisfacere præcepto, ſiquidem reipſa non recitavit, unde debet officium privatim repetere; facere tamen ſuas diſtributiones, ſiquidem fecit, quod potuit, ut recitaret, & ſicut graviter morbo impeditus facit diſtributiones ſuas, ita graviter impeditus ſomno. Ita cum Rodriguez, Marchino, Tamburinus *ſuprà num.* 21.

34 An vero Canonicus, qui non attendit ad ea, quæ in choro recitantur, ſed cum aliis confabulatur, ſi tamen legitime recitet, quæ ſunt à ſe recitanda, amittat diſtributiones quotidianas? Reſpondeo negative: nam hic vere muneri ſuo aſſiſtendi in choro non defecit, eſto peccaverit contra Religionem, obligaturque ad quod omiſit recitare privatim. Ita cum multis Diana *p.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 7. & cum Suario, & aliis Tancred. *tract.* 3. *de Religione d.* 16. *num.* 32. Tamburinus *ſuprà num.* 22.

SECTIO II.

Quo loco, tempore, & habitu, horæ Canonicæ à clericis in choro celebrandæ ſint?

SUMMARIUM.

35 *Breviarium Romanum recitandum eſt in omnibus choris, exceptis illis, qui per ducentos annos ante decretum Pij V. alio breviario recitant.*

36 *Invertere ordinem Breviarij, v. g. recitando prius tertiam, quam primam, etiam in choro, etiamſi fiat ſine cauſa, ſecluſo ſcandalo, non eſt mortale.*

37 *Quid ſi detur interpellatio, vel ceſſatio chori ſine cauſa?*

38 *Quid ſi ſine cauſa in totum, vel in partem omittatur?*

39 *Officium divinum publice cantandum eſt in Eccleſia.*

40 *Beneficiati non intereſſentes ſine cauſa choro amittunt diſtributiones quotidianas.*

41 *Prima cauſa excuſans eſt infirmitas.*

42 *Quid per infirmitatem intelligatur?*

43 *Secunda cauſa eſt corporalis neceſſitas juſta, & rationabilis, & quæ hæc ſit?*

44 *Tertia cauſa eſt evidens Eccleſiæ utilitas.*

45 *Aliqua corollaria ponuntur.*

46 *Vt diſtributiones licite conferantur abſentibus, non poteſt ſola conſuetudine introduci, niſi illa ex rationabili cauſa inducatur.*

47 *Diſtributiones quas quis ob abſentiam perdit accreſcunt aliis intereſſentibus.*

48 *Si tantum ſint duo Canonici qui non ſint infirmi, adhuc tenentur alternatim in choro reſidere ut lucrentur diſtributiones.*

Dico primò: ordo recitandi horas Canonicas 35
eſt, quem diſponit Breviarium Romanum, hoc enim in omnibus choris recitandum eſt, exceptis illis, in quibus per ducentos annos ante decretum Pij V. mos erat aliud Breviarium ab Eccleſia approbatum recitandi, ut patet ex bulla Pij V. initio Breviarij affixa, & cum aliis explicat Palaus *tract.* 2. *d.* 7. *p.* 2. *num* 1. non eſt tamen mortale in- 36
vertere hunc ordinem, etiam in choro, verbi gratia, dicendo prius tertiam, quam primam, etiamſi fiat ſine cauſa, ſecluſo tamen ſcandalo. Et idem dicē lum eſt, ſi officium divinum à choro extra tempus præſcriptum, ſublato ſcandalo, recitetur, vel ſi detur interpellatio, ſeu ceſſatio chori, ſine cauſa, in medio alicujus horæ per notabilem moram, etiamſi fiat in 37
die feſto, ſecluſo ſcandalo, hæ enim circumſtantiæ tantum opponuntur ritui Eccleſiæ, & non ſubſtantiæ, ut latius dixi *in noſtro directorio regularium p.* 2. *d.* 6. *num.* 15. *quæſt.* 2. An autem ſit mor- 38
tale omittere D. officium in choro in totum, vel in partem? Reſpondeo eſſe, ſi fiat ſine cauſa, ex cauſa tamen, poſſe omitti in totum, vel in partem, ut ſi totum officium, vel una hora, etiam in die feſto, ſecluſo ſcandalo, omittatur. Ita Tancred. *tract.* 3. *d.* 6. *lib.* 4. *num.* 1. & *d.* 4. *num.* 11. & nos, cum Vidal diximus *in noſtro directorio regularium ſuprà num.* 1503.

Dico ſecundò: loci ubi publice recitandum eſt officium D. eſt Eccleſia ex Clement. I. de celebrat. Miſſar. unde non poteſt in alio loco recitari, niſi neceſſitas gravis, aut conſuetudo legitime præſcripta aliud ſuadeat, Palaus *tract.* 7. *d.* 3. *p.* 5. *num.* 3. debent autem Canonici, & beneficiati ſemper choro intereſſe, quod ſi abſque legitima cauſa abſint, privantur diſtributionibus quotidianis, & hoc ante ſententiam Judicis, ut patet ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* & ſi ultra tempus à Trident. per- 40
miſſum abfuerint, pro primo anno, & pro prima vice, privandi ſunt dimidia parte fructuum beneficij, pro ſecundo verò anno, omnibus fructibus, creſcente verò contumacia, non ſolùm fructibus, ſed etiam beneficio ſpoliandi ſunt, ut patet ex eodem Trid. *ſuprà*. Hæc tamen pœna non incurritur, niſi poſt ſententiam Judicis, ut bene cum multis docet Palaus *tract.* 7. *d.* 3. *p.* 6. *num.* 3. & 4. beneficiati autem non ſolùm tenentur choro aſſiſtere, ſed debent ibi eſſe in ſuo ſtatu induti veſtibus ad chorum deputatis; ſi tamen induti communi veſte aſſiſtant, lucrantur diſtributiones, ſi aliud ſtatuto Eccleſiæ non ſit cautum. Ita cum Bonacina, Garcia, Palaus *d.* 3. *p.* 5. *à num.* 3.

Dixi abſque legitima cauſa, nam plures dantur cauſæ, ob quas ſi beneficiatus choro non interſit, non amittit diſtributiones quotidianas; prima eſt infirmitas, *ex cap. unico de cleric. non reſident. in* 6. excipe, niſi in contrarium detur præſcripta conſue- 41
tudo, quod abſentibus, etiam ex cauſa infirmitatis, non concedantur diſtributiones. Ita cum Garcia, Bonacina, & aliis Baſæus, *in ſupplemento, verbo hora Canonica* 4. *num.* 10. vel niſi diſpoſitum ſit à teſtatore, ut ſolum illi, qui anniverſaria, & mortuaria celebraverint tales diſtributiones lucrentur. Secus ſi legatum toti capitulo prædicta celebranti relictum ſit. Ita cum Moneta, Bonacina, Palaus, *d.* 3. *p.* 9. §. 12. *num.* 21.

Per infirmitatem autem intelligitur, quæcunque 42
indiſpoſitio, etiam levis, quæ Judicio medicorum ex acceſſu ad chorum aggravaretur. Ita cum Bonacina, Palaus *d.* 3. *p.* 9. §. 1. *num.* 2. hoc autem privilegium non amittitur, etſi quis ſua culpa infirmaverit. Ita cum communi ſententia Palaus *ibi num.* 3. &

hoc, & ſi ante infirmitatem non eſſet ſolitus choro intereſſe. Ita cum Petro Navarra probabile putat Palaus *ſup: a num.* 5. contra Vaſquium, Guttierrez, & alios. Amittitur tamen, ſi quis infirmetur extra locum reſidentiæ, ſi ibi abſque legitima cauſa erat. Secus ſi ex legitima cauſa, ut ſi tempore vacationis, vel ex alia cauſa ad Eccleſiæ utilitatem pertinente. Ita cum Barboſa, Moneta, & aliis, Palaus *ſuprà num.* 6. Et idem dicendum exiſtimo de Canonico, qui cæcus omnino, & mutus factus eſt, nam hic ratione horum defectuum factus eſt impotens, & inhabilis ad chorum. Ita Tanctedi *tract.* 3. *lib.* 1. *d.* 15. *num.* 16.

43 Secunda cauſa eſt corporalis neceſſitas juſta, & rationabilis: hæc autem tunc datur, quando ex aſſiſtentia chori timetur grave damnum vitæ, honoris, vel fortunæ. Ita communiter DD. unde excuſantur, qui ex conſilio medici ſe conferunt ad balnea, vel qui cauſa convaleſcendi ſe aliò transfert, vel ſi ratione ſenectutis non aſſiſtat, vel ſi ratione peſtis à loco beneficij abſit, vel ſi ibi eum recipere nolint, quia venit à loco peſte infecto, vel ſi abſit ob timorem inimici, cujus reconciliationem facile obtinere non poteſt, vel ſi privata vi detineatur, vel ab hoſtibus capiatur, quandiu apud hoſtes commoratur, nec per ipſum ſtat, quin redeat. Item qui injuſto ſuperioris præcepto abeſſe cogitur, vel pulſus in exilium injuſte, vel metu carceris injuſte à choro abeſſe coactus fuit, vel ſi carceratus ſit injuſte, vel aliqua cenſura injuſte ittetitus. Secus ſi juſte carceratus, vel cenſuratus ſit. Et idem dicendum eſt, ſi Eccleſia ſit ſpecialiter interdicta, vel ſi in ea detur ceſſatio à divinis, quibus ipſe non dedit cauſam juſtam. Ita cum multis Palaus *ſuprà p.* 9. §. 2. *per totum*, Baſæus *in ſupplemento, verbo hora Canonica* 4. *num.* 11.

44 Tertia cauſa eſt evidens Eccleſiæ utilitas, dixi evidens, quia dubia utilitas non ſufficit. Dixi Eccleſia, quia ſufficit, quod ſit in utilitatem univerſalis Eccleſiæ, propter hanc autem utilitatem Canonicus, vel beneficiatus non aſſiſtens choro, & abſens à loco beneficij, facit omnes fructus, & diſtributiones ſuas. Ita cum multis Palaus *tract.* 7. *d.* 8. *p.* 9. §. 3. *à num.* 1. Hinc fit excitari Canonicum, qui ab Epiſcopo mittitur ad viſitanda ejus nomine limina Apoſtolorum, vel ſi mittatur à capitulo tanquam Theologus, vel canoniſta ad Concilium generale, vel tanquam Procurator ad Concilium Provinciale, vel tanquam Legatus ad Papam, vel alium principem ſæculatem, vel ſi conſtituatur à capitulo ad ſumendam rationem redditum, & bonorum Eccleſiæ, vel ſi mittatur ad exercendam jurisdictionem aliquam ſuæ Eccleſiæ annexam, vel ſi præbendam quis habeat, cui animarum cura incumbit, vel ſi viſitet Eccleſiam, jura, vel redditus ſuæ præbendæ, v. g. Archidiaconatus, vel ſi abſit ob defendenda jura capituli, vel Eccleſiæ, vel beneficij ſui. Secus ſi abſit pro ſuo jure proprio defendendo. Ita cum multis Palaus *ſuprà* §. 8. Baſæus *ſuprà num.* 12.

45 Idem dicendum eſt de Canonico pœnitentiario, qui tempore chori confeſſionibus incumbit. Et idem dicendum eſt de eo, quem ſuperior deſignavit loco Pœnitentiarij abſentis, vel cum adjuvet, etſi ſint unus, vel plures, ſecundum multitudinem pœnitentium. Ita cum Moneta, Palaus, *ſuprà* §. 5. *num.* 4. contra Baſæum *ſupra num.* 12. & aliis. Secus dicendum eſt de illo, qui voluntarie huic officio tempore chori incumbit, Palaus *ſuprà* §. 5. excuſatur etiam Canonicus magiſtralis diebus, quibus in propria Eccleſia concionatur, vel legit, non ſolùm pro eo tempore, quo legit, ſed pro tota die. Imò quando concionatur in aliquibus Eccleſiis octo dies ante concionem ei conceduntur, & merito, præcipue ubi redditus beneficij conſiſtunt in diſtributionibus. Palaus *ſuprà* §. 6.

Canonici verò conſtituti viſitatores, vel Vicarij Epiſcopi, vel in ejus negotiis occupati, non aſſiſtentes choro faciunt fructus ſuos, non tamen diſtributiones. Ita cum aliis Palaus *ſupra* §. 7. ſecus dicendum eſt de Vicario, quem elegit capitulum Sede vacante, vèl de ejus proviſore, nam hic acquirit etiam diſtributiones, gerit enim negotium capituli, Palaus *tract.* 7. *d.* 3. *p.* 9. §. 3. *num.* 7. Familiares autem Papæ non aſſiſtentes choro de jure communi ſolùm lucrantur fructus, non tamen diſtributiones. Garcia 3. *p. cap.* 2. *num.* 38. ex privilegio tamen plures lucrantur diſtributiones, ut ſunt auditores Romanæ Rotæ, & privilegio Clementis VII. Inquiſitores & Fiſcales hæreticæ pravitatis, ex privilegio Pauli III & Pij V. Collectores generales Cameræ Apoſtolicæ, Subcollectores, Advocati, Procuratores Fiſcales, & Notarij in cauſa ſpoliorum, & jurium præfatæ Cameræ, eorum officio durante, ex bulla Sixti V. non gaudent tamen hoc privilegio inſervientes Cardinalibus, & regibus, ſublatum enim fuit per Trid. Ita cum multis Palaus *ſuprà* §. 8. *num.* 4.

An autem docentes jus Canonicum, vel Theologiam in univerſitatibus choro non intereſſentes, domi tamen recitantes lucrentur fructus, & diſtributiones? Reſpõdeo lucrari fructus, quod verum eſt etiam ſi ſint parochi, dummodo tamen legant de licentia, & approbatione univerſitatis, etiamſi ſit ſine ſtipendio, & Cathedra. Ita cum aliis Garcia *de beneficiis* 3. *p. c.* 2. *n.* 61. nec ad hanc abſentiam requiritur licentia Prælati, cum ſit expreſſa in jure, Barboſa *de poteſtate Epiſcopi* 3. *p. alleg.* 56. *n.* 53. non tamen lucrantur diſtributiones. Ita habetur in cap. licet de præbendis, & cum aliis tenet Barboſa *ſupr. n.* 19. excipe niſi beneficium conſtet ſolis diſtributionibus, nam tunc lucrantur duas partes. Ita declaratum eſt à ſacra Congregatione, ut teſtatur cum multis Barboſa *ſupra, alleg.* 56. *num.* 19. Et idem dicendum eſt de ſtudentibus, etiamſi parochi ſint, atque de docentibus. Ita cum multis Garcia 3. *p. de beneficiis cap.* 1. *n.* 74. hac ſolum differentia, quod debeant petere licentiam ab ordinario, ipſe tamen non poteſt eam negare, ſi perſona ſit habilis ad ſtudium, Barboſa *ſup. n.* 28. Garcia *ſup. n.* 87.

Dico tertiò: ut diſtributiones licite conferantur 46
abſentibus, non poteſt ſola conſuetudine introduci, niſi illa ex rationabili cauſa inducatur, aut niſi Papa conſentiat, ut patet ex *c. unico de cleric. non reſid. in* 6. & ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. ex juſta tamen cauſa introduci poteſt talis conſuetudo, vel de licentia Papæ, Baſæus *in ſupplemento, verbo hora Canonica* 4. *num.* 14. Imò quoties introducta, & præſcripta eſt, talis conſuetudo videntibus, & non contradicentibus Prælatis, præſumenda eſt eſſe ex juſta cauſa, Palaus *d.* 3. §. 12. *n.* 2. Et hinc deduces plures caſus ſecundum varias Eccleſiarum conſuetudines, nam in aliquibus eſt conſuetudo, ut lucrentur diſtributiones inſervientes Epiſcopo, vel Pontifici, ſtudentes, Epiſcopi, viſitatores, & qui aliis negotiis occupantur, de quibus, & aliis conſuetudinibus particularibus vide Palaum *ſuprà*.

Dico quartò: diſtributiones, quas quis ob ab- 47
ſentiam perdit, accreſcunt aliis intereſſentibus, præ-
ſerta conſuetudine in contrarium, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *de reformatione*. Vide intereſſentes non poſſunt diſtributiones amiſſas, & ſibi applicandas remittere, etſi de facto remittant eſt invalida talis remiſſio,

Digitized by Google

remissio, & hoc procedit cum de distributionibus amittendis, quam de amissis, ut bene cum multis Barbosa *de potestate Episcopi 3. p. alleg. 13. n. 140.* Quando autem omnes Canonici à choro absunt sua culpa, & negligentia, vel ob interdictum latum contra ipsum capitulum, vel ob similem causam, distributiones applicari debent Ecclesiæ, quæ debito cultu defraudata est, Basæus *in supplemento, verbo horæ Canonicæ 4. n. 15.* Si vero Canonici absint absque sua culpa, vel quia Ecclesia repente diruta est, aut polluta, aut quia omnes infirmi, distributiones non cedunt Ecclesiæ, sed ipsismet Canonicis.

48 Sed quid, si tantùm sint duo Canonici, qui non sint infirmi, tenenturne isti choro assistere, ut lucrentur distributiones? Respondeo affirmativè, nam adhuc inter eos potest officium divinum alternatim recitari, in quo consistit essentia chori. Ita Thomas Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 3. §. 1. num. 12.* contra Mansignum, qui *cap. 16. num. 24. & 28.* postulat ad minus quatuor, hoc tamen ego solum admitto inter regulares. Ita Tamburinus *suprà*, & ego dixi *in nostro directorio regularium p. 2 d. 6. n. 1697.* advertè tandem, distributiones absentium non accrescere illis, qui fictione juris censentur interessentes, ut si absint ex supradictis causis infirmitatis, &c. sed solum actu interessentibus, & servientibus. Ita declaravit sacra Congregatio, teste Garcia *p. 3. cap. 2. num. 465.* Basæus *suprà num. 15.*

SECTIO III.

De obligatione recitandi D. Officium privatim ratione ordinis, vel status.

SUMMARIUM.

49 *Clerici in sacris tenentur D. officium recitare.*
50 *Ponuntur aliqua exceptiones.*
51 *Omnes religiosi professi choro destinati tenentur sub mortali horas Canonicas recitare.*
52 *Contrarium non est improbabile, quo ad non ordinatos in sacris.*
53 *Omnes qui beneficia gaudent tenentur sub mortali horas Canonicas recitare*
54 *Intrusus in beneficio non tenetur recitare ex hoc capite.*
55 *Beneficiarius qui non recipit fructus beneficij quacunque ex causa sine sua culpa, non tenetur recitare.*
56 *Quid si ex consuetudine Ecclesiæ ubi est beneficium per duos primos annos privetur omnibus fructibus?*

§. I.

Qui teneantur D. officium recitare?

49 Dico primò: certum est Clericos constitutos in sacris teneri divinum officium recitare, & quoad Sacerdotes patet, ex *cap. presbyteri de celebratione Missarum.* Quoad Diaconos verò, *ex cap. ultim. d. q. 2.* De Subdiaconis verò, ex antiqua consuetudine: ita cum multis Leander *tr. 6. d. 13. q. 8.* aliqui excipiunt ordinatos in sacris, qui ex dispensatione Pontificis duxerunt uxorem à die, quo habitum Clericale deposuerunt, & eos qui ducta priùs uxore illicitè ordines sacros susceperunt, si redire ad uxorem, ut redire debent, cogantur. Secundò damnatos ad triremes, & captos ab infidelibus. Ita cum multis Tamburinus *lib. 2. Decalog. cap. 5. §. 1. num. 4.* & cum aliis Tancred. *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 4. d. 15. num. 2.* Secus dicendum est de excommunicatis, suspensis, & interdictis. Tamburinus *ibi.* Tancred. *suprà num. 2.* Carceratos, in publico carcere excusat etiam Tamburinus *ibi num. 4.* & degradatos. Sed melius dicendum est non excusari, ne è malitia sua commodum reportent Palaus *tom. 2. tract. 7. d. 2. p. 6. num. 3.*

Alij excusant Sacerdotem damnatum ad mortem per triduum, dum est in sacello mortem expectans. Ita & bene Tancred. *tom. 1. tract. 3. lib. 4. d. 15. n. 2.* Tamburinus *suprà num. 5.* Et idem existimat Tancred. *ibi*, de capto ob aliquod enorme crimen v. g. rebellionem, & affecto aliquo repentino, & maximo mœrore, ut morte filij, jactura magna patrimonij, cujus doctrinam approbat etiam Tamburinus *suprà*, in casu, quòd tanta esset perturbatio, quod magnam afferret difficultatem recitandi. Excusatur tandem ille qui nesciens legere suscepit ordines sacros, quamvis graviter peccaverit sic eos recipiendo, nemo enim ad impossibile obligatur, tenetur tamen addiscere. Sed quid si male sciat legere, tenebiturne sic recitare? Respondeo teneri, quia meliùs est sic recitare, quam non recitare. Excipe nisi haberet magnam difficultatem in recitando, ut si recitando officium mutilet, deturpet propter multam inscientiam. Ita benè Tancred. *tract. 3. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 18.* iste tamen sic excusatus tenetur beneficium, si quod habet dimittere, propter impotentiam moralem. Excipe nisi hæ quatuor conditiones concurrant. Prima quod ipse non fuerit in culpa in sua ordinatione. Secunda quod non habeat unde vivat. Tertia quod statum illum non assumpserit, nisi spe illius beneficij. Quarta quod ordinantem admoneat per se, vel per alium, ut is Ecclesiæ satisfaciat in restitutione fructuum beneficij. Ita Tancred. & Tamburinus *suprà.* 50

Dico secundò: omnes Religiosi professi choro destinati tenentur sub mortali horas Canonicas recitare, est communior sententia, licet alij contrarium satis probabiliter teneant, quos refert, & sequitur Diana *parte 10. tractatu 11. resolutione 95.* Ratio nostræ resolutionis sumitur ex antiqua consuetudine in omnibus Religionibus recepta. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib. 1. decalogi cap. 7. dub. 12. §. 1. num. 11.* Eximuntur tamen ab hac obligatione primo, Religiosi militares, & Fratres Societatis Jesu ordine sacro non insigniti. Secundò laïci, conversi, & novitij. Tertiò professi translati ad statum laïcorum, etiam ad tempus ex potestate superiorum, & hoc etsi sint in sacris constituti. Quintò Religiosi transacti à Religione, in qua tenebantur D. Officium recitare ad Religionem, in qua non est talis consuetudo. Quintò Religiosi legitimè ejecti, sive justè, sive injustè sint ejecti. Sextò dispensati ad ducendam uxorem, postquam a Religione exeunt. Septimò Religiosus dispensatus ad manendum tota vita in sæculo. Secùs si sit dispensatus ad breve tempus. Octavò damnati ad triremes, etsi sint in sacris constituti: non tamen eximuntur excommunicati, suspensi, & interdicti. Ita cum multis diximus *in nostro Directorio Regularium, p. 2. d. 6. n. 1696.* Nonò excusatur, qui nesciens legere professus est in Religionem, vel sacros ordines suscepit, licet graviter peccaverit talem statum assumens, nisi intra duos, vel tres dies speret addiscere. Tambur. *sup. n. 8. & 14.* sed hoc procedit in opinione, quæ statim astringit professos ad recitationem, 51

Digitized by Google

tationem, nam in alia opinione, non peccavit graviter, talem ſtatum profitendo, ſi ſperet parvo tempore addiſcere. Tambor. *ſuprà num.* 14.

53 Dico tertio Omnes qui beneficio gaudent, ut ſunt, Epiſcopi, Abbates, Canonici Beneficiati ſimplices, ad recitandum D. officium obligantur, idque more Eccleſiaſtico. Si tamen unus plura habeat beneficia, unica recitatione in die ſatisfacit, ita cum cum communi ſententia Tancredi *tract. 3. de religione lib. 4. diſp. 10. num.* 3. Hinc fit eum, qui habet capellaniam non ſactam, hoc eſt, non collativam, & ſi recipiat fructus, non teneri recitare, quia non eſt beneficium. Et idem dicendum eſt de vicario beneficij uniti alicui Eccleſiæ, quamvis habeat ſtipendium ſui laboris, & quamvis ſit perpetuus; ſiquidem non eſt beneficium. Idem dicendum eſt de coadjutore cum futura ſucceſſione, & ſi gaudeat aliqua portione pro ſua ſuſtentatione; ſiquidem adhuc non eſt beneficiarius, ſed erit ita cum aliis Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 5. §. 1. num.* 19. Secus dicendum eſt de capellania collativa; eſt enim beneficium. Baſæus *verbo hora canonica 1. num.* 11. Idem dicendum eſt de beneficiis manualibus, & præſtimoniis; ſunt enim beneficia. Baſæus *ſuprà num.* 10. Tamburinus *ſuprà num.* 20. Qui tamen tantum habent penſionem Eccleſiaſticam, tenentur ad officium parvum. B. Virginis, ſatisfaciunt tamen ſi divinum officium recitent, ita cum multis Tamburinus *ſuprà num.* 22.

54 Sed quæres an intruſus, id eſt, qui injuſte poſſidet beneficium, quia per Simoniam, violentiam, vel quia exiſtens excommunicatus, vel irregularis, recepit beneficium, teneatur recitare D. officium? Reſpondeo negative, quia hic non habet titulum, nec facit fructus ſuos, ita cum Suario, & aliis, Palaus *tract. 7. d. 2. p. 1. §. 2. num.* 30. Idem dicendum eſt de eo, qui tantum habet titulum, & poſſeſſionem beneficij, ſed fructus omnes alteri reſervantur, non enim habet beneficium relatum ad fructus ita cum Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Tamburinus, *ſupra num.* 23. Dixi fructus omnes, nam ſi accipit diſtributiones in choro ſufficientes, jam habet fructus, & tenebitur ita cum Azorio, Tamburinus, *ſuprà num.* 23. Et propter eandem rationem, non tenetur recitare qui habet beneficium tenue; beneficium enim tenue pro nullo reputatur, ita cum multis Diana, *p. 2. tract. 12. reſol. 9.* Palaus *ſuprà n.* 9. Licet alij oppoſitum teneant per beneficium autem tenue intelligitur, cujus fructus non ſufficiunt ad tertiam partem congruæ ſuſtentationis beneficiati debitæ, ratione perſonæ beneficiati, & victus honeſti, quo utuntur clerici ſimilis conditionis in tali loco, ita cum Ledeſma, Tamburinus, *ſuprà n.* 11. & cum Maldero, Suario, Leſſio, Sanchez, Tancred. *tr. 3. lib. 4. d. 10. n. 23. & 25.*

55 Idem dicendum eſt de beneficio pingui, ſi progreſſu temporis ſine culpa beneficiaris, ut ex bello, peſte, ſterilitate fructus exigui proveniant; vel per vim, fraudemve impediatur beneficiarius à fructuum conſecutione, ita Palaus, Garcia, Vaſquius, Valentia, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 10. n.* 11. Et hoc, & ſi anno antecedenti totos fructus receperit, vel ſperet ſequenti anno recepturus, nam fructus recepti, & recipiendi pro officio ſuo tempore perſolvendo dantur, & non pro alio; Vnde cum pro illo anno non recipiat fructus ad tertiam partem ſuæ congruæ ſuſtentationis, non tenetur recitare: ita Palaus *tom. 2. tr. 5. d. 2. p. 1. §. 2. n.* 18. Dixi ſine ſua culpa, nam ſi ex culpa, vel delicto beneficiarij hæc diminutio contingat, non eximitur ab obligatione recitandi. Tambur. *ſup. n.* 26.

Sed quid, ſi ex conſuetudine Eccleſiæ ubi eſt beneficium per duos primos annos privetur omnibus fructibus? Reſpondeo adhuc non teneri recitare; nam talis conſuetudo jam eſt abolita *per extravag. Joannis XX.* & per Trid. *ſeſſ. 24. de reformatione c. 14.* & ſi alicubi perſeverat, eſt irrationabilis, & illi conſentit beneficiarius violenter, ne à beneficio excludatur; ita Palaus *ſupra num.* 19. Tamborinus *ſupra num.* 28. contra Tancredum *ſupra num.* 19. Idem dicendum eſt de eo, qui tantùm habet titulum beneficij, non tamen poſſeſſionem abſque ſua culpa, ſed ob licitum, vel aliam cauſam, nam is non tenetur recitare, ita cum Bonacina, Tamborinus, *ſuprà num.* 31. Et ſi litigium ſit inter duos, & nemo illorum ſit in poſſeſſione, nemo ex illis tenetur recitare. Palaus *tom. 2. tract. 7. d. 2. part. 1. §. 2. n.* 25. Tamborinus *ſuprà num.* 31. Dixi ſine ſua culpa, nam ſi per eum ſtet, quin poſſeſſionem habeat, tenetur recitare. Tamborinus *ſuprà num.* 29. Et idem dicendum eſt, ſi habeat poſſeſſionem, etſi litigioſam, ſi tamen fructus recipiat; ita cum Bonacina, Tamburinus, *ſuprà num.* 3.

56

§. II.

Quæ formula ſervanda ſit in horis canonicis, & quomodo ſint recitandæ?

57 *Qui ad horas canonicas obligantur tenentur eas recitare ſecundum præſcriptum breviarij Romani, exceptis illis qui alio breviario utuntur per ducentos annos ante decretum Pij V.*

58 *Qui recitat aliud breviarium à Romano, poteſt etiam ſine cauſa, uti una, vel altera vice breviario Benedictino, Bracharenſi, &c. ſi non detur præceptum in contrarium.*

59 *Quid ſi utatur Breviario Romano?*

60 *Si religioſus careat proprio breviario, poteſt uti alieno.*

61 *Clericus habens duplex beneficium in duabus Eccleſiis utentibus diverſis breviariis poteſt uti quo voluerit, ſi ſingulariter recitet.*

62 *Qui utuntur breviario Romano, tenentur uti breviario emendato ab Vrbano VIII.*

63 *Regulares tenentur recitare de feſtis diœceſis in qua habitant.*

64 *Epiſcopus poteſt præcipere, ut una, vel altera vice clerici ſuæ diœceſis recitent feſtum alicujus ſancti extra Calendarium breviarij.*

65 *Capellanus Monialium, qui ex officio ſolet miſſam diei celebrare, poteſt privatim recitare officium, quod recitant moniales.*

66 *Clerici tercearij mendicantium poſſunt recitare de feſtis illorum ordinum.*

67 *Quid dicendum ſit de confratribus Carmelitarum, qui tantùm differunt ſcapulare.*

57 Dico primo. Omnes qui ad horas canonicas obligantur, tenentur recitare juxta præſcriptum breviarij Romani juſſu Pij V. editi, & Clementis VIII. approbati, exceptis illis, qui utuntur alio breviario ex conſuetudine ante ducentos annos, ut ſunt aliquæ Religiones, & Diœceſes, quibus tamen conceditur, ut poſſint, ſi velint conſentiente tamen capitulo, aut majori parte illius, cum Epiſcopo, vel prælato regulari, ſi fuerint regulares breviarium Romanum accipere, quod ſi fiat, ut factum fuit apud nos Carmelitas excalceatos, non

licet

licet ad antiquum breviarium redire. Leſſius c. 37. d. 12. n. 74.

58 An autem poſſit clericus, vel regularis, qui breviarium Romanum recitat, privatim aliud breviarium recitare, vel è contra, qui aliud breviarium recitat, recitare Romanum? Reſpondeo, qui recitat aliud à Romano poſſe, etiam ſeclusa cauſa juſta, abſque morali uti breviario Benedictino, Bracharenſ. &c. una, vel altera vice, ſi non habeat præceptum ſui ſuperioris in contrarium. Ita cum Navarro, Caramuël, Sanchez, Pelizario, Lezana, Diana, Tancred. *tractat. 3. libro quarto, d. 11. num. 5.* Baſæus *verbo hora canonica 2. numero ſecundo*, Breviario vero Romano poteſt uti privatim quoties voluerit. Ita cum Sanchez, Reginaldo, Leſſio, Diana, Tancred. *ſuprà num. 4.* & cum Saa, Tamburinus, *lib. 2. cap. 5. §. 3.*

59 *num. 34.* Qui verò utitur Romano, ſi clericus ſæcularis fuerit, & fuerit ordinatus ad titulum patrimonij, multi affirmant poſſe uti ſi velit alio breviario ex approbatis in aliqua Religione, vel Diœceſi. Ita cum Navarro, Baſæus, *ſuprà numero ſecundo*, & cum Suario, Manſignus, *cap. 29. numero 22.* Filiucius *tract. 23. cap. 7. quæſt. 2. numero 223.* Leſſius *cap. 37. d. 12. num. 75.* contra Tancredum *ſuprà numero 6.* Si verò fuerit regularis utens Romano, certius eſt poſſe privatim ſine mortali recitare alio breviario, una vel altera vice. Ita cum Navarro, Reginaldo, & aliis Diana *p. 2. tract. 12. reſol. 10.* Baſaſius *verbo breviarium num. 4.* eſt enim parva mutatio.

60 Imò addito, quod ſi regularis careat proprio breviario, etiam Romano, teneri uti alieno, Pelizarius *tractat. 5. capite octavo, numero decimo*, Tandem regulares habent privilegium Innocentij IV. ut extra ſuas domos poſſint recitare divinum officium cum Religioſis aliarum Religionum per ſua breviaria, Tamburinus *de jure Abbatum tomo 2. d. 10. quæſito 7. numero quinto*, Pelizarius *ſuprà numero 77.* addit, poſſe hoc illos facere abſque ſocio alterius Religionis ſeparatim, vel cum ſocio.

61 Sed quæres, cui breviario ſe debeat clericus privatim recitans accommodare, ſi habeat duplex beneficium in duabus Eccleſiis, quæ diverſis breviariis utantur, vel qui habet domicilium in una Diœceſi, & beneficium in altera, habentibus diverſa breviaria? Reſpondeo poſſe accommodari cui voluerit. Ita cum Suario, Bonacina, Palao, Tancred. *ſuprà num. 11.* An autem Epiſcopus poſſit diſpenſare cum clerico, qui tenetur Romanum recitare, ut aliquando recitet Dominicanum, Bracharenſe, &c. negat Tamburinus *libro ſecundo, decalogi cap. 5. §. 2. num. 35.* Verum contraria ſententia probabilis eſt. Ita cum Suario, Bonacina, Manſigno, Pelizario, Tancred. *ſuprà num. 8.* In his enim Eccleſiaſticis legibus conceſſa eſt hæc poteſtas Epiſcopis. Hinc ſit minori cauſa poſſe Epiſcopum diſpentare, vel Prælatum regularem cum eo, qui recitat aliud à Romano, ut Romanum recitet. Ita cum Tancredo, etiam Tamburinus *ſuprà numero 35.* Illud tantùm adverte, quod ſi regularis factus fuerit Epiſcopus, teneri uti breviario Romano, vel propriæ Eccleſiæ, quod voluerit. Excipe ſi fuerit tantùm Epiſcopus titularis, nam tunc poteſt uti breviario ſuæ Religionis. Ita cum Lezana, Tancred. *ſuprà num. 9.*

62 Dico ſecundò: qui utuntur breviario Romano, tenentur uti breviario emendato ab Urbano VIII. ſi illud habeant, non tamen tenentur illud emere, etſi poſſint, dum breviarium Pij V. approbatum à Clemente VIII. habeant, ſed poſſunt illo uti, uſquequo conſumatur. Imò poſſunt horas per breviarium Pij V. & matutinum per breviarium Vrbani VIII. recitare, nam dum extant illa breviaria, permittitur per illa recitatio. Ipſi tamen impreſſores non poſſunt ſub pœna excommunicationis breviarium Pij V. iterum imprimere, licèt alias eis non prohibeatur jam impreſſa ante hoc decretum Vrbani vendere, nec ementibus illis uti, Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 3. §. 2. n. 2. & 3.*

63 Sed quæres, an regulares exempti teneantur recitare feſta Diœceſis in qua habitant? Reſpondeo teneri recitare feſta Patronorum, & alia univerſalia pro tota Diœceſi, particularia vero Eccleſiæ Diœceſanæ non teneri, ſed poſſe ſi velint licitè ea recitare, & ſic oneri ſuo ſatisfacere. Ita & bene Tamburinus *libro ſecundo Decalogi capite quinto, §. 2. numero quinto*, Palaus *tractat. 7. d. 2. p. 2. numero nono.* Et tunc ſolvitur dubium, de quo paucis abhinc diebus fui interrogatus. An Religioſi noſtri exiſtentes in civitate Bracharenſi poſſent recitare de feſtis Diœceſis Bracharenſis, (habet enim breviarium Bracharenſ. plures feſtivitates ultra Romanum) Reſpondi namque juxta hanc doctrinam, de feſtis Patronorum Eccleſiæ Bracharenſis, & de feſtis Generalibus pro tota Diœceſi teneri Religioſos noſtros recitare, de illis tamen feſtivitatibus particularibus, quæ ſolum in Eccleſia Cathedrali Bracharenſi recitantur (ſunt enim plura feſta in breviario Bracharenſi, quæ ſolum in Cathedrali, non verò extra celebrantur, nec enim de feſto breviarium Bracharenſe recitatur à clero in tota Diœceſi, ſed ſolum intra Eccleſiam Cathedralem) poſſe, ſi velint, non tamen teneri recitare.

64 Sed quæres, an Epiſcopus denuo poſſit ſtatuere, ut clerici ſuæ Diœceſis recitent officium alicujus ſancti extra Calendarium, vel rubricas breviarij? Reſpondeo conſtitutione perpetua non poſſe, bene tamen una, vel altera vice. Ita cum Sanchez, Navarro, Armilla, Pelizario, Tamburinus, *libro ſecundo Decalogi capite quinto, §. ſecundo numero quinto.* Et idem poſſunt facere Prælati regulares pro ſuis ſubditis. Ita cum Pelizario, Tamburinus *ibi*, non enim hoc tranſcendit eorum poteſtatem, cum rarò fiat. Adverte tamen quod nec Epiſcopus, nec Prælatus regularis poſſunt inſtituere officia propria pro aliquo ſancto, vel feſtivitate, ſine approbatione ſedis Apoſtolicæ, ut ſtatuit Pius V. & Vrbanus VIII. ut bene contra Rodericum, advertit Quintanadueñas *tract. 8. ſingulari 1. num. 2.*

65 An autem Capellanus ſæcularis monialium, qui ex officio ſolet Miſſam celebrare, poſſit privatim recitare officium, quod ipſæ moniales recitant, etſi ſit officium particulare Religionis? Reſpondeo poſſe ſe conformare in recitatione cum ipſis monialibus, nam cum ſit parochus illius Eccleſiæ, debet ſe conformare ritibus, & conſuetudini illius. Ita & bene Quintadueñas *tractat. 8. ſingulari ſeptimo, numero tertio*, Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 5. §. 3. num. 32.* Et idem dicendum eſt de clerico ſæculari, qui habet beneficium in Eccleſia regularium, propter eandem rationem. Ita Quintanadueñas *tractat. octavo ſingulari octavo numero ſecundo.*

Digitized by Google

66 An autem clerici tertiarij Carmelitarum, vel Minorum, vel Sancti Dominici, & aliorum, poſſint recitare de feſtis, & ſanctis illorum ordinum, quorum ſunt tertiarij? Reſpondeo poſſe, ſi habitum à Pontificibus aſſignatum illarum Religionum deferant, quæ veſtes ab aliis ſæcularium ſunt diſſimiles. Ita habetur *ex privilegio Pauli II.* & tenet cum aliis Quintanadueñas *tractatu* 8 *ſingulari* 17. An autem clerici confratres noſtri ordinis Carmelitarum, qui tantùm deferunt ſcapulare, & faciunt quæ in bullis Pontificum eis aſſignantur, poſſint recitare de omnibus feſtis, & ſanctis, quibus recitant noſtri fratres, & moniales? majus eſt dubium. Negat Quintanadueñas *tractatu* 8. *ſingulari* 18. quia ait nullibi de hoc dari privilegium. Sed fallitur, habent namque noſtri confratres ampliſſimum
67 privilegium Gregorij XIII. quod habetur *in noſtro Compendio privilegiorum fol.* 330. ubi conceditPontifex confraternitatem noſtram ingredientibus indulgentias peccatorum, remiſſiones, & gratias, ſingulis utriuſque ſexus fratribus noſtris conceſſas, ſed facultas ad recitandum de talibus feſtis, & Sanctis eſt gratia ſingulis fratribus noſtris utriuſque ſexus conceſſa, ut patet ex decreto ſacræ Congregationis, quod habetur in noſtro manuali harum feſtivitatum, ergo prædicti confratres gaudent hac facultate, gratia, ac privilegio, ſicut & etiam gaudent corrigiati Sancti Auguſtini, propter ſimile privilegium, quod refert, & admittit Quintanadueñas *ſuprà numero* 5. Ita cenſeo, & ejuſdem opinionis fuere graviſſimi Religioſi hujus noſtræ Provinciæ à me de hac re conſulti, & ita audivi ab omnibus noſtris confratribus, abhinc jam multis annis, ſine ullo ſcrupulo practicari.

§. III.

An qui addit, vel diminuit aliquid ab officio D. vel illud in alia lingua à Latina recitat, peccet mortaliter?

68 *Qui notabiliter de divino officio minuit, peccat mortaliter.*

69 *Qui addit aliquid ſine animo mutandi ritum ſatisfacit præcepto.*

70 *Addere aliquid in Miſſa, etiam private dicta, eſt peccatum mortale.*

71 *Quæ ſit pars gravis, quæ ſi omittatur in D. officio ſit peccatum mortale?*

72 *Omittere veſperas in Sabbato Sancto non eſt materia gravis.*

73 *Qui omittit officium diei, & defunctorum in die commemorationis defunctorum, unum tantum peccatum committit.*

74 *Non datur præceptum ſub mortali recitandi officium defunctorum, etiam in choro pro his, qui utuntur breviario Romano.*

75 *Idem dicendum eſt de Pſalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus, & de officio parvo Beatæ Virginis in feriis Adventus, & Quadrageſimæ extra chorum.*

76 *Idem dicendum eſt de Litaniis in die Sancti Marci, & in tribus diebus Rogationum.*

77 *Omittere officium Divinorum, etiam ſemel in anno eſt peccatum mortale.*

78 *Qui privatim recitat Divinum officium in lingua vulgari ſatisfacit præcepto recitandi, peccavit tamen graviter, quia ſine diſpenſatione mutavit ritum, & quia uſus eſt libro prohibito.*

Dico primò: qui notabiliter de divino officio diminuit, certum eſt graviter peccare, quia non ſatisfacit ſuæ obligationi. Qui verò addit aliquid divino officio abſque animo mutandi ritum, ſatisfacit præcepto, quia additio fine hoc animo non mutat ſubſtantiam divini officij, quod jam totum recitatum ſupponitur. Tancred. *tractatu tertio, dub. 6. numero decimo quinto*, in fine, hinc ſit nullam eſſe culpam, ſi aliquando ad majorem ſolemnitatem inter unum, & alterum Pſalmum in choro cantentur moteta, pulſentur organa, & cætera, ita Tamburinus *libro ſecundo, decalogi capite quinto*, §. 2. *numero octavo*. An autem in officio privato, aliquid addere in perpetuum, abſque animo mutandi ritum, ſed ad particularem devotionem ſit peccatum mortale? Reſpondeo negative, non enim præſumitur à viro particulari velle induci novum ritum. Ita Bonacina *dub.* 1. *quæſt.* 3. *part.* 1. *numero* 21. Tamburinus *ſuprà numero* 8. contra Suarium, Filliucium, quos refert, & ſequitur Palaus *tract.* 7. *dub.* 2. *part.* 2. *numero* 15. Secus tamen dicendum eſt in Miſſa, etiam private dicta, quia eſt ex ſe publicum ſacrificium, Tamburinus *ſuprà numero* 8. An autem talis additio in recitatione publica in choro abſque animo introducendi novum ritum, ſed ſi ex devotione addatur novus hymnus in feſto alicujus Sancti, recitato priùs hymno præſcripto ab Eccleſia, ſit peccatum mortale? Reſpondeo negative, ſed tantum eſſe veniale, non enim hoc eſt uſurpatio juriſdictionis, ut aliqui voluere, ſed tantum tranſgreſſio præcepti Pij V. in quo dari poteſt parvitas materiæ. Ita cum Hurtado, Sylvio, Tancred. *tract.* 3. *de religione dub.* 6. *quæſt.* 4. *num.* 15. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 63.

Sed quæres, quæ ſit notabilis pars, quæ ſi omittatur in divini officij recitatione detur peccatum mortale? Reſpondeo dari in hoc multiplex doctorum placitum, alij namque dicunt eſſe totum principium unius horæ, cum primo Pſalmo. Ita Navarrus *capite decimo, numero quadrageſimo quarto*. Alij dicunt decimam partem unius horæ, parvæ eſſe materiam gravem. Ita Moneta, apud Bonacinam *tractatu* 1. *dub.* 1. *de horis Canonicis quæſt.* 5. *part.* 1. *num.* 2. Alij dicunt eſſe tertiam partem. Ita Maldon. quem refert Cotonius *verbo hora Canonica numero* 27. Alij dicunt eſſe medietatem parvæ horæ, ita Azor, Malderus, quos refert Bonacina *ſuprà numero* 2. Alij dicunt materiam gravem eſſe integram parvam horam, verbi gratia, tertia, ſexta, completorium, & in matutinis ea quantitas, quæ uni parvæ horæ æquivalet. Ita cum Leſſio, Bonacina, Tamburinus, *ſupra numero* 10. & cum Bona. Cotonius *ſupra numero* 27. & cum Palao, Ragutio, Baſæus, *verbo hora Canonica* 5. *numero* 2. Alij dicunt in matutinis materiam gravem eſſe quartam partem. Vnde dicunt non ſufficere ad materiam gravem, ſi omittantur tres lectiones cum reſponſoriis in officiis feriæ, vel dominicæ. Ita Sanchez *in ſumma tomo primo, libro primo, capite* 18. *numero* 8. Alij dicunt in matutinis, totum unum nocturnum eſſe.

esse materiam gravem, non verò minùs. Ita Basæus *suprà num.* 2. Alij dicunt unam horam parvam esse materiam levem, & plus requiri ad materiam gravem. Ita Marchinus, & Marchantius, quos refert Basæus *suprà n.* 2. Alij dicunt octavam partem divini officij esse materiam gravem, non tamen quidquid sit inferius. Ita Caramuel *in regulam S. Benedicti d.* 11. *num.* 1408.

Ex his igitur omnibus opinionibus dico primam opinionem Navarri locum habere posse in officio publico in choro, gravius enim est in choro relinquere versum, Deus in adjutorium meum intende, quam quatuor versus unius Psalmi. Ita cum Suario Cotonius *suprà num.* 29. contra Bonacinam, quem refert, & sequitur Tamburinus *suprà numero* 12. qui probabiliter docet, eandem materiam parvam esse in recitatione publica in choro, quam in privata; cæteræ verò opiniones, aliæ sunt nimis arctæ, aliæ nimis laxæ: placet mihi sententia, quæ asserit, unam horam parvam, vel quantitatem, quæ ei æquivalet in matutinis esse materiam gravem. Ratio autem est, quia totum D. officium obligat per modum unius, datur enim de illo unum tantum præceptum, & non multiplex, ut cum Vasquio, Merola, Suario, Bonacina, Garcia, docet Tamburinus *suprà num.* 9, & cum Navarro, Diana, & aliis Cotonius *suprà num.* 26. contra Cajetanum, Lessium, & alios, sed omittere minùs, quam sit una hora parva, non videtur nocere notabiliter fini intento à legislatore per præceptum de recitando D. officio, qui est cultus Dei, ergo. Tum quia talis omissio, nec ex se, & absolute, nec ut relata ad totum officium unius diei, videtur magna, ergo non est notabilis. Tum quia non est credendum piam matrem Ecclesiam velle æternis ignibus addicere eum, qui leviorem partem officij ea, quam diximus omittit

72 An autem omittere vesperas in Sabbato Sancto, sit materia gravis? negat Pellizzarius *tract. 5. cap. 8. num. 93.* Tamburinus *supra num.* 11. contra Suarium, apud Cotonium *suprà num.* 28. Tancredum *tract. 3. lib. 4. d. 12. numero* 19. Ratio est, quia illæ vesperæ, & si sint integra hora, habent specialem parvitatem, & non est credendum velle Ecclesiam, quod in die tantæ lætitiæ, & indulgentiæ, in quo preces sunt adeo prolixæ, ob rem adeo parvam, ejus filios peccare mortaliter. Vnde quando dicimus omissionem unius parvæ horæ sufficere ad mortale, intelligitur de horis consuetis, & non de hac, propter illius specialem parvitatem.

73 Sed quæres, an qui omittit officium diei, & defunctorum in die commemorationis defunctorum, committat unum tantum peccatum, vel multiplex? Respondeo probabile esse unum tantum committere. Tum quia illa duo officia obligant per modum unius tantum præcepti. Ita cum Pellizzario, Tancred. Diana, Cotonius, *suprà num.* 28. Tum quia probabile est non dari præceptum sub mortali de recitando officio defunctorum in die commemorationis defunctorum. Ita cum Pellizzario, Diana, & aliis Tamburinus *suprà numero decimo quarto.* Vnde in opinione, quæ asserit, ex hoc duplici officio dari unum tantum præceptum, non sufficit omissio unius integræ parvæ horæ, ut sit materia gravis, sed amplius requiritur, propter majorem in hac die præcepti latitudinem. Ita probabile putat Tancred. *tractatu 3. libro 4. d.*
74 12. *numero* 18. Hinc fit multo à fortiori non dari præceptum sub mortali recitandi officium defunctorum in aliis diebus, etiam in choro, pro illis, qui utuntur Breviario Romano, bene tamen pro aliis, si apud eos talis erat consuetudo, ut bene advertit Tamburinus *suprà numero* 13. & cum aliis Tancred. *tractatu 3. libro 4. d. 6. numero* 12.

Et idem dicendum est de officio parvo Beatæ 75
Virginis, de Psalmis Pœnitentialibus, & gradualibus in feriis Adventus, & Quadragesimæ extra chorum. Ita cum aliis Cotonius *suprà numero* 44. Et idem dicendum est de Litaniis in die San- 76
cti Marci, & in tribus diebus Rogationum. Ita Vasquez *in opusculo de beneficiis cap. 4. §. 1. articulo 2. dubio 1. numero* 58. & cum aliis probabile putat Cotonius, *suprà numero* 47. Tamburinus *suprà numero* 14. & cum aliis Tancred. *suprà d. 12. numero* 18. contra Basæum *suprà numero* 2. & 77
alios, an autem omissio totius integri divini officij semel, vel bis in anno, sit materia parva, & excusetur à mortali, si non in contemptum, sed ex fragilitate, vel repiditate fiat? Affirmant Aragonius, Rodriguez, Angelus, Lessius, Azor, Filiucius, quos refert Basæus *suprà numero* 1. Imò Ioannes Henriquez, in compendio *cap. 29. numero* 30. ait licere per annum per octo dies officium divinum omittere, ut testatur Leander *de Sacramentis tract. 6. d. 13. quæst. 29.* Sed contraria sententia est communis. Ita Basæus, *suprà numero* 1. Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 12. num. 20.* Leander *suprà quæst. 29.*

Dico secundò: qui vulgari lingua etiam private 78
recitat divinum officium satisfacit præcepto recitandi, quia quoad substantiam omnia verba recitavit, peccat tamen graviter, quia sine dispensatione mutavit usum Ecclesiæ, & quia usus est libro prohibito. Ita Diana *parte 9. tractatu 7. resolutione 67.* Cotonius *suprà numero* 42. Tamburinus *suprà numero* 27. Qui id etiam affirmat de obligato solum ex voto, vel pœnitentia ad recitandum divinum officium. Non enim est in usu talis recitatio in Ecclesia, bene tamen si sermo sit de recitatione Rosarij, & cætera, an autem idem dicendum sit si quis etiam sine causa recitet divinum officium Idiomate Græco, vel hoc Hebraïco? Respondeo negative, si sermo sit de privata recitatione extra chorum, secus in choro. Ratio est, quia sacra Scriptura semper fuit permissa in Ecclesia in his tribus linguis Hebræa, Græca, & Latina, ergo si quis recitet, sine animo tamen mutandi ritum, sed ob suam devotionem, vel aliam utilitatem, Idiomate Græco, vel Hebraïco, existimo non solùm satisfacere præcepto, sed nullum committere peccatum. Ita cum Saa, Diana *p. 9. tract. 7. resol. 7.* Cotonius *suprà num.* 41. Tamburinus *suprà num.* 17. Quòd tamen in Missa minime admittendum est, sicut nec in recitatione solemni chori, ut diximus, Tamburinus *suprà num.* 19.

---

§. IV.

An qui mutat officium unius in officium alterius diei stando semper in eodem ritu peccet mortaliter?

79 *Mutatio officij Dominica in officium Sancti, vel è contra, etiamsi sine causa, & semper fiat, non est mortale, dummodo absit contemptus, vel animus introducendi novum ritum.*

Digitized by Google

80 *Quid si quis loco officij alicujus Sancti recitet officium Paschæ resurrectionis?*

81 *Qui ex oblivione, vel errore non recitavit in propria die de Sancto, potest de eo recitare prima die non impedita.*

82 *Qui per errorem recitavit matutinum de feria, cognito postea errore potest recitare horas de Sancto.*

79 DIco primò: mutatio D. officij, v.g. recitare de Sancto eo die, quo recitandum erat de feria, vel dominica, non est peccatum mortale, etsi absque justa causa fieret, etiamsi semper fiat, dummodo non fiat animo introducendi novum ritum, nec ex contemptu, etsi ex aliqua causa justa fiat, nec etiam erit veniale. Ita cum Junipero, Vidal, Lessio, Nieva, & aliis Tancred. *tract. 3. de Relig. lib. 4. d. 12. num.* 14. & cum multis Leander *de Sacramentis tract. 6. d. 13. quæst. 27.* excipe nisi loco unius offi-
80 cij feriæ, vel Sancti, recitetur officium Paschæ resurrectionis, vel Pentecostes, ut latiùs diximus cum multis *in nostro directorio regularium part. 2. d. 6. num.* 1612. quamvis Caramuel, & Leander *de Sacramentis tract. 6. d. 13. quæst.* 28. autument, posse etiam, sine mortali loco alterius officij recitari officium resurrectionis, quæ sententia, an sit probabilis? ipsi viderint.

81 Dico secundò: qui ex errore, vel oblivione non recitavit in propria die de festo duplici, aut semiduplici, potest de eo recitare prima die non impedita. Quintanadueñas *tract. 8. singulari 9.* Pellizarius *tract. 5. cap. 8. num.* 74. Potest etiam si velit eo anno omittere recitationem de eo Sancto, Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 5. §. 2. num.* 29. unde si quis hodie peregrinus existit Vlisipone, & ibi recitet de Patrono civitatis, & non de S. Francisco, de quo in patria sua, eo die recitatur, si postea in patriam veniat, non tenetur eo anno recitare de S. Francisco, poterit tamen si velit juxta hanc doctrinam prima die non impedita de eo recitare. Tamburinus *suprà num.* 26. idem dicendum est eo, qui per errorem die antecedenti recitavit de Sancto, quo erat recitandum die sequenti, non enim tenetur iterum de eo recitare, siquidem debitum anticipatè solvit, unde die sequenti debet recitare de festo, de quo erat recitandus die antecedenti, vel de feria occurrente, si die antecedenti non erat aliquod festum assignatum. Quintanadueñas *suprà singulari* 10. poterit tamen, si velit die sequenti recitare iterum die festo, de quo jam recitavit, die antecedenti, si ea die occurrit, quia festum possidet officium eo die, Tamburinus *suprà num.* 39. unde festum omissum die antecedenti poterit observare pro prima die non impedita, stando in hac opinione, juxta *superius* dicta.

82 Dico tertiò: qui per errorem recitavit matutinum de feria, postea cognito errore, potest horas recitare de Sancto. Ita cum Pellizzario, Tamburinus, *suprà num.* 31. & cum Bonacina, Trullenc & aliis diximus *in nostro directorio regularium p. 2. d. 6. n.* 1617. An autem, si quis cras profecturus sit ad locum, ubi recitatur de festo, de quo in loco ubi hodie est, non est recitandum, possit hodie hic recitare vesperas, & matutinum de festo, de quo crastina die recitandum erit in tali loco? Respondeo posse, sed non teneri. Ratio est, quia cum cras sit futurus peregrinus in ea civitate, & loco, poterit, sed non tenetur, Ecclesiæ illius loci se reddere conformem; unde cum officium vespertinum, & matutinum sit pars officij crastini, potest anticipare, ut quid pertinens ad diem crastinum, licite persolvere, Tamburinus *suprà num.* 25. sed quid, si hodie recitavit vesperas, & matutinum de feria pro ea die, in qua profecturus erat ad locum ubi de Sancto recitatur, poteritne ibi existens continuare officium de feria, vel poterit etiam dicere, qua[illegible] Sancto, de quo ibi recitatur? Vtrunque posse licite efficere existimo, unde potest in privato officio, quod maluerit eligere, Tamburinus *suprà num.* 25. an autem peccet mortaliter, qui recitat ritu duplici, quando festum erat semiduplex, vel è contra? Respondeo negative, Pellizzarius *tract. 5. cap. 8. num.* 76.

§. V.

De modo recitandi D. Officium.

83 *Recitans debet habere intentionem saltem implicitam recitandi.*

84 *In recitatione habenda est attentio interna.*

85 *Quid si voluntarie desit intentio interna, adsit tamen attentio externa?*

86 *Quædam corollaria proponuntur.*

87 *Qui recitat syncopando notabiliter D. officium peccat graviter.*

88 *Qui tantum mentaliter recitat, non satisfacit divino officio.*

89 *Quid dicendum sit de regularibus mentaliter recitantibus?*

90 *An recitans privatim debeat se ipsum audire?*

91 *Recitantes cum sociis solum possunt facere duos, non tamen tres choros.*

92 *Quid si unus dicat lectiones, & alter audiat, vel si unus recitet unum Psalmum, & alter alind?*

93 *Quæcunque interruptio, sive intra, sive extra chorum, dummodo continuatio fiat intra eandem diem naturalem non est mortale.*

94 *Qui prius vesperas, quam matutinum recitat non peccat graviter.*

DIco primò: certum est recitantes debere ha- 83
bere intentionem orandi, saltem implicitam, nam cum recitatio sit actus Religionis, saltem implicite debet ab illa procedere, non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto, sufficit namque, ut quis faciat rem præceptam, etsi sit cum animo non satisfaciendi præcepto, dummodo intra tempus præcepti, cesset ab illo pravo animo, nam si non cessaverit peccat non contra præceptum recitandi, cum jam recitaverit, sed contra legem naturalem non se subdendi legi; si tamen cessat ab illa prava intentione, non tenetur officium repetere, nec incurrit censuras, si forte contra non recitantes fulminatæ erant. Ita cum multis late diximus *in nostro directorio regularium p. 2. d. 6. n.* 1626. *& sequentibus*, Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 5. §. 3. num.* 3.

Dico secundò: in recitatione horarum habenda 84
est attentio interna, hæc autem attentio non impeditur per hoc, quod quis alteri rei divinæ cum ea compatibili attendat; ut si quis audiendi Missam ex præcepto simul recitet officium divinum, ad quod tenetur eo præcepto, siquidem utraque est attentio ad divina, neutra alteram impediens. Ita cum communi sententia Tamburinus *lib. 2. cap. 5. §. 6. numero 9.* Si tamen voluntarie desit hæc intentio in- 85
terna ad divina, si adsit externa, satis probabile est, non dari culpam gravem, sed tantum venialem. Ita cum multis dixi *in nostro directorio regularium suprà num.* 1629.

Hinc fit cum, qui occupatur rebus externis dum 86
recitat,

Digitized by Google

recitat, si sint incompatibiles cum attentione orationis, ut sunt legere, scribere, cum aliis confabulari, vel aliud faciat, quod totum animum ad se advocet, non satisfacere huic præcepto; secus si tales actiones non requirant tanti animi advertentiam, ut si quis recitet se induens, calceans, deambulans, videndo flores, &c. Sanch. *lib. 7. consiliorum cap. 2. d. 31.* & nos diximus *loco citato*, vel etiam, si quis in latrinis sedens, dum venter exoneratur recitet, quo casu, si simul attentionem internam habeat, & hoc casu, vel ex aliqua occasione fiat, existimo nec venialiter peccare; secus si in aliis immundissimis locis oret sine causa, nam tunc erit veniale. Ita cum Tabiena, Escobar, Fausto, Caramuël, & aliis Leander *tract. 6. d. 13. quæst. 26.* Et idem dicendum est si sine causa in lecto decumbens recitet, vel sub immodesta corporis dispositione, est enim hic aliquis desidiæ affectus, Tamburinus *lib. 2. decalogi cap. 5. §. 6. num. 5.* à veniali tamen excusabitur, qui sedendo recitaverit, etiam cum genuflexus ex rubricis deberet recitare. Ita cum Palao, Tamburinus, *ibi num. 4.*

87 Dico tertiò: recitantes D. officium debent omnia clare, & distincte pronuntiare, unde si quis recitet syncopando notabiliter verba, ita ut notabilem partem D. officij omittat, peccat mortaliter. Ita cum aliis Trullench. *lib. 1. decalogi cap. 2. d. 16. num. 3.* Secus si non verba, sed aliquas syllabas omittat, illas syncopando, nam tunc tantum erit veniale, Tamburinus *suprà num. 6.* Hinc fit, recitantem cum socio, si antequam alter finiat suum versum, ipse incipiat, notabiliter præoccupando illum, peccare mortaliter, nam tunc ambo simul recitant, unusquisque suam partem, secus si antequam alter omnes syllabas ultimi verbi pronuntiet, ipse ob nimiam velocitatem incipiat. Ita cum Bonacina, Tamburinus, *suprà num. 7.*

88 An autem si quis solum mentaliter recitet, satisfaciat præcepto recitandi? Aliqui existimant probabile satisfacere, si tantum mentaliter recitet ea, quæ secreto jubentur dicere. Ita cum Navarro, Hurtado, Leander, *tract. 6. d. 15. quæst. 19.* verùm contraria sententia communis est, præceptum enim est de oratione externa. Ita cum multis Leander *suprà quæst. 19.* excipe regulares, nam hi ex privilegio possunt totum D. officium mentaliter recitare. Ita

89 concessit Leo X. vivo oraculo, quod oraculum, postea fuit confirmatum per bullam à Pio V. quod sufficit, ut non manserit inclusum in communi revocatione oraculorum facta ab Urbano VIII. Ita cum Sanctor. Rodrigue, Miranda, Villalobos, Thomas

90 Hurtado, Joanne de la Crux Leander *suprà quæst. 19.* An autem qui privatim recitat, debeat ita clara voce proferre ea, quæ dicit, ut ad minus seipsum audiat? Respondeo ex præcepto sufficere si revera verba ita proferat linguam, & labia movendo, ut seipsum percipiat, & intelligat, & non solùm in gutture pronuntiet, etiam si seipsum non audiat. Ita cum Azor, Navarro, Diana, Filliucio, Trullench. Molphesio, Caramuël, Leander, *suprà num. 18.*

91 Dico quartò: recitantes cum socio, non debent facere tres, aut quatuor choros, sed tantum duos, quia talis modus recitandi nunquam fuit in usu in Ecclesia: non tenetur tamen quis cum socio recitare antiphonas, sed sufficit quod dicentem socium audiat. Ita cum Villalobos, Cotonius, *verbo hora canonica num. 6.*

92 Idem dicendum est de lectionibus, responsoriis, capitulis, orationibus, nam hæc omnia sufficit, si à socio audiat. Ita cum Polizario, Cotonius, *suprà num. 69.* Tamburinus *suprà num. 10.* Diana *p. 11. tract. 1. resol. 5.* Non satisfacit tamen, qui recitat totum unum psalmum, & aliud audit à socio nec qui recitat totum matutinum, &c. audit à socio. Ita cum Diana, Basæus *in supplemento, verbo hora canonica num. 10.*

Dico quintò: quæcunque interruptio, extra chorum, sive (præscindendo à scandalo) in choro, dummodo continuatio fiat intra eundem diem naturalem, peccatum mortale nunquam attingit. Unde qui unum nocturnum, vel etiam psalmum, vel etiam dimidiam psalmi, hoc mane recitavit, si ante mediam noctem illius diei recitet quod superest, satisfacit præcepto. Et idem dicendum est, si hodie vespere unum psalmum matutini crastini recitet, & cetera eras persolvat. Ita cum Delugo, Tamburinus, *suprà num. 11.* contra Tancredum *lib. 4. tract. 1. d. 12. num. 8.* peccabit tamen venialiter, si quis id sine ulla causa faciat. Secus si cum aliqua causa Pelizarius *tract. 5. cap. 8. num. 79.* & cum aliis Tamburinus *suprà n. 11.* ubi etiam advertit, quod quando quis dividit laudes à matutinis, opus non esse, licet alias sit laudabile, absolvere matutinum cum oratione, nisi in nocte nativitatis Domini. 93

Dico sextò: secluso scandalo, & contemptu, non est mortale invertere ordinem D. officij, ut si quis prius vesperas, quam matutinum, vel unum psalmum, quam alium ejusdem horæ recitet, si tamen fiat sine causa, veniale erit. Ita cum Bonàcina, Pelizario, Tamburinus, *suprà num. 12.* unde si quis mane ad manum non habeat breviarium, bene tamen diurnum, licite etiam sine veniali potest horas recitare, & postea matutinum. Imò si in diurno habeat psalmos matutinos, poterit illos omnes recitare, & postea lectiones, & responsoria. 94

§. VI.

Quo tempore debeat divinum officium recitari?

95 *Signatur tempus pro unaquaque hora recitandi.*

96 *Dicere matutinum post Missam non est mortale, nec veniale.*

97 *Qui intra totum diem naturalem recitat D. officium quacunque hora recitet, sive totum simul sive non, non peccat mortaliter.*

98 *Potest quis à secunda hora post meridiem diei antecedentis recitare matutinum cum laudibus officii sequentis diei.*

99 *In quota aequina parte diei incipere recitare matutinum sequentis diei post prandium.*

100 *Qui paulo ante mediam noctem incipit recitare probabile est posse prosequi officium, etiam post mediam noctem, & cum hoc officio satisfacere diei antecedenti.*

101 *Non potest qui uno matutino matutinis duorum dierum satisfacere.*

102 *Religiosus die qua professetur solum tenetur sub praecepto ad horas, quae sequuntur post professionem.*

103 *Probabile est, nec etiam ad horas sequentes professionem eo die obligari.*

104 *Qui ante professionem recitavit horas canonicas, post professionem non tenetur alias recitare.*

SUppono ex antiqua, & introducta consuetudine, sine culpa, etiam veniali, matutinum cum laudibus ab inclinato præcedenti die, usque ad unam circiter horam post ortum solis sequentis diei, & primam, tertiam, sextam, & nonam, ab aurora usque 95

ad meridiem, veſperas verò, & completorium, à meridie uſque ad ſemihoram circiter poſt occaſum ſolis, recitari poſſe, etiam à timoratis, ut bene notat Tamburinus *lib. 2. Decalog. cap. 5. §. 5. num. 1.* Secundò ſuppono non eſſe peccatum mortale recitare matutinum poſt dictam Miſſam, ut cum communi ſen-
96 tentia tenet Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 14. num. 6.* Tamburinus *ſupr. num. 1.* contra aliquos Canoniſtas. Imò ſatis probabile eſt, nec venialiter peccare, qui prius celebrat, quam matutinum reciter, ſi alias intra debitum tempus poſt Miſſam matutinum recitet, vel cum cauſa differat. Non enim datur de hoc præceptum, etiam ſub veniali, ſed tantùm conſilium; ut bene probat Tamburinus *de Sacrificio, lib. 1. cap. 7. §. 2. num. 3.* contra Palaum, & alios. Et etiam ſtando in ſententia Palai ſufficit quæcumque cauſa, ut matutinum poſtponatur Miſſæ, ſine ullo ſcrupulo, ut bene Roccaful. *p. 2. Theolog. Moral. lib. 3. cap. 59.* Tancred. *tr. 3. lib. 4. d. 12. q. 2. num. 3.*

97 Suppono tertio non eſſe mortale recitare D. Officium intra eundem diem naturalem, qui incipit à media nocte, & finitur ad aliam mediam noctem, & hoc ſive quis totum officium mane recitet, ſive totum recitet in fine diei, licèt ſi ſine cauſa id fiat, ſit peccatum veniale, ut cum aliis Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 14. num. 1. & 2.* contra Caramuelem *in Regulam D. Benedicti. num. 1411. & in Theologia Fundamentali, num. 1518.* ubi aſſerit non eſſe veniale, etiam ſine cauſa, non recitare privatim officium D. horis ſtatutis, quam opinionem non reputo improbabilem; ſed quidquid ſit de ea, certum eſt etiam in contraria, & communi ſententia, melius eſſe anteponere officium D. quam poſtponere. Secundò certum eſt, non eſſe veniale propter ſtudium, vel aliud negotium, totum officium, etiam cum veſperis, & completorio, ſummo mane recitare. Tancred. *ibi num. 3.* Difficultas igitur eſt, qua hora poſſit quis hodie recitare matutinum cum laudibus pro die craſtina, & an hoc debeat fieri recitato toto officio diei.

98 Dico igitur primò: Poteſt quilibet, etiam ſine veniali, à ſecunda hora poſt meridiem recitare matutinum cum laudibus pro die ſequenti, non tamen primam, vel alias horas, quia ita conſuetudine introductum eſt. Ita cum multis Leander *tr. 6. d. 13. quæſt. 24.* imò aliqui exiſtimant non peccare venialiter, qui inciperet recitare matutinum ſequentis diei poſt prandium in quadrageſima, quando veſpe-
99 ræ dicuntur ante prandium. Ita cum aliis Coton. *verbo hora canonice, num. 55.* erit tamen veniale, ſi quis ſine cauſa recitet matutinum craſtinum, non recitatis veſperis, vel completorio hujus diei. Coton. *ibi.* Leand. *ſupr. n. 23.*

100 An autem ſatisfaciat præcepto recitandi, qui incipit recitare D. officium hodiernum paulò ante mediam noctem diei ſequentis, ſi ipſum proſequatur poſt completam mediam noctem? Negant communiter DD. nam onus recitandi horas canonicas eſt onus diei: ergo tranſacto die, neceſſario debet eſſe tranſactum onus ei affixum; nequit ergo illi ſatisfieri in altera die ſequenti, in qua datur jam novum onus recitandi in illa. Verùm licet hæc ſententia communis ſit, contrariam non reputo improbabilem. Ita cum Baſilio; & Fr. Franc. à Sancto Juliano, & Fr. Franc. à Conceptione Leander *de Sacramentis, tract. 6. d. 13. quæſt. 15.* Ratio eſt, quia cum omnes horæ ſint unicum præceptum in meliori ſententia, ſi quis incipiat ante mediam noctem recitare, cum jam inceperit unam, & individuam rem tempore apto, optimè finire poteſt, imò & debet, ſi res eſt præcepta, tempore ſequenti, ſi id in continenti fiat, & aliàs non detur præceptum in contrarium.

Confirmatur: Quia ſicut veſpertinum tempus fictione juris, & conſuetudine trahitur ad diem ſequentem, ut incipiat quis ſatisfacere præcepto horarum, ita tempus immediatum poſt mediam noctem, ratione rei jam cœptæ, trahitur ad diem præcedentem, ut patet exemplo in Miſſa, nam nemo poſt meridiem poteſt Miſſam abſque privilegio celebrare, vel audire, & tamen ſi inceperit ante meridiem, etiam ſi præviderit eam non poſſe finire, niſi poſt meridiem, poteſt, & debet eam poſt meridiem finire, & illius auditione ſatisfacit præcepto de Miſſa audienda: ergo idem de recitatione horarum dicendum eſt.

Nec tamen inde fit poſſe aliquem uno matutino 101
duorum dierum matutinis ſatisfacere, ut ſi veſpere hujus diei, vel aliquantulum ante mediam noctem, ut in præcedenti caſu diximus, recitet matutinum intendens ſatisfacere præcepto hodierno, & craſtino, ut contendit Caramuel *in Theologia Fundamentali, num. 1255.* Fateor enim una, & eadem actione poſſe duplici præcepto ſatisfieri, ſi alias non conſtet de contraria legiſlatoris intentione, ut conſtat in præſenti, ut ipſemet Caramuel poſt maturam hujus difficultatis diſcuſſionem reſolvit, contrarium dicens in hoc caſu improbabile, *ibi num. 1264.* quamvis non defuerint aliqui apud ipſum *ibi, num. 1262.* qui contrarium dixerint probabile, ſed tu à noſtra ſententia ne recedas; eſt enim contraria ſententia prorſus improbabilis.

An autem qui profitetur Religionem deputatam
ad Chorum, vel ſacris inſtitutus eſt, vel incipit poſſidere beneficium hodie; v. g. circa meridiem, obligetur recitare horas correſpondentes tempori ante meridiem, hoc eſt, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam? Reſpondeo 102
negativè, ſed ſolùm tenetur recitare eas, quæ correſpondent tempori pomeridiano, quia jus profeſſionis, ordinis, beneficij, ad conſequentia officia obligat, non verò retrotrahit obligationem ad antecedentia. Ita cum Palao, Diana, Maldero, Narbona, & aliis communiter Leander *tract. 6. d. 13. quæſt. 9.* Imò ſatis probabile eſt, nec etiam ad horas veſpertinas, eo die obligari. Ita cum Trullench. Leander *ſupr. quæſt. 10.* Ratio eſt, quia cum omnes 103
horæ unum Divinum officium conſtituant, ſi ad unam partem illarum non obligantur, nec etiam ad aliam, ſicut ſi quis non poteſt recitare matutinum excuſatur à reliquis parvis horis, ut cum Torre, Joanne de la Cruz, & aliis docet Leander *ſuprà.*

Addo tamen, quod etiam in contraria ſententia, 104
quam docet Tamburinus *lib. 2. Decalog. cap. 5. §. 6. num. 8.* ſi quis antequam profiteretur, ordines, vel beneficium reciperet, recitaret mane horas correſpondentes tempori pomeridiano, v. g. veſperas, & Completorium, non teneri, etiam in hac ſententia, poſt profeſſionem, vel ordinem, eas iterum recitare, ſed illa recitatione antea facta ſatisfacere præcepto poſtea impoſito. Ita cum Lugo, Tamburinus *ſuprà num. 9.* & Trullench. & Dian. Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 15. n. 11.* Quod verum eſt, & ſi quis non animo ſatisfaciendi obligationi futuræ recitaret illas horas, ſed tantum ex devotione, ut bene advertit Tancred. *ibi.* Ratio autem eſt, quia multa ſunt præcepta, quæ ſatis obſervantur, ſi paulò antequam urgeat præceptum adimpleantur, ut patet in eo, qui mane celebravit, ſi poſtea in eodem mane veniat ad locum, ubi dies ex præcepto obſervatur,

ſervatur, nullus enim eum obligabit iterum aſſiſtere Miſſæ.

§. VII.

De cauſis excuſantibus à Divini Officij recitatione.

105 *Prima cauſa excuſans à recitatione D. officij eſt impotentia.*
106 *Aliqua corollaria, quæ inde ſequuntur.*
107 *Secunda cauſa eſt gravis occupatio.*
108 *Referuntur plures caſus, qui inde ſequuntur.*
109 *Tertia cauſa eſt diſpenſatio.*
110 *Aliqua corollaria referuntur.*

TRes cauſas numerant DD. excuſantes ab officij divini recitatione, ſcilicet impotentiam, gravem occupationem, diſpenſationem, his ſuppoſitis,

105 Dico primò: ex prima cauſa impotentiæ excuſantur, qui non poſſunt loqui, nec verba proferre, quæ ſunt neceſſaria ad recitandum D. officium, & hi nec tenentur illud audire Trullench. *lib.* 1. *Decalogi cap.* 7. *dub.* 28. *num.* 7. Secundò excuſantur, qui inculpabiliter ignorant ſe teneri ad officium, vel ſi legere neſciant, quamvis hi recipiendo ſacros ordines, vel beneficium mortaliter peccaverint, niſi cauſa gravis excuſaret, ut ſi futuri eſſent ſine ordine, & beneficio longo tempore, & bona fide ſperant ſe ab aliis juvandos, & docendos: nam tunc poſſunt beneficium, & ordinem acceptare, abſque peccato; ſatis enim eſt ut adepto beneficio, vel ordine addiſcant recitare. Ita cum Garcia, Tancred. *tract.* 3. *lib.* 4. *d.* 15. *num.* 6. Tertiò excuſatur qui ex ignorantia maximam habet difficultatem in recitando, ut ſi fere totam diem inſumeret in recitatione officij, & verba mutilet, ac deturpet, hic tamen tenetur dimittere beneficium, ſi illud habet, niſi dentur aliquæ conditiones, quas *ſuprà* retulimus §. 1. *num.* 50. Ita cum Suario, Tancred. *ſuprà num.* 3.

106 Quartò excuſantur, qui non ex ignorantia, ſed ex pravo habitu habent maximam difficultatem recitandi, ſi talem pravum habitum expellere non poſſint, abſque gravi damno, puta graviſſimum dolorem capitis, febrem, vel aliquid ſimile Tancred. *ſuprà num.* 7. Tamburinus *lib.* 2. *decalogic.* 5. §. 8. *num.* 2. An verò qui dubitat, an recitaverit aliquam horam, necne, teneatur eam iterum recitare? Reſpondeo teneri, ſi non eſt aliqua ratio probabilis perſuadens eum jam recitaſſe, ut ſi dubitet de laudibus, & certo ſciat primam recitaſſe, ſtat enim pro ſe præſumptio, ne dicamus illum præteriiſſe ordinem horarum, è contra verò, ſi recordetur ſe uſque ad nonam recitaſſe, & dubitet de veſperis, tenetur eas recitare, nam tunc poſſeſſio eſt pro præcepto Tancred. *tract.* 3. *lib.* 4. *d.* 5. *num.* 5. Si verò dubitet de toto D. officio, an illud recitaverit; tenetur recitare; ſtat enim præſumptio pro præcepto, Tamburinus *lib.* 1. *decalogi c.* 3. §. 7. *verbo horæ canonicæ num.* 2. Si verò dubitet, an teneatur ad horas, ut accidit in habente tenue beneficium, de quo eſt dubium an ad horas ratione beneficij teneatur, probabile eſt poſſe eas omittere, ſtat enim poſſeſſio pro libertate, quæ eſt ante beneficium, Tamburinus *ſuprà num.* 2.

Quintò excuſatur qui ſine ſua culpa breviario caret, quòd ſi illud projecit in mare, ſi pœnituerit facti, non ampliùs tenetur recitare, quia nemo tenetur ad impoſſibile, ſi tamen non pœnituit, non recitando peccat, in cauſa, unde ſequentes omiſſiones non ſunt in ſe peccata, ſed effectus peccati, ac proinde ſufficit dicere in confeſſione ſe dediſſe cauſam ad non recitandum per annum, Peliz. *ſuprà n.* 124. Sextò excuſatur qui totum officium non poteſt recitare, etſi poſſit majorem partem, vel aliquas horas recitare. Ita Sanctius *in ſelectis d.* 15. *num.* 2. Caramuël *in regulam D. Benedicti num.* 1435. probabile putat Pelizarius *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 120. præceptum enim eſt de recitando toto officio per modum unius, & non partem illius.

Hinc fit cum, qui non poteſt legere lectiones, non teneri recitare D. officium, etſi cætera ſciat memoriter. Ita Joannes Sanctius *ſuprà num.* 102. Pelizarius *ſuprà num.* 111. probabile putat Sanchez *lib.* 7. *conſiliorum cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 5. Tamburinus *ſuprà num.* 8. Idem dicendum eſt de cæco, qui horas parvas memoriter ſcit, ſi neſciat reſponſoria, orationes, lectiones, &c. Pelizarius *ſuprà num.* 111. Tenetur tamen cæcus recitare D. officium, ſi totum memoriter ſciat; præceptum enim non eſt de recitando per librum, Trullenc. *ſuprà num.* 8. Et idem dicendum eſt de ſurdis, & ſurdaſtris, Pelizarius *ſuprà num.* 113. Non tenetur tamen cæcus adhibere ſocium, etiam ultro oblatum, licet optime faciat, ſi admittat, ſiquidem recitare cum ſocio eſt privilegium, quo nemo tenetur uti, Pelizarius *ſuprà num.* 111.

Septimò excuſantur infirmi, qui ſine gravi damno ſalutis corporalis, aut vexatione recitare non poſſunt. Ita communiter DD. hoc autem damnum non requiritur, quod ſit maximum, ſed media via incedendum eſt. Vnde ſi ex recitatione oriatur ſtomachi cruditas, capitis gravedo, vel vitium laſſitudo, vel tardiùs febris remittatur, excuſabitur. Trullenc. *ſuprà d.* 27. *num.* 2. quod ſi res ſit dubia, an morbus ſit gravis, vel levis, tunc ſtandum eſt judicio medici, & ſuperioris; quod ſi abſint, vel adhuc ſit dubium, an recitatio ſit nocitura, non tenetur infirmus recitare, quia non tenetur infirmus gravi damno ſe exponere Bauni *de beneficiis d.* 13. *quæſt.* 28. Fragoſo 2. *p. lib.* 2. *d.* 22. §. 6. *num.* 1. Tamburinus *lib.* 1. *decalogi c.* 3. §. 7. *verbo horæ canonicæ n.* 2. & *l.* 2. *c.* 5. §. 8. *n.* 15. Si verò periculum ſit tantum modo levis damni, tenetur recitare, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, Trullench. *ſuprà.*

Et hinc deduces quando laborantes quartana à recitatione exempti ſint. Solum adverte quod per hoc quod infirmus valeat converſari cum amicis; vel libros hiſtoriarum legere, non ob id conſtringendum eſſe recitare: confabulatio namque, & lectio hiſtoriarum magis delectat, quàm contriſtat, Pelizarius *ſuprà num.* 116. Secundò adverte non teneri eum, quo non poteſt tempore debito horas recitare, illas intra eundem diem præponere, aut poſtponere, niſi aliàs impedimentum ſit voluntarium. Ita cum multis Diana, *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 10. quia cum poſtponere, vel anteponere, ſit privilegium ab Eccleſia conceſſum, nemo tenetur ſuo uti privilegio. Unde ægrotans uſque ad meridiem, non tenetur matutinum, & quatuor horas minores recitare illa die, ut bene advertit Caramuël, quem refert Diana *p.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 14. è contra verò veſpere ægrotans, ſi manè ſanus exiſtat, non tenetur mane veſperas, & completorium recitare. Et idem dicendum eſt de itinerantibus, vel impeditis, qui ob iter, vel negotia occurrentia, non poſſunt ſtatutis horis recitare, nam hi non tenentur ad illas horas, quas ſtatutis temporibus non potuerunt recitare.

Ita

Digitized by Google

Ita Caramuël *in Regulam S. Benedicti, d.* 116. *numero* 1442. quem refert, & non impugnat Peliz. *tr.* 5. *cap.* 8. *n.* 119.

107 Dico 2. Ratione gravis occupationis excuſantur, qui repentinam aliquam occupationem omittere, vel in aliud tempus differre, vel ſimul cum recitatione exequi non poſſunt, abſque gravi ſui, vel proximi jactura in vita, honore, & fortuna. Ita cum communi ſententia Trullench. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 7. *dub.* 28. *num.* 1. Et hinc excuſantur publicam lectionem intra certum horarum numerum facientes in oppoſitione Catholicæ, vel beneficij, vel ad gradum aliquem ſcientiæ recipiendum. Item confeſſores, & prædicatores, qui nec confeſſiones, aut prædicationes omittere poſſunt, abſque ſcandalo, aut nota, neque cum illis ſimul recitare, ut in die Jubilei, ubi pauci eſſent confeſſores. Palaus *tract.* 7. *d.* 2. *p.* 6. *num.* 2. Tamburinus *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. §. 8. *num.* 16. Item qui ut ſubveniat infirmo, vel ut graves inimicitias componat, vel tumultum populi pacificet ita occupatur, ut non ſuppetat ei tempus recitandi, nec antea poſſet prævenire. Trullench. *ſupra num.* 2.

108 Hinc etiam excuſatur qui bona fide omiſit officium Divinum ad finem diei ad unam, vel alteram horam ante mediam noctem, & tunc ad confeſſionem, vel Extremam Unctionem moribundo conferendam advocatur, & non ſuppetit tempus ad recitandum; nam tunc tenetur ſuccurrere potius infirmo, etſi Parochus non ſit. Tamburinus *ſupra n.* 17. Et idem dicendum eſt de Sacerdote paupere, qui graviter indigens nequit vitæ neceſſaria quærere, & officium perſolvere, propter magnum laborem, quoad neceſſaria ad vitam quærenda occupatur. Tambur. *ſupra num.* 18.

An autem qui habet officium, cum quo conſiſtere non poteſt Horarum Canonicarum lectio excuſetur ab earum recitatione, vel teneatur relinquere tale officium, ſi voluntariè illud aſſumpſit, & retinet? Teneri omittere tale officium tenet cum multis Diana *p.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 1. Verum contrariam ſententiam reputo probabilem, exceptis tamen obligatis ex juſtitia; Ita cum Perezio, Caramuël, *in Theologia Fundamentali*, *num.* 1448. Ratio autem eſt, quia ſicut quis voluntariè poteſt habere officium incompatibile cum jejunio, ut omnes admittunt, ita voluntariè poteſt habere officium incompatibile cum recitatione horarum. Dixi *Exceptis ſemper obligatis ex Juſtitia*, nam hi ut ſunt beneficiati, non poſſunt voluntariè ſuſcipere officium incompatibile cum recitatione, quia omni gratiæ, & Charitati debet juſtitia anteponi. Caramuël *ſup. n.* 1450. & *in Regulam. S. Benedicti, n.* 1350.

An autem ut quis fugiat obligationem legendi Horas Canonicas poſſit quærere, & ultro aſſumere occupationem, quæ incompatibilis ſit cum recitatione? Negat ibidem Diana *ſupra*. Sed meliùs Reſpondeo cum Caramuele, quod ſi aliqua occupatio poſſibilis ſit, cum qua recitatio Divini officij componi non poſſit, [moraliter enim ſecundum communem uſum hypotheſis eſt impoſſibilis,] at ſemel admiſſa, diſtinguendum eſt, & de obligatis ex juſtitia dicendum eſt, non poſſe talem occupationem ultro quærere, & aſſumere; benè tamen obligari ſolum ex præcepto Eccleſiæ, nam ſicut obligatus ad jejunium poteſt ultro quærere opus incompatibile cum jejunio, ut fugiat obligationem jejunij, ut tenet ipſe Diana 1. *part. tract.* 9. *reſ.* 19. & 40. & 52. ita obligatus ad horas poteſt quærere occupationem incompatibilem cum recitatione horarum, ut fugiat illarum recitationem.

Dico 3. Ratione diſpenſationis eximuntur primo, qui à Pontifice habent diſpenſationem, in quo nullum eſt dubium, cum diſpenſet in jure à ſe lato. Palaus *tract.* 7. *d.* 2. *p.* 6. *n.* 3. Secundò poterit Epiſcopus diſpenſare ex rationabili cauſa, non in perpetuum, ſed in caſibus occurrentibus, nam quando urget neceſſitas, & non poteſt Pontifex adiri, Epiſcopus poteſt in lege ſuperioris diſpenſare, præcipuè in caſibus occurrentibus, nam in his cenſetur adeſſe licentia Papæ, ut cum Palao, & aliis Tamburinus *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. §. 8. *num.* 24. Idem propter eandem rationem poteſt facere Vicarius Epiſcopi, & Capitulum ſede vacante, ſed de hoc de mandato ſpeciali Epiſcopi, vel Capituli ſede vacante. Tamburinus *ibi*. In his tamen caſibus diſpenſatus ab Epiſcopo, vel Vicario non facit fructus ſuos beneficij. Tambur. *ſupr. n.* 25. 109

Et idem dicendum eſt de Prælatis Regularibus, etiam Conventualibus, pro ſuis ſubditis ſacro ordine inſignitis, vel aliquod beneficium poſſidentibus, ac de Epiſcopis, ſtando in jure communi, reſpectu vero aliorum, qui ſacro ordine non ſunt inſigniti, poſſunt cum eis diſpenſare, ſicut in aliis Regularibus obſervantiis. Bordonus *tom.* 1. *reſol.* 30. *num.* 17. Tamburinus *ſupr. num.* 27. & 28. An autem ex privilegio poſſint cum ſuis ſubditis, etiam in ſacris conſtitutis diſpenſare? Dixi *in noſtro Directorio Regularium, p.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *num.* 128. 110

§. VIII.

De pœnis, quas incurrunt Beneficiati non recitantes Divinum officium.

111 *Beneficiati omittentes Divinum officium primis ſex menſibus à pacifica poſſeſſione peccant mortaliter, ſed non tenentur reſtituere.*

112 *Elapſis primis ſex menſibus Beneficiarius non recitans, & peccat, & tenetur ad reſtitutionem ante judicis ſententiam.*

113 *Beneficiatus non recitans una die tantum, tenetur reſtituere fructus illi diei correſpondentes.*

114 *Epiſcopus, & Parochus tenentur tantum reſtituere quintam partem fructuum pro omiſſione officij diei, qua omiſit correſpondentem.*

115 *Canonicus tenetur reſtituere quartam partem.*

116 *Beneficiarij, & Capellani, & Penſionarij tertiam partem.*

117 *Hæc reſtitutio ſolum eſt facienda ex omiſſione notabili, & quæ iſta ſit?*

118 *Qui officium ſine attentione recitat, probabile eſt non teneri reſtituere.*

119 *Hæc reſtitutio cui facienda ſit?*

120 *Beneficiarius liberatur ab hac reſtitutione ſi altera die recitet duplicatum officium Divinum.*

DIco primò: Beneficiati omittentes officium Divinum primis ſex menſibus à pacifica poſſeſſione, peccant quidem mortaliter, non tenentur tamen ad ullam reſtitutionem, nec jure poſitivo, nec naturali, & de jure poſitivo patet, *ex Conſtitutione Pij V.* & tenent omnes. De jure verò naturali tenent hanc ſententiam Fagundez, Vaſquez, Leſſ. Garcia, Palaus, Sanchez, quos refert Tancred. *tract.* 3. *lib.* 4. *d.* 10. *num.* 5. & cum aliis Diana *p.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 7. Cotonius *verbo, hora canonica, num.* 30. 111

Google

num. 30. contra Suarium, & alios. Ratio autem est, quia beneficiarius omittens officium D. ex natura rei non peccat contra justitiam commutativam, sed tantum contra Religionem, nam licet recipiat fructus pro labore recitandi, non tamen recipit illos sub conditione officij, sed sub modo, & onere, quo non servato, adhuc fructus sunt beneficiati, ut bene explicat Diana *suprà*.

Et dato quòd teneretur ex justitia recitare, non tamen tenetur ex jure naturæ restituere: quia non omisit aliquid pretio æstimabile, fructus enim non sunt dati pro aliquo habente temporalem utilitatē, sed absolute in sustentationem cum onere recitandi, ut bene probat Lessius *lib. 2. c. 34. d. 32. n. 179.* Tancred. *sup. n. 5.* Et ex hac resolutione fit, quod stando in opinione Dianæ, beneficiarius omittens recitationem unum tantum peccatum commisit contra Religionem, in opinionem verò Lessij duplex, vel unū cum duplici circumstantia, scilicet contra justitiam, & Religionem, ut bene notat Tancred. *supra num. 5.*

112 Dico secundo: elapsis primis sex mensibus à die pacificæ possessionis, beneficiarius non recitans D. officium tenetur ad restitutionem ante judicis sententiam. Ita cum communi sententia Tancred. *sup. n. 7.* Pellizz *tr. 5. c. 8. n. 210.* Ratio est, quia lex Trid. per Prum V. confirmata non est in hac parte pœnalis, & est partes ad impediendam dominij translationem, & per verba satis clara, & explicata impedivit ibi * *beneficiariorum suorum fructus non faciant suos* * ergo & ita nunc statuit in suo decreto Alexander VII. contrariam sententiam rejiciens, & sub anathemate prohibens, *anno 1665. die 24. Septemb.*

113 Sed quæres, an sint omnes fructus restituendi, an ea sola pars, quæ correspondet recitationi officij? Respondeo restituendam tantum esse partem recitationi illius diei, in quo omisit D. officium correspondentem. Ita cum Sanchez, Homobono, Molphesio, Raphaël de la Torre, Lessio, & aliis, Diana *p. 2. tract. 12. resol. 8.* Tancred. *sup. n. 10.* contra Suarium, Malderum, Navarrum, & alios, quos *ibi* refert. Quod verum est non solùm in beneficiariis curam animarum habentibus, vel aliud onus, sed etiam in præstimoniis, & pensionibus. Ita cum Pellizzario, Palao, Tancred. *sup. n. 10.* adverte tamen in hoc dari parvitatem materiæ; unde qui uno, vel altero die non recitavit, vel omisit unam horam, nihil tenetur restituere. Ita cum Soto, Lopez, Vega, Garcia, Filliucio, probabile putat Tancred. *supra n. 17.* Imò aliqui extendunt hanc parvitatem materiæ ad decem dies. Ita Medina, & Joannes de la Crux, & probabile putat Pellizzarius *tom. 1. tract. 5. c. 8. n. 216.* contra Sylvium, quem refert, & sequitur Tancred. *supra num. 13.*

114 Sed quæres, quæ pars fructuum sit restituenda? Respondeo quod Episcopus, vel parochus tenentur restituere quintam partem fructuum pro omissione officij illius diei, Canonicus quartam partem, alij verò beneficiati, & capellani tertiam partem, sicut etiam pensionarij, & præstimonia habentes. Ita cum
115 Henriquez, Lopez Saa, Lessio, Palao, Sanchez, Tancred. *sup. n. 14.* Pellizzarius *tract. 5. c. 8. n. 216.* Ad-
116 verte tamen hanc restitutionem non esse necessario faciendam, nisi quando quis ex negligentia culpabili mortaliter omisit recitationem, imò aliqui volunt negligentiam in recitatione debere esse crassam, & supinam, siquidem est lex pœnalis. Ita cum Sanchez, Tancred. *sup. n. 20.* contra Suarium.

117 Secundò nota. Hanc restitutionem non esse necessario faciendam, nisi ex omissione notabili, quæ major assignari debet ea, quam supra assignavimus pro committendo peccato mortali, Cotonius *suprà*,

verbo hora Canonica n. 34. unde non est facienda restitutio pro rata fructuum ex omissione partis unius horæ, quia leges in hac materia loquuntur de horis integris. Ita cum Tamburino, Cotonius *ibi num. 38.* Diana *p. 11. tract. 2. resol. 44.* Tancred. *suprà n. 17.* unde omittens laudes, nihil tenetur restituere, quia laudes non faciunt horam. Ita cum Pellizzario, Tancred. *ibi* contra Palaum *tom. 2. d. 2. p. 7. n. 5.* Nec facienda est restitutio pro omissione paucorum versiculorum in singulis horis, licet simul sumpti faciant quantitatem notabilem. Ita cum Palao Cotonius *suprà n. 36.* Item si rata fructuum correspondens uni officio totius diei non sit notabilis, non est facienda restitutio sub mortali pro omissione totius officij. Ita cum Diana, Cotonius, *suprà num. 39.*

An autem qui officium sine attentione recitavit, 118
teneatur ad restitutionem? Respondeo probabile esse non teneri. Nam hic officium divinum non omisit, cum substantiam operis præcepti non omiserit, sicut qui communicat indigne satisfacit præcepto Ecclesiæ de annua communione. Nec jubetur restituere, qui officium attente non recitat. Ita cum Toleto, Castro, Layman, Maldero, probabile, putat Tancred. *sup. n. 19.* Pellizzarius *tract. 5. c. 8. n. 218.*

Dico terriò: hujusmodi restitutio facienda est fa- 119
bricæ beneficij, vel pauperibus, & nomine beneficij venit Ecclesia, & domus beneficij, sive quam beneficiarius habitat, sive alia. Item utilitas in emendis agris, vel meliorandis possessis, ut augeantur fructus beneficij, & alia similia facta in beneficij utilitatem, ita cum Suario, Diana, Cotonius, *sup. n. 32.* Tancred. *suprà n. 22.* Nomine vero pauperum veniunt etiam pauperes extranei, & ipsemet beneficiarius, si pauper est, & ex hoc non sumat occasionem omittendi recitationem: item ejus Mater, Frater, Soror, non solum mendici, sed etiam si careant necessariis ad statum: ita cum Fausto, Diana, Cotonius, *sup. n. 32.* & denique defuncti, ut illis Missæ, & alia suffragia applicentur. Ita cum Sylvestro, Cotonius, *sup. n. 32.*

An autem beneficiarius liberetur à restitutione, si 120
altera die duplicatum officium D. recitet? Respondeo affirmative. Ita cum Suario, Molphesio, Paludano, & aliis Basæus, *in supplemento, verbo hora Canonica 4. num. 1.* Imò potest si velit aliis operibus æquivalentibus satisfacere, ut Missis, vel recitatione Rosarij, & similibus. Ita cum Suario, Filliucio, Basæus, *suprà n. 1.* Tancred. *tract. 3. lib. 4. d. 16. num. 4.*

DISPUTATIO IV.

De cultu, qui Deo exhibetur per decimas, primitias, & oblationes.

§. I.

Quid sit decima, & quo jure populus Christianus tenetur solvere decimas?

SUMMARIUM.

121 *Ponitur decima definitio.*

122 *Decima distinguuntur in personales, prædiales, & mixtas, & qua unaquaque sit?*

123 *Decima ut est sustentatio ministrorum Ecclesiæ est debita ex justitia commutativa.*

124 *Si consideretur ut res, qua datur Sacerdotibus in recognitionem D. dominij est actus Religionis.*

125 *Non ſolvens decimam duplex peccatum committit, & quale?*

126 *Quota decima minui poteſt ex conſuetudine, tamen decima ſimpliciter.*

121 DIco primò: Decimæ ſunt pars decima fructuum miniſtris Eccleſiæ ob ſpirituale miniſterium ipſorum debita ex omnibus bonis frugiferis. Vnde decimæ non ſunt eleemoſynæ, ſed ſi ſumantur generice pro congrua, & neceſſaria Eccleſiæ miniſtrorum ſuſtentatione, ſunt debitæ jure naturali, & divino, ut late probat Leander *p. 5. tract. 6. d. 2. q. 4.* ſi verò ſumantur ſecundùm ſuam quotam, ut ſunt decima pars fructuum, ſunt debitæ jure Eccleſiaſtico, ut cum communi ſententia late probat Leander *ſup. q. 6.* Hanc autem quotam, ſeu decimam partem, Eccleſia juſte taxavit, tum ad imitationem Dei, qui eam in Lege Veteri taxaverat, tum quia Eccleſiæ miniſtri indigent decimis, non ſolùm ut ipſi alantur, ſed etiam ne contemptibiles aliis exiſtant, ſi pauperes eſſent. Ita cum aliis, Leander *ſuprà quæſt. 8.*

122 Dico ſecundò: Decimæ diſtinguntur in perſonales, prædiales, & mixtas: perſonales ſunt, quæ ſolvuntur ex fructibus, quos homo facit ſua induſtria, ut ex negotiatione, ſcientia, artificio, militia, venatu, famulatu, piſcatione, ludo, alioque lucro, dummodo ſit licitum. Prædiales ſunt, quæ ſolvuntur ex his, quæ naſcuntur ex prædiis, ut ſunt fructus, non tantùm agrorum, & vinearum, ſed etiam ex domorum locationibus, & ex molendinis, & piſcinis. Mixtæ ſunt, quæ debentur ex his, quæ partim ex prædiis, partim ex induſtria hominum proveniunt, ut ſunt, quæ ſolvuntur ex animalibus, & eorum fœtu, lacte, lana, butyro, caſeis, non tamen ex pinguedine, quia pinguedo non eſt fructus, ſed pars animalis. Ita cum Suario, Baſæus, *verbo decima num. 2.*

123 Dico tertiò: ſolutio decimarum, ſi decima conſideretur, ut eſt neceſſaria, & competens miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio, eſt actus illus debitus immediate ex juſtitia commutativa; ſiquidem ex juſtitia miniſtris Eccleſiæ neceſſaria ſuſtentatio debetur, ſi verò decima conſideretur, ut eſt res quædam, quæ
124 Sacerdotibus in recognitionem dominij, quod Deus habet ſuper univerſos fructus terræ ſolvimus, & per quam Deum colimus, illius miniſtros ſuſtentando, eſt actus Religionis, & utroque modo fit à fidelibus, Palaus *tom. 1. tract. 2. unica p. 2. num. 10.*

125 Hinc fit, non ſolventem decimas duplex peccatum committere, vel unum cum duplici circunſtantia mutante ſpeciem, alterum contra juſtitiam, & alterum contra Religionem: quæ doctrina procedit, non ſolùm de decima pro neceſſaria ſuſtentatione ſumpta, ſed etiam de decima, quoad quotam. Nam licèt decima, quoad quotam, ſit tantùm ex præcepto Eccleſiæ, ſuppoſito tamen tali præcepto, decima quoad quotam debetur ex juſtitia, ita ut eam defraudantes committant furtum, & teneantur ad reſtitutionem. Ita communiter DD. & colligitur ex Trid. *ſeſſ. 25. cap. 12.*

126 Secundò fit, quotam decimæ minui poſſe ex conſuetudine, non verò decimam ſimpliciter, quia prior eſt de jure Eccleſiaſtico, non verò ſecunda; poteſtque Papa diſpenſare in hac quota decimarum, imò de facto diſpenſavit, quod decimæ Braſilicæ Regionis, Indiæ, & aliarum civitatum ultramarinarum, & inſularum, ſolverentur Luſitaniæ Regi, tanquam ordinum militarium ſupremo Magiſtro, ut ait Fagundez *in 5. præcepto Eccleſiæ lib. 1. cap. 2. n. 10.* & ipſe certam ſummam pecuniæ pro alendis Epiſcopis, & miniſtris Eccleſiæ diſtribueret.

SECTIO II.

De quibus rebus Decima debeatur?

SUMMARIUM.

127 *Decima perſonalis ſolvenda eſt de omnibus lucris juſte acquiſitis.*

128 *Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt de omnibus fructibus, & frugibus arborum, & terræ.*

129 *De quibus ſolvenda ſit decima mixta?*

130 *In decimis ſolvendis potius attendenda eſt conſuetudo, quam jus ſcriptum.*

Dico primò: decima perſonalis de jure commu- 127
ni ſolvenda eſt de omnibus lucris juſte acquiſitis. Ita habetur *in cap. ex tranſmiſſa de decimis.* Dixi *ex omnibus lucris juſte acquiſitis*, nam ex injuſte acquiſitis, v. g. uſuris, præda, ſpoliis iniquis, furtis, &c. non eſt ſolvenda decima. Excipe, ſi injuſtitia non committatur formaliter contra eum, à quo lucrum accipitur, ut ſi quis lucrum acciperet, eo quod alterum occidit, quamvis Eccleſia talem decimam meritò reſpuat, ut cum communi ſententia docet Leander *tract. 6. d. 2. q. 18.* Dixi, *lucris juſte acquiſitis*, nam ex acquiſitis per donationem, legatum, teſtamentum, ſucceſſionem ab inteſtato, eleemoſynam, vel largitionem alterius, decima non debetur, bene tamen de fructibus harum rerum, ſi ſint fructiferæ. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà q. 4. 5. & 6.* debentur etiam de rebus immobilibus, & prædiis in bello juſto captis; de datis pro mercede militiæ, advocationis, de ſtipendiis militiæ, ſalariis lecturæ, advocationis, famulatus, de piſcatione, venatione, aucupatione, Leander *ſup. q. 7. & ſequentibus.*

Dico 2. de jure communi decimæ prædiales ſol- 128
vendæ ſunt de omnibus fructibus, & frugibus arborum, & terræ. Ita habetur *in cap. ex parte cap. ex tranſmiſſa de decimis*, & ex aliis, & tenent omnes. Vnde ſolvenda eſt ex omni grano tritici, hordei, milij, & ex eorum paleis, ſive integris, ſive minutis, de vino, oleo, de nucibus, amygdalis, caſtaneis, & de aliis fructibus arborum, de foliis mororum, de blado, fabis, & piſis, & aliis leguminibus, de caulibus, lactucis, rapis, paſtinaceis, & de aliis oleribus, de croco, mentha, anetho, cymino, & aliis minutis oleribus, de fœno, de paſcuis, ſive pratis, vel aliis locis herboſis, de lignis nemorum, quæ ſcinduntur, & pretio æſtimantur, de lino cannabe, de aurifodinis, argentifodinis, lapidicinis, & aliorum metallorum fodinis, ex molendinis, ſive moveantur aqua, ſive vento, ſive beſtia, ſive homine, de penſionibus domorum, & proventibus furnorum, ex ſaccaro. Ita ex multis Leander *tr. 6. d. 4. à q. 2. & ſeq.*

Dico 3. de jure communi decima mixta ſolvenda 129
eſt de fœtibus ovium, boum, & caprarum, de pullis equorum, Camelorum, & aſinorum, de fœtibus porcorum, de lana pecorum, de lacte, & caſeo, non tamen de adipe, & ſepo, unde candelæ fiunt; nam adeps, & ſepum non eſt fructus, ſed pars animalis, bene tamen de gallinis, anſeribus, pullis, & ovis, de melle, & cera, non tamen de ipſis apibus, nec de pellibus pecudum, ſunt enim pars pecoris. Ita cum multis Leander *tract. 6. d. 5. à quæſt. 1. & ſeq.*

Dico quartò: licet ex jure communi, ex omni- 130
bus prædictis decima ſolvenda ſit, attamen de facto in decimis ſolvendis ſpectanda eſt potius locorum conſuetudo, quam jus ſcriptum; nam in multis locis ſolæ prædiales ex prædiis ruſticis, & quibuſdam mixtæ ſunt in uſu, reliquis conſuetudine abolitis. Vnde in his, tam in ſubſtantia rei, quàm in modo ſolvendi, ut quod decima deferatur ad domum

Digitized by Google

num parochi, quod fiat in grano, &c. spectanda est potius locorum consuetudo, quam jus scriptum, quæ maximam vim habet in hac materia; unde in Archiepiscopatu Bracharensi, testatur Fagundez non solvi decimam de vino, quod manu domini premitur, sed tantùm de illo, quod in torculari, vel doliis calcatur, seclusa fraude; imò Palaus *tract.* 10. *d. unica p.* 6. *num.* 10. testatur decimas personales nullibi fere esse in usu, & Fagundez *lib.* 1. *in* 5. *præceptum Ecclesiæ cap.* 3. *num.* 3. absolute affirmat has personales decimas nullibi solvi. Imò Suarez *de Religione tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. ait quòd in tota Italia absolute non solvuntur decimæ, nec personales, nec prædiales, sed ex certis redditibus ministri Ecclesiæ providentur, quod etiam licitè fieri potest, nam ut *suprà* diximus solum jure divino naturali debetur decima, quoad eorum sustentationem, non verò quoad quotam; quod autem sacerdotes sustententur, sive præmitiis, sive oblationibus, sive prædiis, per accidens est, unde id potest consuetudine introduci. Ita cum Palao, Fagundez, & aliis, Tancred. *tract.* 1. *de Religione lib.* 2. *d.* 5. *q.* 1.

SECTIO III.

Cui Parochiæ decimæ sint solvendæ?

SUMMARIUM.

131 *Decimæ personales solvendæ sunt propriæ parochiæ, è qua quis recipit sacramenta.*

132 *Decimæ prædiales solvendæ sunt de jure communi illi parochiæ ubi sunt prædia.*

133 *Decima mixta quando animalia pascuntur intra terminos unius parochiæ, & ibi fœtus producant, eidem parochiæ solvenda est etsi dominus in alia parochia habiter.*

134 *Si animalia hyeme pascantur in una parochia, & æstate in altera, dividenda est decima pro rata temporis, quo pascuntur.*

135 *Si animalia in una parochia pascuntur, & in altera accubant, decima debetur illi parochiæ, in qua pascuntur.*

136 *Quid si detur consuetudo in contrarium.*

137 *Decima novalium pertinet ad parochiam intra cujus terminos novalia sunt.*

131 DIco primò: decimæ personales ubi viget consuetudo eas solvendi, de jure communi debentur propriæ parochiæ, in qua quis eodem jure tenetur Missam audire, & recipere Sacramenta. Ita communiter DD. dantur enim hæ decimæ in sustentationem ministrantium spiritualia. Sed quia hæ decimæ omnino sunt sublatæ in tota Ecclesia, ut *suprà* diximus, ideo de illis non est plus nobis immorandum, solum advertè cum Fagundez in Archiepiscopatu Bracharensi solitum esse mercatores, & cæteros officiales, certam summam pecuniæ in recognitionem parochis quotannis tribuere, quæ consuetudo, si viget adhuc, observanda est.

132 Dico secundò: decimæ prædiales jure communi illi Ecclesiæ parochiali solvendæ sunt, ubi sunt prædia. Ita communiter DD. quos refert, & sequitur Tancred. *tract.* 1. *de Religione lib.* 2. *d.* 9. *num.* 3. Est enim hæc decima onus reale, & non personale; ac proinde sequitur rem, & non personam, ergo sicut illæ terræ immobiliter manent in eodem territorio, ita etiam, & jus Ecclesiæ parochialis ad tales decimas immutabile est, quantumvis persona habens dominium talium prædiorum mutet domicilium, parochiam, vel Diœcesim: quod verum est, etsi Ecclesia ubi sunt prædia sit parochialis tantùm, & non baptismalis, quamvis baptismalis esset Cathedralis, & etiam si constet baptismalem esse antiquiorem: nam cum ab ea ex legitima causa divisa fuit Ecclesia parochialis, ita & territoria divisa fuerunt, cum sua utilitate. Ita & bene cum Rebuffo, & aliis Tancred. *suprà num.* 4. Adverte tamen cum Suario, Palao, quos refert, & sequitur Trullench. *in Decalogum lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 5. in hoc etiam standum esse consuetudini loci, ad quam inducendam asserunt sufficere decennium, quando agitur inter duas Ecclesias parochiales, secus inquit, si ageretur inter Ecclesiam parochialem, & alteram, cui jus resistit: tunc namque requiritur consuetudo, saltem quadragenaria, sed de hoc *infrà* redibit sermo.

Dico tertiò: decimæ mixtæ, & fructus, & fœtus 133
animalium, quando animalia, & piscium vivaria, habitant, pascuntur & permanent intra terminos unius parochiæ, & ibi producunt fœtus, quamvis dominus in alia parochia domicilium habeat, illi parochiæ sunt debitæ, ubi animalia pascuntur. Trullench. *lib.* 3. *Decalogi c.* 3. *d.* 5. *n.* 3. & cum aliis communiter Leander *tract.* 6. *d.* 5. *quæst.* 16. & 19. Ratio enim dictat, ut ubi animalia pascuntur, & fœtus suos producunt, ibi reddantur decimæ. Et hinc fit decimam mellis, & ceræ solvendam esse illi Ecclesiæ, in cujus districtu alvearia sunt, & non Ecclesiæ, ubi earum dominus habitat: nam cum fructus apum proveniat ex floribus, & herbis illius terræ, in qua apes pascuntur, & in suis alvearibus manent, ibi decima de earum fructibus solvenda est, Leander *suprà quæst.* 23.

Quod si in una parochia animalia hyeme pascan- 134
tur, & in altera æstate, æqualiter decimæ dividendæ erunt. Ita cum communi sententia Leander *suprà quæst.* 17. Quod si per majorem partem anni in una parochia pascantur, pro minori vero parte in altera, pro rata major pars est danda illi parocho, ubi plus temporis pascuntur, Leander *suprà quæst.* 21. Quòd 135
si animalia in una parochia pascantur, & in alia accubant, decima solùm debetur illi parochiæ, in qua pascuntur. Ita cum D. Thoma, Fagundez, Leander *suprà quæst.* 18. Ratio autem est, quia fructus, & fœtus gregis ex agris proveniunt; ergo illi Ecclesiæ decima gregis solvenda erit, ubi agri, quos depasti sunt greges siti sunt. Adverte tamen, quod hæc de 135
jure in praxi observanda sunt, nisi aliàs consuetudo aliud habeat, ut accidit in agris Oppidi Montis Majoris ò Velho; in quibus animalia pascuntur per agros diversarum parochiarum indifferenter, & decima solum solvitur parochiis dominorum, quod credo fieri in aliis hujus Lusitaniæ Regni partibus.

Sed quæres, cui Ecclesiæ pertineat decima novalium? Respondeo pertinere ad eam parochiam, intra cujus terminos novalia sunt. Ratio est, quia tales decimæ vere sunt prædiales, & per accidens est, quod terra illa usque ad illud tempus non fuisset seminata. Ita Palaus *tom.* 2. *tract.* 10. *d. unica p.* 8. *n.* 12. & 137
cum Trullench. Leander, *tract.* 6. *d.* 5. *q.* 24. quòd si ager in nullius parochialis Ecclesiæ districtu existat, tunc decima ad Episcopum pertinet *c. quoniam de decimis* Barbosa *c.* 3. *de jure Ecclesiastico cap.* 46. *§.* 2. *n.* 10. quod si novalia appareant inter duas parochias, & nesciatur intra quam illarum sita sint, & quia ignorantur limites, tunc inter illas fiet divisio, vel Episcopus cui voluerit judicio suo concedet. Ita cum Barbosa, & aliis Leander *suprà q.* 24.

Digitized by Google

SECTIO IV.

An decima ſolvenda ſit deductis expenſis?

SUMMARIUM.

138 *In decima perſonali, ubi fuerit in uſu, deducenda ſunt expenſa.*
139 *Decima prædialis ſolvenda eſt non deductis expenſis.*
140 *Decima mixta ſolvenda eſt non deductis expenſis.*

138 Dico primò: decima perſonalis, ſi alicubi fuerit in uſu, ut eſt in multis locis maritimis, ubi de piſcatione, venatione ſolvitur decima, deducendæ ſunt prius expenſæ factæ in piſcatione, venatione, negotiatione (hoc eſt expenſæ factæ in reficiendis retibus, & aliis ad piſcationem, & venationem neceſſariis,) non tamen expenſæ factæ in victu, & veſtitu piſcatorum neceſſario ad victum. Excipe niſi aliquis cibus ſpecialis, vel veſtitus, ita ſint neceſſarij pro illo officio, ut ſine illis commode exerceri non poſſit; nam tunc etiam hic veſtitus, & victus deducendus eſt ante decimam. Ita cum communi ſententia Leander *tract. 6. d. 3. quæſt. 20. & ſequentibus.*

139 Dico ſecundò: decima prædialis ſolvenda eſt non deductis expenſis. Ita communiter DD. & patet *ex cap. paſtoralis de decimis.* Vnde non ſunt deducendæ expenſæ factæ pro fabricandis domibus molendinorum, vallis agrorum, pro lignis furni, vel pro eis reficiendis, vel fabricandis, nec etiam extrahendum eſt tamen, quod terræ mandatum fuit, ſed quamvis ager non plus afferat, quam ſemen ipſum à principio ſeminatum, ex illo etiam ſolvenda eſt decima. Ita cum communi ſententia Leander *tr. 6. d. 4. quæſt. 24. & ſequentibus*, deducenda eſt etiam decima, antequam ex fructibus ſolvantur tributa, & cenſus, vel alia debita. Vnde colonus, ſeu mediarius debet ſolvere decimam ante deductionem expenſorum. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt. 29. & 30.* Poſſunt tamen agricolæ de cumulo tritici, hordei, &c. eleemoſynas conſuetas elargire, quæ per areas poſtulantur, ſic enim conſuetudine introductum eſt. Trullench. *in decalogum cap. 5. dub. 3. lib. 3. num. 2.* & cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 32.*

140 Dico tertiò: decima mixta ſolvenda eſt non deductis expenſis. Ita habetur *in cap. non eſt de decimis.* Tum quia hæ decimæ ſimpliciter ſunt prædiales. Ita cum communi ſententia Leander *tract. 6. d. 5. quæſt. 22.*

SECTIO V.

Quo loco, & tempore decima ſolvenda ſit?

SUMMARIUM.

141 *Decima ſolvenda eſt eo loco, & tempore, quo præſcripſit conſuetudo.*
142 *Quid dicendum ſit de jure communi.*
143 *Præſcia conſuetudine præſcripta, fideles non tenentur deferre decimam in horrea, vel loca parochorum.*
144 *Parochi non poſſunt prohibere parochianis ne fructus ex area aſportent, niſi prius in area coram eo, vel eorum miniſtris decimentur.*

141 Dico primò: decimæ ſolvendæ ſunt eo loco, & tempore, quo præſcribit conſuetudo. Jure autem communi, & regulariter ſolvendæ ſunt, etiam non petitæ, & ſine mora. Et quidem perſonales in fine anni, per ſingulos annos ſolvuntur, computando lucrum, deductis expenſis in venatione, piſcatione, &c. Baſæus *verbo decima n. 13.* Prædiales dantur ſtatim præceptis fructibus, idque in loco ubi natæ, ſive ager pluries in anno fructus ferat, ſive ſemel tantùm. Mixtæ ſequuntur naturam prædialium, excepto fœtu animalium, quia ſolvi debet, quando pervenit ad ſtatum utibilem. Ita cum Reginaldo, Baſæus, *ſuprà num. 13.* & cum aliis Tancred. *tract. 1. de Religione lib. 2. d. 11. num. 17.*

142 Dico ſecundò: præſcita aliqua conſuetudine præſcripta, ſaltem ſpatio decem annorum, non tenentur fideles decimas deferre in horrea, vel loca parochorum, ſive hoc faciendum ſit magnis ſumptibus, ſive parvis, ſed antequam fructus in propria horrea aſportent, debent parochos monere, ut decimam capiant, quibus negligentibus, vel poſſunt fructus omnes indecimatos in propria horrea recondere, vel decimam in area relinquere, ſi ita ſit conſuetudo; nam cum hoc onus non ſit in jure, non eſt imponendum. Ita cum Guttier. & aliis communiter, Tancred. *ſuprà num. 18.* Leander *tract. 6. d. 4. quæſt. 29.*

143 Vnde parochi non poſſunt prohibere parochianos, ne fructus ex area aſportent in horrea ſua, niſi priùs in area coram eo, vel ejus miniſtro decimentur; conſuetudo enim univerſalis in hoc regno, & aliis eſt, ut in area decimentur fructus, ſi parochus pro decima aliquem mittat, qui eam aſportat, aliàs
144 omnes fructus agricolæ in ſua horrea deferunt, & poſtea decimam ſolvunt, & ita etiam fit in Regno Caſtellæ, Navarræ, Aragoniæ, & aliis, ut bene cum multis probat Leander *ſuprà num. 40.*

SECTIO VI.

An Eccleſia, ſeu ejus miniſtri verum habeant dominium decimarum, antequàm ſeparentur à cumulo fructuum, ut Præcepti ſolvendi decimas.

SUMMARIUM.

145 *Eccleſia habet verum dominium decimæ partis fructuum antequam ſeparentur à cumulo fructuum.*
146 *Quædam corollaria ponuntur.*
147 *Parochus non poteſt propria authoritate recipere decimas.*
148 *Eccleſia non poteſt petere decimas non ſolutas ab illis, qui prædia, è quibus decima debentur emerunt, vel alio titulo poſſident.*
149 *Ius exigendi decimas eſt ſpirituale.*
150 *Cauſa decimarum non pertinet ad judices laicos, ſive lis ſit juris, ſive facti.*
151 *Decima petenda eſt coram Judice Eccleſiaſtico, & coram Judice laico.*
152 *Judex ſecularis nec ſimul cum Eccleſiaſtico poteſt judicare de cauſa decimarum.*
153 *Conductor decimarum convenire debet coram Judice.*

Iudice Eccleſiaſtico, quando pretium decimæ conducta, vel locatæ non vult ſolvere.

154 *Idem dicendum eſt quando datur lis inter clericos, & laicos circa præſcriptionem, vel conſuetudinem decimarum.*

145 DIco primò: Eccleſia habet verum dominium decimæ partis fructuum antequam ſeparentur à cumulo fructuum; unde ex quo fructus recipiuntur, ſtatim incipiunt eſſe ſub dominio Eccleſiæ. Ratio eſt, quia Deus dicit decimas eſſe ſuas *cap. tua nobis*, & ſuum judicat dominium; ergo. Tum quia Eccleſia poteſt decimas vindicare *cap. moderamine 16. quæſt. 1.* Sed vindicatio datur domino in re ſua *l. in re. ff. de rei vindicatione*; ergo. Ita cum Leſſio, Fagundes, & aliis Trullench. *lib. 2. Decalogi, cap. 3. dub. 2. num. 5.* & cum Azor. Baſæo, & aliis Leander *tract. 6. d. 2. quæſt. 10.* contra Bonacinam, Suarium, Machadum, & alios, quos *ibi refert*.

Nec obſtat, quod decima ſit confuſa cum aliis fructibus. Reſpondetur namque hoc nullum eſſe inconveniens; ex hoc enim ſolum ſequitur Eccleſiam non habere dominium in aliquam determinatam partem materialem fructuum, non tamen illud habere in decimam partem formalem illorum; ſicut ſi duo eſſent domini unius acervi tritici, dominium illius quoad medietatem, formaliter eſſet penes unumquemque, etiam antequam divideretur acervus, aliàs ſub nullius eſſet dominio, cum non magis ad unum, quam ad alium pertineat.

146 Hinc fit Eccleſiam poſſe duplici actione decimas non ſolutas petere, ſcilicet conditione ex canone, hoc eſt, fideles obligando, ut ſolvant decimas, quas lege canonica ſolvere tenentur, quæ actio eſt in perſonam; & rei vindicatione, quæ actio eſt in rem. Ita cum Baſæo, Trullench. Fagundez, Leander, *tract. 6. d. 2. quæſt. 11.* Secundò fit, quòd quando fructus non decimati venduntur, Eccleſia habet actionem realem, & perſonalem, tam in venditorem, quam in emptorem: in venditorem, quia ſuis decimis fraudavit Eccleſiam, in emptorem vero, quia habet rem Eccleſiæ, poteſt ergo Eccleſia apprehendere decimas, vel à venditore, vel ab emptore; à venditore tamen in praxi apprehendit dictos fructus, ſi emptor bona fide emit; ab emptore vero, ſi mala fide emit. Ita cum multis Palaus *tract. 10. d. unica, p. 2. num. 7. & 8.* Trullench. *lib. 3. Decalogi cap. 3. dub. 1. n. 6.*

Tertiò fit, furantem fructus non decimatos teneri ex eis decimam ſolvere. Et idem dicendum eſt de eis, qui ſpicas in agris in magna quantitate furantur, excipe eos, qui ſpicas relictas à meſſoribus colligunt. Ita Palaus *ſuprà num. 8.* & cum Fagund. Leander *ſuprà quæſt. 13.* Et idem dicendum exiſtimo de ſpicis milij, groſſi, quos vulgo gens ruſtica ex agris, etiam in magna quantitate adaſſas igni comedendas furantur; mos enim antiquiſſimus eſt in agris hujus regni, ut ſi ſolùm ad veſcendas aſſas aſportentur, nec prohibeantur à dominis, ne ex eis decima ſolvatur. Excipe niſi in inſolita quantitate furentur, vel niſi ex uno ſolo agro unius domini aſportentur, nam tunc dominus brevi tempore omni fructu ſui agri privaretur; Doctrina ergo dicta intelligitur, quando modo ex uno, modo ex altero agro, una, vel altera ſpica uſurpatur, ut fit à pueris, & hominibus ruſticis; nam cum notabile damnum ex hac aſportatione non inferatur, domini non ſunt in hoc inviti, imò ipſi domini ex agris aliorum, qui à ſuis agris ſpicas aſportant, ipſi ſolent, ſi ſibi magis placent, eas aſportare, ſic enim in agris Montis Majoris patriæ meæ, cum puer eſſem, & in aliis vidi practicare, & non ſemel recreationis gratia etiam, ſeu cùm puer eſſem.

Quintò fit, Eccleſiam poſſe decimas excipere ab eis, qui bello injuſto, aut aliàs injuſte ſegetes, vineas, aut arbores, jam fructus habentes comburunt. Ita cum Azor. Torre, Suario, Fagundez, Leander *ſuprà quæſt. 4.* contra Leſſium, Palaum, & alias. Et hoc verum eſt, etſi ipſemet dominus ſegetes ſuas combureret, poteſt enim Eccleſia ab eo poſtulare decimas, ſi ſua culpa id fecit. Ita cum Leſſio, Trullench. Leander, *ſuprà quæſt. 16.* contra Bonacinam, *d. ultima quæſt. 5. p. 3. num. 9.* Non poteſt tamen Eccleſia exigere decimas ab eo, qui bello juſto ſegetes, & vineas combuſſit, &c. ſi id neceſſarium erat ad victoriam, ſecus ſi talis combuſtio non erat medium neceſſarium ad victoriam, Suarez *tom. 1. de Religione lib. 1. cap. 36. num. 17.* Filiucius *tract. 27. cap. 11. quæſt. 7. num. 246.*

Quintò fit, Eccleſiam poſſe decimas exigere ab eo, qui collectis fructibus, & poſitis in ſtatu, in quo ſolitum erat decimas ſolvere, ipſe ſua culpa fuit in mora ſolvendi, & interim fructus perierant caſu fortuito, nam cum ſua culpa diſtulerit ſolvere ſuo tempore decimam, ad eam pertinet reſtitutio. Ita cum multis Trullench. *lib. 3. Decalogi cap. 3. d. 2. num 8.* Raphaël de la Torre, 2. 2. *quæſt. 87. art. 2. d. 10. num. 4. & 5.* contra Bonacinam, *ſuprà n. 9.* Et idem dicendum eſt de eo, qui in colligendis fructibus valde negligens fuit. Ita cum Trullench. Leander *tract. 2. quæſt. 18.* contra Suarium, Filiucium, & alios. Secus dicendum eſt de eo, qui non habuit fructus ex ſuo prædio, quia noluit ſeminare, vel vineam, vel oliveta colere; nam Eccleſia ſolum habet decimas ex fructibus productis; cumque fructus non fuerint producti, non habet actionem contra prædictum agricolam. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt. 19.* Et idem dicendum eſt de eo, qui vineas in domos, & agros in vineas malitioſe convertit. Fagundez, *in 5. præceptum lib. 1. c. 6. n. 10.* propter eandem rationem.

Sed quæres, an parochus poſſit propria authori- 147
tate recipere decimas? Reſpondeo negative, quia ad pacem reipublicæ ſpectat, ut nemo per vim rebus ſuis ſpolietur; parochianus autem licet debeat decimas, adhuc eſt legitimus illarum poſſeſſor. Ita cum communi Trullench. *lib. 3. Decalogi c. 3. dub. 8. num. 9.* Vnde parochus nolentibus ſolvere decimas non poteſt ob id negare ſacramenta. Ita cum Trullench. & aliis communiter Leander *ſuprà quæſt. 12.* Tenetur tamen Epiſcopus nolentes ſolvere decimas excommunicatione cogere, ut ſolvant. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract. 1. de Religione lib. 2. d. 12. num. 1.*

An autem Eccleſia poſſit petere decimas non ſo- 148
lutas ab illis, qui prædia, ex quibus decimæ debebantur emerunt, vel titulo donationis poſſident? Reſpondeo negativè; non enim datur textus, unde hæc obligatio pro præteritis decimis imponatur bonis debeantur decimas. Ita cum Fagundez, Suario, & aliis Tancred. *ſuprà num. 4.* Et idem dicendum eſt de eo, qui vendit decimas, quas Eccleſiæ debebat, & illarum pretio prædium emit; non enim Eccleſia poteſt illum hoc prædio ſpoliare, ſed tantum eum poteſt cogere, ut decimas non ſolutas ſolvat. Ita cum Suario, Fagundez, Tancred. *ſuprà num. 5.*

Secundo quæres, an vis exigendi decimas ſit ſpirituale? Reſpondeo affirmative, quia competit miniſtris Eccleſiæ ob miniſterium ſpirituale. Ita

Digitized by Google

cum communi ſententia Trullench. *ſupra dub.* 8. *n.*1.& 10. & cum aliis Leander, *ſupra quæſt.*24.

150 Hinc fit cauſam decimarum non pertinere ad judices laicos, ſive lis ſit juris, ut tenet cum communi ſententia Leander *tract.*6.*d.*2.*q.*29.ſive facti, ut ſi lis ſit, an Petrus ſolverit, vel non. Ita cum Azorio, Torre,& aliis Leander *ibi quæſt.*30.contra Suarium,

151 Palaum,& alios, qui dicunt in hoc caſu eſſe mixti fori:ſecundò ſit decimam petendam eſſe coram judice Eccleſiaſtico, & non coram judice ſæculari, nec coram tribunali principis ſæcularis,& ſi miniſtri illius ſint Eccleſiaſtici, niſi tales miniſtri conſtituti ſint à Romano Pontifice, quia ratio habetur ejus, à quo juriſdictio eſt mandata; unde cum à principe ſæculari procedat, ſæcularis eſt Fagundez *in 5.præceptum lib.*3.*c.*5.*n.*4.

152 Imo,nec judex ſæcularis ſimul cum Eccleſiaſtico de cauſa decimarum judicare poteſt, etiam ratione compromiſſi *ex cap.contingat,de arbitris.*Trullenc. *lib.*3. *decalogi cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 11. Quod verum eſt, & ſi decimæ datæ ſint à Papa in feudum laicis, etiam principibus, niſi id etiam Pontifex expreſſo privilegio dictis principibus concedat; quia licet feudum ſæculare in ſe ſit, quia tamen pendet à jure ſpirituali decimarum, cenſeri debet res ſpiritualis, & non profana. Fagundez *ſupra n.*5. Diana *part.*3.*tract.*1.*reſol.*50. Secus dicendum eſt, ſi decima in principes laicos contractu permutationis tranſlata fuerit Papæ authoritate;nam quod ſubſtituitur in locum alterius, ſortitur conditionem, & jus ejus;unde in hoc caſu, jus quod habet princeps ſæcularis ad decimas,non eſt ſpirituale, bene tamen quod Papa habet ad rem loco decimarum permutatam. Trullench. *ſupra num.*11.Diana *ſupra reſol.*50.

An autem conductor decimarum conveniri debeat coram judice Eccleſiaſtico, quando pretium decimæ conductæ, vel locatæ ſolvere non vult?

153 Reſpondeo affirmative, ſiquidem omnes lites decimarum, ſive juris,ſive facti ſint, debent coram judice Eccleſiaſtico, & non coram judice laico tractari: ita cum Azor, Diana, 1. *part. tract.* 2. *reſol.*44.& *part.*3. *tract.* 2.*reſol.*50. & cum Fragoſ. Leander, *ſupra quæſt.*32. Et idem dicendum eſt, quando lis movetur inter clericos, & laicos, an detur præſcriptio, vel conſuetudo immemorialis non ſolvendi decimas, vel non; nam talis lis eſt juris, & non facti, & dato quod fuerit facti,adhuc

154 coram judice Eccleſiaſtico tractari debet, ut *ſupra* diximus: ita cum multis Diana *part.*1. *tract.*2. *reſol.*92.& *part.*3. *tract.*1. *reſol.*50. Et idem dicendum eſt quando lis movetur ſuper poſſeſſionem decimarum: Trullench. *lib.*3. *tract.*3. *in Decalogum dub.*8.*n.*1.Palaus *tomo* 2.*tract.*10.*p.*15. *num.*8. Secus dicendum eſt,ſi lis moveatur ſuper fructus ſolutos decimarum, ut ſi quis furetur decimas ab horreo Parochi, nam hic coram judice ſæculari conveniendus eſt: ita cum Trullench. & aliis communiter Leander, *ſupra quæſt.*34.

SECTIO VII.

Quæ perſonæ teneantur ad decimas?

SUMMARIUM.

155 *Omnes baptizati tenentur ſolvere decimas, ſi aliàs aliquo privilegio non ſint exempti.*

156 *Quadam corollaria ponuntur.*

157 *Religioſi & clerici in communi viventes ex privilegio non tenentur ſolvere decimas de prædiis, quæ propriis manibus, & ſumptibus excolant.*

158 *Mendicantes non tenentur ſolvere decimas etiam de prædiis, quæ per colonos, & conductores excolunt.*

159 *Non tenentur ſolvere decimas de terris emptis, & donatis, locatis, & in emphyteuſim habitis, ſi propriis manibus excolant, vel excoli faciant, ubi etiam quid dicendum ſit de colonis.*

160 *Hæc privilegia etiam competunt monialibus.*

161 *Equites Chriſti, Calatravæ, Avis, &c. etiam uxorati tenentur ſolvere decimas de prædiis patrimonialibus.*

162 *Contraria ſententia non eſt improbabilis.*

163 *Hoc privilegium regularium amittitur, ſi incipiat eſſe enormiter nocivum Eccleſiæ, vel perſonæ ad quas ſecluſo privilegio tales decimæ pertinebant.*

164 *An perdatur hoc privilegium per non uſum?*

165 *Perditur hoc privilegium per partium conventionem.*

166 *Perditur hoc privilegium per alienationem prædiorum, ſi tranſeant ad perſonas non privilegiatas quocunque titulo tranſeant.*

Dico primò: Omnes baptizati, etiam reges, ſive catholici, ſive hæretici, ſi aliàs ſpeciali privilegio non ſint exempti, tenentur ſolvere decimas. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract.*1. *de re-* 155
*lig. lib.*1. *d.*6. *num.*3. & cum multis Leander *tr.*6. *d.*6. *quæſt.*1. & patet *ex cap. tranſmiſſa de decimis, cap. tua nos & cap. in aliquibus eodem titulo.* Ratio autem eſt, quia omnes, ſi catholici ſint de manu proprij ſacerdotis tenentur ſacramenta recipere; ſi verò fuerint hæretici, tenentur hæreſim deponere, & ſpiritualia à ſacerdotibus, qui quantùm eſt ex ſe, ſunt parati ad ea præſtanda, recipere.

Hinc fit infideles, qui nunquam fuere baptizati non teneri ſolvere decimas, nec perſonales, nec prædiales, niſi forte habitent terras, quæ aliquando fuerunt Catholicorum. Et idem dicendum eſt de Catechumenis. Ratio autem eſt, quia Eccleſia 1
non miniſtrat infidelibus Sacramenta, nec unquam habuit jus acquiſitum exigendi decimas prædiales de poſſeſſionibus,& prædiis, quæ non fuere Eccleſiæ. Ita cum communi ſententia Leander *tract. 6. d.*6. *quæſt.*3. *& ſequentibus.* Poteſt tamen Eccleſia aliquod tributum exigere ab infidelibus ad ſuſtentandos prædicatores Evangelicos, qui illos doceant, & in fide illuminent, nam ſicut pontifex poteſt cogere infideles ad audiendam fidem, ita & eos cogere, ut ſuſtentent prædicatores eis prædicantes Evangelium, ita cum Fagundez, Palao, Trullenc. Leander, *ſupra quæſt.*8.

Secundo ſit Eccleſiaſticos in dignitate conſtitutos, ut ſunt Papa, Epiſcopi, & parochi non teneri ad decimam perſonalem: nam Papa nemini eſt ſubjectus, Epiſcopi vero, & parochi non habet proprium paſtorem, cui decimas ſolvant ob id quod ex quadam ſubjectione Sacramenta, & ſpiritualia ab eis recipiant. Tenentur tamen ad decimas prædiales de illis ſolis terris, quas titulo temporali, vel emptionis poſſident, quia tales terræ poſt parochiarum diviſionem habent jam illi onus; unde ſi Papa ex juſta cauſa terras ſuas titulo temporali poſſeſſas non eximat, tenetur etiam eis ſolvere decimas. Secus dicendum eſt de terris quas poſſident titulo ſpirituali, vel de illis

Papa, vel Episcopo parocho assignatæ sunt ad suam sustentationem, ut sunt possalia Ecclesiæ, & si magna sint: Ita cum multis Tancred. *supra n. 5. & 6.* Leander *supra quæst. 10.*

Tertio sit cæteros clericos, qui parochi non sunt, & Regulares de jure communi teneri solvere decimas, tam personales, ubi sunt in usu, quam prædiales. Personales, inquam, non de actione lucrativa spirituali, sed tantum de actione lucrativa corporali. Prædiales vero non de terris, quas titulo spirituali possident, sed de eis, quas possident titulo temporali, & etiam de illis, quæ in proprium patrimonium eis assignatæ sunt ita cum multis Tancred. *supra quæst. 7. & sequentibus* Leander *supra quæst. 20.*

157 Dixi de jure communi, nam ex privilegio, religiosi, & clerici in communi viventes non tenentur solvere decimas de prædiis suis, quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt ita concessit Clemens VII. Monachis S. Benedicti Valleoleti, Sixtus IV. Cisterciensibus. Martinus V. Cartusianis. Gregorius XI. Mercenariis. Vrbanus VIII. Trinitariis & ex aliis multis privilegiis, quæ retulimus *in nostro Directorio Regularium part. 1. tract. 2. d. 3. sect. 6. n. 159. & sequentibus*, quæ privilegia non solùm extenduntur ad terras antea acquisitas; sed acquirendas: licèt talia prædia antea solverent decimas. Ita concessit Sixtus IV. & Gregorius XIII. cum derogatione *capitis nuper de decimis*: ita Pellizarius, Palaus, Leander, quos refert, & sequitur Diana *part. 10. tract. 12. resol. 12.* Imò hæc privilegia extenduntur etiam ad novalia culta post concessionem privilegij Diana *ibi.*

158 Imo Mendicantes, & cum eis communicantes, non solùm eximuntur à decimis prædiorum suorum, quæ propriis manibus, & suis sumptibus excolunt; sed etiam, si eas propriis sumptibus non excolant, sed per colonos, & conductores. Ita concessit eis Joannes XXII. *Bulla 21.* Et licèt hoc privilegium à Gregorio XIII. restrictum fuerit pro Patribus Societatis Jesu Lusitaniæ, ut solverent ex viginti modiis unum, posteà restitutum fuit à Gre-
159 gorio XV. ita cum multis Diana *part. 10. tract. 12. resol. 51.* Imò nec tenentur solvere decimas de terris emptis, donatis, locatis, & in emphiteusim habitis, si propriis manibus excolant, vel excoli faciant pro sua sustentatione: ita concessit Gregorius XI. Martinus V. Palaus III. ita Diana *supra resol. 50. & 51.* Imò in aliquibus privilegiis eximuntur etiam coloni, vel saltem conceditur, ut coloni solvant decimas non parocho, sed monasterio; est enim hoc privilegium reale, & non personale. Portel *in dubiis Regularium supra n. 163.* Et hæc omnia, quæ
160 diximus competere religiosis, competunt etiam monialibus: ita concessit Bonifacius VIII. *Bulla 3.* & Benedictus XI. *Bulla 2.* ita Lesana *in mari magno Minorum num. 107.*

161 An autem equites Christi, Avis, Alcantaræ, Calatravæ, & D. Jacobi, in particulari, & uxorati viventes, sint exempti à decimis, non solùm de commendis, sed etiam de prædiis patrimonialibus? multi affirmant, quos largâ manu retulimus *in nostro Directorio Regularium, ubi supra num. 166.* ubi etiam multa privilegia adduximus, sed his temporibus dormiunt hujusmodi privilegia, ut *ibi* diximus *num. 180.* An autem contraria opinio, quam defendit Gabriel Pereira, Phebus, & alij, quos *ibi* retulimus *num. 166.* sit hodie adhuc probabilis, necne? si quod intelligo dicere fas est, semper eam probabilem reputavi, ut ex rationibus, quas pro prædicta sententia probanda, & argumentorum solutionibus, late, fuséque adduxi videri potest; videantur quæ *ibi* d xj; nam licèt *ibi* contrariæ opinioni adscripserim, ut etiam nunc adscribo; non tamen contrariam improbabilem judicavi; imò satis pro hac sententia probanda me declaravi, & quod 162
tunc non multùm obscurè dixi, nunc clariùs profero, eo quòd viderim mecum idem sentire P. Fr. Isidorum à Leve meritissimum Provincialem Provinciæ Sanctissimæ Trinitatis, Theologiæ Lectorem in Conimbricensi Academia non solùm suæ Religionis, sed totius regni lucem, decus, & ornamentum, *in quodam consilio suo*, cuidam equiti exhibito, signo suo subscripto, quod cùm hæc scribo præ manibus habeo & veneror, utpote altioris magistri documentum. Tum quia experientiâ video, hic à ferè omnibus equitibus hujus Lusitaniæ regni practicari, qui si aliquam minimam partem decimarum solvunt; est, ad obviandum litibus parochorum. Nec fundamentum desumptum ex decisione sacræ Rotæ, quod *ibi* adduxi, penitus convincit: tum quia de ea nobis non constat authentice: tum quia fuit contra singularem equitem: tum quia non potest præscribi contra privilegia regularium, ut *ibi* indicavi: tum quia fuit ex defectu probationis ex parte equitis, qui si plene probaret, ostenderet parochos non esse in possessione præscripta recipiendi à prædictis militibus decimas. Sed de his vide, quæ dixi *in nostro Directorio Regularium loco citato*, ex ibi enim dictis omnia, quæ hic afferri possent in contrarium recludes.

Adverte tamen, hoc privilegium concessum re- 163
gularibus amitti casu, quo incipiat esse enormiter læsivum Ecclesiæ, vel personæ, ad quas secluso privilegio tales decimæ pertinerent; sic enim habetur *cap. suggestum, & cap. dilecti de decimis*; non enim est intentio concedentis privilegium ita gravare Ecclesiam, ut dicitur *in dicto cap. suggestum*: ita cum communi sententia Leander *supra quæst. 5.* Vnde si læsio enormis sit evidens, in conscientia tenentur religiosi tali privilegio non uti: in foro tamen non possunt cogi, nisi authoritate judicis. Et si læsio sit dubia, recurrendum est ad Papam, tanquam ad privilegij authorem, ut declaret an privilegium enormiter lædat, vel non: ita cum Barbosa, Suario, Leander, *supra quæst. 52.*

An autem hoc privilegium non solvendi deci- 164
mas amittatur per non usum, vel contrarium usum? vide quæ diximus *in nostro Directorio Regularium supra num. 177. & sequentibus.* Perditur tamen hoc privilegium per partium conventionem, etiamsi habens tale privilegium sit religio, & hæc conventio potest fieri, quando religioni est utilis absque Papæ confirmatione: ita cum Suario, Filliu- 165
cio, Tancred. *tract. 1. lib. 2. d. 8. num. 3.* Perditur tandem hoc privilegium per alienationem prædiorum, & agrorum, si transeant ad alias personas, quocumque titulo venditionis, &c. nam eo ipso, 166
quod prædia desinunt esse sub dominio religionis, desinunt esse exempta ab onere decimarum. Ita cum communi sententia Leander *supra quæstione 55.*

SECTIO

SECTIO VIII.

De vi, & efficacia, quam consuetudo, præscriptio, compositio, & transactio in decimis habeant.

SUMMARIUM.

167 *Consuetudo legitima efficere potest ut decima minuatur in partem, vel in totum, sive sit personalis, sive prædialis, dummodo alia via parocho provisum sit.*

168 *Consuetudo efficere potest quod decima, quæ quondam uni Ecclesiæ solvebatur, nunc alteri Ecclesiæ solvatur.*

169 *Consuetudo potest efficere ut ex certis fructibus decima non solvatur.*

170 *Ad hanc consuetudinem introducendam requiritur spatium quadraginta annorum.*

171 *Præscriptio sufficit ad eximendum à solutione decimarum.*

172 *In quo differat præscriptio à consuetudine.*

173 *Qui præscripsit decimam vini, si vineæ fiant terræ arabiles, etiam præscripsit decimam de fructu terræ.*

174 *Qui præscripsit decimam in una parte fundi, eo quod ea sola coleretur, acquirit in toto fundo, & si postea colatur.*

175 *Quid si ex tali parte fundi parochus reciperet decimam fœni, pasti, & ligni?*

176 *Laicus non potest præscribere jus percipiendi decimas, ita ut sibi ab aliis solvantur.*

177 *Religiosi, & clerici possunt sibi præscribere decimas.*

178 *Quid sit compositio, quid transactio.*

179 *Compositio super decimis si præcedat cognitio, causa, & licentia superioris est valida.*

180 *Cujus superioris debeat esse iste consensus?*

181 *Si Compositio fiat inter curatos, & laicos super locum, tempus, & personas, quibus solvendæ sint decimæ, sufficit Episcopi authoritas.*

182 *Si compositio de non solvenda, vel minuenda decima inter parochum, & laicos tantum sit pro victu parochi, & non ultra potest fieri solo consensu parochi.*

183 *An transactio possit fieri super decimas?*

167 DIco primò: Consuetudo legitimè introducta efficere potest, ut decima minuatur, vel quo ad partem, vel in totum non solvatur, sive ea sit decima personalis, sive prædialis, dummodo aliâ viâ de sustentatione parocho provisum sit, præter id, quod habet ex proprio patrimonio, aut industria. Ratio est, quia decima, quoad quotam, est de jure humano, contra quod prævalere potest consuetudo. Non tamen potest tollere consuetudo, ut parochus non provideatur de congrua sustentatione, hoc enim est de jure divino: ita cum communi
168 ni sententia Tancred. *tract. 1. lib. 2. d. 1. num. 1.* Leander *tract. 6. d. 7. quæst. 1. & sequentibus.* Potest etiam efficere consuetudo, ut decima, quæ uni parochiæ olim solvebatur, nunc alteri solvatur, propter eandem rationem, ita cum communi sententia Leander *supra quæst. 8.* Potest etiam efficere, ut in una parochia non solvantur decimæ calu, quo in aliis circumviciniis solvantur, & è contra ita cum Oldrado, Fagundez, *lib. 3. cap. 1. n. 20.* Leander *tract. 6. d. 7. quæst. 15.* Potest etiam consuetudo efficere, ut ex certis fructibus decima non solvatur. Leander *supra quæst. 3.* Vel quòd hic, & non alibi, ex hac mensura solvatur. Tancred. *supra num. 3.* Vnde in hoc standum est, non con- 169
suetudini Episcopatus, sed cujuslibet parochiæ, vel si ibi est dubia consuetudo, aut nulla attendenda est consuetudo, quæ est in loco viciniori: ita cum Barbosa, Riccio, Trullench. *supra numero 1.* Ad hanc autem consuetudinem introdu- 170
cendam requiritur spatium quadraginta annorum, quamvis nullus esset titulus, nec Pontificis approbatio, positis tamen aliis conditionibus ad consuetudinem generaliter requisitis: ita cum communi sententia Leander, *supra quæst. 7.* Tancred. *supra num. 7.*

Dico secundo: Præscriptio sufficiens est ad exi- 171
mendum à solutione decimarum, non minus, ac consuetudo, in hoc conveniunt DD. Differt autem præscriptio à consuetudine, quia præscriptio non constituit legem, aut quid illi æquivalens, sed tantùm respicit dominium, ac potestatem utendi rebus, mutando ex uno dominium in aliam, & sic dicitur esse quid facti, at consuetudo constituit legem, illamque abrogat, & sic dicitur, quid juris, ut bene cum Suario, Tancred. *supra num. 6.* Differt 172
secundò quia per consuetudinem dominium, & jus communitati acquiritur, per præscriptionem verò acquiritur jus, & dominium privatis. Differt tertiò, quia ad præscriptionem requiritur possessio, titulus, & bona fides continuata per tempus lege præscriptum, non tamen ad consuetudinem, ut bene cum Molina, Palao, Leander, *supra quæst. 16.* Tancred. *supra num. 9.* Quartò differunt, quia ad præscriptionem requiritur tempus immemorabile, hoc est, centum annorum, non verò ad consuetudinem, ut *supra* diximus. Excipe nisi quis cum titulo per quadraginta annos sit in possessione non solvendi decimas, nam hic etiam legitimè præscripsit, ita cum Vasquio, Lessio, Suario, Bonacina, Leander, *supra quæst. 18.*

Sed quæres an qui præscripsit decimam vini, si 173
postea vineæ fiant terræ arabiles, debeat etiam percipere decimam de fructu terræ, eodem modo, quo percipiebat de fructu vineæ? Respondeo affirmativè; quia præscriptio per se primò est fundi, & ex consequenti fructuum, quos reportat. Vnde per accidens est ad præscriptionem, quod fructus varientur. Ita cum Fagundez, Suarez, Leander, *supra quæst. 19.* contra Rebuffum, Bonacinam, & alios. 174
Et idem dicendum est, si quis præscripserit decimam in una parte terræ, eo quòd ea sola coleretur, nam si postea altera ejusdem terræ pars colatur, etiam præscripsit circa eam; præscriptio namque cadit in fundum qui simpliciter censetur unus, eo quòd certis terminis claudatur, & tanquam unus, & indivisibilis possideatur; licèt antea non coleretur in omnibus suis partibus. Ita cum Suario, Rebuffo, & aliis Leander *supra quæst. 20.* Secus dicendum est, quoad agros separatos, qui antea penitus fuerant inculti, & nunc primò præcidun-
tur; nam quasi possessio decimandi ad illos non extenditur. Ita cum Garcia, Pontio, & aliis Leander *ibi quæst. 20.* Dixi, *qui antea penitus fuerant incul-* 175
ti, nam si ex eis solebat parochus recipere decimam de herbis, pascuis, lignis, &c. si tales agri ad culturam redigantur, debentur etiam ei decimæ, quia jam erat in possessione, & usu recipiendi ex dictis agris fructum, & si essent in districtu alterius parochiæ. Ita cum communi sententia Rebuffus *tr. de decimis quæst. 14. à n. 9.* Covar. Gutierrez, & alij quos refert, & sequitur Suarez *lib. 1. cap. 22. num. 9.*

Digitized by Google

num. 9. & 10. Fagundez, & alij, quos refert, & sequitur Leander *tract.* 6. *d.* 7. *quæst.* 10.

176 An autem laicus possit præscribere jus percipiendi decimas, ita ut sibi ab aliis solvantur? Respondeo negative; quia decimæ sunt à Deo clericis, & sacerdotibus datæ *cap. quamvis de decimis*, & simul in divisione Ecclesiarum fuerunt curatis assignatæ *c.* 1. *d.* 13. *quæst.* 1. Tum quia jus exigendi decimas est spirituale, cujus sunt incapaces læculares de jure naturali; ergo ipsis nullo modo competere potest, etiamsi præscripserint per longissimam consuetudinem. Ita cum communi sententia Barbosa *de jure Ecclesiastico c.* 26. §. 2. *num.* 49. Excipe nisi tale jus præscripserint per tempus immemorabile, cum fama privilegij à Pontifice concessi; nam cum Papa possit hoc jus, etiam laicis concedere, & per tantum tempus fuerint, nemine repugnante, in possessione decimas exigendi, præsumendum est justum initium habuisse. Ita cum communi sententia Barbosa, *supra* §. *citato à n.* 52.

177 An autem Religiosi, & clerici possint præscribere decimas, si præscribant parochianos? Respondeo affirmative, quia acquisito principali acquiritur accessorium; ergo acquisita per præscriptionem parochia, consequenter debent decimæ præscribi. Ita cum communi sententia Fagundez *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 34. Imò absque parochia possunt decimæ præscribi à clericis, & Religiosis; privilegium, enim & præscriptio æquiparantur, & habent eandem efficaciam, & vim; sed mediante privilegio possunt clerici, & Religiosi decimas acquirere absque parochia; ergo & mediante legitima præscriptione. Ita cum Rebuffo, Barbosa, Moneta, Guttierrez, & aliis Leander *tract.* 6. *d.* 7. *quæst.* 25. contra Fagundez *in quintum præceptum Ecclesiæ lib.* 3. *c.* 1. *num.* 35.

178 Dico tertiò: compositio est gratuita quædam conventio: Transactio verò, est pactio quædam de re dubia, & lite incerta, aliquo dato, vel retento, ut patet *ex l.* 1. *ff. de transact. & C. eodem cap. super eo.* Ita Rebuffus *tr. de decimis q.* 13. *n.* 14. Fagundez *in quintum præceptum Ecclesiæ lib.* 3. *c.* 2. *num.* 1. Solet autem in jure unum pro alio usurpari, ut constat *ex c. veniens de transactionibus.*

179 Dico quartò: compositio super decimis, concurrentibus aliquibus circumstantiis, est valida, & licita, ut patet *ex cap.* 2. *de transact. & ex c. dilecti in fine eodem titulo.* Ita cum aliis Palaus *tom.* 2. *tract.* 10. *p.* 5. *num.* 4. Barbosa *de potestate parochi p.* 3. *c.* 28. §. 4. *num.* 25. Trullench. *lib.* 5. *decalogi c.* 3. *dub.* 11. Conditiones autem sunt, ut præcedat cognitio causæ, & consensus superioris; est enim hæc compositio, quædam quasi alienatio rerum Ecclesiasticarum; ergo sine causæ cognitione, & consensu superioris fieri non debet. Ita communiter DD. apud Palaum *tom.* 2. *tract.* 10. *p.* 5. *n.* 4.

180 Difficultas igitur solùm est, cujus superioris requiratur consensus? Dico ergo, quòd si compositio fiat inter personas Ecclesiasticas, ut quòd decima de rebus minutis uti Ecclesiæ debita, alteri Ecclesiæ solvatur in perpetuum, vel quòd solvatur integra decima de oleo, vino, &c. sed loco decimæ solvatur vigesima, aut trigesima, sufficere consensum Episcopi, vel etiam vicarij generalis, aut alterius habentis authoritatem quasi Episcopalem, ut cum communi sententia docet Tanced. *tract.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 3. *num.* 13. Hæc enim compositio non est propria alienatio. Non sufficit tamen consensus utriusque parochi, ut bene probat Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 12. at si compositio fiat inter curatos, & laicos in perpetuum, vel ad longum tempus requiritur consensus Papæ, & non sufficit Episcopi consensus, non solùm si compositio sit de non solvenda ulla decima, ut tenent communiter DD. apud Palaum *tom.* 2. *tract.* 10. *d. unica p.* 5. *n.* 4. Sed etiamsi compositio sit de diminutione decimæ, hoc est, ut non solvatur in his rebus in hac mensura. Ita cum communi sententia Leander *tr.* 6. *d.* 7. *quæst.* 16. contra Decium, Palaum, Trullench. Suarium, quos *ibi* refert, quibus adde Tanctedum *supra num.* 10.

Ratio autem est, quia nullus, extra Papam, laicum à decimis liberare potest, nec quantitatem decimæ diminuere, ut patet *ex c. venerabilis de confirmat. utili*, sed compositio est quædam exceptio; ergo confirmatur; quia, si decima ex parte remittatur, jus commune relaxatur; sed hoc à solo Papa fieri potest; ergo; imò addo, quòd nec de Papæ consensu potest laicus percipere decimas nomine proprio, & per se; quia laici sunt incapaces juris spiritualis, quale est jus decimarum. Ita cum communi sententia Leander *supra quæst.* 37. Possunt tamen illas recipere nomine Ecclesiæ ex aliqua causa pia, accedente Papæ consensu, ut cum aliis docet Leander *ibi.*

Adverte tamen quòd si compositio fiat inter curatos, & laicos super tempus, locum, & personas, quibus solvendæ sint decimæ, sufficere Episcopi aut horitatem; quia per hanc compositionem non remittitur jus commune. Ita cum Azor. Trullench. *lib.* 3. *Decalogi c.* 3 *dub.* 11. *n.* 15. Fagundez *c.* 2. *num.* 14. & cum aliis Leander *supra quæst.* 36. Et idem dicendum est in casu, quo jus Ecclesiæ dubium esset, ut fictè quia ageretur de privilegio Papæ laico concesso; nam tunc sufficit Episcopi consensus, cum causæ cognitione, ut bene probat Rebuffus, & ex eo Trullench. Fagundez, Barbosa, quos refert, & sequitur Leander *supra quæst.* 36. 181

Secundò adverte quòd si compositio de non solvenda decima, vel minuenda inter parochum, & laicos tantùm sit pro vita parochi, & non ultra, posse fieri de solo consensu parochi, absque consensu Papæ, vel Episcopi, hæc enim compositio est personalis, & non realis, & in nullo præjudicat Ecclesiæ; cùm vitam parochi illam facientis excedere non possit. Ita colligitur *ex cap. veniens, & ex c. de cetero de transactionibus*, & tenent Rebuffus *q.* 13. *de decimis n.* 25. Fagundez *c.* 2. *n.* 6. & cum Azor. Barbosa, Bonacina, & aliis Leander *supra quæst.* 32. Et idem dicendum est, si fiat talis compositio, tam cum Ecclesiasticis, quàm cum laicis, super decimis præteritis non solutis; quia decimæ præteritæ sunt fructus jam facti, & pertinentes ad parochum facientem compositionem; ergo sicut potest cuicumque illos remittere, & donare; sic potest de illis, adhuc cum laicis compositionem facere. Ita Barbosa, Decius, Suarius, Trullench. Navarrus, Bonacina, Filiucius, & aliis, quos refert, & sequitur Leander *supra quæst.* 33. Vt tamen quis compositione juvari possit, debet illa uti, aliàs non poterit illa juvari. Ita Rebuffus *q.* 13. *de decimis n.* 31. 182

Sed quæres, an transactio possit fieri super decimis? Respondeo quòd vel decimæ possunt sumi pro jure decimandi, vel pro ipsis fructibus: si de ipso jure loquatur, non potest fieri super eo transactio, siquidem res est spiritualis: si verò sumatur pro ipsa perceptione fructuum, tunc potest fieri super eis transactio; eo quod perceptio fructuum sit res temporalis. Ita cum Rebuffo, Fagundez, Barbosa, & aliis Leander, *tract.* 6. *d.* 7. *quæst.* 39. Hæc autem transactio, si sit de decimis præteritis, potest fieri solùm de consensu parochi, etiam cum laicis, ut diximus *de compositione.* Rebuffus *q.* 13. 183

Digitized by Google

num. 3. Fagundez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 17. & alij communiter. Si verò fiat ſuper decimis futuris in perpetuum, requiritur conſenſus Epiſcopi, ſi fiat cum Eccleſiaſticis, ſi autem fiat cum laïcis, non ſufficit conſenſus Epiſcopi, ſed requiritur Papæ conſenſus, ſi tamen fiat tantùm pro vita parochi, ſufficit conſenſus parochi, ſicut diximus de compoſitione. Rebuffus *quæſt.* 13. *num.* 36. Fagundez *ſupra num.* 18. & alij communiter.

SECTIO IX.

An pauperes communi, vel gravi paupertate laborantes, liberentur ratione paupertatis à ſolutione decimarum?

SUMMARIUM.

184 *Pauperes communi paupertate laborantes tenentur ſolvere decimas.*
185 *Pauperes qui ſunt in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate, non tenentur ſolvere decimas.*
186 *Decimæ parochiales debentur parocho, etſi ille opibus abundet, & malus ſit.*
187 *Laici non poſſunt habere jus ad decimas.*

184 SVppono pauperes communi, ac tolerabili paupertate laborantes teneri ſolvere decimas, in hoc conveniunt DD. cum Suario *tom.* 1. *de Religione tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 15. Secundò ſuppono: pauperes qui extrema, vel quaſi extrema

185 neceſſitate laborant, non teneri ſolvere decimas, cùm tunc omnia ſint communia, ut cum communi docet Machado *lib.* 2. *p.* 4. *tract.* 2. *docum.* 4. Imò multi affirmant, quòd qui ob extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem, decimas non præſtiterunt, poſtea cum ad pinguiorem fortunam devenerint, non teneri illas ſolvere, ut cum multis tenet Diana *p.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 8. Suarez *ſuprà numero* 17. Palaus *tomo* 2. *tract.* 10. *d. unica p.* 17. *num.* 8. Raphaël de la Torre, *in* 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 5. *num.* 3. Leander *tract.* 6. *d.* 6. *quæſt.* 17. Tancred. *tract.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 4. contra Rebuffum, Trullench. Machadum, & alios, quos *ibi* refert: his ſuppoſitis.

186 Dico primò: decimæ parochiales debentur, etſi parochi, opibus abundent, quia decimæ non ſolvuntur Eccleſiæ intuitu perſonarum, ſed intuitu Dei, & cauſa divini miniſterij, quod parochi præſtant, ut patet *ex cap. decima* 16. *quæſt.* 1. Vnde nec per hoc, quòd parochus ſit malus, vel in malos uſus decimas expendat, non propterea ei decimæ ſunt denegandæ, ut patet *ex cap. tua nobis de decimis, & cap. clericos quæſt.* 2. Ita communiter DD. Et idem dicendum eſt de canonicis, & dignitatibus, & habentibus beneficia: quia hi omnes poſt diviſionem redditum uniuſcujuſque parochiæ in plura beneficia, unicuique beneficiato competit per ſe, & directe jus ad perceptionem decimarum ſuo beneficio correſpondentem: ut conſtat *ex cap. ex p.* 2. *de decimis.* Ita communiter DD. apud Trullench. *cap.* 39. *dub.* 8. *n.* 5. Palaum *tom.* 2. *tract.* 10. *d. unica p.* 10. *num.* 1.

187 Dico ſecundò: laici non poſſunt habere jus ad decimas, ſunt enim incapaces juris ſpiritualis quale eſt jus ad decimas, ut patet *ex cap. decimis.* Ita communiter DD. poſſunt tamen fructus decimarum percipere donatione, venditione, vel locatione ad triennium, non tamen ultra, ut habetur *in extravaganti, ambitioſa de rebus Eccleſiaſticis non alienandis.* Ita cum Suario, Fagundez, Filiucio, Leander, *tract.* 6. *d.* 8. *quæſt.* 14. unde ſi locatio fiat ad ſexennium, vel novennium, eſt nulla, ita colligitur *ex cap. in authentica de non alienandis* §. *quod autem.* Erit tamen talis locatio valida, quoad tempus jure permiſſum, quoad reliquum autem omnino retractatur. Ita Valaſquez, *de jure emphyteutico quæſt.* 29. *num.* 25. Fagundez *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 11.

SECTIO X.

Quæ pœnæ impoſitæ ſint contra non ſolventes decimas?

SUMMARIUM.

188 *Non ſolventes decimas veniunt excommunicandi, non tamen ſunt excommunicati.*
189 *Privantur ſepultura.*
190 *In omnibus Epiſcopatibus Luſitaniæ eſt caſus reſervatus.*
191 *Exigentes decimas, & redditus beneficiorum quaſi ſibi deberentur excommunicantur in bulla cœnæ.*
192 *Religioſi, & qui ſine titulo decimas uſurpant, vel impediunt ne decimæ Eccleſiis debitæ illis ſolvantur, ſuſpenduntur, & excommunicantur.*

DIco primò: non ſolventes decimas veniunt excommunicandi, non tamen ſunt ipſo facto excommunicati: debet etiam non ſolvens decimas ſepulturâ privari *ex cap. prohibemus de decimis.* Et in omnibus Epiſcopatibus hujus regni eſt caſus reſervatus, quantitas autem, quæ requiritur ut ſit caſus reſervatus, pro quocunque Epiſcopatu, vide quæ dixi *in prima parte hujus directorij confeſſariorum, in tractatu de pœnitentia.* 188 189 190

Dico ſecundò: exigentes, uſurpantes, occupantes, & ſequeſtrantes decimas, redditus, & proventus beneficiorum, & auxilium ad id præſtantes, quando ea faciunt quaſi ſibi deberentur, excommunicantur *in bulla cœnæ clauſula* 17. incurrunt etiam dictam excommunicationem magiſtratus, & qui populo exiſtente in neceſſitate fructus, & decimas beneficiorum ſequeſtrant, niſi prius tentaverint neceſſitati ſubvenire authoritate judicis Eccleſiaſtici. Ita cum aliis Palaus *diſp. unica p.* 14. *n.* 3. 191

Religioſi etiam, qui Eccleſiis decimas debitas ſine titulo juſto uſurpant, & qui pravis artibus, & fraudibus impediunt, ne decimæ Eccleſiis debitæ illis ſolvantur, ſuſpenduntur, & excommunicantur *in clement. cap. de decimis* Hæc autem excommunicatio non comprehendit Religioſos, quando decimæ non Eccleſiis, ſed particularibus perſonis debentur. Ita cum Toleto, Suario, Palaus, *ſupra n.* 2. Unde Religioſi, qui audiunt confeſſiones, ſi non cogat pœnitentes, ut decimas ſolvant illis ſcrupulum injiciendo, quando injuſte eas detinent, excommunicantur. Sed de his vide, quæ dixi *in noſtro directorio Regularium p.* 2. *tr.* 3. *d.* 6. *n.* 1038. 192

SECTIO

SECTIO XI.

Quo jure, & quibus debeantur primitiæ?

SUMMARIUM.

193 *Quid intelligatur nomine primitiæ?*
194 *In quo differat à decimis?*
195 *Quo jure debeantur?*
196 *Præceptum primitiarum fere nullibi est in usu.*
197 *De jure communi primitiæ solvendæ erant parocho in cujus parochia prædia existunt.*

193 Dico primò: nomine primitiarum propriè intelliguntur fructus primi agrorum, arborum, in quo differunt à decimis, nam primitiæ sunt primi
194 fructus, decima verò est pars decima. Tum quia primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem, pro frugibus terræ, deinde cedunt in usum ministrorum, è contra decimæ immediate cedunt in sustentationem sacerdotum, & secundario in cultum Dei.

195 Dico secundò: in Lege Veteri primitiæ debitæ erant Jure divino, ut patet *Exod. 13. Lev. 3.* nunc verò non debentur tali jure, quia illa vetera præcepta cæremonialia, & individualia per novam legem Evangelicam sunt abrogata, ut *suprà* diximus. Si tamen sumantur primitiæ pro alimento necessario sacerdotum, & pro cultu, & veneratione Dei, debitæ sunt jure naturali, ut dictum est *de decimis*. Si verò sumantur pro quota determinata, procuratorum sustentatione, debentur jure canonico, & pontificio, ut diximus *de decimis*. Ita communiter DD. quos refert, & sequitur Trullench. *lib. 3. Decalogi cap. 3. dub. 14. num. 3.*

196 Adverte tamen, hoc præceptum primitiarum, si propriè sumatur, fere nullibi in toto orbe est in usu, consuetudine que esse abolitum. Ita cum Lessio, Palaus, *d. unica p. 16. num. 2.* & cum aliis Leander *tract. 6. d. 9. quæst. 13.* & alij. Quia cum hoc præceptum sit humanum, potuit consuetudine aboleri; ideoque primitiæ propriè dictæ fere nullibi sunt in usu. Solùm igitur remanent quatenus in aliqua Religione applicatur parochis certa pars fructuum ad eorum sustentationem; quæ varia est ob locorum varietatem, habent enim hoc primitiæ commune cum decimis, ut propter sustentationem ministrorum exigantur. Vnde in hac re maximè attendenda est consuetudo, Leander *suprà quæst. 14.*

197 De jure tamen communi primitiæ solvendæ erant parocho in cujus parochia prædia existunt, solvendæque erant à clericis modo dicto *de decimis*. Vide Fagundez *in præceptum Ecclesiæ lib. 4. cap. 1. numero 5.* Tancredum *tract. 1. de Religione lib. 2. d. 3. quæst. 2. numero tertio*, Leandrum *suprà quæst. 15. & 16. & 19.*

SECTIO XII.

An oblationes sint in præcepto?

SUMMARIUM.

198 *Quid propriè dicatur oblatio?*
199 *In quo differat à decimis, & primitiis?*
200 *Quando ministris Ecclesiæ sufficienter per decimas, vel primitias provisum est nullo jure debentur oblationes.*
201 *Quid si detur consuetudo?*
202 *Vtrum oblationes quæ fiunt in altari pertinent ad parochum, in cujus parochia fiunt.*
203 *Quædam corollaria referuntur.*
204 *Quæ offeruntur in Ecclesiis regularium jure communi rectori Ecclesiæ parochialis debebantur.*
205 *Quid dicendum ex privilegiis regularium?*
206 *Religiosi non tenentur solvere Episcopo, vel parochis aliquam portionem de funeralibus, oblationibus, sepulturis, legatis, &c.*
207 *Non tenentur solvere parocho quartam funeralem.*

198 Oblatio propriè dicitur, actio exterior per quam aliquid ex nostris bonis Deo offerimus in recognitionem dominij ejus, nostræque servitutis, vel in quemcumque cultum religiosum Dei, etiamsi postea cedat in aliquem hominum usum.
199 Differt autem simplex oblatio à decima, primitiis, & sacrificio, à decima, quia hæc solvitur immediate in sustentationem ministrorum à primitiis, quia hæc dicuntur primi terræ fructus, & Deo immediate offeruntur; oblatio verò est quidquid immediate Deo offertur, à sacrificio verò, quia res quæ sacrificatur mutatur, & consecratur: oblatio verò latiùs patet, nam res quæ per eam offertur non mutatur, ut jam *suprà* explicuimus.

200 Dico igitur primò: Quando parocho, seu ministris Ecclesiæ sufficienter provisum est per decimas, vel primitias, &c. nullo jure debentur oblationes, sed sunt ex natura sua spontaneæ, & de consilio. Ita communiter DD. Vnde nullo jure divino, vel Ecclesiastico debentur. Excipiuntur tamen quatuor casus, in quibus possunt postulari à sacerdotibus tanquam ex obligatione. Primus, si ratione census, pensionis, aut conventionis antea factæ aliquid Ecclesiæ dari debeat. Secundus, quando quis testamento, vel donatione inter vivos, vel voto est obligatus. Tertius quando minister Ecclesiæ non habet congruam sustentationem, tunc enim tenetur populus ministrum alere, nisi parochiani præ nimia paupertate id facere non possint, in quo casu tenetur Episcopus de suis redditibus sacerdotem alere. Quartus ratione consuetudinis. Hæc autem consuetudo debet esse decem annorum. Non tamen est improbabile, quòd parochiani non obligantur ratione consuetudinis, nam ad inducendam consuetudinem requiritur, quòd oblationes dentur animo se obligandi, quem animum non habet, qui sponte eas oblationes facit à principio. Ita Villalobos, Azor. Suarez, quos refert, & sequitur Palaus, *d. unica p. 17. num. 3.* & cum aliis Leander *tract. 6. d. 10. quæst. 8.* & non reprobat, sed probabile putat Trullench. *in Decalogum lib. 3. cap. 3. dub. 13. num. 4.*

Digitized by Google

202 Dico ſecundò : uſuales oblationes , quæ fiunt in altari ad manum Sacerdotis in Sacramentorum adminiſtrationem, vel aliàs pertinent ad parochum intra cujus parochiam fiunt. Ita communiter DD.nam ſolùm parochi ex jure tenentur Sacramenta adminiſtrare fidelibus, illa tamen, quæ per legatum,vel votum dantur ex intentione legantis , vel voventis dependent. Hinc eſt oblationes factas in Eccleſia Cathedrali , non ad Epiſcopum , ſed ad parochum ſpectare. Ita Barboſa,Trullench.& alij, quos refert, & ſequitur Leander *tract.6. d. 10.q.9.*

203 Hinc fit primò , quod quidquid in Sacello , vel Eremo offertur , non ad Sacerdotem celebrantem, ſed ad parochum,in cujus parochiâ ſitus eſt Eremus pertinere , niſi aliàs talis oblatio detur celebranti in ejus ſtipendium. At oblationes quæ fiunt in Miſſa pro ſponſo , quæ celebratur à parocho in aliena parochia , debent eſſe celebrantis. Barboſa , Trullench. & alij , quos refert, & ſequitur Leander *ſupra queſt.9.* Secundò ſequitur oblationes factas alicui imagini depictæ in muro alicujus domus privatæ, per quam Dominus dignatus eſt facere miracula , non ad dominum domus, ſed ad parochum , in cujus parochia ſita eſt domus pertinere , niſi aliàs offerens obtuliſſet contemplatione domini , quia dominus pauper eſt, & offerens ſciret dominum ex conſuetudine convertere in ſuum uſum oblationes, vel in pios uſus. Hæc autem conſuetudo debet eſſe approbata , vel præſcripta. Attamen ſi in locis ubi fiunt magna miracula dentur oblationes , oblationes non ad rectorem , ſed ad fabricam ſacelli , vel Eccleſiam conſtruendam pertinent : vide Trullenc. qui latè agit de hac materia *ubi ſuprà num.8.*

204 Tertiò ſequitur : Ea , quæ offeruntur à fidelibus in Eccleſiis regularium , & eorum Sacellis intra certam parochiam conſtitutis , de jure communi Rectori Eccleſiæ deberi, niſi ex privilegio vel præſcriptione competant Religioſis. Ita Azor. Fagundez , contra Fr. Joannem de la Cruz *de privilegiis lib.2.cap.9.dub.5.concluſ.4.* Quamvis tamen , hæc ita ſint de jure antiquo , de facto tamen nunc nullo modo oblata in Eccleſiis regularium ad curatos pertinent , ſed ad ipſos regulares , etiamſi non ſint rectores,nec curati. Ita habetur *ex cap. 1.de ſtatu Monachorum* 205 , & *c. nimis in quo de exceſſibus Prælatorum.* Ita conceſſit Bonifacius VIII. *Bulla 9.* & Bonifacius IX. & tenet cum communi ſententia Leander *tract.6.d.10. queſt.10.* & videtur uſu ſaltem in hoc regno receptum. Vnde ſi parochi celebrent in monaſteriis Religioſorum , non poſſunt ſibi uſurpare eis oblata, ſed tenentur monaſterio ea dimittere. Ita conceſſit Bonifacius VII. *Bulla 9.*ex quo patet non poſſe parochos poſtulare candelas , aut alia oblata in Eccleſiis Regularium.

Nec Religioſi tenentur ſolvere Epiſcopo,vel pa- 206
rocho aliquam portionem de funeralibus,oblationibus, ſepulturis, legatis,ultimis voluntatibus, nec de aliis pro victu , ornamentis, aut aliis quomodolibet elargitis. Nec qui eis illa ſolvuntur , poſſunt ad illa coarctari. Nec etiam tenentur parocho,vel Epiſcopo quartam funeralem dare , quæ quarta funeralis nihil aliud eſt , quam pars illorum, quæ pro ſepulturis,vel ex legatis, funeribus elargitur,non obſtante decreto *Clementinæ dudum,* & Concilij Tridenti- 207
ni,& derogatione Gregorij XIII. ita conceſſit Paulus V. noſtris Carmelitis excalceatis , non ſolùm pro conventibus ante quadraginta annos fundatis ante Trident. ſed pro fundatis à quadraginta annis, hoc eſt , pro omnibus, qui nunc de facto ſunt, ſive antea , ſive poſtea fundentur , vide Bullarium noſtrum *fol.333.*nam hæc materia nimis confuſe agitur à Theologis , propter revocationes privilegiorum,hoc tamen noſtrum privilegium Pauli V.hucuſque non eſt revocatum, ex quibus patet, quàm certum ſit, omnes oblationes,quæ fiunt in Eccleſiis regularium ad regulares,& non ad parochos pertinere.

TRACTATUS QUARTUS,

DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI.

DISPUTATIO I.

De Irreligioſitate , ejuſque ſpeciebus.

SECTIO I.

Quid ſit Irreligioſitas, & quot modis dicatur , & quomodo vitia contraria Religioni generatim diſtinguenda ſint?

SUMMARIUM.

1 *Ponitur definitio irreligioſitatis.*
2 *An ſit vitium unum unitate ſpecifica in ſpecie infima ?*
3 *Quomodo dividatur ?*
4 *Quid ſit irreligioſitatis objectum ?*
5 *Alia ſubdiſtinctio irreligioſitatis proponitur.*

DIco primò : Irreligioſitas, ſi propriè 1
ſumatur, ſignificat irreverentiam Deo, ac Religioni contrariam; nam ſicut reſpectu juſtitiæ datur vitium in communi oppoſitum , quod injuſtitiam appellamus , & reſpectu temperantiæ intemperantia;ita reſpectu Religionis datur hoc vitium in contrarium , quod appellamus irreligioſitatem , & in hoc ſenſu idololatria, & ſacrilegium, imò & perjurium , & omne ſimile vitium, irreligioſitas eſt.

Difficultas igitur eſt an hoc vitium ſit unum uni- 2
tate ſpecifica in ſpecie infima , an ſolùm ſit unum unitate generica , quod ſcilicet plures ſpecies non infimas, ſed ſubalternas contineat? Aliqui quos ſuppreſſo nomine refert Suarez voluere eſſe unum ſpecie infima. Contrariam tamen ſententiam tenet Suarez *de Religione lib.1.c.1. num.3.* cum Cajetan. D. Thoma, & aliis. Incredibile namque eſt idololatriam,

latriam, & perjurium non habere malitiæ ſpecie diverſas; ſed tantùm differre nominibus, ut dicunt contrarij. Quòd autem ſub ſe includat non plures ſpecies infimas ſed ſubalternas conſtat: nam ſi quis confiteretur dicens ſe commiſiſſe unum ſacrilegium, niſi ſpeciem ejus explicaret, non bene confiteretur, ut diximus *in tractatu de pœnitentia, in prima p. hujus directorij*, ubi oſtendimus ex communi ſententia dari tres ſpecies ſacrilegij, nempe circa perſonas ſacras, circa res ſacras, & circa locum ſacrum unde in his vitiis communis omnium ſenſus eſt, reperiri ſpecificas diverſitates formales in genere malitiæ.

3 Dico ſecundò: irreligioſitas ſic in genere latè ſumpta dividitur in irreligioſitatem minùs latè ſumptam, & ſacrilegium: pro cujus diviſione notandum eſt Religionem duplices habere actus; quoſdam primarios, quibus Deus ipſe in ſe colitur, ut ſunt adoratio, ſacrificium, &c. alij ſunt ſecundarij, quibus res omnes Deo dicatæ, & ad ejus cultum ſacratæ debita reverentia tractantur, juxta ergo has duas rationes, duo generalia vitia Religioni oppoſita diſtinguimus: unum quod Deo ipſi irreverentiam exhibet, ſeu cultum ipſiuſmet Dei indebitè tractat, & hoc vocamus irreligioſitatem minùs latè ſumptam: nam ſicut Religio Deum ipſum, ut proximum objectum reſpicit: ita etiam irreligioſitas hoc ipſum objectum, ut deſtruendum reſpicit. Alterum quod in reverentia debita rebus ſacris deficit, & hoc communi nomine vocamus ſacrilegium, quod quidem maximam diſtinctionem habet ab irreligioſitate, nam per illam Deus ipſe in ſe irreverenter tractatur, & per ſacrilegium in hac acceptione, irreverenter tractantur res ſacræ, unde tanta differentia datur inter unum, & alterum vitium, quanta inter Deum in ſe ipſo, & res ſacras, quæ tantùm ordinantur ad ipſum. Ita Suarez *ſuprà* omnino videndus. Omiſſo igitur nunc ſacrilegio, de quo *infrà* latè dicemus.

5 Dico tertiò: Irreligioſitas ſubdiſtinguitur ulterius in divinam irreverentiam, ſeu irreligioſitatem tertio modo ſtrictiori ſumptam, & ſuperſtitionem. Hęc autem duo membra in hoc diſtinguuntur, quòd irreligioſitas hoc tertio modo ſumpta, habet contrarietatem cum religione per defectum, quatenus ſcilicet deficit in vero cultu Dei, ſeu reverentia debita. Vnde ad hanc ſpeciem pertinet tentatio Dei, perjurium, idololatria, & multa alia vitia, de quibus *in ſequentibus* dicemus. Superſtitio verò opponitur religioni per exceſſum, & multas habet ſpecies, de quibus *infrà* latè agendum eſt.

SECTIO II.

De tentatione Dei formali, & expreſſa, & de tentatione Dei interpretativa.

SUMMARIUM.

6 *Ponitur tentationis Dei definitio.*
7 *Eſt actus contra religionem & quomodo?*
8 *Altera eſt expreſſa, altera interpretativa, & in quo utraque conſiſtat?*
9 *Qui orat ſine præparatione dicitur tentare Deum.*
10 *Tentatio Dei, ſi ſine cauſa fiat regulariter, eſt peccatum mortale.*
11 *Aliquando poteſt eſſe veniale, & quomodo?*
12 *Nolle recipere medicinas in infirmitate ordinarie eſt tentare Deum.*
13 *Quædam corollaria referuntur.*
14 *An in confeſſione explicandum ſit, an tentatio Dei fuerit expreſſa, vel interpretativa.*

Dico primò: Tentatio Dei eſt experimentum 6
de ſcientia, potentia, &c. ad hoc ut ipſi tentanti, vel aliis pateat. Sic Deus dicitur tentaſſe Abraham, & alios ſanctos, ut mundo illorum virtutes manifeſtaret in exemplum: aliquando verò tentare, eſt in malum provocare, & incitare: ſic Diabolus, & concupiſcentia tentat: ſic etiam Deus dicitur intentator malorum, & neminem tentare, *Iacobi* 1.

Dico ſecundò: Tentatio Dei eſt actus contra 7
Religionem, quo quis abſque juſta cauſa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum de divina perfectione, v.g. de Potentia, de Sapientia, de Juſtitia, Miſericordia, voluntate, aliiſque Dei attributis, ut ſibi, vel aliis innoteſcat. Ita cum D. Thoma, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 1. *in Decalogum cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 2. Eſcobar *in Decalogum lib.* 28. *num.* 202.

Dico tertiò: tentatio Dei altera eſt expreſſa, alte- 8
ra interpretativa. Expreſſa contingit, quando aliquid fit cum expreſſa, & directa intentione, ut experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione, ut ſi quis petat miraculum, ut ipſe, vel alius ſciat Dei voluntatem, vel ſi manum in ferro candenti, vel aqua ferventi ponat, ad purgandam veritatem, vel præcipitem ſe det in puteum, ut experiatur, an Deus eum lædi permittat, & ſimilia. Interpretativa vero eſt, quando aliquid fit abſque expreſſa intentione capiendi experimentum de divina perfectione, illud tamen quod fit, per ſe, & ſuapte natura ad nihil aliud referri poſſe videtur, quàm ad ſumendum experimentum de aliqua Dei perfectione, verbi gratia, cum quis relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis, ægritudine proceſſus, vult ſanitati reſtitui, vel qui relictâ ſcalâ, vult per aërem è turri deſcendere. Requiritur tamen ad tentationem Dei interpretativam, ut effectus expectetur à Deo, alioquin ſi opus fiat abſque reſpectu ad Deum, non dicitur tentatio Dei. Ideoque qui ſe in ignem conjicit, ut ſe ipſum occidat, non intendens à Deo liberari, non dicitur tentare Deum, ſed ſolum cenſetur ſe ipſum occidere. Ita cum Suario, Leſſio, Reginaldo, Layman, Filliucio, Eſcobar *in Decalogum lib.* 28. *num.* 203.

Item dicitur interpretative tentare Deum, cum 9
quis orat ſine præparatione, quia ſcilicet talis oratio ad nihil eſt utilis, ſiquidem Deus non promiſit ſe talem orationem exauditurum. Vnde talis oratio ſolùm videtur ordinari ad experiendam divinam potentiam, utrum ſcilicet ſuccurrere poſſit, etiam non bene oranti. Ita cum Trullenc. & aliis Tancred. *tract.* 11. *de religione lib.* 1. *d.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 10. Hoc tamen peccatum non eſt mortale, niſi quis ſciens, & prudens hoc modo vellet orare. Et idem judicium de illo faciendum eſt, qui ſolâ oratione nititur à Deo bona temporalia impetrare, neglectis illis mediis, ſine quibus non ſolent bona temporalia conferri, ſecus ſi in aliquo caſu expediret fieri in ea miraculum.

Dico quartò: tentatio Dei, ſi fiat abſque juſta 10
cauſa, regulariter loquendo eſt peccatum mortale. Nam eſt quædam irreverentia, & quidam contemptus Dei; contemptus autem Dei eſt peccatum mortale ex genere ſuo. Ita cum Clavi Regia, Suario, Villalobos, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 4. Eſcobar *lib.* 28. *num.* 204. Dixi *regulariter*, quia 11
aliquando poteſt eſſe veniale ratione inconſidera-

tionis, & ignorantiæ invincibilis, vel ratione parvitatis materiæ. Vt quando quis levi morbo affectus, vane ſperat ſanitatem à Deo neglectis mediis neceſſariis. Ita cum Leſſio, Sayro, Suario, Sanchez, Bonacina, Trullenc. *ſuprà num.* 4. & cum aliis Eſcobar *lib.* 28. *Decalogi num.* 205. Tancred. *ſuprà num.* 5. Dixi *abſque juſta cauſa*, nam licitum eſt, causâ juſtâ intercedente, experimentum capere de aliqua Dei perfectione, ut ſi quis prætermiſſis mediis naturalibus, ſola oratione contendat à Deo bona temporalia obtinere, ita exigente Gloria Dei, in aliquo caſu particulari. Ita cum D. Thoma, Sanchez, Leſſio, & aliis, Trullenc. *ſuprà num.* 4. aut ſi quis petat miraculum ad converſionem infidelium, dum inde ſperatur illorum converſio.

12 Nec etiam dicitur tentare Deum ille, qui tempore infirmitatis renuit medicinas, ut Chriſtum patiendo imitetur, vel carnis inſurgentes motus reprimat, dummodo hæc mortis periculum ſecum non afferant: nam ſi eſt periculum mortis, peccatum mortale eſt negligere medicinas. Vnde abſolute loquendo, & de lege ordinaria nolle recipere medicinas eſt tentare Deum, ex juſta tamen cauſa, nolle uti medicinis, ut tempore mortis propter maximam utilitatem, ut oſtendatur promptitudo patiendi pro Chriſto, aut propter ſpecialem profectum, ut propter carnem domandam, aut paſſiones efferveſcentes comprimendas, vel ut melius Chriſti paſſionem in ſe ipſo ſentiret, ut faciunt Religioſi, hoc modo vulnera, ulcera, aliaſque corporis infirmitates ſuſtinendo, non eſt tentare Deum, ut ex ſe patet.

13 Et hinc colligitur peccatum mortale tentationis Dei, tunc committi quando experimentum conjunctum eſt cum aperto periculo gravis damni, ut quando quis gravi infirmitate laborans reſpuit abſque gravi cauſa medicinas, ſperans à Deo ſanitatem modo explicato, aut quando quis duellum acceptat ad oſtendendam ſuam innocentiam, putans fore ut Deus illum incolumem ſervet in ſignum innocentiæ, ſicut aliàs in uſu erat Duellum, aut quando quis curat ſumi Euchariſtiam ad cognoſcendum alicujus delictum, vel innocentiam, vel quando adeſt periculum ſcandali, ut quando quis abſque neceſſitate petit miraculum ad confirmandam fidem, dummodo petens non habeat donum miraculorum, aut hoc non faciat ex ſpeciali Dei inſpiratione, ſicut aliàs viri ſancti faciebant, nam ſi fiat ex curioſitate graviſſimum peccatum eſt, nam petens agit cum Deo tanquam curioſorum fautore, & conſequenter magnam illi infert injuriam.

14 An autem in confeſſione explicandum ſit, An tentatio Dei fuerit tacita, an expreſſa? Reſpondeo affirmative. Ita Suarez, Sanchez, quos refert, & ſequitur Tancred. *tomo* 2. *lib.* 1. *d.* 2. *queſt.* 3. *num.* 14. Palaus *tract.* 17. *d.* 2. *p.* 1 *num.* 7. Eſcobar *lib.* 28. *Decalogi num.* 207. Ratio eſt, quia hæc duo diſtinguntur ſpecie, ſolent namque procedere ex principiis diverſæ rationis: tentatio namque expreſſa ſolet procedere ex dubio alicujus perfectionis, & divini attributi; hujuſmodi autem dubium continet malitiam ſpecie diſtinctam contra fidem, ergo debet in confeſſione explicari.

SECTIO III.

De Blaſphemia. Quid ſit Blaſphemia, & quotuplex, & quibus modis committatur?

SUMMARIUM.

15 *Ponitur blaſphemiæ definitio.*
16 *Alia eſt in Deum, alia in Sanctos.*
17 *Alia hæreticalis, alia non hæreticalis.*
18 *Quæ ſit hæreticalis?*
19 *Quæ dicatur ſimplex, ſeu non hæreticalis?*
20 *Quædam corollaria proponuntur.*
21 *Jurare per corpus, per inteſtina Chriſti, vel Sanctorum non eſt blaſphemia.*
22 *Si quis non abſolute ſed ſub conditione verba blaſphemiæ hæreticalis proferat, committit blaſphemiam hæreticalem.*
23 *Qui maledicit proximo, ut eſt creatura Dei, committit blaſphemiam non hæreticalem.*
24 *An maledicens creaturis irrationalibus peccet mortaliter?*
25 *Committitur blaſphemia non hæreticalis blaſphemando res ſacras, & ſpernendo Sanctos, & quomodo?*
26 *Committitur blaſphemia hæreticalis dum ea quæ ſunt Dei propria tribuuntur creaturis.*
27 *Idem ſcelus committunt jurantes per falſos deos.*
28 *Non committitur blaſphemia dicendo coram Deo.*
29 *Committitur blaſphemia hæreticalis, ſi quis dicat hæc facturus ſum velit, nolit Deus.*
30 *Non committitur blaſphemia hæreticalis, ſi quis dicat hoc verum eſt, ſicut Deum eſſe, verum eſt.*

DIco primò: Blaſphemia definitur à D. Thoma. 2. 2. *queſt.* 13. eſt maledictio, & convitium in Deum, vel Sanctos jactatum. Et tunc fit, quando quis mente, vel ore loquendo, aut negat Deo, vel Sanctis, quod eis convenit, aut tribuit quod non convenit, aut quod ſolius Dei eſt, tribuit creaturis, aut Deo, ſanctisve facit injuriam, contumelioſum aliquod verbum in illos dicendo, aut ſaltem modo contumelioſo, idque, ſive fiat aſſerendo, ſive imperando, ſive optando. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 1. *d.* 3. *queſt.* 1. *num.* 3. Eſt autem blaſphemia duplex: alia cordis, alia oris. Cordis eſt illa, quæ ſolo corde concipitur. Oris verò, quæ ſolo ore profertur. Rurſus alia eſt in Deum, alia in Sanctos. Demum alia eſt hæreticalis, altera verò non hæreticalis, quæ dicitur blaſphemia ſimplex. 15 16 17

Dico ſecundò: Blaſphemia hæreticalis eſt illa, quæ alicui articulo fidei directe opponitur, qualis eſt hæc, abnego Deum, aut fidem, aut crucem Chriſti, aut chriſma, quod fonte percepi, aut puritatem Beatæ Virginis, aut Deus eſt injuſtus, ignarus, aut quid ſimile fidei contrarium, etiam ſi per verbum indicativum non affirmetur, ut hoc: ô Deum injuſtum: ô Deum ignorantem! Et eodem modo dicendæ ſunt blaſphemiæ hæreticales omnes illæ, in quibus id, quod ſoli Deo convenit, attribuitur creaturis, ut ſi quis diceret: ô Diabolum omnipotentem, aut Diabolus eſt juſtiſſimus, & omnipotens. Ita cum Sanchez, Suario, Fagundez, *in ſecundum præceptum Decalogi c.* 3. *lib.* 2. *num.* 25. Trullenc. *lib.* 1. *Decalogi cap.* 12 *dub.* 1. *num.* 2. Quibus 18

bus in caſibus, ſi blaſphemus id, quod corde, vel ore profert credit, non ſolùm eſt blaſphemus, ſed etiam hæreticus, eo quòd errorem habeat circa fidem, ac proinde ut hæreticus eſt denunciandus, & puniendus; quod ſi talem errorem non habeat, erit quidem blaſphemus, non tamen hæreticus.

19 Dico tertiò: Blaſphemia ſimplex, ſeu non hæreticalis dicitur illa, quæ non continet errorem, ſeu falſitatem contra veritatem fidei, quales ſunt illæ, quæ per modum optandi, imprecandi, aut imperandi proferuntur, ut ſi quis dicat, maledictus ſit Chriſtus, vel Deus, diſpliceat Deo, vel malum Deo contingat, vulgò, *Magrado aya Dios*, tædeat Deum, velit nolit Deus, &c. Ita communiter Doctores ut videre eſt apud Fagundez *ſuprà*, & Trullenc. *ſuprà num.* 2. Duobus autem modis committitur peccatum blaſphemiæ ſimplicis. Primò tribuendo aliquid Deo per contumeliam, quod non habet. Secundo auferendo aliquid, quod habet, ut dicendo non poſſe facere, quod efficere poteſt, non habere rerum prudentiam, cum hac tamen differentia, quòd ſi proferantur per modum indicativi, & contineant errorem contra fidem, vel contra aliquod attributum divinum, erit blaſphemia hæreticalis; ſi fuerit per modum optandi, vel imprecandi, erit blaſphemia ſimplex, ut *ſuprà* diximus. Ita communiter DD.

20 Hinc ſit primò blaſphemiam ſimplicem committi deteſtando divina, vel maledicendo Deo, illique mala aliqua imprecando? nam tribuitur Deo aliquid, quod non habet. Item ſi quis juret per vitam, vel caput Dei, vel Sanctorum; quia ſenſus eſt, Deus, vel Sancti amittant vitam, ſi res non ita eſt. Ita Azor, Sanchez, Rodriguez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà num.* 2. Secundò committitur blaſphemia exprobrando ea, quæ Deus habet, ſeu tribuendo Deo quæ habet, ſed irreverenter: ut jurare per corpus, & ſanguinem Dei ex indignatione, vel ira contra Deum; quia tribuitur aliquid Deo per contumeliam. Seclusâ tamen ira contra Deum, non committitur blaſphemia jurando per corpus, vel ſanguinem Dei; quia hæc de Chriſto poſt aſſumptam carnem verificantur. Sed hoc intelligendum eſt, ſi hæc non dicantur de Deo, ut Deus eſt, nam tunc eſt blaſphemia hæreticalis. Qui jurat per pudenda Chriſti, vel Sanctorum, vocando ea propriis nominibus, tanquam aliquid contemptibile, committit blaſphemiam; Chriſtus namque, & Sancti habuere corporis membra, tanquam partes naturales, & non tanquam aliquid vituperabile, & ignominioſum. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract.* 2. *lib.* 1. *diſput.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 17. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. *num.* 15. Imò non ſolùm erit blaſphemia, ſi quis per hæc pudenda Chriſti, & Sanctorum juret, ſed etiam ſi quis ea ſimpliciter nominet, aut enuntiativè proferat, quia in ratione vituperij, utrumque falsò dicitur. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez, *ſupra num.* 12.

21 Jurare per barbam, per corpus, per inteſtina Chriſti, vel Sanctorum, non eſt blaſphemia; nihil namque Deo, vel Sanctis tribuitur, quod non habeant, nec ſenſus jurantis eſt execratorius, ſed ſimplex, ſicut quando juratur per Chriſtum, per Evangelia: ita Sanchez, Navarrus, Lopez, Rodriguez, Toletus, Valentia, & alij quos refert, & ſequitur Fagundez *ſuprà num.* 14. contra Barboſam, Sotum, & alios, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 1. *d.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 19. Imò nec erit blaſphemia hæc verba dicere, quibus honeſta membra Chriſti, & Sanctorum nominantur, quando id fit cum indignatione quadam, & ira, ut ſi quis dicat: *o corpo de Dem comigo*, *valhate o corpo de S. Paulo*, nam & ſi irreverenter dicantur, non tamen per modum vituperij. Ita cum aliis Fagundez, *ſuprà num.* 14.

Sed quid, ſi quis non abſolute, ſed ſub conditione verba aliqua blaſphemiæ proferat, dicatque, *non credo in Deum*, *renego Deum*, *vel Sanctos*, vel *Deus eſt injuſtus*, *ſi res hæc vera non ſit*, vel *niſi te percuſſero*, *te maclavero*, &c. Salazar *cap.* 5. *num.* 28. exiſtimat hujuſmodi verba nullam continere blaſphemiam, quia ſunt conditionalia, & conditionalis ſermo nihil ponit in re. Verius tamen eſt per illa verba committi blaſphemiam hæreticalem: quia in illis verbis includitur tacitè propoſitio affirmativa negandæ fidei, juſtitiæque divinæ, ſi in eo eventu non ſequatur vindicta illa percuſſionis, vel veritas illius rei, quam affirmat. Ita Sanchez, Lopez, Azevedo, & alij, quos refert, & ſequitur Fagundez *ſuprà num.* 8. & cum multis Tancred. *tractatu* 2. *de Religione lib.* 1. *d.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 11. Palaus *tract.* 17. *d.* 2. *p.* 2. §. 3. *num.* 3. 22

An autem qui maledicit proximo committat blaſphemiam? Reſpondeo, quòd ſi maledicat proximo, quatenus creatura Dei eſt, tunc committi peccatum blaſphemiæ non hæreticalis; ſi tamen maledicat illi, ſecundum ſe conſiderato, non eſt blaſphemia, eſt tamen peccatum mortale, ſi maledictio ſit gravis, ut ſi deſideret, vel roget illi malum grave, ut amiſſionem divitiarum condemnationem, vel ut illum Diabolus auferat. Sed hoc debet fieri ex intentione, ut tale malum illi accidat; nam ſi ſolùm ex paſſionis impetu imprecatur alicui malum grave, quod tamen nolit illi evenire, non peccat mortaliter, quia non dicitur graviter lædere charitatem. Ita cum Toleto, Clavi Regia, Navarro, Cajetano, Reginaldo, Bonacina, *tom.* 2. *d.* 5. *quæſt.* 8. *p.* 3. *num.* 4. Et hinc parentes à mortali ſæpiùs excuſari maledicta in filios conjiciendo; nam ſæpiùs conjiciunt ex ſubito iracundiæ motu, abſque deſiderio notabilis damni, ut *infrà* latiùs dicemus. 23

Quæres tamen, an maledicens creaturis irrationalibus peccet mortaliter? Reſpondeo quòd ſi maledicantur quatenus ſunt creaturæ Dei, committi blaſphemiam, quia tunc maledicuntur; ut ſunt aliquid Dei. Ita cum communi ſententia Fagundez *ſuprà num.* 2. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 1. *d.* 3. *q.* 2. *num.* 25. Si verò maledicantur quatenus nobis malum cauſant, tunc non eſt peccatum illis maledicere, quia id non eſt maledicere creaturis, ſed malis, quorum nobis cauſæ ſunt, & in hoc ſenſu maledixit Job *cap.* 3. diem in quo natus fuit, hoc eſt, peccatum originale: ſi verò ſumantur ſecundùm ſe, illis maledicere non eſt peccatum, ſed verbum otioſum; nam ſicut poſſumus illas occidere, ita & maledicere. Si verò ſumantur per ordinem ad homines, ut ſunt illorum bona, tametſi malum grave illis imprecetur, erit peccatum mortale, nam perinde eſt illis maledicere, quàm hominibus, ſub quorum poteſtate ſunt. Hoc tamen debet intelligi, dummodo maledictio non conjiciatur ex motivo licito. Ita cum communi ſententia Fagundez *ſuprà num.* 5. & nos *infrà* latiùs dicemus. 24

Tertiò committitur blaſphemia non hæreticalis blaſphemando res ſacras, vel ſpernendo Sanctos; ſicut enim in Sanctis, & rebus ſacris laudatur Deus, ita & in illis blaſphematur; hac tamen differentiâ, quòd ſi blaſphemia in Sanctos, vel res ſacras ſecundùm ſe conjiciatur, tunc non habet, ut ad ipſos terminetur proprie ratio blaſphemiæ, ſed 25

contu

contumeliæ oppoſitæ honori Sanctorum, & obſervantiæ ipſis debitæ; quatenus tamen in Deum redundat, habet rationem blaſphemiæ. Non tamen committitur blaſphemia referendo de Sanctis ea, quæ ipſis evenerunt antequam in Sanctorum numerum aptarentur, modò non dicantur ad minuendam ipſorum ſanctitatem, ſeu modò non referantur de Sanctis, ut Sancti ſunt, ſed ut quidam homines fuerunt, ut ſi dicatur, D. Petrum infimæ conditionis extitiſſe, vel infimam artem piſcatoris exercuiſſe. Ita Sanchez, Valentia, Bonacina quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà num.6.*

26 Quartò committitur blaſphemia hæreticalis, dum ea quæ ſunt Dei propria communicantur creaturis, quia videtur auferri Deo, quod habet. Hoc peccatum committere ſolent amatores fœminarum, quas dum ardenti amore proſequuntur, nominibus Dei propriis non verentur appellare. Ita Trullenc. *ſuprà num.7.* licet contrarium in hoc caſu probabilius teneat Lorca, Hurtadus, de Mendoſa, quos refert, & ſequitur Diana *5. p. tract. 13. reſol. 20.* Tancred. *tract. 2. lib. 1. d. 3. q. 22. num. 13.* Et ratio eſt, quia illa verba, quibus Deum, vel idolum ſuum vocant, non proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed hyperdulia, ſicut cum illas dicunt, *Seraphim, anjos, coraſois*, &c. Quòd ſi de facto illa verba in propria ſignificatione proferantur, tunc vera eſt ſententia Trullenc. quam nemo negare poteſt, nam tunc per illam loquutionem tribuitur divinitas creaturis.

27 Idem ſcelus committunt jurantes per falſos Deos, cùm tribuant falſis diis ineffabilem veritatem, quæ ſolius Dei propria eſt, illique ſoli convenit; quod procedit; ſive juramentum ſit verum, ſive falſum, modò ſerio fiat: ſi verò non fiat ſerio, ſed joco, non committitur blaſphemia, quia ineffabilis veritas non tribuitur falſo Deo, ideoque excuſari poſſunt jurantes per Jovem, aut Bacchum, quos nihil eſſe cognoſcunt, deeſt enim animus jurandi, aut ipſis tribuendi infallibilem veritatem. Ita cum aliis Trullenc. *ſuprà.* Et eodem modo dicendum eſt de illis, qui jurant *pe los ſanctos Evangemos* propter eandem rationem, & alia ſimilia.

28 Quintò non committitur blaſphemia dicendo, coram Deo, *por aqui di ante de Deos*; quia hæc verba juxta loquendi modum, nullam continent injuriam in Deum, modo proferentes non habeant animum proferendi convitium in Deum: Major eſt difficultas, an committat blaſphemiam ille, qui dicit, *Peſe à Deos que hei de faſer eſto?* Et conveniunt omnes eſſe blaſphemiam. An autem ſit hæreticalis? differunt DD. Suarez, & alij cum illo putant non eſſe hæreticalem, quia per dicta verba, non ſignificatur aliquid fieri poſſe contra efficacem Dei voluntatem, ſed tantùm ſignificatur voluntas faciendi aliquid. Contraria tamen ſententia probabilior eſt. Ita Naldus, Sanctorus, Filliucius, quos refert, & ſequitur Diana *4. p. tract. 7. reſol. 8.* nam ſenſus talis blaſphemiæ eſt, quod omnino debeat fieri, quod blaſphemans profert, etiam ſi Deus nolit.

29 Et hinc à fortiori ſequitur committere blaſphemiam hæreticalem illum, qui dicit, hoc facturus ſum velit nolit Deus, quaſi Deus impedire nequeat. Ita cum Azor, & aliis Trullenc. *lib. 1. cap. 12. dub. 1. num. 8.* qui verò dicit, *volo hoc facere, quamvis ſit peccatum mortale*, licèt graviter peccet, non blaſphemat. Quia niſi in Dei contumeliam id faciat, nihil addit, vel aufert à Deo. Ita cum Bonacina, & aliis Tamburinus *lib. 2. Decalogi cap. 6. §. 6. num. 16.* Qui tamen dicit, *Peſe à tal*: ſi per tal intelligit Deum, eſt blaſphemus, ut *ſuprà* diximus. Non tamen ſi per *tal*, non intelligit, Deum; ſic non eſſet blaſphemus qui diceret, *peſe a quien me ten, en ſuſtento no mundo*, niſi ex circunſtantiis conſtet, proferentem hæc proferre in contemptum Dei, quia hæc verba non magis videntur cadere in Deum, quam in homines, cum non ſolum Deus videatur ſuſtinere, verum etiam alij, qui alimenta præbeant. Tum etiam, quia quoties aliquid profertur, quod accipi poteſt pro blaſphemia, & non blaſphemia, non eſt accipiendum pro blaſphemia, nam verba in dubio ita ſunt accipienda, ut non ſonent in delictum, ut cum multis docet Palaus *tractatu 17. d. 1. p. 2. §. 3. n. 6.* Tamburinus *lib. 2. cap. 6. §. 4. num. 19.*

30 Tandem non committitur blaſphemia hæreticalis dicendo, *hoc verum eſt, ſicut Deum eſſe verum eſt*, vel *ſicuti eſt verum Evangelium*, vel *ſicut Deus eſt veritas*, vel *ſicut Deus ex beata Virgine natus eſt*, vel *hoc eſt Evangelium*, vel *credi poteſt tanquam Evangelium*, vel *in hac re ſum innocens ſicut B. Petrus.* Ratio eſt, quia nihil Deo tribuitur per contemptum, nec ab eo aliquid aufertur, modo tamen proferens non intendat veritatem humanam coæquare divinæ veritati, ſed tantummodo indicare ſimilitudinem quandam, nimirum illud ita ſuo modo eſſe verum, ſicuti verum eſt Deum eſſe. Ita Azor, Suarez, Sanchez, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus *tract. 17. d. 2. part. 2. §. 3. num. 4.* & cum Alcozer, & aliis Tancred. *tract. 2. lib. 1. d. 3. queſt. 2. num. 12.* Tamburinus *ſuprà num. 16. voto à Deos*, ſi ſenſus ſit, *votum facio*, ſeu *promitto Deo hoc*, vel *illud*, aut *jure*; non blaſphemus, ſed vovens dicendus eſt, vel jurans, ſi autem ſenſus ſit, *peſe à Deos*, eſt blaſphemus, ut *ſuprà* diximus, communiter tamen pro juramento uſurpatur, de quo vide Suarium, quem refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà num. 12.*

SECTIO IV.

Quale peccatum ſit blaſphemia?

SUMMARIUM.

31 *Blaſphemia opponitur virtuti religionis.*
32 *Blaſphemia ex genere ſuo eſt graviſſimum peccatum mortale.*
33 *Non datur in hoc peccato parvitas materiæ, niſi ex indeliberatione, vel inadvertentia.*
34 *Quid ſi aliquid in Sanctos dicatur per jocum?*
35 *Quomodo blaſphemans ex habitu peccet?*
36 *Blaſphemia in Deum, & Sanctos differt ſpecie.*
37 *Blaſphemia in Sanctos, etiam eſt contumelia.*
38 *In confeſſione debet explicari an blaſphemia fuerit in Deum, vel B. Virginem, vel in Sanctos.*
39 *Qui unico verbo multos Sanctos maledicit, tot peccata committit.*

31 SVppono cum communi ſententia Doctorum, blaſphemiam opponi virtuti Religionis. Quia per Religionem Deus debito cultu, & honore veneratur, per Blaſphemiam verò contumelia, & contemptu afficitur. Poteſt tamen blaſphemiæ alia malitia adjungi, ut hæreſis. Vide Sanchez, & alios apud Trullenc. *in Decalogum lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 1.* his ſuppoſitis.

Dico

Digitized by Google

32 Dico primò. Blasphemia ex suo genere est gravissimum peccatum mortale, ut tenent communiter DD. apud Tancredum *tract. 2. lib. 1. d. 3. q. 1. n. 1.* Irrogat namque gravissimam injuriam Deo, neque in hoc peccato datur parvitas materiæ, ut tenent communiter DD. apud Tancredum *suprà num. 4.* Et cum Bonacina, & aliis Escobar *lib. 28. Decalogi,* 33 *num. 196.* Diana *p. 5. tr. 5. resol 3.* Excipe nisi ratione indeliberationis, & inadvertentiæ. Imò si quis ex ira, & subita animi perturbatione blasphemet, ita ut omnem rationis deliberationem antevertat, nec venialiter peccabit. Si tamen aliquantulum judicium rationis sequatur, erit veniale, ut bene Reginaldus, Lessius, quos refert, & sequitur Trullenc. *lib. 1. Decalogi cap. 12. dub. 2. num. 2.* Imò Villalobos apud Dianam *p. 5. tract. 5. resol. 3.* existimat etiam in blasphemia excusare à mortali parvitatem materiæ, ut si quis afferat verbum scripturæ ad irrisiones, vel loco *Kyrie* organa pulset: quam sententiam reputat probabilem Trullenc. *suprà.* Contraria tamen communis est, nec exempla Villalobos convincunt, nam facere illa non est blasphemia, secluso contemptu, ut *suprà* diximus. Ita cum Suatio, & aliis Tancred. *suprà n. 5.*

34 Adverte tamen, quod licet blasphemia respectu Dei, & Sanctorum, ut Sancti sunt, non detur parvitas materiæ, ex alio tamen respectu dari potest, ut si quis per jocum diceret, Sanctos Chrispinium, & Chrispinianum fuisse sutores, & Sanctos Joannem, & Paulum fuisse Eunuchos. Ita Duvalius, Sanctarellus, Sayrus, Sylvius, Sanchez, quos refert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 3. resol. 3.* Tancred. *suprà num. 4.* licèt oppositum expresse teneat Lorca, & probabile putet Diana *ibi.* Et ego cum Tancred. *suprà num. 5.* nam illicitus est jocus, in quo injuria Dei involuitur.

35 Quæres tamen primò, An blasphemans ex habitu, non sufficienter advertens blasphemias, peccet mortaliter? Respondeo peccare mortaliter primò, quoties advertit ad pravum habitum, seu consuetudinem illam, & non conatur avellere, quia voluntarie in morali periculo, & occasione proxima blasphemandi existit, cum talis habitus inclinet ad blasphemiam. Secundò peccat, quando blasphemat cum sufficienti advertentia, quia tunc blasphemia est voluntaria: dum verò blasphemat absque sufficienti advertentia, tunc tantùm peccat in causa, etiam si taliter sit dispositus, ut si adverteret blasphemaret, nam ad peccatum non sufficit habitualis dispositio, sed requiritur actualis dispositio, quia Deus non imputat nobis, quod faceremus, si hoc, vel illud occurreret, sed quod actu facimus, ut latius diximus *in tractatu de Pœnitentia.* Ita Valentia, Suarez, quos refert, & sequitur Trullenc. *suprà num. 3.* contra Navarrum, Sayrum. Et idem dicendum est de juramentis, ut *infrà* dicemus *tract. 5. disp. 1. n. 68.*

36 Quæres secundo. An blasphemia in Deum differat specie à blasphemia in Sanctos? Negativè respondet Cajetanus, Navarrus, Azor, Valentia, Giptius, Homobonus, quos refert Trullenc. *suprà n. 4.* & Diana *1. p. tract. de circumstantiis resol. 10.* Contraria tamen sententia verior est. Ita Suarez, Turrianus, Sanctarellus, Reginaldus, Layman, Sanchez, Lopez, Filliucius, Aragonius, quos refert, & sequitur Lugo *de Pœnitentia d. 16. num. 278.* & cum aliis Palaus *tract. 17. d. 2. part. 2. §. 2. num. 4.* & si sermo sit de blasphemiis hæreticalibus. Ratio videtur clara, nam si dicantur cum assensu interno, jam continent malitiam hæresis, si verò deficiat assensus internus, etiam opponuntur præcepto fidei, cui adversatur negatio externa fidei. Si verò sit sermo de blasphemiis non hæreticalibus, etiam ratio est clara, nam virtus quæ inclinat ad colendos Sanctos propter excellentiam creatam, & propriam ipsorum Sanctorum, appellatur dubia, & differt specie à virtute Religionis, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam ipsius Dei; ergo eodem modo blasphemia, quæ fit in Sanctos, cum opponatur virtuti, qua illi coluntur, differt specie à blasphemia, quâ Deus blasphematur.

Adverte tamen blasphemiam in Sanctos includere duplicem malitiam: alteram in ipsos Sanctos, quibus fit reverentia, & hæc propriè non dicitur blasphemia, sed contumelia: Alteram contra Deum, propter specialem conjunctionem, quam habet cum Sancto ipso, ut notavit Lugo. Nec obstat hanc irreverentiam Dei non intendi per se à blasphemante; ad peccatum namque sufficit, quòd indirectè intendatur. Et eodem modo philosophandum est de blasphemia contra B. Virginem, habet namque duplicem malitiam specie diversam. Alteram contra Deum, & alteram contra B. Virginem, quæ cùm adoretur virtute hyperdulíæ, quæ specie distinguitur à virtute, qua coluntur Sancti, etiam sistendo in hac formalitate, specie distinguitur blasphemia huic virtuti opposita, à blasphemia, quæ fit in Sanctos; & in Deum, non tamen rigorosè vocatur blasphemia, ut diximus de Sanctis, si in hac formalitate sistamus. 37

38 Et hinc deducitur, debere explicari in confessione qualitatem blasphemiæ, an fuerit in Deum, an in Beatam Virginem, vel in Sanctos. Nam cum hæ blasphemiæ distinguantur specie, debent explicari in confessione. Ita prædicti authores nostræ sententiæ contra prædictos contrariæ, qui cum Diana *1. p. tract. de circumstantiis resol. 50.* affirmant non esse necessarium in confessione exprimere, an blasphemiæ fuerint contra Deum, vel contra Sanctos, vel Beatam Virginem, quia in eorum opinione, omnes blasphemiæ sunt ejusdem speciei. Sed nostra sententia tutior est, & probabilior, ut diximus, & tenet Escobar *lib. 8. Decalogi num. 731.* Imò aliqui, qui tenent omnes blasphemias esse ejusdem speciei, & circumstantias aggravantes non esse necessariò confitendas, tenent hujusmodi circumstantiam debere confiteri, quia spectat ad complementum actûs in suo esse individuali; sed quidquid sit de hoc, ita Bonacina, quem refert, & sequitur Trullenc. *suprà num. 5.*

39 Quæres tandem, An qui uno verbo plures Sanctos maledicit; tot peccata blasphemiæ numero distincta committat? Respondeo affirmativè. Nam illud verbum cum terminetur ad diversas personas, & objecta, continet diversam numero malitiam, sicut cum quis uno verbo lædit multorum famam, plura peccata committit: nam licèt verbum sit unum realiter, terminat voluntatem multiplicem virtualem, propter diversitatem diversorum objectorum, quæ respicit. Ita Caramuel *in Theologia fundamentali num. 742.* & nos latius diximus *in prima parte hujus Directorij in tractatu de Pœnitentia disp. 8. sect. 1. num. 653.* Aliter dicendum est, quando quis eodem continuo sermone pluries blasphemat de aliquo Sancto, sublato diverso scandalo, nam tunc unum tantum peccatum committit, ut *ibi* latius diximus, & tenet etiam Dicastillus *d. 9. de Pœnitentia num. 77.*

SECTIO V.

De pœnis & abſolutione blaſphemantium.

SUMMARIUM.

40 *Blaſphemiæ nullæ ſunt in jure impoſitæ pœnæ; unde pœnis arbitrariis punienda eſt.*
41 *Blaſphemus ſimplex abſque hæreſi non eſt de jure excommunicatus.*
42 *Blaſphemia publica eſt caſus reſervatus in aliquibus Diœceſibus Luſitaniæ, & in quibus?*
43 *Blaſphemi hæreticales intra ſex dies à die notitiæ ſunt dominis Inquiſitoribus denuntiandi.*
44 *Non eſt eis danda correctio fraterna.*

40 DIco primò: Blaſphemiæ nullæ ſunt in jure appoſitæ pœnæ, ut teſtatur Tamburinus *lib.* 2. *Decalogi cap.* 6. §. 4. *num.* 26. Perindeque pœnis arbitrariis punitur. Spectat autem hujus criminis punitio ad dominos Inquiſitores privativè, ſi blaſphemia ſit hæreticalis, ut cum multis notavit Palaus *tract.* 17. *d.* 2. *p.* 2. §. 5. *num.* 2. Tancred. *tract.* 2. *de Religione lib.* 1. *queſt.* 3. *num.* 10. Si tamen blaſphemia non ſit hæreticalis eſt mixti fori, poteſtque à judice ſæculari, & Eccleſiaſtico puniri, datur enim locus prævention, ut cum multis tenet Trullenc. *in Decalogum lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 9.

41 Dico ſecundò: Blaſphemus ſimplex, hoc eſt, abſque hæreſi, non eſt de jure communi excommunicatus, nec talis pœna eſt illi impoſita in Archiepiſcopatibus, vel Epiſcopatibus hujus Luſitaniæ

42 Regni. Eſt tamen blaſphemia publica caſus reſervatus in Diœceſi Bracharenſi, Conimbricenſi, Egitanenſi, Vincenſi, Portalegrenſi, Elvenſi, Lamecenſi, Portuenſi. Hæc autem reſervatio intelligitur, quando blaſphemia non eſt hæreticalis, & non continet hæreſim internam, nam ſi illam contineat, eſt caſus Pontifici reſervatus. Vnde fit ut quilibet approbatus poſſit abſque ullo privilegio blaſphemiam ſimplicem abſolvere, ubi non eſt caſus Epiſcopo reſervatus, ut bene advertit Tamburinus *ſuprà num.* 27.

43 Dico ſecundò: Blaſphemi hæreticales, intra ſex dies à die notitiæ ſunt Dominis Inquiſitoribus denuntiandi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ impoſita in edito Inquiſitorum, & in editis Epiſcoporum tempore viſitationis, ut refert Fagundez *in ſecundum Decalogi præceptum lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 33. An autem blaſphemi hæreticales ſint corrigendi ante denuntiationem, ſi ſperetur emenda? vide quæ diximus *in prima parte hujus Directorij,*

44 *in tractatu de Pœnitentia*, ubi latè explicuimus decretum Alexandri VII. de ſuſpectis, etiam leviter de hæreſi, ubi ad unguem prædicto Decreto obediendum eſſe judicavimus, quidquid alij in contrarium dixerint, quibus nec tunc, nec modo aſſentior, ſed prædicto Decreto parendum eſſe exiſtimo, & ſecundum illud, ſtatim denunciandos eſſe exiſtimo: vide tamen, quæ *ibi* dixi, & *ſuprà tract.* 2. *d.* 2. *ſect.* 18. *d.* 9.

DISPUTATIO II.

De ſuperſtitione, ejuſque ſpeciebus.

SECTIO I.

Quid ſit ſuperſtitio, & quænam ejus ſpecies?

SUMMARIUM.

45 *Vnde dicatur ſuperſtitio?*
46 *Ponitur definitio ſuperſtitionis.*
47 *Superſtitio alia eſt ratione rei cultæ, alia ratione indebiti modi, & quæ utraque ſit?*
48 *Superſtitio indebiti modi eſt duplex, altera quæ falſus, vel perniciоſus cultus vero Deo tribuitur.*
49 *Altera qua cultus ſuperfluus Deo exhibetur.*
50 *Quædam corollaria proponuntur.*
51 *Pœnitens in confeſſione tenetur explicare plures malitias ſub genere ſuperſtitionis contentas.*

DIco primò: Superſtitio dicta eſt, vel ex eo 45
quòd homines nimij erant in precando, & immolando, ut liberos relinquerent ſibi ſuperſtites, ut placuit Ciceroni *lib.* 2. *de natura Deorum.* Vel eo quòd relictis veteribus diis, colerent ſuperſtitem memoriam ſuorum majorum, ut placuit Lactantio *lib.* 4. *de divin. inſtit. cap.* 28. vel eò quod homines nimium timerent iram deorum ſuperne impendentem, & quaſi ſuperſtantem, ut vult Servius. Sed quidquid ſit de hoc, parum enim hæc nominis etymologia intereſt, dummodo quid ſignificet conſtet.

Dico ſecundò: *Superſtitio eſt vana, & falſa* 46
Religio, id eſt *cultus vitioſus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito.* Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. *queſt.* 92. *art.* 1. Dicitur *vana, & falſa religio*, quia opponitur Religioni, quæ vero Deo cultum debito modo exhibet.

Dico tertiò: Superſtitio dividitur in ſuperſtitionem 47
ratione rei cultæ, & in ſuperſtitionem modi indebiti. Superſtitio rei cultæ eſt illa, qua divinus cultus falſo deo, vel creaturæ exhibetur, quia creatura colitur loco Dei: ſuperſtitio modi indebiti eſt illa, quæ verum cultum vero Deo exhibet, modo tamen indebito. Rurſus ſuperſtitio ratione rei cultæ ſubdividitur in idololatriam, divinationem, & ſuperſtitioſam obſervantiam, ad quam Magia reducitur: vel enim colitur Diabolus, & honoratur tanquam Deus, & hæc eſt idololatria, vel ut aliquid occultum revelet, & hæc eſt divinatio, vel ut juvet, & dirigat in operando, & hæc eſt ſuperſtitio vanarum obſervantiarum, ad quam ut dictum eſt reducitur Magia.

Deinde ſuperſtitio modi indebiti duplex eſt: pri- 48
mò. Altera qua cultus falſus, ſeu perniciоſus vero Deo exhibetur, ut ſi quis Deum ceremoniis Judæorum coleret, quæ ſignificant Chriſtum venturum, vel aliis ab Eccleſia damnatis; aut quando quis Divino officio admiſcet turpia, tanquam Divini officij partem, aut quando fidem noſtram falſis miraculis contendit confirmare, aut quando falſa

miracula

miracula prædicat, aut formam, vel materiam Sacramentorum mutat, aut falſas Reliquias proponit adorandas, & hic cultus abſque dubio ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quia continet falſam ſignificationem circa doctrinam fidei, & notabilem irreverentiam in Deum. Ita Navarrus, Suar. Leſſius, quos refert, & ſequitur Leander *tract. 9. in Decalog. d. 1. quæſt. 3.*

Hinc fit graviter peccare in divinum cultum eum, qui admiſcet turpia, & obſcœna in divino officio, quamquam ea non admiſceat, ut divini officij partem; Tambutinus *lib. 2. Decalogi cap. 6. §. 1. num. 2.* & cum aliis communiter Leander *ſup. quæſt. 4.* Et ratio eſt, quia præter ſcandalum, & provocationem ad malum, gravem irrogat divino officio injuriam. Si verò non admiſceat divino officio turpia, obſcœna, aut vana non profetat, tanquam divini officij partem, ſed ſolum utatur tono, aut voce profana, & ſæculari, abſque impura delectatione, non videtur graviter peccare, præciſa circumſtantia ſcandali lethalis, vel alterius mortalis peccati. Ita cum Bonacina, & aliis Palaus *tract. 17. d. 1. §. 1. num. 5.* quia ſonus vocis, aut organi videtur ex ſe indifferens. Abſtinendum tamen eſt ab iis omnino, propter ruinam, quæ ſuppoſita depravatione naturæ ordinariè oriri poteſt.

49 Altera ſuperſtitio ratione modi indebiti eſt, qua cultus ſuperfluus Deo exhibetur, ille ſcilicet cultus, qui non eſt ordinatus ad Deum honorandum, neque ut mens in Deum feratur, neque ut carnis concupiſcentia refrenetur, aut eſt præter Eccleſiæ morem. Hæc autem contingit, quando præter Eccleſiæ uſum ponitur Religio in iis rebus, aut circumſtantiis, in quibus non eſt ponenda, ut in numero, colore, ſitu, &c. unde qui putat tot candelas adhibendas eſſe, & non plures, aut debere eſſe potiùs albi, quam flavi coloris, aut debere potiùs poni in hac parte, quàm in alia, aut à perſonis talis vel talis nominis orandum, committit peccatum ſuperfluæ
50 cultus. Item ſi varientur ceremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ, ut ſi quis variet ceremonias in Miſſa, ut ſi dicat bis *Alleluia*, ubi ſemel dicendum erat, aut ſi dicat *Gloria*, & *Credo*, ubi hæc non ſunt dicenda, ſi fiat in Miſſa ſignum crucis, ubi non mandatur fieri, vel ut plures Acolyti, præter modum Eccleſiæ adhibeantur, ut oratio fiat mane ante ſolis ortum, quod tanti ſint peregrini tali, vel tali nomine inſigniti, ut Miſſa audiatur Sacerdotis, qui tali, vel tali nomine appellatur; imò ſi quis die dominica jejunaverit, quodam ſingularitatis ſtudio, ut Deum coleret, in omnibus enim his eſſet peccatum ſuperſtitionis, non tamen eſſet pluſquam veniale, ſecluſo ſcandalo, & contempto moris Eccleſiæ. Ita cum Sanchez, & aliis Leander *tractatu 9. in Decalog. d. 1. quæſt. 54.* Fagundez *in primum præcept. Decalogi lib. 1. cap. 34. num. 11.* ut plurimum namque hæc fiunt bono animo, & non videntur includere gravem injuriam. Secùs dicendum eſt ſi magna ſit inverſio in ceremoniis, ex præcepto, vel conſuetudine debitis. Ita cum Leſſio, Bonacina, & aliis Trullenc. *ſuprà*, Palaus *ſuprà n. 5.*

51 Adverte tandem pœnitentem teneri in confeſſione explicare plures malitias ſub genere ſuperſtitionis contentas, ſive quia nonnulla aliquando ſupponunt hæreſim in mente, quam oportet explicare, alia verò non ſupponunt, ſive quia in alio genere peccati continent malitiam diverſam, ut in genere mendacij pernicioſi, vel turpitudinis, vel ſacrilegij, & injuriæ rerum ſacrarum: denique quia non poſſunt aliter mederi à confeſſario, & intelligi ſecundum eorum neceſſariam gravitatem, hoc tamen ſemper debet intelligi quando ſunt diverſæ ſpeciei, nam circumſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciem non ſunt neceſſariò confitendæ. Sed de his vide quæ diximus *in tractatu de Pœnitentia ſuperiori tomo.*

SECTIO II.

Quid ſit Idololatria & quale peccatum.

SUMMARIUM.

52 *Quale peccatum ſit idololatria, & ejus diffinitio.*
53 *Qui actus concurrant ad idololatriam?*
54 *Idololatria opponitur Religioni.*
55 *Tribus modis committitur, qui explicantur.*
56 *Qui abſque errore & affectu propter mortem colit idolum, committit peccatum infidelitatis contra fidei confeſſionem.*
57 *Qui fictè adorat idolum abſque errore non eſt in Bulla Cœnæ excommunicatus, bene tamen excommunicatione non reſervata.*

DIco primò: maximum peccatum, quod Religioni opponitur, eſt idololatria, dicitur autem idololatria, id eſt idoli latria, quod nomen impoſitum eſt ad ſignificandum omnem falſorum deorum cultum. Vnde cum latria propriè loquendo ſit cultus vero Deo debitus, idololatria nihil aliud erit, quam cultus Dei, idolo attributus. Ita ſumitur idololatria propriè, nam impropriè, & methaphoricè ſumitur pro quolibet peccato mortali, per quod homo avertitur à Deo per affectum, & convertitur ad creaturam. Sic D. Paulus *ad Epheſios 5.* avaritiam, idololatriam vocat. *Idolum* autem *propriè ſumptum, eſt effigies alicujus falſi numinis*, ad differentiam imaginum Dei, & Sanctorum, quæ ſunt imagines rerum verarum. Ita Eſcobar *lib. 28. Decalogi num. 159.*

Dico ſecundò: ad idololatriæ actum tres actus 53
debent præcipuè concurrere ſimiles illis, qui reperiantur in vero cultu Dei. Primus eſt opinio divinitatis, & perfectionis Dei propriæ. Secundus eſt affectus reverentiæ, quo tanquam ſupremo numini idololatra ſe ſummittit idolis. Tertia eſt externum ſignum, quo ſignificatur interior opinio, & ſubmiſſio. Vt ergo quis ſit idololatra, debet habere opinionem aliquam divinitatis de idolo, ſeu re quæ adoratur, & affectum adorationis, & adorationem ipſam, hoc eſt, exhibitionem ſigni ſubmiſſionis, & recognitionis internæ, de divina excellentia. Ita Suar. *lib. 2. de Religione tom. 1. cap. 3.* & cum aliis Eſcobar *ſuprà num. 16.*

Dico tertiò: idololatria eſt graviſſimum peccatum, quia quantum in ſe eſt, tollit honorem Deo ut transferat creaturæ. Tum quia opponitur Religioni, quæ eſt præſtantior virtus inter morales, & inter peccata, quæ opponuntur Religioni primum locum tenet; nam eſt crimen læſæ Majeſtatis divinæ; non tamen ex ſuo genere eſt peccatum tam grave, ſicut peccata contra tres virtutes Theologales. Vnde ab hoc peccato non poteſt excuſare metus mortis, quia tribuere cultum Dei rei creatæ, eſt intrinſecè malum. Imò nec ignorantia ab hoc peccato excuſat, quia recta ratio evidenter dictat non eſſe colendam creaturam loco Dei. Ita cum multis Trullenc. *in Decalog. lib 1. cap. 10. dub. 3.* 54

Vt autem hujus peccati gravitas, & malitia in- 55
noteſcat: obſerva tribus modis illud committi poſſe,

ſe. Primò ſi proceſſat ex errore infidelitatis circa Deorum multitudinem, ut quando idololatra exiſtimat & credit eſſe aliquam divinitatem in idolo, ut in Jove, Marte, &c. & hic ſi non eſt baptiſatus eſt paganus, & infidelis; ſi verò eſt baptiſatus eſt verus hæreticus, & excommunicatus *in Bulla Cœnæ Domini*, quamvis nihil ore proferat, ſed tantùm ſigno externo idolum colat; nam ille cultus externus ſufficientiſſimè demonſtrat hæreſim internam. Ita cum Ledeſma, Trullenc. *ſuprà numero quarto.*

56 Secundò quando abſque mentis infidelitate tribuitur divinus honor alteri, quàm Deo, hoc eſt, quando, idololatra ſcit, & credit in idolo nullam eſſe divinitatem, ſed rem vanam, & futilem, nihilominus tamen illud adorat; quod poteſt dupliciter contingere. Primo ſi illud adoret ex affectu voluntario ad idolum, ſine errore tamen, ut contingit in ſtrigibus, & his qui ut Ethnicis complaceant adorant idola, ut ſi quis ut Ethnica potiretur, illius adoret idolum. Secundò quando abſque errore, & affectu voluntario, colit creaturam, aut adorat idolum ad vitandum ſcilicet graviſſimum malum, verbi gratia, mortem. Graviſſimum horum eſt primum, non adeò grave ſecundum, & minùs grave tertium. Eſt tamen hic tertius modus idololatriæ grave peccatum, quia eſt contra confeſſionem fidei, & conſequenter continet negationem veri Dei, & fictio illa eſt contraria Religioni, ut colligitur ex illo Matthæi 10. *qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum*, &c. committit ergo ille crimen læſæ majeſtatis divinæ, ex quo ſequitur peccare graviſſimè, qui ficto animo colit idolum, ut mortis periculum evadat, quia licèt non committat idololatriam interpam, committit tamen illam externam, quæ intrinſece eſt mala, & opere externo impendit honorem divinum rei creatæ; ita communiter DD.

57 Advertendum tamen eſt, eum qui abſque errore, ſolùm ficte, adorat idolum, non eſſe excommunicatum *in Bulla Cœna Domini*, quia illa excommunicatio fertur contra hæreticos, non vero contra idololatras ſolum externos, quamvis in foro externo præſumitur excommunicatus, quia forum externum præſumit ex animo coluiſſe. Ita cum Sayro, Suario, Bonacina, & aliis Trullenc. *in Decalog lib. 1. cap. 10. dub. 2. n. 5.* Dixi *excommunicatione Bullæ Cœnæ*, ut advertas idololatras externos, & abſque errore eſſe excommunicatos excommunicatione lata, à Joanne XXII. non tamen eſt reſervata, ut habetur *in directorio inquiſitorum.* Hoc tamen excommunicationem limitat Ledeſma ad illos, qui adorant idolum ex affectu voluntario ad illud, ut faciunt ſtriges, non vero ad eum, qui abſque errore intellectus, & affectu voluntatis ex metu mortis colit idolum; hunc enim aſſerit non eſſe excommunicatum, nam etſi peccet graviſſimè, non eſt idololatra perfectus, & ex alia parte pœnæ ſunt reſtringendæ, quam ſententiam probabile putat Trullenc. *ſuprà num. 5.*

SECTIO III.

Quid, & quotuplex ſit divinatio?

58 *Vnde dicatur divinatio?*
59 *Ponitur ejus definitio.*
60 *Demones multa poſſunt cognoſcere de rebus futuris, & quomodo?*
61 *Quomodo damon divinatores doceat?*
62 *Divinatio alia eſt expreſſa, alia tacita, & quæ utraque ſit?*
63 *Duplici modo damon expreſſe invocatur, & quali?*
64 *Divinatio ex pacto implicito quando fiat?*
65 *Hujus divinationis tacitæ ſunt varij modi, & quales?*
66 *Omnes modi invocandi damonem ſunt intrinſecè mali.*
67 *Divinatores alligantes damones, vel eos invocantes non ſunt ipſo facto excommunicati.*

DIco primò. Divinatio idem eſt, ac divina 58
actio, ſeu notio, quaſi actio divina, & divinitati propria; quo pacto bona & mala eſſe poteſt; quia tamen gentiles omnem hujuſmodi cognitionem hauriebant ex virtute dæmonis, ideò uſu ſacrarum literarum, & doctorum fere ſemper ſumitur in malam partem. Ita Suarez *tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 7. num. 2.* & cum aliis Leander *tract. 9. d. 2. quæſt. 3.*

Dico ſecundò. *Divinatio eſt prædictio inordinata* 59
eorum, quæ ad ſolum Deum ſpectant ope dæmonis facta. Ita cum D. Th. 2. 2. *quæſt. 95. art. 10.* communiter DD. apud Palaum *tract. 17. d. 1. p. 3. n. 4.* Dicitur *prædictio*, quia in hoc convenit cum divinatione in communi, quæ bona eſſe poteſt, ut prophetia, vel revelatio. Dicitur *eorum, quæ ad Deum ſpectant*, quia cognitio futurorum contingentium D. prædeſtinationis, & futurorum præſentium occultorum tamen, ut ſunt cordis cogitationes, & facta hominum occulta, à ſolo Deo cognoſcuntur. Dicitur *ope dæmonis*, quia omnis talis divinatio auxilio Dæmonis nititur; divinationis ergo malitia conſiſtit in eo, ut futurorum contingentium ſeu rerum occultarum cognitio, quæ propria eſt Deo, juxta illud *Iſaiæ 41. annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſcimus quia dij eſtis*, quæratur per doctrinam dæmonis, non enim omnis indebitus modus, quo cognitio futurorum quæritur, ſuperſtitio eſt, nam ſi quis curiosè, vel ſuperfluè cognitionem aliquorum occultorum appetat, eamque à Deo indebitè poſtulet, non peccabit ex ſuperſtitione, ſed tantùm ex indiſcreta deprecatione vel tentatione activa erga Deum; eſt autem hoc peccatum ex genere ſuo graviſſimum. Vt *infrà* magis explicabimus.

Vt autem hæc meliùs intelligantur, notandum 60
eſt. Quòd licèt dæmones certò non cognoſcant ea quæ pendent ex divina voluntate, ut myſteria fidei, & regnorum gubernationem, neque ea, quæ pendent ex libera hominum, & Angelorum voluntate, nec hominis internas cogitationes, nec futura fortuita, & contingentia; cùm hæ ſoli Deo reſerventur; multa tamen de rebus futuris, aliisque occultis cognoſcere poſſunt. Primò ex divina revelatione per bonum Angelum, vel ex ſcripturis, quas ipſi meliùs, quàm homines intelligunt, vel ob longam experientiam, vel quia vident in longinquis terris cauſas jam poſitas, vel effectus incognitos, quos poſſunt celeritate naturæ, pervertere, & alibi pronunciare: tum quia cognoſcunt per ſuam naturam omnes cauſas naturales; & vim earum, ut ſolis, lunæ, ſyderum, Planetarum, Animalium, Arborum, Metallorum, Herbarum, lapidum, & Metæororum; ſicque facilè prædicere poſſunt naufragia, mortes, &c. habent enim dæmones à principio ſuæ creationis ſpecies inditas, & innatas, & connaturales omnium generum, & ſpecierum, per quas omnes ſpecies, & individua

cogno

cognoscere possunt, hac igitur cognitione in ipsis posita, fit, ut divinatores arte dæmonis aliqua possint divinare. Ita communiter DD. apud Palaum *tr.17. d.1.p.3. num.3.* Leandrum *tract.9. d.2. q.29.30. 31. & 32.*

61 Quomodo autem dæmon de his divinatores doceat? Respondeo multis modis id facere posse, aut sumendo ex aëre corpus, & formam visibilem, aut vocem in aëre formando, seu chartam scriptam in qua contineatur res prænunciata tradendo, aut disponendo hominis phantasmata ad divinandum, vel aliquando se fingit esse animam alicujus defuncti, & hortatur ad opus bonum, ut inde arripiat occasionem rudes decipiendi, & hinc est, dignos esse reprehensione eos, qui dum vivunt, pactum inter se ineunt, ut qui primus decesserit posteriorem de suo statu moneat. Fieri enim potest, ut dæmon inde occasionem decipiendi accipiat. Negandum tamen non est animam defuncti posse aliquando mortalibus apparere, de quo vide Delrium *lib.2. quæst.16. sect.7.* Leandrum *tract.9.d.2. quæst.28.*

62 Dico tertiò: divinatio est duplex, alia expressa, alia tacita: expressa est quando expressè in ea invocatur dæmon, cum pacto expresso cum ipso inito: tacita est quando tacitè invocatur. Divinatio per actum expressum tunc fit, quando dæmon expressè invocatur, & ab eo cognitio futurorum, vel occultorum petitur, quod fit duplici modo, vel obligando se ad aliquod obsequium præstandum dæmoni, vel absque ulla promissione ex parte hominis. Potest autem hæc repromissio ex parte hominis fieri, vel cum solemnitate, vel sine illa, tunc fit cum solemnitate, cùm dæmon apparet in similitudinem Monarchæ, multis stipatus dæmonum catervis in solio sedens, coram quibus utrique faciunt promissiones, homo promittit se negaturum Deum, & omnia sacramenta, & res sacras, & non confessurum saltem hoc peccatum; dæmon verò illi promittit futura, & occulta illi revelaturum, & votis illi per omnia satisfacturum. Sine solemnitate fit dupliciter. Primò cum solus cum solo dæmone pactum init. Secundò cùm ipse solus non audet coram dæmone apparere & hoc promittit per tertiam personam, & ex parte dæmonis eodem modo potest esse expressa. Primò simplex, & sine pacto. Secundò etiam cum pacto, acceptando obligationem ad docendum de occultis. Contingit autem divinatio cum expressa dæmonis invocatione multis modis. Primò per astra, secundò per apparitionem factam in figuris, vel assumptis corporibus: tertiò per signa apparentia in corporibus terrestribus, ut in ligno, ferro, vel lapide: quartò per necromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum, qui respondeat: quintò per exta animalium: sextò per aëra: septimò per ignem: octavo per aquam: nono per somnia de quibus omnibus *infrà* sigillatim dicemus.

63 Divinatio autem cum pacto implicito fit, quotiescumque quis mediis vanis, & inutilibus, quibus se immiscet dæmon, procurat rerum latentium cognitionem, quæ vim humanam superat, quod accidit, etsi ille qui vanis signis utitur, non intendat expressè dæmonem invocare; nam volens divinare per media vana, quibus se dæmon immiscet, tacitè intendit dæmonem invocare, & quamvis utens his mediis dicat, se nolle dæmonem invocare, & expressè in mente sua intendat non invocare dæmonem, nihilominus tamen adhuc dicitur tacitè invocare, cum ferè media vana, & inutilia usurpat, quæ nisi dæmonis ope, non possunt occulta demonstrare. Hinc fit modum divinandi thesaurum per astrologiam esse superstitiosum, cum sine ope dæmonis fieri non possit, ut *infrà* dicemus. Dixi *per media inutilia, & vana*, nam si esset medium utile, & ad id conducens, non est dæmoni tribuendum: tunc autem medium est utile, quando est ab homine sensibile, & habet naturalem connexionem cum re, quæ quæritur, tanquam causa cum effectu.

Sunt autem varij hujus divinationis modi, juxta 64
varia media, quæ sunt in usu ad res futuras incertas percipiendas, & præcipui sunt auspicium, omen, augurium, Chiromantia, Metoscopia, Spatulantia, Physiognomia, Sortilegium, & demum observatio vana, de quibus *infrà* spetialiter. An autem omnes hi modi divinandi sint diversæ speciei? Respondeo materialiter, & in genere entis differre specie, formaliter verò, & in genere motis, omnes esse ejusdem speciei Ita Suarez *cap.9.num.5.* & cum Lessio, Lupo, Bonacina, Trullench. Leander *tract.9. d.21 quæst.14.* Ratio est, quia quocumque modo fiat divinatio, semper habet oppositionem cum ratione, sicut furtum auri, argenti, librorum, &c. ex quo fit, non esse necessarium in Confessione exprimere rem, per quam facta est divinatio, nec est necesse explicare an fuisset cum pacto, expresso, vel tacito; nam hoc non mutat speciem, quia taciti, & expressi eadem est ratio, & solum differunt sicut perfectum, & imperfectum, intra eandem speciem; si tamen expressa dæmonis invocatio conjuncta sit cum hæresi, explicanda est in confessione, hoc autem frequentiùs accidit, & ideò semper explicanda est in confessione. Ita cum multis Leander *tract.9. d.2.q.14.* Trullench. *suprà num.1.* & alij.

Dico quartò: omnes isti modi invocandi, dæmonem 65
sunt intrinsecè mali, & gravissimum peccatum ex genere suo, sive sint taciti, sive expressi, in illis namque invenitur societas, & consortium cum dæmone Dei inimico: Vnde hoc peccatum est crimen læsæ Majestatis, & ideò in illo non datur parvitas materiæ à mortali excusans, si divinatio seriò fiat? Nec excusat ignorantia in divinatione facta, cum expressa dæmonis invocatione, vix enim ignorantia invincibilis in hac re inter fideles dari potest, in tacita tamen facilius dari potest; unde si quis invincibiliter ignoret his rebus invocari dæmonem, putetque bona fide omnem superstitionem abesse, non peccat mortaliter, nisi monitus perseveret; ignorantia tamen crassa non omnino excusat; quia divinatores non sunt omnino rudes, & possunt facilè dubitare, an in rebus pactum aliquod cum dæmone adsit, & id à viris doctis requirere; quod clarius cum de singulis agemus constabit.

An autem divinatores alligantes dæmones, aut eos 66
invocantes, sint ipso facto excommunicati? Respondeo negativè, nam in jure communi non invenitur talis excommunicatio. Ita cum Azor. Lessio, Sanch. Sousa, Trullench. & aliis Leander *tr.9. Decalogi d.2. q.6.* quod procedit, etsi clerici sortibus divinatoriis utantur, ita prædicti DD. Adverte tamen Barbosam *in Collectaneis Bullarij, verbo Astrologia*, referre quandam Vrbani VIII. constitutionem, ubi decernit Astrologos judiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum, judicia faciunt, seu facta in posterum apud se reservant, aut alicui ostendunt, aut verbis tractant, incurrere pœnas non solùm excommunicationis latæ sententiæ, sed etiam ut læsæ Majestatis rei ultimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum suorum, & privationis omnium beneficiorum, & officiorum si clerici sint.

SECTIO IV.

De vana observatione, de empsalmis & salutatoribus.

SUMMARIUM.

68 *In quo differat vana observatio à divinatione?*
69 *Ars notoria est superstitio, & qualis?*
70 *Quid sit observatio eventuum?*
71 *Quid observatio reliquiarum?*
72 *Quid observatio sanitatum?*
73 *Hæ omnes observationes sunt superstitiosæ, & peccatum mortale.*
74 *An salutatores, & empsalmatores sint superstitiosi?*
75 *Salutatores aliquando tantum committunt peccatum vanitatis, & injustitiæ.*
76 *Aliquando sunt superstitiosi, & quando?*
77 *An virtutes naturales pendentes ex complexione, & temperamento hominis sint admittendæ?*
78 *Quædam corollaria referuntur.*
79 *An ingressus fornacis qui fit in oppido de Pombal sit miraculosus, an superstitiosus?*
80 *Refertur casus hujus ingressus, & judicium Authoris.*
81 *An virtus per quam salutatores faciunt opera miraculosa sit naturalis, vel gratia gratis data?*

68 DIffert vana observatio, à divinatione per hoc, quod observatio intendit aliquod opus externum, ut salutem, prosperitatem, includere Diabolum in anulo, ut sibi occulta manifestet, scientiam, progressum dignitatum, &c. Divinatio vero refertur in cognitionem rerum singularum modo indebito cognoscendarum, unde prius agimus de hac vana observatione, quæ genericè convenit cum divinatione in eo, quòd utraque sit superstitio, & statim ad species divinationis accedemus. Sunt autem quatuor species vanæ observationis 1. ars notoria 2. observatio eventuum 3. observatio reliquiarum 4. observatio sanitatum.

69 Dico primo. An notoria, est superstitio qua quis credit se consecuturum scientiam, absque labore, per quædam jejunia, & orationes, inspectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, & alia similia, & hæc superstitio est mortalis. Ita communiter DD. includit namque pactum; nam proprium Dei, & non diaboli est, infundere scientiam; At semel acquisita scientia ope dæmonis, licebit postea ea uti dummodo conservatio, aut usus illius scientiæ, non pendeat à dæmone. Ita cum Suario, Bonacina, Trullench. *lib. 1. decalogi cap. 10. dub. 10. num. 7.* & cum aliis Palaus *tract. 17. d. 1. p. 1. num. 7.* Et ratio est, quia cognitio, & scientia bona est, & peccatum, quo parta fuit transiit.

70 Dico secundò: Observatio eventuum, est quando fortuito aliquid occurrit, vel accidit homini, ex quo sibi, vel alteri, quid prospeti, vel adversi accidere conjectat, & inde actiones suas moderatur; ut si quis domo egrediens pedem offendat, ideoque domum revertatur metuens iter infaustum fore; si calceos inducens sternuat, & idcirco lectulum revertatur, ut omen avertat; si egresso foras occurrat virgo, ideoque existimet diem fore sterilem, si vero occurrat meretrix prosperum fore; si aliquis putet sibi aliquos dies infortunatos, ut quidam putant esse diem martis, & aliquos felices, ut dies lunæ. Item si putet infaustos dies veneris ad præscindendos ungues, quæ omnia ex se sunt mortalia, nisi excuset ignorantia, vel nisi ratione levitatis animi, in adhibenda fide, hæc fiant; nam homines communiter in his non putant esse quid mali, sed utuntur tanquam rebus à majoribus traditis, & experientia compertis. Vide cum aliis Trullench. *supra num. 15.* & cum Benesfeldio Leandrum *tractat. 9. disp. 1. quæst. 42.* Non est tamen superstitio, observatio dierum criticorum, circa corporum infirmitates, quia pendet à re naturali. Ita cum Lupo, Leander, *tract. 9. quæst. 25.* Nec etiam observatio dierum lunæ, nec dierum canicularium, nec anni climaterici v.g. sexagesimi tertij; habent enim hæc tempora specialem vim mutandi, seu alterandi corpora. Ita cum aliis Leander *tract. 9. d. 1. quæst. 26. 27. & 28.* Est tamen superstitiosum, adhibere filum digitis appensum, in quo pendeat annulus, vel lapillus intra vas vitreum, caldariam, vel amphoram ad pulsandas, & designandas horas diei, constat enim, non ex vi naturæ, sed ex dæmonis pacto provenire hos ictus, cum aliter Romæ, aliter Hispaniæ ictus sonent, ut observavit cum Lugo, Thomas Tamburinus *lib. 2. Decalogi c. 6. §. 1. num. 39. & 79.* & cum Tancred. Leander *tr. 9. d. 1. quæst. 4. 41.*

Dico tertiò: Observatio reliquiarum, est quando quis gestat secum reliquias certo modo, & cum certa circunstantia, ratione cujus putat esse valde utiles, ad tales fines, cum revera talis circunstantia inutilis sit, ut sic, vel sic sint scripta verba sacra, vel à tali vel tali persona, vel inclusa in tali, vel tali tela, illius vel istius figuræ, vel collo à tali, vel tali persona suspensæ, vel si sint alicujus sancti ignoti, quæ omnia superstitiosa sunt. Rejectis tamen his superstitionibus, licita est gestatio Reliquiarum, & nominum, ut docet Fagundez *supra*, & alij communiter Doctores. 71

Dico quartò: Observatio sanitatum, quæ alio nomine dicitur empsalmus, sunt quadam benedictiones, sive imprecationes confectæ ex certa verborum, præsertim sactorum formula, aliquando per se sola, aliquando vero adhibita materia aliqua, ut vino aut panno certo partium numero complicato, quibus homines utuntur ad vulnera, morbosque curandos, & nocumenta varia repellenda, & quæ evenire possunt ex tempestatibus, vel morsibus venenosis animalium, de quibus late Val. *de incantationibus*; utuntur etiam his verbis ad sistendum sanguinem, ad se præstandum immunes contra hostium læsiones vel casus fortuitos, & similia ut refert Trullench. *ubi supra n. 4.* 72

Hæc autem omnia sunt superstitiosa, & grave peccatum, sive fiant tantum per verba, sive adhibita aliqua materia. Ita cum Val. Fagundez, *in decalog. lib. 1. cap. 36. num. 1.* Trullench. *supra n. 3.* Ratio est, quia licet non negemus dari gratias gratis datas, & donum curationis, hoc tamen donum, & gratia inest personæ, non verbis, curatio autem, quæ fit per verba empsalmorum, inest verbis, & non personis, imo non tantùm verbis, sed adhibitis certis panniculorum complicationibus, in quibus certum est dæmonem se immiscere, à qualicunque namque persona talia verba dicantur, & pannicula adhibeantur, talem effectum curationis habent; ergo non potest hujusmodi effectus provenire à gratia gratis data, sive naturali, sive supernaturali, tunc quia hujusmodi vis communicatur ab uno in alium; sed gratia gratis data non sic potest communicari; nam si est supernaturalis pendet 73

à

à Deo, etsi est naturalis pendet à speciali temperamento, quod non omnes habent; ergo non potest alteri communicari; virtus autem curandi per empsalmos in omnibus reperitur; ergo absque dubio est superstitiosa, vide Fagundez, & Trullench. *suprà*.

74 Et hinc deducitur quid dicendum sit de salutatoribus, seu empsalmatoribus, de his enim personis dico, eas non esse superstitiosas, nec peccare, si in suis curationibus utantur aliquibus remediis naturalibus, simul cum aliquibus orationibus, aut adjurationibus licitis, absque vana aliqua circunstantia, per quas, ut per passionem Christi, & per benedictiones, super læsam corporis partem Deum orent, ut medicinæ naturales applicatæ prosint; quia in hoc nihil mali reperitur, & pium est eum effectum piis orationibus à Deo petere; tunc enim clarum est non reperiri ibi pactum dæmonis, neque illam curationem ad magiam pertinere, sed ad causam naturalem. Ita cum Suar. Sanchez, Lopez, & aliis Fagundez *supra num.* 3. & cum aliis Leander *tr.* 9. *d.* 1. *quæst.* 14.

75 Sol ut autem hujusmodi personæ tam occulte, & artificiose, uti his remediis naturalibus, ut sine illis operari videantur, ut hoc modo in majori hominum æstimatione habeantur, & tunc erit peccatum vanitatis, vel avaritiæ, non tamen mortale, nisi vel in injustitiam, vel scandalum transeat, inducendo homines, ut sibi persuadeant, id ope dæmonum fieri, vel sub illa specie curationis majores effectus promittendo, quam quos possunt medicinæ illæ efficere, ostium aperiendo ad introducendum opera Magiæ; & quia in his semper est morale periculum peccandi mortaliter, ideo non sunt hujusmodi personæ publicè in foro externo tolerandæ, nisi apud magistratus, & artis peritos rationem sui reddant, & ostendant, quibus verbis, & medicinis utantur, potest enim contingere, ut virtus talis herbæ casu reperta sit, vel traditione accepta à medicis, vel manifestata à dæmone, non quidem illi, qui nunc ea utitur, sed aliis, qui præcesserunt, & postea experimento compertum sit dæmonem verum dixisse, & tunc non erit peccatum tali herba uti, quia ille usus jam non fundatur in societate dæmonis, sed in virtute naturali herbæ, à Deo illi datæ, quod autem illa cognitio originem habeat ex doctrina dæmonis, per accidens est. Ita cum Suario, Victoria, & aliis Fagundez, *suprà num.* 4.

76 Dico quintò: si hujusmodi salutatores, & salutatrices, in suis curationibus verbis solis utantur, vel signis, aut adjurationibus, nullam applicando medicinam naturalem, nullam herbam, nullumque remedium efficax, ad illius morbi sanitatem, credentes, & sibi persuadentes illis solis verbis cum signo crucis, vel aliis signis, morbos esse sanandos, licet de facto sanentur, superstitiosæ sunt & minime tolerandæ, propter expressum, vel implicitum pactum dæmonis. Ita Sanchez, *in Decalogum lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 39. Sivelus, Sualez, quos refert, & sequitur Fagundez *supra num.* 5. Ratio est, quia ea verba vel signa ad eum effectum vim naturalem non habent, nec virtus naturalis præsumitur, nisi ostendatur, nec Deus solet eam virtutem conferre his signis, & verbis, nec hoc consentaneum est prudenti modo gubernandi divinæ sapientiæ, ut supra diximus. Hinc fit superstitiosum esse dicere aliqua verba ad aures alicujus animalis, vel hominis infirmi, cum fiducia, ut solis illis curetur. Ita cum Tamburino, Leander *tract.* 9. *d.* 1. *q.* 15. & 16.

77 Dico sextò: hujusmodi virtutes naturales pendentes ex complexione, & temperamento hominum halitus, aspectus, salivæ, non sunt admittendæ, ut licitæ, nisi personæ sint bene moratæ, honestæ, & prudentes, & de quarum vita habeantur in oppido bona existimatio; nec tunc etiam illarum usus permittendus est, si periculum sit, quod illarum exemplo aliæ personæ non ita moratæ, & probatæ vitæ, similibus utantur. Ita cum Sanch. Suario, Fagundez, *suprà*. Unde hujusmodi salutatores maxime sunt examinandi ab Ordinariis; priùs quàm munus hoc obire permittantur, ut videant an naturalibus remediis, an per gratiam gratis datam, an vero per pactum cum dæmone operentur, quæ omnia ex circunstantiis colligi possunt; unde salutatores, qui ad hoc munus nimium vinum potant, nimis sunt suspecti, non tamen est impossibile posse ad hunc effectum requiri nimiam vini potationem, nam cum hæc gratia gratis data sit naturalis, in aliquibus potest fieri, ut si à calore proveniat, nimio vino potato confortetur. Ita Sanchez *in Decalog. cap.* 40. *n.* 47.

Ratio autem nostræ resolutionis est, quia licet Deus interdum conferat donum curationis, & aliquam gratiam naturalem hominibus, non tamen illam confert permanenter, & habitualiter, & quasi ad arbitrium illorum, sed solùm ad aliquem actum propter aliquam occasionem, & propter aliquam fidei utilitatem; at isti profitentur se habere eandem priori modo; ergo sunt suspecti. Quando tamen hujusmodi virtus personalis non habuit malum initium, sed persona illam habens, vel casu, vel ex fide bona simpliciter cœpit operari, & postea experta est effectum sanitatis, & à Deo illum sperat cum timore, & reverentia, non videtur damnanda, modò pie vivat, & illa gratia honestè utatur, alioquin suspecta esse debet, ut optime advertit cum Sanch. Suario, & aliis Fagundez, *in Decalogum lib.* 1. *primi præcepti cap.* 36. *num.* 6. unde inferò cum eodem Fagundez *ibi*, raro hoc esse permittendum, quia hic modus curationis cum halitu, & saliva, aut cum solis verbis, rarissime utantur, nisi personæ viles, & ignotæ vitæ, & quando sunt vitæ probatissimæ, malo exemplo esse possunt aliis, qui non ea sanctitate, & prudentia sunt præditi.

Hinc plures casus colliges cum Sanch. 10. salutatorem, qui panem à se morsum porrigit rabido, ut curetur, licet sit suspectus, non esse absolute damnandum, ut putavit Delrio; illud tamen quod aliqui salutatores dicunt, quòd in præsentia alterius salutatoris prædicti majori vi sanandi se sanare nequire, est ridiculum. Ita Sanchez *suprà*. Non tamen repugnat quod idem panis ab ipso morsus, prosit postea ad rabiem ipsius salutatoris, nam cum virtus manserit per morsum affixa in pane, poterit postea habere in illo, sicut in alio suum effectum. Ita Sanchez *suprà*. Illud tamen quod dicunt, unum salutatorem naturaliter cognosci ab aliis, mendosum est, & falsum, sicut, & dicere hanc virtutem inesse septimo cuique saltatorum filio, si masculinum ordinem fœmineus partus non interruperit. Neque naturaliter possunt se in rogum injicere, ita ut maneant illæsi, ut aliqui faciunt, nec ad hoc potest adesse virtus supernaturalis, nam Deus non facit miracula sine necessitate. Tandem non possunt salutatores suo halitu rabidos interimere, ne diu crucientur, aliisve noceant, nulla enim ratione hoc licitum esse potest, quia est intrinsecè malum. Ita cum multis Leander *tr.* 9. *d.* 1. *quæst.* 49. & 50. 78

Adverte tamen, per hæc, quæ in hoc paragrapho dixi me non intendere condemnare ingressum illum celebrem fornacis accensi, qui quotannis fit à quodam viro prius confessione, & sacra communione 79

munito,

munito, ab hinc multis annis in oppido Luſitaniæ dicto Pombal, in ultima ſexta feria ante dominicam ultimam Julij, quo die in illo oppido celebratur feſtivitas Beatæ Virginis Mariæ *des Cordais*. Nam licèt homo, in fornacem nimis accenſam ingrediatur, & egrediatur, illæſus hoc enim ſi ſuperſtitioni, vel magiæ tribuendum, ſed fidei, & miraculo. Et caſus eſt ſitu digniſſimus. Accenditur enim fornax, & cum nimis ſuccenſa eſt, accedit innumerabilis hominum multitudo cum clero proceſſionaliter deferentes imaginem B. Virginis, & prope illam hominem optimis ornamentis indutum, qui accedens ad oſtium fornacis, facto ſigno crucis, & 80 invocato auxilio. B. Virginis, intrat per eam, ac ſi per amœnum viridarium intraſſet & intus exiſtens, accipit placentam mitæ magnitudinis; continet namque decem medicos tritici, & accommodat eam intra fornacem, & iterum exit ab ea, ſine ulla læſione, & clauſa, magno lapide fornace decedunt. Altera die veniunt ſimiliter proceſſionaliter ad eandem fornacem & aperto oſtio intrat iterum idem homo & accommodat placentam. Ita ut poſſit extrahi quæ tandem extrahitur è fornace nimis decocta: & inter devotos partitur & partem quam quiſque accepit reponit inter triticum & dicunt illud à vermibus ſervare illæſum quæ omnia non ſuperſtitioni ſed miraculo ut dixi tribuenda ſunt vel fidei illorum populorum. Qui caſus, cùm ſit notorius in toto illo regno, hæc pro illo dicta ſufficiant.

81 Sed Quæres? an hujuſmodi virtus per quam ſalutatores faciunt hæc opera miraculoſa ſit virtus naturalis, an gratia gratis data? Quidam dicunt eſſe naturalem à naturali complexione, ſive à conſtellatione. Ita Caſtanega, veracnes, probabile reputat Victoria, & Sanchez ubi *ſupra num.* 49. Verius tamen eſt illam virtutem eſſe gratiam gratis datam. Ita cum Azor, Navarro, Margarita Confeſſorum, Delrio, Sanchez *ſupra*, Virecellus, & alij quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 9. *Decalogi d.* 1. *quæſt.* 11. Ratio autem eſt, quia illa vis ſanandi, non poteſt naturaliter competere voci, viſioni, & contactui alicujus hominis. Vide Sanchez *ſupra*.

Nec obſtat ſi dicas eſſe multa loca Plinij, in quibus ait multos fuiſſe homines, qui alitu, contactu &c. medebantur, quoſdam morbos. Reſpondetur namque illam gratiam fuiſſe gratis datam, vel ex pacto dæmonis. Ita Sanchez *ſupra*. Dices, quidam ex naturali complexione, vel conſtellatione graviter nocent hominibus, & etiam animalibus, & aliis rebus ſolo aſpectu, alitu, &c. ut de faſcinatione conſtat; cur ergo virtus medendi ex eiſdem cauſis ſalutatoribus ineſſe non poterit? Reſpondetur cum Sanchez; plura ad ſanitatem requiri, quam ad morbum, nam bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu. Nec obſtat quod hæc virtus ſanandi pluribus herbis, lapidibus, animantibus, naturaliter competat, nam hæc habent illam virtutem ex temperamento certo, & definito totius ſpeciei, & non omnes homines eam ſalutatorum virtutem; ergo eſt gratia gratis data.

SECTIO V.

De Miſſis S. Amatoris, & de aliis orationibus, & novennalibus, & devotionibus, an ſuperſtitioſæ ſunt?

SUMMARIUM.

82 *Vanum & ſuperſtitioſum eſt uti in Miſſa, & officio D. vanis, & inutilibus ceremoniis.*

83 *Miſſæ S. Amatoris cum certis variis ceremoniis ſunt ſuperſtitioſæ.*

84 *Aperire venam jumentis in die alicujus ſancti ſuperſtitioſum eſt.*

85 *Efformare cruces dum canitur paſſio in dominica Palmarum eſt ſuperſtitio.*

86 *Dicere quod qui in die alicujus ſancti jejunat pane & aqua, vel recitat certas orationes abſque dubio non repente morietur, vel quod ſalvabitur, eſt ſuperſtitio.*

87 *Orationes S. Brigittæ ſi hac intentione dicantur ſunt ſuperſtitioſæ.*

88 *Colligentes herbas in die Sancti Ioannis putantes habere majorem virtutem ſuperſtitioſi ſunt.*

89 *Scindere arborem, & per eam ſic ſciſſam tranſire laſi pueros ut recipiant ſanitatem ſuperſtitioſum eſt.*

90 *Amentare ſeu incantare certis verbis lupos, ne accedant ad greges in montibus relictos ſuperſtitioſum eſt.*

91 *Orationes quibus faga benedicunt roſaria pro parturientibus eſt ſuperſtitio.*

Dico primo. Unum, & ſuperſtitioſum eſt, uti 82
in officio divino, & in Miſſis vanis, & inutilibus ceremoniis. v. g. certo Miſſarum numero, diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot, & talis coloris candelis, ita ut iis circunſtantiis, ita initatur ille, qui illis utitur, quaſi exiſtimet miſſarum efficaciam ceſſaturam eiſ demcircunſtantiis deficientibus. Non eſt tamen ſuperſtitiones certus miſſarum, & candelarum numerus, in honorem aliquorum Sanctorum, ut duodecim, in memoriam duodecim Apoſtolorum, vel undecim, in memoriam undecim millia virginum, dummodo non illi numero certo, ita fidatur, ut illum augere, vel minuere ſtatim inutile ſacrificium putetur. Ita Fagundez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 1. & cum aliis Leander *tract.* 9. *d.* 1. *quæſt.* 54.

Et hinc deducitur primo, Miſſas quas vocant, 83
S. Amatoris cum certis ceremoniis, ut incipiantur ante ſolis ortum, certis diebus abſque interruptione, & certo candelarum numero, ſuperſtitioſas eſſe. Ita cum Servedo, Sanchez, *ſupra num.* 2. & cum Torreblanca; & aliis Leander *ſupra quæſt.* 55. Et eodem modo damnant hujuſmodi Doctores Miſſas, quas Comitis appellant, & Trinitarios, S. Gregorij, & quindecenarios. S. Catharinæ, ſi fiant cum vanis circunſtantiis, ut quod duo clerici non exeant ab Eccleſia, dum tales miſſæ continuis diebus dicuntur, niſi juſſu prælati, quod ſint triginta, vel quindecim non interruptæ, & non viginti, vel quadraginta, & quod numerus candelarum ſit tantus; hæc enim omnia ſuperſtitioſa ſunt, non enim fructus miſſarum ab his circunſtantiis pendere poteſt. Si tamen dicantur triginta Miſſæ in honorem S. Gregorij cum aliquibus officiis, vel in honorem

honorem S. Cathurinæ, vel S. Amatoris, ſine prædictis ſuperſtitionibus, licitæ ſunt, & in uſu hodie feruntur in Eccleſia. Ita Sanchez, quem refert, & ſequitur Fagundez *ſupra n.* 2. & cum aliis Leander *ſuprà quæſt.* 56. & 57.

84 Secundo deducitur ſuperſtitionem eſſe id, quod in aliquibus locis fit. v. g. in die alicujus Sancti jumentis venam aperire, & circa templum Sancti Antonij novies jumenta circumducere; ignorantia tamen, & bona fides hoc facientium excuſabit à mortali: item Itali ex prima pecunia oblata Crucifixo in die Paraſceves ſolent annulum efficere ad ſanandos morbos contractionis membrorum; nam ſi animus hoc facientium ſit adhibendi eas circunſtantias tanquam per ſe, & ex ſe efficaces ad ſanitatem, vel rerum ſuarum incolumitatem à Deo obtinendam, eſt ſuperſtitio mortalis, niſi ignorantia, & bona fides excuſet. Si tamen ad excitandam magis devotionem in ſe ipſos fiant, tunc non eſt ſuperſtitio, ceſſante aliorum ſcandalo. Ita cum Sanchez, & alijs, Fagundez *ſupra num.* 4. & cum aliis, Leander *ſupra quæſt.* 35. & 36.

85 Idem dicendum eſt de quadam conſuetudine, quam in hoc oppido Viennæ inveni. Solent namque in Dominica palmarum tempore, quo cantatur Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, efformare cruces auri, vel imagines Chriſti, quas dicunt prodeſſe pro aliquibus infirmitatibus, vel è fornace melius efformatas exire, quæ omnia abſque dubio ſuperſtitioſa ſunt, & peccatum mortale ſecluſa ignorantia. Imo ſi fiant ob devotionem, ſemper erunt ſuſpecta, cum illa actio laborandi in die feſto ſit mala, & peccatum ſaltem veniale, & ſæpe retrahit officiales à ſacrificio.

86 Tertio deducitur eſſe ſuperſtitioſum dicere, aut prædicere, quod ille qui in die Sancti Stephani Protomartyris pane, & aqua jejunat, & rite confeſſus communicat, non morietur ab alio occiſus, etiam ſi multis ictibus impetatur. Ita cum Tamburino, Leander, *tr. 9. d. 1. q. 17.* Et idem dicendum eſt de recitatione certarum orationum, cum ſpe certa, quod illas recitantes, vel ſecum ferentes, non morientur ſubitaneè, nec alteri periculo ſubjicientur. Ita cum Suario, Leſſio, Tamburino, & aliis Leander *ſupra quæſt.* 18. Et hinc etiam fit ſuperſtitioſam eſſe recitationem aliquarum orationum S. Brigittæ, quæ nũc apud Luſitanos circumferuntur, ſi recitentur cum ſpe firma, quod illas recitantes per integrum annum, morti æternæ non erunt ſubjecti, nec certi illorum conſanguinei, ut falsò in illarum libello aſſeritur

87 à Chriſto Domino fuiſſe S. Brigittæ revelatum. Unde licet orationes in ſe bonæ, & ſanctæ ſint, dicere tamen illas hac certa ſpe, eſt valde ſuperſtitioſum, & retrahit homines à Sacramentis. Unde quidam ſuperſtitioſi Religioſi, qui hanc, & alias ſuperſtitioſas devotiones docent, recludendi ſunt, & docendi, utpote, ut ſeductores mulierculorum, aut ſaltem, ut ignorantes. Mirum enim eſt, quot homines in Vliſſipone, hæc perdiderit devotio, à multis enim audivi dicere, ſibi ſufficere per totum annum recitare illas S. Brigittæ orationes, & poſtea vivere quomodo voluiſſent, quomodocunque namque vixiſſent, etſi innumeris peccatis eſſent involuti, ſemper tamen eſſe ſalvandos; quod quidem non à ſe tantum dicebant, ſed ſic in prædicto libello harum orationum falſiſſime aſſerebatur. Unde Domini inquiſitores de hoc informati, prologum harum orationum interdixerunt ne homines deciperentur.

88 Quarto deducitur colligentes herbas in die S. Joannis, vel ſecantes venas animalium credendo tali die, aut tali hora, & tempore, ſectionem venæ, & herbas collectas, habere majorem virtutem ad pellendos morbos, vel impediendos ſuperſtitioſum eſſe; ſi tamen fiat ex devotione, non credendo inde herbas habere majorem virtutem naturalem, ſed hoc faciant ad excitandam devotionem, ut ferventiùs poſtulent à Sancto Joanne illud, quod volunt impetrare; tunc non eſt ſuperſtitio. Ita cum Sanch. Sayro, Delrio, Valentia, Fagundez, *ſupra n.* 7. Quinto deducitur eſſe etiam ſuperſtitioſum in die S. Joannis arborem ſcindere, & per eam ſic ſciſſam tranſire læſos pueros, ut recipiant ſanitatem; arbor enim ſciſſa nullam habet ad hunc effectum vim, ſicut nec ros, aut herbæ collectæ in nocte S. Joannis, ut mulierculæ 90 exiſtimant. Unde hæc omnia facientes peccant graviter, ſecluſa ignorantia, & bona fide. Ita cum Tamburino, & aliis Leander *ſupra quæſt.* 29. 30. & 33.

89

Sexto deducitur morem verſatiſſimum, qui in Luſitania prope montem Stellæ eſt, ſuperſtitioſum eſſe. Solent namque homines illi, ad cuſtodiendos greges ſuos à lupis, certis verbis uti, quibus prolatis, etiam ſi pecus in medio montis relinquatur, ſine cuſtode, non tangitur, nec offenditur à lupis, quod experientia compertum eſt, quod vocant pecus amentare; nam hoc non eſt dubium, quod ſit, vel incantatio luporum, vel pecoris, intercedente pacto dæmonis, nam verba illa non poſſunt habere illam vim naturalem. Ita Fagundez *in decalog. lib.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Leander *tr.* 9. *d.* 1. *q.* 44. Vnde omnes hi peccãt mortaliter, ſecluſa ignorantia. Damnandæ etiam ſunt, illæ ſacrilegæ proceſſiones, in quibus aliquæ Sanctorũ imagines catenis vinculantur, vel in aqua immerguntur, quo uſque pluat, vel aliquod beneficium à Deo accipiant, nam cum hoc non ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, & ſit res impia quantum eſt ex ſe impium namque eſt velle vi aliquid à Deo, vel à Sanctis obtinere, inde eſt quod hoc ſuperſtitio ſit. Ita cum Trullench. Lupo, & aliis Leander *tr.* 9. *d.* 1. *q.* 11.

Septimo deducitur ſuperſtitioſas eſſe orationes, 91 quibus ſagæ benedicunt Roſaria pro parturientibus. Ita cum Navarro, Sanch. & aliis, Leander *ſup. q.* 13. Novenariæ tamen licitæ, & piæ ſunt, ſi fiant ſine ſuperſtitionibus. v. g. ſi non putent, quod ſi plures vices, quam novies jerint in templum, non habituras effectum; vel ſi non offeratur candela ejuſdem magnitudinis, cujus eſt offerens, credendo majorem, vel minorem non ſufficere. Vnde ſi forte in ſimplicibus hæc, & alia ſimilia inveniantur, non ſtatim ſunt condemnandi, ſed docendi.

SECTIO VI.

De divinatione per aſtra, & de vera, & falſa aſtrologia.

SUMMARIUM.

92 *Aſtrologia alia eſt naturalis, alia judiciaria, & quæ utraque ſit?*
93 *Aſtrologia naturalis licita eſt.*
94 *Non eſt per ſe malum prædicere ex aſpectu ſtellarum inclinationem pueri.*
95 *Aſtrologia judiciaria eſt graviſſimum peccatum.*
96 *Erroneum eſt dicere futura contingentia certo poſſe cognoſci ex aſtris.*
97 *Aſtrologus poteſt futuros eventus prædicere, non certo, ſed probabiliter.*
98 *Homines qui dicunt videre aquas in viſceribus terræ ſuperſtitioſi ſunt.*

AD intelligentiam hujus ſectionis nota. Dupli- 92
cẽ eſſe aſtrologiã; altera eſt naturalis quæ etiã

dicitur Aſtronomia;altera vero judiciaria, quæ retinet nomen aſtrologiæ,naturalis eſt illa, quæ ex aſpectu ſyderum,planetarum,&c. conjectat, ea quæ naturaliter contingunt,ut pluvias, calores, frigus,&c. Aſtrologia judiciaria eſt illa, quæ ex aſpectu ſyderum obſervato, judicat de futuris aliquo modo à libero arbitrio dependentibus, vel etiam de futuris contigentibus, quæ nullam habent cauſam certam, ut ſi Petrus per talem plateam deambulet,tegula cadet illi ſuper caput, &c. his ſuppoſitis,

93 Dico primò : Aſtrologia naturalis licita eſt. Ita cum communiter DD. Ratio eſt, quia hi eventus non ſunt per ſe occulti,ſed per cauſas cognoſci poſſunt, cauſæ autem eorum ſunt cœli, & aſtra, ergo non eſt malum hæc prædicere ab illis, qui hanc ſcientiam norunt, debent tamen hi Aſtrologi non hoc certo affirmare, alias incident in temeritatem, vel levitatem, quæ damno gravi ſecluſo tantum erit venialis;nam hæc poſſunt aſpectu aliorum ſyderum, vel ex diſpoſitione cauſæ materialis variari.

94 Dico ſecundò : non eſt per ſe malum prædicere ex aſpectu ſtellarum inclinationem pueri naſcentis, nam cum hæc pendeat à complexione,& hæc à cœli conſtellationibus,poterit aliquando per hanc ſcientiam cognoſci, non tamen certo prædici ; nam cum paſſiones voluntati ſubdantur, poſſunt variari. Tum quia non ſolùm ex influentia ſtellarum,ſed ex parentum temperamento procedit pueri inclinatio.Unde hæc certo affirmare erit temeritas.Nec hoc eſt contra Bullam Pij V.nam hæc ſolum eſt contra Aſtrologos,qui futuros eventus contingentes,vel à libero arbitrio dependentes divinare contendunt ; vide Trullench. & Fagundez, *lib.*1. *Decalogi c.*39. *per totum* Leandrum *tract.*9.*d.*2.*q.*39.*&* 40.

95 Dico tertiò:Aſtrologia judiciaria, ſeu prædicere futura contingentia libera ex aſtris,eſt graviſſimum peccatum.Ita communiter DD. apud Trullench. *in Decalog.lib.*1.*c.*10.*dub.*4.*n.*4.Leander *ſuprà q.*42. Ratio eſt quia, vel hæc prædictio futurorum contingentium fundatur in aſtris, tanquam in cauſis, vel fundatur in aſtris tanquam in puris ſignis. Primum tollit libertatem, & eſt contra fidem ; nam ſi poſita tali conſtellatione homo non poteſt non tale quid operari,tollitur libertas. Si ſecundum dicatur, eſt magna ſuperſtitio,ſicut augurium ; nam talia ſigna, non ſunt naturalia,quia nec ſunt cauſa rerum, ut ſupponimus, nam hoc tollit libertatem, ut diximus ; nec effectus : ergo erunt ſigna ad placitum, ex quibus quæritur cognitio vi alicujus diſciplinæ, quæ non poteſt eſſe niſi dæmoniaca, & cum pacto cum eo inito ; ergo erit ſuperſtitio, vide Teles 2. *p.diſp.*44. *ſect.*4.*per totam.*

96 Hinc eſt erroneum eſſe dicere,futura contingentia certo cognoſci poſſe ex aſtris : Et ratio eſt quia tales prædictiones abſolute damnantur ab Eccleſia, ſive dicantur aſtra eſſe ſigna,ſive cauſas.Unde etiãſi non certo,ſed probabiliter pronuncient hunc hominem tali morte moriturum,vel futurum Epiſcopum, &c.peccant mortaliter.Ita cum Trullench. Delrio, Suario,& aliis,Leander *tract.*9. *d.*2. *q.*43. contra Toletum,Valentiam,& alios.Et ratio eſt, quia cum omnis talis prædictio ad aſtra referri non poſſit,referenda eſt ad pactum dæmonis. Si tamen in genere pronuncient, ita ut probabilis ratio reddi poſſit ex ætate,diſpoſitione,corporis temperamento, conſuetudine vitæ,aut aëris affectione,quæ ex ſiderum concurſu,vel aſpectu proveniunt,non ſunt damnandi ; quod ſi aliquando caſu, vera prædicunt, id vel caſu fit, vel pacto dæmonis. Ita cum aliis Leander *ſuprà q.* 44. Et hinc ſit gravius peccatum eſſe ex aſtris prædicere ea, quæ ſolum ex Dei voluntate pendent,quia voluntas Dei multo magis libera eſt, quam voluntas humana. Idemque dicendum eſt de effectibus præteritis,& præſentibus,hominibus occultis,& de rebus deperditis, aut furto ablatis, nam neque hæc ex aſtris cognoſci poterunt. Vide Trullench.& Fagundez,qui de his abundanter tractant.

Dico quartò : Aſtrologus abſque mortali poteſt 97
liberos futuros eventus prædicere non certo, nec probabilite:,ſed conjecturaliter,ſecluſo ſcandalo,& aliis circunſtantiis. Ratio eſt, quia hæc conjectura non eſt abſoluta prædictio futuri,ſed conjecturalis, & dubia, quod potiùs eſt prædictio contingentiæ, quam effectus.Ita Palaus,*diſp.*1.*p.*4. *num.*6. Diana *tom.*1.*tr.*15.*reſ.*58.& cum Candido, Leander,*tr.*9. *d.*2.*quæſt.*45.licet tamen hæc prædictio non fuerit jure antiquo prohibita, modo tamen eſt prohibita à Sixto V.Ita cum Candido,Suario,Grafio,Lupo,& aliis Leander *ſuprà quæſt.*48.contra Palaum, *d.*1. *p.*6.*n.*8.Hæc tamen prohibitio Sixti V.ſolum obligat pro foro externo, & non pro conſcientiæ. Ita cum Palao,Suario, Delrio, Molpheſio,Tamburino, Leander, *ſuprà quæſt.* 48. contra Sanchez, Salas, Grafium, & alios, in foro tamen externo poſſunt Domini inquiſitores procedere contra hos Aſtrologos judiciarios, quia hoc onus ad minus eſt illis conjunctum. Ita cum Diana, Acurſio,Palao, Leander,*ſuprà quæſt.*49. Et hinc ſit peccatum eſſe mortale conſulere Aſtrologos ad futurum occultum ſciendum ; hæc enim non poſſunt ſciri per aſtra. Ita cum communi Leander *ſuprà quæſt.*52.Et idem dicendum eſt, ſi quis conſulat Aſtrologos ad delictum aliquod occultum:ſciendum eſt enim hoc contra juſtitiam.Ita cum Soto,Sanchez,Leander, *ſuprà quæſt.*53.

An autem ſint ſuperſtitioſi illi homines,qui Luſitanè dicuntur *Vedores de Agoas*, qui ſcilicet dicunt videre aquas in viſceribus terræ,& metallorum theſauros,& cadavera?Reſpondeo affirmativè,ſi dicant ſe viſu corporis penetrare corpus opacum,quale eſt terra;quia cum impoſſibile ſit viſus aciem corpus, tam denſum penetrare, plane cognoſcitur cognitionem talium rerum ope dæmonis fieri. Secus dicendum eſt, ſi ex effectibus, ut ex aliqua herba, vel ex vaporibus,aut exhalationibus mane, & veſpere illic expiratis, & naturaliter venas aquæ, aut metallorum ſignificantibus dicant,& prædicent hujuſmodi res.Ita cum Sanchez,Delrio, Palao, Leander, *ſuprà quæſt.* 52. 98

SECTIO VII.

De divinatione ex Elementorum obſervatione.

SUMMARIUM.

99 *Quatuor ſunt modi divinandi per elementa,ſcilicet Geomantia,Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia.*

100 *Quid ſit Geomantia,& an fiat ex pacto dæmonis?*

101 *Quid ſit Hydromantia,& an fiat ex pacto dæmonis ?*

102 *Quid ſit Aëromantia, & an fiat ex pacto dæmonis ?*

103 *Quid ſit Pyromantia, & an fiat ex pacto dæmonis ?*

Dico primò : quatuor ſunt modi, ſeu genera 99
divinandi per elementa, & ex elementorum obſervatio

obſervatione. Primum eſt Geomantia; ſecundum
100 Hydromantia, tertium Aeromantia, quartum Pyromantia. Geomantia tunc, ſit cum divini hac arte utentes edocti à dæmone certa ſigna, puncta, & figuras, vel in terra, vel in pulvere, vel in papyro, vel in quocunque alio corpore è terrena ſubſtantia compacto, inſcribunt, & poſt illorum inſcriptionem, mutationemque, & tranſpoſitionem prædivinant id quod animo intendunt; quod fieri non poteſt ſine pacto Dæmonis, nam ſigna illa, non poſſunt eſſe cauſæ naturales talis divinationis, nec ſigna rei pronuntiatæ, ſed ſigna pacti diabolici. Dicitur autem hæc geomantia divinatio ex terra. Ita Fagundez *in Decalogum lib. 1. cap. 39. n. 2.* Trullenc. *in Decalog. c. 10. lib. 1. dub. 5.*

101 Dico ſecundò: Hydromantia, quæ dicitur divinatio per aquam, contemplatur in aqua motus illius, & in pelvim, vel quodcunque aliud vas plenum aqua, picem, ceram, vel reſinam liquefactam infundit, & ex figuris, quæ inibi fiunt, & apparent cum prolatione certorum verborum, futura vaticinantur, ex pacto dæmonis, non induſtria humanæ artis. Aëromantia, ſeu divinatio per aërem
102 eſt illa divinatio, quæ per aërem, & ventos fit; vani enim iſti divinatores obſervant veris mutationes, & ſonitum arborum, flabellationem venti, per angulos domus, per portas, per januas, & ex his futura prædicunt. Hæc tamen de divinatione per aëra, & aquam intelligenda ſunt, niſi verſentur circa effectus mere naturales, qui aliquando, & frequenter ſequuntur: ex variis enim mutationibus aquæ maris, vel aëris, prænoſci, vel prædici poſſunt pluviæ, & grandines, & nives, venti, tempeſtates, &c quod maxime agriculturæ, & navigationi prodeſſe poteſt; & tunc hæc divinatio non eſt prohibita, nec mala, nec canones illam condemnant, niſi in quantum deſcriptis quibuſdam circulis, & figuris in terra, aqua, aëre, & igne futura prædicunt, & multa pronunciant. Ita cum aliis Trullench. *ſupra.*

103 Dico tertiò: Pyromantia conſiderat ignem, & flammas, fumum, fungos. An conglobatim flammæ ab igne emittantur, an ſplendidæ, an celeriter, an tenues, vel craſſæ ſint, quem colorem efficiant, quem ſonitum edant, an in modum pyramidum faſtigiatim volent, an ab igne ſeparentur, & ſimiles vanas obſervantias conſiderat; quæ ſimiliter pacta ſunt dæmonis & non prænunciati eventus cauſæ, ut manet *ſupra* explicatum. Ita Fagundez *ſupra num. 2.* Trullench. *in Decalog. lib. 1. cap. 10. dub. 15. per totum.*

SECTIO VIII.

De divinatione quæ ſumitur ex varia volucrum obſervatione.

SUMMARIUM.

104 *Tres modi divinandi ſumuntur ex avium ſignis, ſcilicet Augurium, Auſpicium, & Aruſpicium, & quid ſint?*
105 *Ex his prædicere futura ſuperſtitioſum eſt.*
106 *Ex avium obſervatione licet probabiliter prædicere eventus naturales.*

104 Dico primo tria ſunt genera, ſeu modi divinandi, qui ex variis petuntur avium ſignis, primus eſt augurium, quo quis notando avium garritus, voces, cantus, aut numerum, futura prædicit. Ut ſi Cornix à læva canat, corvus à dextra, ſi toc alites convolent, &c. Secundus eſt Auſpicium; quo quis ex volucrum habitu, paſſu, volatu, curſu, & motu, futura prænuntiat. Tertius eſt Aruſpicium, quo quis inſpectis cæſarum avium, aut aliorum animantium, extis, inteſtinis, fibris, & viſceribus futura pronunciat.

Ex his igitur obſervationibus futura prædicere 105
eſt vanum, ſuperſtitioſum, & damnatum in jure, ut communiter tenent DD. apud Trullench. *ubi ſupra dub. 6. num. 2.* Ratio eſt, quia hujuſmodi ſigna non ſignificant futuros eventus contingentes, nec illorum ſunt cauſa. Vnde totum operatur dæmon, ut homines decipiat. Licet tamen ex avium obſervatione 106
eventus naturales prædicere, & probabiliter conjectare. Sic ex volatu, vel cantu avium, & animalium motu, licet prædicere tempeſtates, imbres, pluvias, ventos, ſerenitates. Et ratio eſt, quia eorum corpuſcula, vel cerebrum, aut ſpiritus animales, ab aëris immutatione afficiuntur, & inſtinctu quodam naturæ, talem affectionem ſignificare poſſunt. Ita Leſſius, Cajetan, Sanch. & alij, quos refert, & ſequitur Trullench. *ubi ſupra num. 2.* Leander *tr. 9. d. 2. quæſt. 97. & ſequentibus.*

SECTIO IX.

De divinatione quæ ex corporis humani membris, & partibus ſumitur.

SUMMARIUM.

107 *Hæc divinatio communi nomine vocatur phyſiognomia.*
108 *Dividitur in chiromantiam, pedomantiam, metoſcopiam, phyſiognomiam, & artumantiam ſeu ſpatulantiam, & quæ utraque ſit?*
109 *Phyſiognomia alia eſt naturalis, alia aſtrologica, & quæ utraque ſit?*
110 *Phyſiognomia naturalis licita eſt.*
111 *Phyſiognomia aſtrologica ſuperſtitioſa eſt.*
112 *Chiromantia naturalis licita eſt.*
113 *Ex motibus humani corporis nulla capi poteſt firma conjectura ad prænuntiandum aliquid de futuro.*

Divinatio hæc communi nomine vocatur Phy- 107
ſiognomia; ſumit autem nomen particulare à parte corporis, qua utuntur ad divinandum. Modi ergo hujus divinationis ſunt quinque. Chiromantia, qua inſpectis manuum lineis, futura prædicuntur. Pedomantia, qua quis obſervatis pedum ſignis, divinat; Metoſcopia, qua quis notatis frontis, vel to- 108
tius vultûs lineamentis, & ſignis futuros caſus prædicit; quarta dicitur Phyſiognomia, qua quis totius corporis partibus, lineis, vel ſignis notatis, futuros eventus prænunciat. Tandem Artumantia, ſeu Spatulantia, quæ obſervat oſſa, artus & viſcera animalium, & hominum mortuorum, eaque juxta ignem apponit, quoaduſque calore ignis, vel crepitent, vel diſſiliantur, & ex ſonitu, atque ex modo fiſſuræ ſuperſtitioſe ex pacto dæmonis colligit, & divinat.

Eſt autem Phyſiognomia duplex. Altera natu- 109
ralis, altera vero aſtrologica: naturalis, eſt quædam philoſophiæ naturalis pars, quæ corporis humani, membra præſertim humeros, pectus, manus, frontem, naſum, oculos, ſupercilia, aures, caput, & univerſam faciem obſervat, quibus

notatis probabiliter conjectat hominis temperamentum, naturales affectiones, malum, vel bonam hominis valetudinem. Aſtrologia eſt, qua quis ex obſervatione earundem partium corporis, fortuitos eventus, tum proſperos, tum adverſos prænunciat.

110 Dico igitur primo: Phyſiognomia naturalis licita eſt, id eſt, licitum eſt ex humanis partibus, aut ex corporis diſpoſitione, & proportione conjicere probabiliter affectus animi, ut ingenium, complexiones, qualitates naturales, an cor ſit vigore plenum; an hepar, & pulmones ſani, an ſtomachus ſit debilitatus, &c. Ita Azor, Leſſius, Sanch. Filliucius, quos refert, & ſequitur Trullench. *lib. 1. Decalogi c. 10. dub. 7. num. 2.* Fagund. *in Decalog. cap. 39. lib. 1. num. 3.* & cum aliis Leander *tract. 9. Decalogi d. 2. quæſt. 14. & 15.* Ratio eſt, quia ex his probabiliter dignoſci poſſunt, ut fecerunt antiqui philoſophi, non tamen certo illa prædici poſſunt; eſſet enim temeritas, & imprudentia, quia non ſemper omnia ſigna conveniant.

111 Dico ſecundò: Phyſiognomia aſtrologica, id eſt ex eiſdem partibus conjectare proſperos, vel adverſos eventus, illicitum, & ſuperſtitioſum eſt, & ex ſe peccatum mortale: eſt namque tota hæc aſtrologia commentitia, & pontificio jure damnata; fingit namque ſupra dictis corporis partibus certos planetas correſpondere, quibus notatis, in ipſis veluti legere quaſdam litteras, quas ipſi ſoli intelligunt, quæ proſperos, & adverſos caſus hominum demonſtrant, quos ipſi audacter prædicant; Ita Azor, Villalobos, Souſa, Fagundez, quos refert, & ſequitur Trullench. *ubi ſupra num. 3.* Telles *ubi ſupra*, & cum aliis Leander *ſupra quæſt. 12.* Dixi *ex ſe eſſe peccatum mortale*, nam ſi id fiat joci cauſa, ad ſe oblectandum, aut non tanquam rebus certis fides adhibeatur, venialis tantum culpa committitur, ut cum Sanch. Filliucio, & aliis Trullench. *ſupra.* Attamen juxta eas dirigere ſuas actiones, eſſet peccatum mortale; nam tunc nimia credulitas eis adhibetur, quod ſi ex prædictarum ſpecierum regulis, tenuiſſima quadam conjectura judicentur propenſiones ad aliquos actus, etiam ad eos, qui libere exercentur, ut ad avaritiam, venerem, vinum, &c. non erit licitum, ut cum Sanch. Souſa, & aliis tenet Trullench. *ſupra n. 3.*

112 Dico tertiò: Ex lineis manus eodem modo prædicere probabiliter corporis diſpoſitiones, aptitudinem, ut facit chiromantia naturalis, quæ eſt quædam pars phyſiognomiæ naturalis, licita eſt; at eo modo quo facit aſtrologia judiciaria, vanum eſt, & ſuperſtitioſum. Et eam damnat Sixtus V. in bulla ſæpe citata. Et in indice librorum prohibitorum interdicuntur omnes libri hanc docentes. Hinc fit ex lineis manuum non poſſe prædici bonam vel malam fortunam, & alia hujuſmodi: nam hæc contingentia ſunt, & non habent connexionem cum illis cauſis. Vnde non licet Ægyptiam interrogare mulierem, de bona, vel mala fortuna, ſi firmiter ei credatur, vel ſcandalum detur aſpicientibus, ſecus, ſi ex curioſitate, & animo ridendi, ut cum Navarro, Sanchez, & aliis docet. Trullench. *ſupra* & cum aliis Leander *ſupra quæſt. 103.* de aliis autem membris phyſiognomiæ eodem modo philoſophatur.

113 Dico quarto: Ex motibus humani corporis nulla, aut valde infirma conjectura capi poteſt ad prænunciandum aliquid de futuris; tum quia ſæpe non ab impreſſione cœleſti, & conſtellatione ſtellarum, ſed à libera voluntate pendent; Tum quia ex motibus animalium firma conjectura capi non poteſt; ergo à fortiori neque ex motibus hominis. Ex vocibus autem hominis, minus aliquid prædici poteſt, nam hæc ſignificant ad placitum, & non ex conſtellatione, ſed à ratione proveniunt quare divinatio per illa, eſt ſuperſtitioſa, niſi cognitio ſpectetur à Deo. Vide Valentiam, Azor, Souſa, & noviſſime Trullench. *ſupra num. 5.*

SECTIO X.

De divinatione per ſomnia.

SUMMARIUM.

114 *Divinatio per ſomnia dicitur Oniromantia.*
115 *Quid ſit ſomnium.*
116 *Quando conſtat, vel eſt probabile ſomnium eſſe à Deo, fas eſt illis fidem adhibere.*
117 *Ponuntur ſigna ad dignoſcendum an ſomnium ſit à Deo vel à dæmone.*
118 *Quando ſomnium eſt à cauſa naturali ex eo poteſt conjectari de eventis naturalibus.*
119 *Dare fidem damoniacis ſomniis eſt peccatum grave, & ſuperſtitioſum.*
120 *Quoties non eſt probabile ſomnium eſſe à Deo, non licet prænotionem ex eo ſumere de adventis liberis.*
121 *Qui temere credit ſomniis non excuſatur à gravi culpa.*

DIvinatio per ſomnia Græce dicitur Oniromantia. Eſt autem ſomnium actio imaginaria, ſive apprehenſio ſenſus interioris, tempore ſomni quando exteriores ſenſus ſunt ſopiti; in hoc autem loco pro eodem ſumitur ſomnium, & inſomnium, viſum & phantaſma, nam oracula ad divina inſomnia ſolent applicari. Ex quinque autem cauſis poſſunt præcipue ſomnia provenire. Primo ex Dei ſingulari providentia, qui multa hominibus bonis, & malis per ſomnia revelavit, ut cōſtat ex ſomnio, D. Joſeph, & Magorum, & Pharaonis. Secundò ex aliqua corporis affectione. Vnde qui ſanguine abundat, læta ſomniat; redundante ſemine ſomniat ille venerea; ubi bilis atra viget, res triſtes ſomniantur, ubi flava bilis lites, jurgia, bella; cum vero phlegma abundat, ſomniamus aquas, fontes, prata virentia. Tertio proficiſcuntur ſomnia à cogitatione præcedenti in vigilia, ut experientia conſtat. Quarto procedere poſſunt ab aëre, & cœlo, taliter imprimente. Tandem provenire poſſunt à dæmone; habet namque dæmon vim immutandi humores humani corporis, & permiſcendi, quibus varie permutatis multa nobis dormientibus viſu contingunt. Ita communiter DD. his ſuppoſitis. 114 115

Dico primò: Quando conſtat, vel eſt probabile ſomnium eſſe à Deo, fas eſt ex illo futurorū prænotionem capere, & illi fidem adhibere. Ita communiter DD. apud Leandrum *tract. 9. Decalog. d. 2. q. 64.* Non licet tamen hæc per ſomnia deſiderare, niſi fuerit inſtinctu Spiritus Sancti, nam tunc erit tentatio Dei, ſi nimio affectu deſideretur, & exponit ſe homo periculo, ne ſe dæmon intromittat. Quomodo autem dignoſci poſſit an ſomnium fuerit à Deo, vel à dæmone quinque ſigna adhibet Trullenc. *ſupra.* Primo quid in ipſo ſomnio accidit, an accidat aliquid turpe, & inhoneſtum; nam tunc certum eſt eſſe, vel à natura, vel à dæmone. Secundum ſi ſomnium ſit ſuave, & relinquat animam devotam, & bene diſpoſitam ad devotionem, videtur eſſe à Deo. Tertiū quæ materia ſit ſomnij, ſi enim ad malum inducit, non eſt à Deo, ſi tamen ad bonum inducit cum timore, 116 117

&

& humilitate, credendum est esse à Deo, non tamen firmiter, nam Diabolus etiam aliquando se transformat in Angelum lucis, ut postea securius decipiat. Quartum quid relinquat post somnium, si enim post somnium animus manet turbatus, confusus, & segnior ad bona opera, signum est non esse à Deo. Tandem quando dubium est, an somnium fuerit à Deo, vel à dæmone, credendum est esse à dæmone, Deus namque cum immittit somnium, simul etiam certum reddit hominem, quod à se immittatur. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 1. *Decalog. c.* 10. *dub.* 9. Leander *tract.* 9. *d.* 2. *quæst.* 61. & 62.

118 Dico secundo: Quando somnia putantur esse à causa naturali, licitum est, ex eis conjecturam facere de eventis naturalibus, minime vero liberis. Ita cum multis Trullenc. *in Decalog. cap.* 10. *lib.* 1. *dub.* 8. *n.* 5. Leander *suprà q.* 64. Ratio est quia non est malum per effectus investigare causas nisi reddatur mala actio ex intentione operantis: Sed quando somnia sunt à natura, procedunt ex aliqua causa, ergo &c. ut patet in medicis, nam ex somniis investigant causas, & temperamentum hominum, ut supra diximus. Hinc fit quod si quis transeat ex hac divinatione naturali ex somnio tanquam ex effectu ad alium effectum cognoscendum, non sit peccatum superstitionis, si semper sistat in discursu naturali, quia nec intercedit pactum cum Dæmone, nec periculum illius, sed ad summum, si nimium in eis credat, erit imprudentia, si tamen velit transire ad cognoscendos effectus liberos, erit absque dubio vana superstitio. Ita cum communi sententia Leander *suprà quæst.* 58.

119 Dico tertio: Superstitiosum est, & peccatum grave, late fidem dæmoniacis somniis; & hoc sive intercedat pactum explicitum dæmonis respondendi per somnia; sive tantum præcedat pactum implicitum, quod tunc intercedit, quando quis nihil à Deo cogitans, nec rationem habens ad credendum esse à Deo, illis adhibet fidem. Ita cum communi sententia Leander *tr.* 9. *d.* 2. *q.* 172. Ratio est, quia somnia, ut signa, sunt signa ad placitum, & propterea cognitio, quæ ab illis sumitur est per modum disciplinæ, in qua discipulus credit Magistro; hic autem non est Deus, quia hic nullum est indicium, ut supponimus; ergo hoc ipso erit à dæmone, quia debet esse ab aliquo intelligente, ideoque vel expresse, vel tacite invocatur dæmon. Vide Trullenc. *suprà num.* 7.

120 Dico quarto: Quoties non est probabile somnium esse à Deo, non est licitum prænotionem ex eo sumere, de venturis liberis, sed est communiter peccatum mortale. Ratio est, quia somnia non possunt adventus liberos naturaliter demonstrare: ergo solum vel ex Dei directione, vel dæmonis: ergo quando non est probabile, quod sit Dei, si quis ex ipsis divinat, subjicit se disciplinæ Diaboli, eique tribuit futurorum prænotionem. Vnde acriter sunt reprehendendi illi, qui datâ operâ se ad somniandum in
121 lecto componunt, ut sibi per somnia occulta revelentur; nam voluntarie cupiunt à dæmone doceri: Igitur qui temere credit somniis, non excusatur à gravi culpa; quia exponit se periculo deceptionis à dæmone, & quātum est ex se, vult illa credere, etiam si à dæmone sint. Gravior autem culpa erit, quando jam accipiam experientia compertum esset, se in similibus casibus fuisse deceptum. Dixi *communiter loquendo*, nam aliquando poterit esse veniale, ratione simplicitatis, quando homo simplex facile putat esse à Deo, vel quando leviter illis fidem dedit, vel quando propter somnium timet sibi aliquid prosperi, vel adversi, cogitans, seu etiam sine ullo fundamento illud forte à Deo immissum, ideoque aliqua facit, vel omittit, modo id quod facit, vel omittit, non sit malum, vel contra aliquod Ecclesiæ, vel Dei præceptum; quod si aliquis ita deditus sit somniorum observationi, ut ordinarie regatur in agendis per hujusmodi observationes, erit superstitiosus, nec à mortali excusandus. Ita communiter DD. apud Trullenc. *sup.*

SECTIO XI.

De divinatione per sortes.

SUMMARIUM.

122 *Vsus sortium hodie jam non est in usu.*
123 *Sortes aliæ sunt divisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ.*
124 *Sortes divisoriæ stando in jure naturæ sunt licitæ in casibus, in quibus jus humanum eas non interdixit.*
125 *In quibus casibus jus humanum eas interdicat, vel non?*
126 *In Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis providendis prohibetur usus sortium.*
127 *Electio per sortes ad officia Ecclesiastica non solum est illicita, sed nulla.*
128 *In casibus in quibus sortes divisoriæ sunt licitæ non debet læsi justitia, nec debent fieri cum irreverentia rerum sacrarum.*
129 *Sortes consultoriæ ad agnoscendam in rebus dubiis D. voluntatem regulariter sunt illicitæ.*
130 *In quibus casibus, & quibus conditionibus sint aliquando licitæ.*
131 *Sortes divinatoriæ sunt omnino illicitæ.*
132 *Quædam corollaria inferuntur.*

VSus sortium hodie jam non est in usu; quia tamen alicubi illarum potest esse aliquis usus, de illis breviter agemus. Tria igitur sunt genera sortium, divisoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ. Divisoriæ 123 sunt quando ex eventu sortium quæritur quid unicuique tribuendum sit, sive illud sit res possessa, sive honor, sive pœna, sive munus aliquod, sive sæculare, sive Ecclesiasticum officium, aut beneficium. Consultoriæ dicuntur illæ per quas in rebus dubiis inquiritur divinum consilium, ut sciatur quid in negotiis dubiis agendum sit. Divinatoriæ sunt quando per eas investigatur cognitio de futuris eventibus, & quidem directio sortium, vel expectari potest à Deo, vel à dæmone, vel à casu, non enim amplius unde expectari possit apparet. 122

Dico igitur primo stando in solo jure naturæ, sortes divisoriæ in omnibus casibus sunt licitæ, in quibus jus humanum eas non interdixit, interdixit autem eas jus humanum in aliquibus, non vero in omnibus eventibus. Ita communiter DD. apud Fagundez *in Decalog.* 1. *præcepto lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Palaum *tract.* 17. *d.* 1. *part.* 6. *num.* 2. & cum multis Leander *tract.* 9. *d.* 2. *quæst* 75. Ratio est, quia sortes divisoriæ non ordinantur ad cognitionem rei incertæ, sed immediate ad operationem diriguntur, nec continent tacitè, aut expresse aliquam invocationem dæmonis, non enim per illas sortes petimus ab eo tacite, aut expresse, ut nos aliquid doceat vel quod aliquam operationem nostram ad aliquid agendum dirigat: ergo si eis aliqua superstitio non addatur, non sunt intrinsece malæ. Non sunt etiam prohibitæ sortes divisoriæ in omnibus eventibus, imo & aliquibus juribus jubentur fieri, ut patet ex *l. duobus*, sic Saül, sorte electus est in Regem, ergo hujusmodi 124

Digitized by Google

ſortes in ſe ſunt indifferentes, & de ſe poſſunt cohoneſtari.

125 Sed quæres quando ſint licitæ hujuſmodi ſortes diviſoriæ, & quando illicitæ? Reſpondeo primo eſſe licitas in rebus externis ſæcularibus, ut in hæreditatibus componendis, & in dirimendis litibus, etiam inter clericos, & perſonas Eccleſiaſticas, non ſolum de rebus ſæcularibus, ſed etiam in cauſis beneficialibus; nam in jure tantum prohibentur ſortes in electionibus, cum autem lex odioſa ſit, eſt reſtringenda, & non extendenda ad alios caſus, ut tenet Leſſius, Suarez, Fagundez, quos refert, & probabile putat Trullenc. *in Decalog. lib. 1. cap. 9. num. 8.* & cum aliis Palaus *ſuprà num. 3.* Leander *ſupra quæſt. 83.* Secundò in functionibus, & honoribus, ubi de honore, & periculo agitur, verbi gratia, ſi invadendum eſt hoſtile oppidum, & inter milites diverſarum nationum contentio ſit, quænam illorum prior invaſura ſit. Sic tempore peſtis poſſunt eligi religioſi, & medici, qui infirmis aſſiſtant. Tertio in pœnis, ut cum rex vult uni ex duobus, vel pluribus ad mortem damnatis dimittere ſupplicium, poterit hoc per ſortes inter omnes dirimi, cum æquè omnes morte digni ſint, & princeps non magis hunc, quàm illum vult liberare; Et denique quotieſcunque non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo præferatur, id ſorti committi poteſt.

126 In beneficiis tamen Eccleſiaſticis providendis, vel officiis prohibetur talis uſus ſortium *cap. Eccleſia de ſortilegiis.* Ita communiter DD. apud Palaum *ſuprà num. 5.* Ratio eſt, quia electio ad dignitates Eccleſiaſticas fieri debet inſpiratione Spiritus ſancti. Imo nec etiam eligi poſſunt compromiſſarij, in quibus cæteri ſe compromittunt ad electionem, nam quando electores non concordant inter ſe, electio devolvitur ad ſuperiorem, ut patet *ex cap. quia propter de electione.* Non eſt tamen, improbabile quod ſi repetitis ſuffragiis non poſſunt electores ad aliquam Eccleſiaſticam electionem concordari, poſſit ſortibus committi, ſi duo, vel tres cum aliquibus ſuffragiis remaneant. Ita Leſſius, & alij apud Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 38. num. 74.* quos refert & ſequitur Trullenc. *ſuprà num. 8.* licèt oppoſitum teneat cum multis Palaus *ſupra num. 6.* Leander *ſuprà quæſt. 78.* Hinc fit prohibitionem *cap. Eccleſia* non extendi ad electionem civilem, & ſæcularem, etiam inter clericos, ut probat conſuetudo. Ita Azor, Panormitanus, Suar. Sanch. & alij, quos refert Trullenc. *ſuprà num. 10.*

127 An vero electio per ſortes ad officia Eccleſiaſtica, non ſolùm ſit illicita, ſed etiam nulla, non vero irritanda? Reſpondeo eſſe omnino eo ipſo nullam. Ita Suarez, Panormitanus, Palaus, Fagundez, & alij, quos refert, & ſequitur Leander *ſuprà quæſt. 82.* Ratio eſt, quia eſt contra formam eligendi datam *in cap. quia propter, de electione*, in quo capite dicitur, aliter electio facta non valet, & eſt ibi ſermo de electione facta per ſortes. Nec obſtat quod Pontifex *in cap. Eccleſia veſtra extra de ſortilegiis* confirmavit quandam electionem factam per ſortes; Nam *ibi* confirmavit Pontifex electionem factam per ſortes compromiſſariorum, quæ electio non eſt omnino irrita, ut *ſuprà* ut probabile admittimus cum Leſſio, ſed venit irritanda per quod ſolvitur argumentum.

128 Advertendum tamen eſt, in caſibus in quibus diximus, licitas eſſe ſortes diviſorias, non debere lædi juſtitiam, ſed ſemper debere ſervari illæſum jus partium: unde non licet mittere ſortes inter dignum, & indignum. Secundò non debere fieri cum irreverentia rerum ſacrarum; unde non licet adhibere librum Evangeliorum in mittendis ſortibus, ob reverentiam rei ſacræ. Tertiò non debent fieri ex prava interſtione, vel erronea opinione, ut quia humani actus pendeant ab ſtellis; nam tunc eſſet ſuperſtitio; nec debent fieri cum fiducia in dæmonis auxilio, nam tunc etiam eſt gravis ſuperſtitio. Si tamen fiant ut eventus accidat ex fortuna, erit vanitas, niſi aliàs excludat divinam providentiam, ut dirigentem, aut permittentem: nam tunc etiam eſt peccatum graviſſimum.

129 Dico ſecundò: Sortes conſultoriæ ad cognoſcendam in rebus dubiis divinam voluntatem & illam à Deo expectandam regulariter ſunt illicitæ, poterunt

130 tamen eſſe licitæ datis his quatuor conditionibus: prima eſt neceſſitas, quando ſcilicet non ſuppetit aliud humanum conſilium: Secunda ſi Deus alicui inſpiret ut illis utatur. Tertia ſi fiant cum debita reverentia: Quarta ut non fiant circa materiam indebitam, nempe ut non fiant circa electiones Eccleſiaſticas quia id ſpecialiter eſt prohibitum, ita Sanchez, Leſſius, Suarez, quos refert & ſequitur Fagundez *ubi ſuprà num. 16.* Trullenc. *ſuprà n. 5.* Palaus *tract. 17. d. 1. part. 6. num. 10.* & cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 93.* Prima pars noſtræ aſſertionis probatur, quia velle ſine neceſſitate quod Deus peculiari modo ſuam voluntatem manifeſtet eſt Deum tentare, non enim Deus promiſit ſe has ſortes directurum. Quod autem ſortes conſultoriæ poſſint prudenter fieri probat uſus Patrum veteris teſtamenti, Joſue enim ſortibus uſus eſt ad cognoſcendum malefactorem occultum, Electio Laudis facta fuit per ſortes ad Regnum: item Electio S. Matthiæ ad apoſtolatum.

Adverte tamen cum Suario, Sanchez, Filliucio, Trullenc. & alus duplici intentione poſſe mitti hujuſmodi ſortes conſultorias. Primò intendendo & petendo ſaltem tacite à Deo ut per ſignum extraordinarium monſtret quid de facto opus ſit in aliquo negotio, ut quis dignus ſit Epiſcopatu beneficio, &c. Secundò intendendo tantùm occultè directionem ſortium per ſpecialem providentiam & gratiam Dei & illam ea fiducia poſtulando ut quod ſors tulerit apud ſe ſtatuat id amplecti tanquam ex divina voluntate profectum non tamen ex præmiſſione. Primo modo requiritur, motio divina, & ſpecialis inſtinctus Dei & extraordinarius ad id poſtulandum, alioquin incurreretur in tentationem Dei. Secundo vero modo ſatis eſt prudens ratio ex humana conjectura, ſumpta ex neceſſitate cauſæ & dubitatione occurrente quia non inveniatur melior modus & ex modo quo fiat præmiſſa oratione, & denique in tali materia in qua non ſit periculum injuſtitiæ ex ſucceſſu ſortium; alioquin temeritas eſſet & tentatio Dei exiſtimare Deum illi rei affuturum, tutius tamen eſt ab hujuſmodi ſortium genere abſtinere.

131 Dico tertiò: ſortes divinatoriæ ſunt omnino illicitæ: ita communiter DD. apud Leandrum *ſup. q. 44.* Palaum *ſup. n. 12.* Ratio eſt quia ſortium moderatio & directio aut expectatur à Deo, vel à dæmone, vel à caſu, ſi à dæmone, certum eſt eſſe ſuperſtitioſam, & continere dæmonis invocationem; ſi à caſu indubitatum eſt caſum non poſſe in ſortes influere, & per eas aliquid demonſtrare, cum nihil influere poſſit cum futurum eventum, nullamque cum eo connexionem habeat. Si vero ſortium moderatio expectetur à Deo, non conſtat Deum illas directurum & moderaturum ad manifeſtanda occulta, cum Deus hoc non promiſerit, & eventus aliter ſæpiſſime oſtendit quàm per ſortes contingat.

Hinc

Digitized by Google

132 Hinc colligitur esse superstitiosum illum qui notatis quibusdam & observatis, futuros eventus prædicit, vel res occultas manifestat, utpote si modo sic, modo aliter tabula, tessera, taxilli, chartæ, aut grana tritici, vel fabæ decidant; hic enim modus illicitus est, & damnatus *cap. de sortilegiis*: vide Azorium, Lessium, & alios refert & sequitur Trullenc. *supra num.* 14. Similiter superstitiosus est ille qui per sortes inquirit quis obtinebit victoriam, vel cathedram, vel dignitatem solum ob voluntatem & curiositatem, item si quærat quis fuerit malefactor occultus ad puniendum illum: in quo casu etiam habet admistam malitiam injustitiæ, quia miscetur aliqua infamatio proximi, ut si cadat in innocentem, vel nocens occultus publicetur, vel revera nocens puniatur, quia eo modo non probatur legitimè nocens, nisi dæmonis testimonium recipiatur, quod est sacrilegium, & injustitia; quia mendax est dæmon. Ad quod genus sortium pertinet duellum ad manifestandam occultam veritatem, & ultra malitiam superstitionis habet etiam admistam malitiam injustitiæ. Vide Suarium *supra*. Nota etiam omnia sortilegia, divinationes, & vanas observationes, quæ fiunt cum pacto expresso, vel tacito cum dæmone, hæresim sapere manifestè cùm omnis familiaritas, & pactum cum dæmone hæresim, vel apostasiam involvunt, ut optime advertit Trullenc. *sup.*

SECTIO XII.

Quid, & quotuplex sit Magia.

SUMMARIVM.

133 *Quid per magiam intelligatur?*
134 *Alia est naturalis, alia superstitiosa.*
135 *Quid sit magia naturalis?*
136 *Quid sit magia superstitiosa?*
137 *Si mira per magiam fiant in ostensionem, communi nomine sic operantes vocantur magi.*
138 *Si fiant ad noxam alteri inferendam dicuntur malefici.*
139 *Ex quibus cognoscantur opera magiæ?*
140 *Circa corpora humana & animalium multa mala possunt operari magi.*
141 *Fœmina huic arti dedita variis nominibus appellantur, & quibus?*
142 *Fœmina huic arti magis dedita sunt, quàm homines.*
143 *Multoties ad loca distantia per dæmonem deferuntur.*
144 *Quæcunque magia est superstitiosa, & peccatum grave.*
145 *Pocula amatoria, & philtra illicita sunt.*
146 *Saga talia pocula conficientes gravissimè peccant.*
147 *In hominibus non datur virtus naturalis ad includendos dæmones, quos vocant familiares.*

133 PEr magiam intelligunt DD. artem, per quam mira quædam, & insolita ab hominibus fiunt. Dividunt autem illam in naturalem, & superstitiosam. Magia naturalis, est ratio quædam operan-
134 di mira per causas naturales, absque dæmonis ope, hæc autem per se mala non est, nisi per accidens, quia sæpe admiscet multa superstitiosa, est tamen
135 maxime periculosa; nam sub specie occultæ operationis naturæ, diabolus facile se immiscet, & ita occultæ vi causæ naturalis tribuitur, quod ope dæmonis agitur, præsertim quando causæ naturales adhibentur, nihil ad effectum facientes, unde omnes libri; qui magiam naturalem docent suspecti habendi sunt, & juventuti tanquam periculosi vitandi. Lessius, & cum aliis, Trullenc. *lib. 1 in Decalogum, cap. 10. dub. 11.*

Magia superstitiosa, est ratio quædam operandi 136
mira per signa, ope dæmonis, dicitur *per signa*, ut distinguatur à magia naturali, quæ utitur causis naturalibus, quibus ex pacto allicitur dæmon, ut faciat, quæ magus petit: & sic signa videntur facere mirabilia, in eo namque distinguitur magia ab aliis speciebus superstitionis, quod habeat pro fine effectionem mirabilium, solum ut appareat ejus vis, ac potestas mirabilia faciendi; dicitur etiam *ope dæmonis*, quia hæc signa, & tota disciplina à dæmonibus instituta est, ac proinde effectus magiæ non est ab homine, nec à signis superstitiosis, sed ab ipso dæmone.

Possunt autem per magiam mira fieri, ob duplicem finem. Primò solum in ostensionem, vel commodum proprium; seu aliorum, & sic vocantur nomine communi magi. Secundò ad noxam alteri in- 138
ferendam, & sic vocatur maleficium de quo infrà. Quod si solis verbis aliquid per magiam super naturam fiat, dicitur incantatio; est autem incantatio, ratio operandi mira solis verbis. Ita cum multis Leander *tract. 9. d. 3. q. 4.*

Cognoscuntur autem opera magiæ, primo ex 139
motu citatissimo, cum scilicet hominum, aut animalium corpore de loco in locum celerrime transferuntur, secundo si verba proferantur exotica, insolita, & nihil significantia. Tertiò ex signis si characteres, imagines, signa, ligaturæ, philacteria, & alia hujusmodi fœda gestantes aut in loco aliquo ad malefaciendum collocentur. Quartò si ponantur quædam circunstantiæ nihil ad rem pertinentes, ut si dicantur talia verba debere esse scripta manu sinistra, vel in charta caprina, vel scripta esse per virginem, vel tali die, vel hora. Quintò si ex verbis sacris promittatur aliquis effectus vanus, ut quod annulus in filo movebitur, & saltabit. Sextò cognoscitur magia ex conditione effectus, nimirum, si hic humanam superet industriam; sunt autem hujusmodi compluta, quæ à magis opera dæmonum fiunt, quæ ad tria genera reduci possunt, vel enim fiunt circa corpora præsertim humana, aut animalium, vel circa animas, & spiritus, vel circa elementa. Deo ita permittente possunt excitare tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, hisque evertere arbores, fruges, & animalia: possunt etiã efficere inundationes, terræmotus, ruinas ædificiorum, incendia, & similia. Item possunt transferre segetes ex uno loco ad alium; arbores, & pomaria integra, vel singulis arboribus transplantatis, vel transflata superficie terræ ad certam altitudinem, quæ omnia cum aliis Trullenc. *lib. 1. Decalogi cap. 10. dub. 11. n. 8.* Leander *tract. 9. d. 3. quæst. 4.*

Circa corpora hominum, & animalium primo 140
ea possunt transferre celerrimè de loco ad locum, illa multis modis transformare, vel mutando figuram, vel unam ponendo pro alia ex vaporibus, in lupos scilicet, & vulpes mille modis supra relatis. Ita cum multis Leander *tract. 9. Decalogi d. 4. quæst. 24.* Possunt etiam morbos occultos inferre, qui nulla arte medica possint curari, possunt namque instillare venena occulta, & ignota, eaque ita temperare ut lentè operentur, & impedire vim medicamentorum. Possunt etiam curare morbos omnes, qui naturalibus remediis curari possunt. Possunt etiam thesauros occultos effodere, licet hoc raro Deus magis permittat:

esset

Digitized by Google

eſſet enim maximum incentivum ad malum. Poſſunt etiam facere inviſibiles aliquo modo, vel interponendo aliquod corpus inſtar veli, vel ſubito efficiendo ut transferantur, vel interponendo aliquam figuram ut non cognoſcantur: ita cum Lupo, & aliis Leander *ſuprà* q. 18. Poſſunt tandem immittere dæmones in homines, & facere ut ab illis obſideantur, & eoſdem expellere, vel ex pacto inter æquales, vel cum pacto cum potentiore. Circa vero animas corpori unitas, ea omnia poſſunt efficere, quæ pendent ex diſpoſitione corporis, & imaginatione, ut incitare ad amorem, ad odium, ad libidinem, de quo jam ſupra diximus. Circa vero animas ſeparatas, nihil poſſunt Magi, neque dæmones, ut ſupra tetigimus. Vide de his late Trullenc. *ſuprà*, Fagundez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 41. *num.* 9.

141 Propter autem tantam operum magiæ varietatem, fœminæ huic arti deditæ, variis nominibus appellantur, nunc Magicæ, nunc Lamiæ, nunc ſtriges, Maleficæ, veneficæ, nunc Sagæ vocitantur. Magicæ à magia, Maleficæ à malefaciendo, veneficæ à veneficiis, Sagæ à ſagacitate; dicuntur autem Lamiæ, eo quod lamia animal quoddam eſt, quod ſpeciem humanam habet, & corpus beſtiale, cujus crudelitas in eo maximè cernitur, quod puerulos jugulet, & illorum ſanguinem exugat, juxta illud Jeremiæ IV. [Sed, & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos, &c.] Vnde quia hujuſmodi nefariæ mulieres huic ſcelerato operi ſunt intentæ, Lamiæ appellantur. Dicuntur autem ſtriges, Luſitanè, *bruxæ*, ab avibus hujus nominis inauſpicatis, quæ ſtridore volant, & ſimiles ſunt bubonibus, & infantium corpora noctu invadunt, ſuffocant, & illorum ſanguinem exugunt. Vnde quia hæ nefariæ mulieres noctu præcipuè in maleficiis, & infantium ſanguinem ſugendo verſantur, inde à ſtridore, ſtriges vocantur.

142 Sunt autem his artibus magicis mulieres magis deditæ hominibus, tum ob majorem animi levitatem, curioſitatem, & inſatiabilem veneris libidinem, ut dicit Fagundez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 41. *num.* 5. & cum multis Leander *tract.* 9. *d.* 4. *quæſt.* 2. compertum namque eſt dæmones in his cum gruibus commiſceri illis, aſſumptis corporibus ex aëre, imo licet ſperma habere non poſſint, aliquando ſuffurato aliunde virili ſemine, & nefariæ illi copulæ applicato homines generari poſſunt, & multos ſic fuiſſe generatos ſapientior docet philoſophia, ut teſtatur Fagundez *ſuprà n.* 7. & cum multis Leander *ſuprà quæſt.* 12.

143 An autem de facto ad loca diſtantia noctu deferantur? pars affirmativa experientia competta eſt, ſæpe namque evenit, ut non nullæ fœdis, ac turpiſſimis illis actionibus, quibus à dæmonibus appetuntur deterritæ, facto ſigno crucis, vel invocato nomine Jeſu, ſtatim conventus ille ſolutus fuit, & dæmones perierint, & ipſæ, quæ nomen Jeſus invocarunt, ſolæ manſerunt in eo loco, in quo erant cum dæmone, & magno labore domum redierunt. Vide de hoc latiſſimè Fagundez *cap.* 4. *num.* 3. Advertit tamen cum Suario, Fagundez *in Decalogum lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 11. & cum aliis Leander *ſuprà quæſt.* 17. quod cum iſtæ ſtrigæ dicunt deferri ex uno loco in alium in hircis, in anſeribus, aut avium alis, hoc eſſe præſtigium, ſtultum enim eſſet credere dæmones eſſe veros hircos, anſeres, &c. ſed formant ex aëre talia corpora, & ſub tali ſpecie ſunt; his ſuppoſitis.

144 Dico primo: Quæcunque Magia, quocunque ex enumeratis modis fiat, ſuperſtitioſa eſt, & ex genere ſuo grave peccatum. Ratio eſt, quia omnis magia continet dæmonum invocationem tacitam, vel expreſſam, & aliquando conjungitur cum hæreſi, idololatria, vel apoſtaſia à fide, ut accidit in lamiis, & ſtrigibus, quæ in principio ſuorum ſcelerum cum pactum cum Diabolo ineunt, ſolent ſemper fidem abnegare, dæmones adorare: ac per conſequens Lamiarum, & ſtrigum crimen ad Inquiſitores ſpectat. Poteſt tamen aliquando in aliqua ſpecie magiæ, quando non eſt pactum expreſſum cum dæmone excuſare bona fides, & ignorantia, & inadvertentia tacitæ invocationis, ſæpe enim occulta eſt: at ſi ſuſpicatur, vel dubitatur, eſſe aliquid mali latentis, tenentur abſtinere donec informationem capiant à viro ſapiente, alioquin exponitur evidenti periculo peccandi mortaliter. Ratione tamen levitatis materiæ nunquam poteſt eſſe veniale, quia dæmonis invocatio, etiam in re parva, eſt graviſſimum peccatum; fieri tamen poteſt veniale defectu animadverſionis; Leſſius, Azor, & alij apud Trullenc. *ubi ſupra num.* 17. Leandrum *ſuprà quæſt.* 31.

Dico ſecundo: Pocula amatoria, ſeu philtra, 145
omnino illicita ſunt. Nam licet demus dari herbas, quibus in illis conficiendis utuntur Sagæ, quæ naturalem habent virtutem ad excitandum amorem, & odium, attamen naturaliter non poteſt dari vis naturalis ad excitandum amorem, vel odium reſpectu hujus, vel illius, in particulari, non enim apparet unde talis vis poſſit provenire; ſed hoc ex dæmonis facultate provenit; nam ſemel excitato in corde amore per illas herbas, ſeu pocula amatoria, ſæpe objicit menti illius, qui tale ſumpſit poculum objectum, quod ſaga vult illum amare, quo ſæpe oblato voluntas ad amorem inclinata vehementiſſimè in illud rapitur; proponit namque dæmon illi tale objectum mille circunſtantiis dignis amoris, & convenientiſſimis tali homini, quare pocula amatoria, & philtra, ſine dæmonis ope nihil valent ad conciliandum amorem reſpectu alicujus hominis in particulari. Ita cum Suario, Toleto, Leſſio, Navarro, & aliis Fagundez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 41. *num.* 19.

Vnde ſagæ talia pocula conficientes, graviſſimè 146
peccant; & ad omnia damna temporalia, quæ per eadem philtra, vel pocula amatoria illata fuerunt tenentur, tam ſagæ, & magi quam illi, qui eas conſulunt, primo tamen loco illi, qui eas conſulunt, illis tamen deficientibus tenentur eorum loco ſagæ, fuerunt namque cauſa damni; Nec hæc obligatio extinguitur, etiamſi ſagæ ipſæ miniſterio Juſtitiæ puniantur, nam per illam pœnam ſatisfaciunt juſtitiæ legali, non parti læſæ, ſeu juſtitiæ commutativæ. Et ideo ſi tales maleficæ, bona aliqua reliquerunt, tenetur Fiſcus prius damna illata reſtituere; vide Fagundez *in Decalogi lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 20. in fine: Dixi præciſè ad reſtitutionem damnorum temporalium, quia pro ratione judicij: verbi gratia, uſu rationis, & cenſuum, non tenentur quidquam reſtituere. Ita Navarr. Gomez, Leſſius, quos refert, & ſequitur Fagundez *ubi ſupra num.* 21. non enim hæc damna recipiunt æſtimationem, nec quidquam in rerum natura eſt, quod illis cenſeatur æquivalens; unde pro his ſatis eſt petere à Deo veniam, ſolum ergo tenentur ad reſtitutionem damnorum temporalium, inter damna tamen temporalia, etiam numeratur lucrum, quod quis comparabat ex arte ſua, & induſtria, & ſervitio corporis; &c.

Quæres tamen primo, an in hominibus inſit vis 147
naturalis ad includendos dæmones, quos vocant familiares in annulis, ſpeculis, & vaſculis, vel ipſos

ipſos corporibus pellendos? Reſpondeo breviter negative, ſunt namque homines poteſtate longe dæmonibus inferiores; ita communiter Doctores apud Trullenc. *ſuprà num. 3. dub. 12.* Fagund. *ſuprà n. 23.* vnde cum dæmones certo loco includunt, hoc faciunt ex pacto dæmonis tacito, vel expreſſo. Et idem dicendum eſt de obſeſſione corporum; Nec obſtat quod Scriptura ſacra primo Regum 16. de Davide dicat cytharâ Saulem à ſpiritu malo liberaſſe quoties illum invadebat, nam *ibi* per ſpiritum malum atra bilis intelligitur, ut multi DD. dicunt. Vide Fagund. *ſup. n. 24.* Vel ſecundò reſpondetur, hoc non fieri virtute muſici inſtrumenti, ſed divina diſpoſitione, quæ illo inſtrumento ad hunc effectum utebatur. Nec obſtat etiam quòd Tobias 6. Angelus eidem Tobiæ dixerit, quod retineret jecur piſcis capti, & fel illius, & igni ſubjiceret cordis ejus particulam, ad pellendos dæmones. Reſpondetur namque cum Fagundez *ſuprà* dæmones non fugari virtute illius jecoris, ſed virtute Dei, vel Angelorum, à cujus manibus fel, & jecur illud fuere conſecrata; ad hunc effectum, ſicut facit Eccleſia ſuis exorciſmis, in quibus ob preces Eccleſiæ, virtus divina adeſt, ac dæmones fugat.

SECTIO XIII.

Utrum liceat ſagas adire, & conſulere, ut maleficia faciant, vel tollant?

SUMMARIUM.

148 *Non eſt licitum ſagas adire ad maleficia inferenda, etſi ſint ad id paratæ.*

149 *Non licet petere à ſaga, aliàs parata ut unum maleficium alio maleficio tollat.*

150 *Non licet petere à malefico ut ſolvat maleficium, quod poteſt modo licito ſolvi quando modus licitus ignoratur.*

151 *Quando dubitatur an maleficus ſciat modum licitum diſſolvendi maleficium, præſumitur ſcire ſolum malitioſum.*

152 *Licitum eſt abſolute petere à malefico ut diſſolvat maleficium, quando conſtat illud ſcire ſolvere modo licito.*

148 SUppono ex communi Doctorum ſententia, nunquam eſſe licitum ſagas adire, vel conſulere per ſe, vel per alios ad maleficia inferenda, quamvis ad id ſint paratæ. Ratio eſt, quia eſt intrinſecè malum dæmonem conſulere, & maxime ut malum alicui fiat, ſed ipſæ ſagæ, ſive ſint paratæ, ſive non, in maleficiis faciendis utuntur ope dæmonis; ergo &c. his ſuppoſitis.

149 Dico primò: Non licet petere à ſaga, ſeu maleficio aliàs parato, ut unum maleficium alio maleficio tollat, etiam pro re gravi, & bono publico, aut cauſâ curioſitatis; ita communiter DD. apud Leandrum *tract. 9. Decalogi d. 3. quæſt. 20.* contra Angelum, cujus in hac re opinio improbabilis eſt, & ut erronea à Suario judicatur. Ratio eſt, quia maleficium eſt intrinſecè malum, ergo nunquam poteſt licite fieri. Nec eſt eadem ratio de petente uſuras ab uſurario, &c juramentum ab infideli, nam ille poteſt dare pecuniam abſque uſura, & infidelis præſtare juramentum per verum Deum.

150 Et hinc infertur, non licere petere à malefico, ut ſolvat maleficium, quod poteſt modo licito ſolvi, ſed ignoratur modus licitus à malefico, quia perinde eſt, ac petere ut alio maleficio ſolvat, ita Sanch. quem refert, & ſequitur Trullenc. *lib. 1. Decalog. c. 10. dub. 13. n. 6.* Quidam addunt quod quando dubitatur an malefices ſciat modum licitum diſſolvendi maleficium, præſumi ſcire ſolum ſuperſtitioſum, & conſequenter ab eo non poſſe peti diſſolutionem maleficij; cùm enim ſit dubium, exponit ſe periculo petendi rem illicitam; non eſt autem licitum operari cum dubio rei illicitæ, ut dicunt communiter DD. Adverte tamen tale dubium aliquando vinci poſſe, ut ſi quis ſibi credat maleficum ſcire modum, quo ſine pacto poſſit deſtruere maleficium, & tunc depoſito dubio poteſt petere, ut diſſolvat. Ita Tamburinus *in Decalog. lib. 2. c. 6. §. 2. n. 10.* Tandem adverte peccare judices cogentes maleficum benedictione aliqua auferre maleficium, quia illa benedictio eſt ceremonia malefica involvens pactum cum dæmone. Ita Fagund. *in Decalog. præcepto primo, lib. 1. c. 42. n. 7.* Leander *tract. 9. Decalogi d. 3. quæſt. 3.* 151

Dico ſecundo: Licitum eſt abſolutè petere à malefico, ut diſſolvat maleficium, quando certò conſtat ipſum ſcire illud ſolvere modo licito, quamvis alias certo, & moraliter petenti conſtet, fore ut illum medio illicito in illo tollendo uſurum. Ita Sanch. Suar. Leſſius, Ledeſma, Henriquez, quos refert, & ſequitur Fagund. *ubi ſup. n. 10.* Trullenc. *ſup. n. 7.* & cum aliis Leander *ſup. q. 26.* contra Delrium, & Cajetanum. Ratio autem eſt, quia petens, rem petit, quam ſaga licite præſtare poteſt abſolute loquendo, idque petenti conſtat, & alias ipſe potens habet jus petendi ad redimendam propriam vexationem, unde ſolum permittit peccatum ſagæ; non vero inducit ad illud, & aliàs non tenetur cum tanto damno illud non permittere, ut patet in uſurario parato; Et hinc à fortiori ſequitur licere à ſaga petere ut tollat maleficium, quod petens ſcit, illam licito modo poſſe ſolvere, licet alias probabiliter putet, vel dubitet poſtulans illam medio illicito uſuram eſſe, nam ſi poteſt petere, quod certe ſcit illam illicito modo maleficium tollendam; quanto magis quando de hoc ſolum habet probabilitatem, vel dubium. Vide Fagund. *ſup.* 152

SECTIO XIV.

Utrùm liceat tollere ligaturas, nodos, capillos, chartas, & alia ſigna malefica poſita à maleficis, eo fine, ut Diabolus deſinat nocere?

SUMMARIUM.

153 *Multa dantur in Eccleſia remedia divina ad tollenda maleficia, ut Miſſa, exorciſmus, &c.*

154 *Licitum eſt ſolvere ligaturas &c. ut Diabolus deſinat nocere.*

155 *Confeſſarius poteſt obligare ſagas ad deſtruenda illa ſigna.*

156 *Non ſolum licet illa ſigna deſtruere, ſed ponere aliquid, quo poſito deſtruatur pactum.*

157 *Poteſt licite rogari à maga ut ſignum ſuum auferat, & nocere deſinat, ſi hoc fieri poteſt ſine novo maleficio.*

158 *Dicente maga ſe habere modum licitum tollendi maleficium inſpiciendum eſt, an talis modus ſit licitus, nec ne?*

153 SUppono multa dari remedia divina in Eccleſia ad tollenda maleficia, ut ſunt geſtatio Reliquiarum, aqua benedicta, Exorciſmi, frequens

Digitized by Google

confeſſio, Miſſæ ſacrificium, Eleemoſyna, jejunium, oratio, & alia his ſimilia, ſed hæc omnia debent fieri ſine circunſtantiis vanis, nam ſi vanæ circunſtantiæ illis adjungantur, ut quod oratio angelica debeat dici ad aures equi, quod oratio debeat fieri noctu, & non de die, quòd Miſſa tali, vel tali die dicenda ſit, &c. vanum, & ſuperſtitioſum eſt, ut *ſupra* diximus. Vide de hoc late Fagundez *c.* 42. *num.* 1. Alia ſunt remedia ad tollenda maleficia, vel infirmitates ab illis cauſatas, ſed hæc parum utilia ſunt, quia ſæpe virtus medicamentorum, Deo ita permittente, a dæmonibus impeditur; Vnde ſolum ſupereſt difficultas, utrum licitum ſit ſigna maleficiorum inventa, veluti capillos, nodos, ligaturas, & alia hujuſmodi, ubicunque reperta fuerint, amovere, ſolvere, deſtruere, & in ignem conjicere, ſive hoc fiat à Saga, ſive ab alio quocunque.

154 Dico primo: Licitum eſt prædicta deſtruere, ſive hoc fiat à ſaga, ſive à quocunque alio. Ita cum communi ſententia Fagundez *ſuprà num.* 2. Leander *tractatu* 9. *Decalogi d.* 5. *queſt.* 32. contra alios quos ſuppreſſo nomine refert Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *de magia dub.* 6. Ratio fundamentalis eſt, quia ideo illa ſigna malefica non poſſent tolli, quia ille actus amovendi illa ſigna cenſeretur quædam tacita dæmonis invocatio; ſed hoc eſt falſum, ergo. Major eſt præcipuum contrariorum fundamentum, Minor probatur, quia amotio illa ſignorum, neque ex natura rei eſt invocatio dæmonis ut patet, neque ex intentione amoventis; licèt aliàs ſit ipſa ſaga, quæ talia ſigna poſuit cum pacto dæmonis; poteſt namque ſaga, ſi pœnitere velit, mutare intentionem, & tantum intendere reſciſſionem pacti antecedentis, & nihil à dæmone exigere, nec ex vi prioris pacti illa deſtruere, licèt aliàs pactum fuiſſet in hac forma; ſi hæc ſigna, poſueris nocebo, ſi illa deſtruxeris non nocebo; eadem namque actio una intentione facta poteſt eſſe mala, & mutata intentione poteſt eſſe bona, quando ipſa ex natura ſua non eſt mala, ſed indifferens; ſed in hoc caſu maga, vel alius, qui illa ſigna deſtruit, non intendit dæmonem invocare, ſed invocationem per magam illo ſigno factam impedire, & diſſolvere: ergo.

155 Et hinc deducitur poſſe confeſſarium obligare ſagas ad deſtruenda illa ſigna, eas priùs inſtruendo de intentione, qua id debent facere; ut ſcilicet id faciant animo deſtruendi amicitiam dæmonis & non invocandi illum; imo quamvis etiam inventor talium ſignorum ſciat ibi eſſe duplex pactum; ſi poſueris nocebo, ſi abſtuleris non nocebo, aut priſtina valetudo recuperabitur; licite & meritorie poterit ea deſtruere, & combuſere; quia animo deſtruendi dæmonem, & reſcindendi pactum illius facit, & non concurrendi cum illo, quia illa deſtructio ex natura ſua, non eſt invocativa dæmonis, & ille, qui deſtruit non intendit dæmonem invocare, neque cooperari malitiæ illius, ſed illam deſtruere, & propriis armis debellare.

156 Sed quæres an non ſolum ſit licitum illa ſigna deſtruere, ſed etiam per ſe loquendo ponere res alias, quibus poſitis expiret, & deſtruatur pactum prius, & dæmon deſinat nocere, verbi gratia, pactum erat, quandiu hæc illa è terra non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur, verbi gratia, lapis, aut locus ille aqua luſtrali abluatur, non ceſſabit maleficium; An tunc licitum ſit illam extrahere, & lapidem loco illius ponere, & aqua luſtrali aſpergere? Reſpondetur affirmative. Ita communiter Doctores apud Fagundez *ſupra num.* 6. Leandrum *ſupra queſt.* 35. Ratio eſt, quia hæc omnia non fiunt, modo deprecativo, aut affectu aliquo benevolentiæ erga dæmonem, ſed fiunt animo, & intentione deſtruendi artes dæmonis, & tollendi ſignum, cui adſtrictus eſt ad nocendum, quod per ſe eſt omnino licitum; ſed hæc omnia debent intelligi quando hæc omnia poni, vel tolli poſſunt ſine aliquo maleficio.

Hinc fit poſſe rogari licite à maga, vel maleficio, ut ſignum ſuum auferat, & nocere deſinat, ſi hoc fieri poteſt, ſine novo maleficio, & proteſtetur ſe nihil velle cum dæmone habere; unde poterit etiam ab alio malefico interrogari, an cognoſcat ſignum maleficij animo illud deſtruendi, vel an noverit, in quo conſiſtat maleficium, ut ſignum deſtruatur, quòd ſi reſpondeat ſe ignorare, in quo conſiſtat maleficium, nullo modo poteſt licite induci, ut ſua arte id perquirat, quia id eſſet illum rogare, ut Diabolum ea de re conſuleret, quod ſemper eſt illicitum. Item ſi ſaga reſpondeat ſe ſcire maleficium, neſcire tamen illud tollere, in hoc etiam caſu nullo modo licet eam inducere, ut per artem ſuam id perquirat, quia hunc perinde eſſet, ac ei conſulere, ut Diabolum conſuleret, quod eſt intrinſece malum. 157

Quòd ſi dixerit ſe ſcire modo licito tollere maleficium, & explicet modum, quo illud toſlendum eſt; tunc videndum eſt, an talis modus ſit licitus, vel illicitus, ſi fuerit deſtructio ſigni, ut hucuſque explicuimus, licitum eſt illum deſtruere, ſi vero non fuerit erit illicitum, niſi aliàs actio futura de ſe ſit indifferens, ut poſitio lapidis in loco illo, repercuſſio ſagæ, & aliæ actiones poſitivæ indifferentes, ut hucuſque diximus. Si tamen ſaga dubitaverit, vel renuerit explicare modum, quo maleficium tolli poteſt, ſignum eſt, illam, illud tollere neſcire, niſi per novum maleficium, quod nunquam licet; At ſi quis addiſcat novo pacto dæmonis ea maleficia tollere, peccabit graviſſime. tranſacto tamen eo pacto poterit in ſuum commodum ea ſcientia uti ad deſtruendum ſignum maleficij, modo denuò, nec tacite, nec expreſſe dæmon invocetur. Ita Sanchez & cum aliis Fagundez *ſuprà numero* 14. Ratio autem eſt, quia licet acquirere illam ſcientiam à dæmone pactum ſit, uti tamen tali ſcientiæ, ſecluſa omni dependentia ab aliquo pacto, non eſt malum, nam ſcientia, & uſus illius eſt bona, ut *ſuprà* diximus. Vide de his latius Fagundez *capite* 41. Leandrum *ſuprà d.* 3. & 4. 158

SECTIO IV.

De pœnis à jure ſtatutis in veneficos, ſtriges, ſortilegos, divinos, & magos, & illos conſulentes, & ad quem judicem ſpectet hoc crimen, an judices ſæculares poſſint inſpicere proceſſus relaxatorum, & an Inquiſitores teneantur illis remittere ſtriges pueros occidentes, etiam ſi convertantur; & tandem an peccatum Lamiarum ſit reſervatum?

SUMMARIUM.

159 *Omnes venefici, ſortilegi, divini, & magi, & eos conſulentes excommunicatione ferenda afficiuntur jure Pontificio.*

160 *Referuntur aliæ pœnæ, quibus ſolent condèmnari.*

161 *Jure*

161 *Iure civili hi ſcelerati pœna mortis plectendi ſunt.*

162 *Iure Luſitano pœna mortis afficiuntur.*

163 *Si hoc crimen habuerit admiſtam hæreſim, vel ſuſpicionem illius ad Inquiſitores fidei pertinet.*

164 *Raro dari poteſt caſus, in quo iſti non pertineant ad Inquiſitores.*

165 *Si fuerit pura ſuperſtitio ſine ſuſpiciene hæreſis eſt crimen mixti fori.*

166 *In crimine hæreſis tenentur judices laïci ſtare ſententiis latis per dominos Inquiſitores quando hæretici relaxantur.*

167 *Si dum examinantur Lamiæ à dominis Inquiſitoribus, inveniantur plures occidiſſe infantes, non ſunt tradendæ judicibus ſæcularibus ut propter homicidia puniantur.*

168 *Si judices ſæculares examinantes lamias, vel veneficos inveniant hæreſim commiſiſſe, tenentur priùs hos ſceleratos dominis Inquiſitoribus remittere.*

169 *Domini Inquiſitores peracto judicio hæreſis, etiamſi convertantur, tenentur eos iterum tradere judicibus ſæcularibus, ut illarum criminum pœnam recipiant.*

170 *Lamiarum peccatum de jure communi non eſt reſervatum.*

171 *In omnibus diœceſibus Luſitaniæ peccatum lamiarum eſt reſervatum.*

172 *Inter peccata, quæ poſſunt reſervari inter Regulares unum eſt veneficia, ſortilegium, & incantationes.*

159 Dico primo: Omnes iſti ſcelerati in titulo quæſtionis recenſiti, jure Pontificio excommunicatione non ipſo facto, ſed ferenda afficiuntur: ut
160 patet *ex cap. ſi quis Ariolos*, & melior tenet ſententia, quam tenet cum multis Fagundez *in primum præceptum Decalogi lib. 1. c. 44. n. 3.* Præter autem excommunicationem, alias incurrunt pœnas jure Pontificio, quæ hodie omnes ſunt arbitrariæ, & magis ſolita eſt, ut cum mitra in publico deferatur theatro, & poſtea publicè verberetur, & poſtea in exilium mittatur. Inſuper in aliquibus diœceſibus, aliquas pœnas incurrunt, de quibus videndæ ſunt conſtitutiones ſingularum diœceſum. In hoc tamen Archiepiſcopatu Bracharenſi excommunicantur ipſo facto, tam ſagæ, quam illi, qui illas conſulunt, & qui ſuis maleficiis utuntur; & eadem excommunicatione innodantur illi, qui ex aliquo loco ſacro, vel non ſacro, aram ſacram, corporalia, aut purificatoria vel partem aliquam iſtorum ad ea veneficia facienda deſumpſerint; multantur etiam certa pœna pecuniaria, quæ ibi videri poteſt; hanc tamen excommunicationem ſolum incurrunt perſonæ, quæ notitiam illius habent, & ſciunt illam eſſe poſitam, quod commune eſt omnibus excommunicationibus; nunquam enim incurruntur, niſi notitiam illarum quis habeat; unde ſi quis committat crimen, cui annexa eſt excommunicatio, ſi illam probabiliter ignorabat; peccabit quidem illud committendo, non tamen cenſurâ ligabitur, ut optime Navarrus, quem refert, & ſequitur Fagundez *ſuprà numero* 10.

161 Dico ſecundo. Jus civile graviſſimas etiam pœnas in hos ſceleratos ſtatuit, nam morte eſſe damnandos decernitur *in toto titulo, C. de maleficiis.* De
162 jure autem Luſitano, morte etiam plectuntur maximè illi qui rem aliquam ſacram furati, aut uſi illa fuerint, ad veneficia facienda, & ſimiliter eadem mortis pœna plectuntur, qui circulis, aut figuris dæmones invocant, aut philtra, vel pocula amatoria alicui dederint, ad amorem, vel odium incitandum, modo tamen, priuſquam ſententia executioni mandetur, Rex admoneatur de qualitate perſonæ, & de modo, quo crimen commiſit, qui vero uſi fuerint ſortibus, virgis, vel inſtrumentis aliis, aut oſſibus mortuorum, ad prænoſcendam rem aliquam, vel inveniendos theſauros, aut aqua, gladio, vel quacunque re alia, uſi fuerint ſpecie aliqua veneficiorum, publicè per plateas reſti collo appenſa, præeunte præcone, verberantur; patent hæc omnia ex *lib. 5. Ordinationis titulo 3.* De jure Regni Caſtellæ, etiam morte afficiuntur, ut patet *ex l. ultima tit. 23. p. 7.*

Dico tertio: Si hoc crimen habuerit admiſtam 163
hæreſim, vel ſuſpicionem illius, ad Inquiſitores fidei pertinet illius cognitio; & ita ſolent efficere tam judices Eccleſiaſtici, quam ſæculares; nam examinatâ culpâ, ſi hæreſim inveniunt, vel illam ſuſpicantur; tales ſceleratos remittunt dominis Inquiſitoribus. Vix autem unquam dari poſſunt in 164
praxi caſus, in quibus hoc crimen non habeat admixtam hæreſim, vel ſuſpicionem illius, quia ſemper aliquid hæreticum dicti delinquentes credunt, aut hæreſim ſapiens committunt; Vnde vix dari poteſt ullus talis, contra quem non poſſint procedere Inquiſitores. Ita Delrio, Farinacius, Valentia, Palaus, quos refert, & ſequitur Leander *tract. 9. Decalogi d. 4. quæſt. 48.* Adverte etiam hoc crimen ſapere hæreſim, quoties in eo adhibentur Sacramenta, vel Sacramentalia, aut quæcunque verba ſacra, ut *Pater noſter*, ſeu aliæ ſanctæ orationes, aut verba ex ſacra ſcriptura, aut imagines cereæ, quas vocamus *Agnus Dei* veſtes Sacerdotales, & ſimiles res ſacræ, ut cum communi ſententia Diana *p. 4. tract. 8. reſol. 14.* Antonius *verbo Inquiſitorum juriſdictio n. 70.*

Dico quarto: Si fuerit pura ſuperſtitio, ſine 165
expreſſa ſuſpicione hæreſis, tunc crimen eſt mixti fori, niſi ratione perſonæ; quia ſcilicet ſi eſt Eccleſiaſtica ad judicem Eccleſiaſticum pertineat; & datur locus præventioni, unde qui primo de tali crimine cognoverit, ille judicabit, & ſemel ab uno judice ſcelerato punito, tenentur judices Eccleſiaſtici ſtare ſententiæ, & Inquiſitioni factæ per judices laïcos & judices laïci ſtare ſententiæ, & proceſſui facto per judices Eccleſiaſticos: hæc enim fuerunt facta, & proceſſata per judices competentes, niſi tam evidens ſit criminoſos manere impunitos, ut ratio evidens contrarium poſtulet; tunc enim perinde eſſet ac ſi judex incompetens eſſet, quod videtur deciſum *in cap. cum quidam de exceptionibus.* Ita Fagundez qui late de his agit *ubi ſuprà num. 16.*

Sed quæres an in crimine hæreſis teneantur ſem- 166
per judices ſæculares, ſtare ſententiis latis per dominos Inquiſitores quando hæretici relaxantur? Reſpondeo affirmative. Ita communiter Doctores contra Alciatum, Gonſales, Brunum, quos refert Fagundez *ſuprà numero* 17. quorum ſententiam erroneam dicit Fagundez *ibi.* Ratio eſt, quia officium judicum ſæcularium in prædictis caſibus, non in cognoſcendo, ſed in exequendo conſiſtit, ergo hanc executionem ſtatim tenentur efficere, cum fuerint ab Inquiſitoribus requiſiti; nam ſi Eccleſia hæreticos convertere non poteſt, non habet ultra quid faciat, niſi eos brachio ſæculari flammis tradendos relinquere. Vide de his Fagundez *ſuprà.*

Quæres ſecundo, an ſi Lamiæ, & ſtriges à do- 167
minis Inquiſitoribus dum examinantur inveniun-

tur plures infantes occidiſſe, tradendæ ſint per dominos Inquiſitores, & judices Eccleſiaſticos, judicibus ſæcularibus propter homicidia ab ipſis patrata, etiam ſi vere reſipiſcant, & convertantur? Reſpondeo negative etiam ſi mille infantes occidiſſent. Ita Sinancas, Albertinus, quos refert, & ſequitur Fagundez *lib.* 1. *in Decalogum cap.* 44. *num.* 21. Ratio eſt, quia Inquiſitores non niſi propter hæreſim poſſunt veneficos, & ſtriges brachio ſæculari relaxare; & aliàs non poſſunt claudere gremium Eccleſiæ, niſi hæreticis pertinacibus; quare ſi ab hæreſi ad fidem reverti voluerint, recipiendæ ſunt. Tum quia hoc nullibi à jure adſtruitur, & ideo nullo modo, ſi hæc fuerint, ab irregularitate poterunt excuſari.

168 Adverte tamen, quod ſi judices ſæculares examinando ſtriges, vel veneficos inveniant ſtriges, præter homicidia, aut frugum perditionem, vel excantationes, hæreſim commiſiſſe, teneri tales ſceleratos prius ad Inquiſitores remittere, ut de hæreſi, utpote cauſa mere Eccleſiaſtica cognoſcant, & peracto judicio hæreſis, etiam ſi convertantur, de-
169 bent domini Inquiſitores eas maleficos iterum reſtituere judicibus ſæcularibus, ut illorum criminum pœnam recipiant, juxta leges civiles. Ita Fagundez *ubi ſuprà num.* 22. ubi quam plures refert. Ratio eſt: Quia cognitio criminis infanticidij, & perditionis frugum, & excantationis, ad ſæculare judicium tantum ſpectat, quia fuit prævenia juriſdictio.

170 Quæres tandem. An peccatum Lamiarum ſit reſervatum? Et loquendo de jure communi certum eſt non eſſe reſervatum. Ita Suarez, Toletus, & alij communiter apud Fagundez *in Decalog. in primo præcepto cap.* 45. *num.* 2. nullibi enim talis reſervatio invenitur, neque ex conſuetudine conſtat hoc peccatum eſſe reſervatum, in omnibus diœceſibus;
171 Nam licet in omnibus diœceſibus hujus Luſitaniæ regni, hoc peccatum veneficiorum ſit reſervatum, & pene in omnibus diœceſibus totius orbis, hoc tamen non ex conſuetudine, ſed ex conſtitutionibus ſynodalibus eſt, ut ait Fagundez *ſuprà num.* 3. qui teſtatur quod in omnibus conſtitutionibus Synodalibus, quas vidit, inveniſſe hoc peccatum reſer-
172 vatum. Deinde inter undecim peccata quæ in Religionibus poſſunt reſervari ex decreto Clementis VIII, unum eſt veneficia, incantationes, ſeu ſortilegia, ut diximus *tomo ſuperiori in tractatu de Pœnitentia*, quem pro hac materia debes omnino videre. Et hæc ſufficiant de materia ſuperſtitionis.

DISPUTATIO III.

De Sacrilegio.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium?

SUMMARIUM.

173 *Ponitur ſacrilegij definitio.*
174 *Sacrilegium aliud eſt in perſonam ſacram, aliud in rem, aliud in locum ſacrum.*
175 *Qui veniant nomine perſonæ ſacræ?*
176 *Fornicatio cum habente votum caſtitatis eſt ſacrilegium.*
177 *Ordinati in minoribus, & ſi deferant tonſuram, ſi fornicentur non committunt ſacrilegium.*
178 *Religioſus peccans cum religioſa committit duplex ſacrilegium.*
179 *Exactio vectigalium à perſonis Eccleſiaſticis, & pertractio earum ad tribunal ſaculare eſt ſacrilegium.*
180 *Clericus ſi furetur, ſi inebrietur, vel maledicta dicat in Sanctos non eſt ſacrilegus, licet peccet.*
181 *Eſt ſacrilegus, ſi celebret in peccato.*
182 *Quæ veniant nomine loci ſacri?*
183 *Deſtruere, incendere, ſpoliare loca ſacra eſt ſacrilegium.*
184 *Occidere homines in Eccleſia culpabiliter eſt ſacrilegium.*
185 *Effuſio ſeminis in Eccleſia eſt ſacrilegium.*
186 *An debeat ad hunc effectum eſſe notoria?*
187 *Tactus nudi quantumvis impudici in Eccleſia facti non ſunt ſacrilegium.*
188 *Sepelire excommunicatum vitandum in loco ſacro eſt ſacrilegium.*
189 *Sepelire non baptizatum in Eccleſia eſt ſacrilegium.*
190 *Extractio violenta perſonæ à loco ſacro, quæ aſyli cauſa eò ſe contulit eſt ſacrilegium, niſi in caſibus jure exceptis.*
191 *Quid de comediis, comeſſationibus, &c. factis in Eccleſia?*
192 *Furari rem, quæ eſt veluti in cuſtodia in Eccleſia eſt ſacrilegium.*
193 *Quid de actionibus forenſibus factis in Eccleſia?*
194 *Quæ dicantur res ſacræ?*
195 *Adminiſtrare Sacramenta; vel illa recipere in mortali eſt ſacrilegium.*
196 *Abuſio vaſorum ſacrorum eſt ſacrilegium.*
197 *Geſtatio reliquiarum in actu venereo non eſt ſacrilegium.*
198 *Violatio diei feſti opere ſervili, vel retentio decimarum non eſt ſacrilegium.*

DIco primo. *Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ?* 173
Res autem ſacra, illa dicitur, quæ cultui divino dicata eſt, ut templum, Sacerdos, Calix, &c. Ita communiter Doctores. Triplex autem eſt ſacrile- 174
gium: in perſonam ſacram, in rem ſacram, & in locum ſacrum. Prima ſpecies eſt violatio perſonæ 175
ſacræ, nomine autem perſonæ ſacræ, veniunt Clerici, & religioſi, ſive ſint profeſſi, ſive non. Ideo percuſſio Religioſi, vel Religioſæ, vel clerici, ſacrilegium eſt, quia læditur perſona ſacra. Item for- 176
nicatio cum clerico ſacris initiato, vel cum Religioſo, vel religioſa, aut qualibet habente votum caſtitatis, ſacrilegium eſt; quia læditur perſona ſacra ratione voti. Item ſacrilegium eſt violatio voti paupertatis; aut alterius cujuſcunque voti à caſtitate diſtincti, nam per quodcunque votum, perſona Deo dicatur, & ſacra fieri debetur. Ita cum Cajetano, Leſſio, & aliis Baldellus *lib.* 4. *d.* 18. *n.* 9. quidquid dicat cum Suario, Palus, *tract.* 17. *d.* 2. *part.* 5. §. 2. *num.* 2. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 3. *d.* 2. *quæſt.* 2.

Si tamen quæras an ordinati minoribus Ordini- 177
bus, ſi in habitu clericali degant vitam, an fornicando contrahant ſacrilegij malitiam? Reſpondeo negative. Ita Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Baldellus *ubi ſuprà n.* 15. Ratio eſt, quia hi

non

non ſunt ſpecialiter Deo dicati, per votum caſtitatis, ſeu per aliquam ſpecialem conſecrationem, aut legem ſpecialiter hujuſmodi homines obligantem ad abſtinendum à venereis delectationibus. Major
178 eſt dubitatio, ſi Religioſus peccet cum Religioſa, an committat duplex ſacrilegium? Et licet plures dicant unum tantùm committere ſacrilegium, teſte Lugo ſtatim citando; verius eſt duo committi ſacrilegia neceſſario in confeſſione exprimenda. Et idem dicendum eſt proportionaliter, de adulterio conjugati cum conjugata. Ita Sanch. Vaſquius, Salas, quos refert, & ſequitur Lugo, *de pœnitentia d. 16. ſect. 5. n. 258.* Candidus *tom. 2. diſp. 24. artic. 23. dub. 30.* Ratio eſt, quia hæ duæ malitiæ differunt ſpecie, nam diverſa oblatio ſpeciei eſt, qua ego debeo obſervare votum meum, ab ea qua debeo non procurare quod alter violet votum ſuum, ſicut diverſa obligatio eſt, qua debeo eſſe caſtus, ab ea qua debeo non eſſe cauſam alteri, quod peccet contra caſtitatem.

179 Item ſacrilegium eſt exactio vectigalium à perſonis Eccleſiaſticis, & pertractio earum ad tribunal ſæculare. Quia Eccleſia voluit Eccleſiaſticos immunes eſſe à vectigalibus, & à laica poteſtate, ut communiter tenent DD. quos refert, & ſequitur, Trul-
180 lench. *in Decalog. lib. 1. c. 10. dub. 15. n. 3.* Baldellus *lib. 4. d. 18. n. 8.* At ſi Clericus furatur, mentitur, maledicta in cœlos, vel in Sanctos conjiciat, vel ſi ebrietatibus, comeſſationibus, venationibus, ludis, negotiationibus, ſedet, peccat quidem, ſacrilegus tamen proprie non eſt; tantum enim jus naturale violat. Aliter omnia peccata ſacerdotis eſſent ſacrilegia.
181 Tanced. *ſupra n. 5.* Eſt tamen ſacrilegus, ſi in peccato mortali celebret, miniſtret, vel ſuſpiciat aliquod ſacramentum. Irrogat enim gravem injuriam rebus ſactis. Palaus *ſupra n. 4.*

182 Dico ſecundo: Secunda ſpecies ſacrilegij eſt violatio loci ſacri. Nomine autem loci ſacri, veniunt omnia templa, quæ Eccleſias vocamus, monaſteria, hoſpitalia, & oratoria authoritate Epiſcopi approbata, in quibus tam ſacrificium Miſſæ, quàm alia divina officia celebrantur; nomen enim Eccleſiæ abſolute ſumptum comprehendit omnia loca approbata ad ſacrificium Miſſæ faciendum; unde ſacrile-
183 gium committitur. Primo frangendo, ſpoliando, incendendo, vel deſtruendo loca ſacra. Secundo occidendo homines in Eccleſia, culpabiliter tamen ſive occiſio ſit voluntaria, ſive caſualis, vel effundendo
184 ſanguinem ſine occaſione. Tertio effuſio ſeminis hu-
185 mani in Eccleſia eſt ſacrilegium. An autem omnis pollutio voluntaria in Eccleſia ſit ſacrilegium, vel ſolum notoria? majus dubium eſt. Suarez, Sanch. Bonacina, quos refert, & ſequitur Diana *1. p. tract. 7.*
186 *reſol. 16.* & cum aliis Baldellus *ſupra n. 16.* docent omnem pollutionem voluntariam, & fornicationem habitam in Eccleſia eſſe ſacrilegium. Alij tamen DD. exiſtimant ſolam pollutionem, & fornicationem voluntariam, & notoriam eſſe ſacrilegium. Ita Vaſquez, Pontius, quos refert, & ſequitur Lugo *de pœnitentia d. 16. num. 462.* & cum multis Delbene *cap. 2. dub. 2. ſect. 3.* Diana *ſupra* Baldellus *ſupra num. 17.*

187 De tactibus autem impudicis factis in Eccleſia, ſimilis eſt controverſia, an ſcilicet ſint ſacrilegium? affirmant Ottis, Suarez, Salas, Sylveſter, Rodriguez, Ledeſma, quos refert Diana *1. p. tract. 17. reſol. 23.* Non tamen loquuntur iſti Authores de turpi aſpectu, aut nutu, aut levi verbo; ſed de tactibus in partibus pudendis, de oſculis, & amplexibus, &c. Contraria tamen ſententia, quæ aſſerit nudos tactus quantumvis impudicos factos in Eccleſia non eſſe ſacrilegium, citra periculum pollutionis notoriæ, tenent Sanchez, Coninchus, Valentia, Henriquez, Vaſquez, quos refert, & ſequitur Diana *1. p. tr. 17. reſol. 23.* Ratio autem eſt, quia malitia, & ſpecialis deformitas ſacrilegij non conſurgit ex jure naturæ, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto, quod decernit Eccleſias tantum ex ſanguinis, & ſeminis effuſione violari; ſed tactus quantumvis impudici, non ſunt pollutio, nec impediunt exerceri divina officia in Eccleſia; ergo hæc ſententia probabilior eſt. Hanc tenet etiam Lugo *de pœnitentia d. 16. num. 464.*

Committitur quarto ſacrilegium ſepeliendo ex- 188
communicatum in loco ſacro, quod nunc de excommunicato vitando intelligendum eſt, ut cum Suario, Trullench. *ubi ſupra n. 4.* Quinto eſt etiam 189
ſacrilegium ſepultura non Baptizati in loco ſacro. Sexto extractio violenta perſonæ à loco ſacro, quæ aſylij cauſa eo ſe contulit, niſi ſit latro publicus, 190
vel nocturnus depopulator agrorum, vel commiſerit enorme maleficium in loco ſacro, vel alium, occiderit dè propoſito *è reixa velha* hoc eſt proditorie, & ex inſidiis, de quibus latiùs egimus *tomo ſuperiori in tractatu de pœnitentia.* Septimo ſi in Eccleſia turpes ludi, [ſecus honeſti] exerceantur. Octavo 191
ſi in ea fiant mercatus, deambulationes, comeſſationes, conclamationes, ſæcularia concilia, convivia, & parlamenta, & alia hujuſmodi profana, quæ cultum divinum impediunt. Hæc autem ſemper non ſunt peccatum mortale, maxime ſi ſcandalum abſit, & non ſit gravis exceſſus, & cultus divinus non impediatur. Item in Eccleſia fieri convivia præſertim publica, & ſecluſa neceſſitate v. g. ob pluviam, &c. ſacrilegium eſt; ſi tamen fuerit neceſſitas, & evitentur ſtrepitus, & clamores, poterunt fieri convivia, præſertim peregrinantium in Eccleſia, quando deſunt diverſoria, & aliàs urget nimius æſtus, vel pluvia. Item non erit peccatum mortale aliqua particularis comeſtio moderata & honeſta in loco ſacro ſine tumultu, & clamore facta, abſque neceſſitate, ſi non adſit ſcandalum. Ita Trullench. *ubi ſupra num. 4.* ubi plures citat, Baldellus *lib. 4. d. 18. num. 18.*

Nonò. Sacrilegium eſt furari in loco ſacro, quan- 192
do res ablata eſt ipſius Eccleſiæ, vel ad ipſius cuſtodiam ſpectat; unde ſi quis furetur tapetes, ſubſella, & baldachina à nobilibus in Eccleſia poſita, non ad Eccleſiæ, ſed ad ipſorum ornatum, & commoditatem, non committit ſacrilegium; quia hæc per accidens ad Eccleſiam ſpectant. Secus dicendum eſt, ſi aliunde ad Eccleſiæ cuſtodiam ſpectarent; ut ſi pro ipſius ornatu, & divino cultu ibi eſſent; nam tunc eſſet ſacrilegium. Ita Leſſius, & alij, quos citat, & ſequitur Bonacina, & Diana *p. 1. tract. de circunſtantiis reſol. 27.* Trullench. *ſupra num. 5.* & cum aliis communiter Baldellus *lib. 4. d. 18. num. 21.* Item ſacrilegium eſt actiones foren- 193
ſes ſæcularium judiciorum in Eccleſia exercere, Trullench. *ſupra n. 5.* Baldellus *ſupra num. 25.* Non tamen prohibentur proceſſus, & ſententiæ factæ à judicibus Eccleſiaſticis, vide cum multis Trullench. *ſupra.* Si tandem quæras an ſit ſacrilegium habere intra Eccleſiam animum alium occidendi, vel aliquid faciendi extra Eccleſiam, vel fornicandi, &c. Reſpondeo negative; ſecus ſi haberet animum, & deſiderium talia perpetrandi intra Eccleſiam, nam tunc eſſet ſacrilegium; quia delectatio ſumit ſpeciem à motivo. Vide de his latiùs Trullench. *ſubi ſupra num. 7.*

Dico tertiò: Tertia ſpecies ſacrilegij, eſt illud, 194
quod committitur contra res ſacras. Dicuntur autem

res

res sacræ, primo quia sanctitatem efficiant, ut sacramenta. Secundo quia sunt instrumenta rebus sacris administrandis, ut sacra vasa, Calix, &c. Vestes sacræ, ornamenta; Tertio quia sacra significant, ut verba sacra. Quarto quia sacra repræsentant, ut imagines Christi, & sanctorum. Quinto quia sunt particulæ, aut res sacrorum, ut reliquiæ. Sexto quia sunt mensura actionum sacrarum, ut dies Dominici, & festi. Septimo quia ad sustentationem sacrorum sunt dedicata, ut bona Ecclesiarum, decimæ, & primitiæ.

195 Hinc fit sacrilegium esse primo suscipere, vel administrare sacramenta in peccato mortali, & horum omnium gravissimum irreverentia contra Eucharistiæ sacramentum, cujus irreverentia non solum est sacrilegium propter irreverentiam, qua specie tractantur, sed etiam est etiam irreligiositas, quatenus nimirum est contra ipsius Christi personam, ut ait Suarez *de Religione lib. 3. tomo 1. cap. 6. n. 2.* Palaus *tract. 17. disp. 2. p. 3. §. 2. num. 4.* Vbi advertit quòd ille, qui injicit manus in Eucharistiam non incurrit excommunicationem contra inferentem manus violentas in clericum, quia nomine clerici in cap. si quis suadente, non comprehenditur Christus, sed clericus viator. Nec obstat quòd injuria Eucharistiæ sit major, nam excommunicatio non semper ponitur propter majus peccatum, vide Suarium *suprà*, & Palaum *loco citato*.

196 Secundò fit sacrilegium esse abusionem vasorum sacrorum, ut si quis utatur calice consecrato ad potandum, ut fecit Rex Baltassar. Si ex vestibus sactis conficiat sibi vestes profanas. Tertio abusio sententiarum sacræ scripturæ ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria & similia, aut ad stabiliendas hæreses unde omnes Hæretici, etiam sunt sacrilegi. Item sacrilegium est omnis irreverentia, quæ committitur in recitando, vel cantando officio divino, sacrisque ceremoniis obeundis. Item Musica lasciva, & profana, rebus divinis adhibita. Quarto mala tractatio, & contrectatio imaginum sacrarum, ut faciunt hæretici, vel si indecore; vel inhonestè pingantur. Quinto si reliquiæ Sanctorum indecenter, & indecore habeantur, si dissipentur eo animo ne colantur.

197 Non committitur tamen sacrilegium, si in actu venereo gestentur reliquiæ, vel agni benedicti, vel calculi cum indulgentia, nec talis circumstantia, est in confessione necessariò aperienda; quia concomitanter se habent ad actum venereum, quod etiam procedit, si dictæ res sacræ dentur Amasiæ ex gratitudine, vel benevolentia, non autem tanquam pretium actus veneri, nam in isto casu esset sacrilegium, & simonia; in primo vero est tantum irreverentia quædam re sacra remunerando actum turpem. Ita Filiucius, quem refert, & sequitur Diana 3.

198 *p. tract. 4. ref. 7.* Palaus *ubi supra n. 5.* Tamburinus *in Decalog. lib. 1. cap. 6. §. 3. à num. 7.* Baldellus *supra num. 28.* An autem si dies sacri operibus servilibus, vel aliis prohibitis violentur? Et an invasio bonorum, vel jurium Ecclesiasticorum, retentio legatorum, & decimarum Ecclesiæ sit sacrilegium majus est dubium: affirmant cum Lessio, & aliis Trullenc. *supra num. 7.* Verùm contrarium probabilius est. Ita Palaus *supra n. 11.* Tamburinus *in Decalog. lib. 2. c. 6. §. 3. n. 10.* Sunt enim hæc in cultum divinum remote destinata; erit tamen sacrilegium irreverentia contra concionem, quia est actio sacra, & instrumentum divinum ad sanctificandos cultores Dei. Vide Trullenc. *supra.*

SECTIO II.

Utrum divisio sacrilegij in tres species recensitas sit in species ultimas, seu infimas, an in species subalternas?

SUMMARIUM.

199 *Sententia, quæ asserit hanc divisionem esse in species subalternas est communis.*

200 *Sententia D. Thomæ quæ asserit esse in species infimas est probabilior.*

201 *Simonia est species sacrilegij.*

202 *Sacrilegij malitia ex genere suo est mortalis, nisi excusetur ratione parvitatis materiæ.*

203 *Poterit esse venialis ex inadvertentia, vel indeliberatione.*

204 *Peccatum quod habet repugnantiam cum rei sanctitate quamvis ex se sit mortale, non tamen tale est in ratione sacrilegij.*

205 *In confessione explicari debet in qua specie sacrilegij fuerit peccatum.*

206 *Hoc peccatum sacrilegij frequenter est conjunctum cum altero, aliquando potest malitia sacrilegij reperiri separata.*

207 *Quibus pœnis puniantur sacrilegi.*

208 *Explicantur pœnæ, quibus afficiuntur sacrilegi.*

199 HÆc quæstio nimis Metaphysica videtur, re tamen vera necessaria est in hac materia, propter confessionem; nam si illa divisio non est in species infimas, sed subalternas, non sufficit dicere in confessione sacrilegium commissum esse contra personam, locum, vel rem sacram; sed explicandus est modus particularis sacrilegij contra personam, locum, vel rem sacram, quapropter videnda est qualis sit hæc divisio. Et quòd sit in species subalternas docet Suarez, Filliucius, quos refert Trullench. *ubi supra num. 8.* & videtur approbare Lugo *de justitia d. 16. num. 474.* Palaus *tract. 17. d. 2. p. 3. §. 1. num. 5.* Baldellus *lib. 4. d. 18. num. 7.* Tancred. *tract. 2. lib. 3. d. 1. quæst. 2.* Ratio hujus opinionis est, quia longe diversæ rationis videtur sacrilegium, quod committitur in furando pecuniam Ecclesiæ, à sacrilegio quod committitur in abutendo calice sacro, nam alius cultus debetur calici, qui non debetur pecuniæ. Tum quia maxime videntur differre injicere manus in clericum, à fornicatione facta ab habente votum castitatis. Tum quia furtum in loco sacro, videtur maxime differre, à violatione loci sacri per effusionem seminis, & sanguinis. Tum quia simonia est species sacrilegij, & tamen nemo dicit ut testatur Suarez contineri in illis tribus speciebus enumeratis: ergo juxta hos diversos modos debet saltem distingui specie sacrilegium.

200 Quod autem hæc divisio sit in species infimas tenet cum D. Thom. Cajetanus 2. 2. *quæst. 99. art. 3.* quos refert, & sequitur Trullench. *ubi supra n. 8.* hancque opinionem dicit ille tutam in practica, & ego illam reputo probabilissimam, licèt contraria sit magis communis, & in praxi consulenda. Ratio hujus sententiæ est nam singulæ illæ species ex tribus illis enumeratis habent habitudinem diversam ad sanctitatem; nam persona est formaliter, & simpliciter sancta, & subjectum sanctitatis. Locus est Sanctus, & contentivus personarum, & rerum sacratum. Res verò dicuntur sacræ per habitudinem, qua ad sanctitatem ordinantur, &

cum

eum ratio cujuſlibet harum ſpecierum participetur eadem ratione à modis ſub unaquaque illarum contentis, hinc fit has ſpecies eſſe infimas, & modos ſub illis contentos non ſpecie, ſed numero differre. Vide Trullench. per quod patet ad primam rationem.

201 An autem ſimonia ſit ſpecies ſacrilegij ſub enumeratis contenta, negat Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 2. ſiquidem ſimonia committitur per modum commutationis voluntariæ, ut eſt emptio, & venditio, at vero ſacrilegium committitur per modum actionis involuntariæ, ut eſt furtum, & rapina. Sed abſolute dicendum exiſtimo, ſimoniam eſſe veram ſpeciem ſacrilegij, ſiquidem contra voluntatem Dei emittitur, & venditur res ſacra: Nec obſtat quod in tali venditione homines conſentiant, nam etiam matrimonium Presbyteri cum moniali ſit conſentientibus partibus, & tamen eſt ſacrilegium: ergo licèt per ſimoniam res ſacra vendatur, conſentientibus partibus, erit ſacrilegium. Ita cum Suario, Leſſio, Azor, Palaus, *tract.* 17. *d.* 2. *p.* 3. §. 1. *n.* 3. Baldellus *lib.* 4 *d.* 18. *num.* 4.

202 Si tamen quæras quæ ſit malitia ſacrilegij in qualibet harum ſpecierum? Reſpondeo ex genere ſuo eſſe mortalem, & contra virtutem Religionis. Poterit tamen eſſe venialis ratione parvitatis materiæ, ut ſi quis leviter percutiat clericum, vel rem parvam in Eccleſia furetur, ſecluſo tamen contemptu, & alia circunſtantia, & modo prohibitionis. Unde exactio ovi à Clerico per modum tributi, ob jus, & poteſtatem uſurpatam gravis materia eſſet ex circunſtantia; ſic etiam detentio clerici in carcere ad modicum tempus ob immunitatem
203 læſam gravis materia eſt. Poterit etiam eſſe venialis ex inadvertentia, quæ licèt eſſet culpabilis ratione diligentiæ adhibitæ, tamen quia levis eſt culpa, & negligentia, & actus non plene deliberatus: veniale tantum peccatum efficeret. Ita Suarez, Filliucius, Leſſius, Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſupra n.* 10. Bonacina, Palaus, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 3. *d.* 3. *q.* 4. *num.* 1.

204 Adde quod peccatum quod habet ſolum repugnantiam cum rei ſanctitate, quamvis ex ſe ſit mortale, non tamen tale eſt in ratione ſacrilegij, ut eſt peccatum detractionis, & inebrietatis commiſſum
205 in Eccleſia. Bonacina, & cum aliis Trullench. *ſupra*: Hinc patet non ſufficere dicere in confeſſione: commiſi ſacrilegium, ſed debere in confeſſione ad minùs explicari in qua ſpecie fuerit, ut latiùs diximus
206 *in tractatu de pœnitentia.* Advertè etiam hoc peccatum ſacrilegij frequenter eſſe conjunctum cum alio peccato, ut fornicatio clerici, homicidium in loco ſacro; aliquando tamen poteſt malitia ſacrilegij reperiri ſeparata, ut indigna ſacramentorum adminiſtratio, vel receptio, abuſus imaginum, & ſimilia. Vide Trullench. *ſupra num.* 11. Tancred. *ſupra num.* 4. Palaus *tract.* 17. *diſp.* 2 *p.* 3. §. 3. *n.* 4.

Quæres ſecundo. Quas pœnas incurrant ſacrilegi? Et loqui poſſumus, vel de pœna pecuniaria, vel de ſpirituali. Et quidem quantum ad pœnam pecuniariam, dicendum eſt neminem teneri ad illam pœnam luendam, niſi antea juridice condemnetur,
207 ut docet cum D. Thom. Suario, Trullèc. *ſupra n.* 12. Si tamen ſermo ſit de pœna ſpirituali, ut eſt cenſura. Dico non per omne ſacrilegium incurri ipſo facto excommunicationem, aut aliquam cenſuram, ſed ſolum in his caſibus. Primò ille qui manus violentas in Clericum injicit, eſt excommunicatus *cap. ſi quis ſuadente.* Secundo *in Bulla cœnæ* excommunicantur, qui Clericis gabellas imponunt, vel ab eis exigunt, vel à ſponte ſolventibus ea recipiunt, abſque Romani Pontificis licentia, & qui violant immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum, eas in ſæcularia tribunalia trahendo. Tertio qui uſurpare præſumunt bona, jura Eccleſiaſticorum, & locorum piorum, ſunt excommunicati. Ut habetur in Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 11. Quarto excommunicantur *in cap. conqueſti de ſent. excom.* ipſo facto, qui infringunt Eccleſias, vel ab eis aliquid furantur, debent tamen duo concurrere ſimul, videlicet furtum, cum fractione Eccleſiæ, unde ſi quis infringat aliquid Eccleſiæ, & non furetur, vel è contra furetur aliquid ab Eccleſia, ſine illius fractione, quia Eccleſiam invenit apertam, vel eam cum clave aperuit, non incurrit hanc excommunicationem.

Adverte tamen hanc excommunicationem eſſe 208
latæ ſententiæ, ut aperte indicant illa verba *capitis conqueſti* [*quos nunc excommunicamus, excommunicatos nuncietis.*] Ita cum Suario, Palaus, *tomo* 2. *tract.* 11. *d.* 7. *p.* 2. *num.* 5. Trullench. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 15. *num.* 12. ubi cum aliis docet hanc excommunicationem non eſſe reſervatam, quouſque denunciata fuerit, de quo vide Bonacinam *in primo præcepto Decalogi d.* 3. *quæſt.* 6. *p. unico num.* 12. Tandem adverte, hoc crimen eſſe mixti fori, & pertinere, tam ad judicem laicum, quam Eccleſiaſticum, prout eſt præventio, & pœna citra caſus expreſſos *ſupra*, eſt arbitraria, poteſtque etiam major imponi, quando delictum eſſet gravius, ut furtum cuſtodiæ divinæ Euchariſtiæ. Vide Decianum *lib.* 6. *pract. crimin. cap.* 3. Farinacium *de furtis quæſt.* 172. *à num.* 1. Tancredum *tract.* 2. *lib.* 2. *d.* 4. *quæſt.* 2. *num.* 6. Palaum, *tract.* 17. *d.* 2. *p.* 3. §. 3. *n.* 2. Baldellum *lib.* 4. *d.* 18. *num.* 51.

DISPUTATIO IV.

De Simonia.

SECTIO I.

Quid ſit ſimonia?

SUMMARIUM.

209 *Ponitur ſimoniæ definitio.*
210 *Ad ſimoniam ſaltem coram Deo ſufficit intentio virtualis.*
211 *Simonia committitur in emptione, & venditione rei ſpiritualis.*
212 *Simonia committitur omni contractu oneroſo, & non gratuito.*
213 *Dare rem ſpiritualem ex metu gravi non eſt ſimonia.*
214 *Quid ſi detur pactum in futurum?*
215 *Qui promittit pecuniam animo non emendi, nec ſolvendi, ſed tantum decipiendi, non committit ſimoniam.*
216 *Quid ſit materia ſimoniæ?*
217 *Commutatio rei ſpiritualis cum alio ſpirituali non eſt ſimonia.*

SUppono teſte D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. Si- 209
moniam à Simone Mago, qui Spiritum ſanctum
emere

emere volebat Actorum 8. nomen ſumere. Dicitur autem ſimonia, *peccatum contra Religionem conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, ſeu vendendi, vel commutandi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam, pro temporali*, ita communiter DD. dicitur autem *ſtudioſa voluntas*, ut oſtendatur hoc peccatum committi poſſe, non ſolùm externo opere, verum etiam ſola voluntate, & animo abſque opere externo, tum ut conſtet vitium ſimoniæ magna ex parte pendere ex voluntate, & intentione operantis, nam ſi tradens pecuniam, nec formaliter, nec virtualiter intendit tradere pro re ſpirituali, non committit ſimoniam, quia non habet ſtudioſam voluntatem emendi.

210 Dixi *nec formaliter, nec virtualiter*, quia ſufficit intentio virtualis, ut quis dicatur ſimoniacus, ſaltem coram Deo; hæc autem intentio virtualis tunc datur, quando quis ſolum dat aliquid temporale, ad obtinendum aliquid ſpirituale, abſque eo quod habeat aliud motivum verum, & honeſtum, v.g. redimendæ vexationis, vel ſuſtentationis, aut laboris extrinſeci; quia ad peccatum ſufficit voluntas operis, cui eſt adjuncta deformitas, etiamſi illa non intendatur formaliter, nec ad hoc ut ratio pretij intendatur: formaliter neceſſe eſt, ut dans pecuniam intendat illam eſſe pretium beneficij in actu ſignato, ſed ſatis eſt, ſi habeat intentionem pretij conſtitutivam, nempe, de hoc pro illo. Ita Palaus *d. 3. p. 4. num. 5.* Suarez *lib. 4. cap. 36.* Tancred. *tract. 2. l. 4. d. 26. num. 4.* quod verum eſt, etiamſi qui daret pretium pro re ſpirituali ſine aliquo titulo honeſto, excluderet ſe non dare propter pretium, quia poſito quod non ſit alius finis, virtualiter vult dare pro pretio. Ita cum Suario, Tancredo *ſuprà num. 5.* An autem talis cenſendus ſit ſimoniacus in foro externo? Reſpondeo hoc judicium faciendum eſſe, vel ex indicis, vel ex rei inſtructione de quibus late Tancred. *ſupra num. 6.*

211 Dicitur *emendi, vendendi*, quia ſimonia committitur in emptione, vel venditione rei ſpiritualis; per emptionem, & venditionem tamen intelligitur, omnis contractus oneroſus, qui non gratis, nec liberaliter fit, ſed prout æquivalet venditioni, & emptioni, pacto, tranſactioni, permutationi, &c. de quibus omnibus vide Bonacinam *tom. 2. d. 1. de ſimonia q. 1. num. 3.*

212 Hinc jam aliquos licet inferre caſus. Primum ſimoniam committi omni contractu oneroſo, & non gratuito; ſecundo eum qui miniſterium aliquod ſpirituale exercet ſpe lucri, aut ob humanum amorem, vel preces, eſt non committere ſimoniam; quia nullum facit contractum oneroſum, nec ſpirituale miniſterium exercet, tanquam pretium rei temporalis, hac de cauſa clericus inſerviens Epiſcopo ſpe beneficij, non committit ſimoniam, niſi pactum ineat, aut intendat beneficium, tanquam pretium ſervitutis, & obſequij, ut *infrà* patebit. Ita Bonacina *ſupra num. 4.* & cum aliis Baſæus *verbo ſimonia 2. num. 8.* Tertiò ſequitur non eſſe ſimoniam dare alicui beneficium, quia ſanguine conjunctus eſt. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 35. d. num. 9.* Victoria, Valentia, Azor, Soto, Molpheſius, Filiucius, Reginaldus, Laïman, quos refert, & ſequitur Bonacina *ſupra num. 7.* & cum multis Tancred. *tract. 2. d. 27. lib. 4. num. 1.* Ratio eſt, quia hic nullum intercedit pactum pro pretio. Tum quia auferens beneficium nihil temporale accipit pro beneficio, nec donum conſanguineo collatum exuit rationem gratuitæ, & liberalis donationis.

213 Quartò ſit non eſſe ſimoniam dare beneficium, vel aliam rem ſpiritualem ex metu, ne malum ſibi inferatur ſi hoc denegetur, nam operari ex metu non eſt operari ex pretio. Tum quia ſicut non eſt malum dare beneficium ad amicitiam acquirendam, ita non eſt ſimonia dare beneficium ad placandam iram alterius. Excipe niſi detur pactum in futurum v.g. de beneficium, dummodo ceſſes nocere, nam 214
tunc datur beneficium pro obligatione ceſſandi à malo, quæ eſt pretio æſtimabilis. Ita cum Suario, Filiucio, Tancred. *ſupra n. 13.* Quæ omnia vera ſunt, etiam ſi quis det beneficium ob metum mali juſte incuſſum, ſecluſo pacto, vel promiſſione rei ſpiritualis ſub tali conditione, ut diximus de metu mali injuſte incuſſo, erit tamen injuſtitia, ſi beneficium daretur non idoneo, ſecus ſi detur idoneo. Ita Tanc. *ſupra n. 9.* Sicut etiam non eſſet ſimonia, ſi quis poſita idoneitate, & aliis requiſitis, conferret beneficium filio, Patrem, v.g. ſperans, ut hoc pacto ille tradat filiam uxorem nepoti, vel etiam, ſi Franciſcus nollet dare, v.g. centum in dotem nepoti Epiſcopi, quia aliàs filius remaneret pauper, & Epiſcopus diceret, ego tuo filio provideo de beneficio, ſi hoc fiat ſine ulla paſſione, nec tacita, nec expreſſa, quia vere beneficium non datur pro aliquo onere temporali, ſed tantum datur ad ſubveniendum filio Franciſci, & ad matrimonium facilitandum cum tanta, vel tanta dote. Ita Toletus *lib. 1. cap. 90. n. 3.* Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 27. num. 10.* Et idem dicendum eſt, ſi detur beneficium timore lucri ceſſantis, ſecluſo pacto, vel aliqua conditione, ut ſi quis ad petitionem principis daret beneficium, timens quod ſi illum deneget, non promovebitur ad majorem Epiſcopatûm, vel ſi conferat beneficium debitori, ne amittat debitum, & ſic patiatur hoc damnum, non enim intendit, ut ſuppono, tuum lucrum, ſed quod ſuum eſt. Ita cum Suario, Bonacina, Valentia, Reginaldo, Molpheſio, Sanchez, Tancred. *ſupra num. 7. & 8.*

Quintò ſequitur, cum qui promittit pecuniam 215
pro beneficio, animo non vere emendi, vel ſolvendi, ſed decipiendi duntaxat, non committere ſimoniam, etiamſi promiſſionem confirmet inſtrumento, vel juramento ficto, & ſimulato. Ita Cajetan. Reginald. Sotus, Toletus, Leſſius, Laïman, quos refert, & ſequitur Bonacina, *ſupra num. 5.* Ratio eſt, quia iſte non habuit voluntatem vere emendi, ſed mendacio decipiendi, peccat tamen tunc, quia alterum inducit ad ſimoniam, & in foro externo reputabitur ſimoniacus. Imò in foro conſcientiæ reus erit ſimoniæ; quia cooperatus eſt ſimoniæ alterius, ut recte ait Bonacina, *ſupra num. 5.* non erit tamen hoc peccatum directe propriæ, & veræ ſimoniæ conventionale, ut vult Navarrus, *in manuali cap. 23. num. 106.* Bonacina *ſupra num. 5.* ſed tantum erit peccatum injuſtæ deceptionis, ſcandali, & cooperationis ad ſimoniam mentalem alterius, & in foro externo puniri poterit per judicem, tum propter dictas malitias, tum propter ſimoniam præſumptam. Ita Suarez *de Religione tom. 1. lib. 4. num. 5.* Baſæus *in ſupplemento verbo ſimonia numero 1.*

Dicitur in definitione emendi, vel vendendi rem 216
ſacram, vel ſpiritualem, ut oſtendatur materia ſimoniæ; nam materia ſimoniæ eſt res ſpiritualis, ſeu ſacra, & ſupernaturalis, ſeu ſpirituali annexa; per rem autem ſpiritualem intelliguntur, quæ à Deo, ut eſt author ſupernaturalis, id eſt, ut eſt, hominum, & Angelorum ſalvator, & glorificator procedunt, vel ad illum ut ſic ordinantur, & eſt quadruplex, quædam eſt ſpiritualis per eſſentiam, ut virtutes ſupernaturales, & dona ſupernaturalia, ut gratia, fides, ſpes, charitas, dona gratiæ gratis datæ, quædam vero cauſaliter,

Digitized by Google

cauſaliter, quia ſcilicet ſunt cauſa prædictarum rerum, ut ſacramenta, ad quæ reducuntur ſacramentalia, ut aqua benedicta, catechiſmus, exorciſmus, Chriſmatis confectio. Aliæ ſunt ſpirituales effectualiter, quia ſcilicet ſunt operationes ex aliqua poteſtate ſpirituali procedentes, aut operationes ad Deum ordinatæ, ut diſpenſare in voto, matrimonio, abſolvere ab excommunicatione, concionari, cantare in choro, ſepelire mortuos; tandem quædam ſunt res ſpirituales ex annexione, quæ ſunt in duplici differentia, quædam quæ ad officium ſpirituale ordinantur, vel ex ſpirituali ordine pendent, ut ſunt omnia beneficia Eccleſiaſtica, jus enim percipiendi fructus beneficij ut annexum ordini clericali, & ad officium divinum ordinatur, quædam quæ præparatoria ſunt ad ſpiritualia, ut vaſa ſacra, veſtes ſacræ, candelæ benedictæ, campanæ benedictæ, templa, jus patronatus, quod ordinatur ad præſentandos clericos ad beneficia, &c. & hæc omnia intelliguntur nomine rei ſpiritualis, ut latius in ſequentibus explicabimus. Ita hanc particulam explicat Sanchez *in conſiliis lib. 2. cap. 3. dub. 1. numero 2.*

217 Dicitur tandem in definitione *pro temporali pretio*, ut oſtendatur ſimoniam non committi dum rem ſpiritualem comitatur alia res ſpiritualis, ut *infra* dicemus, turpitudo namque hujus peccati conſiſtit in eo quod ſpiritualia æſtimentur pretio humano, vel re aliqua humana, quæ ſit pretio æſtimabilis, res namque temporalis vilis eſt, & nullius momenti reſpectu rei ſupernaturalis; unde ſi temporale tradatur ut pretium rei ſpiritualis, magna illi fit injuria, & irreverentia. Vide Bonacinam *ſuprà* & alios.

SECTIO II.

An communis diviſio pretij ſimoniæ, nempe muneris à manu, à lingua, & obſequio, ſit bona?

SUMMARIUM.

219 *Quid comprehendatur ſub munere à manu?*
220 *Quid ſit munus à lingua?*
221 *Quid ſit pretium obſequij?*
222 *Quædam corollaria ponuntur.*
223 *Dare beneficium ob aliquod obſequium ſpirituale factum, vel faciendum eſt ſimonia.*

218 Dico primo. DD. ſolent triplex pretium diſtinguere pretium muneris, pretium linguæ, & pretium obſequij pretium muneris, dicitur, ut pecunia, equus, veſtis, & ſimilia vendi conſueta, ſive mobilia, ſive immobilia. Item remiſſio debiti, aut promiſſio remittendi illud, item promiſſio rei non debitæ, in eo caſu, quo erit ſibi debita, ut ſi eligendus in parochum promitteret ſe remiſſurum dimidiam partem præbendæ cæteris canonicis electoribus; vel ſi patronus præſentaret parochum ſub conditione, quòd ille non accepturus eſſet reditus præbendæ, vel ſi quis conſtituat titulum patrimonij ex ſuis bonis alteri, cum promiſſione, quod nihil poſtulabit. Ita cum Suario, Navarro, Filliucio, Bonacina, Palao, Tancred. *ſuprà num. 4.* non erit tamen ſimonia dare patrimonium cum pacto, ut ordinatus reſtituat fructus, ſeu quod non ſit fructus recepturus, quia datio patrimonij, non eſt præſentatio ad ordines, nec quid ſpirituale. Imo dico nec eſſe peccatum, quando ordinatus vere eſſet perſona honeſta, & poſſet aliunde juxta ſuam conditionem vivere, quia jam ceſſat finis Tridentini in hoc caſu. Ita Tancred. *ſupra num. 5.*

Secundo ſub munere à manu comprehenditur 21
mutuatio pecuniæ, ut ſi quis tribueret beneficium ſub conditione, vel pacto, ut ſibi mutuet pecuniam; Et idem dicendum eſt ſi petatur dilatio debiti ex juſtitia ſolvendi hic, & nunc, vel è contra, ſi peteretur debiti ſolutio antequam debeatur; Ratio eſt, quia licet mutuum non ſit realiter pretio æſtimabile, negari tamen non poteſt, eſſe quoddam temporale commodum ad movendos animos; dixi *ſub conditione & pacto*; quia ſi mutuum detur ad benevolentiam captandam ſive antea, ſive poſt, ſive in ipſa beneficij collatione, non erit ſimonia. Ita cum Garcia, Flaminio, & cum aliis Palaus *d. 3. p. 3. num. 3.* & cum aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 28. num. 6.* Denique omne damnum jure poſitivo prohibitum dari pro re ſpirituali, ad munus à manu reducitur, quamvis ſit ſpirituale habens annexum temporale, ut ſi petatur permutatio, vel reſignatio beneficij, aut quid ſimile. Ita cum communi ſententia Tancred. *ſuprà num. 5.*

Dico ſecundo: Munus à lingua, eſt laus, & vi- 220
tuperium patrocinium advocati, commendatio apud principem; hoc enim officium eſt, pretio æſtimabile. Unde ſi collatur, vel præſentetur ad beneficium faceret pactum expreſſum, vel tacitum cum aliquo, ut fundat pro ſe preces apud principem, &c. & quòd ei conferet beneficium, ſimoniam committit; ſiquidem hæ preces ſunt quid temporale, & pretio æſtimabile: ergo pro illis dare beneficium, erit ſimonia. Secus ſi hæc præciſo pacto fiant ex gratitudine. Unde erit ſimonia, ſi priùs preces præcedant ex pacto v. g. ſi intercedas pro me apud Regem, dabo beneficium; quod intellige, ſi ſit animus inducendi obligationem. Sanchez *lib. 2. concil. cap. 3. dub. 28.* Suarez, quem refert, & probabile putat Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 3. num. 5.* Et id quod diximus de precibus, dicendum eſt de adulationibus; unde erit ſimonia, ſi Epiſcopus det beneficium alicui nobili, eo pacto, ut ipſe profiteatur ſe eſſe conſanguineum Epiſcopi, vel eum laudet coram Rege, & ita de aliis ſignis honoris exhibitis ex pacto dicendum eſt. Ita cum Suario, Tancred. *ſuprà num. 6.* Quæ intellige, ſi hæc ſigna benevolentiæ ex pacto inducente obligationem fiant, ſecus ſi non inducant obligationem. Ita Sanchez ſupra, & probabile *putat* Tancred. *ſuprà num. 7.*

Dico tertiò: Pretium obſequij eſt miniſterium 221
aliquod, in rebus temporalibus, ut eſt famuli, & œconomi; Requiritur tamen ut ſit ſimonia, quòd beneficium detur, aut accipiatur in compenſationem obſequiorum, veluti ſolutionem obligationis ex juſtitia, quia jam datur ſpirituale pro temporali; vel è contra ſecus ſi detur tantùm gratis, licèt ex motivo obſequiorum, quia tunc obſequia non habent rationem pretij, ſed tantum gratis datur, licèt ex motivo famulatus, & ſervitiorum, nec conferens beneficia ſe eximit ab obligatione juſtitiæ, quod verum eſt etſi obſequia præſtita fuerint turpia, ut ſi prælatus alicui det beneficium, quia fuit leno, & ſervivit Domino; nam licet beneficium ex hoc motivo conferre ſit indignum; nam tamen eſt vera ſimonia, cum non habeat rationem pretij, Ita Suarez *lib. 4. cap. 39.* Jovar, Molpheſius, Azor. quos refert, & ſequitur Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 29. num. 1.*

222 Ex hoc capite excusantur principes sæculares, qui habent jus præsentandi, & Episcopi, & illi, qui ipsis serviunt à simonia; hi enim dum famulatum gratis recipiunt, & postea intuitu talis famulatus beneficia adpræsentant, titulo tantum gratitudinis faciunt. E contra verò si acciperent famulatum in re necessaria, tunc enim necesse est, ut pactum tacitum intercedat, & nisi detur temporale aliquod stipendium, vix poterit à simonia excusari, conferendo beneficium. Ita cum Suario, Bonacina, Sanchez *lib.2. consiliorum c.3. dub.27. numero 7.* Filliucius, *cap.10. num. 24.* Tancred. *suprà num. 2.* Hinc fit non fore simoniacum qui sit capellanus Regis, etiamsi principaliter intendat aliquam prælaturam ob sua servitia, imò etsi munera Regi offerat, non ut obligantia, sed tantum moventia, vel ad ejus gratiam conciliandam; vel si quis in curiam Cardinalium se conferat, sustentans se suis expensis, & solum ad præstandum obsequium, & honorem comitetur illum, &c. è contra vero si fiat Cardinalium Aulicus, secretarius, à cubiculo, &c. tunc enim necesse est saltem quod ab eo sustentetur, etsi alias gratis serviat, alias videtur esse pactum implicitum, si nihil recipit, quamvis si vere gratis procedatur, & tantum ad amicitiam fiant; & Cardinalis vere det beneficia, aut procuret beneficia titulo gratitudinis coram Deo à simonia poterit excusari. Ita cum Sanchez, Bonacina, Tancred. *supra numero tertio*, requiritur enim semper pactum, vel promissio, sub conditione alicujus obsequij præstiti, saltem facile, ut detur simonia coram Deo. Unde licet Episcopus possit dare alicui beneficium, sperans ab eo quod gratis doceat Theologiam, non tamen potest ei hanc obligationem imponere. Ita cum Suario, Bonacina, Tancred. *supra numero quarto.* Excipe nisi beneficium habeat antecedenter annexam hanc obligationem docendi Theologiam ab eo, qui talem annexionem efficere potest, qui solus est Papa, vel Episcopus in cathedrâ in jure expressis, nam tunc poterit Episcopus dare talem præbendam cum ea conditione docendi Theologiam præbendæ annexam. Ita Suarez *lib.4. c.39.* & alij communiter apud Tancredum *suprà numero quinto.*

223 An autem sit simonia dare beneficium ob aliquod obsequium spirituale jam factum, vel faciendum? Respondeo negative, si non detur pro obligatione sit pretio æstimabilis, jam erit dare beneficium pro munere ab obsequio. Hinc fit esse simoniam, si patronus det beneficium cum onere, ut præsentatus pro eo celebret tot Missas. Ita cum Suario, Rodoan. Rebuffo, & aliis Tancred. *suprà num. 7.* Excipe nisi tale onus sit antecedenter annexum prædictæ præbendæ ab eo, qui talem annexionem efficere potest, juxta cap. significatum de præbendis, & Tridentinum *sess.24. cap.10. de reformatione.* Ita cum communi sententia Tancred. *suprà numero 9.* Hinc fit non esse simoniam, nec illicitum dicere hodie Missam pro sacerdote, cum pacto, quod ille horas celebret pro me, &c. quia spirituale pro spirituali commutatur, & nulla est Ecclesiæ prohibitio.

SECTIO III.

Quotuplex sit Simonia?

SUMMARIUM.

224 *Simonia dividitur in eam, quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani.*
225 *In quo consistat simonia conventionalis?*
226 *An quod ex his membris reducatur simonia confidentialis?*

Dico primò: duæ sunt præcipuæ divisiones simoniæ. Prima est, qua dividitur simonia in eam, quæ est juris divini, & in eam, quæ est juris humani, de quibus in sequentibus statim dicemus. Altera est, qua simonia dicitur in mentalem, conventionalem, & realem. Simoniam mentalem vocamus hoc loco, non quidem internum propositum, quo quis vult exteriùs simoniacè contrahere, (quamvis hoc etiam sic appellari posset.) Sed propositum internum, quo quis dum confert alteri rem spiritualem, intendit illum obligare ad reddendum temporale, vel è contra, quando confert temporale intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo; ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut in mercedem conferatur ei beneficium, & tandem beneficium conferatur, nulla tamen exterius verbis aut nutibus facta conventione, erit simoniacus mentalis. 224

Conventionalis consistit in pacto, seu conventione expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali, quæ conventio aliquando etiam fit obsequiis, & nutibus. Distinguitur autem hæc simonia à mentali, ob conventionem externam, saltem tacitam, quam non includit mentalis. Simonia realis est quando pactio ex utraque parte completa est, saltem inchoate, ut si collatio beneficij facta sit & pretij pars soluta. 225

Dices dari potest simonia confidentialis in beneficiis, sed hæc non revocatur ad ullum membrum perfectæ divisionis: ergo imperfecta est prædicta divisio in mentalem conventionem, & realem. Respondetur simoniam confidentialem posse reduci aliquando ad mentalem, aliquando ad conventionalem, aliquando ad realem: ad mentalem revocatur, quando quis resignat beneficium intentione obligandi alterum, sed ei non manifestat suam intentionem, quamvis hæc non est propria simonia confidentialis, nec cadit sub pœnis simoniæ confidentialis, nec cadit sub pœnis simoniæ confidentiali impositis. Ad conventionalem revocatur, dum pactum initur de resignando, vel conferendo, vel instituendo, vel præsentando beneficio, cum pacto, ut beneficium sibi, vel alteri restituatur, vel ut sibi, vel alteri pars fructuum tradatur. Realis verò confidentialis contingit, dum beneficio reipsa renunciatur, vel confertur, cum pacto, ut sibi, vel alteri restituatur, vel sibi, vel alteri pars fructuum tradatur, & hæc simonia cadit sub pœnis latis à Pio IV. etiamsi non sit completa ex utraque parte, sed solum resignatum, vel collatum sit beneficium cum prædicto pacto, & effectus restitutionis nondum secutus sit, ut *infrà* dicemus loquentes de pœnis contra committentes simoniam confidentialem. 226

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Quo jure sit prohibita simonia, & an aliqua sit simonia solum de jure Ecclesiastico?

SUMMARIUM.

227 *Quotuplex sit res spiritualis circa quam est simonia?*
228 *Simonia est peccatum grave contra Religionem*
229 *In peccato simoniæ non datur parvitas materiæ, nisi ex ignorantia, vel consideratione.*
230 *Iure divino naturali est prohibita simonia circa res spirituales, quæ suapte natura sunt sacræ.*
231 *Circa venditionem beneficiorum quomodo detur simonia?*
232 *Dari potest simonia jure tantum Ecclesiastico prohibita.*
233 *In simonia respectu Dei non datur malitia injustitiæ, sed tantum contra Religionem.*
234 *Quid dicendum sit respectu hominis?*

227 SVpponendum est cum Sanchez *in consiliis l.2. c.3. dub.2. n.2.* & nos jam supra tetigimus, res spirituales circa quas est simonia esse quadruplices, quædam sunt suapte natura sacræ, ut gratia, & sacramenta, gratiæ gratis datæ. Aliæ quæ habent sanctitatem ex consecratione, & benedictione Ecclesiæ, quæ nequit postea ab eis separari dum manent integræ, ut calix, vestes sacræ, ara. Aliæ quæ non fiunt sacræ per aliquam consecrationem, seu benedictionem, sed per hoc, quod connectuntur aliquibus spiritualibus, ut beneficia. Aliæ tandem sunt, quæ sunt officia temporalia Ecclesiæ, quæ nullam habent sanctitatem, nec per benedictionem, nec per connexionem, ad spiritualia, sed recipiunt aliquam per hoc, quod Ecclesia voluit ne vendantur, ut munus œconomi Ecclesiæ, hoc est qui res Ecclesiæ, & canonicorum gubernat, sacristæ, procuratoris, judicis, seu defensoris Ecclesiæ, & cujuslibet administrationis rerum Ecclesiasticarum, his suppositis,

228 Dico primò: certum est apud omnes simoniã esse peccatum grave contra Religionem, quia venditur quod venale non est, cum excedat omne pretium, & cujus non est dominus venditor, sed tantum dispensator. Tum quia per simoniam infertur gravis injuria Deo, & rei sacræ, cum conferatur, commutetur, & comparetur cum re temporali, & consequenter contemnitur res sacra.

229 An vero in hoc peccato detur parvitas materiæ? Respondeo quod solum per ignorantiam, vel inconsiderationem dari potest in hoc peccato culpa venialis. Ita Suarez *lib.4. de simonia cap.3. n.5.* Baldelus, Villalobos, & alij, quos refert Pascaligus *decisione* 47. 8. Basæus *verbo simonia* 1. *num.*3. Sanchez, Palaus, Joannes Sanctius, Homo bonus, Molphesius, quos refert Diana *5. part. tract.7. resol.*2. contra Gordonum, Molinam, Reginaldum, Merolam, quos refert, & sequitur Diana, *supra*, qui cum Bonacina stando in hac sententia dicit, materiam parvam esse, quæ excusaret in furto à peccato mortali. Ratio tamen nostræ sententiæ est, quia neque ex parte pretij, neque ex parte rei spiritualis, potest diminui hoc peccatum, ut fiat veniale, nam quantumvis minima res spiritualis vendatur pretio maximo, semper contemnitur, nullum enim est pretium humanum, quo talis res, licet minima possit comparari. Tum quia quantum est ex parte talis actionis, subtrahitur tale damnum à gratuita donatione Dei. Potest tamen esse veniale interveniente ignorantia facti, vel inadvertentia, vel potest esse ignorantia juris, ut si quis existimet in tali materia non dari simoniam prohibitam.

230 Dico secundò: certum est jure divino naturali esse prohibitam simoniam, quæ est circa res spirituales, quæ suapte natura sunt sacræ. Similiter est simonia jure divino prohibita, quando res spirituales, quæ habent sanctitatem ex consecratione, vel benedictione venduntur ratione benedictionis, vel consecrationis, licèt aliqui jurisperiti oppositum censeant apud Sanch. *supra*. Prima pars assertionis probatur, quia si res suapte natura spiritualis vendatur, tractatur ut subjecta humano arbitrio, & æstimationi & non ut res suo modo divina, & pendens à liberali largitione Dei: item tractatur ut res vilis, parvæ æstimationis; sed hæc sunt contra jus naturæ, ergo. Secunda verò pars asserti, quòd scilicet sit simonia jure naturali & divino prohibita vendere res sacras quæ habent sanctitatem ex consecratione vel benedictione, si vendantur ratione consecrationis, etiam liquet, quia licèt benedictio solo jure Ecclesiastico sit inducta, at facta benedictione manent in se spirituales, & ex natura sua invendibiles, sicut consecrare hanc Ecclesiam est de jure Ecclesiastico, at facta consecratione est de jure naturæ, ne semine polluatur.

231 Dico tertiò: circa res tertij generis, nempe circa venditionem beneficiorum, certum in primis est, beneficia, quoad ipsum spirituale jus, quod includunt, & in quo fundantur, esse materiam simoniæ juri divino contrariam, ut tenent communiter DD. apud Suarium de simonia *cap.* 24. *num.*4. An vero vendere beneficia ratione temporalis emolumenti, & commodi, quod ex illo alicui provenit, sit simonia jure divino, an jure Ecclesiastico prohibita? magna est quæstio inter autores, de qua suo loco *infrà* agemus.

232 Dico quartò: dari potest simonia jure tantum Ecclesiastico prohibita, hæc assertio est communis inter DD. apud Bonacinam *de simonia disp.1. q.3. num.*2. contra Durandum, Paludanum, Sotum quos refert, & impugnat Suarez *de simonia lib.4. cap.7. n.*2. Ratio est, quia Ecclesia potest facere rem immunem à laica potestate, exempli gratia, potest facere, ne judex ferat in Ecclesia sententiam, aut ne quemquam ab Ecclesia extrahat, & quod sacrilegium committat, ferendo sententiam in Ecclesia, aut aliquem extrahendo, ergo potest prohibere ne res adnexa rei sacræ vendatur in reverentiam talis rei. Versatur autem simonia jure Ecclesiastico circa res, quæ sunt officia temporalia Ecclesiæ, quæ nullam habent sanctitatem, nec per benedictionem, aut consecrationem, nec per adnexionem ad spiritualia, ut munus œconomiæ, &c. Ad quam simoniam jure Ecclesiastico prohibitam reducitur, commutatio unius beneficij cum alio, sine ratione pretij, quando fit absque superioris authoritate, ut *infrà* dicemus. Adverte tamen non esse simoniam, etiam jure Ecclesiastico, vendere res mobiles, aut immobiles Ecclesiæ, ut optime Bonacina *supra q.3. d.1. num.*9. Nec obstat *cap. salvator*, ubi generaliter dicitur, venditionem rei Ecclesiasticæ simoniam esse, nam *ibi* textus loquitur de officiis Ecclesiasticis habentibus adnexam administrationem Ecclesiasticam.

233 Sed quæres an in peccato simoniæ, non tantum sit malitia contra Religionem, sed etiam injustitiæ? Respondetur, quod respectu Dei, tantum est malitia contra Religionem. Ratio est, quia res spiritualis,

tualis, quæ venditur, non est hominis, sed Dei, & ideo si in tali venditione est aliqua injustitia, quatenus venditur res spiritualis contra voluntatem domini, solum est respectu Dei. Hæc autem malitia non est contra aliam virtutem, præter Religionem, quia justitia ad Deum non est nisi Religio; nec intra hanc virtutem sunt *ibi* duæ malitiæ, una contra venerationem debitam rebus sacris, & alia contra Deum, seu dominium ejus, quia hæc injustitia non tantùm est in alienatione, quantum in modo; nam Deus non privatur dominio talis rei, nam cuicumque conferatur, semper illius est; sed tantùm dare tali modo, venditione scilicet, & pacto; ergo tota hæc injustitia respectu Dei reducitur ad irreverentiam, quæ fit Deo, non debito modo utendo tali re.

234 Respectu tamen hominis, toties datur injustitia, quoties ratione solius spiritualitatis rei, aliquod temporale pretium accipitur, ut si aqua, vel calix, quia benedicta pluris vendantur, quam materia naturalis calicis, vel aquæ valent, vel expensæ in calice faciendo, vel aqua acquirenda factæ. Ratio est quia ratione solius spiritualitatis res non est pretio æstimabilis, & consequenter non est magis æstimabilis, quam ratione materiæ valeat; imò videtur minus æstimabilis, quia ratione spiritualitatis, est magis limitata, quoad usum, quia solum ad usus sacros sumi potest: ergo si aliquid accipiatur ob solam consecrationem, non solùm erit simonia, sed etiam contra justitiam, cum pecunia aliena falso titulo surripiatur contra justitiam. Ita Suar. *de Religione lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. & cum Filliucio, Balæus *verbo simonia* 1. *num.* 4. Addo tamen, quod si venditor rei spiritualis privetur aliquo emolumento temporali, v. g. fructibus beneficij, non committere injustitiam recipiendo pretium pro privatione hujus emolumenti, quem patitur. Ita cum Lessio, Palaus *d.* 3. *p.* 1. *n.* 6. sed de his vide *infra hoc eodem tract.* 4. *num.* 319. & 320. hoc enim magis ibi explicatur, & juxta ibi dicenda intelligenda sunt.

SECTIO V.

Utrùm vendere spiritualia naturalia, ut scientias, & artes quæ humano sudore comparantur sit simonia?

SUMMARIVM.

235 *Non est simonia scientiam, seu dona spiritualia intellectus speculativa, vel practica vendere.*

236 *Quædam corollaria ponuntur.*

237 *Non est simonia vendere opera virtutum naturalium, sive intellectus, sive voluntatis.*

238 *Quædam corollaria ponuntur.*

239 *An in materia Religionis naturalis dari possit simonia?*

235 Dico primò: non committitur simonia vendendo scientiam, & doctrinam, seu dona spiritualia intellectus speculativa, vel practica. Ita communiter Doctores apud Bonacinam *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 10. *num.* 1. contra Altiodorensem, Alensem Sylvestrum, apud Suarium *tom.* 1. *de simonia lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 5. Ratio est, quia hic non venditur ipsa scientia, quæ inhæret intellectui, hoc namque impossibile est, sed actus, & exercitium ipsius scientiæ; sed hoc exercitium vendi potest, sine labe simoniæ: ergo probatur minor, quia materia simoniæ est res aliqua sacra, pertinens ad Religionem; sed actus scientiarum naturalium, non sunt res sactæ: sed potius sunt res naturales, non pertinentes ad Religionem: ergo in venditione ipsarum non committitur simonia.

Et hinc plures licet jam casus inferre. Primum 236
quod potest Jurisperitus vendere suum consilium, & patrocinium, licet sit in causa spirituali, ut Matrimonij, & hæresis, secundò quod Doctor, licet sit ditissimus potest majus pretium recipere pro docenda scientia, licèt minus laboret, imò licèt posset suam scientiam in alium transfundere sine labore, adhuc posset pretium recipere, & hoc etiamsi vendens exercitium harum scientiarum illam per miraculum sine labore consecutus fuisset; nam miraculum non mutat rei naturam, nec extrahit illam à materia naturali, sicut miraculosè obtinens brachia, quibus antea carebat, non committit sacrilegium, vel simoniam recipiendo stipendium laboris, quem brachiis præstat. Imo licet vendens scientiam, intenderet vendere ipsam veritatem naturalem, non committit simoniam, licet aliquando possit committere injustitiam. Prima pars probatur, quia veritas naturalis, non est aliquid supernaturale, & sacrum. Tum autem quis dicitur vendere veritatem, quando ultra stipendium laboris, & industriæ, exigit aliquid pro ipsa veritate; quod si duplex accipiat stipendium, pro doctrina, aliud pro veritate, pro ut à doctrina distinguitur, peccat contra justitiam, nam qui tenetur ex justitia docere doctrinam, tenetur ejus veritatem docere, vide cum aliis Suarium *ubi suprà.*

Secundò infertur, quod si donum linguarum, sa- 237
nitatis, & scientiæ naturalis, infunderetur à Deo ad ædificationem aliorum, & salutem spiritualem, esset simonia hæc vendere; si vero non ad hoc, non esset simonia, sed licitum, ut si alicui daretur miraculosè ars medicinæ, & curaret applicando activa passivis, posset pretio facere, sicut qui miraculosè acciperet a Deo artem fabrilem, posset pretio eam vendere. Unde illi qui habent donum sanitatis, & salutant, verbi gratia, saluratores, qui sine applicatione medicinarum, sed sola benedictione sanant, non possunt sine simonia, vendere sanitatem, possunt tamen aliquid accipere in propriam sustentationem, ut ex dicendis patebit. Tertiò infertur non posse dari beneficium, pro docenda scientia, sine simonia, quia hoc est pretio æstimabile. Unde cum datur beneficium docenti aliquam scientiam, non datur ut pretium, sed illi præbendæ assignatur ut annexum illud docendi munus, ut *infrà* latius dicemus: vide Sanchez *in consilio tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *d.* 8. & 25.

Dico secundò: non est simonia vendere opera virtutum naturalium, sive intellectus, sive voluntatis. Probatur clare, quia hæ actiones, & tota materia in qua versantur, non solùm sunt naturales, sed etiam ad Religionem non pertinent, ut suppono: ergo nullo modo pertinent ad materiam simoniæ, antecedens constat; quia hîc solùm loquimur de virtutibus mere naturalibus, excludendo actus virtutum, quæ ad Religionem naturalem pertinere possunt, ut statim dicemus: ergo in his virtutibus intercedere potest venditio, non habituum ipsarum virtutum (hoc enim est impossibile) sed ratione operationis talium virtutum, quatenus ab uno fiunt in commodum alterius. Ita Suarez *suprà num.* 10.

Hinc infertur primò: non esse simoniam sume- 238
re pretium pro dando consilio naturali, etiamsi detur in ordine ad conscientiam naturalem, ut hîc dicam) seu ad operandum, & faciendum honestum,

Digitized by Google

ſtum, & vitandum pravum, etiam ſi tale conſilium detur in foro conſcientiæ tantum. Ratio eſt quia tota hæc materia eſt naturalis, & nullo modo ſacra. Nec obſtat ſi dicas honeſtatem naturalem non poſſe vendi, cum nullo ſit pretio comparabilis. Reſpondetur namque, quòd licèt honeſtas vendi non poſſit, induſtria tamen, & auxilium ad cognoſcendum, & operandum honeſtum vendi poteſt; item licet opus honeſtum non poſſit pretio æſtimari, poteſt tamen quatenus laborioſum eſt, & ut delectabile, & utile ad humanam exiſtimationem, quando vero advocati, vel conſulentes in hoc peccent contra Juſtitiam, vel Charitatem late agitur in materia de juſtitia.

Secundò infertur, non eſſe ſimoniam accipere pretium pro exhortatione aliqua ad virtutem moralem, & ad vitanda peccata contra legem naturæ, ſive in publica concione, ſive privata fieret, ut ſi communitas aliqua induceret philoſophum, vel eloquentem oratorem, ut populum ad virtutem excitaret, non enim hoc munus, excedit vires naturales. Vnde non ſolùm poſſent ſumere aliquid pro ſuſtentatione, ſed ſimpliciter per modum contractus venditionis, penſando non tantum laborem corporalem, ſed etiam dignitatem actionis, & majorem induſtriam, & alias qualitates actionis, & perſonæ, quia tota actio eſt mere naturalis.

Tertiò infertur nullo modo pertinere ad ſimoniam, vendere opera miſericordiæ, juſtitiæ, aut ſimilia, nec per ſe vitioſum eſſe, niſi ubi ratio juſtitiæ, aut miſericordiæ aliud poſtularet. Ratio eſt quia ſervire infirmis opus miſericordiæ eſt, & tamen emi poteſt, ergo &c. dices vendi poteſt ratione materialis actionis, non quatenus miſericordia eſt. Reſpondeo cum Suario *ſuprà*, omni modo quo poteſt excogitari tale opus vendibile, de facto poſſet etiam jure vendi per ſe loquendo, quia nulla ratio alicujus virtutis obſtat. Vnde in contractum deduci poſſet cum omnibus conditionibus externis neceſſariis ad virtutem & honeſtatem talis operis. Præterea ſi Judex venderet juſtitiam, ſive bene ſive male alias faceret, non committeret tamen ſimoniam in naturalibus, vel politicis. Et idem dicendum eſt de teſtimonio, ut ſi quis pro veritate dicenda reciperet pecuniam, poterunt tamen hic dari alia peccata, verbi gratia, contra juſtitiam, ut ſi judex tenebatur ex juſtitia ratione officij, vel teſtis tenebatur ex charitate, vel miſericordia proximum juvare gratis, ut ſi pars eſſet pauper, & eſſet in neceſſitate, vel denique poteſt eſſe licitum propter leges prohibentes, ut accidit in judice, & teſtibus: vide de his Suarium *ſupra*.

Quartò infertur non eſſe ſimoniam dare alteri pecuniam, ut omittat aliquod opus bonum, vel ne alteri benefaciat, nam hæc & ſimilia eſſe poterunt contra charitatem, & juſtitiam, ad ſimoniam tamen nihil ſpectant. Tum quia ipſum bonum opus, cui omiſſio adverſatur, non eſt quid ſactum pertinens ad Religionem: ergo nec ipſa omiſſio. Tum quia ſimonia committitur, dando ſpirituale pro temporali, quod hic non accidit. Ita Suarez *ſuprà num.* 8. Filliucius, Leſſius, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina *de ſimonia d.* 1. *quæſt.* 4. §. 9. *num.* 1. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 5. *per totum*. Et idem dicendum eſt de eo, qui daret licentiam docendi pro pecunia. Excipe quando illa licentia pendet à poteſtate ſpirituali, ut talis eſt; ita cum Suario, Hoſtienſi, Tancred. *tractatu* 2. *lib.* 4. *d.* 5. *numero* 5. Vnde ſi Prælatus regularis daret alicui Cathedram, vel conventualitatem pro pecunia, committeret ſimoniam; ſiquidem hæc licentia datur ex vi juriſdictionis ſpiritualis, quam habet in ſubditos ad eos dirigendos in viam perfectionis. Leſana *verbo ſimonia numero* 11. & cum Suario, Filliuc. Tancred. *tractatu* 2. *lib.* 4. *d.* 5. *numero* 5. & *d.* 15. *numero* 10.

An autem in materia Religionis naturalis dari 239
poſſit malitia ſimoniæ naturalis? Reſpondeo affirmative. Ita cum aliis Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 4. *cap.* 8. *numero* 2. & cum eo & aliis Tancred. *tractatu* 2. *lib.* 4. *d. numero* 23. Ratio eſt; quia in pura natura, verbi gratia, inter gentiles, qui unum verum Deum adorant, per puram rationem naturalem, poteſt eſſe verum Sacerdotium, nam in his hominibus recta ratione naturali utentibus datur poteſtas eligendi veros Sacerdotes veri Dei, ut notavit Suarez *ubi ſuprà*: ergo venditio hujus Sacerdotij fuiſſet contra rationem naturalem, & contra Religionem naturalem; ergo illud peccatum eſſet ſimonia naturalis; antecedens ſupponitur, ut certum, quia Sacrificium, & Sacerdotium ſunt ſuo modo de lege naturæ, ſicut & Religio, & cultus externus Dei: ergo ſecluſo ordine fidei, & gratiæ, eſſet poteſtas in communitate humana creandi Sacerdotes, & conſtituendi totum ordinem rerum ſacrarum, non minus, quam principatum politicum; conſequentia vero probatur, quia venditio Sacerdotij, ex jure naturæ eſt mala, & Religioni contraria, nam licèt illa dignitas fuiſſet naturalis, erat tamen ſacra, propter habitudinem ad Deum, & ideo in majori æſtimatione habenda, quam res, quæ temporaliter venditur; ergo &c. vide de his latiùs Suarium ſi placuerit. Adverte tamen quod hæc ſimonia foret diſtincta ſpecie à ſimonia, quæ nunc de facto datur, quia ſicut Religio infuſa, & naturalis differunt ſpecie; ita & peccata ſimoniæ contra ipſas.

SECTIO VI.

An docere pretio Theologiam ſit Simonia?

SUMMARIUM.

240 *Quædam ſuppoſitiones proponuntur.*

241 *Vendere Theologiam, quoad actum deducendi concluſiones ex articulis fidei, & interpretandi ſacras Scripturas, & docendi caſu conſcientiæ per modum doctrinæ non eſt ſimonia.*

242 *Prædicare, vel docere doctrinam Chriſtianam ob pretium eſt ſimonia.*

243 *Recipere pretium pro conſilio quod ordinatur ad ſalutem animæ, vel tollendos ſcrupulos eſt ſimonia.*

244 *Quædam corollaria ponuntur.*

SUppono in præſenti non agere de Theologia 240
naturali, id eſt de ſcientia de Deo, ut autor naturalis eſt; nam de hac idem dicendum eſt, ac de aliis ſcientiis naturalibus: Nec agere de Theologia infuſa à Deo, id eſt, quadam cognitione divinarum Scripturarum habita ex dono Dei, & dicitur interpretatio ſermonum, hanc enim vendere clarum eſt eſſe ſimoniam, quia ponitur inter dona Spiritus ſancti; ſed dubium hoc eſt de Theologia, ut eſt habitus ſcientificus naturaliter acquiſitus, quo ex fidei articulis inferuntur concluſiones. Secundò ſuppono, quod hæc Theologia habet quatuor

actus. Primus est ex articulis fidei deducere conclusiones. Secundus est interpretari sacras Scripturas. Tertius respondere ad casus conscientiæ, ad pacandas conscientias. Quartus est prædicare, & docere sacram Doctrinam. His suppositis.

241 Dico primò: vendere Theologiam, quoad duos priores actus, & etiam in quantum docet casus conscientiæ per modum doctrinæ, ut fit in scholis, non est simonia. Ita cum communi sententia Suarez *suprà num.*7. Sanchez *in consilijs lib.*2.*cap.*3.*dub.*5. Bonacina *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 1. *num.*5. & cum aliis Palaus *d.* 3. *part.*10. *num.*2. contra Paludan. Antoninum, & alios. Ratio fundamentalis est, quia licet doctrina ipsa Theologiæ in se supernaturalis sit, nihilominus actiones magistri illam docentis naturales sunt, & naturali modo cooperantur, ut auditores discant, sive in eis generetur naturalis assensus, sive supernaturalis, quia non venditur ipse assensus, sed solùm labor, & opus, quod in intellectu discipuli juvando, & illuminando ponitur: ergo vendere hoc modo Theologiam non est simonia.

242 Dico secundò: vendere Theologiam, quoad quartum actum supernumeratum, id est prædicare, vel docere doctrinam Christianam ob pretium est simonia. Ita communiter Doctores apud Suarium *suprà num.*22. Sanchez ubi *suprà num.*6. Palaum *d.* 3. *part.*10. *num.*7. Ratio est, quia ordinatur ad excitandos affectus in supernam felicitatem, & promovendos in bonum. Tum quia verbum prædicationis est verbum Dei, & prædicator est veluti legatus à Deo missus ad illud munus exercendum, verbum autem Dei est maximè spirituale: ergo est materia simoniæ. Vtrum autem pro sustentatione aliquid possit exigi, & quomodo sustentatio prædicatoris possit taxari, & in pactum deduci *infrà* dicemus. Hinc colligitur quod docere doctrinam Christianam per modum prædicationis, ut credatur esse materiam simoniæ, si tamen doceantur pueri, ut eam addiscant, & memoriæ retineant, non est simonia, ut diximus de Theologia. Ita Suar. *ubi sup. n.*24.

243 Dico tertiò: vendere Theologiam, quoad tertium actum est simonia, id est pretium recipere pro consilio, quod ordinatur ad salutem animæ, ad levandum mœrorem afflicti hominis, ad pacandas conscientias, vel tollendos scrupulos est simonia. Ratio est, quia hæc omnia non immediate ordinantur ad illuminandum intellectum, ut duo priores actus Theologiæ, sed immediate ordinantur in salutem æternam, & bonum animæ. Hinc fit nec jurisperitum posse pretium recipere pro consilio, quando ordinatur tantum ad pacandam animam, & conscientiam, & salutem animæ, sicut nec Theo-

244 logus. An verò possit recipere pro studio ad hoc requisito *infrà* dicemus. At uterque potest æque etiam recipere pretium quando interrogatur etiam in causis spiritualibus, ut beneficij, & matrimonij quando interrogatur, non ad pacandam conscientiam, sed ut instruantur ignorantes, & sciant, vel ut eorum justitia manifestetur in foro externo, vel ut se præparent ad examen. Ita Sanchez *suprà* Lessius *cap.*35. *dub.*13.*num.*78.& 79. probabile dicit Palaus *tract.*17. *d.* 3. *p.*10. *num.*3. contra Navarrum, quos refert, & ut probabilius docet Palaus *ibi.* Bonacina *d.*2.*q.*4 §.10.*num.*7. qui dicunt posse Theologum ferre pretium pro consilio, licèt petatur ad pacandam conscientiam, dummodo non fiat per modum exhortationis, & concionis, particularis, sicut si quis dubitaret de aliquo contractu, & volens scire veritatem; ut rectum operaretur,& peteret de hoc consilium, posset, inquiunt illi, Theologus pro hoc consilio ferre pretium, nam quod ille homo dirigat consilium ad pacandam suam conscientiam extrinsecum est. Cui rationi respondeo, illud consilium semper æquivalere privatæ instructioni, nam eo ipso, quod Theologus per suum consilium fugat peccatum, & consulens ad hunc effectum Theologum quærit, virtualiter concionatur, & exhortatur, nam finis concionis est peccata fugare, & homines ad salutem reducere, quod Theologus facit in hoc casu per suum consilium. Vnde puto minimè ab opinione Suarez esse recedendum.

SECTIO VII.

Utrùm gratia unionis, gratia sanctificans, persona increata, dona supernaturalia, & actus ejus, possint esse materia simoniæ?

SUMMARIUM.

245 *Vendere gratiam unionis est simonia, & quomodo id fieri possit.*
246 *Persona increata non potest esse materia simoniæ.*
247 *Quædam corollaria ponuntur.*
248 *Gratia sanctificans dona supernaturalia, & actus eorum sunt materia simoniæ.*

DIco primò: committitur simonia vendendo 245
gratiam unionis, quod fieri posset, si Christus venderetur, habita ratione ad gratiam unionis, quæ inhabitat in illo. Ita Bonacina *de simonia d.*1.*q.*4.*n.* 3. Valentia, quem refert *ibi* Bonacina contra Suarium *de Religione tom.*1. *lib.*4. *cap.*9. *num.*2. Tancred. *tract.*2. *lib.*4.*d.*6.*num.*6. Ratio est, quia gratia unionis, ut est modus quidam substantialis consurgens ex actione unitiva, & inhærens humanitati, ut reddat illam unitam verbo, est quid sacrum, & creatum: ergo vendere Christum habita ratione ad unionem hypostaticam est simonia per quod corruit ratio, & fundamentum Suarij, dicebat namque gratiam unionis esse quid increatum.

Dico secundò: persona increata non potest esse 246
materia simoniæ: hæc est contra Bonacinam, *ubi suprà num.*3. illam tenet Suarez *suprà*, Filliucius, & alij, quos refert, & sequitur Tancred. *suprà num.*7. Ratio fundamentalis est, quia injuriæ factæ in personam Divinam, & increatam, (ut si Christus habita ratione ad personam Divinam venderetur) sunt alterius speciei, & malitiæ à sacrilegio, & simonia, quæ fiunt contra res sacras, pure creatas, quia sunt contra excellentiam alterius ordinis, & contra adorationem alterius ordinis illi debitam. Vnde hoc peccatum non ad simoniam, vel sacrilegium, sed ad irreligiositatem pertinet.

Et hinc deducitur Judam non fuisse simoniacum 247
vendendo Christum, quia non illum vendidit habita ratione ad unionem hypostaticam, siquidem illam ignorabat, sed quatenus homo erat, & ratione humanæ naturæ. Tum quia licet habuisset intentionem vendendi Divinam personam, adhuc non committeret simoniam; sed irreligiositatem, nisi aliàs habuisset intentionem vendendi humanitatem illam ut sacratam per gratiam unionis, quæ omnia cum ille ignoraret, & solùm intenderet vendere humanitatem illam, inde est, quod non fuit simoniacus, sicut qui vendit Calicem consecratum, non quia consecratus est, sed ratione auri, & argenti. Ita Suarez *suprà num.*4.

Secundò

Secundò infertur. Vendentem Eucharistiam, duo peccata committere, simoniæ scilicet, & irreligiositatis; simoniæ quia vendit res sacras, species scilicet, & irreligiositatem quia vendit personam increatam, quæ sub illis est. Quòd si illam ad pravos, & magicos usus vendiderit, non solùm irreligiositatis, & simoniæ peccatum, sed & horrendum committit sacrilegium, quatenus rem adeo sacram ad profanos usus convertit, tale namque sacrilegium committeret, si illam ad talem usum gratis daret, quamvis ergo vendat non excusatur ab illo. Vide Suarium *lib.* 4. *de simonia cap.* 10. *num.* 3. Bonacinam *d.* 1. *quæst.* 4. *num.* 4. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 7. *num.* 1.

248 Dico tertiò: gratia sanctificans, dona supernaturalia, & actus eorum, sunt materia simoniæ, etsi vendantur committitur simonia. Ita cum D. Thom. Palud. Suario, Filliucio, Vidal, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 6. *num.* 4. Pro cujus explicatione notandum est, tripliciter hæc vendi posse. Primò in concreto, ut si pluris vendatur Christianus, vel servus quia fidem habet, vel sanctitatem, vel donum aliquod supernaturale, aut si vendatur Sacerdos intuitu Sacerdotij, aut si pluris vendatur justus, quam alioquin venderetur habita ratione non fidelitatis, sed gratiæ, & sanctitatis, quam habere creditur, aut si pluris vendatur Propheta ob prophetiæ donum. Secundò vendi possunt hæc etiam in abstracto, ut si quis pretio alteri conferat ordinem factum, aut characterem aut gratiam sacramentalem, hic enim quantum est ex se pretio confert dona sacra, nam hujusmodi ordinatio tenet, quoad substantiam, & collatio gratiæ tenet, si non ponatur obex ex parte recipientis, ut si recipiens bona fide recipiat, ignorans pecuniam ob cessationem Sacramenti traditam fuisse. Tertiò quoad actum, ut si vendatur Sacramentalis ablolutio, per quam confertur gratia, vel si vendatur aliqua actio alicujus virtutis, quatenus alteri utilis ad salutem, ut oratio facta ad Deum pro aliquo jejunium, &c.

SECTIO VIII.

Utrum recipere pretium pro Sacramentis, sit Simonia?

SUMMARIUM.

249 *Vendere materiam remotam Sacramentorum non est simonia.*

250 *Recipere pretium pro materia proxima Sacramentorum est simonia.*

251 *An in extrema necessitate possit quis dare pecuniam pro receptione Sacramenti ad redimendam vexationem?*

252 *Quædam illationes ponuntur, & resolvuntur.*

253 *Quid si tirannus postulet pecuniam in pretium pro restituenda Eucharistia, quam apud se habet?*

254 *Quædam corollaria referuntur.*

249 SUppono non committere simoniam vendentem materiam remotam Sacramentorum, ut panem, vinum, oleum, Chrisma, &c. Est enim materia remota Sacramentorum, res naturalis temporalis, & pretio æstimabilis, nec valorem suum amittit ob conjunctionem cum spirituali. His suppositis.

250 Dico primò: recipere pretium pro materia proxima Sacramentorum, ut est pro ablutione in baptismo, pro consignatione in confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistia, pro prolatione verborum in pœnitentia, est simonia. Ita cum communi sententia Tancred. *tractatu* 2. *lib.* 4. *d.* 7. *numero* 5. Ratio est, quia hujusmodi actiones, quatenus fiunt in Sacramentis, sunt ceremoniæ sacræ, & tantum habent spiritualem utilitatem, & ad Dei cultum inserviunt: ergo vendere illas est simonia. Et idem dicendum est de forma, & administratione Sacramentorum, nam etiam hæ actiones, & verba sunt sacra, & ad Dei cultum ordinata, & non inserviunt usibus humanis. An autem aliquid tradi possit pro labore, & defatigatione, quæ prædictas actiones comitantur? *infrà* suo loco dicemus.

An autem in extrema, vel gravi necessitate, possit quis dare pecuniam, non ut pretium Sacramenti, sed ad redimendam vexationem, scilicet parvulus, vel adultus decedat sine Sacramento? Respondeo affirmative. Ita Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 13. Azor. Sanchez, & alij innumeri, quos refert, & sequitur Bonacina *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 1. *num.* 3. & cum aliis Tancred. *tractatu* 2. *lib.* 4. *d.* 7. *quæst.* 3. *num.* 10. Palaus *suprà numero* 3. contra alios, quos *ibi* refert. Ratio fundamentalis primæ partis est, quia in hoc casu extremæ necessitatis, non irrogatur irreverentia Sacramentis. Tum quia non adest intentio emendi rem sacram, sed inducendi alterum ad id, quod præstare tenetur. Tum quia ideo illicita est simonia, quia temporale traditur pro spirituali, sed in hoc casu non traditur temporale pro spirituali, nam pecunia non traditur formaliter pro Sacramentis, vel illorum administratione, sed pro redimenda injusta vexatione, & ad alliciendum alterius animum, quæ injusta vexatio est quid temporale, ergo. 251

Dices hinc sequi non solùm in extrema, & gravi, sed etiam in quacunque necessitate, si negetur Sacramentum licere redimere vexationem, nam quotiescumque mihi negatur injuste Sacramentum, vexatio fit mihi, & habeo jus expellendi illam vexationem si possunt, ergo dando pecuniam possum licite illam expellere, etiamsi nulla occurrat necessitas Sacramenti, sed tantum utilitas. Respondetur negando sequelam, quia non censetur tunc esse propriè vexatio, cum tale Sacramentum tunc non sit necessarium, & aliàs talis vexatio potest aliis viis vitari. Vide Suarium *ubi suprà num.* 22.

Hinc sequitur primò: dari posse pecuniam ad redimendam vexationem, si Sacerdos tibi noluerit Eucharistiæ Sacramentum ministrare pro viatico, licet homo jam sit confessus, vel non habeat conscientiam peccati mortalis. Ita cum Suario, Filliucio, Tancred. *tract.* 2. *lib.* d. 7. *quæst.* 5. *num.* 20. Ratio est, quia malitia alterius, non debet me privare tanto bono, quando ego habeo jus in re, & possum uti bene malitia illius, sine ulla cooperatione cum illo: ergo, &c. Secundò sequitur posse dari pecuniam Tyranno, qui habet Eucharistiam, vel aliquam imaginem, aut Sanctorum reliquias ad eas conculcandas, vel irreverenter tractandas, ut eas tradat Christianis cum eadem intentione redimendi vexationem, si Tyrannus pecuniam petat. Imò si non petat potest illi offerri, nam tunc, non emitur Sacramentum, sed redimitur vexatio. Ita cum Suario, Palao, Tancred. *suprà num.* 2. 252

Sed quæres quid faciendum quando Tyrannus simpliciter postulat pecuniam pro ipsa Eucharistia in pretium illius, vel si improbus Sacerdos postulet pecuniam pro pretio Sacramenti? Respondetur quod si 253

si non amplius urgeat, posse illi dari cum intentione redimendi vexationem, vel cum alia intentione licita utendo si opus fuerit amphibologiis. Si tamen improbus minister instet, ut detur sibi pecunia in pretium, & quod dans pecuniam profiteatur, & inter se illam dare in pretium Sacramenti. Tunc potest pecunia tradi, & juramentum emitti, non animo dandi pecuniam pro ipso Sacramento, aut jurandi mentem petentis, sed utendo verbis amphibologicis, seu addita restrictione in mente, qua posita juramentum licitum censeatur, habet enim justam causam utendi amphibologia. Hoc tamen limitandum est, modo postulans pretium pro Sacramento, non petat illud in contemptum fidei, seu in injuriam Christianæ Religionis, tunc enim non potest tradi pecunia, aut juramentum emitti; quia vitanda est injuria Religionis, quæ bono particularium præponderat. Ita cum aliis Tancred. *tract.* 2. *d.* 7. *lib.* 4. *num.* 18.

254 Sequitur tertiò quod si aliqua regio non haberet prædicatores Evangelij, aut Sacerdotes Sacramenta præbentes, posse Prælato Ecclesiastico pecuniam tradi, ut alliciatur ad eos mittendos, quia pecunia non datur pro prædicatione, vel administratione Sacramentorum, sed ut removeatur impedimentum denegandi transmissionem Sacerdotum. Sequitur quartò, posse hæretico, vel Pagano, qui se non convertit ad fidem ob metum paupertatis dari pecuniam, qua se possit alere; nam tunc pecunia datur pro sublevanda paupertate. Item redimi potest captivus, ut liber effectus convertatur ad fidem, hoc enim nihil aliud est, quam tollere impedimentum Religionis Christianæ, seu allicere ad id, ad quod jure divino obligatur. Similiter non committit simoniam, qui cum fœmina infideli hoc pactum init, ego ducam te in uxorem, si baptismum susceperis, sed de his *infrà* latius agemus. Vide Bonacinam *suprà num.* 4. *in fine*.

SECTIO IX.

Utrùm simonia committatur dando, vel accipiendo pecuniam pro Sacramentalibus?

SUMMARIUM.

255 *Omnes actus pendentes à potestate ordinis sunt materia simoniæ.*

256 *Vendere tam Sacramentalia permanentia quam transeuntia est simonia.*

257 *Sacramentalia permanentia vendi possunt ratione materiæ.*

258 *Quid dicendum sit de jure Lusitano.*

255 PRo intelligentia hujus sectionis suppono primo cum Suario *l.* 4. *de simonia cap.* 13. Omnes actus procedentes à potestate ordinis, in quocumque ejus gradu, seu ordine, materiam esse simoniæ; ita ut illos emere, aut vendere simoniacum sit, & hoc non de jure Ecclesiastico, sed naturali, & divino; unde vendere Sacramentorum omnium functiones, actionem sacrificandi, consecrationes Calicis, altaris, templi, agnus Dei, benedictiones corporalium, vestium sacrarum, candelarum, aquæ benedictæ, palmarum, cantare Evangelium, vel Epistolam in Missa, vel in choro, etiamsi fiat à laico, officium acolyti exercere, etiamsi non fiat ex officio, sed ut solent pueri officium exorcistæ vel alterius exercere, etiam primam tonsuram conferre pro pretio simoniacum absque dubio de jure divino est. Ita cum communi sententia Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 8. *num.* 2. Secundò suppono nomine Sacramentalium intelligi ceremonias, & benedictiones sacras, quæ publica authoritate, & instituto Ecclesiæ fiunt. Hujusmodi actiones, seu benedictiones, vel tantùm sunt in fieri, & non habent effectum permanentem, & ob id vocantur Sacramentalia transeuntia, ut benedictio nuptialis, exorcismus, & similia vel habent effectum permanentem, ut benedictio aquæ, Calicis, olei, &c. his suppositis.

Dico primò: simonia committitur vendendo, tam 256
Sacramentalia transeuntia, quàm permanentia. Ita communiter DD. apud Bonacinam, *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 3. Ratio est, quia hujusmodi Sacramentalia sunt vere res sacræ: ergo committitur simonia de jure divino vendendo illas: nam licèt institutio hujus consecrationis sit ab Ecclesia: suppositâ tamen hac institutione cùm procedant à spirituali potestate omnino efficiuntur divini ordinis, & ut sic nec utilitatem habent, nec æstimationem nisi in ordine ad spiritualem finem, ergo si Sacramentalia permanentia cariùs vendantur ratione benedictionis, vel consecrationis, & pro transeuntibus aliquo modo pretium sumatur, simonia committitur.

Sed hîc insurgit difficultas, utrùm Sacramentalia permanentia, ut Calices, vasa, & ornamenta sacra, vendi possint ratione materiæ? Canonistæ communiter negant, quandiu consecratio permanet; communis tamen sententia docet res consecratas vendi posse ratione materiæ absque labe simoniæ, nisi in re aliqua, specialis extet prohibitio Ecclesiastica, & hoc etsi materia modica sit, & parva, dummodo habeatur semper ratio pretij ad materiam, non verò ad consecrationem. Ita Sanchez *in consiliis lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 15. Suarez, Cajetan. Navarr. Filliucius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina, *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 4. & cum aliis Tancred. *suprà num.* 1. Ratio est quia materia illarum rerum pretio æstimabilis est, nec valorem amittit ob consecrationem, licèt novum valorem ex consecratione non assequatur. Tum quia Calices sacri nondum perfracti, & alia vasa integra, & illæsa ab aliquibus emuntur, sed hi excusari non possunt, nisi emant ratione materiæ: ergo. 257

Adverte tamen cum Fagundez, *de justitia tom.* 2. 258
lib. 5. *cap.* 19. *num.* 20. Quod licèt de jure communi vasa sacra, & Calices, & patenæ confractæ, & ad massam argenteam redacta, & vestes sacræ, postquam suam formam amiserunt, & destructæ sunt possint licite vendi, non solùm alteris Ecclesiis ad usus sacros, sed etiam sæcularibus ad usus profanos; de jure tamen Lusitano *lib.* 2. *ordinationis tit.* 24. aurum, & ornamenta Ecclesiarum, & monasteriorum, etiamsi antiquam formam non retineant, neque vendi ab illis valide possunt personis sæcularibus, neque à sæcularibus emi ad usus profanos, aut in pignus accipi possunt, nisi de licentia regis, alioquin accipientes in pignus, vel ementes coguntur restituere ea gratis Ecclesiis, & insuper solvunt novies valorem illarum, partim accusanti, partim in redemptionem captivorum. Aliis tamen Ecclesiis vendi possunt, etiam de jure Lusitano, non tamen sæcularibus.

SEC

Digitized by Google

SECTIO X.

Utrùm simonia committatur vendendo sepulturam?

SUMMARIUM.

259 *Locus in quo non est aliquis sepultus, nec deputatus pro sepulturis ab Episcopo, nec benedictus, sed deputandus non est materia simoniæ.*

260 *An locus deputatus ab Episcopo ad sepulturas vendi possit ratione terræ?*

261 *Quando quis vult onerare Ecclesiam possidendo in illa jus sepulturæ in certo loco potest vendi illa obligatio.*

262 *An possit sumi pretium pro honoratiori sepultura?*

263 *An sæcularis emendo sepulturam acquirat dominium illius?*

264 *Quid dicendum sit de capellis?*

265 *Ponitur aliorum placitum.*

266 *Ponitur sententia Authoris.*

267 *An arma fundatoris in aliquo casu possint avelli à capellis, vel sepulturis?*

259 DIco primo: Locus in quo nullus est sepultus, nec deputatus est ab Episcopo ad sepulturas fidelium, nec aliàs est benedictus, sed tantum deputandus ad sepulturas est omnino profanus, & potest vendi, sicut & terra in qua Ecclesia erigenda est vendi potest. Imo & si secundum jus civile locus, in quo aliquis est sepultus consentiente domino sit religiosus, at secundum jus Canonicum non est talis, nec invendibilis, nisi quando authoritate Episcopi deputatus est ad fidelium sepulturas. Vnde proprie, & secundum jus Canonicum locus religiosus sepulturæ dicitur ille, in quo aliquis fidelis est sepultus, vel sepeliendus, sive sit terra, sive arca lapidea, sive aliud, quod authoritate Episcopi est ad fidelium sepulturas deputatus, etiamsi nullus ibi sepultus sit. Ita Sanchez *in consiliis lib. 2. cap. 3. dub. 14. num. 1.* & alij communiter DD. Quare si locus nondum sit destinatus ad sepulturas fidelium, potest vendi locus terræ pro sepultura. Nec obstat *cap. Abolenda de sepulturis*: nam illa jura loquuntur de terra deputata ab Episcopo ad sepulturas fidelium.

260 Majus tamen dubium est, an postquam locus, vel Ecclesia fuere destinata ab Episcopo ad sepulturas fidelium, vel locus jam est benedictus, possit adhuc vendi sepultura in tali loco, vel cæmeterio non ratione benedictionis, sed præcisè ratione terræ, sicut venditur calix consecratus, ratione materiæ? Et absolute affirmant Azor, Laiman, quos refert Bonacina *de simonia d. 1. quæst. 4. §. 6. num. 1.* Portel *2. parte casuum casu 20. num. 2.* Peirinis *in constitutione 21. Leonis X. num. 21.* ubi alios pro hac sententia refert. Alij tamen absolute negant; ita Reginaldus, Suarez, *de simonia cap. 14. num. 19.* Bonacina *suprà*, Sanch. *suprà*, & alij. Quorum fundamentum sumitur *ex cap. Abolenda*, & aliis juribus, quos refert Suarez.

Egò tamen distinctione utor, & dico in Ecclesiis parochialibus, vel aliis non Regularibus, probabiliorem esse sententiam negativam Suarij, & aliorum, saltem in illis locis, ubi contrarium per consuetudinem non est introductum, nam consuetudo potest Ecclesiasticas illas leges derogare, ut notavit Bonacina *suprà num. 1.* An vero hoc jam ubique introductum sit per consuetudinem? In multis locis ita fieri affirmat Peirinis *suprà*. Quidquid tamen de hoc sit, Regulares possunt vendere sepulturas in suis Ecclesiis, non ratione benedictionis, sed ratione terræ: ita Azor, quem refert, & sequitur Peirinis *constitutione 21. Leonis X. num. 2.* Portel *parte 2. casuum, casu 20. num. 2.* Ratio est quia vendere sepulturam ratione terræ non est intrinsecè malum, sed malum quia prohibitum, sed hæc prohibitio non est facta respectu Regularium: ergo. Minor patet, quia *cap. Abolenda*, tolum præcipit Episcopis, ut inhibeant suis Clericis diœcesanis, ne aliquid præsumant exigere pro sepulturis; sed Regulares exempti, non sunt de jurisdictione diœcesum Episcoporum, sed extra illum, unde Episcopi illis præcipere non possunt. Alia autem jura loquuntur potiùs consulendo, quàm præcipiendo, ut bene Peirinis *suprà*: ergo.

Hinc à fortiori sequitur posse sumi pretium 261
quando quis vult onerare Ecclesiam, sive sit regularis, sive non, & possidere in illa jus sepulturæ in aliquo certo loco illius, ut non possit alius ibi sepeliri: tunc namque illa obligatio ex parte clericorum potest vendi authoritate Prælatorum Ecclesiæ. Ita Suarez *ubi suprà num. 22.* Ratio est, quia hic non venditur sepultura, sed obligatio non sepeliendi ibi alium; illa enim obligatio est onus accidentarium spirituali rei per accidens annexum, quod æstimabile pretio est. Potest tandem pro sepultura etiam in Ecclesiis non regularibus accipi consuetum stipendium pro tali loco sepulturæ. Ita Sanch. *suprà* Peirinis *suprà* & alij; hoc enim non sumitur ut sepulturæ pretium, sed fabricam Ecclesiæ; decens enim est, ut defuncti qui templum inhabitant, contribuant ad ejus templi reparationem.

An vero sumi possit pretium pro loco honoratiori 262
sepulturæ? majus dubium est; affirmat Sanch. *suprà*; negat vero Suarez *de simonia cap. 14. num. 22.* Ego tamen utar distinctione, vel enim locus est honoratior ob rationem aliquam sacram, puta quia, propinquior est altari, vel est honoratior ob respectum aliquem temporalem. Si primum, committitur simonia, quia fundamentum illius honoris, fundatur in majori sanctitate loci, & licèt honor humanus sit fortasse motivum remotum, est tamen annexus consequenter ad talem rem spiritualem, sicut est honor humanus annexus dignitati, aut beneficio, nam etiamsi quis propter illum honorem moveatur ad emendum beneficium simoniacus est; sic ergo in præsenti. Si tamen secundum dicatur, tunc non committitur simonia, non enim emitur res sacra, sed honor humanus, qui in hominum æstimatione positus est. Tum quia qui emit honoratiorem locum in quo sedeat, non committit simoniam: ergo nec simonia committitur dum honoratior sepulturæ locus emitur modo dicto.

Sed Quæres An Laïcus supposito quod potest 263
emere sepulturam ratione terræ in Ecclesiis saltem regularibus, ut diximus, an emendo illum acquirat illius dominium? Respondetur negative. Ita Sanchez, Sylvester, Abbas, Lambertinus, Barbosa, quos refert, & sequitur Peirinis, *additamento ad constitutionem Leonis X cap. 4. num. 46.* Ratio est, quia Ecclesia cùm sit res sacra, & ideo mere spiritualis, non potest per laïcum possideri nec in totum, nec in partem *l. quæ de tot. ff. de rei vendicat.* quare dicendum est laïcum non habere dominium sepulturæ ab ipso emptæ in Ecclesia, vel cæmeterio,

ſi non amplius urgeat, poſſe illi dari cum intentione redimendi vexationem, vel cum alia intentione licita utendo ſi opus fuerit amphibologiis. Si tamen improbus miniſter inſtet, ut detur ſibi pecunia in pretium, & quod dans pecuniam profiteatur, & inter ſe illam dare in pretium Sacramenti. Tunc poteſt pecunia tradi, & juramentum emitti, non animo dandi pecuniam pro ipſo Sacramento, aut jurandi mentem petentis, ſed utendo verbis amphibologicis, ſeu addita reſtrictione in mente, qua poſita juramentum licitum cenſeatur, habet enim juſtam cauſam utendi amphibologia. Hoc tamen limitandum eſt, modo poſtulans pretium pro Sacramento, non petat illud in contemptum fidei, ſeu in injuriam Chriſtianæ Religionis, tunc enim non poteſt tradi pecunia, aut juramentum emitti; quia vitanda eſt injuria Religionis, quæ bono particularium præponderat. Ita cum aliis Tancred. *tract.* 2. *d.* 7. *lib.* 4. *num.* 18.

254 Sequitur tertiò quod ſi aliqua regio non haberet prædicatores Evangelij, aut Sacerdotes Sacramenta præbentes, poſſe Prælato Eccleſiaſtico pecuniam tradi, ut alliciatur ad eos mittendos, quia pecunia non datur pro prædicatione, vel adminiſtratione Sacramentorum, ſed ut removeatur impedimentum denegandi tranſmiſſionem Sacerdotum. Sequitur quartò, poſſe hæretico, vel Pagano, qui ſe non convertit ad fidem ob metum paupertatis dari pecuniam, qua ſe poſſit alere; nam tunc pecunia datur pro ſublevanda paupertate. Item redimi poteſt captivus, ut liber effectus convertatur ad fidem, hoc enim nihil aliud eſt, quam tollere impedimentum Religionis Chriſtianæ, ſeu allicere ad id, ad quod jure divino obligatur. Similiter non committit ſimoniam, qui cum fœmina infideli hoc pactum init, ego ducam te in uxorem, ſi baptiſmum ſuſceperis, ſed de his *infrà* latius agemus. Vide Bonacinam *ſuprà num.* 4. *in fine.*

SECTIO IX.

Utrùm ſimonia committatur dando, vel accipiendo pecuniam pro Sacramentalibus?

SUMMARIUM.

255 *Omnes actus pendentes à poteſtate ordinis ſunt materia ſimoniæ.*

256 *Vendere tam Sacramentalia permanentia quam tranſeuntia eſt ſimonia.*

257 *Sacramentalia permanentia vendi poſſunt ratione materiæ.*

258 *Quid dicendum ſit de jure Luſitano.*

255 PRo intelligentia hujus ſectionis ſuppono primo cum Suario *l.* 4. *de ſimonia cap.* 13. Omnes actus procedentes à poteſtate ordinis, in quocumque ejus gradu, ſeu ordine, materiam eſſe ſimoniæ; ita ut illos emere, aut vendere ſimoniacum ſit, & hoc non de jure Eccleſiaſtico, ſed naturali, & divino; unde vendere Sacramentorum omnium functiones, actionem ſacrificandi, conſecrationes Calicis, altaris, templi, agnus Dei, benedictiones corporalium, veſtium ſacrarum, candelarum, aquæ benedictæ, palmarum, cantare Evangelium, vel Epiſtolam in Miſſa, vel in choro, etiamſi fiat à laico, officium acolyti exercere, etiamſi non fiat ex officio, ſed ut ſolent pueri officium exorciſtæ vel oſtiarij exercere, etiam primam tonſuram conferre pro pretio ſimoniacum abſque dubio de jure divino eſt. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 8. *num.* 2. Secundò ſuppono nomine Sacramentalium intelligi ceremonias, & benedictiones ſacras, quæ publica authoritate, & inſtituto Eccleſiæ fiunt. Hujuſmodi actiones, ſeu benedictiones, vel tantùm ſunt in fieri, & non habent effectum permanentem, & ob id vocantur Sacramentalia tranſeuntia, ut benedictio nuptialis, exorciſmus, & ſimilia vel habent effectum permanentem, ut benedictio aquæ, Calicis, olei, &c. his ſuppoſitis.

Dico primò: ſimonia committitur vendendo, tam 25
Sacramentalia tranſeuntia, quàm permanentia. Ita communiter DD. apud Bonacinam, *de ſimonia d.* 1. *quæſt.* 4. §. 2. *num.* 3. Ratio eſt, quia hujuſmodi Sacramentalia ſunt vere res ſacræ: ergo committitur ſimonia de jure divino vendendo illas: nam licèt inſtitutio hujus conſecrationis ſit ab Eccleſia: ſuppoſitâ tamen hac inſtitutione cùm procedant à ſpirituali poteſtate omnino efficiuntur divini ordinis, & ut ſic nec utilitatem habent, nec æſtimationem niſi in ordine ad ſpiritualem finem, ergo ſi Sacramentalia permanentia cariùs vendantur ratione benedictionis, vel conſecrationis, & pro tranſeuntibus aliquo modo pretium ſumatur, ſimonia committitur.

Sed hìc inſurgit difficultas, utrùm Sacramenta- 257
lia permanentia, ut Calices, vaſa, & ornamenta ſacra, vendi poſſint ratione materiæ? Canoniſtæ communiter negant, quandiu conſecratio permanet; communis tamen ſententia docet res conſecratas vendi poſſe ratione materiæ abſque labe ſimoniæ, niſi in re aliqua, ſpecialis extet prohibitio Eccleſiaſtica, & hoc etſi materia modica ſit, & parva, dummodo habeatur ſemper ratio pretij ad materiam, non verò ad conſecrationem. Ita Sanchez *in conſiliis lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 15. Suarez, Cajetan. Navarr. Filiucius, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina, *de ſimonia d.* 1. *quæſt.* 4. §. 2. *num.* 4. & cum aliis Tancred. *ſuprà num.* 1. Ratio eſt quia materia illarum rerum pretio æſtimabilis eſt, nec valorem amittit ob conſecrationem, licèt novum valorem ex conſecratione non aſſequatur. Tum quia Calices ſacri nondum perfracti, & alia vaſa integra, & illæſa ab aliquibus emuntur, ſed hi excuſari non poſſunt, niſi emant ratione materiæ: ergo.

Adverte tamen cum Fagundez, *de juſtitia tom.* 2. 258
lib. 5. *cap.* 19. *num.* 20. Quod licet de jure communi vaſa ſacra, & Calices, & patenæ confractæ, & ad maſſam argenteam redacta, & veſtes ſacræ, poſtquam ſuam formam amiſerunt, & deſtructæ ſunt poſſint licite vendi, non ſolùm alteris Eccleſiis ad uſus ſacros, ſed etiam ſæcularibus ad uſus profanos; de jure tamen Luſitano *lib.* 2. *ordinationis tit.* 24. aurum, & ornamenta Eccleſiarum, & monaſteriorum, etiamſi antiquam formam non retineant, neque vendi ab illis valide poſſunt perſonis ſæcularibus, neque à ſæcularibus emi ad uſus profanos, aut in pignus accipi poſſunt, niſi de licentia regis, alioquin accipientes in pignus, vel ementes coguntur reſtituere ea gratis Eccleſiis, & inſuper ſolvunt novies valorem illarum, partim accuſanti, partim in redemptionem captivorum. Aliis tamen Eccleſiis vendi poſſunt, etiam de jure Luſitano, non tamen ſæcularibus.

SECTIO X.

Utrùm ſimonia committatur vendendo ſepulturam?

SUMMARIUM.

259 *Locus in quo non eſt aliquis ſepultus, nec deputatus pro ſepulturis ab Epiſcopo, nec benedictus, ſed deputandus non eſt materia ſimoniæ.*

260 *An locus deputatus ab Epiſcopo ad ſepulturas vendi poſſit ratione terræ?*

261 *Quando quis vult onerare Eccleſiam poſſidendo in illa jus ſepulturæ in certo loco poteſt vendi illa obligatio.*

262 *An poſſit ſumi pretium pro honoratiori ſepultura?*

263 *An ſæcularis emendo ſepulturam acquirat dominium illius?*

264 *Quid dicendum ſit de capellis?*

265 *Ponitur aliorum placitum.*

266 *Ponitur ſententia Authoris.*

267 *An arma fundatoris in aliquo caſu poſſint avelli à capellis, vel ſepulturis?*

259 DIco primo: Locus in quo nullus eſt ſepultus, nec deputatus eſt ab Epiſcopo ad ſepulturas fidelium, nec aliàs eſt benedictus, ſed tantum deputandus ad ſepulturas eſt omnino profanus, & poteſt vendi, ſicut & terra in qua Eccleſia erigenda eſt vendi poteſt. Imo & ſi ſecundum jus civile locus, in quo aliquis eſt ſepultus conſentiente domino ſit religioſus, at ſecundum jus Canonicum non eſt talis, nec invendibilis, niſi quando authoritate Epiſcopi deputatus eſt ad fidelium ſepulturas. Vnde proprie, & ſecundum jus Canonicum locus religioſus ſepulturæ dicitur ille, in quo aliquis fidelis eſt ſepultus, vel ſepeliendus, ſive ſit terra, ſive area lapidea, ſive aliud, quòd authoritate Epiſcopi eſt ad fidelium ſepulturas deputatus, etiamſi nullus ibi ſepultus ſit. Ita Sanchez *in conſiliis lib. 2. cap. 3. dub. 14. num. 1.* & alij communiter DD. Quare ſi locus nondum ſit deſtinatus ad ſepulturas fidelium, poteſt vendi locus terræ pro ſepultura. Nec obſtat *cap. Abolenda de ſepulturis*: nam illa jura loquuntur de terra deputata ab Epiſcopo ad ſepulturas fidelium.

260 Majus tamen dubium eſt, an poſtquam locus, vel Eccleſia fuere deſtinata ab Epiſcopo ad ſepulturas fidelium, vel locus jam eſt benedictus, poſſit adhuc vendi ſepultura in tali loco, vel cæmeterio non ratione benedictionis, ſed præciſe ratione terræ, ſicut venditur calix conſecratus, ratione materiæ? Et abſolute affirmant Azor, Laiman, quos refert Bonacina *de ſimonia d. 1. queſt. 4. §. 6. num. 1.* Portel *2. parte caſuum caſu 20. num. 2.* Peirinis *in conſtitutione 21. Leonis X. num. 21.* ubi alios pro hac ſententia refert. Alij tamen abſolute negant; ita Reginaldus, Suarez, *de ſimonia cap. 14. num. 19.* Bonacina *ſuprà*, Sanch. *ſuprà*, & alij. Quorum fundamentum ſumitur *ex cap. abolenda*, & aliis juribus, quos refert Suarez.

Ego tamen diſtinctione utor, & dico in Eccleſiis parochialibus, vel aliis non Regularibus, probabiliorem eſſe ſententiam negativam Suarij, & aliorum, ſaltem in illis locis, ubi contrarium per conſuetudinem non eſt introductum, nam conſuetudo poteſt Eccleſiaſticas illas leges derogare, ut notavit Bonacina *ſuprà num. 1.* An vero hoc jam ubique introductum ſit per conſuetudinem? In multis locis ita fieri affirmat Peirinis *ſuprà*. Quidquid tamen de hoc ſit, Regulares poſſunt vendere ſepulturas in ſuis Eccleſiis, non ratione benedictionis, ſed ratione terræ: ita Azor, quem refert, & ſequitur Peirinis *conſtitutione 21. Leonis X. num. 2.* Portel *parte 2. caſuum, caſu 20. num. 2.* Ratio eſt quia vendere ſepulturam ratione terræ non eſt intrinſecè malum, ſed malum quia prohibitum, ſed hæc prohibitio non eſt facta reſpectu Regularium: ergo. Minor patet, quia *cap. Abolenda*, ſolum præcipit Epiſcopis, ut inhibeant ſuis Clericis diœceſanis, ne aliquid præſumant exigere pro ſepulturis; ſed Regulares exempti, non ſunt de juriſdictione diœcetum Epiſcoporum, ſed extra illum, unde Epiſcopi illis præcipere non poſſunt. Alia autem jura loquuntur potiùs conſulendo, quàm præcipiendo, ut bene Peirinis *ſuprà*: ergo.

Hinc à fortiori ſequitur poſſe ſumi pretium 261
quando quis vult onerare Eccleſiam, ſive ſit regularis, ſive non, & poſſidere in illa jus ſepulturæ in aliquo certo loco illius, ut non poſſit alius ibi ſepeliri: tunc namque illa obligatio ex parte clericorum poteſt vendi authoritate Prælatorum Eccleſiæ. Ita Suarez *ubi ſuprà num. 22.* Ratio eſt, quia hic non venditur ſepultura, ſed obligatio non ſepeliendi ibi alium; illa enim obligatio eſt onus accidentarium ſpirituali rei per accidens annexum, quod æſtimabile pretio eſt. Poteſt tandem pro ſepultura etiam in Eccleſiis non regularibus accipi conſuetum ſtipendium pro tali loco ſepulturæ. Ita Sanch. *ſuprà* Peirinis *ſuprà* & alij; hoc enim non ſumitur ut ſepulturæ pretium; ſed fabricam Eccleſiæ; decens enim eſt, ut defuncti qui templum inhabitant, contribuant ad ejus templi reparationem.

An vero ſumi poſſit pretium pro loco honoratiori 262
ſepulturæ? majus dubium eſt; affirmat Sanch. *ſuprà*; negat vero Suarez *de ſimonia cap. 14. num. 22.* Ego tamen utar diſtinctione, vel enim locus eſt honoratior ob rationem aliquam ſacram, puta quia, propinquior eſt altari, vel eſt honoratior ob reſpectum aliquem temporalem. Si primum, committitur ſimonia, quia fundamentum illius honoris, fundatur in majori ſanctitate loci, & licèt honor humanus ſit fortaſſe motivum remotum, eſt tamen annexus conſequenter ad talem rem ſpiritualem, ſicut eſt honor humanus annexus dignitati, aut beneficio, nam etiamſi quis propter illum honorem moveatur ad emendum beneficium ſimoniacus eſt; ſic ergo in præſenti. Si tamen ſecundum dicatur, tunc non committitur ſimonia, non enim emitur res ſacra, ſed honor humanus, qui in hominum æſtimatione poſitus eſt. Tum quia qui emit honoratiorem locum in quo ſedeat, non committit ſimoniam: ergo nec ſimonia committitur dum honoratior ſepulturæ locus emitur modo dicto.

Sed Quæres An Laïcus ſuppoſito quod poteſt 263
emere ſepulturam ratione terræ in Eccleſiis ſaltem regularibus, ut diximus, an emendo illum acquirat illius dominium? Reſpondetur negative. Ita Sanchez, Sylveſter, Abbas, Lambertinus, Barboſa, quos refert, & ſequitur Peirinis, *additamento ad conſtitutionem Leonis X cap. 4. num. 46.* Ratio eſt, quia Eccleſia cùm ſit res ſacra, & ideo mere ſpiritualis, non poteſt per laïcum poſſideri nec in totum, nec in partem *l. quæ de tot. ff. de rei vendicat.* quare dicendum eſt laïcum non habere dominium ſepulturæ ab ipſo emptæ in Eccleſia, vel cæmeterio,

ſed tantum habere uſum illius pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, ut nullus poſſit eis invitis ibi tepeliri, niſi in neceſſitate. At eo mortuo, & familia illius eſt magna controverſia, an poſſit alius vendi uſus illius ſepulturæ? affirmat Sanch. *in conſiliis lib.2. cap.3. dub.14. num.4.* Tabiena, Laurentius, Rodriguez, Sylveſter, quos refert, & ſequitur Peirinis, *tomo 3. additamento ad Conſtitutionem Leonis X. cap.4. num.49.* Angelus, Armilla, quos refert, & ſequitur Leſana *tomo 1. cap.11. num.23.* Ratio eſt, quia ſicuti morte uſufructuarij, ejuſque deſcendentium redit uſusfructus ad proprietarium juxta *l. corruptionem cap. de uſufructu.* Ita etiam jus ſepulturæ mortuo benefactore, & ejus hæredibus, redit ad Eccleſiam. Tum etiam, quia alioquin impedirentur alij, quo minus Eccleſiam ornare, & beneficiis augere poſſint.

264 Major tamen controverſia eſt de capellis, quæ alicui fuere venditæ, non tanquam patrono proprie [hic enim debet habere jus præſentandi aliquod beneficium in tali capella, vel Eccleſia ut docet Leſana *tom.2. cap.11. num.19.*] ſed de patrono, qui laico modo, & impropriè dicitur patronus, eo quòd Eccleſiam, vel capellam conſtruxit, fundavit, vel dotavit, cum conditione ut nemo in ea ſepeliretur, niſi fuiſſet de illius familia, & pro fabrica, & ornatu illius reditus annuos aſſignavit. An ſcilicet mortuo illo? cui primùm vendita fuit talis capella, ejuſque deſcendentibus, poſſit talis capella alteri vendi? Affirmant abſolutè Vivaldus, quem refert, & ſequitur Rodriguez *tomo 4. ſumma verbo ſepultura, concluſione 14.* Sanchez *in conciliis lib.2. cap.3. dub.14. num.4.* Peirinis *tomo 3. additamento ad conſtitut. Leonis 10. cap.4. num.49.* qui addit poſſe in hoc caſu etiam corpus prioris defuncti extrahi à dicta capella, ſi aliter fieri non poſſet, dummodo in alio loco intra Eccleſiam eandem honeſtè collocetur, hoc tamen ſolum ob urgentiſſimam cauſam eſſe faciendum dicit.

265 Leſana verò *tomo 2. cap.11. num.23.* cum Lambertino, & Layman, dicit, quòd ſi quis capellam fundavit, conſtruxit, aut dotavit, nullatenus talis capella ab eo auferri poſſit, etiam ſi tota familia extincta ſit, nec inſignia poſita in capella ad conſervandam memoriam fundatoris ab ea poſſe divelli. Secus dicendum ait Leſana de aliis benefactoribus, qui Eccleſiam, vel capellam non fundarunt, conſtruxerunt, vel dotarunt, ſed ſolùm ibi jus ſepulturæ comparatunt pro ſe, & ſuis hæredibus, nam iis extinctis, & eorum hæredibus poteſt ſepultura aliis vendi propter rationes factas.

266 Ego tamen cum Portel *2. p. caſuum, caſu 20. num.1.* hanc ſecundam ſententiam Leſanæ magis explicandam exiſtimo. Vnde dico quod ſi ille, cui capella priùs vendita fuit, non relinquit annuos reditus pro fabrica, & reparatione capellæ, tunc poſſe talem capellam alteri vendi, extincto primo emptore, & ejus hæredibus, licèt in aliqua petra nomen primi emptoris fuiſſet conſcriptum. Secus ſi primus poſſeſſor reliquit annuos reditus. Ita Portel *ubi ſuprà*, à qua ſententia non videtur diſcordare Leſana cum Lambertino, & Layman *ſuprà*. Ratio autem eſt: quia piæ, & devotæ voluntates fidelium debent obſervari *l.1. c. de Sacramentis Eccleſ. cap. ultima voluntas.* Tum quia relinquendo primus patronus Eccleſiæ, vel capellæ annuos reditus ad illius conſervationem cum illis conditionibus, arguit inter ipſos, & Prælatos Eccleſiæ tales conditiones admittentes interveniſſe pactum de illis non alterandis, ac proinde contra juſtitiam peccare aliter facientes. Nec reparatio, aut fabrica Eccleſiæ unquam poteſt miniſtros Eccleſiæ urgere, ut alium patronum pro eadem capella accipiant, cum primus illius fundator perpetuos, & ſufficientes reditus ad hæc omnia reliquerit. Vnde non videtur ſecundum æquitatem juſtitiæ, vel fidelitatem, talem fundatorem illo perpetuo honore privare, nec ejus inſignia è dicta capella abolere.

Nec obſtat quòd mortuo fundatore, & ejus hæredibus uſus capellæ tranſit ad proprietarium, quod eſt contrariorum argumentum. Nam contra hoc eſt, quia ut optime advertit Peirinis *ſuprà*, arma primi fundatoris poſita in capella, ſeu Eccleſia vel ſepulchro, nullo modo poſſunt amoveri, aut mutari à novo hærede fundatoris, imo nec iſte novus hæres, ſi alienæ familiæ ſit à fundatore, poteſt ibi ſua inſignia ponere, remanentibus armis primi fundatoris, niſi alias capellæ benefecerit, vel melioraverit, nam tunc poſſet ſua arma ponere, antiquis relictis, cum ſcriptura tamen in marmore fidem faciente de primo fundatore, quam ſententiam etiam tenet Lambertinus; & tamen uſus capellæ tranſit ad hæredes; ergo licet uſus capellæ, mortuo fundatore, & ejus hæredibus, tranſeat ad proprietarium, adhuc nec poterit capellam vendere, nec inſignia fundatoris evellere, niſi ob illius defectum, quia ſcilicet defecit in neceſſariis pro conſervatione capellæ; nam tunc æquitas juſtitiæ poſtulat, ut illa privetur: nam alioquin magno beneficio Eccleſia privaretur, quod non eſt admittendum. Confirmatur: Quia ut optime notavit Portel *ſuprà*, per annuos reditus videtur defunctus cum Eccleſia pactum feciſſe, ut nunquam alius ibi ſepeliatur. 267

SECTIO XI.

Vtrùm ſimonia committatur accipiendo aliquid pro divinis officiis, vel etiam pro privata oratione?

SUMMARIUM.

268 *Accipere aliquid tanquam pretium pro divinis officiis eſt ſimonia.*

269 *Simonia committitur accipiendo pretium pro privatis orationibus.*

270 *Laicus qui inſervit Miſſæ vel aliis functionibus ſpiritualibus pro pretio eſt ſimoniacus.*

271 *Quando, datur pauperibus pecunia ut orent pro defuncto non datur in pretium, ſed in eleemoſynam pro labore.*

NOmine divini officij in hoc loco, intelligo orationem quæ publice fit ab Eccleſiæ miniſtris ex inſtitutione Eccleſiæ, etiamſi aliquando fiat ſine functione alicujus ordinis, ut ſunt horæ Canonicæ, exequiæ defunctorum, vel publicæ proceſſiones. Nomine vero orationis privatæ, intelligo illam, quæ non fit ab aliquo tanquam Eccleſiæ miniſtro, ſed ex privata devotione & pietate: hoc ſuppoſito.

Dico primo: Simonia committitur accipiendo, vel tradendo aliquid tanquam pretium pro divinis officiis. Ita communiter DD. apud Suarem *de ſimonia cap.15. num.3.* & cum Redoano, Filliucio, Layman, Bonacina *de ſimonia d.1. quæſt.4 §.5. numero 2.* Tancred. *tract.2. lib.4. d.10. num.1.* Ratio eſt, quia hæc officia ſunt quid ſpirituale, tam ex 268

parte

parte principij, cum fiant nomine Ecclesiæ, & ex potestate ab Ecclesia concessa, quam ex genere suo, quia in se continent divinas laudes, tum ex parte finis, quia diriguntur ad laudandum Deum, & ipsum invocandum, ergo absque dubio sunt materia simoniæ.

269 Dico secundo: Non solum committitur simonia accipiendo aliquid ut pretium pro divinis officiis, sed etiam pro privatis orationibus. Ita communiter DD. apud Suarium *suprà*. Ratio est, quia etiam privatæ orationes continent divinas laudes, & cultum Dei, saltem dum fiunt animo colendi Deum; ergo sunt res sacræ, & religiosæ: ergo sunt materia simo-
270 niæ. Hinc patet quid dicendum sit de laïco, qui vendit cooperationem ad functiones spirituales, quatenus tales sunt, ut ministrationem ad missam, hic enim simoniacus est, ut *suprà* jam tetigimus. Vide
271 Suarium *lib. 4. de simonia cap. 15. num. 9.* Secundo fit quod quando relinquitur, vel datur pecunia pauperibus, ut orent pro defuncto, vel Clericis, aut Religiosis, ut exequias persolvant, ut funus ducant, &c. non dari, vel relinqui talem pecuniam per modum pretij, sed titulo eleemosynæ pro labore, vel sustentatione, par enim est, ut qui spiritualia seminant, metent temporalia, quibus alantur.

SECTIO XII.

Utrùm simonia committatur tradendo, vel promittendo aliquid temporale alteri, ut operetur actum utilem solum ipsimet operanti, ut si tradatur alicui pecunia, ut fiat Christianus, Religiosus, vel ut Sacramenta recipiat?

SUMMARIUM.

272 *Licitum est dare pecuniam ad reddendum aliquem benevolum ut religiosus vel Christianus fiat, vel Sacramenta frequentet, dummodo donatio non inducat obligationem.*

273 *Ponuntur aliqua corollaria.*

274 *Licitum est alicui munera dare postulando ab eo ut Christianus fiat cum conditione, quod si non fiat Christianus, restituat acceptum.*

275 *Non licet munera alicui tradere cum pacto ut Christianus, vel religiosus fiat, ita ut recipiens maneat obligatus.*

272 IN primis suppono ut certum licere dona, & pecuniam offerre ad reddendum aliquem benevolum, ut hæc velit facere; verbi gratia, ut religiosus fiat, vel Christianus, ut Sacramenta frequentet; at donatio hæc simplex esse debet, nec obligationem faciendi inducens; quare ille, qui recipit hæc non faciat, quæ ab ipso postulantur non tenetur restituere. Ita cum communi sententia Bonacina *de simonia quæst. 4. §. 7. num. 2.* Ratio est, quia simonia committitur emptione, & venditione; sed hic non adest venditio, nec emptio, nam ex parte dantis non est emptio, cum ipse nihil recipiat, nec ex parte recipientis est venditio, cum ipse nihil det tradenti pecuniam, aut alteri nomine tradentis pecuniam, nec in le aliquam obligationem accipiat ad aliquid faciendum, quæ pretio sit æstimabilis, sed solùm sibi consulit, & in suum commodum operatur ergo. Tum quia pretium in hoc casu non datur principaliter pro re spirituali facienda, sed ut convertatur, quod ipse propter Deum facere potest principaliter.

273 Hinc deducitur, quòd si aliquis affectus sit ad talia opera spiritualia, & impediatur paupertatis timore, ut si tenuit baptizari, quia cogetur restituere usuras, vel non ingrediatur Religionem, quia astrictus est ære alieno, fas esse illi pecunias offerre ad auferendum illud obstaculum, quia hoc non est emere spiritualia, sed impedimenta removere. Ita communiter DD. Tota igitur difficultas est an liceat alicui munera temporalia offerre cum pacto, ut aliquod opus spirituale faciat, in solius operantis utilitatem; v.g. ut ad fidem convertatur, Religionem ingrediatur, &c. Ita ut recipiens obligatus maneat tale opus præstare, his suppositis.

Dico primo: Licitum est alicui munera tradere 274
postulando ab eo; ut Christianus, vel religiosus fiat. Imo licet aliqua promittere, & etiam statim dare, cum conditione, quòd si non ingrediatur Religionem, vel Christianus fiat, restituat acceptam. Ita cum D. Thom. Vgo, Sylvestro, Villalobos, Suario, & aliis Bonacina *hic d. 1. quæst. 4. §. 7. num. 3.* Ratio est, quia ista promissio, vel donatio, non est contractus onerosus, sed vim habet liberalis donationis facta ad alliciendum alterius animum ad opus virtutis, relicta alteri facultate, ad contrarium faciendum si velit, nam is, cui fit donatio, vel promissio, ita liber est ad faciendum tale opus sicut antea erat; Tum quia multæ similes promissiones subsistunt, nam fœmina potest promittere alicui matrimonium, si convertatur, Dominus potest promittere servo libertatem, si convertatur, testator potest legare alicui centum, si religiosus fiat, malefactori promitti potest vita, si baptismum recipiat. Quod autem possint alicui munera tradi, ut religiosus fiat, cum conditione, quòd si non fecerit iterum restituat: probatur, quia hæc non est emptio, vel venditio, sed donatio non omnino absoluta, sed limitata pro arbitrio dantis, qui non injustè, & inique, sed caute, donat: ergo, &c.

Dico secundo: Non licet alicui munera tradere, 275
cum pacto, ut Christianus, vel Religiosus fiat, ita ut maneat obligatus ad tale opus spirituale faciendum. Ita cum D. Thom. Archidiacono, Abbate, Sylvestro, Villalobos, *sup. n 4.* & cum Suario, & aliis Bonacina *sup. n. 3.* contra Medinam, Molinam, Sanch. quos refert Villalobos *2. p. tract. 3. d. 15. n. 3.* Ratio est, quia jure Canonico omnia pacta, & conventiones in materia spirituali reprobantur *cap. ultim. de pactis cap. quam Piam & cap. quæsitum de rerum permutatione.* Tum quia si iste contractus esset licitus, licite etiam posset Religiosus paciscì cum aliquo, ut si religionem ingrediatur, conferat illi tales honores, & subsidia; sed hoc non est admittendum, videtur enim damnatum *in cap. quam pium*; ergo nec admittendus est perfectus contractus. Tum quia si licitum esset pecuniam alteri dare cum pacto, ut baptizetur, vel Sacramenta frequentet, licitum etiam esset dare aliquid alicui, ut baptizet, vel ministret alia Sacramenta, cum par ratio videatur, sed hoc fieri non potest: ergo neque primum.

SECTIO XIII.

Utrùm tradi vel accipi possit aliquid pro ingressu in Religionem, vel confraternitatem?

SUMMARIUM.

276 *Recipere aliquem pro pretio in religionem est simonia juris divini.*

277 *Recipere aliquid in professione, vel ingressu religiosi*

ligiosi in religionem pro illius sustentatione non est intrinsece malum, aut simoniacum.

278 *Et si monasterium dives sit licitum est aliquid recipere pro sustentatione religiosi, & de hoc pacisci.*

279 *Quid dicendum sit de dotibus Monialium?*

280 *Recipere pretium pro recipiendo aliquem in confraternitatem non est simonia.*

PRo resolutione hujus sectionis notandum est, hic non solum esse sermonem de ingressu Religionis, sed de ipsa professione, habent namque se ingressus, & professio sicut via, & terminus, & sicut collatio, & præsentatio ad beneficium; tum quia uterque ingressus tendit ad salutem animæ, & cultum Dei & potestatem spiritualem. His suppositis.

276 Dico primò: Ex natura rei, & ex vi juris divini simoniacum est recipere aliquem in Religionem, exigendo ab eo pretium præcisè pro ipso ingressu religionis. Ita cum communi sententia Fagundez *de justitia tomo 1. lib. 5. cap. 19. n. 5.* Ratio est, quia hæc res maxime spiritualis est, tam ex parte principij, quod fuit Spiritus sanctus, [est enim Spiritus sanctus absque dubio auctor supernaturalis Religionum] quam ex parte finis proximi, qui est cultus perfectus Dei, spiritualisque profectus ingredientis; ergo pro eo recipere pretium est simonia. An autem professio simoniace facta sit valida? Respondeo affirmativè. Ita cum Navar. & aliis, Fagundez *suprà*. Ratio est quia acquisitio status religiosi, est quasi acquisitio characteris, qui perpetuò durat, & est beneficium spirituale, quod fit religioso dum consecratur Deo per professionem ad quam recipitur; sed de ratione intrinseca consecrationis est, ut res Deo semel consecrata, amplius profana non sit, juxta regulam juris semel Deo consecratum amplius profanum esse non potest, sive ad profanos usus rediret; ergo cum per professionem religiosus Deo consecretur, sæcularis amplius esse non potest, ergo professio per simoniam facta valida est.

277 Dico 2. Ad sustinenda onera temporalia alimenti vestitus, & victus, quæ religio in se suscipit, cum aliquis religionem ingreditur, vel in ea profitetur, non est ex natura sua, & intrinsecè malum, aut simoniacum aliquid recipere, non pro ipso ingressu, vel professione, sed pro onere sustentationis ipsius religiosi nec ullo etiam iure Canonico id prohibitum est, quando monasterium ea inopia laborat, ut non possit plures sustentare. Ita communiter DD. apud Fagund. *de justitia to. 1. lib. 5. c. 19. n. 7.* Ratio est: quia non hic datur pretium pro re spirituali, sed pro temporali, nempe pro sustentatione temporali ipsius religiosi. Secundo probatur à simili de matrimonio carnali, in quo datur dos ad sustentanda onera matrimonij, & tamen matrimonium est Sacramentum: ergo idem potest fieri in professione religiosi.

278 Dico tertio: Et si monasterium dives sit, licitum est aliquod recipere pro sustentatione Religiosi, & de hoc pacisci. Ita cum Soto, Sylvestro, Toleto, Suario, Fagund. *sup. n. 9.* Bonacina *hic d. 1. q. 4. §. 8.* Sanchez *in consiliis lib. 2. c. 3. d. 23.* contra Lessium, Victoriam, & aliquos canonistas, quos refert Fagundez *sup.* Ratio est quia id quod petitur, & in pactum deducitur, non exigitur tanquam pretium rei sacræ, sed tanquam conditio, ne monasterium accessu aliorum nimis gravetur, cum enim redditus monasterij sint communes, & singulis professis non sint certi, ac determinati proventus attributi, fit ut opes communitatis aliorum ingressu valde diminuantur respectu singulorum; fit etiam, ut pauperes, qui idonei sunt, & necessarij ad augmentum, & conservationem Religionis, commode ingredi non possint. Ad hoc igitur incommodum vitandum, pactum ineunt cum iis, qui locupletiores sunt, ut secum afferant alimenta; quæ ratio non habet locum in Beneficiis, ut patet, ideo hoc non tam jure alimentorum proprie loquendo, quam damni vitandi causa permittitur. Nec obstat *c. veniens ad nos & c. dilectus 2. de simonia & extravag. 1. de simonia & c. tua nos de simonia.* Nam hi canones, ut bene ait Fagundez *suprà n. 9.* solùm valent ubi recepti sunt, non fuere tamen recepti in Lusitania, neque in Hispania, & ideo, cum hæc simonia solo jure humano fuerit introducta, pertit pro illis locis, quibus tales canones non fuere recepti.

Et hinc patet quid dicendum sit de dotibus mo- 279
nialium; dicimus namque posse licite recipere dotes in ingressu, & professione monialium, sive conventus pauper sive dives sit. Ita Fagundez *sup. n. 11.* Palaus *tom. 3. d. 3. p. 23. n. 1.* & patet *ex privilegio Clementis VII.* apud Rodriguez *tom. 2. quæstionum Regularium q. 94. art. 1.* Nec obstat Trid. *sess. 25. c. 3. de reformatione, & c. periculum.* Nam hi textus, non fuere usu recepti, ut advertit Fagundez *sup.* Advertè tamen, non posse religiosos majores dotes recipere, eo quod recipienda sit vilis, vel sanguinis maculati; sed dotes debere taxari in unaquaque provincia juxta illa, quæ conventus solet unicuique religiosæ tribuere. Ita Rodriguez *sup. q. 49. art. 4.* qui addit, quod si religiosæ excessivas dotes recipiant, committere simoniam, & teneri ad restitutionem, nisi excessus dotis libere, & gratiosè, & per modum eleemosynæ donetur, quam sententiam etiam tenet Sanchez *in consiliis lib. 2. c. 23. n. 7.* Non potest tamen dos recipi ante professionem, ut patet ex Trid. *sess. 21. de regularib. c. 16.* Possunt tamen patres, vel tutores puellæ, aliquid mutuare, vel accommodare monasterio, debita cautione, vel pignore, nam Trid. solum prohibet mutuum; non præstita sufficienti cautione; sic enim intelligendum est ut recte advertit Rodriguez *sup.* Possunt etiam moniales recipere popinas, nam hæ in partem dotis largiuntur ut recte advertit Sanchez *in consiliis tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 23.* Palaus *suprà p. 23.* & alij communiter.

Si tandem, quæras an simonia committatur reci- 280
piendo pretium ut quis recipiatur in aliquam confraternitatem. Respondeo negative. Ita Sanchez *suprà n. 8.* Ratio est, quia confraternitas non est religio, sed congregatio ad benefaciendum, imo est laudabile imponere aliquid ingressuris pro sumptibus confraternitatis, & operibus piis.

SECTIO XIV.

Utrùm simonia committatur in venditione, vel emptione habituum militarium, & quid de commendis, tam clericalibus, quam militaribus dicendum sit?

SUMMARIUM.

281 *Emere habitum ordinum militarium est simonia.*

282 *Vendere commendas clericales est simonia.*

283 *Vendere commendas militares non est simonia.*

284 *Qui pecunia procurat commendam militarem non committit simoniam.*

DIco primò: Emere habitum ordinum milita- 281
rium est simonia. Ita Azor *tom. 3. lib. 12. c. 16. n. 95.* Lezana *tom. 2. c. 5. n. 16.* Diana *2. p. tr. 2. res. 64.* Tanered. *tr. 2. lib. 4. d. 12. n. 9.* Ratio est aperta, quia emere, vel vendere habitum Religiosum, est simonia, ut diximus *sectione præcedenti*; sed hujusmodi militiæ

Digitized by Google

militiæ sunt veræ religiones, ut cum probabiliori sententia diximus *in nostro directorio Regularium p. 1. tr. 2. d. 3. n. 166.* ergo vendere illarum habitum est simonia. Adverte tamen cum Lezana, Diana, Tancred. *suprà*: quòd si pecunia detur, non ut pretium habitûs, sed gratis, vel liberaliter, vel in remunerationem laborum, licèt excedere eorum mensuram, non committi simoniam, nam tunc non datur pecunia pro sumptione habitus, sed vel pro labore, quem quis habuit intercedendo apud Regem, vel liberaliter ad movendum animum; ergo non committitur simonia.

282 Dico secundo: Vendere commendas clericales est simonia. Ita cum Azor, Grassio, Garcia, Suario, Rebuffo, & aliis Bonacina, *de simonia d. 1. q. 4. num. 14.* Lezana *tom. 2. c. 5. n. 26.* Ratio est, quia commenda clericalis continet spiritualem jurisdictionem, cui temporales fructus adnectuntur, vel enim commenda est temporalis, & sic commendatarius acquirit jurisdictionem delegatam, vel est perpetua, & sic acquirit jurisdictionem ordinariam, & tenetur ad pensum canonicarum precum, ac si beneficiarius esset, ut tenet cum communi sententia Bonacina *supra n. 14.* ergo vendere illas est simonia.

283 Dico tertio: Vendere commendas militares non est simonia. Ita cum Victoria, Aragonio, Suario, & aliis Bonacina *hic d. 1. q. 4 n. 75.* Raphaël de la Torre, Villalobos, quos refert, & sequitur Diana *2 p. tr. 2. ref. 59.* Lezana *tom. 2. c. 5. num. 16.* Palaus *d. 3. p. 13. n. 3.* Ratio est, quia hujusmodi commendæ non sunt aliquid spirituale, vel spirituali annexum, sed temporale, conferuntur namque titulo laico, siquidem dantur in subsidium, seu stipendium, pro temporalibus servitiis, & administratio illarum aliquando laicis principibus committitur, ut fit in Hispania, & Lusitania; ergo vendere illas non est simonia.

Nec obstat has commendas non dari nisi Religiosis. Respondetur namque, non dari illis in titulum, sed tanquam conditio sine qua non, sicut si Pontifex præciperet distribui aliqua bona inter religiosos, non possent aliis distribui. Nec obstat ipsos commendatarios teneri ad aliquas preces, non enim ad illas tenentur ex vi commendæ, sed ex regula. Nec etiam obstat, quod aliquando hæ commendæ habent adnexum jus præsentandi ad aliquod beneficium. Nam hoc jus præsentandi est per modum juris patronatus antecedenter adnexum commendis. Unde sicut jus patronatus adnexum bonis temporalibus, non efficit bona spiritualia, ita nec jus præsentandi commendæ adnexum efficit commendam spiritualem, etsi ipsa commenda venderetur, non censeretur vendi jus præsentandi, sed comitaretur ipsam commendam, in qua fundatur. Ut dicemus *de jure patronatûs.*

284 Hinc fit non committi simoniam ab eo, qui pecunia procurat commendam militarem, aut illam vendit, aut alteri confert, reservata pensione in sui, vel alterius favorem; non enim apparet jus prohibens alienationem dictarum commendarum. Peccaret tamen illam vendens contra justitiam. Quia vendens, vel est ipse commendatarius, vel Rex, Princeps, vel magister ordinis, si ipse commendatarius certum est non posse hujusmodi commendas vendere, cùm ipse non sit illarum dominus, sed usufructuarius dum vivit, si vero est magister ordinis, vel Rex, aut princeps, nec ipsi vendere possunt absque licentia Papæ, quia ipsi non sunt domini, sed dispensatores constituti à Papa, ad distribuendum, ut suppono: ergo ita cum Suario, Filliucio, Bonacina, Lezana, *suprà num. 26.*

SECTIO XV.

Utrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus ordinum, & pro divinis officiis, vel etiam pro privata oratione.

SUMMARIUM.

285 *Recipere pretium pro quacunque functione ordinum est simonia.*

286 *Idem dicendum est de orationibus, sive publicis, sive privatis.*

287 *Quando datur pecunia pro functionibus spiritualibus datur in stipendium, vel eleemosynæ.*

Dico primo: recipere pretium pro quacunque 285
functione ordinis, sive sacri, sive etiam non sacri, est simonia. Ita cum communi sententia Palaus *to. 2. d. 3. de simonia p. 9. n. 1.* Ratio est, quia jure Canonico generaliter vetitum est, accipere aliquid pro ministerio Ecclesiastico *c. ad nostram de simonia.* Hujusmodi autem functiones sunt ministeria Ecclesiastica, & à potestate Ecclesiastica procedentes; ergo vendere illas est simonia. Et idem dicendum est, de orationibus, sive publicis, sive privatis, ut sunt horæ Canonicæ, exequiæ, vel publicæ processiones. Ita 286
cum communi sententia Palaus *sup.* Ratio est quia hujusmodi functiones sunt res sacræ, vel ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, & continent divinas laudes; ergo vendere illas est simonia.

Nec obstat quod aliquando pro his functionibus 287
pecunia traditur, ut promissa, pro exequiis, pro orationibus, tam publicis, quam privatis. Nam hæc pecunia non datur in pretium ipsarum functionum, sed in Eleemosynam, & stipendium sustentationis ministri, & de hoc stipendio potest clericus pacisci, non per modum pretij, sed per modum stipendij. Ita cum Suario, Gutierrez, Valentia, Palaus *suprà*; par enim est, ut qui spiritualia seminant, metant temporalia, quibus alantur, & sustententur ut *infrà* dicemus.

SECTIO XVI.

Utrùm sit simonia accipere pretium pro collatione ordinum?

SUMMARIUM.

288 *Si in collatione ordinum detur aliquid non in pretium, sed in sustentationem Episcopi non committitur simonia de jure D. bene tamen de jure humano.*

289 *Quid nomine ministrorum intelligatur in Tridentino?*

290 *In ordinatione potest Episcopus, & alij ministri recipere aliquid sponte oblatum.*

Dico primo: si in collatione ordinum detur ali- 288
quid non in pretium ordinis, sed ad Episcopi sustentationem, non committitur simonia de jure divino, bene tamen de jure humano. Ita cum D. Th. Navarro, Lopez, & aliis Sanch. *in consiliis lib. 2. c. 3. dub. 19. n. 1.* Ratio prioris partis est, quia in administratione aliorum Sacramentorum nulla est simonia recipere aliquid in sustentationem sacerdotis, etiam si Clerici sint ditissimi: ergo nec in hoc, cum non sit magis spirituale, quam reliqua. Quod autem committatur simonia de jure humano, si Episcopus, vel ejus ministri aliquid recipiant pro collatione Ordinum, pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, vel pro sigillo, patet ex Trid. *sess. 21. cap. 2. de reformat.*

Digitized by Google

& habetur *in cap. de ſimonia, c. ſicut Epiſcopus* 19. 2. & tenent communiter DD. apud Sanchez *ubi ſuprà*, Suarez *de ſimonia c.* 5 3. *n.* 5.

289 Adverte tamen quod in Trid. nomine miniſtrorum, non comprehenditur notarius Epiſcopi. Ita communiter DD. Unde ſi notarius non habeat ſalarium aſſignatum ab Epiſcopo, poteſt accipere ſtipendium ſuæ ſuſtentationis. Nam jura tunc procedunt, quando ipſe habet ſuum ſalarium; Et licèt Epiſcopus teneatur illum providere de ſufficienti ſalario, aliquando propter inopiam Epiſcopatus, illi tale ſtipendium non aſſignatur. Vnde in hoc ſemper ſtandum eſt conſuetudini. Ita Suarez *ſuprà n.* 6. & 7. quod ſi habuerit ſalarium ſufficiens, & adhuc ſumat pretium ſuſtentationis, committet ſimoniam. Ita cum Sylveſtro, Durando, & aliis Suarez *ſuprà n.* 8. illa enim actio licèt temporalis videatur, eſt annexa ſpirituali muneri quaſi conſequenter, ſcilicet ordini ſuſcepto, cui teſtimonium illud debetur, ut commodè exerceri poſſit, unde ab illo habet totam æſtimationem ſuam teſtimonium, namque illud pro nihilo æſtimaretur, niſi ordo ipſe, qui per illud probandus eſt, in ſua æſtimatione haberetur.

290 Si tamen inquiras, an poſt ordinationem poſſit Epiſcopus, & hi miniſtri aliquid recipere ſponte oblatum? Affirmative Reſpondetur. Ita cum Salzedo, Lopez, & aliis Sanchez, *ſuprà num.* 4. Ratio eſt quia Trid. & alia jura ſolum prohibent, ne dentur ordines intuitu alicujus mercedis, vel ſtipendij, non tamen prohibent quod poſt ſuſceptos ordines aliquid ſponte oblatum accipiatur.

SECTIO XVII.

Utrum venditio actuum pertinentium ad juriſdictionem Eccleſiaſticam interni, & externi fori, ſit ſimonia?

SUMMARIUM.

291 *Pro nullo exercitio ordinis, & poteſtatis ſpiritualis poteſt recipi pretium abſque ſimonia.*

292 *Quid dicendum ſit de aſſiſtentia parochi in matrimonio.*

293 *Vendere actus Eccleſiæ ſive juriſdictionis, quo ad forum externum, qui per poteſtatem ſpiritualem formaliter fiunt, etiam ſi circa res materiales verſentur eſt ſimonia.*

294 *Actus juriſdictionis voluntaria ut diſpenſationes, &c. ſunt materia ſimoniæ.*

295 *Officiales quibus à ſede Apoſtolica committuntur diſpenſationes, ſi aliquid recipiant pro labore, excepto notario incurrunt pœnam excommunicationis reſervatæ.*

296 *Quid dicendum ſit de patrocinio in judicio pro cauſis ſpiritualibus?*

297 *Omiſſio actuum juriſdictionis ſpiritualis quando talis negatio procedit à poteſtate ſpirituali eſt ſimonia.*

298 *Quid ſi parochus concedat licentiam parochianis ut cum aliis confiteantur pro pecunia?*

299 *Quid dicendum ſit de actu non denuntiandi peccatorem, quando quis ex officio non tenetur ad denunciandum?*

291 DIco primo: Pro nullo exercitio ordinis, & poteſtatis ſpiritualis poteſt pretium recipi, abſque ſimonia. Ita cum communi ſententia Palaus *tom.* 3 *d.* 3. *de ſimonia p.* 12. *n.* 1. & patet *ex cap. ad noſtram de ſimonia cap. non ſatis cum in Eccleſia, cap. cuam, cum ſit Romana*, & aliis *de ſimonia*. Hinc fit committere ſimoniam, qui pecuniam daret pro abſolutione à peccatis, & cenſuris, pro delegatione facultatis ad audiendas confeſſiones; vel pro licentia eligendi confeſſorem, pro conceſſione indulgentiarum, pro diſpenſationibus votorum, vel aliorum præceptorum. Ita Suarez *lib.* 4. *de ſimonia c.* 14. *n.* 4. & cum aliis Baſæus *verbo ſimonia* 3, *n.* 12. Secundo fit ſacerdotem abſolventem indignum ob pecuniam, committere ſimoniam; nam eſto non vendat verum actum ſpiritualem, liquidem abſolutio data eſt nulla; vendit tamen quendam uſum, ſeu potiùs abuſum ſpiritualis poteſtatis, quod videtur ſufficiens ad ſimoniam. Ita Suarez *ſuprà n.* 2. Palaus *ſuprà num.* 2. & conſtat *ex cap. nemo de ſimonia*. Et idem dicendum eſt de ſacerdote recipiente pecuniam pro levi, vel gravi pœnitentia imponenda, quia eſt actus juriſdictionis à poteſtate ordinis. Ita Suarez *ſuprà n.* 4. Palaus *ſuprà n.* 2.

Major tamen difficultas eſt de aſſiſtentia Parochi 292
in matrimonium, an pro illa poſſit pretium accipere abſque ſimonia? & licet aliqui dicant tantum committere injuſtitiam, ſiquidem non exercet actum ordinis, vel juriſdictionis; Nihilominus probabilius eſt committere ſimoniam juris divini, ſi pretium accipiat. Ita Suarez *ubi ſuprà*, Tancred. *ſuprà n.* 10. Palaus *ſuprà n.* 10. Ratio eſt quia illa exiſtentia ex inſtitutione Eccleſiæ eſt annexa officio Parochi, & videtur expoſtulata, quia contractus ille ſanctus eſt, & ſacramentum; ergo reducitur ad miniſterium Eccleſiaſticum, & per conſequens ſimonia erit pro illo pretium accipere. Adverte tamen quòd ſi ex aſſiſtentia matrimonij, vel benedictione nuptiarum aliquod emolumentum, aut ſtipendium ſoleat parocho evenire, poſſe abſque ſimonia nolle dare licentiam alteri aſſiſtendi matrimonio, vel benedicendi nuptias, qua ſibi emolumentum quod ſperabat compenſetur, & ratio eſt, quia tunc non petit pecuniam pro licentia concedenda, ſed ut ſe indemnem ſervet. Ita cum Sylveſtro, Aragonio, Rodriguez, & aliis Palaus *ſuprà n.* 5. Et idem dicendum eſt de licentia concionandi, confitendi, &c.

Dico ſecundo: vendere actus Eccleſiaſticæ juriſ- 293
dictionis, quo ad forum externum, qui per poteſtatem ſpiritualem formaliter fiunt, etiam ſi circa res materiales verſentur, eſt ſimonia. Ita cum Suario, Filliucio, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 15. *n.* 10. Ratio eſt, quia uſus juriſdictionis ſpiritualis de ſe, ac formaliter ſpiritualis eſt, & materia prout eſt ſub hac juriſdictione, & prout ad ſpiritualem finem ordinatur aliquo modo ſpiritualis eſt: ergo venditio hujus juriſdictionis eſt ſimonia. Hinc ſit nec pro conſtituendo vicario, aut judice Epiſcopi, vel capituli, ſede vacante etiam ad nutum amovibili, aut parocho, aut capellano poteſt etiam ſine ſimonia accipi. Et idem dicendum eſt de jure eligendi, confirmandi electionem ad beneficia Eccleſiaſtica, nec prælatus, aut capitulum poſſunt aliquid recipere etiam in ſuſtentationem pro collatione, electione, poſſeſſione concedenda, niſi alias de hoc detur antiqua conſuetudo, ut in uſus pios convertantur. Ita habetur in Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 14. *de reformatione*, & ſacra congregatio decrevit, ut nec poſſit conſtitui, niſi de Papæ licentia, ut noviter receptus aliquid, expendat pro fabrica Eccleſiæ. Ita Garcia, plures referens, *de beneficiis* 8. *p. cap.* 1. *à num.* 75.

Nec obſtat quòd in Curia, Clericatum Cameræ, & Cameræ auditoratum, vendantur, quæ ſunt munia conſtituta ad Eccleſiaſticam juriſdictionem exercendam, vice Pontificis. Reſpondetur namque in his Officiis ſicut in quolibet beneficio duo eſſe conſideranda: primum juriſdictionem ſpiritualem, ſecundum emolumentum temporale ex illa proveniens: & licèt hoc ſecundum non poſſit vendi quatenus primo conjunctum eſt, ut conſtat

ex

ex cap. si quis obierit, hoc tamen ut ex prohibitione juris Ecclesiastici, in quo Pontifex dispensat, ac proinde facit, ut illa officia absque simonia vendantur, secundum temporale quod habent.

194 Dico tertio: actus jurisdictionis voluntariæ, videlicet, dispensationes, privilegia, concessiones facultatum, legitimationes, licentiæ studendi philosophiæ, &c. Et actus jurisdictionis contentiosæ, v.g. imponere censuras, &c. quatenùs ad effectum spiritualem ordinantur, sunt materia simoniæ, non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam naturali; unde recipere pecuniam pro dispensationibus, dimissoriis, & aliis gratis, vel pro ponenda censura, vel tollenda, &c. est simonia. Ita cum communi sententia Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 15. num. 7.* Palaus *supra p. 12. num. 6.* Ratio autem est, quia in his actibus exercetur spiritualis potestas data à Deo ad gubernandam Ecclesiam, quare tam ex parte principij, quam finis sunt spirituales.

Nec contra hoc obstat stilus Curiæ, ubi pro dispensationibus pecunia exigitur, & quo gravior est dispensatio, eo major quantitas expostulatur; Nam ad hoc respondetur Pontificem esse supra jus commune, & posse dispensare, ut pecunia petatur non in pretium dispensationis, nam hoc esset contra jus divinum, sed in sustentationem Pontificis. Et ex hac ratione colligitur, non posse Episcopos, vel inferiores prælatos aliquid exigere pro dispensationibus, cum non sint supra jus commune, ut Papa; possunt tamen imponere illis onus largiendi eleemosynas in dispensatione per modum commutationis. Ita cum aliis Tancred. *supra n. 9.*

195 Sed inquires an Ordinarij, & alij officiales, quibus à sede Apostolica committuntur dispensationes matrimoniales, & aliæ; possint pro labore, & receptione, & examinatione testium aliquid exigere. Affirmat Sanchez *lib. 8. de matrimonio d. 55. numero 15.* Salas *de legibus d. 2. sect. 10.* Contraria tamen sententia communis est, hanc tenet cum Navarro, Zerola, Marco Antonio, Genuensi, & aliis Palaus *supra num. 12.* Qui omnes solùm Notario pro examine testium, & aliarum rerum informatione permittunt accipere posse quartam partem unius aurei, seu ducati, & contrarium facientes pœna excommunicationis reservatæ innodantur, ut constat ex verbis apponi solitis in fine ipsarum literarum, & in literis dispensationum pro pauperibus cum copula additur, dispensationis expeditionem nullius esse roboris, & momenti, si gratis omnino non fiat.

Nec obstat si dicas cum Sanch. Receptionem stipendij non esse prohibitam in prædictis literis, sed tantum receptionem muneris, & præmij. Nam contra hoc est, quia plures dantur declarationes sacræ Congregationis, quas refert Garcia pro nostra sententia. Fateor tamen quod si contrarium sit introductum consuetudine non derogari per talia decreta, nisi de eis constet authentice. Deinde adverto receptionem pecuniæ in stipendium pro supradictis muneribus, & officiis, etsi illicita sit, non tamen esse simoniam, sed turpe lucrum, quia in his decretis non videtur prohibita sub hoc titulo, & ratione. Excipe receptionem pecuniæ in expeditione aliarum dispensationum à Matrimonio, si recipiatur pro stipendio laboris impensi in examinandis testibus, aliisque officiis præstandis; nam hæc non videtur prohibita in prædictis decretis sacræ congregationis. Ita Salas, & alij, quos refert, & sequitur Palaus *supra num. 13.* Et idem dicendum est de aliis officiis pro jurisdictione temporali alicujus civitatis, in qua prælati Ecclesiastici habent temporalem jurisdictionem; nam hæc officia, si vendantur non committitur simonia, quia nihil spirituale habent. Ita Palaus *supra d. 3. p. 12. numero 8.*

Si tamen quæras quid dicendum sit de patrocinio in judicio pro causis spiritualibus, & de procuratione? Respondetur posse pretium recipi: hæc namque sunt temporalia, & non procedunt ex potestate spirituali, & ita tenet totius Ecclesiæ consuetudo, & praxis. Pro testimonio autem exhibendo aliqui affirmant simoniam esse si pretium exigatur. Verùm distinguendum existimo cum Suario, quem refert, & sequitur Palaus *supra num. 15.* Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 36. num. 14.* nam si testi nolenti testificari veritatem pecuniam quis tribuat, simoniam non committit, quia tribuit ad redimendam vexationem, quod sibi licitum est; ipse tamen testis injustitiam committit, nisi excusetur pro labore aliquo, aut incommodo compensando, si forte illi evenit ex tali testificatione. An vero committat simoniam si accipiat pro testificatione veritatis? Respondeo negative, nam illa testificatio tantum est quædam manifestatio, & comprobatio juris, quod quis habet circa illud beneficium; sed si quis assumeret munus informandi prælatum, & manifestandi ei veritatem, non esset simoniacus; ergo neque qui per testificationem veritatis accipit pecuniam. 196

Dico quarto: Omissio actuum jurisdictionis spiritualis, quando talis negatio procedit à potestate spirituali, est simonia: Ita cum communi sententia Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 17. num. 3.* Hinc fit negantem absolutionem post auditam confessionem peccatoris ob pecuniam acceptam à tertia persona committere simoniam, quia est actus potestatis Clavium cujus proprium est solvere, & ligare. Simile est in jurisdictione fori contentiosi, si cum tenearis absolvere ab aliqua censura nobis absolvere, censeris enim virtualiter continuare censuram, & actum jurisdictionis exercere. Et idem dicendum est si corruptus pecunia contra criminosum non procedas, tacite namque condonas delictum, aut si juste appellanti deneges appellationem, in his namque casibus, non solum est negatio usus jurisdictionis; sed potius est illius usus moralis, ut bene Suarez, & Palaus *supra n. 17.* Et idem dicendum est, si examinatores non approbent ad beneficia ob pretium dignos, vel ad ordines, quia ista provenit à potestate Ecclesiastica, & facit effectum declarandi non idoneum examinatum. Ita cum Suario, Filliucio, Tancred. *supra n. 7.* 197

Sed quæres quid dicendum sit, si Parochus nolit sacrum dicere parochianis, illosque confiteri, vel concedere licentiam, ut cum aliis confiteantur, si propter pecuniam id faciat, an committat simoniam? Respondeo negative. Ita in primo, & secundo casu, Suarez, quem refert, & sequitur Palaus *supra num. 18.* & in tertio casu idem tenet Palaus *ibi.* Contra Suarium, quem refert, & sequitur Tancred. *supra num. 5.* Nam in his omnibus casibus non exercetur jurisdictio, sed potiùs negatur usus illius. 198

Major difficultas est de actu non denunciandi peccatorem, & quidem quando ex officio quis non tenetur ad denunciandum, simoniam non committit, quia delatio peccatoris non est à potestate aliqua spirituali. Difficultas tamen est quando quis tenetur ex officio denunciare, ut si parochus sit, quando parochianus in paschate non communicat, & pro pecunia accepta hunc parochianum non manifestat Episcopo, in hoc casu aliqui tenent non committi 199

Digitized by Google

mitti ſimoniam. Ita cum Leſſio, Suario, & aliis, Palaus *ſuprà num.* 20. quia hic non datur exercitium alicujus poteſtatis ſpiritualis, ut *ſuprà* in ſimili caſu diximus. Verum contrarium probabilius judico. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Gloſſa, Panormitanus, Sylveſter, Paludanus, Ugolinus, & probabile putat Suarez, & Palaus, ibi. Probatur ergo *ex cap. nemo de ſimonia.* Ubi prohibetur præsbyteris, ne à peccante publice aliquid accipiant, ut ejus peccatum Epiſcopo aut ejus miniſtris celent, cum autem hæc prohibitio ſit ſub titulo ſimoniæ, videtur ſimoniacum eſſe.

SECTIO XVIII.

Utrum labor repertus in operibus ſpiritualibus, & obligatio ad illa pretio compenſari poſſit abſque ſimonia?

SUMMARIUM.

300 *Diverſi labores in his operibus explicantur.*

301 *Non poteſt recipi pretium pro labore intrinſeco, vel etiam extrinſeco, neceſſario tamen conjuncto operibus ſpiritualibus.*

302 *Labores accidentales, & extrinſeci, & qui moraliter neceſſarij non ſunt ad actiones ſacras faciendas poſſunt vendi abſque ſimonia.*

303 *Qui dat pecuniam privato pontificis ob laborem in obtinendo ſibi beneficium, &c. committit ſimoniam.*

304 *Quid ſi quis det pecuniam Petro ut hic intercedat apud Epiſcopum pro beneficio?*

305 *Mediator aſſumens curam præcisè informandi prælatum de meritis talis perſonæ poteſt pro hoc munere pretium recipere.*

300 PRo deciſione hujus quæſtionis notandum eſt, duplicem eſſe laborem in his operibus. Alius illis intime conjunctus, & ſine quo fieri non poſſunt; alius accidentalis, & extrinſecus, & ab opere ſpirituali ſeparabilis; Deinde in hoc etiam labore extrinſeco poteſt eſſe diverſitas, nam alius eſt, ſine quo licèt opus ſpirituale ſecundum ſe poſſit fieri, non tamen prout ab hominibus moraliter exercetur. Alius labor extrinſecus eſt adjunctus ſacris miniſteriis, qui non ex vi miniſterij per ſe, vel moraliter expetitur, ſed tantum in caſu, ratione circunſtantiarum, perſonarum, aut locorum; exemplum habemus in Miſſæ celebratione, labor ille celebrationis, dicitur intrinſecus, & per ſe expetitus, ire ad Eccleſiam ad celebrandum, dicitur labor extrinſecus, ſed ab hominibus moraliter expetitus, ſiquidem in Eccleſia ſolent Miſſæ celebrari, ire tamen per ſpatium unius, vel dimidiæ leucæ ad aliquam Eccleſiam celebrare, vel ad ſpecialem locum, vel in ſpeciali diei tempore, eſt labor omnino extrinſecus, ratione tantum circunſtantiarum: His ſuppoſitis.

301 Dico primo: Non poteſt recipi pretium pro labore intrinſeco, vel etiam extrinſeco, neceſſario tamen conjuncto operibus ſpiritualibus, prout ab hominibus moraliter exercentur. Ita cum communi ſententia Palaus *tomo* 3. *de ſimonia d.* 3. *p.* 11. *n.* 2. Suar. *cap.* 25. *n.* 5. & cum aliis Baſæus *verbo ſimonia* 5. *n.* 3. contra Adrianum, Aragonium, & ex parte Leſſium, *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 53. & 54. Ratio eſt quia labor intrinſecus operi, nullam aliam æſtimationem habet, præter ipſum opus, qua ratione opus, cui major labor eſt annexus, majori pretio eſt dignum, cæteris paribus: ergo ſi opus de ſe invendibile ſit, etiam labor ei adjunctus, eſt ab illo inſeparabilis; at omnes actiones ſacræ jure divino invendibiles ſunt; ergo etiam labor eis adjunctus invendibilis erit. Quod vero neque pro labore extrinſeco, neceſſario tamen & moraliter expetito, non poſſit ſumi pretium etiam probatur, quia illa omnia quatenus per ſe neceſſaria ſunt ad tale miniſterium, veluti componunt unum opus morale, quod totum ſacrum eſt, & ut tale tractandum. Tum etiam, quia omnes illæ actiones pro ut fiunt in Eccleſia, non habent æſtimationem, nec utilitatem, niſi ratione operis ſpiritualis ad quod ordinantur.

Dico ſecundò: Labores accidentales, & quaſi extrinſeci actionibus ſacris, quique moraliter loquendo neceſſarij non ſunt ad actiones ſacras faciendas, poſſunt vendi v. g. agere iter unius leucæ ad celebrandum: quando id non annectitur officio, vel beneficio; expectare quotidie pro certa hora ad celebrandum: promittere extraordinarium ſtudium ad concionandum, & alia ſimilia. Ita cum communi ſententia Palaus *ſuprà*, Baſæus ſupra. Ratio eſt quia hoc onus eſt omnino accidentale, & per accidens conjunctum cum re ſpirituali, & ab eo ſeparabile; ergo optime poteſt pro tali obligatione accipi ſecum ſtipendium abſque ſimonia. 302

Sed quæres an committat ſimoniam, qui tribuit pecuniam familiari, & privato pontificis, vel prælati, ob laborem appoſitum in obtinendo ei beneficium, ordines, diſpenſationem, vel aliam ſimilem gratiam? Reſpondeo affirmative ſaltem ex jure poſitivo. Ita cum communi ſententia Palaus *de ſimonia diſp.* 3. *p.* 11. *num.* 4. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 36. *n.* 19. & conſtat *ex c. præſentium* 1. *q.* 5. Ratio vero eſt, quia interceſſor, & mediator rogans, & inducens prælatum, ut beneficium alteri concedat, eſt cauſa moralis illius conceſſionis; ergo qui emit hujuſmodi cauſam moralem, emit virtualiter effectum illi annexum, & ab illa dimanantem. Advertit tamen cum Navarro, Suario, Leſſio, & aliis, Palaus *ſupra n.* 5. Tancred. *ſupra n.* 19. non eſſe ſimoniam, ſi pecunia detur his familiaribus pro labore ſuſcepto ineundo, & redeundo ad collatorem beneficij, vel pro recompenſatione alicujus damni, ſi patiantur, vel pro recompenſatione lucri, ſi amittunt, quia hæc omnia accidentalia ſunt his actionibus ſpiritualibus. Cavendum tamen eſt ne munus excedat æſtimationem talis laboris, vel damni ſecundum ſe ſpectati, alias ſimonia committetur, ſiquidem ratione beneficij obtinendi creſcit diligentiarum æſtimatio, quod clarius conſtaret, ſi quo pinguius eſſet beneficium, eo diligentiæ pluris æſtimarentur. 303

Addit cum Sanch. Tancred. *ſuprà num.* 19. non eſſe ſimoniam ſi detur pecunia, v. g. Petro, ut hic intercedat apud Paulum, & Paulus apud Epiſcopum pro beneficio, quia non paratur via immediate ad beneficium, licet contrarium judicet probabilius. Non erit etiam ſimonia, ſi Petrus, & Paulus inter ſe conveniant, ut qui prior beneficium obtineret, dabit centum alteri ſingulis annis, & Paulus obtinet beneficium pro Petro, nam tunc poteſt tuta conſcientia accipere centum quotannis à Petro; ſi ſincere, & abſque intentione obligandi illum, facta fuit talis promiſſio. Ita cum Sanchez, Tancredo, *ſuprà num.* 20. Et idem dicendum eſt, ſi quis deſiderans ordinari diceret, ô ſi ordinationem haberet Epiſcopus, ego centum darem in præmium nuncianti, & amicus apud Epiſcopum intercedat, 304

ut

ut ordinationem habeat, potest tuta conscientia centum recipere, & nec faciet contra præceptum Tridentini, etiamsi recipiens sit minister Episcopi, quia non accipit pro collatione ordinum, quod vetuit ministris Tridentinum, sed in præmium sponsionis positæ. Ita Tancredo *suprà n.* 21. suppono tamen, hæc omnia facienda esse sincere, absque aliquo pacto, etiam tacito, aliàs erunt absque dubio simonia.

305 Addo cum Suario, quem refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 5. mediatorem assumentem curam præcisè informandi Prælatum de meritis talis personæ, posse pro hoc munere pretium recipere, quia in hac parte solum gerit officium advocati repræsentando merita personæ, pro quo officio diximus supra posse pretium recipi, est tamen hoc periculosum, quia sæpe mediator excedit officium Procuratoris informantis, & assumit officium exhortantis, & inducentis, plusquam merito personæ simpliciter repræsentata possent repræsentare. Advertit etiam cum Suario, & aliis Palaus, *suprà* non esse simoniam, si recipiat pecuniam solum, ut alicui aperiat januam, & facilem aditum tribuat, ut possit petere à Prælato beneficium, quia hæc omnia non sunt spiritualibus connexa. Imò affirmat non fore injustitiam, hæc omnia recipere gratis oblata, vel si aliquid faciat familiaris ultra id, quod tenetur, sed pro his magis examinandis: Sit

SECTIO XIX.

Utrùm intentio remunerandi dono spirituali antidoralem obligationem ortam ex temporali, faciat simoniam mentalem, & an liceat talem obligationem in pactum deducere? vel saltem stipendium sustentationes pro functione spirituali.

SUMMARIUM.

306 *Simonia mentalis consistit in voluntate dandi rem temporalem in pretium rei spiritualis tanquam ex contractu oneroso.*

307 *Dare aliquid temporale cum spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per spirituale donum, vel beneficium sine alia obligatione exteriori non est simonia, nec per se illicitum.*

308 *Aliqua corollaria proponuntur.*

309 *Petere gratitudinem ab eo, cui quis temporale donum tradidit non est simonia.*

310 *Aliqua corollaria referuntur.*

311 *Quid si antidoralis obligatio in pactum deducatur?*

312 *Ponuntur quædam corollaria.*

313 *Stipendium sustentationis pro functione spirituali non debita ex officio potest deduci in pactum.*

314 *Quid si non sit debita ex officio?*

306 DIximus *suprà* simoniam dividi in mentalem, conventionalem, & realem, & licet huc usque egerimus de reali conventionali, nunc occasione ultimæ difficultatis præcedentis sectionis, necessarium est aliquas difficultates de simonia mentali decidere. Pro quo sciendum est. Simoniam mentalem constitui in suo esse per internam voluntatem, & propositum dandi rem temporalem, ut pretium rei spiritualis, & tanquam ex contractu oneroso, & inducente obligatione ex justitia, cum opere subsecuto, accipiendi videlicet eodem animo rem spiritualem pro temporali, tanquam pretio. Ita definit simoniam mentalem cum Valentia, Victoria, Soto, Suarez, *de simonia cap.* 44. *num.* 8. Ex quo colligit quod quoties homo non dat rem temporalem cum intentione recipiendi rem spiritualem, tanquam pretium ipsius rei temporalis, & è contra, non committere simoniam mentalem, licet primo, & principaliter faciat rem spiritualem propter lucrum, sive pecuniam, non tanquam pretium, sed tanquam stipendium, ut patet in Canonicis, qui non irent ad Chorum, si non fuisset lucrum, quod sperant, & clericus, qui Missam non diceret, si non fuisset stipendium. Unde licet aliquando in hac prava intentione possit inveniri aliud peccatum mortale, vel veniale, juxta intentionem pravam operantis, peccatum tamen simoniæ solum reperitur, quando datur res spiritualis cum intentione rei temporalis, tanquam pretium ipsius rei spiritualis. Et ratio est, quia pravitas simoniæ exterioris, & realis, consistit in commutatione rei spiritualis pro re temporali, tanquam pretio ipsius: ergo simonia mentalis consistet in intentione accipiendi rem spiritualem pro largitione rei temporalis tanquam pretio illius, patet consequentia quod id, quod re ipsa est objectum simoniæ exterioris in extensione, debet esse objectum simoniæ mentalis, ergo, &c. his suppositis.

307 Dico primò: dare quodcumque donum, vel obsequium cum spe gratitudinis: & intuitu remunerationis, per spirituale donum, vel beneficium ex pura gratitudine obtinendum, & ex hac intentione concepta externum obsequium, vel munus imperare, sine ulla alia obligatione exteriori, nec simonia est, nec per se loquendo illicitum. Ita communiter DD. tam in materia de usura, quam in hac de simonia, ut videre est apud Lugum, *de justitia tom.* 2. *d.* 25. *n.* 28. & apud Suarium *hic cap.* 4. 5. *n.* 4. Ratio est, quia quòd gratis datur, non datur tanquam pretium, sed simonia solum committitur, quando traditur pretium pro re spirituali: ergo quando aliquid gratis datur cum intentione recipiendi donum spirituale rātum ex gratitudine, non committitur simonia: major & minor sunt certæ, consequentia probatur, quia hæc obligatio gratitudinis non est voluntaria recipienti donum, sed necessario, & intrinsecè sequitur ex vi beneficij, sicut obligatio pietatis intrinsecè sequitur ex origine naturali, quo ad parentes; sed intentio expressa de obligatione, quæ ineſt non mutat naturam obligationis, ut si patet intendat generare filium, qui cum ex pietate juvet, non imponit propterea filio obligationem, quasi positivam distinctam à naturali, quæ ineſt ex vi originis; ergo objectum illius intentionis non est malum, quia est proprietas naturalis beneficij. Unde si beneficium, vel obsequium est honestum, etiam gratitudo ex illa erit honesta, & intentio illius per se non erit mala, nec per consequens simoniaca.

308 Hinc fit non committi simoniam dum res aliqua temporalis, vel spiritualis gratis simpliciter datur, vel etiam titulo gratitudinis in recognitionem alterius rei temporalis, vel spiritualis. Ita cum communi sententia Suar. *de simonia c.* 45. Bonac. *hic d.* 1. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 1. Ratio est, quia donatio antidoralis, hoc est remuneratoria, est simpliciter gratuita, quamvis non sit ex omni parte liberalis; quod enim titulo gratitudinis datur, non datur tanquam pretium, sed titulo beneficij, nec confertur ad extinguendum debitum ex justitia, sed antidorale, seu morale, quod non obstat, quin id quod traditur gratis tradi dicatur, & consequenter ad simoniam non sufficiat.

Dices gratitudo ut ſit bona, & honeſta, debet eſſe bene ordinata, ita ut quod datur in remunerationem ſit proportionatum beneficio recepto; ſed dare donum ſpirituale pro obſequio temporali, etiam titulo gratitudinis, videtur inordinatum, quia eſt conferre ſpiritualia cum temporalibus: ergo. Reſpondetur cum Suario *ſuprà*: Inordinatum quidem videri per dona, & obſequia temporalia, velle obligare alium immediate, & definite, ac in particulari, ad beneficia ſpiritualia, quia re vera tale beneficium per ſe, & ex natura ſua ad hoc non obligat, & non poterit major obligatio intendi, quam naturaliter inſit. Vnde debet generatim intendi habere alium benevolum, & ſimpliciter antidoraliter obligatum; Ex circunſtantiis tamen perſonarum, & negotiorum poteſt determinari intentio ad talem rem, non quia obligatio de ſe ad illam limitetur, ſed quia hic & nunc, non poteſt à tali perſona alia retributio ſperari, vel quia mihi licet deſiderare magis hoc donum, quam illud, etiamſi non poſſim alteri imponere talem obligationem ſpecialem; Ex parte tamen gratificantis, nulla datur deordinatio, ſi velit ex gratitudine dare beneficium ſpirituale pro obſequio temporali, quia gratitudo non tam reſpicit datum, quam affectum, & ideo poteſt per gratitudinem multo nobilius munus, quam fuerit receptum, ſine vilipendio talis muneris, conferri: Addo præterea, quod licet interdum in hac obligatione gratitudinis perſolvenda per ſpirituale donum poſſit intervenire aliqua inordinatio, illa non pertinebit ad ſimoniam, ut dixi.

Dices ſi eſſet licitum hanc obligationem intendere, aut retributionem ejus, eſſet etiam licitum illam procurare, & petere, & etiam in pactum deducere; ſed hoc eſt falſum: ergo. Sequela patet, quia quod licet intendere, & deſiderare, licet etiam petere, & procurare, & in pactum deducere; hac enim ratione licet petere, procurare, & in pactum deducere ſtipendium, quia illud licet intendere: ergo. 309 Hoc argumentum duas tangit difficultates. Prima eſt, utrum tradens aliquid temporale intendens, ut ſibi aliquid ſpirituale conferatur titulo gratitudinis, ſimoniam committat, ſi ab eo cui temporale donum tradit petat gratitudinem, ſeu gratum animum, vel recognitionem ſuæ obligationis naturalis? Cui difficultati Reſpondeo negative. Ita cum communi ſententia Suarez *ubi ſuprà num.* 8. Bonacina *de ſimonia d.* 1. *queſt.* 6. *p.* 1. *num.* 6. Raphaël de la Torre *tomo* 2. *d.* 3. *queſt.* 100. *art.* 5. & cum Palao, Lezana, Cœleſtino, & aliis Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 32. *n.* 12. Ratio eſt, quia non petit indebitum, ſed id, quod ineſt, ſeu acceſſorie conſequitur collationem beneficij, expreſſio autem illius quod ineſt, non facit ſimoniam. Ex quo patet, à fortiori ſimoniam non committi, dum tradita gratis re temporali, petitur executio, & adimpletio obligationis antidoralis, quia non commutatur temporale pro ſpirituali, cum temporale jam gratis collatum ſit.

310 Hinc ſit, non eſſe ſimoniam dicere conferenti beneficium, vel alteri juvanti, vel mediatori, &c. omnia mea ſunt tuo ſervitio dicata, vel nunquam me ingratum reperies, niſi hæc verba ex circunſtantiis pactum continerent. Ita cum Navarro, Tancred. *ſuprà num.* 3. Nec erit ſimonia, ſi quis rogatus ire monaſterium monialium ad confeſſiones audiendas dicat, ibo ſed volo, ut à collocutione abſtineant cum ſæcularibus, vel ſi petat, ut eleemoſynam dent, quando tenentur, quia eſt petitio de re virtuoſa, & hoc etſi manifeſtet ſe eleemoſyna potius, quàm alios indigere. Imo ſi confeſſarius ſit in gravi neceſſitate poteſt dicere, dabo tibi confeſſionem, ut tu des mihi eleemoſynam, nam in hoc caſu petitur id, ad quod alius jure naturæ tenetur. Ita Tancred. *ſup. num.* 15. Non erit etiam ſimonia, ſi monaſterium deberet centum aureos alteri monaſterio, & quidam Religioſus diceret ſuperiori monaſterij creditoris, fac me ſuperiorem monaſterij debitoris, & ego ſolvam debitum, quia obligatur ad id, ad quod tenetur ex juſtitia. Tancred. *ſuprà num.* 15. Obſerva tamen cavendum eſſe ab hujuſmodi petitionibus, ſaltem ante collationem doni, vel obſequij, quia aliunde fieri poteſt, ut peccatum in hac re committatur, tum ratione ſcandali, quia alij ſuſpicari forte poſſent, peti tanquam pretium, & iniri conventionem, & pactionem, quam jura præſertim in beneficiis vetant, tum ratione periculi committendi ſimoniam; quia fieri poteſt, ut petant tanquam debitum, & obligationem alteri imponant. Ita advertunt etiam Suar. Bonacina, & alij communiter DD. per quod patet ad argumentum?

Secunda difficultas eſt, Vtrum ſimonia committatur deducendo in pactum antidoralem obligationem, ut ſi aliquid ſpirituale tradatur cum pacto, ut recipiens ſit gratus, vel cum pacto, ut antidoralem obligationem, adimpleat. Vel cum pacto, ut ingratitudinem aliquam pecuniæ ſummam tribuat? Et negativam ſententiam tenent Cœleſtinus, Ghilinus, Valentia, Tanerus, quos refert Diana 6. *p. tract.* 7. *reſol.* 42. Gibalinus, *de ſimonia queſt.* 18. *corollario* 3. *num.* 6. Sed contraria ſententia tenenda eſt ita in praxi, communiter DD. apud Bonacinam *ſuprà n.* 7. Tancredum *ſuprà n.* 16. Ratio autem eſt, quia ſimonia committitur dum pro re ſpirituali imponitur onus pretio æſtimabile; ſed obligatio antidoralis in pactum deducta eſt pretio æſtimabilis, quia præter obligationem antidoralem, & generalem additur nova ſpecialis, & civilis obligatio, & hoc maxime valet in beneficiis, in quibus omnis pactio, & conventio vetatur: ergo. Confirmatur quia deducendo in pactum obligationem antidoralem, non ſolum exprimitur id, quod ineſt, ſed nova inducitur obligatio, quæ ex pacto conſurgit: & conſequenter obligationi naturali gratitudinis additur obligatio juſtitiæ, quæ pretio æſtimabilis eſt, vel ſaltem ex fidelitate, & veracitate, quæ rationes inter homines, ratione honoris, & famæ, magis premunt, quam ſola obligatio gratitudinis: ergo. 311

Hinc fit ſimoniam committi, dum quis rem ſpiritualem tradit alteri cum pacto, ut obſequium ſibi præſtet, vel non pretio æſtimabilem præbeat, vel agat, & hoc etiamſi dicat, ſe hoc poſtulare ſolum ex benevolentia, ſeu liberalitate illius, qui rem ſpiritualem tradit, ut ſi dicat, liberaliter tibi trado hanc rem ſpiritualem, ſi tu rem aliquam temporalem liberaliter promittas. Ratio eſt quia in pactum deducit obligationem, & falſa eſt illa propoſitio, quæ indicat te liberaliter tradere, & liberale donum exigere, cum ineat contractum oneroſum, & re ipſa non donet, ſed vendat, ſicut ſi ego dicam, dono tibi liberaliter hanc torquem, ſi tu liberaliter dones veſtem, vel centum aureos, alias ego non dabo, perſpicuum eſt ne ſolum verbis donare, ſed re ipſa vendere, ſeu permutare. An autem ſit ſimonia deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali functione quæ ex officio non incumbit? Reſpondeo negative: Ita cum Suario, Palao, & aliis communiter Tancred. *tractatu* 2. *libro* 4. *d.* 33. *numero* 3. contra Sylveſtrum, Roſellam, & alios. Ratio eſt, quia per hoc 312 313

pactum

Digitized by Google

pactum non additur aliquid, ſed exprimitur, quod ineſt ex natura rei, ſiquidem ſtipendium ſuſtentationis debetur ex juſtitia naturali. Et idem dicendum eſt, ſi exigatur ſtipendium ſuſtentationis pro functione ſpirituali debita ex officio, vel beneficio. Ita cum Suario, Tancred. *ſuprà n.*8. non enim poſtulatur, ut pretium. Erit tamen peccatum contra juſtitiam, cum res non debita poſtuletur. Excipe niſi parochus non habeat ſufficientem ſuſtentationem ex ſua præbenda. Ita cum aliis Tancred. *ſuprà num.* 11. & 12. 314

SECTIO XX.

Utrum pactio, & traditio rei temporalis ad obtinendum rem ſpiritualem excuſetur à ſimonia reali, & conventionali, propter intentam redemptionem vexationis?

SUMMARIUM.

315 *Quid ſit jus ad rem, & jus in re?*
316 *Habens jus in re acquiſitum in beneficio poteſt redimere vexationem ſibi factam in jure illo quæſito tollendo.*
317 *Quid ſi quis acquiſito beneficio per certam inſtitutionem à capienda poſſeſſione impediatur?*
318 *Quid ſi electus vexetur per viam juris circa poſſeſſionem jam habitam?*
319 *An poſſit redimere vexationem qui habet jus acquiſitum in foro externo, ſed coram Deo illud non habet?*
320 *Qui injuſtè impeditur à beneficij conſecutione, non poteſt abſque ſimonia redimere vexationem ab his qui beneficium conferre debent.*
321 *Quid ſi ab aliis, qui ad electionem &c. non concurrunt impediatur?*
322 *Quædam corollaria proponuntur.*
323 *Quid ſi quis det pecuniam alteri, qui non poteſt prodeſſe electioni, ut deſiſtat à poſitione veri criminis, quod ex zelo vult opponere?*
324 *Poteſt quis redimere vexationē caſu, quo vexatio fiat precibus, vel muneribus factis electori.*
325 *Quædam corollaria ponuntur.*
326 *Quid ſi quis det pecuniam alicui ex competitoribus ad beneficium, ut à pertentione juſta decedat?*
327 *Poteſt quis movere pecunia electores ut digniſſimum elegant caſu, quo in aliquo concurſu, vel electione vehementer timeatur indignum eſſe eligendum.*
328 *Quid ſi unus tantum reperiatur idoneus, licet ne offerre pretium ut eligatur poſito quod electoret velint in alios declinare?*
329 *Res quæ datur ad redimendam vexationem injuſtam non debet eſſe ſpiritualis, ſed temporalis, alias erit ſimonia.*

315 NOtandum in primis eſt cum Leſſio *lib.*2.*c.*35. *dub.*28. aliud eſſe jus ad rem, & aliud jus in re, ad rem jus habet in beneficiis remotum quidem, qui dignus eſt, propinquum vero qui electus, vel præſentatus, vel poſtulatus, ſed nondum confirmatus, vel inſtitutus, vel collationem factam acceptavit cum impoſitione pilei, quamvis nondum poſſeſſionem ceperit. Quibus ſuppoſitis,

316 Dico primo: Habens jus in re acquiſitum in beneficio, poteſt redimere vexationem ſibi factam in jure illo acquiſito, tollendo. Habetur expreſsè in *cap. dilectus de ſimonia & cap. quæſitum.* Et ratio eſt, quia qui ſic dat pecuniam, non dat illam pro aliqua re ſpirituali, ſed pro ceſſatione ab injuria; non enim per illam redemptionem aliquid ſpirituale acquiritur, eſt enim beneficium, ut ſupponimus, firmiter acquiſitum. Ita communiter DD.

317 Dico ſecundò: Si quis acquiſito beneficio per certam, & indubitatam inſtitutionem, à poſſeſſione capienda impediatur, licet ſibi vexationem pecunia redimere. Ita communiter DD. apud Palaum *de ſimonia d.*3.*p.*20.*n.*5. Ratio eſt, quia poſſeſſio non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli cui eſt annexa; acquiſito ergo titulo, poſſeſſio eſt quid corporale, & omnino debita titulo: ergo non eſt ſimonia illius impedimentum redimere, quia non redimitur jus, ſed factum: ſecus eſſet dicendum, ut bene advertit Suarez *de ſimonia cap.*50.*num.*30. ſi jus ipſum ratione cujus petit poſſeſſionem vocaretur in dubium, tunc enim non liceret pecunia poſſeſſionem redimere, quia redimeretur non poſſeſſio tantum, ſed jus beneficij infirmum firmaretur, & confervaretur.

318 Sed quid ſi electus vexetur per viam juris, circa poſſeſſionem jam habitam, poteritne pretio hanc vexationem redimere? Affirmat Palæalgus *deciſione* 235. *nn.*2. Sed abſolute dicendum eſt eſſe ſimoniam talem vexationem pretio redimere. Ita cum Suario, Tancred. *ſuprà n.*44. Ratio eſt, quia redimeretur pretio poſſeſſio, ut adnexa juri ſpirituali, & hic ex parte ipſum jus, nam qui habet poſſeſſionem beneficij, & non habet jus ſtabile, ſi dat pecuniam, ne hoc jus juridice impugnetur, jam vidit redimere jus intentius, ut ſic dicam, cum videat, quod id, quod habet eſt dubium, & remiſſum, ita ut poſſit ab illo tolli.

319 An autem poſſit redimere vexationem qui habet jus acquiſitum in foro externo, ſed coram Deo illud non habet, ob aliquod occultum impedimentum, v.g. quia eſt ſimoniacus? Reſpondeo affirmative. Ita Tancred. *tract.*2.*lib.*4.*d.*34.*n.*8. Ratio eſt, quia ſic dans pecuniam, non dat illam pro re ſpirituali, ſed pro ceſſatione ab injuria, quam vere ille infert. Nec obſtat, quod coram Deo nullum ſit jus quæſitum, quia hoc ſolum facit, ut ſic electus, vel confirmatus, teneatur petere diſpenſationem, aut electioni renuntiare; ſicuti ex eo, quod maritus per fornicationem occultam amiſerit jus petendi, ſi alter neſciat, & nolit reddere, poteſt illam cogere, & illa injuſtitiam committeret, nolens reddere debitum. Ita cum Sanch. & aliis, probat idem Tancred. *diſp* 68. *de matrimonio lib.*1.

320 Dico tertio: Si quis injuſtè impediatur à beneficij aſſecutione, non poteſt abſque ſimonia pecunia redimere vexationem ab iis, qui beneficium conferre debent, ſecus vero ab aliis. Ita cum Soto, Suario, Leſſio, Rodr. Sanch. *in conſiliis lib.*2.*c.*3.*dub.*30. Palaus *hic n.*4. Tancred. *lib.*9.*tr.*2.*d.*34.*n.*11. Prima pars concluſionis patet ex *c. ſicut is de ſimonia*, ubi cenſetur ſimoniacus, qui dedit Epiſcopo pecuniam, ut electionem factam confirmaret. Ratio vero eſt quia ſi quis eligenti, vel præſentanti, aut inſtituenti det, ut moveat ad ſibi non negandam inſtitutionem, formaliter, & directe dat pecuniam, ut eam ſibi concedat, & conſequenter pecunia viam parat ad beneficium, quod eſt prohibitum, & illicitum.

Dices te non dare pecuniam tanquam pretium electionis, ſed dare pecuniam, ut electoris avaritiam ſaties, & pravum affectum illum tollas, & hac intentione te excuſatum eſſe à ſimonia vera, eſto in foro exteriori præſumatur. Reſpondeo hoc ſatis eſſe probabile, & ita ſentit cum Adriano, Navar. Valent. Laym. Bon. *de ſimonia d.*1.*q.*6.*p.*5.*n.*4. Tancr. *tr.*2. *lib.*4.*d.*34.*n.*13. & probabile putat Palaus *ſupr. n.*4.

Digitized by Google

licet contrarium teneat Suarez *lib.4. de simonia cap.50. num.28.* affirmans ita esse receptum secundum stilum Curiæ, & Ecclesiæ, sed intelligendus est secundum præsumptionem fori externi, ut ait Palaus *suprà*. Adde cum Palao, quod vel prælatus alicui male & injuste negat beneficium, vel nullam injustitiam in tali negatione committit; si nullam injustitiam committit, vexationis redemptioni non est locus, ac proinde nequaquam poterit dare pecuniam cum onere collationis, quia esset simonia clara,& manifesta. At si injuste alicui neget beneficium,eo quod ille solus dignus sit,vel inter dignos dignior, poterit pecuniam offerre, sub onere ut eligatur, quia non in pretium electionis pecuniam affert, sed in remotionem majoris peccati, quod intendit elector committere, eligendo indignum, vel dignum prætermisso digniori. Item habet jus quæsitum, ne in tali concursu alius præferatur; ergo pecunia non acquirit jus, sed defendit habitum. Quæ sententia absque dubio in foro interiori est probabilis, nimium tamen periculosa.

321 Secunda verò pars nostræ conclusionis scilicet posse redimi vexationem injustam omnium illorum, qui ad electionem,præsentationem, collationemque beneficij non concurrunt, probatur. Primo: Quia nullibi reperitur prohibitum, omnes enim textus loquuntur de redemptione vexationis facta circa electionem, aut confirmationem, &c. ab iis qui illa dare possunt. Deinde probatur ratione, quia hac redemptione solum removentur impedimenta injuste applicata, neque proinde via ad beneficium paratur, magis quam parata esset ante impedimentorum injustam positionem. Adde quemlibet habere jus quæsitum,ne sibi fiat injuria v. g. ne in fama lædatur, neve injuste detineatur, quin possit se beneficio opponere; ergo si contra justitiam quis illum infamet, aut domi detineat, poterit ipse absque simonia vexationem hanc redimere.

322 Hinc fit posse Petrum dare pecuniam Paulo, qui non potest prodesse electioni, ut desistat à positione veri criminis, quando is talem oppositionem parat, ad hoc ut pertendens beneficium impediatur,& loco ipsius ejus amicus alioquin benemeritus eligatur, procedit enim ea vexatio ex animo iniquo, esto non sit injusta, ergo licet illam redimere pecunia, quando constat de prava intentione. Ita cum Lessio, Tancred. *suprà num.* 30. Et idem dicendum est quando quis, qui non potest prodesse, ex odio vellet opponere vera crimina contra eligendum, nam tunc potest offerti pecunia, ut odium deponat. Tancred. *suprà num.* 31. Et idem dicendum est de eo, qui dat pecuniam ad hoc ut electio fiat juridice v. g. servata forma scrutinij, etiam si fiat de personæ determinatæ electione. Ita cum Sanch. Tancred. *suprà num.* 37.

323 Erit tamen simonia, si quis det pecuniam alteri, qui non potest prodesse electioni, ut desistat à positione veri criminis, quod vult opponere, non ex odio, sed ex zelo bonæ electionis, nam cum iste homo juste, & ex bono zelo operetur, non datur injusta vexatio, quæ possit redimi. Ita & bene Tancred. *suprà num.* 35. contra Pascaligum *decisione* 237. Idem dicendum est,si detur alicui pecunia, ne cuiquam exceptionem in electione opponat, quam jure potest opponere, vel concurrenti ut à concursu desistat; ita cum Lessio, Pontio, Tancred. *suprà num.* 47. contra Pascaligum *decisione* 247. Ratio est quia hoc pacto, mediante pecunia, paratur via secura ad obtinendam electionem ad beneficium. Ita etiam Palaus *tract.* 17. *d.* 3. *p.* 20. *num.* 2. Et idem dicendum est de eo qui paciscitur cum alio ne concurrat cum eo in hac electione, & quod ille non concurret cum eo in alia electione; Ratio est, quia non concurrere in electione, est pretio æstimabile,& datur, ne alius concurrat;ergo datur aliquid temporale ad parandam viam ad beneficium. Ita Tancred. *suprà num.* 51. contra Pascaligum *decisione* 249.

Sed inquires an possis pecunia vexationem re- 324
dimere casu, quo vexatio fiat precibus, vel muneribus factis electori, ne te eligat? Negat Turrecremata *in cap. quæsitum 1. quæst. 3. num.* 3. Archidiaconus ibi. Cum Raymundo. Verum contraria sententia tenenda est. Ita cum Valentia, Lessio, Suario, Aragonio, Rodriguez, Palaus *suprà n.m.6.* Ratio est quia esto subornans electorem,& judicem non tibi faciat injuriam contra justitiam, facit tamen nocumentum contra charitatem: siquidem ejus animum non relinquit liberum, sed in tui adversarium movet, & inclinat: ergo poteris hujusmodi nocumentum removere, siquidem ejus remotione non paras magis viam ad beneficium, quam si nunquam talis subornatio adesset.

Hinc fit non tibi licere dare pecuniam subornato- 325
tori, ut à subornatione desistens tibi specialiter faveat,tuamque electionem procuret; parares enim viam pecunia ad beneficium. Poteris tamen illi dare pecuniam,ut à subornatione desistat, quia das pecuniam ut desistat ab actione tibi nociva. Unde si forte fuerint plures electores, & contrarius oppositor aliquos subornet, non licet tibi alios, vel eosdem subornare, ut tibi potius, quam alteri faveant, est enim hoc directè parare pecunia viam ad beneficium. Potes tamen electoribus jam pecunia subornatis dare pecuniam, non ea intentione ut tibi faveant, sed ut deponant animam, & affectum propensum,quem habent erga tuum competitorem,propter pecuniam ab illo receptam; in hoc enim casu non paras viam ad beneficium, magis 71
quam esset parata, ante subornationem injuriosam, & in odium tuum factam; subjicitur hoc tamen maximo periculo incidendi in simoniam.

Neque in hac parte audiendus est Basilius de Leca, *lib.5. de matrimonio c.14. §.6. n.44.* in fine affirmans licere dare pecuniam in oppositione ad Cathedram, quando sunt duo competitores, neque excessus clare apparet, si de facto scholasticus, qui suffragium debet ferre,sua sponte postulaverit, vel indicaverit, tametsi dicat non esse licitum offerre. Hoc nullo modo sustineri potest. Ita Palaus *suprà num.6.* aperit namque hæc doctrina viam plurimis peccatis, & injustitiis & est contra rationem, nam quod elector postulet pecuniam, non potest honestare illius receptionem, neque dationem, quia est postulatio iniqua; ergo si secluſa postulatione non licet in eo casu Electoribus pecuniam offerre, neque etiam licet petitum dare.

Sed quæres: An simoniam committat, qui be- 326
neficium simul cum aliis pertendens pecuniam tribuit alicui ex competitoribus, ut à pertentione justa desistat? Respondeo affirmative. Ita cum D. Thom. Lessio, Pontio, Barbosa, Palaus, *suprà num.* 20. Ratio est, quia jam pecunia parat viam ad beneficium, & redimit vexationem justam, quam sibi competitor facit, quod nullo modo licet; Et idem dicendum est si pecuniam daret alicui, ne exceptionem opponat, quam jure opponere potest, quia jam pecunia securiorem reddit viam ad beneficium, ut *suprà* tetigimus, & tenet etiam cum aliis relatis Barbosa, quem refert & sequitur Palaus *suprà*.

Secundò

327 Secundò inquires an possit quis pecunia movere electores, ut dignissimum eligant, casu quo in aliquo concursu, vel oppositione, vel electione timeat vehementer indignum, vel minus dignum esse eligendum? Respondeo affirmative. Ita cum Cajetano, Soto, Majore, Navarro, Valentia, Toleto, Lessio, Suario, Palaus *sup. num.* 8. contra Bonacinam, *de simonia quæst.* 6. *d.* 1. *p.* 5. *num.* 11. Sanch. *in concilius lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 31. *tract.* 2. *lib.* 4. *num.* 14. ubi prædictam doctrinam solum admittit in electione Papæ. Ratio tamen nostræ resolutionis est, quia Ecclesia secundum probabilem sententiam habet jus justitiæ commutativæ, ut electores magis dignum eligant, vel saltem electio dignioris debita est titulo justitiæ legalis, aut fidelitatis; ergo electoribus propensis hoc jus restringere, poterit quis pecuniam tribuere, ut ab illa propensione, & injuria desistant, non enim dat pecuniam tanquam pretium electionis, sed ut satiet avaritiam electorum, ex quo fit debere apparere electores esse propensos ad eligendum indignum, nam antequam hoc appareat, non poterit prævenire eos pecunia, quia hoc jam est parare viam pecunia ad beneficium.

Dices cum Sanch. si quis dat pecuniam, ut eligatur dignus, sive in communi, sive in particulari, dat pretium pro re spirituali, sicut si daret pretium Sacerdoti, ut ministraret Sacramentum in communi. Respondeo cum Suario, Negando antecedens: nam idem est [juxta materiam subjectam] non eligere indignum, quod dignum eligere, nam supponimus electores esse determinatos ad eligendum aliquem, atqui Sanchez, Bonacina, Moscotus, Villalobos, & alij, quos refert Diana 6. *part. tract.* 14. *resolut.* 1. concedunt cum communi sententia posse dari pretium ne eligatur indignus: ergo etiam ut eligatur dignus, nam hic non datur pretium pro aliquo spirituali, sed pro determinatione, quoad specificationem, quæ consurgit ex hoc, quod voluntas eligentis abstrahatur ab objectis indignis, vel minus dignis, hanc autem exclusionem redimere licet; ergo, & specificationem illam, solum quatenus ex hac exclusione sequitur.

328 Sed quid si unus tantum reperiatur idoneus, licetne alicui offerre pretium, ut eligatur, posito quod electores velint in alios declinare? Negant Suarez *lib.* 4. *cap.* 50. *num.* 41. Bonacina, Sanchez, quos *suprà* retulimus; quorum ratio est, quia daretur pecunia pro ejus electione, quod est simoniacum. Sed debet offerri inquit Suarez sub conditione, ut non eligatur indignus. At non est necessarium hunc scrupulum injicere, sed absolute poterit dare pecuniam, ut eligatur ille dignus, non tanquam pretium electionis, sed tanquam motivum tollens pravam illam electionem, & affectum electorum; quare etsi electores pecuniam recipiendo committant simoniam, quia non habent causam legitimam, quæ talem receptionem honestet, ut pecuniam dans liber est a tali peccato, eo quod in redemptionem injustæ vexationis, & remotionis impedimentorum legitimæ electionis tribuit: sic cum Lessio, Pontio, Soto, Navarro, Toleto, Valentia, Palaus, ubi *supra num.* 9. Becanus *de simonia quæst.* 153. *num.* 4.

329 Advertè tamen cum Sanchez, & Bonacina, *suprà*, quod res quæ datur ad redimendam injustam vexationem, non debet esse spiritualis, sed temporalis, nam cum vexatio injusta, sit quid temporale, non potest redimi re spirituali; Quamobrem si quis inique vexetur in pingui beneficio, & tenue beneficium, vel officium Ecclesiasticæ jurisdictionis vexatori tradat, promittat, vel procuret, aut juri spirituali cedat, simoniam committit, quia tradit rem spiritualem pro temporali.

SECTIO XXI.

An possit vendi beneficium Ecclesiasticum absque simonia, ubi etiam de pensionibus.

SUMMARIUM.

330 *Ponitur beneficij definitio.*
331 *Beneficium qua parte importat jus administrandi spiritualia, invendibile est jure divino.*
332 *Beneficium qua parte est jus obtinendi fructus, est invendibile jure Canonico.*
333 *An etiam in hoc sensu sit invendibile jure divino?*
334 *Quadam corollaria ponuntur.*
335 *Pensio quotuplex sit?*
336 *Pensio quæ datur laicis ob officium temporale, si vendatur non est simonia, neque juris divini neque humani.*
337 *Pensio quæ soli clerico concedi potest quocumque titulo, si vendatur propria authoritate, committitur simonia juris divini, ubi Bulla Pij V. est recepta.*
338 *Contraria sententia est improbabilis.*
339 *Hujusmodi pensiones possunt redimi propria authoritate absque simonia.*
340 *Pensionarius potest alteri vendere, vel donare pro tota vita fructus suæ pensionis retinendo titulum beneficij absque simonia.*
341 *Quid dicendum sit de præstimonio?*
342 *Quid de cogitantis beneficiorum?*
343 *Quid de hospitibus?*

Suppono. *Beneficium esse jus percipiendi fructus annuos de Ecclesiasticis bonis, ratione alicujus ministerij Ecclesiastici.* Ita communiter DD. & sumitur ex *cap.* . *de Ecclesijs ædificandis.* Dicitur beneficium dari propter officium, eo quod, non possit in alium transferri beneficium, quin simul onus ad officium transferatur. Comprehendit hæc vox Beneficium Ecclesiasticum, Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, Archidiaconatum, & alias Ecclesiasticas dignitates, Canonicatus, Vicarias perpetuas & alias hujusmodi, de quibus videndum est an sint invendibilia, non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure divino. 330

Et imprimis separando certa ab incertis; certum est secundum omnes DD. Beneficium invendibile esse jure divino, qua parte importat jus administrandi spiritualia, quia tale jus spirituale, & sacratum est, & à Christo institutum. Jure autem positivo Canonico invendibile est, qua parte est jus obtinendi fructus, ut constat ex *cap. ultimo de pactis, cap. super eo de transact. cap. querelam, cap. tuas de simonia, & cap. unico ut Ecclesiastica beneficia, & 1. quæst. 3. fere per totum.* Controversia igitur inter authores solum est, an etiam jure Divino hoc sit prohibitum? Et Theologi communiter affirmant. Canonistæ vero communiter negant, ut videre est apud Suarium *lib.* 4. *de simonia cap.* 24. *n.* 7. & 12. 331 331a

At re attentè considerata, utraque sententia veritatem habet. Ita Palaus *d.* 3. *de simonia part.* 13. *num.* 3. Bonacina *de simonia, d.* 1. *quæst.* 4. §. 1. *n.* 10. Si enim Beneficium sumatur quatenus est jus ad 331

Digitized by Google

annuos fructus, obtingens per officium ſacrum, cum officium ſacrum, & jus adminiſtrandi ſpiritualia invendibile ſit, etiam eſt invendibile jus ad annuos redditus, quod medio illo officio, & jure ſpirituali conſequitur, & conſequenter vera eſt abſolute ſententia Theologorum affirmantium beneficium vendi prohiberi. Verum quia ſummus Pontifex poteſt præbendam, ſeu fructus ſeparare beneficij, & jus illa percipiendi à titulo ſpirituali; hoc eſt à jure adminiſtrandi ſpiritualia ſeparare, unique conferre hujuſmodi jus ſpirituale, alteri vero, vel ſibi applicare jus percipiendi fructus illius tituli, ut contingit quotidie, cum penſiones aſſignat, poterit penſionem illam, ſeu fructus, quos extrahere vult à titulo ſpirituali, velle ut accipiens beneficium ſtatim redimat, & ſibi conferat, alias non collaturus beneficium, quod autem hæc poſſit efficere Pontifex conſtat, quia ipſe ſolum tenetur accipienti beneficium, ſuſtentationem tribuere; ergo ſi aliunde hujuſmodi ſuſtentationem conferat, poterit omnes fructus aſſignatos illi beneficio applicare ſibi, vel alteri; ergo jam ſibi applicatos poterit vendere: quia non vendit aliquid, quod ſit ſimpliciter ſpirituale, ſiquidem non vendit jus percipiendi fructus medio ſpirituali officio contingens, quod erat neceſſarium ad venditionem formalem beneficij; ſed vendit jus percipiendi fructus, quod ſibi Pontifex poterat reſervare.

334 Et hinc fit inferiores prælatos, quibus non eſt facultas ſeparandi fructus à titulo beneficij, ſi in ejus datione peterent pecuniam ſibi dari pro fructibus quos concedunt, veram committere ſimoniam, ſi quidem peterent pecuniam pro ipſo titulo ratione cujus habent jus percipiendi fructus. Ita Suar. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 32. Bonacina *hic qu.* 4. §. 11. *num.* 10. & 21. Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 19. *num.* 13. contra Leſſium *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 20. Palaum *ſuprà p.* 13. *num.* 4. qui putat tantum eſſe præſumptive ſimoniam juris divini.

335 Sed Quæres an Penſiones poſſint vendi abſque ſimonia? Pro reſolutione hujus dubij. Notandum eſt, duplicem eſſe penſionem, alia quæ dari poteſt laicis ad officium temporale, v. g. ad pulſandas campanas, canendum figurate in choro. &c. Alia vero quæ ſoli clerico concedi poteſt, Et hæc eſt duplex, alia quæ abſque determinatione perſonæ, aſſignata eſt pro aliquo pro officio ſpirituali, ut v. g. pro coadjutore Epiſcopi, pro concionatore, pro viſitatore, &c. alia vero ſoli clerico conceſſa eſt ob quadruplicem cauſam; prima, quæ datur pauperi clerico in ſuſtentationem, ſecunda quæ datur parocho ſeni non valenti deſervire, ut ſe ſuſtentet, beneficio ejus alteri dato. Tertia quæ datur renuntianti beneficium, quod pacifice poſſidebat. Quarta, quæ datur ad litem in beneficio componendam: his ſuppoſitis.

336 Dico primò: Penſio quæ datur laicis ob officium temporale, ſi vendatur non eſt ſimonia, neque juris divini, neque humani. Ita cum Rebuffo, Suario, Leſſio, & aliis communiter Palaus, *ſuprà n.* 7. & cum aliis Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 20. *numer.* 2. contra Barboſam, qui dicit has penſiones de ſtylo Curiæ non poſſe vendi, vel redimi abſque Papæ authoritate. Ratio tamen noſtræ reſolutionis eſt, quia hæc penſio non eſt annexa titulo ſpirituali, ſiquidem neque ex parte ſubjecti, neque ex parte finis, ſpirituale aliquod munus requirit. Nec obſtat quod illa penſio extracta ſit ex aliquo titulo ſpirituali, nempe ex beneficio ad hoc, ut ſit ſpiritualis: Nam etiam tertiæ decimarum, Regi conceſſæ, extractæ ſunt ex beneficiis, & tamen quia ad nullum officium ſpirituale ordinantur, vendi poſſunt, & de facto quotidie venduntur.

Dico ſecundò: Penſio quæ ſoli clerico concedi 337
poteſt, quocumque titulo ex enumeratis, ſi vendatur propria authoritate, committitur ſimonia juris divini, ubi Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex proximo eſt recepta*, & obſervatur. Ita cum Suario, Leſſio, & aliis Palaus *ſuprà num.* 8. Ratio eſt quia Pontifex in illa Bulla annectit penſiones titulo ſpirituali, ſiquidem penſionarios obligat ad officium parvum Beatæ Virginis recitandum, alias fructus non faciunt ſuos; ſed hoc officium invendibile eſt: ergo, & penſio. Patet conſequentia, quia penſio ſuppoſita hac Bulla, nihil aliud eſt, quam jus percipiendi fructus medio ſpirituali officio: ergo cum officium invendibile ſit, etiam jus percipiendi fructus ab illo inſeparabile invendibile erit. Hæc tamen intelliguntur ubi recepta eſt Bulla Pij V. nam ubi non eſt recepta, ſolum erit ſimonia juris humani, quia ex ſtylo Curiæ prohibentur vendi, & venditores tanquam ſimoniaci puniuntur. Ita cum Valentia, Paſaus *ſuprà num.* 8. Adverte tamen cum Suario, *ſuprà cap.* 26. *num.* 8. hanc Bullam Pij V. in Hiſpania eſſe receptam, & non eſſe abrogatam per conſuetudinem.

Adverte tamen non ignobiles Authores affirma- 338
re, quod non ſolum ubi non viget Bulla Pij V. ſed etiam ubi illa viget, non eſſe ſimoniam, etiam juris humani vēdere hujuſmodi penſiones; ſiquidem ſunt quid temporale, & recitatio officij Beatæ Virginis per accidēs his penſionibus annexum eſt. Vnde ſolum pro foro externo requirunt Papæ conſenſum. Ita Vidal in Arca vitali, *titulo de judice, inquiſitione* 5. *num.* 44. & probabile putat Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 20. *n.* 5. & ut probabilius docet cum Sanchez, Lotter. Sanlegerius *de Penſionibus cap.* 17. *num.* 27 quam & ego probabilem exiſtimo, ſi agatur de penſione jam conſtituta, non tamen ſi agatur de reſignatione beneficij cum reſervatione penſionis, aut alia de cauſa, ex qua poſſit argui pactum circa ipſum beneficium cedendum, vel reſignandum, ſine Pontificis authoritate, & in hoc ſenſu explicandi ſunt prædicti Doctores, ut bene probat Sanlegerius *ſuprà num.* 30.

Dico tertiò: Hujuſmodi penſiones poſſunt redi- 339
mi propria authoritate abſque ſimonia. Ita cum Valentia, Caietano, Leſſio, Toleto, Suario, Palaus *ſuprà num.* 10. Becanus *de ſimonia quæſt.* 18. *num.* 3. Sanlegerius *ſuprà num.* 23. & cum Naldo, Garcia, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 20. *numer.* 9. contra Flaminium, Navarrum, Azorium, Sotum, Victorium quos refert Palaus *ſuprà num.* 9. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, Quia redimere talem penſionem, non eſt emere aliquod jus ſpirituale, ſed extinguere onus temporale, nempe debitum ſolvendi quotannis certam ſummam. Et quòd inde ſequatur beneficium fore tibi magis utile, & facultatem habere retinendi omnes fructus, hoc eſt extrinſecum, & accidentarium redemptioni penſionis, ſiquidem redemptio non per ſe reſpicit iſtam utilitatem, ſed libertatem, & immunitatem ab annua ſolutione. Adde Redemptionem penſionis, eſſe quandam anticipatam ſolutionem; cum igitur fructus vendi poſſint, etiam & redimi poterunt. His tamen non obſtantibus ad redemptionem penſionis ſolet ſemper authoritas Pontificis intervenire, non quia neceſſaria, ſed ad majorem ſecuritatem, ut bene in Toleto, Palaus, *ſuprà*, & quia jam ex ſtylo Curiæ hoc eſt receptum, ut probat Garcia 1. *part. cap.* 5. *num.* 23.

Dices: Penſio non poteſt conſtitui propria autho-

ritate

Digitized by Google

ritate: ergo neque redimi; nam res per quas causas nascitur, per eadem dissolvitur, & eadem debent concurrere ad destructionem, quæ ad constructionem. Confirmatur quia pensio emi non potest absque simonia contra jus divinum, supposita bulla Pij V. ut supra diximus: ergo neque potest redimi; nam oppositorum eadem est ratio. Respondetur negando consequentiam: nam redemptio pensionis nihil aliud est, quam quædam anticipata solutio illius. Unde non tollitur, neque dissolvitur jus, quod pensionarius habebat ad recipiendos fructus, sed perficitur, & completur, per solutionem anticipatam. Unde qui sic redimit pensionem, non emit illud jus, quod habebat pensionarius ad recipiendos fructus, sed veluti emit ab illo fructus, quos pro sua vita illi tenebatur quotannis reddere, & facta hac anticipata solutione, nomine pensionarij recipit fructus, ut suprà diximus de vendente fructus pensionis pro sua vita. Ad confirmationem respondetur, negando consequentiam, quia per venditionem pensionis, venditur jus, quod habet pensionarius ad percipiendos fructus medio officio divino, quod quidem, ut supra diximus simonia est, at vero per redemptionem pensionis non redimitur jus, sed fructus qui sicuti possunt vendi, ita & redimi, notandum tamen est, resignantem beneficium cum onere pensionis, non posse facere pactum, ut constituta pensio redimatur, quia apertam continet simoniam; est enim illud onus pretio æstimabile. Ita cum Lessio, Gigas, Toleto, Palaus, *supra num.* 11. Sanligerius *supra num.* 30.

340 An autem Pensionarius possit alteri vendere, vel donare fructus suæ pensionis, etiam ad totam suam vitam, retinendo tamen titulum beneficij, absque simonia? Respondeo affirmative. Ita cum Suario, Azor. Naldo, Zerola, Valentia, Filliucio, Garcia, Vasquius, Bonacina, *de simonia d.* 1. *quæst.* 4. §. 13. *num.* 13. contra Lessium *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 22. *n.* 122. & alios. Ratio est, quia traditur temporale pro temporali; fructus namque pensionis sunt res temporales, & alias, qui illos emit, non emit titulum, sed colligit illos nomine pensionarij, ut supra diximus de vendente fructus beneficij ad totam suam vitam. Tum quia nullum est jus contrarium præcipiens.

Nec obstat si dicas hujusmodi fructus non posse vendi absque eo, quod titulus, & jus ad illos transferatur. Respondetur namque, non transferri jus, & titulum spiritualem ipsius pensionarij, sed jus temporale, quod necessario consequitur contractum emptionis fructuum, nam eo ipso quod quis emit fructus, jus ad illos acquirit; hoc autem jus non est spirituale, sed temporale, quia consurgit ex contractu materiali, & civili, quatenus scilicet pensionarius concedit facultatem ementi, ut vice illius, recipiat illos fructus, ex quo contractu consurgit in emente jus ad fructus, quod jus temporale est, cum referatur ad fructus temporales, & ex contractu materiali consurgit, ut diximus.

341 Sed quæres quid dicendum sit de præstimoniis? Pro cujus notitia sciendum est. Præstimonia esse veluti quasdam pensiones, separatas à pinguibus beneficiis pro sustentatione pauperum Clericorum, ut in clericatu proficiant. Ita Sanch. *in Concilijs lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 54. *num.* 1. distinguuntur autem præstimonia à pensionibus, quia præstimonia non sunt personalia, aut vitalitia, ut pensiones, sed perpetua, quando enim vacant per mortem habentium, non extinguntur, ut pensiones, sed conferri debent, & possunt aliis per prælatum Ecclesiasticum, quæ omnia non inveniuntur in pensionibus. Ita Suarius *de simonia cap.* 25. *num.* 2.

His suppositis, Dicendum est, eodem modo philosophandum esse de præstimoniis, ac de pensionibus, quæ titulo spirituali dantur. Ita Palaus *supra num.* 12. & cum Caccialup. Barbosa, & alijs, Sanligerius *c.* 17. *num.* 35. Ratio autem est, ut quia præstimonia in omni sententia ad minus sunt pensiones clericales, cum nemini dentur, nisi ut clerico, & ut in clericatu proficiat, & in probabiliori sententia non solùm sub pensionibus comprehenduntur, sed etiam sunt propria beneficia simplicia, ut tenet cum Navarro, Soto, Suario, Garcia, Palaus, *supra* & cum aliis Sanligerius *supra num.* 36. habent enim omnes qualitates requisitas ad beneficium, quæ sunt conferri personis Ecclesiasticis ab Ecclesiastico prælato pure, & sine pacto, & in perpetuum cum onere ad aliquod onus spirituale, scilicet ad pensum horarum Beatæ Virginis ex Bulla Pij V. quæ omnia reperiuntur in præstimoniis: ergo vel Philosophandum est de illis sicut de beneficiis, vel saltem sicut de pensionibus, quæ titulo spirituali dantur.

De coadjutoriis beneficiorum, quæ nihil aliud 342
sunt, quam quædam facultates autoritate Episcopi concessæ, exercendi officium, quod proprietarius exercere tenetur, tametsi cum futura successione concedantur. Dicendum est non esse simoniam jure Ecclesiastico punibilem, si quis illas pecunia obtineat; imò nec ullam simoniam, si pecunia non ut pretium facultatis, sed in sustentationem concedentis tribuit. Ita Palaus *supra num.* 4. Ratio autem est, quia hujusmodi coadjutoriæ non sunt beneficia Ecclesiastica, & alias non datur de illis aliqua specialis prohibitio. Et idem à fortiori dicendum est Capellaniis authoritate Episcopi non erectis, quæ quia Beneficia non sunt, possunt absque simonia pecunia obtineri, ut aliis relatis Gonsales, & testatur fuisse à rota sæpe declaratum. Ita Palaus *ubi suprà num.* 14.

Sed quæres quid dicendum sit de Hospitalibus? 343
Pro quo sciendum est, Hospitalia alia esse authoritate Episcopi constituta, & sub ejus cura permanentia; alia quæ non sunt authoritate Episcopi fundata, nec existunt sub ejus cura; sed privata authoritate eriguntur. His suppositis, Dico: Hospitalia quæ non sunt authoritate Episcopi fundata, nec existunt sub ejus cura, licèt pia loca dici possint, non censentur Ecclesiastica, nec sunt materia simoniæ, si vendantur. Ita cum Suario, Palaus, *supra num.* 15. Hospitalia vero, quæ sunt authoritate Episcopi fundata; alia habent administrationem spiritualium; alia vero solum temporalem pertinentem ad gubernationem. Prima sunt materia simoniæ, saltem juris humani, si vendantur eorum administrationes. Ita cum Selva, Rebuffo, Suario, & aliis Palaus *supra num.* 15. de secundis vero, quæ solum habent temporale regimen infirmorum, dicendum non esse simoniam Juris divini administrationem vendere; quia est temporalis, nulli officio spirituali annexa, esse tamen simoniam juris humani, quia *in cap. salvator* prohibetur sub specie Religionis, & vitandi simoniam, venditio officij administrationis rerum Ecclesiasticarum; cum autem bona horum Hospitalium Ecclesiastica sint, ex institutione Ecclesiæ fit, sane, comprehendi sub illa generali prohibitione. Ita cum Glossa, Suario, Gonzales, Gomes, Palaus *supra num.* 5. Tancredo *tract.* 2. *d.* 21. *num.* 8.

SECTIO

SECTIO XXII.

An jus patronatus, & officia Eccleſiaſtica vendi, alienarique poſſint, abſque ſimonia.

SUMMARIUM.

344 *Quid ſit jus patronatus explicatur?*
345 *Venditio juris patronatus ſi pretio fiat eſt ſimonia jure Eccleſiaſtico, & jure divino.*
346 *Tribus modis jus patronatus ad alios transferri poteſt, & quales ſint.*
347 *An per venditionem juris patronatus in conditione villæ conſtituatur venditio ſimoniaca?*
348 *An jus patronatus non cohærens fundo, ſed perſonæ, intelligatur transferri venditis bonis illius perſonæ?*
349 *Extra prædictos caſus jus patronatus nec vendi, nec transferri poteſt licite, aut valide.*
350 *Unus compatronatus poteſt alteri compatrono donare ſuum jus conſenſu Epiſcopi abſque ſimonia.*
351 *Vendere officia temporalia Eccleſiæ eſt ſimonia.*

344 PRo explicatione hujus ſectionis ſciendum imprimis eſt, quid ſit jus patronatus. Jus igitur patronatus duplex eſt. Quoddam civile, aliud canonicum. Civile eſt, quod jure civili fuit introductum, & convenit Patrono reſpectu Liberti ſeu bonorum ejus. Canonicum ab Eccleſia fuit inſtitutum in oſtenſionem gratitudinis ejus, qui aliquam Eccleſiam fundavit, conſtruxit, vel dotavit; ille enim Patronus talis Eccleſiæ dicitur, tanquam ejus pater, qui illam dotavit, & quaſi genuit, & ideo Pontifices aliquod jus in illam Eccleſiam illi conceſſerunt, quod jus Patronatus appellatur. Conveniunt autem Patrono ex vi iſtius juris multa, quæ declarantur in jure canonico, nam convenientia obſequia patrono præſtari debent, præſertim conceditur illi locus honorificus in ſua Eccleſia, poteſt illam defendere, ſi Patronus ad egeſtatem veniat; Eccleſia debet ei ſubvenire majori cura, ac aliis pauperibus, habentque jus præſentandi perſonas ad beneficia ſuæ Eccleſiæ. Ita cum communi ſententia Suarez *de ſimonia cap. 28. num. 1. & 2.*

Quæſtio igitur poſita non procedit de primis tribus titulis, qui conveniunt patrono; nam illi reſpectus licet non ſint materia ſimoniæ, ut ait Suarez loco citato, ſunt tamen invendibiles, quia non ſunt transferibiles ad alios, niſi ratione ſanguinis, & quaſi jure intrinſeco hæreditario; nam illud debitum gratitudinis eſt quaſi perſonale, & ideo vendi non poteſt extraneis, communicatur tamen conſanguineis, quia ſunt aliquo modo unum cum fundatore, per vinculum conſanguinitatis. Unde controverſia tantum eſt de jure patronatus, quoad ultimum reſpectum, quatenus ſcilicet eſt jus præſentandi ad beneficia his ſuppoſitis, & prænotatis.

345 Dico primò: Venditio & tranſlatio juris patronatus, ſi pretio fiat, ſimoniaca eſt jure Eccleſiaſtico. Ita habetur *cap. præterea*, & aliis de jure patronatus. Et tenent communiter DD. apud Suarium *ſuprà num. 5.* Ratio eſt quia jus patronatus, eſt jus præſentandi ad beneficia conceſſum laicis, ab Eccleſia ex gratitudine alicujus obſequij ab illis accepti, ac proinde eſt ſpiritualibus annexum. An vero ſit etiam talis venditio ſeu tranſlatio ſimoniaca jure divino? Reſpondeo affirmative. Ita cum Leſſio, Suario, & aliis Palaus *de ſimonia d. 3. p. 14. num. 3.* Bonacina *hic d. 1. quæſt. 4. §. 11. num. 3.* contra Sotum, Sylveſtrum, Navarrum, & alios. Ratio eſt, quia, hujuſmodi jus ſuppoſita Eccleſiæ inſtitutione eſt aliquid ſpirituale, jus enim eſt veluti quædam potentia, quæ ſpecificatur ab objecto; ſed objectum iſtius juris eſt beneficium, cum Patronus habeat jus præſentandi ad beneficia, & beneficium eſt aliquid ſpirituale, quod eſt materia ſimoniæ jure Divino prohibitæ: ergo committitur ſimonia juris divini vendendo jus patronatus.

Dico ſecundò: Tribus modis jus patronatus ad 346
alios transferri poteſt; Primus ut jure hæreditario, & extenditur non ſolum ad hæredes neceſſarios, ſed etiam voluntarios non ſolum conſanguineos, ſed etiam extraneos, quia jus abſolute loquitur, & nihil diſtinguit, ut patet ex *cap. conſiderandum, cap. ſi plures 16. quæſt. 7.* Secundus per liberalem donationem, qua unuſquiſque poteſt transferre jus, quod habet, ut dicitur *cap. juram, de jure patronatus.* Advertendum tamen eſt; donationem fieri poſſe loco religioſo abſque conſenſu Epiſcopi, ut habetur *cap. unico de jure patronatus lib. 6.* aliis vero perſonis neceſſarius eſt conſenſus Epiſcopi ad valorem donationis, niſi ſimul cum illo detur villa vel res, cui veluti cohæret jus patronatus, ut notavit cum communi ſententia Suar. *ſuprà.* Tertio modo transfertur jus patronatus vendendo rem, cui eſt annexum; Poteſt enim jus patronatus, alicui convenire, vel immediate ratione perſonæ, quia ipſe, vel ejus anteceſſor fundavit Eccleſiam, vel ratione alicujus rei, cui vel uti cohæret jus patronatus. Quando ergo juſpatronatus ineſt fundo, aut Villæ, illa vendita, cenſetur venditum jus patronatus, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, & in hoc caſu jus patronatus habet ſe ſicut acceſſorium ad fundum, vel villam, quia eſt quaſi accidens illis inhærens, & optimè quoad hoc comparatur cum calicis conſecratione. Ita Suarius, quem refert, & ſequitur Palaus *ſuprà num. 4.* & cum aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 22. n. 10.*

Sed Quæres an per venditionem juris patronatus, in venditione villæ, conſtituatur venditio ſimoniaca? Reſpondetur quod, ſi propter hanc rationem curius non vendatur ſimoniacum non eſſe, imo neque debere præſumi; quia expreſſio juris patronatus annexi villæ, conducere aliquando poteſt, ut de ipſo conſtet, ne putetur reſervatum, aut ſeparatum à villa. Ita cum Suario, Navarro, Palaus, *ſuprà num. 5.* Advertit tamen Palaus *ibi*, optimam formam exprimendi jus patronatus in venditione eſſe, per negationem, & non per affirmationem, v. g. ſi dicas, te vendere villam non excepto jure patronatus, hæc enim forma approbatur in *cap. ex literis de jure patronatus.* 347

Secundò inquires: An jus patronatus non cohærens fundo, ſed perſonæ, intelligatur transferri venditis bonis illius perſonæ? Affirmant plures ex Canoniſtis, quos refert Covarr. *lib. 2. variarum c. 18. n. 6.* Tenenda tamen eſt contraria ſententia. Ita Covarruvias ibi, Suar. Garcia, quos refert, & ſequitur Palaus, & cum aliis Tancred. *ſuprà n. 11.* Ratio eſt, quia jus patronatus in illo caſu non eſt annexum bonis, nulla ergo ratio eſt quare cum illis transferatur. In hæredem tamen transfertur, quia ita diſponit jus Canonicum. *Clem. 2 de jure patronatus*, quia hæres cum perſonam defuncti repræſentet, ſuccedit in juribus, & honoribus, non autem emptor, ut de jure ſepulturæ colligitur ex *l. quia perinde 42. ff. ad l. Trebell.* 348

Quando

Quando vero bona alicujus personæ annexa essent juri patronatus, eo quod patronus instituit, ut quicunque jus patronatus posſideret talia similiter bona posſideret affirmandum est cum Suario *c.* 28. *n.*22. si bona illa cedere possunt in utilitatem, & commoditatem patroni, & non tantum Ecclesiæ indigentis, posse inquam vendi, quia non est credibile voluisse testatorem, sic arctare posſidentem illa bona, ut nunquam alienare ea posset, ac proinde translatis illis bonis, consequenter transfertur jus patronatus, quia illis est virtualiter annexum.

349 Dico tertiò: extra hos casus, & modos, jus patronatus, nec vendi, nec transferri potest, non solùm licite, sed neque valide; quia in spiritualibus non possunt laici, nisi quod eis concessum est à jure canonico, ut tradit Innocentius, & Abbas, Menochius, quos refert, & sequitur Suarez *lib.*4. *c.*28. *n.*15. & Palaus *suprà num.*8. in jure autem non invenitur alius modus transferendi jus patronatus præter supradictos.

350 Sed quæres an unus compatronus possit alteri compatrono donare suum jus absque consensu Episcopi? Respondeo affirmative, nam compatroni possunt inter se facere conventiones, permutationes, donationes, cessiones, sine consensu Episcopi; non tamen potest fieri donatio filio compatroni absque consensu Episcopi. Ita cum Peregrino, Gonzales, Tancred. *suprà num.* 15. Imò compatroni possunt facere concordiam de præsentando rectore Ecclesiæ alternis vicibus. Azevedo *l.*9. *num.*2. *tit.*5. *lib.*1. *novæ recopilationis* Tancred. *suprà n.*15. An autem sequestrato fundo, in quo est jus patronatus, transeat ad sequestrem jus patronatus? Respondeo affirmative, si sequestrum fiat voluntate partium, quia is vere acquirit possessionem rei sequestratæ. Unde sequestrans potest præsentare quando habet rem sequestratam. Ita cum Menochio, Garcia, Tancred. *suprà n.*16. Non potest tamen depositarius, vel qui in pignus habet villam, vel fundum, in quo est jus patronatus præsentare, quia penes ipsos, nec est dominium, nec possessio, nisi forte locatio sit ad longum tempus, nam tunc transit jus patronatus, sicut in emphyteutam. Ita cum Sanchez, & aliis communiter, *suprà num.*16.

351 Dico quartò: vendere officia Ecclesiæ temporalia est simonia. Ita cum Felino, Cajetano, Victoria, Soto, Lessio, & aliis Palaus *suprà num.*9. Et probatur *ex cap. si quis Episcopus* 8. 1. 9. *cap. salvator* 1. *quæst.*3. ubi cum Simone dicitur participare, qui officium œconomi, Vicedomini, Advocati, Sacristæ, Castaldi, & judicis, vendit: ergo, &c. quid autem illis nominibus intelligatur explicat Palaus. Nam œconomum, dicunt eum, qui res Ecclesiæ gubernat, sub quo nomine à fortiori sacrista, vel thesaurarius, seu custos rerum sacratum comprehenditur; vicedominus est qui rerum Episcopalium curam gerit. Advocatus est ab Ecclesia constitutus ad ejus causas defendendas, debet tamen hoc habere ex potestate ab Ecclesia accepta, unde hujusmodi advocatos vocamus Syndicos. Nomine vero Castaldi, idem intelligitur: significat namque mordomum, ut ait cum Lessio, Suario, Palaus *suprà*: denique nomine judicis, significatur habens jurisdictionem loco Episcopi, quæ jurisdictio, si est ad administrandas res spirituales non potest vendi absque simonia, ut omnes concedunt, si verò est ad gubernandas res Ecclesiasticas, potest vendi absque simonia, quia nihil habet spirituali annexum, nisi nimis remotè. Ita cum Glossa, & aliis Tancred. *tr.*2. *lib.*4. *d.*23. *n.*5. & in eam magis inclinat Palaus *suprà n.*9. contra Suarium *lib.*4. *c.*29. *n.*9. Advertè tandem Urbanum Pontificem cum in suptadicto *c. salvator* constituit generalem prohibitionem vendendi res Ecclesiæ, ni llò modo intellexisse res Ecclesiæ secundum se sumptas, hæ enim absque simonia vendi, alienarique possunt, sed intellexisse res Ecclesiæ, quoad earum administrationem.

SECTIO XXIII.

Quæ permutatio in causis spiritualibus fieri possit absque simonia.

SUMMARIUM.

352 *Permutare res spirituales extra materiam beneficiorum non est simonia.*

353 *Tractare partes de permutatione beneficiorum, etiam sub onere pensionis ante consensum prælati non est illicitum, nec simonia.*

354 *Permutatio beneficiorum, si fiat authoritate privata est illicita, & simoniaca.*

355 *Quædam corollaria ponuntur.*

356 *Permutatio beneficiorum authoritate superiorum licita est.*

357 *An prælatus inferior ad quem pertinet collatio beneficij possit concedere hanc licentiam?*

358 *Permutatio solum fieri potest de propriis beneficiis, & non reservatis.*

359 *Quid si patronatus consentiat, ut aliquis suam præsentationem resignet, & alius obtineat facultatem à Papa transferendi suam expectationem, poterunt ne permutare ex consensu Ordinarij.*

SI loquamur de rebus spiritualibus extra materiam beneficiorum, aliqui dixerunt simoniam esse permutare res spirituales, ut Monachus dicat alteri faciam pro te sacrum, & tu fac pro me, audiam tuam confessionem, si tu audias meam, &c. ita Ricard. Sylvester, Tabiena, Petrus, Navarra, & alij, 352
quos refert Diana *part.*4. *tract.*4. *resol.* 150. Ausonius *in summa*, Diana *verbo simonia num.*11. *in fine*; contraria tamen sententia certa est. Ita cum Suario, Soto, Toleto, Lessio, Palao, Victoria, Sanchez, Aragonio, Diana, *suprà*, & cum Filliucio, & aliis Bonacina, *de simonia d.*1. *quæst.*4. §.12. *n.*1. & cum aliis Tancred. *tract.*2. *lib.*4. *d.*24. *n.*1. & 3. qui omnes advertunt permutationem debere fieri tradendo spirituale pro spirituali præcisè.

Ratio autem est, quia jura prohibent commutationem beneficiorum, ergo cum sint pœnalia, non debent extendi. Tum quia nullibi est prohibita hujusmodi commutatio. Confirmatur quia simonia est commutatio rei spiritualis pro temporali; sed in dictis casibus, & similibus nihil est temporale: ergo non potest esse simonia. Advertunt tamen prædicti aut permutationem debere fieri tradendo spirituale pro spirituali præcisè, vel si fuerint mixta, quæ habent aliquid corporaliter antecedenter annexum, ut vasa, & vestes sacræ, debent permutari cum aliis ejusdem ordinis, ut ostenderint simoniam committi, dum pro spirituali traditur res temporalis, seu spiritualis annexa temporali, seu dum pro re spirituali, cui annexa est res temporalis, traditur alia res spiritualis, cui alia res temporalis pretiosior est annexa, ut si tradatur imago benedicta, pro calice consecrato, aut calix pro Ecclesiastico beneficio, tunc enim res illa temporalis censetur commutati, sive compensari cum re spirituali, nisi forte constaret excessum gratis tradi, & donari, tunc enim

qua parte eſt exceſſus, non contingit commutatio, ſed donatio.

353 De materia autem beneficiorum in primis præmittendum eſt, ſimoniacum non eſſe, neque illicitum ante conſenſum Prælati tractare partes de permutatione, etiam ſub onere penſionis, & ſe invicem obligare, ſi ſuperior conſenſerit. Ratio autem eſt, quia nullibi invenitur hæc obligatio, & mutuus contractus prohibitus, nam *in capite quæſitum*, ſolum prohibetur permutatio, ſine Epiſcopi conſenſu, at hæc obligatio non eſt permutatio, ſed via ad illam, neque eſt pactio abſoluta de permutatione, ſed conditionata, quæ non habet effectum, quoad uſque ſuperior conſentiat. Ita cum Suario, Valentia, Leſſio, & aliis communiter Palaus *de ſimonia d. 3. part. 5. num. 2.* Tancred. *tractatu lib. 4. d. 24. num. 10.* Vidal, *titulo de ſimonia inquiſitione 2. num. 34.* Imò addo licitum eſſe ſe mutuo obligare per ſcripturam, ad ſtandum factæ conventioni de permutatione, donec ſuperior peget illam, & ita in praxi ſervatur, ut poſito conſenſu Prælati, partes non poſſint amplius retroducere. Ita cum Zabar. Sylvio, Palao, Leſſio, Vidal, & aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 24. num. 21.* his ſuppoſitis.

354 Dico primò: permutatio beneficiorum, & cujuſvis juris ſpiritualis beneficia concernentis, ſi fiat authoritate privata, eſt illicita, & ſimoniaca contra prohibitiones Eccleſiæ. Ita communiter DD. apud Tancredum *tract. 2. lib. 4. d. 24. num. 6.* Vidal *titulo de ſimonia, inquiſitione 2. num. 14.* habeturque *cap. cum olim, cap. quæſitum de rerum permutatione cap. majoribus de præbendis, cap. ultimo de pactis.* Ratio autem ob quam Eccleſia vetuit omnes pactiones in beneficiis fuit, periculum, ſuſpicio, & occaſio ſimoniæ, & alia incommoda, quæ facile ſequi poterant, ſi permiſſum fuiſſet beneficia propria authoritate permutare.

355 Hinc fit primò: permutantes propria authoritate beneficia, aut jus ad illa, feciſſe actum irritum, & nullum, ac proinde non poſſe propria authoritate beneficia retinere; ſuperiorem tamen poſſe in pœnam commiſſi criminis eos per ſententiam beneficiis privare, ut patet *ex cap. olim, 7. de rerum permutatione*; non tamen amittere ea ipſo facto, imò neque incurrere cenſuras. Ita cum Palao, Garcia, Barbola, Tancredo, *ſuprà num. 10.* Secundò infertur eſſe ſimoniam ſaltem juris humani commutare actiones pertinentes ad proviſiones beneficiorum, ut eligo hunc, tu eligas, vel confirmes illum, quia moraliter æſtimantur hæ functiones ut medium ad lucrum temporale. Ita cum communi ſententia Tancred. *ſuprà num. 7.* Baſæus *verbo ſimonia 4. num. 8.* Idem dicendum eſt ſi permuteur beneficium pro jure quaſi inchoato ad aliud beneficium, ſive per præſentationem, ſive nominationem comparatum, ut ſi quis det beneficium Petro, ut is cedat præſentationi, vel renunciet literis Apoſtolicis de obtinendo beneficio, faciendo novum pactum de re quæ in ipſis literis non inerat. Ita cum Fatinac. Felin. Suario, Tancred. *ſuprà num. 8.* facultas enim permutandi non cenſetur conceſſa, quando Papa dat alicui poteſtatem, ut ſuam exſpectativam in alterum transferat, niſi id exprimatur, ut recte Sanchez *in conciliis lib. 2. cap. 5. dub. 37. num. 8.*

356 Dico ſecundò: permutatio beneficiorum authoritate ſuperiorum licita eſt *cap. cum* in cætera de præbendis, *cap. quæſitum*, & in aliis pluribus. Ita communiter DD. apud Vidal *titulo de ſimonia, inquiſitione 2. num. 13.* Nomine autem ſuperioris intelligitur Epiſcopus, & omnis ille, qui habet jurisdictionem Epiſcopalem, etiamſi dignitatem Epiſcopalem non habeat, ut eſt capitulum *Sede vacante.* Ita cum Suario, Gloſſa, & aliis docet Palaus *ſuprà*, & cum Vidal, & aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. diſp. 24. num. 12.*

Difficultas eſt de Prælato inferiore non habente Epiſcopalem jurisdictionem, pertinente tamen ad ipſum collatione beneficiorum. An inquam approbatio ejus ſufficiat ad faciendam hanc permutationem abſque conſenſu Epiſcopi? Et quidem ſi habeat præſcriptam conſuetudinem, nemini eſt dubium ſufficere, cum ratione conſuetudinis jus acquirat, ut cum Rebuffo, Suario, Leſſio, notavit Palaus *ſuprà num. 6.* ſi vero non habeat conſuetudinem, eſto ad ipſum pertineat collatio beneficiorum non ſufficere ad permutationes approbandas tenet Suarez *cap. 32. num. 14.* affirmans eſſe communem ſententiam. Nihilominus tamen ſufficere hujus approbationem, neque requiri conſenſum Epiſcopi, tenet expreſſe Sylveſter, Sotus. Probabile putat Suarez & Palaus *ſuprà num. 8.* & cum aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 24. num. 4.* probaturque ex *c. unico de rerum permutatione in 6.* & Ratio eſt, quia ille Prælatus, ad quem collatio beneficiorum ſpectat, habet in hac parte jurisdictionem Epiſcopalem, ſi quidem beneficiorum collatio propria eſt Epiſcopi *cap. omnes Baſilicæ 19. quæſt. 7.* ergo quoad tales actus recte comprehendi poteſt ſub nomine Epiſcopi.

Coram his ergo, qui poſſunt permutationes ap- 357
probare, poſſunt fieri permutationes ſingulis menſibus. Ita Federicus Senen. Rota, Rebuffus, Tuſcus, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà num. 7.* Adverte tamen hujuſmodi doctrinam de permutationibus beneficiorum debere intelligi de beneficiis propriis, de quibus habetur jus in re, eſto illorum non habeatur poſſeſſio. Ita cum Mantica, Garcia, Peruſio, & aliis Palaus *ſuprà num. 8.* Adde non ſolùm requiri beneficia debere eſſe propria permutantium, ſed neceſſario requiri, quod beneficia non ſint reſervata Sedi Apoſtolicæ, quia de his 358
non poteſt Epiſcopus diſponere, utpote qui non poteſt illorum collationem facere. Ita cum multis relatis Garcia, quem refert, & ſequitur Palaus *ſuprà n. 8.* quamvis contrarium teneat Gambara, *in cap. unico de rerum permutatione in 6. à num. 33.* Ex qua doctrina infero cum Palao *ſuprà*, non poſſe fieri permutationes authoritate ordinarij inter jura ad rem, v. g. præſentatus aut electus es ad beneficium, non poteris in favorem alterius tuam præſentationem reſignare, ut ipſe ſuam præſentationem, & expectationem tibi reſignet; & ratio eſt, quia hæc jura ſunt perſonalia, ut recte cum Panormitano citavit Palaus *ubi ſuprà num. 9.*

Sed quæres quid dicendum ſit, ſi Patronus con- 359
ſentiat, ut in alium tuam præſentationem reſignes, & ſimiliter alius obtineat facultatem à Papa transferendi ſuam expectationem, poteruntne permutare ex conſenſu ordinarij? affirmat Suarius, Leſſius, Rebuffus, quos refert Palaus *ſuprà num. 9.* contrarium tamen tenendum eſt, cum communi ſententia, quam multis relatis tenet Palaus *ſuprà num. 9.* Ratio eſt, quia ordinarius ſolum habet poteſtatem ad admittendas permutationes beneficiorum, & non electionum ad beneficia, ut conſtat ex *ſupra dictis capitibus*, non igitur illi attribuenda eſt.

SEC

Digitized by Google

SECTIO XXIV.

Utrùm possit ex consensu Ordinarij in permutatione beneficiorum compensari fructuum inæqualitas pecunia, vel pensione, absque simonia?

SUMMARIUM.

360 *Authoritate Papæ potest in permutatione beneficiorum compensari pecunia, vel pensione fructuum inæqualitas.*

361 *Talis compensatio non potest fieri Episcopi authoritate.*

362 *Authoritate ordinarij non potest poni pensio in beneficio pingui, permutato cum beneficio tenui.*

363 *Quædam corollaria ponuntur.*

364 *Non est simonia commutare beneficium cum onere quod ante erat annexum beneficio.*

360 Dico primo: Authoritate Papæ nulli est dubium, quod possit fieri talis permutatio, quia Pontifex potest separare jus fructuum à titulo spirituali; potest ergo concedere habenti jus fructuum, ut ratione illius aliquid recipiat; Dixi ratione illius, nam quando beneficia sunt inæqualia ratione dignitatis, seu rei spiritualis, non potest inæqualitas seu excessus suppleri pecunia, vel alia re pretio æstimabili, etiam Papæ authoritate, quia jam tunc venderetur spirituale pro temporali, saltem ex parte: quod est contra jus divinum, ac per consequens simoniacum. Poterit tamen in hoc casu, justa interveniente causa, imponere Papa pensionem super pinguius beneficium solvendam illi, qui beneficium permutat, cum beneficio in fructibus æquali, potest namque Papa fructus beneficij separare, partemque illorum reservare resignanti dignius beneficium, non tanquam pretium excessus dignitatis, sed ad congruam sustentationem resignantis vel quia magis indiget, vel quia de Ecclesia magis benemeritus est, ut bene cum Suario, Layman, Bonacina, *de simonia disp. 1. q. 4. §. 12. num. 12.*

361 Dico secundo: De Episcopi authoritate nequaquam potest in commutatione beneficiorum compensari fructuum inæqualitas pecunia, vel pensione absque simonia. Quia non valet ipse fructus à titulo spirituali separare. Vnde transacto titulo, & jus ad fructus necessario transfertur, si ergo pro hoc jure consentiret pretium exigi, & esset injustus, & simoniacus. Ita tenet Glossa, Lessius, Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *de simonia d. 3. p. 16. n. 1.* & cum Filliucio, Layman, & aliis Bonacina, *ubi supra n. 10.*

362 Sed quæres an ex consensu Ordinarij possit inæqualitas fructuum spiritualium, scilicet decimarum, primitiarum, & oblationum per impositionem pensionis compensari; v. g. est permutatio facienda de beneficio tenue cum pingui, poteritne, ex ordinarij consensu, imponi beneficio pinguioti aliqua pensio, & sic permutatio concludi? Affirmant Gigas, si fiat ex justa causa, illum sequuntur, Oldradus, Felin. Butrio, Imola, Innocentius, Ancharran. & alij, quos refert Palaus, *supra num. 2.* additque ex Lessio causam justam esse in tali permutatione compensare inæqualitatem fructuum. Verum contraria sententia est communis, & in praxi magis recepta, scilicet non posse authoritate Ordinarij in permutatione beneficiorum imponi pensionem, super beneficium pingue. Ita cum Garcia, Suario, Valentia, Rodriguez, Palaus, *ubi supra num. 5.* & cum aliis Tanered. *tract. 2. lib. 4. d. 24. numero 31.* Ratio est, quia Episcopus prohibetur beneficia conferre cum deminutione, in titulo ut beneficia sine diminutione conferantur; sed si consentire posset in pensionem, jam beneficium cum diminutione conferret: ergo. Tum quia jam consuetudo hujusmodi facultatem Episcopis denegavit, ut notavit Palaus *supra*: ergo sola authoritate Papæ hæc permutatio fieri potest.

Hinc fit primo non posse authoritate Ordinarij 363
permutari beneficium cum pensione, quæ non sit erecta in titulum beneficij. Tum quia Ordinarius non habet authoritatem imponendi pensionem; ergo neque illam transferendi: tum etiam quia *in cap. quæstum, & cap. olim de rerum permutationibus, & cap. unico eodem titulo lib. 6.* ubi ordinariis committitur potestas admittendi beneficiorum permutationes, de propriis beneficiis sermo est, ita ut probabilius cum Suario, Garcia, Palaus, *supra num. 4.* Secundo fit non posse partes inter se absque ordine ad consensum Pontificis convenire, ut unus, scilicet, cui est facta resignatio integre solvat expensas bullarum pertinentium ad utrumque, quia hæc pactio est simoniaca, siquidem petitur à resignatario aliquod onus pretio æstimabile, quod de jure non inest. Ita cum Suario, Navarro, Flaminio, Garcia, Azor. Palaus, *supra num. 5.*

Non est tamen simonia conferre, vel commu- 364
tare beneficium cum illo onere, quod antea erat annexum beneficio, ut patet *ex cap. significasti de prabendis.* Ita Vidal. *titulo de simonia, inquisitione 2. numero 41.* nec etiam est simonia, aut illicitum, mutuare aliquid, vel servire prælatum cum spe certa, vel facilitandi executionem promotionis beneficiorum, vel obtinendi aliquod beneficium. Imo dare mutuum propter beneficium non est simonia, etiamsi beneficium sit causa finalis, mutui, siquidem mutuum non est pretio æstimabile. Ita Sanchez *in conciliis tomo 1. lib. 2. cap. 3. dub. 42. num. 25.* Vidal. *supra num. 42.* Secus vero si permutetur beneficium prò obligatione mutuandi Vidal. *supra num. 42.* Non erit tamen simonia, si mutuetur aliquid cum pacto, ut permutetur beneficium, si hujusmodi pactum sit amicitiæ, non vero justitiæ, quia tunc non datur ut pretium, sed tantum ut hac ratione procuret amicitiam, aut gratiam alterius partis. Ita cum Maldero, Lessio, Vidal, *supra num. 42.*

SECTIO XXV.

Quæ renunciatio beneficij sit simonia?

SUMMARIUM.

365 *Quid sit renunciatio proponitur.*

366 *Ad validam renunciationem requiritur consensus superioris.*

367 *Quis sit superior qui resignationes potest admittere.*

368 *An renunciatio sub aliqua conditione facta in manibus ordinarij sit simonia?*

369 *An ordinarius rejecta conditione poſſit beneficium libere conferre?*

370 *Reſignatio abſque aſſignatione perſonæ, exiſtente aliqua ex conditionibus aſſignata à Pio V. admitti poteſt ab ordinario.*

371 *Reſignans in manibus ordinarij ſupplicans ab illo, ut alicui certæ perſonæ beneficium conferat non facit contra conſtitutionem Pij V.*

372 *Quid dicendum ſit de reſignatione triangulari.*

373 *Ordinarius non poteſt admittere reſignationem ſimpliciter factam cum reſervatione penſionis.*

365 REnuntiatio eſt libera beneficij ceſſio. Ita communiter DD. apud Palaum *de ſimonia d. 3. p. 17. n. 1.* Eſt autem renuntiatio multiplex, alia pure, & abſolute, alia ſub conditione, alia in favorem tertij, alia cum reſervatione penſionis. Et de omnibus his videndum eſt, quid ad ſui valorem, & ad vitandam ſimoniam ſit requiſitum.

366 Dico igitur primum: Ad validam, & licitam renuntiationem, requiritur conſenſus ſuperioris acceptantis eam; Ita communiter DD. apud Tancredum *tract. 2. lib. 4. d. 25. num. 1.* colligiturque ex *cap. admonet de renuntiatione.* Alias ut probabilior ſententia tenet, beneficium nondum vacat, etiam quoad ipſam renuntiationem, ſed renuntians verum illius poſſidet titulum, & jus, donec ea renuntiatio à ſuperiore acceptetur. Ita communiter DD. apud Palaum *ſuprà num. 1.* Poterit tamen ſuperior ob delictum commiſſum à reſignante, eum beneficio privare, & alteri dare, ut tradit Innocent. Abbas, Covarr. Garcia, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà num. 1.* Hæc tamen procedunt de beneficiis jam pacifice acquiſitis, licet nondum poſſeſſis, nam ſi beneficium litigioſum ſit propter ambiguitatem, & juris dubietatem, ſuperioris authoritas non requiritur *cap. 2. de in integrum reſtit.* & tradit Abbas, Flamin. Zechius, Garcia, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà num. 2.* Similiter etiam ſi beneficium nondum ſit acquiſitum, ſed ſolum ſit jus ad illud, poterit abſque ſuperioris licentia renuntiari. Unde poteris electioni, præſentationi, & nominationi de te factæ renuntiare *cap. ſane de renuntiat.* & tenent Lambertin. Flamin. Garcia, quos refert, & ſequitur, Palaus *ſuprà numero 2.*

367 Major eſt difficultas; quis ſit ſuperior, qui reſignationes poteſt admittere? Et loquendo de reſignationibus ſimplicibus abſque conditione, omnis ille, qui poteſtatem habet inſtituendi, & deſtituendi, ut pontifex, legatus à latere, Epiſcopus, capitulum ſede vacante, & denique qui epiſcopalem habet juriſdictionem, poſſunt admittere hujuſmodi reſignationes. Ita Garcia innumeros referens, quos ſequitur Palaus *ſuprà*: Si tamen beneficium reſignetur ſub aliqua conditione, ut beneficium detur alteri, ſive ſit cum penſione, ſive ſine illa, ſolus Pontifex poteſt acceptare hujuſmodi reſignationem. Ita communiter DD. apud Tancredum *tract. 2. lib. 4. d. 25. n. 4.* Ratio eſt quia Epiſcopus non poteſt de novo beneficia conferre, niſi prius vacent *cap. unico de rerum permutatione in 6.* at beneficium non vacat, quouſque alteri conferatur: ergo.

368 An autem hæc renuntiatio facta in manibus ordinarij ſit ſimoniaca, ſaltem contra jus Eccleſiaſticum, ſatis probabiliter negat cum Covar. Zerola, Quintanadueñas, Duaren. Vaſq. Valentia, Palaus, *ſuprà p. 17. n. 5.* Baſæus *verbo ſimonia 4. n. 10.* & cum aliis Tancred. *ſuprà n. 8.* Communis tamen ſententia tenet eſſe ſimoniam, ſaltem contra jus Eccleſiaſticum, præcipuè poſt conſtitutionem Pij V. Ratio eſt, quia omnis pactio in ſpiritualibus eſt prohibita ob ſimoniam vitandam *cap. fin. de pactis*; cum autem in præſenti ſit prohibita hæc pactio coram ordinario, fit ſimoniam eſſe talem pactionem.

An autem poſſit Ordinarius rejecta illa conditione beneficium libere conferre? Probabilius eſt non poſſe. Ita Rebuf. Suarez, Leſſius, quos refert, & ſequitur Tancred. *ſuprà n. 9.* Ratio eſt, quia factus ſub una conditione, & modo, non poteſt, quoad unam partem admitti, & non quoad aliam, ſed debet totus recipi, vel rejici *l. Aurelius XXVIII. §. idem quæ ſit ff. de libert. legat.* Et hæc concluſio procedit à fortiori poſt conſtitutionem Pij V. irritantis quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quoquam temere attentatum. Imo addo multo minus poſſe Epiſcopum acceptare illam renuntiationem conditionatam, rejecta conditione, & beneficium conferre, cui voluerit, ſiquidem illud beneficium per talem renuntiationem conditionatam non vacat ante conditionem impletam. Ita cum Rebuffo, Tancred. *ſuprà n. 9.* Poterit tamen in hoc caſu ſic reſignans privari beneficio ab ordinario, ob crimen commiſſum in renuntiatione. Ita cum Leſſio, Suario, & aliis, Palaus *ſuprà n. 7.* ſed hoc, ſi cognoſcatur, & probetur non ignoranter fecisse, at tunc non providetur beneficium ab ordinario tanquam vacans ex reſignatione, ſed providetur tanquam vacans ex privatione pœnali. Ita cum Flamin. Palao, & aliis Tancred. *ſuprà n. 11.* 369

Dico ſecundo: Reſignatio libere facta, & abſque aſſignatione perſonæ, exiſtente aliqua ex ſupradictis conditionibus aſſignatis à Pio V. admitti poteſt ab Ordinario; poteritque beneficium ſic vacans providere, cui voluerit, modo tamen non conferat ſuis, aut reſignantis conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, & quidquid contra hoc attentatum fuerit inane eſt. Ita in *prædicta conſtitutione Pij V.* ſtatutum eſt. An vero hujuſmodi Pij V. conſtitutio recepta ſit in Hiſpania? negat Garcia, ſaltem quoad illam partem de non conferendo beneficio conſanguineis reſignantis, vel collatoris familiaribus, quod autem hæc ſupplicatio poſita à lege ſuſpendat interim ejus executionem donec ſecunda juſſio ſuperveniat docet Farinat. & alij, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà*. 370

Difficultas tamen eſt an reſignans beneficium in manibus Ordinarij, & ab illo ſupplicans, ut alicui certæ perſonæ beneficium conferat, vel ea intentione reſignans, faciat contra dictam conſtitutionem? Dicitur enim ibi, caveant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes electores, præſentatores, & patroni, tam Eccleſiaſtici, quam laici, quicunque ſint, ne verbo quidem, aut nutu futuri in hujuſmodi beneficiis, & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione vel hortatu deſignetur, aut de eis aſſumendis, promiſſio inter eos, aut intentio qualiſcumque intercedat. Prohibetur ergo quælibet deſignatio, & intentio inter conferentem, & reſignantem, de dando beneficio certæ perſonæ. Vnde Suarez Reſpondet *lib. 4. cap. 31. num. 17.* prohiberi quidem reſignationem factam cum intentione manifeſta conferendi, ut detur certæ perſonæ, etiamſi pactum non intercedat, & eandem ſententiam tenet Rodriguez, Gomez, Rebuffus, quos refert Palaus *ſuprà num. 9.* Tancredo *ſuprà num. 13.*

Verum communior ſententia tenet non eſſe ſimoniam, nec prohibitam reſignationem factam coram ordinario, ea intentione, ſpe ac ſupplicatione, 371

d by Google

ne, ut detur certæ perſonæ, modo tamen non deducatur in pactum. Ita cum Navarro, Gutier. Azor. Flamin. & aliis alaus *ſup num.* 10. Ratio eſt, quia in ſupradicta conſtitutione, ſolum prohibetur deſignatio, & intentio in conventionem tacitam aut expreſſam deductam. Adverte tamen cum Palao *ſuprà*, reſignationes reciprocas, non poſſe fieri coram ordinario. Reſignationes autem reciprocæ ſunt illæ, in quibus reſigno beneficium meum in favorem tui nepotis, at tu reſignans in favorem mei, nam licet ibi, quædam permutatio videatur eſſe, eſt tamen mixta cum reſignatione in favorem, quæ ordinariis eſt prohibita. Ita Leſſius, Suar. Flamin. & alij, quos refert, & ſequitur Baſæus *verbo ſimonia* 4. *num.* 11.

372 Idem dicendum eſt de reſignatione triangulari, v. g. renuntio meum beneficium Petro, ut Petrus renuntiet ſuum Franciſco, & Franciſcus renuntiet ſuum mihi. Et ratio eſt, quia in beneficiis omnis pactio abolenda eſt, in præſenti autem intervenit pactum obligans ad id quod de jure non ineſt; nam primus obligat ſecundum, ut reſignet in favorem tertij, & ſecundus, & tertius, ut reſignent in favorem primi: ergo ita Navar. Suar. Flamin. Leſſius, Garcia, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 25. *num.* 15. Advertit tamen Palaus *ſuprà num.* 11. has reſignationes poſſe fieri duplici permutatione, ut ſi ego permutem meum beneficium cum beneficio Petri & habito beneficio Petri, permutem cum Paulo.

373 An verò Ordinarius poſſit admittere reſignationem ſimpliciter factam cum reſervatione penſionis? Reſpondeo ex recepta conſuetudine, & ſtylo curiæ, id non poſſe facere. Ita Suarez *lib.* 4. *de ſimonia cap.* 35. *num.* 21. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 14. *num.* 9. quamvis ſatis probabile ſit poſſe ex juſta cauſa. Ita Tancred. *ſuprà num.* 18. & probabile putat Palaus *ſuprà num.* 13. Adverte tamen Reſignantem beneficium non poſſe aliqua onera imponere reſignatario, v. g. ut fidejuſſorem, vel Hypothecham tribuat, ad ſecurandam penſionem, vel ut expenſas ſolvat, quas in beneficij acquiſitione fecit. Unde ſi de facto talia onera ponat ante conſtitutam penſionem, penſio conſtituta poteſt non ſolvi, & beneficium tanquam vacans ob ſimoniam poteſt impetrari. Verum ſi poteſt conſtitutam penſionem obligaretur reſignatarius ad hæc onera, dicendum eſt ſimoniam non committi, nec in foro exteriori debet puniri, ſed potius colligendum eſt, ſe libere obligaſſe. Vide Palaum *ſuprà num.* 14 & 15. ubi alios pro hac ſententia refert.

SECTIO XXVI.

Quæ reſignatio ſit confidentialis ſimonia?

SUMMARIUM.

374 *Quid ſit reſignatio confidentialis?*

375 *Non eſt ſimonia confidentialis renuntiare beneficium cum ſpe quod illud beneficium aliquando cedet in favorem alterius à ſe nominandi, vel ipſius conferentis?*

376 *Quid ſi quis reſignet cum intentione ad id obligandi?*

377 *Si quis alicui beneficium procuret cum pacto, ut is qui beneficium acceperus eſt illud ſibi, vel alteri reſignet, vel fructus præſtet erit ſimoniacus confidentialis.*

378 *An reſignatio beneficij cum conditione, ut ſibi penſio ſolvatur ſit ſimonia confidentialis.*

374 SOlent Epiſcopi, aut Patroni alicujus Eccleſiæ, præſentare, eligere, & conferre beneficium Eccleſiaſticum alicui, ea ſpe, quod ille aſſervabit beneficium illud conſanguineis collatoris, aut fructus beneficij, vel partem concedat famulis, vel etiam ſibi ipſi. Contingit etiam quandoque quod ſenex, & valetudinarius reſignet beneficium, quod poſſidet in favorem alterius, certo confidens, quod ille poſtea renuntiabit tempore ſtatuto in favorem renuntiantis, vel in favorem alterius tertij, juxta beneplacitum ejus, aut etiam ſperans, quod ex beneficij redditibus partem ſibi, aut aliis, juxta ejus voluntatem reſervabit.

Dubitatur ergo an hujuſmodi confidentiæ ſint verè ſimoniacæ; Pro cujus explicatione notandum eſt, duobus modis poſſe collationem, aut reſignationem beneficij in confidentia fieri. Primò ita quod reſignans ſperet eum, in cujus favorem beneficium reſignavit ſibi, & conſanguineis ex gratitudine benefactorum illis ſubveniendo fructibus beneficij, non intendens novam aliquam obligationem inducere, præter eam, quæ ad beneficium collatum ſequitur naturaliter. Secundo ſi per talem confidentiam novum aliquod debitum legale velit ſuperaddere; ut ille alius teneatur, vel ſibi, vel aliis beneficium renuntiare, aut partem fructuum ſolvere.

375 Dico ergo primò: Non eſt ſimonia confidentialis, nec illicitum renuntiare beneficium in favorem alicujus, vel prælatum illud dare alicui, vel patronum ad illud præſentare, &c. ea intentione, & ſpe, quod illud beneficium aliquando cedet in favorem alterius à ſe nominandi, vel ipſius conferentis, vel reſignantis, vel quod recipiens dabit partem fructuum ipſi conferenti, reſignanti, vel ejus conſanguineo, &c. dummodo nulla conditio, vel pactum tacitum, vel expreſſum adjiciatur, licet alias intentio conferentis beneficium recipienti beneficium manifeſtetur, & licet alias ex parte recipientis intercedat promiſſio gratitudinis jure naturæ debitæ verbis, vel ſcriptis generalibus expreſſa, ſine tamen ullo augmento, quod obligatio antidoralis tranſeat in civilem. Ita Navar. Leſſius, Suar. Aragon. quos refert Palaus *de ſimonia diſp.* 3. *p.* 18. *n.* 3. Sanch. *in Conciliis lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 24. Becanus *qu.* 12. & cum aliis Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 43. *n.* 3. & 4. Ratio eſt, quia illæ ſolum confidentiæ ſunt prohibitæ per motus proprios Pij IV. & Pij V. quæ ante tales motus erant ſimoniacæ contra jus commune, ut conſtat ex principio motus Pij IV. in illis verbis [Sane licet dudum cum certæ ſimoniacæ pravitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant] juxta namque verba principij legis, debet colligi intentio legiſlatoris, ut colligitur ex *l. fin. ff. de hæred. inſtituend.* ſed prædictæ confidentiæ, ante tales motus non erant ſimoniacæ, ſed erant licitæ; ergo & poſt tales motus Pij IV. & V. ſunt licitæ, & nullo modo ſimoniacæ; minor probatur, quia ſolum illæ confidentiæ, quæ fiunt cum pacto, aut conditione expreſſa, vel tacita alicujus pretij, vel aliquid recipiendi, ſunt ſimoniacæ, quia fiunt contra jus commune; ergo.

376 Dicò ſecundò: Si reſignes, conferas, aut aliter procures beneficium cum intentione obligandi, ut poſt aliquod tempus nepoti, vel alicui alteri renuntiet, nullo tamen ſigno exterius hanc tuam intentionem inſinues, erit ſimonia mentalis, quæ tamen non infert pœnas jure conſtitutas. Ita Beca-

nus ubi *suprà*, & alij communiter.

377 Dicò tertio: Si quis alicui beneficium aliqua ratione procuret, eligendo, præsentando, postulando, resignando, in favorem conferendo, instituendo, confirmando, vel commendando cum pacto, ut is qui beneficium accepturus est, illud sibi, vel alteri, aliquando resignet, seu relinquat, aut pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præstet, erit simonia confidentiæ externa, quæ pœnas juris infert. Patet ex Bulla Pij IV. & V. quam refert Navarrus, & communiter DD. hic, quos citat, & sequitur Tancred. *suprà num.* 6.

378 Sed Quæres, An si resignes beneficium cum conditione, ut tibi pensio solvatur, committas simoniam confidentiæ? Affirmant Suarez, Garcia, quos refert, & sequitur Palaus *d.* 3. *p.* 18. *numer.* 6. Tancred. *suprà num.* 6. Verum contraria sententia probabilior est, hanc tenent Navarrus, Aragonius, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *concilior. cap.* 3. *dub.* 34. *num.* 12. Ugolin. Menochius, Lessius, quos refert Palaus *suprà num.* 5. Ratio est, quia motus proprius explicans quid censeatur simonia confidentialis, dicit hæc *si quis ex resignatione, vel cessione beneficij simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, receperit beneficium, ut eidem demittendi, vel alteri conferatur postea, aut eius fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, simonia confidentialis censeatur.* Ecce quomodo, quando resignatur beneficium cum pacto, ut postea restituatur, dicit motus proprios, eidem demittenti vel alij, ut quando loquitur de pacto restituendi fructus non dicit, eidem vel alij, sed alij vel aliis, ergo si resignans apponit pactum, ut sibi restituantur fructus, non erit simonia confidentialis ibi damnata, licet alias sit simonia contra jus commune. Nec obstat quod si datio fructuum alij, vel aliis arguit confidentiam, à fortiori arguet confidentiam datio eidem. Respondetur namque cum Sancio, quod cum motus proprius non judicet illam dationem confidentiam esse, non esse ampliandum, ut pote penalis, & odiosus.

SECTIO XXVII.

Quæ pactio licita sit, ad componendam litem in causis beneficialibus?

SUMMARIUM.

379 *Cessio beneficij litigiosi propria authoritate facta propter pecuniam est simonia.*

380 *Ex authoritate Prælati licita est conventio, & pactio onerosa ad componendam litem.*

381 *An talis pensio possit poni ad vitam pensionarij, vel ad vitam solventis pensionem.*

382 *Inferiores Papa non possunt hanc pensionem imponere.*

383 *Pensio non potest ab arbitris absque ordinarij consensu imponi.*

379 HIc primò: Certum est apud omnes, cessionem beneficij litigiosi propria authoritate factam propter pecuniam esse simoniacam; habetur expresè *cap. præterea*, & aliis relatis à Palao *d.* 3. *de simonia p.* 2. *num.* 10. Et ratio est clara, quia datur aliquid spirituale, scilicet jus aliquod in beneficium pro temporali. Idem dicendum est si quis authoritate propria cedat beneficio incerto, & dubio propter pensionem aliquam, vel aliquod beneficium sibi à collitigante donatum. Ita communiter DD. apud Palaum *supra*. Ratio est quia in beneficiis omnis pactio & conventio, quæ ex jure incerto redditur certa; prohibita est, at per hujusmodi pactionem, jus dubium in beneficium firmatur, & certum redditur: ergo, &c.

380 Dico secundò: Ex authoritate Prælati licita est conventio, & pactio onerosa ad componendam litem, ut constat ex usu & ex *cap.* 2. *de transactionibus*. Cujus autem authoritas requiratur? Respondeo debere fieri authoritate Episcopi, & aliorum ordinariorum, vel judicis delegati ex *cap. nisi essent de præbendis*. Ita cum Bonacina, Suario, Layman, Bassæus, *verbo simonia* 4. *num.* 12. Quod verum est, etsi quis cedat beneficio quod pacifice possidet in collitigantem, ut ille in illum cedat omne jus, quod habet ad beneficium litigiosum. Ita cum Suario, Vasquio, Bonacina, Filliucio, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 35. *num.* 17. contra Palaum *d.* 3. *p.* 29. *n.* 3. qui putat tantum posse fieri authoritate Papæ. Idem dicendum est, si Episcopus uni ex litigantibus applicet beneficium, sub onere solvendi pensionem alteri collitiganti ex *cap. nisi de præbendis*. Ita Hostiensis, Panormitanus, Gigas, Suarez, Garcia, & alij, quos refert, & sequitur Palaus *suprà*: Nam licet *suprà* dixerimus magis probabile esse non posse Episcopum pensionem in beneficio imponere, hoc tamen non intelligitur ex causa litis, & concordiæ, nam causa litis, & concordiæ omnes fere Doctores affirmant optimè posse, ut rectè notat cum aliis Palaus *suprà num.* 3.

381 Dubium tamen est an dicta pensio possit imponi ad vitam personæ solventis, & retinentis beneficium, vel ad vitam pensionarij; Garcia dicit non posse Episcopum causa litis imponere pensionem, quæ duret tota vita pensionarij, ac per consequès, quæ ad successores transeat. Verum contraria sententia probabilior est. Ita Panormitanus, Suarez, Gigas, & alij, quos refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 5. & cum aliis Tancred. *suprà num.* 14. Fundamentum sumitur ex *cap. de cætero*, de transactionibus per argumentum à contrario, dicitur enim ibi, pensionem impositam per transactionem juridicam, sine Episcopi authoritate non excedens vitam solventis: ergo à contrario sensu, si authoritate Episcopi esset imposita, excederet viam solventis.

382 Advertendum tamen est non posse inferiores Papæ pensionem hanc imponere beneficiario, si aliqua conventio inter partes intercessit; habetur *c. cum per idem de pactis*, & docet cum Garcia, & aliis Palaus *suprà*. Ratio autem est, quia præsumitur spirituale pro temporali conferri, quando à partibus conventio ortum habuit. Verum Suarez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà* docent, hanc doctrinam non habere locum in conventione facta inter partes de pensione spirituali solvenda, possunt enim tunc partes collitigantes inter se convenire in ordine ad consensum Episcopi, ut unus beneficium retineat, & alius solvat pensionem ex illo; secus vero quando solvenda est pensio temporalis, tunc enim si à partibus conventio incipiat, reprobatur, ut constat ex *cap. cum per idem*. Honestatur autem, quando ex officio, & providentia judicis facta est, ut dicitur in *cap. nisi de præbendis*. Ita cum Palao, Tancred *suprà num.* 16. Quod si aliquando collitigantes videmus inter se convenire, ut unus retineat beneficium, & alius expensas in lite factas solvat, hoc inquam authoritate, & prudentia judicis faciendum est, nulla inter partes conventione, & obligatione prius facta, alias nulla erit talis cessio, & renunciatio.

Sed

Digitized by Google

383 Sed inquires. An possint Collitigantes judices arbitros eligere, ut litem decidant, imposita pensione, vel aliquo onere temporali beneficiario? Respondeo pensionem non posse ab arbitris absque ordinarij consensu imponi: onus vero temporale optimè posse. Ita cum Suario, Palaus, *supra num.* 7. colligiturque ex *cap. de arbitris*, ibi, *si arbitrium ipsum videris equitate subnixum, ad observantiam illius utramque partem compellas*, supponit ergo; textus potuisse esse æquum, & justum arbitrium, & tamen arbitri non erant judices delegati, neque ordinarij ad causam, sed quidam clerici in arbitratores electi: ergo.

SECTIO XXVIII.

Quid sint pœnæ inferendæ, vel ipso jure impositæ simoniacis?

SUMMARIUM.

384 *Simoniacus in beneficio quam pœnam incurrat?*
385 *Nulla pœna est imposita simoniacis, nisi simonia commissa sit in ingressu Religionis, in ordine, & beneficio.*
386 *Committens simoniam in conferendis Sacramentis &c. præter ordinem nullam pœnam ipso jure incurrit.*
387 *Quid dicendum de committente simoniam in redemptione, aut commutatione pensionis.*

384 Dico primò: De pœnis ferendis propter simoniæ crimen non potest aliqua certa regula præscribi, cum pro qualitate criminis pœna infligi debeat. Regulariter tamen aliquæ pœnæ ex jure ipso conveniunt imponendæ. Et imprimis simoniacus in beneficio deponendus est ab officio, & beneficio, quando crimen est in judicio probatum, non tamen antea, ut patet ex *cap. de hoc de simonia, & cap. cum super constat.* Ita cum Suario, Palao, Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 38. num. 16.* Secundò absolutè quilibet simoniacus si probetur, ab Ecclesia Dei debet repelli, ut constat ex *cap. sicut de simonia*, & *cap. erga simoniacos.* Ita communiter DD. Hæ tamen pœnæ non possunt imponi, si delictum sit occultum, etsi detur infamia per accusationem, vel inquisitionem, quamvis si detur talis infamia possit à ministerio Altaris arceri. Ita cum aliis Palaus *d. 3. p. 21. num. 1.* Tancred. *supra num. 16.* Pœna tamen infamiæ imponi potest pro quacumque gravi simonia, sed hoc in casu, quo via accusationis procedatur Palaus *supra n. 1.* Aliæ vero pœnæ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, non ita ferentur à judice, esto possint imponi, juxta textus *supra* relatos, & referendos.

385 Dico secundò: Nulla pœna est imposita ipso jure simoniacis, nisi simonia fuerit commissa in ingressu Religionis, in ordine, & beneficio. Ratio est quia neque in Decreto, neque in Decretalibus invenitur textus imponens ipso jure censuram, vel pœnam aliquam simoniacis. Ita cum Suario, Sanch. Palao, & aliis communiter Tancred. *tract. 2. d. 37.*
386 *lib. 4. num. 3.* Hinc fit committentem simoniam in accipiendis, vel conferendis Sacramentis, præter ordinem, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, delegationibus, & jurisdictionibus concedendis, itemque in venditione, emptione, & redemptione, aut commutatione pensionis, vel Vicariæ temporalis nullam pœnam ipso jure incurrere, quia non committit simoniam in ordine, beneficio, aut ingressu Religionis, pro quibus solum impositæ sunt pœnæ ipso jure, vide Sanch. *in Conciliis lib. 2. cap. 3. dub. 170.* Palaum *supra num. 3.*

SECTIO XXIX.

An requiratur simoniam esse completam, ut pœnas impositas ipso jure simoniacus contrahat.

SUMMARIUM.

388 *Pro simonia mentali nulla est imposita pœna.*
389 *Pro simonia conventionali ex nulla parte completa nullæ pœnæ ipso jure sunt impositæ.*
390 *An requiratur ad pœnas incurrendas simoniam esse completam ex utraque parte?*
391 *Quid si consequens beneficium sub promissione pecuniæ illam post multum temporis solvat?*
392 *Simonia realis, & completa solo jure Ecclesiastico prohibita non subjacet restitutioni, & pœnis simoniæ.*
393 *Ab hac regula excipitur simonia confidentialis.*

Dico primò: Pro simonia mentali, in quacumque materia certum est nullam esse impositam pœnam, neque aliquam oriri obligationem dimittendi beneficium, neque pretium receptum, stando in solo jure Ecclesiastico, est communis sententia Doctorum, ut videre est apud Sanch. *in conciliis lib. 2. cap. 3. dub. 10.* Palaum *d. 3. p. 22. n. 1.* Vnde per solam per pœnitentiam satisfit Deo. Dixi teneri pretium restituere stando in solo jure Ecclesiastico, nam si loquamur de jure naturæ, quando simonia includit injustitiam etiamsi mentalis sit, si opus fuit subsecutum obligat ad restitutionem, siquidem omnis acceptio injusta, & procedens ex intentione injusta, obligat ad restitutionem, ut rectè notat Suarius *lib. 4. cap. 5. num. 45.* 388

Dico secundò: Pro simonia conventionali ex neutra parte completa, nullæ pœnæ ipso jure sunt impositæ, verbi gratia, promisit quis pecuniam, si sibi beneficium daretur, ex vi hujus promissionis ante dationem pecuniæ, vel beneficij neque manet excommunicatus, neque suspensus, aut alia pœna irretitus ipso jure, quia omnes textus de hac re loquentes requirunt realem rei spiritualis receptionem. Imo etiamsi pretium dedisset, si tamen ordinem, vel beneficium ratione illius non recepisset, nullam pœnam incurreret, quia jura imponentia pœnas simoniacis, requirunt traditionem rei spiritualis. Ita cum communi sententia Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 38. num. 17.* 389

Difficultas autem est, an requiratur ad pœnas incurrendas simoniam esse completam ex utraque parte, hoc est, & pretium esse datum, & beneficium receptum, vel sit sufficiens recipere beneficium; vel ordinem, sub promissione pecuniæ dandæ? Et quidem, si quis beneficium recepit, & pretium aliqua ex parte solvit, certum est apud omnes incurrisse pœnas simoniæ, licet non integre solvisset, jam enim illa simonia completa est ex utraque parte. Vnde difficultas solum est, quando quis recepit ordinem, vel beneficium, sub promissione pecuniæ solvendæ, neque tamen solvit? 390

Affirmat

Affirmat cum Cajetano, Soto, Valentia, Palaus *d. 3. p. 22. num. 5.* Verum contraria sententia communis est inter DD. ut fatetur ibi ipse Palaus, & Sanchez *lib. 2. conciliorum cap. 3. dub. 106. n. 4.* & cum Gomez, Rodriguez, Contado, & aliis Tancred. *supra num. 19.* Unde nec incurrit pœnas, nec tenetur resignare beneficium tanquam non suum, sed ad hoc requiritur simonia completa; sic namque servat stilus Curiæ, ut testatur Sanchez *supra*. Neque obstant aliqua jura, quæ refert Palaus *supra*, quæ nimis clare sententiam contrariam confirmant. Respondetur namque has leges, & constitutiones, si quæ ad hanc partem aliquid disponunt, Curiæ Romanæ stilo esse abrogatas, & nunquam fuisse usu receptas. Imo addo non esse simoniam completam, etiamsi instrumentum pecuniæ factum sit, & traditum alteri, qui dedit beneficium, nam scriptura non est pars pretij in rigore. Ita Tancred. *supra n. 19.*

391 Sed nunc majus insurgit dubium, an consequens beneficium sub promissione pecuniæ, & illam post multum temporis solvens, incidat taliter in pœnas simoniacorum, ut ipsæ pœnæ censeantur incursæ, quod omnes suos effectus, ac si à principio pactionis fuissent incursæ, quæ vocatur retrotractio? Affirmant Lessius, Navarrus quos refert Palaus *hic num. 6.* Sanch. *ubi supra num. 7.* Nihilominus dicendum est in foro conscientiæ nullam pœnam, neque censuram contrahi. Ita Suarez, Filliucius, Layman, quos refert, & sequitur Bonacina *d. 1. q. 7. p. 1. §. 2. n. 9.* Palaus *ubi supra n. 6.* Tancred. *supra n. 20.*

Ratio autem est, quia censura non incurritur, nisi adsit delictum completum, sub censura prohibitum, sed pro tempore præterito delictum non erat completum; ergo censura ad tempus præteritum retrotrahi non potest, exempla habes in irregularitate ex homicidio, quæ tunc contrahitur, quando mors consummatur, neque potest retrotrahi ad tempus inflicti vulneris, quia pro toto illo tempore, neque fuit excommunicatus, neque irregularis. Ex quibus patet collationem beneficij recepti validam esse, licet alias fuerit adepta simoniacè, & non teneri dimittere beneficium sic collatum, nisi pretium solverit. Ita cum Suario, Palaus, *supra num. 7.* Imo addit Palaus *ibi*, quod si quis de facto pretium promissum solverit, non teneri fructus perceptos illo medio tempore restituere in foro conscientiæ, neque obligatum esse dimittere beneficia acquisita illo medio tempore, quo non solvit pretium, quia hæc omnia jam suum effectum sortita sunt. Unde solum in foro exteriori, & post condemnationem fructus illo intermedio tempore perceptos tenetur restituere. Ita cum Palao, Suario, Lessio, & aliis Tancred. *tract. 2. lib. 4. disp. 19. num. 35.*

392 Dubitatis secundo, An simonia realis, & completa, solo tamen jure Ecclesiastico prohibita, subjaceat restitutioni, & pœnis simoniæ? Affirmant Malderus, Villalobos, Navarrus, Felinus, Valentia, Bonacina, Filliucius, quos refert Diana *p. 7. tract. 4. resol. 155.* Verum contraria sententia probabilior est, Hanc tenent Lessius, Reginaldus, Aragonius, Petrus Navarra, Sanch. & alij quos refert, & sequitur idem Diana ibi. Basæus *verbo simonia 6. num. 5.* & cum aliis Tancred. *tract. 1. lib. 4. d. 37. num. 8.* Ausonius in summa Dianæ *verbo simonia, num. 12.* Ratio sumitur ex *Extravaganti 1. de simonia*, sic enim incepit, *cum cœtus simoniæ pravitatis tam divinorum, quam sacrorum canonum authoritas abhorreat*, ergo loquitur de simonia divino simul, & canonico jure reprobata, nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit, ut tradit ex multis Molina *de primogeniis lib. 1. cap. 5. num. 3.* & aliis communiter; ergo pœnæ simoniæ non incurruntur in casu, quo adest tantum simonia juris positivi, & humani, ut in permutationibus beneficiorum inter duos beneficiarios propria authoritate factis. In reservatione pensionis sine authoritate Papæ, promissione beneficij pro suffragio in electione, ad Episcopatum promotione, seu donatione pecuniæ mediatori pro intercessione beneficij &c. in quibus omnibus casibus, sic facientes peccant quidem, secundum tamen nostram sententiam non sunt excommunicati, nec ptivantur beneficiis sic receptis ipso jure, nec tenentur fructus restituere.

Excipe tamen ab hac regula cum prædictis Doctoribus, simoniam confidentialem, quæ subdita est pœnis, licet aliquando sit tantum jure humano prohibita, ut quando quis renuntiat beneficio, pacto inito, ut sibi, vel alteri postea reddatur, vel cum reservatione pensionis, non sibi tamen, sed alis solvenda. Excipe etiam quando datur aliquid Notariis, vel Officialibus Episcopi, licet etiam sit simonia jure humano prohibita, nam in tali casu incurrunt pœnæ Trid. *sess. 21. cap. 1. de reformatione.* Ita cum Tannero, & aliis Ausonius *supra*. 393

SECTIO XXX.

Quæ pœnæ impositæ sint ingredientibus simoniacè Religionem, & sic ingressos recipientibus?

SUMMARIUM.

394 *Tam dantes, quam recipientes religionem ob pretium incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si sint personæ singulares.*

395 *Simoniacè receptus in religionem est inhabilis ad manendum in illo monasterio, ubi receptus fuit.*

396 *Prædictæ pœnæ non incurruntur, nisi quando professio fiat.*

Dico primo: Prima pœna est, quod tam dantes, quam recipientes, si sint singulares personæ, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si vero capitulum, vel conventus suspensionem Papæ reservatam: sic habetur expresse *in extravaganti 1. simoniæ*. Hæ tamen pœnæ non incurruntur, quando aliquid recipiturabsque pacto, vel ob consuetudinem, vel absque præsumptione, bono animo, quia bis repetit Extravagans ea verba, eos qui præsumunt; Ita cum Navarro, Cajetano, Sanchez *tomo 1. conciliorum lib. 2. c. 3. dub. 104. num. 49.* Bonacina *de simonia disp. 1. quæst. 7. p. 1. §. 4.* Palaus *tom. 3. d. 3. de simonia p. 23. num. 1.* Nec incurrunt moniales recipientes pro dote, & sustentatione ingressuræ, ut supra late diximus. Item Martinus V. dixit hac simonia nolle ligare moniales, ut refert cum aliis Sanchez *supra*. Nec ipse ingrediens licet simoniam committat aliquid à monasterio exigendo pro suo ingressu incurrit dictas pœnas, nam licet ibi interveniat simonia, non tamen punitur *in supra dicta extravaganti*. 394

Secunda pœna est, quod simoniacè admissi ad Religionem sunt jure inhabiles ad manendum in illo monasterio, ubi recepti sunt, & egent dispensatione 395

tione ordinarij, ut possint acquirere jus præbendæ regularis, & vocis activæ, & passivæ, non tamen sic receptus tenetur se spoliare cæterorum commodis, nisi per superiorem compellatur aliud monasterium ingredi. Sic habetur *cap. de regularibus.* Ita cum Filliucio, Suario, Reginaldo, Basæus, *verbo simonia 6. num. 3.*

Dico secundò: probabile est non incurri prædictas pœnas, nisi quando professio fit simoniace. Unde si pro ingressu Religionis ad novitiatum exigeretur ab ingrediente pecunia, esto ibi committatur simonia, non incurruntur supradictæ pœnæ, neque capitulum suspenditur, si factum retractent non recipiendo, vel illam reddendo ante professionem. Ita cum Palao, Trullenc. Tanered. *tr. 2. lib. 4 d. 38. n. 14.* Imò advertit cum Navarro, Lessio, & aliis Palaus *d. 3. p. 23.* hujusmodi extravagantem non esse receptam, saltem quoad pœnam excommunicationis.

SECTIO XXVI.

Quæ pœnæ imponantur pro ordine simoniacè dato, vel suscepto.

SUMMARIUM.

397 *Qui confert ordines, vel mediator ad illos existit per simoniam realem eo ipso est excommunicatus.*

398 *Ordinans simoniace ipso jure est suspensus à collatione cujusvis ordinis, & ab executione omnium munerum Pontificalium.*

399 *Qui ordinem aliquem per simoniam realem suscepit ipso facto est excommunicatus.*

400 *Est etiam suspensus ab executione ordinis, quem suscepit.*

401 *Absolutio harum censurarum, & inhabilitatum Pontifici reservatur.*

397 Dico primo: qui confert ordines per simoniam realem, aut ad ordinem sic conferendum mediatur, seu præsentatus exiitit, eo ipso est excommunicatus excommunicatione populi, ut patet ex *Extravaganti cum detestabile de simonia.* Hoc tamen secundum probabilem sententiam non extenditur ad Collationem primæ tonsuræ, quia non est verus ordo, & pœnæ debent restringi. Ita cum Lessio, Palaus, *d. 3. de simonia p. 24. n. 1.* & cum aliis Tancred. *tract. 2. d. 38. lib. 4. n. 2.* Neque etiam extendi debet ad notarium, & ministrum, qui pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, aliquid exigeret. Neque etiam ad Episcopum, si post ordinem gratis collatum aliquid postea recipiat, nam esto hi omnes peccent, & simoniaci sint, juxta Trident. *sess. 21. cap. 1. de reformatione*, non tamen incidunt in hanc excommunicationem, neque in aliquam pœnam ipso facto, quia illa verba consilij, dantes, & accipientes ultra divinam ultionem pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant, debent referri tantum ad dantes, & accipientes ordines, non ad alias actiones in illo capite numeratas, quidquid contradicat cum aliis Sanchez *in Consilijs lib. 2. cap. 3. dub. 104. n. 21.* quia solum pro dantibus, & recipientibus Ordines simoniace, aut illorum mediatoribus pœnæ ipso jure latæ sunt. Ita cum Lessio, Navarro, Suario, Palaus, *suprà n. 1.* Tancred. *suprà n. 3.*

398 Secunda pœna ordinantibus simoniace imposita est suspensio ipso jure à collatione cujusvis ordinis etiam primæ tonsuræ, & ab executione omnium

munerum Pontificialium; ita in bulla Xisti V. de male promotis. Tertia pœna ipso jure imposita ordinatis simoniace, est interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Quarta est suspensio a regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, si interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à Pontificali munere violaverit, ita habetur in supradicto motu Xisti V. qui quoad hoc non fuit receptus per bullam Clementis VIII. per quam reduxit bullam Xisti V. ad terminos juris communis, non enim ibi pœnas simoniacorum revocavit, sed potius auxit, ut videre est apud Palaum *suprà n. 2.* Advertè tamen cum Palao *suprà n. 2.* nullam aliam pœnam ipso jure latam esse adversus mediatores, seu præsentatores ad simoniacam ordinationem, præter excommunicationem, nam licet aliqui dubitent, an incurrant etiam suspensionem per triennium ab executione suorum ordinum, probabilius est non esse latam talem suspensionem. Ita cum Lessio, Palaus *suprà.*

Dico secundò: qui ordinem aliquem per simo- 399
niam realem susceperit, primò est excommunicatus ipso facto, ut habetur *in supradicta Extravaganti.* Secundò est suspensus ab executione suorum ordi- 400
num. Nec refert an crimen sit occultum, an publicum; ita habetur *in eadem Extravaganti.* An autem ab omnibus sit suspensus, an vero ab eo, quem simoniace recepit. Communior sententia tenet ab omnium ordinum executione suspensum esse. Contraria tamen sententia probabilitate non caret ut cum multis tenet Palaus *suprà n. 3.* Deinde aliqui extendunt hanc suspensionem in ordine, ut procedat etiam, si simonia commissa fuerit ignorante ordinato. Ita Felinus, & alij, quos refert Sanchez *suprà n. 32.* Contraria tamen sententia probabilior est. Ita cum Navarro, Bellarmino, Lessio, Sa, Palaus, *suprà n. 3.* Sanchez *suprà n. 35.* Tancred. *suprà n. 8.* Ratio est, quia non est jure expressum, neque æquum videbatur exprimi, siquidem absque ejus culpa contingit, cur enim privari debebat usu ordinis, cum illam valide, & licite receperit. Imò etsi ignorantia fuerit culpabilis, dummodo non fuerit crassa non incurrit ordinatus dictam suspensionem. Ita cum Sanchez Tancred. *suprà n. 8.* contra Suarium. Imò addunt prædicti DD.te non fore excommunicatum, & suspensum, etiamsi postea amico tribuas pretium, quod pro tua ordinatione, te ignorante, dedit, facis enim ne pro tua causa damnum patiatur, quæ omnia probabilia esse docet Palaus *suprà.*

Tandem *in supradicta bulla Sixti V.* Absolutio 401
harum censurarum, & inhabilitatum Pontifici reservatur, simulque revocantur concessiones, & facultates Religiosis concessæ, & etiam concessæ Episcopis in *Trid. 24. de reformatione c. 6.* Sed in hac parte non est hujusmodi bulla recepta. Ita Palaus *sup. n. 4.* Imò Lessius *dub. 24. n. 134.* ait hanc bullam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam, eandem sententiam tenet Sà, quem refert Palaus *suprà*, Becanus *in quæst. 100. D. Th. qu. 20. n. 1.*

SECTIO XXXII.

De pœnis impositis dantibus, & recipientibus simoniacè beneficium.

SUMMARIUM.

402 *Qui beneficium confert, vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, &c. est ipso facto excommunicatus.*

403 *Qui beneficium comparat per simoniam realem eſt ipſo facto excommunicatus, & collatio eſt nulla.*

404 *Quid ſi ſimonia commiſſa ſit ab alio tertio?*

405 *Simonia commiſſa in beneficio non privat electum ipſo jure beneficiis antea rite obtentis.*

406 *Hæc ſimonia non conſtituit electum inhabilem ad alia beneficia obtinenda, niſi poſt ſententiam judicis.*

402 DIco primò: qui beneficium confert, vel procurat alteri per ſimoniam realem eligendo, præſentando, poſtulando, inſtituendo, confirmando, commendando eſt ipſo facto excommunicatus, ut patet ex Extravagan. *cum deteſtabile.* Hoc tamen non procedit, nec habet locum in officiis Eccleſiaſticis, quæ non ſunt beneficia, neque in penſionibus, neque in vicariis temporalibus; quia dicta Extravagans non loquitur de talibus. Ita cum Navarro, Vgolin. Suario, Leſſio, Palaus, *de ſimonia d. 3. p. 25. n. 1.* Becanus *ſuprà n. 1.* Nec obſtat obtinentem Abbatiam, Prioratum, Provincialatum, Rectoratum ſimoniace, puniri pœnis impoſitis *in Extravaganti 2. de ſimonia.* Reſpondetur namque quod de his fecit expreſſam mentionem ſupradictum decretum. Tum quia in opinione Navarri, quaſi quædam beneficia dicuntur. Si tamen quæres, an officium, inquiſitoris, legati, delegati, Vicarij, & ſimilium abſque alia pœna permutari, vendi, & emi poſſint: Reſpondeo affirmativè, licet hoc fieri non poſſit abſque peccato. Ita Palaus *ſuprà n. 1.*

403 Dico ſecundò: qui beneficium per talem ſimoniam acquirit. Primò eſt ipſo facto excommunicatus, & omnis collatio, & proviſio hujuſmodi eſt nulla, nullumque jus tribuit. Unde ſic recipiens beneficium non facit fructus ſuos, ſed ſub peccato tenetur reſtituere, etſi crimen ſit occultum. Ita cum Navar. Caſſador, Suario, Bonacina, Sanchez, Palao, Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 39. n. 10.* Deducendæ ſunt tamen expenſæ juſtæ & ſalarium, quod debebantur pro ratione miniſterij, quod exhibuit, ſi forte pro aliquo tempore beneficio inſervivit. Ita cum Henriquez, Tancred. *ſuprà.* Quæ vera ſunt, etiamſi ſimonia commiſſa ſit ab alio tertio, ſi electus ſcivit, & non contradixit. Ita habetur *cap. nobis fuit, 27. de ſimonia,* & tenet cum Gloſſa, Leſſio, Suario, Palaus, *ſuprà n. 2.* Tancred. *ſuprà n. 14.* At ſi Electus ſcivit, & contradixit, valida eſt electio, & collatio beneficij ſibi facta, ut habetur *cap. ſicut tuis de ſimonia.* Hæc tamen contradictio nihil prodeſt, ſi ea non obſtante, ante collationem, ſciens pecuniam datam eſſe, nihilominus acceptavit beneficium, quia abſolute recepit beneficium ſimoniacè datum, neque contradixit, unde etſi non incidat in excommunicationem, quia non eſt cauſa ſimoniaci contractus, efficitur tamen inhabilis ad beneficium, ut patet *ex cap. penultimo de electione*, & notat cum Leſſio, Suario, Palaus *ſuprà*, & cum aliis Tancred. *ſuprà n. 18.* Quod ſi electo ignorante, neque contradicente, quia nullam ſuſpicionem habuit ad contradicendum, ſimonia commiſſa ſit ab aliquo tertio, tunc diſtinguendum eſt, ſi in odium electi ſimonia commiſſa eſt, non tenetur beneficium reſignare, quia valide ſibi collatum fuit. Ita colligitur *ex cap. nobis fuit, & cap ſicut tuis literis de ſimonia,* & tenet cum Suario, & aliis Tancred. *ſuprà n. 22.* Secus ſi amicus, electo ignorante, pecuniam dediſſet, nam tunc tenetur ſimul, ac ſcivit beneficium, fructus dimittere, ut ex *ſupradictis capitibus* conſtat, & tenet cum prædictis Doctoribus Tancred. *ſuprà n. 20.* Adde electum factum fuiſſe inhabilem ad tale beneficium retinendum, *cap. nobis fuit de ſimonia,* & tenet cum aliis Tancred. *ſuprà n. 20.*

Notanda tamen eſt differentia inter hunc ignorantem, & alium, qui ſcienter beneficium ſimoniace recepit, nam ſcienti non prodeſt regula de triennali poſſeſſore, ſicut neque intruſo, at ignoranti, ſi per triennium cum illa ignorantia poſſederit beneficium, favet dicta regula; neque ei poteſt lis intentari. Ita cum Gomez. Leſſio, Palao, Tancred. *ſuprà n. 23.* Inſuper adverto, electionem eſſe validam, ſi commiſſa fuit ſimonia cum aliquo ex electoribus, ſi tamen alij, qui non deliquerunt ſufficientes ſint. Ita cum Suario, Garcia, Palao, Rodriguez, Tancred. *ſuprà num. 21.* 404

Sed quæres an ſimonia commiſſa in beneficio, electum privet ipſo jure beneficiis rite obtentis. Reſpondeo negative. Ita cum Navarro, Ugolino, Suario, Palao, Sanchez, Bonacina, Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 4. n. 1.* contra Bernardum Dias, & Rebuffum *de pacifica poſſeſſione n. 33.* Ratio eſt, quia reſpectu beneficij acquirendi eſt lex prohibens, & annullans actum, reſpectu vero beneficiorum acquiſitorum eſt lex pœnalis, quæ non obligat uſque ad condonationem. Tum quia nullibi eſt expreſſa talis pœna, ex quo ſequitur fructus beneficiorum ante ſimoniam obtentos non eſſe ipſo jure reſtituendos. Imò licet in pœnam delicti privetur prædictis beneficiis, non extenditur iſta ſententia condemnatoria ad fructus antea perceptos, ſiquidem ſunt res omnino diſtinctæ. Ita cum Suario, Palao, Tancred. *ſuprà n. 1.* contra Rebuffum. Secundo fit electum, vel præſentatum committentem ſimoniam pro confirmatione non obinde ejus electionem, vel præſentationem rite factam annullari; ita cum Leſſio, Suario, Palao, Tancred. *ſuprà n. 5.* & colligitur *ex cap. ſi confirmationem de electione in 6.* per ſententiam autem venit irritanda electio illius, qui pro confirmatione ſimoniam commiſit, ut tradit cum Ugolin. Felin. Palao, Tancred. *ſuprà n. 5.* Verum ſi in electione, vel præſentatione ſimonia commiſſa fuerit, omnes actus ſubſequentes ſunt irriti, quia validi eſſe non poterunt abſque illis, non enim confirmatio valida eſſe poteſt, ſine eo quod electio valida præponatur Tancred. *ſuprà n. 5.* 405

Quæres tandem, An hæc ſimonia electum conſtituat inhabilem ad alia beneficia obtinenda? Reſpondeo quod licet ex vi juris in *conſtitutione Pij V.* videatur efficere ante omnem ſententiam, tamen ex conſuetudine & uſu non incurri talem inhabilitatem, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis, quia in hac parte illa conſtitutio non eſt recepta, cum etiam reſpectu ſimoniæ confidentialis requirat ſententiam declaratoriam criminis ad inhabilitatem contrahendam reſpectu aliorum beneficiorum. Ita Sanch. *in conciliis lib. 2. c. 3. dub. 104. n. 14.* & cum Navarro, Leſſio, Suario, Tancred. *ſuprà n. 3.* 406

SECTIO XXXIII.

Quas pœnas inducat ſimonia confidentialis?

SUMMARIUM.

407 *Simonia confidentialis inducit primo excommunicationem Papalem.*

408 *Secundò collatio eſt nulla.*

409 *Recipiens ſic beneficium eſt inhabilis ad idem, & ad alia beneficia.*

410 *Hæ*

Digitized by Google

410 *Hæ pœnæ ipſo facto incurruntur excepta privatione beneficiorum antea poſſeſſorum.*

411 *Mediatores, ſi ſimonia eſt completa, incurrunt excommunicationem.*

407 DIco primò: hæc ſimonia inducit primo excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti. Secundò Epiſcopis, & electoribus interdictum. Tertiò reſignatio, & collatio beneficij
408 nulla. Quarta inhabilitas ad idem, & alia beneficia
409 obtinenda. Quinta reſervatur illud beneficium, in quo eſt commiſſa ſimonia ſedi Apoſtolicæ, ita ut ordinarius non poſſit in illius proviſione ſe intromittere. Sextò fructus male percepti Cameræ Apoſtolicæ applicantur. Septimò privat committentem omnibus beneficiis, & penſionibus antea obtentis, & inhabilitatem inducit ad alia obtinenda.

410 Circa ſupradicta adverto, has pœnas ipſo facto incurri, ut conſtat *ex extravaganti Pij IV. incipiente, Romanorum, & ex conſtitutione Pij V.* Excipitur tamen primo privatio beneficiorum antea poſſeſſorum, hæc enim requirit ſaltem ſententiam declaratoriam criminis, juxta receptum uſum. Ita cum Leſſio, Palao, Tancred. *tract. 2. lib. 4. d. 43. n. 11.* deinde notandum, neceſſe non eſſe ſimoniam compleri ex utraque parte, hoc eſt, beneficium datum in confidentia iterum renuntiari, ſed ſufficit ſi beneficium detur ea conditione, ut demittenti, vel alteri reſignetur, vel fructus illius ſolvantur, & ea intentione recipiatur, ut habetur in ſupradictis bullis, & notavit cum Leſſio, Suario, Navarro, Palaus *ſuprà num. 9.*

411 De mediatoribus, & interceſſoribus in ſupradictis bullis nihil expreſſe cavetur, quare ſolum *ex Extravaganti 2. de ſimonia* incidunt in excommunicationem ſecundum probabilem ſententiam, quando ſimonia ex utraque parte completur, & ſecundum probabiliorem, quando beneficium ea conditione accipitur. Ita Tancred. *ſuprà num. 12.*

SECTIO XXXIV.

Utrum acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui?

SUMMARIUM.

412 *Res ſpiritualis ob pretium comparata non eſt obnoxia reſtitutioni.*

413 *Qui accipit pretium cum pacto dandi beneficium, vel aliquid ſpirituale tenetur ad reſtitutionem non impleta conditione.*

414 *Pretium receptum pro præſentatione, collatione, &c. beneficij debet neceſſario reſtitui ante ſententiam judicis.*

415 *Cui debeat fieri hæc reſtitutio.*

416 *Excepto caſu beneficiorum in nullo alio, etiam in ingreſſu Religionis, vel receptione ordinis tenetur quis reſtituere pretium ſimoniace acceptum.*

417 *Qui pretium ſimoniace accepit, ſed non injuſte, ſeu cum injuria contra ipſum dantem, non tenetur jure naturali ad reſtitutionem pretij accepti.*

418 *Qui pretium accepit pro re ſpirituali cum injuria, & injuſtitia contra ipſum dantem, tenetur jure naturali, & divino ad reſtitutionem pretij accepti.*

419 *Quadam corollaria ponuntur.*

420 *Qui vendit rem ſpiritualem, non ut talis eſt, ſed habita ratione ad materiale illius, vel ad emolumentum temporale, vel ad honorem, quo ſe privat venditor, ſimoniam committit, non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi pretium non excedat, quod pro tali materia poteſt eſtimari.*

DIco primo: nulla res ſpiritualis ob pretiũ com- 412
parata eſt obnoxia reſtitutioni, neq; jure divino, neque Eccleſiaſtico, præter beneficia. Ita communiter DD. apud Tancred. *tract. 2. lib. 4 d. 39. num. 8.* Ratio eſt, quia jure divino ſolum requiritur ad validam tranſlationem rerum ſpiritualium poteſtas, & intentio in conferente, & capacitas in ſuſcipiente, quod autem fiat pro pretio non obſtat validitati actus, ut conſtat in omnibus ſacramentis, ſi pretio eſſent adminiſtrata, & in calicis conſecratione, profeſſione religioſa, quæ etiam valida eſt, ſi pro pretio fiat, ut tenent communiter DD. ergo jure divino, & Eccleſiaſtico, nulla res ſpiritualis pretio comparata eſt obnoxia reſtitutioni, exceptis beneficiis, quæ non jure divino propter eandem rationem, ſed Eccleſiaſtico, dimitti debent, ut habetur *in Extravaganti cum deteſtabile de ſimonia.* Ex qua reſolutione ſequitur, quod ſi quis comparet reliquias Sanctorum, grana benedicta, jus patronatus, licentiam eligendi confeſſorem aliquo pretio, non teneri talia dimittere, ſiquidem non peccavit contra juſtitiam, dando pretium pro illorum acquiſitione, ſed ſolum peccavit contra religionem indebitè tractando res Eccleſiaſticas. Ita cum aliis communiter Tancred. *ſuprà n. 13.*

Dico ſecundò: ſi quis accipiat pretium cum pa- 413
cto conferendi beneficium, vel aliud quodvis ſpirituale, certum eſt teneri ad reſtitutionem, non impleta conditione. Ita communiter DD. apud Tancredum *tract. 2. lib. 4. d. 41. n. 1.* Imò tenetur reſtituere danti, quia nullibi cautum eſt alteri reſtitutionem eſſe faciendam. Ita Cajetanus, Victoria, Navarrus, Sotus, Suarez, Leſſius, apud Tancredum *ſuprà*: non tamen peti poteſt à dante propter turpitudinem admiſſam; ut bene Covarruvias apud Palaum, *d. 3. p. 26. n. 3.* Secundò certum eſt ex jure Eccleſiaſtico pretium receptum pro præſentatione, collatione, confirmatione, &c. beneficij debere ne- 414
ceſſario reſtitui ante judicis ſententiam. Ita multis citatis docent Suarez, Leſſius, & alij quos refert, & ſequitur Tancred. *ſuprà d. 42. n. 1.*

Quod ſi petas, cui debeat fieri hujuſmodi reſti- 415
tutio? Reſpondeo ex jure communi debere fieri Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, ut conſtat *ex c. de hoc.* Ita D. Thom. *quæſt. 100. art. 6. ad 3.* Palaus, & alij, quos refert, & ſequitur Tancred. *ſuprà d. 42. n. 3.* de arbitrio tamen ſuperioris, & conſuetudine, poteſt diſtribui pauperibus, ut cum multis tenet Tancred. *ibi.* Imò probabile eſt pretium acceptum pro donatione beneficij, reſtitui poſſe ante ſententiam judicis ei, qui dedit; poſt ſententiam tamen, cui judex addixerit. Ita Sotus, Aragonius, Bañes, & probabile putat Leſſius, Valentia, quos refert, & probabile Tancred. *ſuprà n. 4.* Ratio eſt, quia dans pretium non abdicavit à ſe dominium, cum non alia ratione intenderit abdicare, niſi quatenus in venditorem tranſtulit, non tranſtulit autem in venditorem, quia incapax erat, manet ergo apud ipſum: quod ſi dicatur Eccleſiam privare emptorem dominio pecuniæ datæ. Reſpondetur hoc non fieri, niſi per legem pœnalem, quæ neminem ante ſententiam re ſua privat. Vide Palaũm *ſuprà num. 5.*

Digitized by Google

416 Dico tertio: In nullo alio caſu, etiam ob ingreſſum Religionis, ob ordinum ſuſceptionem, & pro quacunque materia ſpirituali, præter quam in receptione, ſeu collatione, vel præſentatione beneficij, tenetur quiſpiam ante ſententiam judicis pretium acceptum reſtituere, quantum eſt ex jure Eccleſiaſtico. Ita cum Leſſio, Suario, & aliis, Palaus *ſuprà num.* 6. Tancredo *ſuprà d.* 42. *num.* 9. contra Sanch *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 112. qui putat reſtituendum eſſe pretium receptum ob ingreſſum Religionis, & ob receptionem ordinis. Tota igitur difficultas in hac quæſtione eſt, an recipiens pretium pro quacunque re ſpirituali, ſive ſit beneficium, ſive quæcunque alia res, teneatur jure naturæ pretium acceptum reſtituere? An vero ſolo jure Eccleſiaſtico, & hoc poſt ſententiam judicis, excepta materia beneficiali, nam in hac certum eſt teneri, ut diximus ante ſententiam judicis.

417 Dico quarto: Qui pretium ſimoniace accepit, ſed non injuſte, ſeu cum injuria, & injuſtitia contra iſtum tradentem commiſſa, non tenetur jure naturali ad reſtitutionem pretij accepti. Ita cum Navarro, Leſſio, & aliis, Bonacina *d.* 1. *queſt.* 1. *de ſimonia p.* 3. *num.* 3. Suarez *cap.* 59. *num.* 31. Layman, Filliucius, & alij, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 4. Ratio eſt quia obligatio reſtituendi ob delictum non conſurgit ex quolibet delicto, ſed ex peccato injuſtitiæ, ut tenent communiter DD. ſed qui pretium ſimoniace accepit ſine injuſtitia contra tradentem, non peccavit peccato injuſtitiæ, ſed tantum peccato ſimoniæ, ſimonia namque non eſt injuſtitia, ſed irreligioſitas, quæ aliquando committi poteſt ſine injuſtitia, ergo accipiens pretium abſque injuſtitia tradentis, non tenetur ad reſtitutionem.

418 Dico quinto: Qui pretium ſimoniace accepit pro re ſpirituali cum injuria, & injuſtitia contra ipſum dantem, tenetur ex jure naturali, & divino ad reſtitutionem pretij accepti. Ita Suarez, Leſſius, Filliucius, & alij quos refert & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 3. Ratio eſt quia accipiens aliquid ſupra id quod ſibi debetur, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſed accipiens pretium pro re ſpirituali, ut tali, accipit aliquid ſupra id quod ſibi debetur, ergo tenetur ad reſtitutionem, minor probatur quia licet miniſtranti ſpiritualia debita ſit ſuſtentatio, ſeu ſtipendium, non tamen debetur pretium, ſeu merces, ſeu aliquod temporale excedens ſuſtentationem, ergo ſi ultra ſuſtentationem, vel ſtipendium debitum, aliquid accepit, tenetur ad reſtitutionem.

419 Hinc colliges primo quod ſi is qui pretium accepit pro re ſpirituali, tenebatur ex juſtitia gratis conferre illam jure divino ad reſtitutionem pretij obligati, quia accipiendo pretium non ſolum religionem, ſed juſtitiam commutativam læſit, ſicut ſi judex pro juſta ſententia pretium exigeret teneretur ad reſtitutionem. Hinc Parochus cui aſſignata eſt congrua ſuſtentatio, tenetur ad reſtitutionem, ſi pro adminiſtratione ſacramentorum mercedem contra Eccleſiæ conſuetudinem exigat. Secundo Colligo Prælatum Eccleſiæ vendentem beneficia vel officia Eccleſiæ quarum non eſt dominus ſed diſpenſator, teneri ad reſtitutionem pretij accepti, tum quia vendens rem non ſuam peccat contra juſtitiam. Tum quia ex vi ſui muneris tenebatur hæc gratis dare, qui autem accipit aliquid pro eo, quod gratis tenetur præſtare, peccat contra juſtitiam, & patet ex *decreto Alexand. XVII. anno domini* 1665. *propoſitione* 11. Et idem dicendum eſt de Electoribus beneficiorum qui pretium accipiunt pro eligendo digno, quia accipiunt indebitum cum teneantur ex officio gratis eligere. Quod etiam dicendum eſt ſi pretium accipiant pro eligendo digniore prætermiſſo digno, adhuc enim tenentur ex officio digniorem eligere, ſeu electionem juſtam facere, & conſequenter ſi quid accipiant pro eligendo digniore, videntur illud accipere pro actione ad quam ex officio tenentur.

Dico ſexto: Qui vendit rem ſpiritualem, non ut talis eſt, ſed habita ratione ad materiale illius, vel ad emolumentum temporale, vel honorem, quo ſe privat venditor, licet ſimoniam committat, non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi pretium acceptum non excedat illud, quod pro tali materia, vel emolumento apud homines poteſt æſtimari; ita, cum Suario, Leſſio, Filliucio, Bonacina, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 12. Palaus *d.* 3. *p.* 26. *num.* 7. licet oppoſitum teneat Raphaël de la Torre *q.* 100 *art.* 6. *diſp.* 6. *dict.* 3. Ratio eſt, quia in illa venditione nulla invenitur injuſtitiæ ratio, quia in effectu, & in re ipſa reperitur æqualitas, inter actionem illam materialiter conſideratam, vel commodum, vel emolumentum, & pretium, quod pro illis confertur; ſed ubi non invenitur injuſtitia non datur obligatio reſtituendi, ut *ſuprà* diximus; ergo nulla in prædicto caſu datur obligatio reſtituendi. Probatur ſeu explicatur major quia actio illa, licet quia eſt ſacra effecta, non debeat pretio æſtimari, ſuam tamen materialitatem retinens, intra latitudinem juſtitiæ ratione illius æſtimabilitatem habet; ergo ſi pretium non excedat materialem illam æſtimationem nulla fit injuſtitia: hinc fit poſſe vendi calicem conſecratum ratione materiæ aureæ, vel argenteæ, quanti apud homines æſtimatur, non tamen poſſunt vendi reliquiæ Sanctorum, etiam ratione materiæ, quia ratione materiæ nihil valent. Vide Palaum *ſuprà num.* 7. Tancredo *ſuprà d.* 41. *num.* 11. 420

SECTIO XXXV.

Quomodo ſimoniæ crimen probari poſſit, ut ſimoniaci puniantur, & condemnentur?

SUMMARIUM.

421 *Ponuntur varij modi probandi ſimoniæ crimen.*

422 *Quid dicendum ſit de conjecturis, & præſumptionibus explicatur?*

423 *Particeps delicti poteſt eſſe teſtis in hoc crimine.*

424 *Concluſa probatione, ſi detur ſententia contra ſimoniales non ſuſpenditur appellatione.*

421 IN hac quæſtione parum immorabimur, pertinet namque ad forum exterius, & de illa optime tractat Farinacius *conſilio* 75. Vnde reſolutorie, dico primo: In primis probanda venit ſimonia, criminis notorietate *cap. de manifeſta cum duobus ſequentibus* 2. *queſt.* 1. Secundo evidentia facti, cum quis in crimine comprehenditur *cap. ſi quis decorus* 50. *diſt. & aliis.* Tertio ex pactis confeſſione *cap. presbyter* 11. *q.* 5. Quarto per famã. Quinto per inſtrumentum, in quo adeſt promiſſio, vel pactum *cap. placuit* 16. *q.* 3. Sexto per correſpectivitatem, hoc eſt quando unus actus fit propter alium, ut ſi renuntianti alicui beneficium, & ille conſenſit penſioni,

Digitized by Google

penſioni, vel aliam renuntiationem in ſuum favorem fecit coram eodem notario, teſtibus, & eodem die, ſeu ut dicetur in continenti, tunc enim inducitur ſufficiens præſumptio ſimoniæ, quod ſi diverſis temporibus fiat, non eſt ſufficiens probatio ſimoniæ.

422 Difficultas eſt an conjecturæ, & præſumptiones ſufficiant ad probandam ſimoniam? Reſpondeo affirmative. Ita communiter DD. quos refert, & ſequitur Flamin. *lib.* 14. *quæſt.* 8. *num.* 1. Ratio eſt quia ſimoniæ crimen inter graviora crimina reputatur, comparatur enim homicidio, hæreſi, & idololatriæ in quibus per præſumptiones, & conjecturas probatio fit, debent tamen præſumptiones, & conjecturæ eſſe evidentes, & reum de crimine convincentes, debentque probari, ut tenent omnes teſte Alexandro de Nevo *Conſil.* 64. *num.* 2. probatio tamen unius conjecturæ, & præſumptionis non ſufficit; ſed neceſſario debent eſſe duæ præſumptiones cum aliis indiciis integrè probatæ, & hæc plenam facere probationem docet cum aliis Azevedo *Conſil.* 28. *num.* 94. Vnde quælibet præſumptio, & conjectura debet eſſe in ſuo eſſe perfecta, & omnino convincens, aliàs nullius erit momenti, neque jungendæ præſumptiones. Ita ut ex pluribus illegitimis probationibus una coaleſcat, ut teſtantur Gomez, Malcard. Menoch. & alij, quos refert, & ſequitur Azevedo *Conſil.*, 0. *n.* 43.

423 Secundò dubitatur, an particeps delicti poſſit eſſe teſtis in hoc delicto? Reſpondeo affirmativè. Ita Flaminius *lib.* 14. *de reſign. quæſt. ult.* Et ratio eſt, quia licet in aliis criminibus ſocius delicti non poſſit eſſe teſtis, hoc tamen non procedit in delictis exceptis, in quibus ob ſuam atrocitatem, teſtes alias inhabiles admittuntur, ut patet etiam in hæreſi, & aliis criminibus exceptis, in quibus ſocius criminis non ſolum facit indicium, ſed etiam ſemiplenam probationem, non ſolum civiliter, ſed etiam criminaliter. Tandem adverto concluſa probatione, ſi detur ſententia adverſus ſimoniacum appellatione non ſuſpendi, ſed mandari debere executioni, in his, in quibus ipſo jure imponitur pœna: nam in iis pœnis, quæ imponuntur ipſo jure, ſententia declaratoria facit tranſire in rem judicatam, ut reſolvit Ananias, Felinus, *in cap. ſicut de ſimonia* Maranta *de ordine judiciario* 6. *p. act.* 2. *n.* 178. qui affirmant in hoc caſu non eſſe acceptandam appellationem. Rodriguez *in ſumma verbo ſimonia c.* 56. *n.* 6.

424

SECTIO XXXVI.

De poteſtate diſpenſandi cum ſimoniacis.

SUMMARIUM.

425 *In pœnis ferendis probabilius eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare.*

426 *In pœnis ipſo jure latis, etſi ſint Papæ reſervatæ, ſi ſint occultæ poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

427 *Quid dicendum ſit de Regularibus per ſua privilegia?*

428 *Epiſcopus poteſt diſpenſare in inhabilitate quam contrahunt recipientes ſimoniace beneficium, tam ad idemmet beneficium, quam ad aliud, ſi crimen ſit occultum.*

429 *Diſpenſatus ab Epiſcopo in hac inhabilitate poteſt, ſine alia collatione poſſidere beneficium.*

430 *Quid dicendum ſit de regularibus?*

431 *Aliquæ advertentiæ ponuntur pro diſpenſatione Epiſcopi.*

432 *Pontifex conferens inhabili beneficium cenſetur cum eo diſpenſare, ſi illi conſtitit eſſe inhabilem.*

433 *Vt Pontifex diſpenſationem licite concedat in hic cenſuris, & inhabilitatibus requiritur aliqua cauſa.*

434 *Si ſine cauſa in hac lege diſpenſet non peccat mortaliter.*

435 *Quid dicendum ſit de Epiſcopis, & aliis prælatis diſpenſantibus in lege ſui ſuperioris.*

DIco primò: De pœnis ferendis probabilius eſt poſſe in omnibus Epiſcopus, vel judex Eccleſiaſticus diſpenſare, ſiquidem ejus eſt abſolvere, cujus eſt ligare. Unde idem dicendum eſt de infamia, ac depoſitione, ac de aliis pœnis. Ita cum Suario, Præpoſito, Tanered. *tract.* 2. *lib.* 4. *num.* 3. contra Palaum, *d.* 3. *p. ultim. num.* 1. In pœnis vero ipſo jure latis, quales ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, & aliæ *ſuprà* relatæ, certum eſt Papæ eſſe reſervatas, ſive publicæ, ſive ſecretæ ſint, ut late probat Palaus *d.* 3. *p. ultim. num.* 1. & 2. ab illis tamen, ſi publicæ non ſint, nec ad forum contentioſum deductæ, poteſt Epiſcopus abſolvere, virtute Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*. Ita cum Sà, Suario, Leſſio, Palaus, *ſuprà num.* 2. Portel. *in reſponſionibus caſuum conſcientiæ p.* 3. *caſu* 12. *n.* 8. Rodrig. Navarr. & alij quos refert, & ſequitur Trullench. *in Bulla cruciata lib.* 2. *p.* 3. *dub.* 11. *n.* 9. contra Bonacinam *d.* 1. *de ſimonia quæſt.* 7. *p.* 1. §. 6. *num.* 11. Nec obſtat Bulla Pij V. prohibens hanc facultatem ſaltem in ordinato ſimoniacè, quia in hac parte talis Bulla non eſt recepta, ut cum aliis notat Palaus *ſuprà*. 425 426

An vero Regulares per ſua privilegia poſſint ab omnibus his cenſuris abſolvere, quando ſunt occultæ? Reſpondeo affirmativè, *ex Privilegio Pauli III.* quæ quidem gratia non eſt revocata, ut declaravit Gregorius XIII. Ita Portel verbo Prælatus *n.* 29. Palaus *d.* 3. *p.* 24. *num.* 4. Sed de his vide, quæ dixi *in noſtro Directorio Regularium*, *p.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 3. *num.* 38. ubi alia multa invenies, quæ hic poſſunt deſervire. 427

Dico ſecundò: Epiſcopus poteſt diſpenſare in inhabilitate quam contrahunt recipientes ſimoniacè beneficium, tam ad idemmet beneficium, quam ad aliud, ſi crimen fuerit occulti, etſi deductum ad forum exterius, ſive fuerit ſimonia commiſſa inſcio, ſive ſciente ipſo beneficiario. Ita Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 56. *n.* 14. & cum Leſſio, Suario, Palaus, *ſuprà n.* 4. & cum Saïro, Trullench. *in Bullam Cruciatæ lib.* 2. §. 2. *dub.* 2. *n.* 15. & cum aliis Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 11. *n.* 12. Portel in reſponſionibus caſuum, *caſu* 12. *tomo* 1. *p.* 3. *num.* 8. contra Reginaldum, & alios communiter. Ratio eſt, quia hæc inhabilitas eſt quaſi quædam irregularitas; conceſſa ergo facultate diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, videtur ad hanc inhabilitatem extendi; ſed in Trid. conceditur facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum externum, & contentioſum; ergo optimè poterit in hac inhabilitate diſpenſare. Tunc quia dato quod hæc inhabilitas non ſit irregularitas, adhuc eſt caſus occultus, qui comprehenditur in caſibus occultis conceſſis Epiſcopis, *in Trid.* ut optimè advertit Trullench, *ſuprà*. 428

Digitized by Google

429 Hinc fit obtinendum ſimoniace beneficium, ſi diſpenſatus ſit ab Epiſcopo in hac inhabilitate, & abſolutus à cenſuris, poſſe ſine alia collatione poſſidere beneficium. Ita expreſſe Suarius, Abbas, quos refert & ſequitur Palaus *ſuprà num.* 5. Pottel *ſuprà*, Trullench. *ſuprà n.* 15. ubi alios referunt; & ſumitur ex textu *poſtulaſtis, de clerico excommunicat. min.* Ibi enim dicitur, non poſſe ipſum clericum ſic delinquentem retinere beneficium, niſi cum illo fuerit miſericorditer diſpenſatum: ergo poſita diſpenſatione bene poterit retinere, cum ibi nihil aliud deſideretur.

430 Major tamen eſt difficultas an regulares ratione ſuorum privilegiorum poſſint in hac inhabilitate diſpenſare? affirmant Urbanus *tract.* 2. *diſt.* 2. *cap.* 6. *regul.* 5. & cum Couſers, Baſæus, *verbo ſimonia* 6. *num.* 2. Verum ego huic ſententiæ nunquam potui acquieſcere, ut dixi *in noſtro directorio Regularium p.* 1. *tract.* 2. *d.* 3. *n.* 78. Nam cum diſpenſatio in hac inhabilitate ſit virtualis collatio beneficij, ut *ſuprà* diximus, non video, quomodo id poſſit regularibus convenire, quin virtualiter conferant beneficium, quod tamen Regulares, nec directe, nec indirecte efficere poſſunt, ut latius dixi *loco citato.*

431 Adverte tamen quod quando diximus Epiſcopum poſſe in prædicta inhabilitate diſpenſare, hoc eſſe intelligendum concurrente triplici circunſtantia, quas aſſignant prædicti DD. prima ut vitium ob cujus cauſam collatio, præſentatio, vel electio fuit nulla, ſit occultum. Secunda quod non ſit in tertij electi præjudicium, qui cum prior electio ſit nulla, jus habet ad rem: tertia dummodo beneficiarius ille non acceperit ſcienter cum vitio illo collationem beneficij, quia tunc eſſet intruſus, ac proinde oporteret, non tantum prioris vitij diſpenſationem obtinere, ſed illius quoque intentionis, eſt enim reſpectu illius beneficij duplex canonicum impedimentum, alterum ſimoniæ, alterum intruſionis, quæ intruſio ſit publica Papæ, ſicut etiam inhabilitas publica incurſa ob ſimoniam eſt reſervata, ſi tamen ſit occulta, in ea, ſicut in eadem inhabilitate poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ex *eodem cap. Trid.* Ita Sanchez *in Conciliis lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 22. Non tamen id poterunt efficere Regulares; ut diximus *de inhabilitate*, propter eandem rationem. Forma vero ad diſpenſandum cum ſimoniacis in pœnis ſimoniæ nulla eſt præſcripta, quare ſi Epiſcopus utatur verbis, quæ ſufficienter exprimant voluntatem diſpenſandi, eo ipſo cenſebitur diſpenſaſſe.

Dubitant tamen Doctores, an ſi Pontifex beneficium inhabili conferat, eo ipſo diſpenſare cum illo cenſeatur? Et Reſpondeo cenſeri diſpenſare in ordine ad illud beneficium, ſi illi conſtitit eſſe inhabilem, ne dicamus fruſtra, & in vanum efficere collationem. Ita cum Suario, Felin. Navar. Molina, & aliis Palaus *d.* 3. *de ſimonia p. ultim. n.* 9. Et generaliter quoties impedimentum eſt juris humani, & legiſlator ſciéter impeditum admittit ad actum; præſumitur animus diſpenſandi, ac inducitur vera diſpenſatio, quamvis princeps cauſæ cognitione non permiſerit, ut ſi Pontifex admitteret ſcienter irregularem ad ordines, vel rex lege inhabilem, ut ſetvum, judicem conſtitueret. Ita cum D. Thom. Sanch. Barbario, Palaus *ſuprà.* 432

Adverte tandem, quod ut Pontifex diſpenſationem licitè concedat in his impedimentis, & pœnis, requiri aliquam cauſam, hoc enim expoſtulat commune bonum, & Eccleſiæ regimen. Verum ſi abſque cauſa contra ſuam legem faciat, & in ea diſpenſet, non peccat mortaliter, ſecluſo ſcandalo, aliave ratione extrinſeca. Ita cum multis Sanch. *lib.* 8. *de matrim. d.* 17. *n.* 128. & cum Leſſio, Valentia, & aliis Palaus *ſuprà num.* 11. Epiſcopi vero, & alij prælati, in legibus ſuperioris diſpenſantes, ſi abſque cauſa procedant, peccant mortaliter & nulla eſt diſpenſatio. Ita cum prædictis doctoribus Palaus *ſuprà.* Et hæc de ſimonia, & de toto primo præcepto Decalogi ſufficiunt: magna enim nobis reſtat via. 433 434 435

TRACTATUS QUINTUS,

DE SECVNDO DECALOGI PRÆCEPTO,

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

POSTQVAM doctrinam generalem de divino cultu, & præceptis ejus, & aliquibus vitiis oppoſitis explicuimus in primo præcepto: Supereſt hic ſolum de juramento; & voto diſputare: iis enim, ſi rite ea nuncupentur, obſerventurque, honore Deus afficitur; ſecus contra. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Iuramento.

SECTIO I.

Quid ſit juramentum?

SUMMARIUM.

1 *Unde dicatur juramentum?*
2 *Ponitur definitio juramenti.*
3 *Invocatio falſorum Deorum non eſt juramentum, niſi in Paganorum exiſtimatione.*
4 *Juramentum formaliter conſiſtit in intellectu, requiritur tamen actus voluntatis, ut conditio ſine qua non.*
5 *In quo conſiſtat graviſſima perjurij culpa?*
6 *Juramentum reſpectu Dei ſolo actu intellectus, & voluntatis completur.*

IVramentum à jure dicitur, quia tanquam jus habendum eſt, appellatur etiam jus jurandum, eo quod veritas juramento firmata, ita firma conſiſtere debet, quaſi jure ipſo firmetur. Vocatur item ſacramentum, quatenus eſt ſignum Divini teſtimonij, quod in juramento adducitur. His ſuppoſitis, 1

Dico primo. Juramentum definitur, *eſt, invocatio divini nominis ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam.* Ita D. Th. ab omnibus receptus 2. 2. *quæſt.* 89. 2

Digitized by Google

quæſt. 89. *art.* 1. Invocatio ponitur loco generis, quia etiam per orationem Deus invocatur, ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam, ponitur loco differentiæ, nam oratio eſto invocet Deum, non illum invocat ut ex dictis orantis fidem faciat, ſed potius ut ejus poſtulata concedat. Ita cum Valentia, Sanchez, & aliis Palaus *de juramento d.* 1. *p.* 12. *num.* 2.

Dicitur invocatio, & non enunciatio, nam enuntiare Deum teſtem eſſe omnium non eſt juratio, ſed quædam evidens propoſitio ad fidem, vel ſcientiam naturalem pertinens. Hinc eſt non eſſe juramentum dicere, eſt, non eſt, feci, non feci, dixi, non dixi, ita eſt, recte, profecto, vere, ſane, & his ſimilia. Sic ſimiliter concionatores, & magiſtri afferentes teſtimonia ſacræ ſcripturæ in confirmationem ſuæ doctrinæ non jurant, quia non invocant Dei nomen in teſtimonium, ſed Dei verba, & dicta referunt. Ita Bonacina, & alij apud Trullenc. *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 5.

Dicitur etiam invocatio divini nominis, quia cum ſolus Deus ſit, qui nec fallere, nec falli poteſt, ſolus ipſe in juramento invocatur, vel explicite, aut ſaltem implicite, & in obliquo: explicite ut ſi quis dicat teſtis eſt mihi Deus, vivit Dominus, facio Deum teſtem, invoco Chriſtum, ſeu ſacram ſcripturam, Trinitatem, per Chriſtum, & ſimilia; implicite vero, ut quando juratur per creaturas, quatenus in ipſis reluceat divinitas, & per Sanctos, & per Evangelia, per cœlum Dei, ut fidem faciat, vel promiſſum infallibiliter firmet.

3 Nec obſtat quod etiam Pagani Deos falſos invocant, ut eorum dictis authoritatem præſtent. Nam invocatio falſorum Deorum non eſt verum juramentum, ſed tantum in Paganorum exiſtimatione, unde ipſi ſunt perjuri quia putant verum juramentũ non obſervare, ſicut qui putat habere præceptum, quod de facto non habet, ſi illud violat peccat, ac ſi tale præceptum habuiſſet, de facto tamen tale juramentum non firmat veritatem, unde ſi Ethnicus cognoſcat falſitatem illorum Deorum non tenebitur ad tale juramentum, tenebitur tamen ſtare promiſſis ex fidelitate.

Loquendo tamen de vero juramento juramentum formaliter conſiſtit in intellectu, quia conſiſtit in locutione mentali, ſeu in invocatione divini nominis, & hæ non fiunt ſine locutione ſaltem intellectus. Requiritur etiam actus voluntatis, ut connotatum eſſentiale, vel ut conditio ſine qua non, aliàs namque non eſſet actus humanus, ideoque talis voluntas debet eſſe libera, & cum pleno judicio rationis, immo etiam requirit intentionem jurandi, juramentum namque exterius prolatum, ſine intentione jurandi fictum eſt, non verum ſicut votum ſine intentione vovendi. Vnde ſi aliqua eſſet cenſura ob perjurium, non incurreret illam, qui tantum apparenter vultt jurare. An vero tale juramentum ſit ſervandum? *infrà* dicemus. Ita cum
4 Suario, & aliis, Trullenc. *ubi ſuprà num.* 3.

Dices qui falſo jurat non poteſt habere voluntatem invocandi Deum in teſtem: ergo voluntas invocandi Deum in teſtem non requiritur ad juramẽtum: probatur antecedens, quia qui falſo jurat dare cognoſcit hanc teſtificationem divinæ veritari repugnare, & de objecto impoſſibili voluntas haberi non poteſt. Item quam ſecuritatem homines haberent in juramentis ſi eorum eſſentia penderet ab intentione ſecreta jurantis, facile enim deludi poſſunt exiſtimantes vera eſſe juramenta, cum tamen non ſint ob defectum intentionis. Reſpon-
5 deo neminem poſſe habere voluntatem abſolutam, Deus falſum teſtetur, ut poſſe eam voluntatem habere, quatenus eſt ex ſua parte, & in hoc conſiſtit perjurij graviſſima malitia. Ad inſtantiam Reſponderur, quod eſto hominibus ſecreta intentio jurantis cognita non ſit, eſt tamen omnibus notum, quemlibet jurantem obligationem habere jurandi vere, abſque ulla fictione, & hoc ſufficit ad veritatem, ſicut licet veritatem, vel falſitatem rei juratæ homines non cognoſcant, quia tamen cognoſcunt obligationem, quam habet jurans verum jurandi, ea de cauſa juramentum expoſtulant, ut de veritate jurata ſecuri ſint.

Adverte tamen hanc invocationem divini no- 6
minis, ſi comparatione Dei fiat, nec verbis, nec aliis exterioribus ſignis indigere, ſed ſolum actu intellectus, & voluntatis completur, ſi tamen de obligatione, quoad homines loquamur, dubium eſt an ſufficiant, quod fiat ſignis, an ſemper neceſſario faciendum ſit verbis? Communis ſententia docet ſufficere nutus, & ſigna indicantia juramentum. Ita cum Azor. Sanch. & aliis Fagundez, *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. Ratio autem eſt, quia nec leges, nec canones ad obligationem juramenti verba requirunt. Quare ſi aliqua jura hoc videntur indicare, intelligenda ſunt non ea requirere ad inducendam obligationem, ſed ad majorem, & certiorem juramenti profuſionem, & matem mentis declarationem.

SECTIO II.

Quotuplex ſit juramentum.

SUMMARIUM.

7 *Ponuntur diviſiones juramenti ex parte modi jurandi.*

8 *Omnes diviſiones juramenti in ratione juramenti non differunt ſpecie.*

9 *Juramentum ex parte rei juratæ dividitur in aſſertorium, promiſſorium, & comminatorium.*

10 *In omni juramento promiſſorio inducitur aſſertorium.*

Dico primò: Iuramentum ex parte modi juran- 7
di dividitur in ſimplex, & ſolemne. Iuramentum ſolemne vocatur, quod fit cum aliqua notabili circunſtantia, tactis Evangeliis, ara, cruce, &c. Et ſimplex quod omni hac circunſtantia caret, & in quo nomen Dei ſimpliciter invocatur. Secundo dividitur in judiciale, & extrajudiciale. Tertio in juramentum per Deum, vel per creaturas. Quarto in juramentum abſolutum, & conditionarum, Quinto in juramentum per ſimplicem conteſtationem, & per execrationem. Iuramentum conteſtatorium eſt, in quo Deus conteſtatur, & ut teſtis ſolum invocatur, ut cum quis dicit teſtor Deum, teſtis ſit mihi Deus, juro per Deum, per Evangelia &c. Execratorium huic conteſtatorio juramento ſuperaddit imprecationem pœnæ, cui jurans ſe ſubjicit, ſi falſum fuerit quod affirmat, ut ſi dicat, peream, non moveat hinc, Dæmon me arripiat, per animam, per vitam, vel ſalutem meam, vel meorum cognatorum, ita me Deus amet, adjuvet, vel ſit proprius. Senſus namque eſt, ſi ita non eſt, ut aſſero Deus det mihi, vel meis mortem, non me amet &c. Ita communiter DD.

Adverte tamen hæc omnia juramenta in ratione 8
juramenti

juramenti non differre ſpecie. Nam cum Eſſentia juramenti conſiſtat in invocatione divini teſtimonij, quod invocetur hoc vel illo modo, per accidens eſt ad rationem juramenti. Unde non tenentur in confeſſione neceſſario illos modos explicare. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliqua malitia ex alio capite tali juramento addatur, ut quando quis jurat per Chriſti pudenda, nam ultra malitiam periurij, ſi tale juramentum falſum fuit, addit malitiam blaſphemiæ, quæ neceſſario in confeſſione explicanda eſt. Item qui falſo jurat in judicio etiam tenetur hoc in confeſſione explicare, nam eſto illud judicium non cederet in tertij præjudicium, continet tamen malitiam alterius ſpeciei, ſcilicet inobedientiam; nam ex obedientia tenebatur vere reſpondere, vel ex juſtitia legali. Ita Sanchez *lib. 3. moral. cap. 1. num.* 9. & cum aliis Baſæus *verbo juramentum 1. num.* 8. Palaus hic *d. 1. p. 2. num.* 2.

Dices qui falſo jurat execratorie committit aliam malitiam ſpecificam à juramento: ergo tenetur eam in confeſſione explicare, patet antecedens, quia jurans falſo, interpoſita vita propria, vel parentum invocat Deum, ut ſe, ſuoſque parentes vita privet, ſi mentitur, vel fallit in aſſertione, ſed talis invocatio eſt contra charitatem propriam, vel contra pietatem: ergo eſt malitia, diſtincta neceſſario in confeſſione manifeſtanda. Reſpondetur cum Valentia *d. 6. qu. 7. p. 2.* negando illam petitionem, ſeu juramentum eſſe contra charitatem. Ratio eſt, quia jurans petit, quod meretur ob injuriam illatam, qui enim falſo jurat qualibet pœna dignus eſt, ergo petitio pœnæ illi debitæ in ſatisfactionem injuriæ divinæ juſtitiæ factæ, contra charitatem, aut pietatem eſſe non poteſt.

9 Ex parte materiæ, ſeu rei juratæ communiter DD. diſtinguunt duplex juramentum, aliud aſſertorium, aliud promiſſorium, alij tertium adducunt nempe comminatorium. Aſſertorium eſt, quando quis aliquid aſſerit, vel negat ſive præſens, præteritum, vel futurum, ut ſi juret pluviam fuiſſe, vel fore, nam quod de facto affirmat eſt ſe ſcire, vel cognoſcere pluviam eſſe, fuiſſe, vel fore futurum, nam ſi daremus illum id non cognoſcere, etſi de facto fuiſſet, vel foret, ſine dubio falſo juraret; Promiſſorium eſt quo confirmamus noſtram promiſſionem, ac proinde reſpicit tempus futurum, in-
10 ducitque in poſterum obligationem. In omni tamen juramento promiſſorio includitur aſſertorium, nam in promiſſorio, & affirmo me de præſenti habere animum faciendi, quod promitto, & invoco Deum, ut fidejuſſorem promiſſionis meæ in futurum. Comminatorium juramentum dicitur, quod pœnam alteri comminatur, quod juramentum reducitur ad promiſſorium, quia eſt vera, & abſoluta promiſſio de pœna alteri infligenda.

SECTIO III.

Vtrum juramentum purè aſſertorium differat ſpecie à promiſſorio.

SUMMARIUM.

11 *Juramentum purè aſſertorium non differt ſpecie à promiſſorio.*
12 *Quid addat promiſſorium aſſertorio?*
13 *In eodem actu non poſſunt eſſe duæ rationes formales juramenti ſpecie diverſæ.*
14 *Quando in eodem actu poſſint reperiri duæ ſpecies diverſæ.*

DIco primò juramentum pure aſſertorium non 11
differt ſpecie à promiſſorio, ſed promiſſorium tantum addit aſſertorio, quandam majorem efficaciam, ſiquidem Deus non adhibetur tantum ut te- 12
ſtis, ut ſit in aſſertorio, ſed velut fidejuſſor, hæc tamen differentia eſt materialis, & individualis. Et idem dicendum eſt de juramento in futurum, quod non includit promiſſionem reſpectu juramenti includentis promiſſionem. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract. 4. lib. 1. d. 2. num.* 13. Baſæus *verbo juramentum 1. num.* 8. & cum aliis Leander *de juramento tract. 1. d. 2. quæſt.* 3. contra Palaum *d. 1. p. 2. n.* 7. Ratio eſt quia eſſentia juramenti, qua tale, conſiſtit in invocatione Divini teſtimonij: ergo quod hæc invocatio fiat ad firmandam rem præſentem, vel futuram, per accidens eſt.

Tum quia, ſi hæc juramenta ſpecie differrent, 13
jam in juramento promiſſorio in eodem actu invenirentur duæ rationes formales juramenti diverſæ ſpeciei; ſed hoc repugnat: ergo probatur minor, quia licet non repugnet in eodem actu reperiri duas ſpecies diverſas, ut ratio periurij, & blaſphemiæ, repugnat tamen ut dentur duæ rationes formales 14
juramenti ſpeciei diverſæ in uno juramento, ut bene advertit cum Suario, Tancred. *ſuprà* contra Palaum ergo.

SECTIO IV.

De variis formulis ſeu modis jurandi.

SUMMARIUM.

15 *Formulæ jurandi ad duo capita reducuntur, & qualia ſint?*
16 *Aliqua ſunt verba, quæ ex communi modo loquendi non continent juramentum, & qualia ſint?*
17 *Abſolutè proferens verbum juro, & ibi ſiſtens non cenſetur jurare, niſi ex circumſtantiis aliud colligatur.*
18 *Ponuntur aliqua verba in quibus eſt dubium an ſit juramentum.*
19 *Aliqua ſunt verba indifferentia, quæ aliquando continent juramentum, aliquando non, & quomodo id intelligatur?*
20 *Verba quibus quis D. veritati humanam comparat quibus caſibus ſint juramentum?*
21 *An ſit blaſphemia jurare per creaturas?*
22 *An juramentum per Deum, & creaturas differant ſpecie?*
23 *Quid ſi creatura ſint, in quibus Deus ſpecialiter relucet?*

DIco primò: Formulæ jurandi ad duo capita 15
reduci poſſunt; aliæ enim ſunt de quibus conſtat apud omnes eas habere vim juramenti, aliæ vero de quibus dubitatur, an contineant vim juramenti. Primi generis ſunt, juro per Deum, teſtis ſit mihi Deus, vivit Deus, aut vivit anima mea, per animam meam, per templum, per cœlum, ſicut credo in Deum, per fidem Chriſti, vel Dei, per habitum divi Petri, D. Franciſci, per ſanctos, per ordines, per manus ſacras, per ſacramenta, ſic Deus me adjuvet, morior ſtatim, faciant namque hæc verba hunc ſenſum: Deus non me adjuvet, vel in vita

Digitized by Google

vita conſervet, ſi ita non eſt; Hæc autem verba non credo in Deum, renego Deum, vel Sanctos, vel Deus eſt injuſtus, niſi hoc ita eſt, vel ſi te non percuſſero, aliqui dicunt non continere blaſphemias quia ſunt conditionalia, ſed verius dicendum eſt eſſe blaſphemias. Ita cum aliis Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 2.* Ratio eſt quia in illis verbis includitur tacite affirmativa propoſitio negandæ fidei ſi in eo eventus non ſequatur vindicta illa percuſſionis.

Et idem dicendum eſt ſi quis dicat. *Per vida de Deos, de S. Pedro que iſto he aſino*, nam tribuit Deo quod non habet, facit enim hunc ſenſum, Deus, amittat vitam, ſi hoc ita non eſt, quod quidem blaſphemia eſt. Idem dicendum eſt de illis, pœniteat Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos, *Magrado tenha San Pedro*, propter eandem rationem. Idem dicendum eſt de eo, qui jurat per pudenda Chriſti, vel ſanctorum, nam licet Chriſtus illas partes habeat habet tamen illas, ut naturales, & non ut ignominioſas, & jurans ex modo loquendi, vituperium Chriſto tribuit, & Sanctis, quod adeo verum eſt, ut etiam blaſphemia ſit, ſi ea quis ſimpliciter nominaret, aut enunciative proferret. Ita cum Caietano, Sanchez, Fagundez *ſuprà num. 11.* quia in ratione vituperij utrumque falſo dicitur.

An vero quando jurant per membra honeſta Dei, & Sanctorum, ut per caput, per barbam, per capillos, per ſanguinem, per corpus, per inteſtina committant blaſphemiam? Tum quidem ſi jurans intenderet jurare per membra Dei, ut Deus eſt eſſet blaſphemus, quia tribueret Deo, quod non habet, nequaquam tamen ſolent homines jurare in hoc ſenſu, ſed per membra illa honeſta, quæ habet Chriſtus, quatenus homo, & tunc quidam affirmant adhuc ſic eſſe blaſphemiam. Ita Menoch. Azevedo, Covar. quos refert Leander *in Decalog. p. 2. tract. 1. d. 5. quæſt. 20.* Contraria tamen ſententia verior eſt, nihil enim Chriſto, vel ſanctis tribuitur, quod non habeant, nec ſenſus per hæc verba eſt execratorius, ſicut quando juratur per Deum. Ita cum multis Leander *ſupra quæſt. 30.* niſi aliàs illa Chriſti membra irriſorie ſumantur, nam tunc, non ſolum jurare per illa, ſed illa irriſorie nominare, erit blaſphemia.

16 Dico ſecundò: alia ſunt verba, quæ ex communi modo loquendi accepta, non continent divini teſtimonij invocationem, ac per conſequens non ſunt juramenta, ut ſi quis diceret, per fidem meam, in fide boni viri, boni Religioſi, in bona fide jurata, in fide boni Chriſtiani, boni ſacerdotis &c. hæc enim omnia hunc ſenſum faciunt, juxta fidem, quæ adhibenda eſt homini probo, Religioſo, ſacerdoti, hoc ita eſt. Idem eſt, ſi dicat in mea conſcientia, ſeu per meam conſcientiam, denotat namque loqui juxta id, quod ſcit, & cognoſcit. Si tamen dicat in periculo animæ meæ, *ſobre minha alma, que iſto he aſino*, ſunt juramenta, facit enim hunc ſenſum, hoc damnum patiatur anima mea, ſi ita non eſt, ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *ſuprà num. 9.* Si tamen hæc verba non proferantur execratoriè, ſed ad reddendum aliquem certum, & tutum circa aliquam opinionem amplectendum, ut cum dicimus, *en tomo iſto ſobre minha alma*, in conſcientia, non eſt juramentum, Ita cum aliis Fagundez *ibi*, & cum aliis communiter Tanced. *tract. 4. lib. 1. diſp. 4. n. 16. & 19.*

17 Dico tertiò: Si abſolutè proferas verbum juro, & ibi ſiſteres, abſque Divini nominis invocatione, non cenſeberis jurare, ſiquidem depreſſio linguæ, & ultra non progreſſio, clare indicant te noluiſſe nomen Domini invocare, hoc tamen debet intelligi niſi ex circunſtantiis aliud intelligatur, nam ſi interrogatus ſub juramento de veritate dicas juro ita eſſe, ſine dubio eſſet juramentum; quia tunc verbum, juro, ſatis eſſet determinatum ad juramentum. Ita communiter DD. Hinc à fortiori ſequitur, non eſſe juramentum, ſi verbo, juro addatur aliquid per quod illius rigoroſa ſignificatio temperetur, & denotetur. Divinum teſtimonium non invocari. Ita Fagundez *ſuprà num. 5.* ut ſi dicas *juro a tal, juro amin, juro à Deos, juro aquen ſea, juro per non Deum, juro por non Dens, juro à S. Petro de ſuum palle, juro pel la hoſtia conſalmada, por ſuum feſto de hoſtias non conſagrados, pel los Sanctos Evangemos, pel lo Ceo da baca, Por San Iunco, por ſon ece*, niſi alios jurans intelligat Sanctum illius Dici. Idem eſt ſi verbo juro addatur, *juro per eſtas barbas, juro aquen ſea, juro per mim*, vel ſi quis dicat, *juro por a vida de quanto poſſo jurar*, nam cum per nihil ſine neceſſitate poſſit jurare, per nihil ſequitur jurare. Ita communiter DD. apud Palaum, Trullenc. & Fagundez *ſuprà*.

An vero ſint juramentum illa verba, *Par Deus que hiſto he aſim?* Affirmant Alcozer, Sanchez, & 18
Fagundez, *ſuprà num. 7.* quia illa propoſitio facit hunc ſenſum, *per Deus que iſto he aſim*, illa vero verba, *por Deus que ſim, por Deus que he rija* cauſa, dicendum eſt non eſſe juramenta, ſed modi oſtendendi tedium. Sic etiam non eſt juramentum, ſi quis dicat, per has barbas, per has veſtes, per filum hujus meæ tunicæ, per hunc capillum, per hanc paleam, per calceos, per paſſares, per lac quod ſuxi, per hunc ignem, per hunc panem, per hunc aërem, per hanc pluviam, per hanc terram. Ita Sanch. Suarez, Sayrus, Rodriguez, quos refert, & ſequitur Fagundez *ſuprà*. Sed debet intelligi dummodo Deus non adducatur in obliquo dicendo per hunc panem Dei, per terram Dei, vel per aërem Dei, nam tunc verum erit juramentum, quia nomen Dei in obliquo poſitum facit, ut Deus ut illius creaturæ conditor, adducatur in teſtem.

Adverte tamen, hæc omnia eſſe intelligenda, niſi quis ſpecialiter per hæc verba intendat jurare, nam qualemcumque creaturam vero animo jurandi advocamus in teſtem veritatis, verum eſt juramentum, quia adducitur illa, ut refertur in Deum. Ita cum Sanchez, Suario, Fagundes, *ſuprà num. 29.* adverte tamen non eſſe licitum per quaſcumque viles creaturas, etiam ut referuntur in Deum jurare, ut per hanc paleam Dei, quia non ſunt convenientes creaturæ ut divina Bonitas in eis repræſenteur, alias licitum eſſet jurare per ſimulacra, per dæmones, per Idola. Adverte etiam, quod ſi per dæmones per Mafomam, per Idola, ut ſunt Dei creaturæ jurares, peccares quidem mortaliter, quia videris has creaturas honorare, juramentum tamen tenet, ita cum Sanchez, Suario, Fagundez, *ſuprà*, fideles tamen uſurpantes has creaturas ad jurandum, illud faciunt cauſa irriſionis.

Dico quartò: Alia ſunt verba indifferentiæ, quæ 19
aliquando juramentum continent, aliquando non, quod ex modo proferentis, & ex ejus intentione pendet. Hæc ſunt ſi dicas, coram Deo ita eſt, Deus ſcit, & videt hoc ita eſſe, Deus mihi teſtis eſt, vivit Deus, Deus eſt veritas quod hoc ita ſit, quæ omnia, ſi ea proferas invocativè, ſine dubio ſunt juramenta; at ſi ea proferas enuntiativè, enuntias Deum ſcire, cognoſcere, & eſſe teſtem illius rei, ac in ejus præſentia fieri nullo modo ſunt juramenta. Ita cum Sà, Sanchez, & aliis Palaus, *ſuprà*

n. 4. Idem dicendum eſt de illis verbis, *que me matan, ſe eſto non he aſin*, nam ſi per modum execrationis dicantur ſunt juramentum, faciunt namque hunc ſenſum, Deus me interficiat, ſi ita non eſt. Secus dicendum eſt, ſi ſolum ſponſionem, & quaſi pœnæ infligendæ oblationem contineant, faciunt namque hunc ſenſum morti me offero, ſi verum non ſit, & in hoc ſenſu communiter uſurpari hæc verba teſtatur Sanch. & Palaus, *ſuprà*.

Item illa verba *fatos ani os vennaon por minha alma, como vos tendes de cruſados*, & illa *melhor me guarde amum Deos, e mais hemme faſa, e mais ventura tenha ea, doque iſſo he aſim*, nam etſi aliquando hæc verba poſſint continere execrationem, regulariter tamen non continent, ſed ſolum enuntiative proferuntur, petendo à Deo Angelorum receptionem, & ſpecialem Dei cuſtodiam, quæ omnia Sanchez, quem refert, & ſequitur Palaus *ſuprà*, ut alij communiter. Illa vero verba, quibus pueris minamur, digito naſo appoſito, *por eſta que mo aveis de pagar*, non continent juramentum, quia non intendimus juramentum facere, ſed eſt quidam comminandi modus. Idem dicendum eſt quando aliquis dicit, *por eſta cruz*, nullam de induſtria faciendo crucem, quia tunc non ſimpliciter juratur per crucem, ſed per crucem tunc formatam, quæ cum minime formata ſit, nullum efficitur juramentum.

20 Major eſt difficultas de illis verbis, quibus quis divinæ veritati humanam comparat, ut ſi dicat, hoc verum eſt, ſicut verum eſt Evangelium vel ſicut Chriſtus eſt filius Beatæ Virginis. Quo caſu ſi intendat tantam eſſe veritatem in his dictis, quantam in Evangeliis; ultra juramentum contineret blaſphemiam. At ſi ſolum hæc enuntiando proferat, ut communiter proferri ſolent, affirmando inquam veritatem humanam eſſe inſtar divinæ veritatis, eique aliqualiter aſſimilari, nequaquam jurare cenſetur, debet tamen ab his locutionibus abſtineri. Illa vero verba, *voto a Deos*, non eſt votum, ſed juramentum, nam cum materia non ſit capax voti, hinc fit non eſſe votum ſed juramentum?

21 An vero ſit blaſphemia jurare per creaturas? Reſpondeo creaturas tripliciter ſumi poſſe, primo ſecundum ſe, ſine reſpectu ad Deum, ſecundo cum tali reſpectu, tertio putando in illis divinitatem: ſi primo modo ſumantur, non eſt juramentum, quia cum ſint irrationales, non poſſunt adduci in teſtes, ſi ſecundo modo ſumantur eſt verum juramentum, & licitum, ſi debitis ornetur circunſtantiis, quia ut ſic tacite invocatur Deus, ut in illis relucet. Si tertio modo ſumantur, eſt blaſphemia; nam tribuitur illis divinitas Dei propria. Et hinc eſt ſemper eſſe mortale jurare per dæmonem, ſive juramentum ſit execratorium, ſive atteſtatorium, quia per hoc juramentum honor Dei videtur tribui Diabolo, ut cum Suario, Reginaldo, & aliis notavit Trullenc. *ſuprà*. Iurare tamen per Deos falſos ioco, non eſt peccatum, majus tamen peccatum eſt jurare verum per Deos falſos, quam falſum per Deum verum, quia primum eſt blaſphemia, & ſecundum periurium.

22 Si tandem Quæras, an juramentum per Deum, & creaturas differant ſpecie? Reſpondeo negative cum communi ſententia: nam idem Deus formaliter loquendo eſt per quem juratur in utroque juramento, & ſolum materialiter differunt, quatenus in uno invocatur tacite, & in altero explicite. Si tamen inquiras quomodo dignoſcendum ſit, quando quis jurat per creaturas, quod jurat per illa, ut in eis relucet Deus, vel ſecundum ſe. Reſpondeo quod quoties juratur per creaturam, quæ aliquam inſignem habet dignitatem à Deo, & in qua excitatur peculiari quodammodo memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc fit relatio ad Deum, & fit verum juramentum; Secus, non ita, & ideo qui jurat, per barbas, per aërem &c. non vere jurat, ut *ſuprà* diximus, bene tamen, qui jurat per Evangelia, & per beatos &c. Ita & bene Tamborinus *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. §. 3. *n.* 2.

Adverte tamen hanc doctrinam debere intelligi, ſi qui jurat per eas creaturas, in quibus ſpecialiter Deus relucet, habuit intentionem invocandi Deum in teſtem, nam ſi talem intentionem non habuit, ſed ſolum materialiter protulit, in foro conſcientiæ non juravit, etiam implicite, ſed tantum materialiter; unde hoc à confeſſoribus examinandum eſt. Sed quid, ſi nec habuit intentionem, nec omiſit habere, ſed præſcindit, quia non advertit, vel neſcit? Reſpondeo quod ſi jurat per Sanctos, vel res ſacras, implicite jurat, ſi per alias res, ut per vitam, conſcientiam, cœlum, &c. & ſit vir rudis, vere non jurat. Ita Tamborinus *ſuprà num.* 10. 23

SECTIO V.

Vtrum juramentum ſit actus licitus, & honeſtus?

SUMMARIUM.

24 *Iuramentum eſt actus virtutis.*
25 *Chriſtus tantum prohibuit juramentum ſine neceſſitate.*
26 *Iuramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium.*
27 *Iuramentum non eſt adhibendum, niſi gravis cauſa, neceſſitas ve id expoſtulet.*

RElictis hæreticorum erroribus, qui olim docuerunt non eſſe licitum jurare. Catholica veritas docet, juramentum actum eſſe virtutis, ſi cum debitis circumſtantiis fiat, conſtat ex capite 9. Deuteronomij, *Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis*, & Pſalmo 62. *Laudantur omnes qui jurant in eo*, eaque de cauſa ſæpe Sancti Patres jurarunt ad firmandos contractus, Abraham, Iſaac, Jacob, *Geneſis* 21. 26. & 31. & in lege ſcripta Moyſes *Deuteronomio* 4. & in lege Garciæ Palaus 2. *ad Corinthios* cum dixit, *ego autem teſtem Deum invoco in animam meam*; & confirmatur ex uſu totius Eccleſiæ, & omnium gentium, ut ait Apoſtolus ad Hæbreos 6. *omnis controverſia finit eſt juramentum.* Ratio concluſionis eſt, quia noſtris dictis, quæ fallibilia ſunt, opus erat firmitatem certam tribuere; ſed nulla alia via obtinere poteramus, quam Divinæ authoritatis interpoſitione: ergo juſtum, & conveniens erat, ad hanc finem divinam authoritatem implorare. 24

Nec obſtat illud *Matthæi V.* ubi dicit Chriſtus, *ego dico vobis non jurare omnino* Et Jacobi I. *nolite jurare quodcunque juramentum.* Nam Chriſtus, & Apoſtolus, non prohibuerunt ibi abſolute juramentum, ſed juramentum ſine neceſſitate, putabant namque Judæi juramentum præcipue per creaturas factum, licitum eſſe in quacunque occaſione, à quo errore eos liberare intendens Chriſtus dixit, *nolite jurare omnino*, hoc 25

eſt

est, nisi necessitas urgeat. Eodem modo debent explicari verba Apostoli Jacobi, & authoritates Sanctorum, quæ ab hæreticis afferuntur, non enim dicunt juramentum absolute esse illicitum, sed juramentum factum sine debitis circunstantiis, quod nos etiam dicimus.

26 Adde juramentum non esse simpliciter necessarium sicut est spes, fides, & charitas, obedientia, oratio, &c. Sed tantum est necessarium suppositа
27 humana infirmitate. Vnde adhiberi non debet, nisi gravis causa necessitasve id expostulet, sicut medicina corporalis non adhibetur absque necessitate, alioquin periculosa est, sic & juramentum. Ita cum communi sententia Leander *de juramento tract.* 1. *d.* 1. *quæst.* 19.

SECTIO VI

Vtrum ad honestatem juramenti veritas, justitia, & judicium requiratur?

SUMMARIUM.

28 *Juramentum ut sit actus virtutis debet illud comitari veritas, justitia, & judicium.*
29 *Quid nomine veritatis intelligatur?*
30 *Quid nomine justitiæ intelligatur?*
31 *Quid nomine judicij intelligatur?*
32 *Ponuntur circunstantiæ, quibus saltem juramentum in foro judiciali fieri debet?*

28 DIco primo: Juramentum ut sit actus virtutis tres debent illud circunstantiæ comitari, scilicet, veritas, justitia, & judicium est communis inter Doctores, & sumitur ex illo Jeremiæ IV. *vivabis, vivit Dominus in justitia, in judicio, & in ve-*
29 *ritate.* Requiritur igitur primo veritas, quia per juramentum Deus in testem adducitur tanquam prima, & infallibilis veritas. In juramento tamen promissorio debet inveniri veritas dicti, ita ut is, qui promisit habeat animum promittendi, & veritas facti, ut quod promissa adimpleat, ita cum communi sententia Tancred. *tractatu* 4. *lib.* 1. *d.* 1. *num.* 74.

30 Dico secundò: secunda circunstantia ad juramentum est justitia ex parte materiæ, quæ confirmatur. Nomine autem justitiæ intelligitur, quod materia proxima juramenti debet esse licita, & honesta, & justa, dixi, materia proxima, nam aliquando materia remota poterit esse illicita, ut si quis asseratur, ut juret an Petrus commiserit adulterium, vel stuprum: materia tamen proxima, hoc est ipsa assertio, debet esse licita, & justa, tam in juramento assertorio, quam promissorio, verbi gratia, dum quis jurat fuisse commissum stuprum, non inique faciat revelando secretum proximi. In promissorio autem, non debet promittere facturum rem iniquam, ut si juret se alterum injuste occisurum. Ita cum communi sententia Tancred. *suprà num.* 15.

31 Dico tertiò: ad honestatem integram juramenti necessarium etiam est, ut fiat cum judicio, hoc est, cum debita, & prudenti consideratione, manifestum namque est ad omnem actum virtutis requiri prudentiam, prudentia namque est auriga virtutum. Tum autem juramentum fit cum prudentia, quando fit cum veritate, & cum justitia, cum necessitate, & utilitate, & illis circunstantiis, quibus saltem in foro judiciali fieri jubemur, hæ autem circunstantiæ omnes in his versiculis continentur.

Sit jusiurandum licitum, discernere notato,
Quis, cui, quid, per quod, ad quid, cur,
quomodo, quando.

Quis, id est persona jurans, an sit illi prohi- 32
bitum jurare in judicio; Cui, id est, persona in cujus manibus fit juramentum, juramentum namque in judicio fieri debet coram judice competente; Quid, id est, quod materia sit res honesta, Per quod, id est, quod fiat per Deum, vel per creaturas, quatenus ad Deum referuntur. Ad quid, id est, finis juramenti, qui licitus esse debet, & necessarius; Cur, id est causa concomitans, & movens ad jurandum, quæ causa etiam licita esse debet; Quomodo, id est quod fiat libere, & non per vim, aut timorem, aut subito iracundiæ motu. Quando, id est tempus in quo emitti potest juramentum solemne, nam hoc non potest emitti diebus dominicis, nisi magna necessitas, aut causa pia aliter suadeat, ut *infrà* dicemus. Veruntamen hæ conditiones non omnes requiruntur ad omne juramentum, sed ad illud quod fieri debet cum solemnitate. In juramento tamen, quod non fit cum solemnitate sufficit, quod inveniantur tres illæ conditiones veritas, justitia, & judicium, ac proinde solum de illis ex professo agemus.

SECTIO VII.

Quòd peccatum sit defectus veritatis, justitiæ, & judicij in juramento assertorio?

SUMMARIUM.

33 *Juramentum assertorium cui deest veritas semper est peccatum mortale.*
34 *Veritas in juramento assertorio non sumitur ex confirmatione juramenti cum re certa in se, sed in mente jurantis.*
35 *Ad assertorium formaliter verum sufficit quod prudenter res ita existimetur.*
36 *Quando defectus justitiæ in juramento assertorio sit peccatum mortale?*
37 *Defectus judicij si præcisè consideretur nunquam excedit limites peccati venialis.*

DIco primo: Iuramentum assertorium, cui deest 33
veritas, semper est peccatum mortale, sive fiat in judicio, sive extra, sive fiat serio, sive jocosè, sive ob utilitatem suam, sive alienam, sive ex levitate, aut excusandi, & se purgandi causa, sive ob amorem, aut timorem fiat, sive materia sit gravis, sive levis, imo gravius peccatum est in re levi, nam major injuria irrogatur divinæ bonitati. Ita communiter Doctores. Ratio autem est, quia adducere Deum in testem mendacij est intrinsecè malum, ac proinde ex nullo fine etiam bono potest cohonestari; quia licet in homine dicere leve mendacium esset levis culpa, in Deo tamen esset summa imperfectio, inducens primam veritatem: ergo qui eum affert in testem mendacij, etiam levissimi, si hoc faciat ex advertentia, tacite protestatur ipso facto, vel Deum non omnia scire, vel non esse primam veritatem,

cum mentiri poſſit, in quo ut vides ingentem illi confert injuriam.

Dixi ſi hoc faciat ex advertentia, nam mendacium in juramento aſſertorio, non tantum deſumitur ex confirmatione juramenti cum re certa in ſe, quam in mente jurantis, poteſt namque jurare rem aliter quam à parte rei eſt, & non obinde falſum jurare, quia prudenter exiſtimavit ſic ſe habere; & è contra jurare quis poteſt rem, ut eſt in ſe, & falſo jurare, ſi prudenter exiſtimavit rem aliter ſe habere. Ratio autem eſt, quia actus voluntatis non ſpecificatur ab objecto prout eſt in re, ſed prout eſt in apprehenſione per intellectum; ſed in illo caſu juramentum verum eſt in ordine ad intellectum jurantis: ergo.

34 Dixi ad juramenti veritatem, quemlibet obligatum eſſe affirmare rem ſecundum quod prudenter exiſtimat ſe habere, non enim ad aſſertionem formaliter verum notitia mathematica, & omnino infallibilis requiritur, alias vix poſſet quis jurare, ſed ſufficit ſi prudenter, hoc eſt ſi ſecundum probabilem rationem ita eſſe arbitretur. Ita cum communi Leander *tract.* 1. *d.* 7. *quæſt.* 8. Unde qui tantum rem ſub dubio ſcit, non poteſt illam ſine perjurio affirmare ut certam, neque qui illam ex teſte fide digno ſcit, poteſt in judicio aſſimare ut certam, ſed ſolum ut eam ſcit, bene tamen in juramento particulari, ut cum Diana, Hurtado docet Leander *ſupra q.* 10.

35 Et hinc deduces deciſionem caſus frequenter contingentis, non eſſe inquam neceſſarium teſtificantibus de aliquo ſcholaſtico confluxiſſe ad ſcholas toto tempore requiſito ad curſum faciendum videre eum ſingulis diebus, ſed ſufficere ſi communiter viderint ſcholas adeuntem, inde enim rationabiliter credunt univerſitatis ſtatuto, quod eſt ut majori anni parte in ſcholis verſentur, ſatisfeciſſe. Non tamen ſatisfaciunt juramento, ſi ſolum audierint à fide digno, illum ad ſcholam adjiciſſe, quia eſt juramentum in judicio. Ita cum communi ſententia Leander. *tract.* 1. *d.* 7. *q.* 9.

36 Dico ſecundo: Licet aliqui DD. aſſerant defectum juſtitiæ in juramento aſſertorio, eſſe mortalem, vel venialem, ſecundum quod narratio confirmata juramento mortalis, vel venialis fuerit, ut ait Toletus, Sotus, Ledeſma, quos refert Palaus *d.* 1. *de juramento p.* 5. *num.* 4. Reginald. Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Trullench. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 5. Verum probabilius eſt, defectum juſtitiæ, non eſſe ſumendum in juramento aſſertorio ex eo, quod juramentum confirmet narrationem, quæ mortalis ſit, vel venialis, ſed ex eo, quod ſumatur, ut inſtrumentum peccandi, ut ſi quis infamet proximum, narrando veritatem occultam, & ut credibilior fiat infamiam, vel detractionem juramento firmet, & hunc abſque dubio ſi detractio, vel revelatio proximi fuerit in materia gravi, grave peccatum erit tale juramentum. Ita cum Sanch. Suarez, & aliis Palaus *ſuprà num.* 4. Raphaël de la Torre *quæſt.* 98. *art.* 3. *d.* 3.

37 Dico tertio: Defectus judicis, qui in eo ſitus eſt ut juramento deficiat cauſa honeſta, & utilis ad jurandum, ſi præcisè conſideretur, nunquam excedit culpam venialem, tam in juramento aſſertorio, quam promiſſorio, quia non videtur gravis irreverentia Deo fieri, quod ejus nomen abſque neceſſitate invocetur, ſi juſte, & vere invocatur. Ita communiter DD. apud Palaum *ſuprà*. Dixi non excedere culpam venialem, ſi præcisè conſideretur, quia ſæpè ex hujuſmodi defectu naſcitur negligentia in inquirenda veritate, & juſtitia ad juramentum requiſitis], & tunc ſi negligentia gravis ſit, peccatum erit mortale, non tam ratione defectus judicij, quam ob periculum falsò jurandi, ſi tamen ſolum fuerit negligentia levis, etiam erit peccatum leve.

SECTIO VIII.

Quale peccatum ſit in juramento promiſſorio defectu veritatis, & juſtitiæ?

SUMMARIUM.

38 *Defectus veritatis præſentis in juramento promiſſorio ſemper eſt mortalis.*
39 *Quid ſi quis juret commiſſurum grave peccatum?*
40 *Quid ſi juret fracturum brachia filij?*
41 *Ponuntur quædam corollaria.*
42 *Quando res promiſſa cum juramento eſt gravis tenetur eam jurans exequi ſub mortali.*
43 *Quid ſi res promiſſa ſit levis?*
44 *Defectus juſtitiæ in juramento promiſſorio, ſi materia promiſſa eſt gravis, eſt peccatum mortale.*
45 *Quid ſi materia levis ſit?*
46 *Ponuntur quædam corollaria.*

Dico primo: Defectus veritatis in juramento promiſſorio ſemper peccatum mortale, ſive res promiſſa ſit magna, ſive parva, ſive licita, ſive illicita, quia in hac veritate juramentum promiſſorium cum aſſortorio convenit, ſicque peccat, mortaliter qui jurat ſe facturum aliquod malum grave, aut leve cujus exequendi non habet intentionem. Ita communiter. DD. apud Trullench. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Et hinc infert cum Sanchez, Trullench. minus malum ab eo committi, qui jurat ſe factum aliquod peccatum veniale cum animo exequendi, quam animo non exequendi, nam qui jurat animo exequendi peccat ſolum venialiter, ut ſtatim dicemus, qui vero jurat animo non exequendi, peccat mortaliter, quia deeſt veritas. 38

Sed quid ſi quis juret commiſſurum grave peccatum, debetne habere intentionem exequendi, ut non jurel falſum: Reſpondeo non poſſe jurare, quia ex ſuppoſitione, quod vult jurare, tenetur habere intentionem exequendi, quod promittit, quam intentionem cum licite non poſſit habere, non poteſt licite jurare, unde peccat jurando cum tali intentione, tum in deſiderio mali, quod promittit, tum ipſo juramento, ſiquidem deficit ei juſtitia, non tamen contra veritatem juramenti, ſi habetur intentionem rem malam exequendi. 39

Adverte tamen eum, qui jurat ſe fracturum oſſa, vel brachia filio, &c. non peccare, ſi aliàs habeat animum illum graviter caſtigandi, quia hæc verba dicuntur per Hyperbolem, & exaggerationem, quod à ſimili probari poteſt, cum quis aliquem laudat de agilitate, & juramento firmat eſſe, ſicut aquilam velocem, ut ſi dicat, *por Chriſto que he Fulano hun penſamento*, vel ſi dicat, *por Deos, que non darei eſta pena por hun Reino, vale hun Reino*, ſenſus enim enim eſt, eſt magnæ æſtimationis. Idem dicendum eſt de aliquibus verbis urbanitatis, ut cum aliquis, ut talteri deferat honorem jurat non ingreſſurum, niſi alter præce- 40

dat,

Digitized by Google

dat, & similia, nam sensus est, se non ingressurum, nisi mutet intentionem. Et idem dicendum est de aliis juramentis, quæ faciunt patres erga filios, illos infringendi, hoc est, nisi mutent intentionem, vel nisi illi emendentur.

41 Hinc fit quod ille qui juravit rem malam efficere, non teneri illam exequi; imo etsi promissio sit de re justa, aliquando non tenebitur illam exequi, quia mutatæ sunt circumstantiæ, cum quibus juramentum obligat. Secundo fit mutatio, quæ ex passione, vel etiam alios, qui ex impetu iracundiæ jurant, minantes aliis; cum vera tamen intentione adimplendi, non teneri servare juramenta, quia juramenta, ut sic, non habent materiam bonam, cum fiant causa vindictæ; sic autem jurantes communiter solum peccant venialiter. Ita cum Diana, Villalobos, Trullenc. *suprà num.*7. At si comminatio facta fuit de justa punitione, tenentur exequi, nisi alias mutentur circumstantiæ, quæ semper tacitè includuntur in omni juramento, censetur autem causa variata, quoties advenit causa non puniendi, ut si turbaretur pax domus, dummodo id non prævidерit, vel si jam non sit opus talis pœnæ, ut medeatur, malum, vel si filius jam est emendatus, aut veniam petit, aut amicus pro illo condemnationem impetravit, vel ob alias causas.

42 Dico secundò: quando res promissa cum juramento est gravis, & juxta certum est jurantem teneri illam exequi. Ita communiter DD. Ratio est quia violatio voti in re gravi, est grave peccatum: ergo à fortiori violatio juramenti, cujus obligatio
43 major est. An autem si res promissa sit levis, sit peccatum mortale illam non adimplere? affirmant Gabriel, Cajetan. Armilla, Valentia, Lessius, Bonacina, Reginaldus, quos refert Palaus *d. 1. p. 6. num. 6.* Secunda sententia distinctione utitur, affirmat namque, si materia promissa sit totalis, defectum in ejus executione peccatum esse, si vero sit partialis, esse veniale: nam defectus in materia partiali, & levi, non videtur sufficiens ad constituendum juramentum falsum; Ita Cajetan. Couvar. Cordoua, Sayro, quos refert Palaus *suprà*. Tertia tandem, & probabilior sententia docet, esse solum peccatum veniale, sive materia promissa levis sit totalis, sive partialis, hoc enim per accidens est, nam sicut, qui non exequitur promissum in materia totali, non adæquat executionem cum promissione, ita qui non exequitur totam materiam promissionis; & hanc sententiam tenent Navarr. Rodrig. Azor. Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *supra num.*7. Raphaël de la Torre *quæst.*98. *art.*3. *disput.*7. Arragonius, Ledesma, Alcozer, Henriquez, quos refert & sequitur Trullenc. *in Decalog. lib.*2. *cap.*7. & cum multis Diana *p.*4. *tract.*7. *resol.*7. Fagund. *in* 2. *præceptum lib.*2. *cap.*6. *num.*29. & cum aliis Leander *tract.*1. *d.*7. *quæst.*3.

Ratio fundamentalis est; quia qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente; si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc, quod animum mutet; cum ergo mendacium propriè non committat promissione, non adducit Deum in testem falsi, sed tantum infideliter agit, esse autem infidelem in re levi non est gravis injuria Dei, quia non destruitur aliquod Dei attributum, etiam in effectu hominis; non enim destruit veritatem, quia illo tempore cum executionem omittit, non adducit Deum in testem, quando vero promisit, verè adduxit, neque etiam destruit ejus fidelitatem, quia non invocat Deum, ut ipse promittat, sed solum invocat, ut assistat promissioni, ex qua assistentia provenit irreverentia, quæ Deo fit cum non impletur id, quod sub ejus authoritate promissum est: ergo.

Dico tertiò: Defectus justitiæ in juramento promissorio, si materia promissa est gravis, est peccatum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia qui rem gravem juramento promisit efficere, authoritate divina, divinoque testimonio se firmat in proposito peccandi mortaliter: ergo peccat mortaliter contra reverentiam Deo debitam; tum quia tenetur sub mortali non facere, quod curat, ergo perinde est, ac si falsò jurasset & in hac parte omnes conveniunt. 44

At si materia levis sit, eo quod vindicatio jurata levis sit, affirmat communis sententia solum esse culpam venialem; quia non videtur gravis injuria Deo fieri, quod quis ejus authoritate se firmet in proposito peccatum veniale committendi, præcipuè cum solum sub obligatione venialis culpæ teneatur juramentum illud non exequi. Sic innumeris relatis Palaus *suprà num.*10. Torre, & alij, quos refert, & sequitur Leander *de juramento tract.*1. *d.*7. *quæst.*38. 45

Hinc fit, tantum esse peccatum veniale juramentum de non præstando consilium aliquod Evangelicum. Nam licet sic juxans sumat divinum testimonium ad obsistendum divinæ voluntati, tamen quia hæc obsistentia alias peccatum non est, non videtur graviter divina majestas in testem adducta injuriari. Imò Addo, quod si quis omittat consilium Evangelicum, quia juravit omissurum, vel faciat peccatum veniale, quia juravit facturum, regulariter peccare venialiter, quia talis omissio procedit ex quadam ignorantia, qua credis sic juratum esse adimplendum, at si illam ignorantiam secludamus, existimo executionem rei illicitæ, vel omissionem Evangelici consilij, quia juratum est, per se peccatum mortale esse, est enim gravis blasphemia in reverentiam juramenti præstare, quod est contra juramenti religionem. Adde talem executionem continere tacite errorem in fide. Sic cum Sanchez, Palaus, *suprà num.*11. 46

SECTIO IX.

Quod peccatum sit in judicio vel extra juramentum præstare in alio sensu ab eo quem alius intelligit.

SUMMARIUM.

47 *Deus in judicio legitimè interrogatus non potest uti amphibologia.*

48 *Jurare etiam extra judicium sine necessitate, vel utilitate est peccatum saltem veniale, seclusa injustitia, vel alia circumstantia.*

49 *Quando detur amphibologia?*

50 *Jurare amphibologice, si adsint alij comites juramenti, non est peccatum.*

51 *Quid si amphibologia non in solis verbis consistat, sed sit necessarium ut aliquid mentale subintelligatur?*

52 *Quoties licitum est vel oratione ambigua, vel tacita restrictione, licitum est uti juramento, si necessitas, aut utilitatis causa id postulet.*

53 *Quædam corollaria ponuntur.*

54 *An in aliquo casu possit falsificari scriptura publica sine peccato.*

ſibi ſtare, ſubintelligendo, cum alia merce, quam habent, vel computatis omnibus expenſis. Ita Rebellus *lib.9.queſt.6. num.*8. Bonacina *d.*4. *queſt.*1. *p.*12. *num.*8.

Nonò: Quando quis inique interrogatur, ut reſpondeat excludendo omnem amphibologiam, poteſt adhuc, ſi juſta adſit cauſa, uti amphibologia, ponendo in mente aliquam particulam, per quam verum efficiatur juramentum, ut ſi judex interroget teſtem, an ſciat delictum, ſive publicè, ſive occultè, aut ſecluſa omni amphibologia. Item pœnitens interrogatus an illud, vel hoc peccatum faſſus ſit, poteſt jurare, ſe non confeſſum, intelligendo, ut tenear tibi dicere, & idem de confeſſario dicendum eſt. Ita cum Henriquez, Sanchez, Bonacina, Diana, Trullenc. *ſuprà num.*9. & cum aliis Leander *tract.*1. *d.*45. *queſt.*37.

Decimò ubi factum exterius ob aliquam cauſam excuſatur à peccato, poteſt interrogatus à judice de illo facto, id negare, intelligendo de facto criminoſo, ut ſi in propriam defenſionem, vel inadvertenter homines, quis occidit, vel rem alienam in veri debiti compenſationem uſurpavit. Ita cum Leſſio, Sanch. Diana *3.p. tract.6. reſol.*30. Qui optimè addit cum Sanchez, quod quando taxa alicujus rei probabiliter eſt injuſta, venditor ſi pluris vendat, defraudet in pondere, & menſura, ita ut ſibi ſatisfaciat, vel pro pretij injuſtitia poteſt à judice interrogatus, an pluris vendiderit, vel cum falſa menſura, poteſt inquam totum negare, & aſſerere, ſe pretio taxato, vendidiſſe, & cum juſtis ponderibus, intelligendo hæc, ita ut pluris vendens, aut deficiens in pondere deliquerim Diana *p.*3. *tract.6. reſol.* 30.

Major difficultas eſt, an ſi quis ad promovendum in concionatorem, ad Cathedram, ad lauream doctoratus, debeat habere, v.g. decem annos ſtudij in aliqua univerſitate, & interrogatus ſub juramento, an prædictos annos habuerit in univerſitate Conimbricenſi, vel Eborenſi, poſſit reſpondere, tales annos perfeciſſe, intelligendo interius, quoad ſufficientiam; ſupponimus namque talem promovendum habere eam ſcientiam requiſitam ad tale munus; Negativè reſpondet cum Sanch. Diana *p.*4. *tract.* 4. *reſol.*175. Verum affirmativa ſententia probabilis mihi videtur, hanc tenet cum Tamburino, Tancred. *tract* 4. *lib.*3. *d.*3. *num.*52. Ratio autem eſt, quia ceſſante fine legis in aliquo caſu particulari ceſſat lex in probabiliori opinione, ſed lex præſcribens decem annos ſtudij in aliqua univerſitate ad gradum Doctoralem, ad concionandum, &c. eſt, ne doctoretur, vel prædicet non idoneus; ergo ſi homo iſte idoneus eſt, ceſſat lex præſcribens illi decem annos ſtudij: interrogatus ergo, an per decem annos ſtuduerit in univerſitate Conimbricenſi: Reſpondere poterit, ſtudui, ſubintelligendo in loco debito, quoad ſufficientiam, ſiquidem per hoc non lædit, quoad ſubſtantiam legem, vel jus alicujus. Imò ſi illi dicatur, quod reſpondeat ſine amphibologia, poteſt jurare ſe ſtuduiſſe in univerſitate Conimbricenſi per decem annos, ſubintelligendo quoad ſufficientiam, propter eandem rationem. Ita Tancred. *ſuprà n.*51.

57 Denique quotieſcumque aliqua cauſa honeſta ſe offert tegendi veritatem, poteſt quis abſque peccato uti amphibologico juramento, ut ex allatis exemplis conſtat & ex ratione ſæpe dicta, quia tale juramentum veritatem, & juſtitiam habet, & cum utile ſit, illud præſtare, non deficit judicium, ex nullo ergo capite vitiari poteſt. Adverte tamen maximè in fine hujus ſectionis, utentem aliqua ex his amphibologiis, debere ſcire ſaltem in genere, ſe poſſe abſque mendacio tegere veritatem, non tamen opus eſt, ut in particulari cognoſcat modum quo debet tegi, unde ſi intendat jurare eo ſenſu, quem vir doctus verum reperiret, & ſciat verum ibi reperiri poſſe, ſufficiet ad excuſationem perjurij. Suarez *tomo* 1.*de Relig.lib.*3.*cap.*10.*num.*4. Sanch. *lib.*3. *cap.*6. *n.*46.

SECTIO X.

Utrum juramentum fictum tam in judicio, quam extra ſit peccatum mortale?

SUMMARIUM.

58 *Jurare ſive in judicio, ſive extra ſine animo implendi juratum eſt peccatum mortale.*

59 *Jurare falſum ſine animo jurandi, tam in judicio, quam extra eſt peccatum mortale.*

60 *Jurare verum ſine animo jurandi extra judicium, & contractus tantum eſt veniale.*

61 *Juramentum verum ſine animo jurandi in judicio & contractibus eſt peccatum mortale.*

62 *Qui aliquid promiſit cum juramento ſine animo implendi, ſed cum animo non ſe obligandi peccat mortaliter.*

63 *Qui aliquid promiſit cum juramento cum animo implendi ſed cum animo non ſe obligandi extra judicium, & contractus venialiter peccat.*

TRibus modis dari poteſt fictio in juramento, primo ſi quis juret ſine animo jurandi, ſecundo ſi juret ſine animo ſe obligandi. Tertiò ſi juret ſine animo implendi, quod juravit; his ſuppoſitis,

Dico primò: jurare ſive in judicio, ſive extra ſine animo implendi juratum, eſt peccatum mortale. Ita communiter DD. apud Tamborinum *lib.*3. *cap.*3.§.1.*nu.*1. Tancredum *tract.*4.*lib.*2.*d.*4.*n.*12. Leandrum *tract.*1. *d.*44. *quæſt.* 7. Eſcobar *lib.*29. *n.*200. Ratio eſt, quia juramento quale hoc eſt deficit prima veritas, ergo. 58

Dico ſecundo: Jurare falſum ſine animo jurandi, tam in judicio, quam extra, eſt peccatum mortale. Ita cum Caietan. Ledeſma, Soto, Leſſio, Suar. Bonacina, Palaus *d.*1.*p.*8.*num.*4. Trullenc. *in decalog. lib.*2.*cap.*1. *dub.*12. Leander *tract.*1. *d.*44. *qu.*2. Ratio eſt, quia gravis irreverentia fit Deo, ex eo quod tantum in apparentia & nomine tenus in teſtem falſi invocetur, nomini enim Dei Summa reverentia debetur. Tum quia ſi ſemel admittamus Deum ſimulate invocari poſſe in teſtem falſi, abſque gravi peccato, finis juramenti, qui eſt veritatis confirmatio, magna ex parte pœnitus fruſtraretur, quæ ratio magis urget in judicio, & contractibus, quia in judicio, eſt contra judicis mandatum jurare falſum, ſine animo jurandi, & in contractibus, eſt in præjudicium partis. Hic tamen non loquimur quando juramento additur aliqua particula inintellecta, qua redditur verum juramentum in meo intellectu, licet exteriòr prolatio ſit falſa, nam de his modis jurandi, præcedenti ſectione fuſe diximus, quod non ſit peccatum. 59

Dico tertiò: Jurare verum, ſine animo jurandi, extra judicium, & contractus, tantum eſt veniale. Ita cum Leſſio, Sanch. Bonacina, Palaus *ſuprà n.*6. & cum aliis Leander *ſuprà queſt.*4. Ratio eſt, quia 60

ex

ex hoc juramento non fit aliqua gravis irreverentia Deo, cum licet simulate invocetur, invocatur tamen in testem veritatis, neque fit injuria proximo; quia supponimus graviter inde non lædi.

61 Dico quartò: jurare verum sine animo jurandi in judicio, & contractibus, est peccatum mortale. Ita prædicti DD. & Ratio est, quia sic jurans, decipit judicem, vel secum contrahentes, nam superioris præceptum, non solùm est de veritate dicenda, sed de dicenda sub divino testimonio, in contractibus vero semper resultat ex hac simulatione aliquod damnum proximo, quod si nullum resultet, probabiliter putat Sanc. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 2. non esse mortale, quam sententiam approbat Palaus *suprà num.* 57. Leander *suprà*, *quæst.* 5. & mihi non displicet, quia in contractibus, quod per se magis attenditur, est damnum proximi, unde si abfit, non erit mortale. Adverte tamen ex hoc juramento facto sine animo jurandi sive sit de re vera, sive falsa, nullam oriri obligationem adimplendi illud, non enim fuit verum juramentum, sed simulatum. Ita cum communi sententia Trullenc. *suprà num.* 2. sed debet intelligi, quantum est ex vi, & religione juramenti, & in foro interno, nam si de foro exteriori loquamur, si detur scandalum, ratione scandali, tenetur jurans tale juramentum observare, si sit de re aliqua facienda. Ita communiter DD. apud Fagundez *in* 2. *præceptum Decalogi lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4.

62 Dico quintò: qui aliquid promisit cum juramento, sine animo implendi rem promissam, sed cum animo non se obligandi, peccat mortaliter. Ita Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. *num.* 6. Ratio est, quia juramentum, cui deficit animus se obligandi, non est verum, sed fictitium, sed jurare falsum fictitiè, est peccatum mortale, ut diximus præcedenti asserto: ergo & jurare sine animo se obligandi. Major probatur, quia obligatio, vel est de essentia ipsius juramenti, vel passio inseparabilis ab ipso juramento: ergo si quis vult jurare, excludendo obligationem, vult ut tale juramentum suam essentiam non habeat, siquidem illam habere non potest, sine obligatione: ergo non vult jurare, sed juramentum simulare.

63 Dico sextò: qui aliquid promittit cum animo adimplendi, sed cum animo non se obligandi, extra judicium, & contractus, tantum peccat venialiter. Ita Tamburinus *suprà num.* 6. & patet ex ratione allata asserto tertio, eodem namque modo philosophantur, cum utrumque juramentum sit simulatum ut probavimus. Vnde ex tali juramento, quantum est ex vi, & religione juramenti, seclusò scandalo, nulla oritur obligatio ad illius observationē, siquidem ex juramento simulato nulla oritur obligatio, quam sententiam etiam tenet cum multis Fagundez *suprà*, *cap.* 9. *num.* 9. Palaus *suprà num.* 7. Trullenc. *suprà num.* 6. Adverte tamen prædictam doctrinam debere intelligi, quando quis habuit expressum animum non se obligandi, nam si juravit cum vero animo jurandi, & aliàs non habuit expressum animum non se obligandi, verum juramentum effecit, nam eo ipso quod voluit jurare, censetur habere voluntatem eorum, quæ necessario ad juramentum requiruntur, nisi ea expressè excluserit. Ita cum Suatio, Sanchez, Bonacina, Palaus *suprà num.* 8.

SECTIO XI.

Quando consuetudo jurandi gravem culpam inducat?

SUMMARIUM.

64 *Quando detur consuetudo jurandi explicatur.*

65 *Consuetudo quæ inclinat ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur non constituit hominem in statu peccati mortalis.*

66 *Quid si cum hac consuetudine jurandi verum haberet consuetudinem mentiendi?*

67 *Consuetudo quæ inducit ad jurandum falsum cum advertentia, vel sine advertentia, an sit verum, vel falsum quando quis jurat, constituit hominem in statu peccati mortalis.*

68 *Qui ex tali consuetudine sine advertentia sufficiente ad mortale jurat falsum tantum peccat in causa.*

69 *Consuetudo qua fit, quod homo juret falsum sine advertentia est culpabilis in se & debet auferri.*

70 *Explicatur assertio.*

71 *An sit differenda absolutio illi, qui hac prava consuetudine est affectus, etiamsi proponat emendationem.*

COnsuetudo jurandi, tunc datur, quando quis passim jurat, hæc autem consuetudo est duplex. Prima quæ inducit ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur. Secunda quæ inducit ad jurandum sæpe falsum, hoc etiam duplici modo. Primo ut cum quis ex consuetudine depravata perjurandi, jurat frequenter falsum, sed semper cum advertentia ad novum peccatum committendum. Secundo quando quis ex depravata consuetudine jurandi jurat absque advertentia, aut libertate nova, sed sine advertentia jurat, sive verum, sive falsum sit, quod jurat: his suppositis, 64

Dico primò: consuetudo, quæ inducit ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur, non constituit hominem in statu peccati mortalis, nec sub mortali tenetur talem consuetudinem extirpare. Ita cum Valentia, Rodrig. Veiga, Ledesma, Sanchez, Bonacina, Palaus, *de juramento d.* 1. *p.* 7. *num.* 2. Trullenc. *lib.* 2. *de Decalog. cap.* 1. *d.* 2. Fagundez *in Decalog. cap.* 8. *num.* 5. Leander *tract.* 1. *d.* 8. *quæst.* 3. Ratio est, quia hæc omnia juramenta tantum sunt peccata venialia, ut suppono, siquidem fiunt cum plena advertentia ad veritatem, & solum eis deficit judicium: ergo consuetudo ex illis resultans, solum ad peccata venialia inclinare potest: nam solum inclinat ad similes actus. Nec obstat quod aliquando quis ex hac consuetudine in perjurium labatur, ut ex inde censeatur esse in morali periculo perjurij, quia ad hoc periculum deberet frequenter induci in perjurium. 65

Dico secundò: si quis cum hac consuetudine jurandi verum advertenter, haberet consuetudinem mentiendi, licet Valentia, Ledesma, & Bonacina, quos refert Leander *suprà quæst.* 4. affirmant illum esse in statu peccati mortalis, si illam extirpare omittat, probabilius est, neque in hoc casu, sic jurantem esse constitutum in statu peccati mortalis. Nam esto aliquando contingat, quod juramentum cum mendacio conjungat, id est per accidens, & raro, & consequenter censeri non potest in periculo morali peccandi mortaliter esse constitutum. Ita cum Sanc. Suatio, Palaus, *suprà num.* 3 Fagundez, 66

416 Dico tertio: In nullo alio caſu, etiam ob ingreſſum Religionis, ob ordinum ſuſceptionem, & pro quacunque materia ſpirituali, præter quam in receptione, ſeu collatione, vel præſentatione beneficij, tenetur quiſpiam ante ſententiam judicis pretium acceptum reſtituere, quantum eſt ex jure Eccleſiaſtico. Ita cum Leſſio, Suario, & aliis, Palaus *ſupra num.* 6. Tancredo *ſupra d.* 42. *num.* 9. contra Sanch *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 112. qui putat reſtituendum eſſe pretium receptum ob ingreſſum Religionis, & ob receptionem ordinis. Tota igitur difficultas in hac quæſtione eſt, an recipiens pretium pro quacunque re ſpirituali, ſive ſit beneficium, ſive quæcunque alia res, teneatur jure naturæ pretium acceptum reſtituere? An vero ſolo jure Eccleſiaſtico, & hoc poſt ſententiam judicis, excepta materia beneficiali, nam in hac certum eſt teneri, ut diximus ante ſententiam judicis.

417 Dico quarto: Qui pretium ſimoniace accepit, ſed non injuſte, ſeu cum injuria, & injuſtitia contra iſtum tradentem commiſſa, non tenetur jure naturali ad reſtitutionem pretij accepti. Ita cum Navarro, Leſſio, & aliis, Bonacina *d.* 1. *queſt.* 1. *de ſimonia p.* 3. *num.* 3. Suarez *cap.* 59. *num.* 31. Layman, Filliucius, & alij, quos refert, & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 4. Ratio eſt quia obligatio reſtituendi ob delictum non conſurgit ex quolibet delicto, ſed ex peccato injuſtitiæ, ut tenent communiter DD. ſed qui pretium ſimoniace accepit ſine injuſtitia contra tradentem, non peccavit peccato injuſtitiæ, ſed tantum peccato ſimoniæ, ſimonia namque non eſt injuſtitia, ſed irreligioſitas, quæ aliquando committi poteſt ſine injuſtitia, ergo accipiens pretium abſque injuſtitia tradentis, non tenetur ad reſtitutionem.

418 Dico quinto: Qui pretium ſimoniace accepit pro re ſpirituali cum injuria, & injuſtitia contra ipſum dantem, tenetur ex jure naturali, & divino ad reſtitutionem pretij accepti. Ita Suarez, Leſſius, Filliucius, & alij quos refert & ſequitur Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 3. Ratio eſt quia accipiens aliquid ſupra id quod ſibi debetur, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſed accipiens pretium pro re ſpirituali, ut tali, accipit aliquid ſupra id quod ſibi debetur, ergo tenetur ad reſtitutionem, minor probatur quia licet miniſtranti ſpiritualia debita ſit ſuſtentatio, ſeu ſtipendium, non tamen debetur pretium, ſeu merces, ſeu aliquod temporale excedens ſuſtentationem, ergo ſi ultra ſuſtentationem, vel ſtipendium debitum, aliquid accepit, tenetur ad reſtitutionem.

419 Hinc colliges primo quod ſi is qui pretium accepit pro re ſpirituali, tenebatur ex juſtitia gratis conferre illam jure divino ad reſtitutionem pretij obligari, quia accipiendo pretium non ſolum religionem, ſed juſtitiam commutativam læſit, ſicut ſi judex pro juſta ſententia pretium exigeret teneretur ad reſtitutionem. Hinc Parochus cui aſſignata eſt congrua ſuſtentatio, tenetur ad reſtitutionem, ſi pro adminiſtratione ſacramentorum mercedem contra Eccleſiæ conſuetudinem exigat. Secundo Colliges Prælatum Eccleſiæ vendentem beneficia vel officia Eccleſiæ quarum non eſt dominus ſed diſpenſator, teneri ad reſtitutionem pretij accepti, tum quia vendens rem non ſuam peccat contra juſtitiam. Tum quia ex vi ſui muneris tenebatur hæc gratis dare, qui autem accipit aliquid pro eo, quod gratis tenetur præſtare, peccat contra juſtitiam, & patet ex *decreto Alexand. XVII anno domini* 1665. *propoſitione* 11. Et idem dicendum eſt de Electoribus beneficiorum qui pretium accipiunt pro eligendo digno, quia accipiunt indebitum cum teneantur ex officio gratis eligere. Quod etiam dicendum eſt ſi pretium accipiant pro eligendo digniore prætermiſſo digno, adhuc enim tenentur ex officio digniorem eligere, ſeu electionem juſtam facere, & conſequenter ſi quid accipiant pro eligendo digniore, videntur illud accipere pro actione ad quam ex officio tenentur.

Dico ſexto: Qui vendit rem ſpiritualem, non ut talis eſt, ſed habita ratione ad materiale illius, vel ad emolumentum temporale, vel honorem, quo ſe privat venditor, licet ſimoniam committat, non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi pretium acceptum non excedat illud, quod pro tali materia, vel emolumento apud homines poteſt æſtimari; ita, cum Suario, Leſſio, Filliucio, Bonacina, Tancred. *tract.* 2. *lib.* 4. *d.* 41. *num.* 12. Palaus *d.* 3. *p.* 26. *num.* 7. licet oppoſitum teneat Raphaël de la Torre *q.* 100 *art.* 6. *diſp.* 6. *dict.* 3. Ratio eſt, quia in illa venditione nulla invenitur injuſtitiæ ratio, quia in effectu, & in re ipſa reperitur æqualitas, inter actionem illam materialiter conſideratam, vel commodum, vel emolumentum, & pretium, quod pro illis confertur; ſed ubi non invenitur injuſtitia non datur obligatio reſtituendi, ut *ſupra* diximus; ergo nulla in prædicto caſu datur obligatio reſtituendi. Probatur ſeu explicatur major quia actio illa, licet quia eſt ſacra effecta, non debeat pretio æſtimari, ſuam tamen materialitatem retinens, intra latitudinem juſtitiæ ratione illius æſtimabilitatem habet; ergo ſi pretium non excedat materialem illam æſtimationem nulla fit injuſtitia: hinc fit poſſe vendi calicem conſecratum ratione materiæ aureæ, vel argenteæ, quanti apud homines æſtimatur, non tamen poſſunt vendi reliquiæ Sanctorum, etiam ratione materiæ, quia ratione materiæ nihil valent. Vide Palaum *ſupra num.* 7. Tancredo *ſupra d.* 41. *num.* 11. 420

SECTIO XXXV.

Quomodo ſimoniæ crimen probari poſſit, ut ſimoniaci puniantur, & condemnentur?

SUMMARIUM.

421 *Ponuntur varij modi probandi ſimoniæ crimen.*

422 *Quid dicendum ſit de conjecturis, & præſumptionibus explicatur?*

423 *Particeps delicti poteſt eſſe teſtis in hoc crimine.*

424 *Concluſa probatione, ſi detur ſententia contra ſimoniales non ſuſpenditur appellatione.*

421 IN hac quæſtione parum immorabimur, pertinet namque ad forum exterius, & de illa optime tractat Farinacius *conſilio* 75. Vnde reſolutorie, dico primo: In primis probanda venit ſimonia, criminis notorietate *cap. de manifeſta cum duabus ſequentibus* 2. *quæſt.* 1. Secundo evidentia facti, cum quis in crimine comprehenditur *cap. ſi quis decorus* 50. *diſt. & alius.* Tertio ex partis confeſſione *cap. presbyter* 11. *q.* 5. Quarto per famã. Quinto per inſtrumentum, in quo adeſt promiſſio, vel pactum *cap. placuit* 16. *q.* 3. Sexto per correſpectivitatem, hoc eſt quando unus actus fit propter alium, ut ſi renuntianti alicui beneficium, & ille conſenſit penſioni,

Digitized by Google

penſioni, vel aliam renuntiationem in ſuum favorem fecit coram eodem notario, teſtibus, & eodem die, ſeu ut dicetur in continenti, tunc enim inducitur ſufficiens præſumptio ſimoniæ, quod ſi diverſis temporibus fiat, non eſt ſufficiens probatio ſimoniæ.

422 Difficultas eſt an conjecturæ, & præſumptiones ſufficiant ad probandam ſimoniam? Reſpondeo affirmative. Ita communiter DD. quos refert, & ſequitur Flamin. *lib. 14. quæſt. 8. num. 1.* Ratio eſt quia ſimoniæ crimen inter graviora crimina reputatur, comparatur enim homicidio, hæreſi, & idololatriæ in quibus per præſumptiones, & conjecturas probatio fit, debent tamen præſumptiones, & conjecturæ eſſe evidentes, & reum de crimine convincentes, debentque probari, ut tenent omnes teſte Alexandro de Nevo *Conſil. 64. num. 2.* probatio tamen unius conjecturæ, & præſumptionis non ſufficit; ſed neceſſario debent eſſe duæ præſumptiones cum aliis indiciis integrè probatæ, & hæc plenam facere probationem docet cum aliis Azevedo *Conſil. 28. num. 94.* Vnde quælibet præſumptio, & conjectura debet eſſe in ſuo eſſe perfecta, & omnino convincens, aliàs nullius erit momenti, neque jungendæ præſumptiones. Ita ut ex pluribus illegitimis probationibus una coaleſcat, ut teſtantur Gomez. Mascard. Menoch. & alij, quos refert, & ſequitur Azevedo *Conſil.*, o. *n. 43.*

423 Secundò dubitatur, an particeps delicti poſſit eſſe teſtis in hoc delicto? Reſpondeo affirmativè. Ita Flaminius *lib. 14. de reſign. quæſt. ult.* Et ratio eſt, quia licet in aliis criminibus ſocius delicti non poſſit eſſe teſtis, hoc tamen non procedit in delictis exceptis, in quibus ob ſuam atrocitatem, teſtes alias inhabiles admittuntur, ut patet etiam in hæreſi, & aliis criminibus exceptis, in quibus ſocius criminis non ſolum facit indicium, ſed etiam ſemiplenam probationem, non ſolum civiliter, ſed etiam criminaliter. Tandem adverto concluſa probatione, ſi detur ſententia adverſus ſimoniacum appellatione non ſuſpendi, ſed mandari debere executioni, in his, in quibus ipſo jure imponitur pœna: nam in iis pœnis, quæ imponuntur ipſo jure, ſententia declaratoria facit tranſire in rem judicatam, ut reſolvit Ananias, Felinus, *in cap. ſicut de ſimonia* Maranta *de ordine judiciario 6. p. act. 2. n. 178.* qui affirmant in hoc caſu non eſſe acceptandam appellationem. Rodriguez *in ſumma verbo ſimonia c. 56. n. 6.* 424

SECTIO XXXVI.

De poteſtate diſpenſandi cum ſimoniacis.

SUMMARIUM.

425 *In pœnis ferendis probabilius eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare.*

426 *In pœnis ipſo jure latis, etſi ſint Papæ reſervatæ, ſi ſint occultæ poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

427 *Quid dicendum ſit de Regularibus per ſua privilegia?*

428 *Epiſcopus poteſt diſpenſare in inhabilitate quam contrahunt recipientes ſimoniace beneficium, tam ad idemmet beneficium, quam ad aliud, ſi crimen ſit occultum.*

429 *Diſpenſatus ab Epiſcopo in hac inhabilitate poteſt, ſine alia collatione poſſidere beneficium.*

430 *Quid dicendum ſit de regularibus?*

431 *Aliquæ advertentiæ ponuntur pro diſpenſatione Epiſcopi.*

432 *Pontifex conferens inhabili beneficium cenſetur cum eo diſpenſare, ſi illi conſtitit eſſe inhabilem.*

433 *Vt Pontifex diſpenſationem licitè concedat in his cenſuris, & inhabilitatibus requiritur aliqua cauſa.*

434 *Si ſine cauſa in hac lege diſpenſet non peccat mortaliter.*

435 *Quid dicendum ſit de Epiſcopis, & aliis prælatis diſpenſantibus in lege ſui ſuperioris.*

Dico primò: De pœnis ferendis probabilius eſt poſſe in omnibus Epiſcopus, vel judex Eccleſiaſticus diſpenſare, ſiquidem ejus eſt abſolvere, cujus eſt ligare. Unde idem dicendum eſt de infamia, ac depoſitione, ac de aliis pœnis. Ita cum Suario, Præpoſito, Tanered. *tract. 2. lib. 4. num. 3.* contra Palaum, *d. 3. p. ultim. num. 1.* In pœnis vero ipſo jure latis, quales ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, & aliæ *ſuprà* relatæ, certum eſt Papæ eſſe reſervatas, ſive publicæ, ſive ſecretæ ſint, ut late probat Palaus *d. 3. p. ultim. num. 1. & 2.* ab illis tamen, ſi publicæ non ſint, nec ad forum contentioſum deductæ, poteſt Epiſcopus abſolvere, virtute Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione.* Ita cum Sà, Suario, Leſſio, Palaus, *ſuprà num. 2.* Portel. *in reſponſionibus caſuum conſciantia p. 3. caſu 12. n. 8.* Rodrig. Navarr. & alij quos refert, & ſequitur Trullench. *in Bulla cruciatæ lib. 2. p. 3. dub. 11. n. 9.* contra Bonacinam *d. 1. de ſimonia quæſt. 7. p. 1. §. 6. num. 11.* Nec obſtat Bulla Pij V. prohibens hanc facultatem ſaltem in ordinato ſimoniacè, quia in hac parte talis Bulla non eſt recepta, ut cum aliis notat Palaus *ſuprà.* 425 426

An vero Regulares per ſua privilegia poſſint ab omnibus his cenſuris abſolvere, quando ſunt occultæ? Reſpondeo affirmativè, *ex Privilegio Pauli III.* quæ quidem gratia non eſt revocata, ut declaravit Gregorius XIII. Ita Portel verbo Prælatus *n. 19.* Palaus *d. 3. p. 24. num. 4.* Sed de his vide, quæ dixi *in noſtro Directorio Regularium, p. 1. tract. 2. diſput. 3. num. 38.* ubi alia multa invenies, quæ hic poſſunt deſervire. 427

Dico ſecundò: Epiſcopus poteſt diſpenſare in inhabilitate quam contrahunt recipientes ſimoniacè beneficium, tam ad idemmet beneficium, quam ad aliud, ſi crimen fuerit occulti, etſi deductum ad forum exterius, ſive fuerit ſimonia commiſſa inſcio, ſive ſciente ipſo beneficiario. Ita Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 56. n. 14.* & cum Letſio, Suario, Palaus, *ſuprà n. 4.* & cum Saïro, Trullench. *in Bullam Cruciatæ lib. 2. §. 2. dub. 2. n. 15.* & cum aliis Sanchez *lib. 2. Decalogi cap. 11. n. 12.* Portel in reſponſionibus caſuum, *caſu 12. tomo 1. p. 3. num. 8.* contra Reginaldum, & alios communiter. Ratio eſt, quia hæc inhabilitas eſt quaſi quædam irregularitas; conceſſa ergo facultate diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, videtur ad hanc inhabilitatem extendi; ſed in Trid. conceditur facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum externum, & contentioſum; ergo optimè poterit in hac inhabilitate diſpenſare. Tunc quia dato quod hæc inhabilitas non ſit irregularitas, adhuc eſt caſus occultus, qui comprehenditur in caſibus occultis conceſſis Epiſcopis, *in Trid.* ut optimè advertit Trullench. *ſuprà.* 428

Digitized by Google

429 Hinc ſit obtinendum ſimoniace beneficium, ſi diſpenſatus ſit ab Epiſcopo in hac inhabilitate, & abſolutus à cenſuris, poſſe ſine alia collatione poſſidere beneficium. Ita expreſſe Suarius, Abbas, quos refert & ſequitur Palaus *ſuprà num.* 5. Portel *ſuprà*, Trullench. *ſuprà n.* 15. ubi alios referunt; & ſumitur ex textu *poſtulaſtis, de clerico excommunicat. min.* Ibi enim dicitur, non poſſe ipſum clericum ſic delinquentem retinere beneficium, niſi cum illo fuerit miſericorditer diſpenſatum: ergo poſita diſpenſatione bene poterit retinere, cum ibi nihil aliud deſideretur.

430 Major tamen eſt difficultas an regulares ratione ſuorum privilegiorum poſſint in hac inhabilitate diſpenſare? affirmant Urbanus *tract. 1. diſt. 2. cap. 6. regul.* 5. & cum Couſers, Balæus, *verbo ſimonia 6. num.* 2. Verum ego huic ſententiæ nunquam potui acquieſcere, ut dixi *in noſtro directorio Regularium p. 1. tract. 2. d. 3. n.* 78. Nam cum diſpenſatio in hac inhabilitate ſit virtualis collatio beneficij, ut *ſuprà* diximus, non video, quomodo id poſſit regularibus convenire, quin virtualiter conferant beneficium, quod tamen Regulares, nec directe, nec indirecte efficere poſſunt, ut latius dixi *loco citato.*

431 Adverte tamen quod quando diximus Epiſcopum poſſe in prædicta inhabilitate diſpenſare, hoc eſſe intelligendum concurrente triplici circunſtantia, quas aſſignant prædicti DD. prima ut vitium ob cujus cauſam collatio, præſentatio, vel electio fuit nulla, ſit occultum. Secunda quod non ſit in tertij electi præjudicium, qui cum prior electio ſit nulla, jus habet ad rem: tertia dummodo beneficiarius ille non acceperit ſcienter cum vitio illo collationem beneficij, quia tunc eſſet intruſus, ac proinde oporteret, non tantum prioris vitij diſpenſationem obtinere, ſed illius quoque intentionis, eſt enim reſpectu illius beneficij duplex canonicum impedimentum, alterum ſimoniæ, alterum intruſionis, quæ intruſio ſit publica Papæ, ſicut etiam inhabilitas publica incurſa ob ſimoniam eſt reſervata, ſi tamen ſit occulta, in ea, ſicut in eadem inhabilitate poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ex *eodem cap. Trid.* Ita Sanchez *in Conciliis lib. 2. cap. 2. dub.* 22. Non tamen id poterunt efficere Regulares; ut diximus *de inhabilitate*, propter eandem rationem. Forma vero ad diſpenſandum cum ſimoniacis in pœnis ſimoniæ nulla eſt præſcripta, quare ſi Epiſcopus utatur verbis, quæ ſufficienter exprimant voluntatem diſpenſandi, eo ipſo cenſebitur diſpenſaſſe.

Dubitant tamen Doctores, an ſi Pontifex bene- 432
ficium inhabili conferat, eo ipſo diſpenſare cum illo cenſeatur? Et Reſpondeo cenſeri diſpenſare in ordine ad illud beneficium, ſi illi conſtitit eſſe inhabilem, ne dicamus fruſtra, & in vanum efficere collationem. Ita cum Suario, Felin. Navar. Molina, & aliis Palaus *d. 3. de ſimonia p. ultim. n.* 9. Et generaliter quoties impedimentum eſt juris humani, & legiſlator ſciéter impeditum admittit ad actum; præſumitur animus diſpenſandi, ac inducitur vera diſpenſatio, quamvis princeps cauſæ cognitione non permiſerit, ut ſi Pontifex admitteret ſcienter irregularem ad ordines, vel rex lege inhabilem, ut ſervum, judicem conſtitueret. Ita cum D. Thom. Sanch. Barbario, Palaus *ſuprà.*

Adverte tandem, quod ut Pontifex diſpenſatio- 433
nem licite concedat in his impedimentis, & pœnis, requiri aliquam cauſam, hoc enim expoſtulat commune bonum, & Eccleſiæ regimen. Verum ſi abſque 434
cauſa contra ſuam legem faciat, & in ea diſpenſet, non peccat mortaliter, ſecluſo ſcandalo, aliave ratione extrinſeca. Ita cum multis Sanch. *lib. 8. de ma-* 435
trim. d. 17. n. 128. & cum Leſſio, Valentia, & aliis Palaus *ſuprà num.* 11. Epiſcopi vero, & alij prælati, in legibus ſuperioris diſpenſantes, ſi abſque cauſa procedant, peccant mortaliter & nulla eſt diſpenſatio. Ita cum prædictis doctoribus Palaus *ſuprà.* Et hæc de ſimonia, & de toto primo præcepto Decalogi ſufficiunt: magna enim nobis reſtat via.

TRACTATUS QUINTUS,

DE SECVNDO DECALOGI PRÆCEPTO,

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

POSTQVAM doctrinam generalem de divino cultu, & præceptis ejus, & aliquibus vitiis oppoſitis explicuimus in primo præcepto: Supereſt hic ſolum de juramento, & voto diſputare: iis enim, ſi rite ea nuncupentur, obſerventurque, honore Deus afficitur; ſecus contra. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Iuramento.

SECTIO I.

Quid ſit juramentum?

SUMMARIUM.

1 *Unde dicatur juramentum?*
2 *Ponitur definitio juramenti.*
3 *Invocatio falſorum Deorum non eſt juramentum, niſi in Paganorum exiſtimatione.*
4 *Iuramentum formaliter conſiſtit in intellectu, requiritur tamen actus voluntatis, ut conditio ſine qua non.*
5 *In quo conſiſtat graviſſima perjurij culpa?*
6 *Iuramentum reſpectu Dei ſolo actu intellectus, & voluntatis completur.*

IVramentum à jure dicitur, quia tanquam 1
jus habendum eſt; appellatur etiam jus jurandum, eo quod veritas juramento firmata, ita firma conſiſtere debet, quaſi jure ipſo firmetur. Vocatur item ſacramentum, quatenus eſt ſignum Divini teſtimonij, quod in juramento adducitur. His ſuppoſitis,

Dico primo. Juramentum definitur, *eſt invocatio* 2
divini nominis ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam. Ita D. Th. ab omnibus receptus 2. 2. *queſt.* 89.

quæſt. 89. *art.* 1. Invocatio ponitur loco generis, quia etiam per orationem Deus invocatur, ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam, ponitur loco differentiæ, nam oratio eſto invocet Deum, non illum invocat ut ex dictis orantis fidem faciat, ſed potius ut ejus poſtulata concedat. Ita cum Valentia, Sanchez, & aliis Palaus *de juramento d.* 1. *p.* 12. *num.* 2.

Dicitur invocatio, & non enunciatio, nam enuntiare Deum teſtem eſſe omnium non eſt juratio, ſed quædam evidens propoſitio ad fidem, vel ſcientiam naturalem pertinens. Hinc eſt non eſſe juramentum dicere, eſt, non eſt, feci, non feci, dixi, non dixi, ita eſt, recte, profecto, vere, ſane, & his ſimilia. Sic ſimiliter concionatores, & magiſtri afferentes teſtimonia ſacræ ſcripturæ in confirmationem ſuæ doctrinæ non jurant, quia non invocant Dei nomen in teſtimonium, ſed Dei verba, & dicta referunt. Ita Bonacina, & alij apud Trullenc. *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 5.

Dicitur etiam invocatio divini nominis, quia cum ſolus Deus ſit, qui nec fallere, nec falli poteſt, ſolus ipſe in juramento invocatur, vel explicite, aut ſaltem implicite, & in obliquo: explicite ut ſi quis dicat teſtis eſt mihi Deus, vivit Dominus, facio Deum teſtem, invoco Chriſtum, ſeu ſacram ſcripturam, Trinitatem, per Chriſtum, & ſimilia; implicite vero, ut quando juratur per creaturas, quatenus in ipſis reluget divinitas, & per Sanctos, & per Evangelia, per cœlum Dei, ut fidem faciat, vel promiſſum infallibiliter firmet.

3 Nec obſtat quod etiam Pagani Deos falſos invocant, ut eorum dictis authoritatem præſtent. Nam invocatio falſorum Deorum non eſt verum juramentum, ſed tantum in Paganorum exiſtimatione, unde ipſi ſunt perjuri quia putant verum juramentū non obſervare, ſicut qui putat habere præceptum, quod de facto non habet, ſi illud violat peccat, ac ſi tale præceptum habuiſſet, de facto tamen tale juramentum non firmat veritatem, unde ſi Ethnicus cognoſcat falſitatem illorum Deorum non tenebitur ad tale juramentum, tenebitur tamen ſtare promiſſis ex fidelitate.

Loquendo tamen de vero juramento juramentum formaliter conſiſtit in intellectu, quia conſiſtit in locutione mentali, ſeu in invocatione divini nominis, & hæ non fiunt ſine locutione ſaltem intellectus. Requiritur etiam actus voluntatis, ut connotatum eſſentiale, vel ut conditio ſine qua non, aliàs namque non eſſet actus humanus, ideoque talis voluntas debet eſſe libera, & cum pleno judicio rationis, immo etiam requirit intentionem jurandi, juramentum namque exterius prolatum, ſine intentione jurandi fictum eſt, non verum ſicut votum ſine intentione vovendi. Vnde ſi aliqua eſſet cenſura ob perjurium, non incurreret illam, qui tantum apparenter vult jurare. An vero tale juramentum ſit ſervandum? *infrà* dicemus. Ita cum
4 Suario, & aliis, Trullenc. *ubi ſuprà num.* 3.

Dices qui falſo jurat non poteſt habere voluntatem invocandi Deum in teſtem: ergo voluntas invocandi Deum in teſtem non requiritur ad juramẽtum: probatur antecedens, quia qui falſo jurat dare cognoſcit hanc teſtificationem divinæ veritari repugnare, & de objecto impoſſibili voluntas haberi non poteſt. Item quam ſecuritatem homines haberent in juramentis ſi eorum eſſentia penderet ab intentione ſecreta jurantis, facile enim deludi poſſunt exiſtimantes vera eſſe juramenta, cum tamen non ſint ob defectum intentionis. Reſpon-
5 deo neminem poſſe habere voluntatem abſolutam, Deus falſum teſtetur, ut poſſe eam voluntatem habere, quatenus eſt ex ſua parte, & in hoc conſiſtit perjurij graviſſima malitia. Ad inſtantiam Reſpondetur, quod eſto hominibus ſecreta intentio jurantis cognita non ſit, eſt tamen omnibus notum, quemlibet jurantem obligationem habere jurandi vere, abſque ulla fictione, & hoc ſufficit ad veritatem, ſicut licet veritatem, vel falſitatem rei juratæ homines non cognoſcant, quia tamen cognoſcunt obligationem, quam habet jurans verum jurandi, ea de cauſa juramentum expoſtulant, ut de veritate jurata ſecuti ſint.

Adverte tamen hanc invocationem divini no- 6
minis, ſi comparatione Dei fiat, nec verbis, nec aliis exterioribus ſignis indigere, ſed ſolum actu intellectus, & voluntatis completur, ſi tamen de obligatione, quoad homines loquamur, dubium eſt an ſufficiant, quod fiat ſignis, an ſemper neceſſario faciendum ſit verbis? Communis ſententia docet ſufficere nutus, & ſigna indicantia juramentum. Ita cum Azor. Sanch. & aliis Fagundez, *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. Ratio autem eſt, quia nec leges, nec canones ad obligationem juramenti verba requirunt. Quare ſi aliqua jura hoc videntur indicare, intelligenda ſunt non ea requirere ad inducendam obligationem, ſed ad majorem, & certiorem juramenti profuſionem, & marem mentis declarationem.

SECTIO II.

Quotuplex ſit juramentum.

SUMMARIUM.

7 *Ponuntur diviſiones juramenti ex parte modi jurandi.*

8 *Omnes diviſiones juramenti in ratione juramenti non differunt ſpecie.*

9 *Juramentum ex parte rei juratæ dividitur in aſſertorium, promiſſorium, & comminatorium.*

10 *In omni juramento promiſſorio inducitur aſſertorium.*

DIco primò, Iuramentum ex parte modi juran- 7
di dividitur in ſimplex, & ſolemne. Iuramentum ſolemne vocatur, quod fit cum aliqua notabili circunſtantia, tactis Evangeliis, ara, cruce, &c. Et ſimplex quod omni hac circunſtantia caret, & in quo nomen Dei ſimpliciter invocatur. Secundo dividitur in judiciale, & extrajudiciale. Tertio in juramentum per Deum, vel per creaturas. Quarto in juramentum abſolutum, & conditionarum, Quinto in juramentum per ſimplicem conteſtationem, & per execrationem. Iuramentum conteſtatorium eſt, in quo Deus conteſtatur, & ut teſtis ſolum invocatur, ut cum quis dicit teſtor Deum, teſtis ſit mihi Deus, juro per Deum, per Evangelia &c. Execratorium huic conteſtatorio juramento ſuperaddit imprecationem pœnæ, cui jurans ſe ſubjicit, ſi falſum fuerit quod affirmat, ut ſi dicat, peream, non moveat hinc, Dæmon me arripiat, per animam, per vitam, vel ſalutem meam, vel meorum cognatorum, ita me Deus amet, adjuvet, vel ſit proprius. Senſus namque eſt, ſi ita non eſt, ut aſſero Deus det mihi, vel meis mortem, non me amet &c. Ita communiter DD.

Adverte tamen hæc omnia juramenta in ratione 8
juramenti

juramenti non differre ſpecie. Nam cum Eſſentia juramenti conſiſtat in invocatione divini teſtimonij, quod invocetur hoc vel illo modo, per accidens eſt ad rationem juramenti. Unde non tenentur in confeſſione neceſſario illos modos explicare. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliqua malitia ex alio capite tali juramento addatur, ut quando quis jurat per Chriſti pudenda, nam ultra malitiam periurij, ſi tale juramentum falſum fuit, addit malitiam blaſphemiæ, quæ neceſſario in confeſſione explicanda eſt. Item qui falſo jurat in judicio etiam tenetur hoc in confeſſione explicare, nam eſto illud judicium non cederet in tertij præjudicium, continet tamen malitiam alterius ſpeciei, ſcilicet inobedientiam; nam ex obedientia tenebatur vere reſpondere, vel ex juſtitia legali. Ita Sanchez *lib. 3. moral. cap. 1. num.* 9. & cum aliis Baſæus *verbo juramentum 1. num.* 8. Palaus hic *d. 1. p. 2. num.* 2.

Dices qui falſo jurat execratorie committit aliam malitiam ſpecificam à juramento: ergo tenetur eam in confeſſione explicare, patet antecedens, quia jurans falſo, interpoſita vita propria, vel parentum invocat Deum, ut ſe, ſuoſque parentes vita privet, ſi mentitur, vel fallit in aſſertione, ſed talis invocatio eſt contra charitatem propriam, vel contra pietatem: ergo eſt malitia, diſtincta neceſſario in confeſſione manifeſtanda. Reſpondetur cum Valentia *d. 6. qu. 7. p. 2.* negando illam petitionem, ſeu juramentum eſſe contra charitatem. Ratio eſt, quia jurans petit, quod meretur ob injuriam illatam, qui enim falſo jurat qualibet pœna dignus eſt, ergo petitio pœnæ illi debitæ in ſatisfactionem injuriæ divinæ juſtitiæ factæ, contra charitatem, aut pietatem eſſe non poteſt.

9 Ex parte materiæ, ſeu rei juratæ communiter DD. diſtinguunt duplex juramentum, aliud aſſertorium, aliud promiſſorium, alij tertium adducunt nempe comminatorium. Aſſertorium eſt, quando quis aliquid aſſerit, vel negat ſive præſens, præteritum, vel futurum, ut ſi juret pluviam fuiſſe, vel fore, nam quod de facto affirmat eſt ſe ſcire, vel cognoſcere pluviam eſſe, fuiſſe, vel fore futurum, nam ſi daremus illum id non cognoſcere, etſi de facto fuiſſet, vel foret, ſine dubio falſo juraret; Promiſſorium eſt quo confirmamus noſtram promiſſionem, ac proinde reſpicit tempus futurum, in-
10 ducitque in poſterum obligationem. In omni tamen juramento promiſſorio includitur aſſertorium, nam in promiſſorio, & affirmo me de præſenti habere animum faciendi, quod promitto, & invoco Deum, ut fidejuſſorem promiſſionis meæ in futurum. Comminatorium juramentum dicitur, quod pœnam alteri comminatur, quod juramentum reducitur ad promiſſorium, quia eſt vera, & abſoluta promiſſio de pœna alteri infligenda.

SECTIO III.

Vtrum juramentum purè aſſertorium differat ſpecie à promiſſorio.

SUMMARIUM.

11 *Juramentum purè aſſertorium non differt ſpecie à promiſſorio.*

12 *Quid addat promiſſorium aſſertorio?*

13 *In eodem actu non poſſunt eſſe duæ rationes formales juramenti ſpecie diverſæ.*

14 *Quando in eodem actu poſſint reperiri duæ ſpeciei diverſæ.*

Dico primò juramentum pure aſſertorium non 11
differt ſpecie à promiſſorio, ſed promiſſorium tantum addit aſſertorio, quandam majorem efficaciam, ſiquidem Deus non adhibetur tantum ut te- 12
ſtis, ut ſit in aſſertorio, ſed velut fidejuſſor, hæc tamen differentia eſt materialis, & individualis. Et idem dicendum eſt de juramento in futurum, quod non includit promiſſionem reſpectu juramenti includentis promiſſionem. Ita cum communi ſententia Tancred. *tract. 4. lib. 1. d. 2. num.* 13. Baſæus *verbo juramentum 1. num.* 8. & cum aliis Leander *de juramento tract. 1. d. 2. quæſt. 3.* contra Palaum *d. 1. p. 2. n.* 7. Ratio eſt quia eſſentia juramenti, qua tale, conſiſtit in invocatione Divini teſtimonij: ergo quod hæc invocatio fiat ad firmandam rem præſentem, vel futuram, per accidens eſt.

Tum quia, ſi hæc juramenta ſpecie differrent, 13
jam in juramento promiſſorio in eodem actu invenirentur duæ rationes formales juramenti diverſæ ſpeciei; ſed hoc repugnat: ergo probatur minor, quia licet non repugnet in eodem actu reperiri duas ſpecies diverſas, ut ratio periurij, & blaſphemiæ, repugnat tamen ut dentur duæ rationes formales 14
juramenti ſpeciei diverſæ in uno juramento, ut bene advertit cum Suario, Tancred. *ſuprà* contra Palaum ergo.

SECTIO IV.

De variis formulis ſeu modis jurandi.

SUMMARIUM.

15 *Formulæ jurandi ad duo capita reducuntur, & qualia ſint?*

16 *Aliqua ſunt verba, quæ ex communi modo loquendi non continent juramentum, & qualia ſint?*

17 *Abſolutè proferens verbum juro, & ibi ſiſtens non cenſetur jurare, niſi ex circumſtantiis aliud colligatur.*

18 *Ponuntur aliqua verba in quibus eſt dubium an ſit juramentum.*

19 *Aliqua ſunt verba indifferentia, quæ aliquando continent juramentum, aliquando non, & quomodo id intelligatur?*

20 *Verba quibus quis D. veritati humanam comparat quibus caſibus ſint juramentum?*

21 *An ſit blaſphemia jurare per creaturas?*

22 *An juramentum per Deum, & creaturas differant ſpecie?*

23 *Quid ſi creatura ſint, in quibus Deus ſpecialiter relucet?*

Dico primò: Formulæ jurandi ad duo capita 15
reduci poſſunt; aliæ enim ſunt de quibus conſtat apud omnes eas habere vim juramenti, aliæ vero de quibus dubitatur, an contineant vim juramenti. Primi generis ſunt, juro per Deum, teſtis ſit mihi Deus, vivit Deus, aut vivit anima mea, per animam meam, per templum, per cœlum, ſicut credo in Deum, per fidem Chriſti, vel Dei, per habitum divi Petri, D. Franciſci, per ſanctos, per ordines, per manus ſacras, per ſacramenta, ſic Deus me adjuvet, morior ſtatim, faciant namque hæc verba hunc ſenſum: Deus non me adjuvet, vel in

vita

Digitized by Google

vita conservet, si ita non est; Hæc autem verba non credo in Deum, renego Deum, vel Sanctos, vel Deus est injustus, nisi hoc ita est, vel si te non percussero, aliqui dicunt non continere blasphemias quia sunt conditionalia, sed verius dicendum est esse blasphemias. Ita cum aliis Fagundez *lib. 2. in Decalog. cap. 2.* Ratio est quia in illis verbis includitur tacite affirmativa propositio negandæ fidei si in eo eventus non sequatur vindicta illa percussionis.

Et idem dicendum est si quis dicat. *Per vida de Deos, de S. Pedro que isto he asino*, nam tribuit Deo quod non habet, facit enim hunc sensum, Deus, amittat vitam, si hoc ita non est, quod quidem blasphemia est. Idem dicendum est de illis, pœniteat Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos, *Magrado tenha San Pedro*, propter eandem rationem. Idem dicendum est de eo, qui jurat per pudenda Christi, vel sanctorum, nam licet Christus illas partes habeat habet tamen illas, ut naturales, & non ut ignominiosas, & jurans ex modo loquendi, vituperium Christo tribuit, & Sanctis, quod adeo verum est, ut etiam blasphemia sit, si ea quis simpliciter nominaret, aut enunciative proferret. Ita cum Caietano, Sanchez, Fagundez *suprà num. 11.* quia in ratione vituperij utrumque fallo dicitur.

An vero quando jurant per membra honesta Dei, & Sanctorum, ut per caput, per barbam, per capillos, per sanguinem, per corpus, per intestina committant blasphemiam? Tum quidem si jurans intenderet jurare per membra Dei, ut Deus est esset blasphemus, quia tribueret Deo, quod non habet, nequaquam tamen solent homines jurare in hoc sensu, sed per membra illa honesta, quæ habet Christus, quatenus homo, & tunc quidam affirmant adhuc sic esse blasphemiam. Ita Menoch. Azevedo, Covar. quos refert Leander *in Decalog. p. 2. tract. 1. d. 5. quæst. 29.* Contraria tamen sententia verior est, nihil enim Christo, vel sanctis tribuitur, quod non habeant, nec sensus per hæc verba est execratorius, sicut quando juratur per Deum. Ita cum multis Leander *supra quæst. 30.* nisi aliàs illa Christi membra irrisorie sumantur, nam tunc, non solum jurare per illa, sed illa irrisorie nominare, erit blasphemia.

16 Dico secundò: alia sunt verba, quæ ex communi modo loquendi accepta, non continent divini testimonij invocationem, ac per consequens non sunt juramenta, ut si quis diceret, per fidem meam, in fide boni viri, boni Religiosi, in bona fide jurata, in fide boni Christiani, boni sacerdotis &c. hæc enim omnia hunc sensum faciunt, juxta fidem, quæ adhibenda est homini probo, Religioso, sacerdoti, hoc ita est. Idem est, si dicat in mea conscientia, seu per meam conscientiam, denotat namque loqui juxta id, quod scit, & cognoscit. Si tamen dicat in periculo animæ meæ, *sobre minha alma, que isto he asino*, sunt juramenta, facit enim hunc sensum, hoc damnum patiatur anima mea, si ita non est, ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *suprà num. 9.* Si tamen hæc verba non proferantur execratoriè, sed ad reddendum aliquem certum, & tutum circa aliquam opinionem amplectendum, ut cum dicimus, *eu tomo isto sobre minha alma*, in conscientia, non est juramentum, Ita cum alis Fagundez *ibi*, & cum aliis communiter Tanered. *tract. 4. lib. 1. disp. 4. n. 16. & 19.*

17 Dico tertiò: Si absolutè proferas verbum juro, & ibi sisteres, absque Divini nominis invocatione, non censeberis jurare, siquidem depressio linguæ, & ultra non progressio, clare indicant te noluisse nomen Domini invocare, hoc tamen debet intelligi nisi ex circunstantiis aliud intelligatur, nam si interrogatus sub juramento de veritate dicas juro ita esse, sine dubio esset juramentum; quia tunc verbum, juro, satis esset determinatum ad juramentum. Ita communiter DD. Hinc a fortiori sequitur, non esse juramentum, si verbo, juro addatur aliquid per quod illius rigorosa significatio temperetur, & denotetur. Divinum testimonium non invocari. Ita Fagundez *suprà num. 5.* ut si dicas *juro a tal, juro amin, juro à Deos, juro aquen sea, juro per non Deum, juro por non Deus, juro à S. Petro de sunm pallo, juro pel la hostia consalmada, por sunm festo de hostias non consagrados, pel los Sanctos Evangemos, pel lo Ceo da baca, Por San Iunco, por son ece*, nisi alios jurans intelligat Sanctum illius Dici. Idem est si verbo juro addatur, *juro per estas barbas, juro aquen sea, juro per mim*, vel si quis dicat, *juro por a vida de quanto posso jurar*, nam cum per nihil sine necessitate possit jurare, per nihil sequitur jurare. Ita communiter DD. apud Palaum, Trullenc. & Fagundez *suprà*.

An vero sint juramentum illa verba, *Par Deus que histo he asim?* Affirmant Alcozer, Sanchez, & 18
Fagundez, *suprà num. 7.* quia illa propositio facit hunc sensum, *per Deus que isto he asim*, illa vero verba, *por Deus que sim, por Deus que he riya* causa, dicendum est non esse juramenta, sed modi ostendendi tedium. Sic etiam non est juramentum, si quis dicat, per has barbas, per has vestes, per filum hujus meæ tunicæ, per hunc capillum, per hanc paleam, per calceos, per pallares, per lac quod suxi, per hunc ignem, per hunc panem, per hunc aërem, per hanc pluviam, per hanc terram. Ita Sanch. Suarez, Sayrus, Rodriguez, quos refert, & sequitur Fagundez *suprà*. Sed debet intelligi dummodo Deus non adducatur in obliquo dicendo per hunc panem Dei, per terram Dei, vel per aërem Dei, nam tunc verum erit juramentum, quia nomen Dei in obliquo positum facit, ut Deus ut illius creaturæ conditor, adducatur in testem.

Adverte tamen, hæc omnia esse intelligenda, nisi quis specialiter per hæc verba intendat jurare, nam qualemcumque creaturam vero animo jurandi advocamus in testem veritatis, verum est juramentum, quia adducitur illa, ut refertur in Deum. Ita cum Sanchez, Suario, Fagundes, *suprà num. 29.* adverte tamen non esse licitum per quascumque viles creaturas, etiam ut referuntur in Deum jurare, ut per hanc paleam Dei, quia non sunt convenientes creaturæ ut divina Bonitas in eis repræsentetur, alias licitum esset jurare per simulacra, per dæmones, per Idola. Adverte etiam, quod si per dæmones per Mafomam, per Idola, ut sunt Dei creaturæ jurares, peccares quidem mortaliter, quia videris has creaturas honorare, juramentum tamen tenet, ita cum Sanchez, Suario, Fagundez, *suprà*, fideles tamen usurpantes has creaturas ad jurandum, illud faciunt causa irrisionis.

Dico quartò: Alia sunt verba indifferentiæ, quæ 19
aliquando juramentum continent, aliquando non, quod ex modo proferentis, & ex ejus intentione pendet. Hæc sunt si dicas, coram Deo ita est, Deus scit, & videt hoc ita esse, Deus mihi testis est, vivit Deus, Deus est veritas quod hoc ita sit, quæ omnia, si ea proferas invocativè, sine dubio sunt juramenta; at si ea proferas enuntiativè, enuntias Deum scire, cognoscere, & esse testem illius rei, ac in ejus præsentia fieri nullo modo sunt juramenta. Ita cum Sà, Sanchez, & aliis Palaus, *suprà*

n. 4. Idem dicendum est de illis verbis, *que me matem, se esto non he afim*, nam si per modum execrationis dicantur sunt juramentum, faciunt namque hunc sensum, Deus me interficiat, si ita non est. Secus dicendum est, si solum sponsionem, & quasi pœnæ infligendæ oblationem contineant, faciunt namque hunc sensum morti me offero, si verum non sit, & in hoc sensu communiter usurpari hæc verba testatur Sanch. & Palaus, *suprà*.

Item illa verba *fatos amos vennaon por minha alma, como vos tendes de crusados*, & illa *melhor me guarde amum Deos, e mais homme fasa, e mais ventura tenha ea, doque isso he afim*, nam etsi aliquando hæc verba possint continere execrationem, regulariter tamen non continent, sed solum enuntiative proferuntur, petendo à Deo Angelorum receptionem, & specialem Dei custodiam, quæ omnia Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà*, ut alij communiter. Illa vero verba, quibus pueris minamur, digito naso appositio, *por esta que mo aveis de pagar*, non continent juramentum, quia non intendimus juramentum facere, sed est quidam comminandi modus. Idem dicendum est quando aliquis dicit, *por esta cruz*, nullam de industria faciendo crucem, quia tunc non simpliciter juratur per crucem, sed per crucem tunc formatam, quæ cum minime formata sit, nullum efficitur juramentum.

20 Major est difficultas de illis verbis, quibus quis divinæ veritati humanam comparat, ut si dicat, hoc verum est, sicut verum est Evangelium vel sicut Christus est filius Beatæ Virginis. Quo casu si intendat tantam esse veritatem in his dictis, quantam in Evangeliis; ultra juramentum contineret blasphemiam. At si solum hæc enuntiando proferat, ut communiter proferri solent, affirmando inquam veritatem humanam esse instar divinæ veritatis, eique aliqualiter assimilari, nequaquam jurare censetur, debet tamen ab his locutionibus abstineri. Illa vero verba, *voto a Deos*, non est votum, sed juramentum, nam cum materia non sit capax voti, hinc fit non esse votum sed juramentum?

21 An vero sit blasphemia jurare per creaturas? Respondeo creaturas tripliciter sumi posse, primo secundum se, sine respectu ad Deum, secundo cum tali respectu, tertio putando in illis divinitatem: si primo modo sumantur, non est juramentum, quia cum sint irrationales, non possunt adduci in testes, si secundo modo sumantur est verum juramentum, & licitum, si debitis ornetur circunstantiis, quia ut sic tacite invocatur Deus, ut in illis relucet. Si tertio modo sumantur, est blasphemia; nam tribuitur illis divinitas Dei propria. Et hinc est semper esse mortale jurare per dæmonem, sive juramentum sit execratorium, sive attestatorium, quia per hoc juramentum honor Dei videtur tribui Diabolo, ut cum Suario, Reginaldo, & aliis notavit Trullenc. *suprà*. Iurare tamen per Deos falsos ioco, non est peccatum, majus tamen peccatum est jurare verum per Deos falsos, quam falsum per Deum verum, quia primum est blasphemia, & secundum periurium.

22 Si tandem Quæras, an juramentum per Deum, & creaturas differant specie? Respondeo negative cum communi sententia: nam idem Deus formaliter loquendo est per quem juratur in utroque juramento, & solum materialiter differunt, quatenus in uno invocatur tacite, & in altero explicite. Si tamen inquiras quomodo dignoscendum sit, quando quis jurat per creaturas, quod jurat per illa, ut in eis relucet Deus, vel secundum se. Respondeo quod quoties juratur per creaturam, quæ aliquam insignem habet dignitatem à Deo, & in qua excitatur peculiari quodammodo memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc fit relatio ad Deum, & fit verum juramentum; Secus, non ita, & ideo qui jurat, per barbas, per aërem &c. non vere jurat, ut *suprà* diximus, bene tamen, qui jurat per Evangelia, & per beatos &c. Ita & bene Tamborinus *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. §. 3. *n.* 2.

Advertè tamen hanc doctrinam debere intelligi, si qui jurat per eas creaturas, in quibus specialiter Deus relucet, habuit intentionem invocandi Deum in testem, nam si talem intentionem non habuit, sed solum materialiter protulit, in foro conscientiæ non juravit, etiam implicite, sed tantum materialiter; unde hoc à confessoribus examinandum est. Sed quid, si nec habuit intentionem, nec omisit habere, sed præscindit, quia non advertit, vel nescit? Respondeo quod si jurat per Sanctos, vel res sacras, implicite jurat, si per alias res, ut per vitam, conscientiam, cœlum, &c. & sit vir rudis, vere non jurat. Ita Tamborinus *suprà num.* 10. 23

SECTIO V.

Vtrum juramentum sit actus licitus, & honestus?

SUMMARIUM.

24 *Juramentum est actus virtutis.*
25 *Christus tantum prohibuit juramentum sine necessitate.*
26 *Juramentum non est simpliciter necessarium.*
27 *Juramentum non est adhibendum, nisi gravis causa, necessitasve id expostulet.*

RElictis hæreticorum erroribus, qui olim docuerunt non esse licitum jurare. Catholica veritas docet, juramentum actum esse virtutis, si cum debitis circumstantiis fiat, constat ex capite 9. Deuteronomij, *Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis*, & Psalmo 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*, eaque de causa sæpe Sancti Patres jurarunt ad firmandos contractus, Abraham, Isaac, Jacob, *Genesis* 21. 26. & 31. & in lege scripta Moyses *Deuteronomio* 4. & in lege Garciæ Palaus 2. *ad Corinthios* cum dixit, *ego autem testem Deum invoco in animam meam*; & confirmatur ex usu totius Ecclesiæ, & omnium gentium, ut ait Apostolus ad Hæbreos 6. *omnis controversiæ finis est juramentum.* Ratio conclusionis est, quia nostris dictis, quæ fallibilia sunt, opus erat firmitatem certam tribuere; sed nulla alia via obtinere poteramus, quam Divinæ authoritatis interpositione: ergo justum, & conveniens erat, ad hanc finem divinam authoritatem implorare. 24

Nec obstat illud *Matthæi V.* ubi dicit Christus, *ego dico vobis non jurare omnino* Et Jacobi I *nolite jurare quodcunque juramentum.* Nam Christus, & Apostolus, non prohibuerunt ibi absolute juramentum, sed juramentum sine necessitate, putabant namque Judæi juramentum præcipuè per creaturas factum, licitum esse in quacunque occasione, à quo errore eos liberare intendens Christus dixit, *nolite jurare omnino*, hoc 25

est

eſt, niſi neceſſitas urgeat. Eodem modo debent explicari verba Apoſtoli Jacobi, & authoritates Sanctorum, quæ ab hæreticis afferuntur, non enim dicunt juramentum abſolute eſſe illicitum, ſed juramentum factum ſine debitis circunſtantiis, quod nos etiam dicimus.

26 Adde juramentum non eſſe ſimpliciter neceſſarium ſicut eſt ſpes, fides, & charitas, obedientia, oratio, &c. Sed tantum eſt neceſſarium ſuppoſita
27 humana infirmitate. Vnde adhiberi non debet, niſi gravis cauſa neceſſitasve id expoſtulet, ſicut medicina corporalis non adhibetur abſque neceſſitate, alioquin periculoſa eſt, ſic & juramentum. Ita cum communi ſententia Leander *de juramento tract.* 1. *d.* 1. *queſt.* 19.

SECTIO VI.

Vtrum ad honeſtatem juramenti veritas, juſtitia, & judicium requiratur?

SUMMARIUM.

28 *Juramentum ut ſit actus virtutis debet illud comitari veritas, juſtitia, & judicium.*
29 *Quid nomine veritatis intelligatur?*
30 *Quid nomine juſtitiæ intelligatur?*
31 *Quid nomine judicij intelligatur?*
32 *Ponuntur circunſtantiæ, quibus ſaltem juramentum in foro judiciali fieri debet?*

28 DIco primo: Juramentum ut ſit actus virtutis tres debent illud circunſtantiæ comitari, ſcilicet, veritas, juſtitia, & judicium eſt communis inter Doctores, & ſumitur ex illo Jeremiæ IV. *jurabis, vivit Dominus in juſtitia, in judicio, & in ve-*
29 *ritate.* Requiritur igitur primo veritas, quia per juramentum Deus in teſtem adducitur tanquam prima, & infallibilis veritas. In juramento tamen promiſſorio debet inveniri veritas dicti, ita ut is, qui promiſit habeat animum promittendi, & veritas facti, ut quod promiſſa adimpleat, ita cum communi ſententia Tancred. *tractatu* 4. *lib.* 1. *d.* 1. *num.* 74.

30 Dico ſecundò: ſecunda circunſtantia ad juramentum eſt juſtitia ex parte materiæ, quæ confirmatur. Nomine autem juſtitiæ intelligitur, quod materia proxima juramenti debet eſſe licita, & honeſta, & juſta, dixi, materia proxima, nam aliquando materia remota poterit eſſe illicita, ut ſi quis afferatur, ut juret an Petrus commiſerit adulterium, vel ſtuprum: materia tamen proxima, hoc eſt ipſa aſſertio, debet eſſe licita, & juſta, tam in juramento aſſertorio, quam promiſſorio, verbi gratia, dum quis jurat factſſe commiſſum ſtuprum, non inique faciat revelando ſecretum proximi. In promiſſorio autem, non debet promittere factutum rem iniquam, ut ſi juret ſe alterum injuſte occiſurum. Ita cum communi ſententia Tancred. *ſuprà num.* 15.

31 Dico tertiò: ad honeſtatem integram juramenti neceſſarium etiam eſt, ut fiat cum judicio, hoc eſt, cum debita, & prudenti conſideratione, manifeſtum namque eſt ad omnem actum virtutis requiri prudentiam, prudentia namque eſt auriga virtutum. Tum autem juramentum fit cum prudentia, quando fit cum veritate, & cum juſtitia, cum neceſſitate, & utilitate, & illis circunſtantiis, quibus ſaltem in foro judiciali fieri jubemur, hæ autem circunſtantiæ omnes in his verſiculis continentur.

Sit juſiurandum licitum, diſcernere notato,
Quis, cui, quid, per quod, ad quid, cur,
quomodo, quando.

Quis, id eſt perſona jurans, an ſit illi prohi- 32
bitum jurare in judicio; Cui, id eſt, perſona in cujus manibus fit juramentum, juramentum namque in judicio fieri debet coram judice competente; Quid, id eſt, quod materia ſit res honeſta, Per quod, id eſt, quod fiat per Deum, vel per creaturas, quatenus ad Deum referuntur. Ad quid, id eſt, finis juramenti, qui licitus eſſe debet, & neceſſarius; Cur, id eſt cauſa concomitans, & movens ad jurandum, quæ cauſa etiam licita eſſe debet; Quomodo, id eſt quod fiat libere, & non per vim, aut timorem, aut ſubito iracundiæ motu. Quando, id eſt tempus in quo emitti poteſt juramentum ſolemne, nam hoc non poteſt emitti diebus dominicis, niſi magna neceſſitas, aut cauſa pia aliter ſuadeat, ut *infrà* dicemus. Veruntamen hæ conditiones non omnes requiruntur ad omne juramentum, ſed ad illud quod fieri debet cum ſolemnitate. In juramento tamen, quod non fit cum ſolemnitate ſufficit, quod inveniantur tres illæ conditiones veritas, juſtitia, & judicium, ac proinde ſolum de illis ex profeſſo agemus.

SECTIO VII.

Quòd peccatum ſit defectus veritatis, juſtitiæ, & judicij in juramento aſſertorio?

SUMMARIUM.

33 *Juramentum aſſertorium cui deeſt veritas ſemper eſt peccatum mortale.*
34 *Veritas in juramento aſſertorio non ſumitur ex confirmatione juramenti cum re certa in ſe, ſed in mente jurantis.*
35 *Ad aſſertorium formaliter verum ſufficit quod prudenter res ita exiſtimetur.*
36 *Quando defectus juſtitiæ in juramento aſſertorio ſit peccatum mortale?*
37 *Defectus judicij ſi præcisè conſideretur nunquam excedit limites peccati venialis.*

DIco primo: Juramentum aſſertorium, cui deeſt 33
veritas, ſemper eſt peccatum mortale, ſive fiat in judicio, ſive extra, ſive fiat ſerio, ſive jocosè, ſive ob utilitatem ſuam, ſive alienam, ſive ex levitate, aut excuſandi, & ſe purgandi cauſa, ſive ob amorem, aut timorem fiat, ſive materia ſit gravis, ſive levis, imo gravius peccatum eſt in re levi, nam major injuria irrogatur divinæ bonitati. Ita communiter Doctores. Ratio autem eſt, quia adducere Deum in teſtem mendacij eſt intrinſecè malum, ac proinde ex nullo fine etiam bono poteſt cohoneſtari; quia licet in homine dicere leve mendacium eſſet levis culpa, in Deo tamen eſſet ſumma imperfectio, inducens primam veritatem: ergo qui eum affert in teſtem mendacij, etiam leviſſimi, ſi hoc faciat ex advertentia, tacite proteſtatur ipſo facto, vel Deum non omnia ſcire, vel non eſſe primam veritatem,

cum mentiri poſſit, in quo ut vides ingentem illi confert injuriam.

Dixi ſi hoc faciat ex advertentia, nam mendacium in juramento aſſertorio, non tantum deſumitur ex confirmatione juramenti cum re certa in ſe, quam in mente jurantis, poteſt namque jurare rem aliter quam a parte rei eſt, & non obinde falſum jurare, quia prudenter exiſtimavit ſic ſe habere; & è contra jurare quis poteſt rem, ut eſt in ſe, & falſo jurare, ſi prudenter exiſtimavit rem aliter ſe habere. Ratio autem eſt, quia actus voluntatis non ſpecificatur ab objecto prout eſt in re, ſed prout eſt in apprehenſione per intellectum; ſed in illo caſu juramentum verum eſt in ordine ad intellectum jurantis: ergo.

34 Dixi ad juramenti veritatem, quemlibet obligatum eſſe affirmare rem ſecundum quod prudenter exiſtimat ſe habere, non enim ad aſſertionem formaliter veram notitia mathematica, & omnino infallibilis requiritur, alias vix poſſet quis jurare, ſed ſufficit ſi prudenter, hoc eſt ſi ſecundum probabilem rationem ita eſſe arbitretur. Ita cum communi Leander *tract.1.d.7.quæſt.8.* Unde qui tantum rem ſub dubio ſcit, non poteſt illam ſine perjurio affirmare ut certam, neque qui illam ex teſte fide digno ſcit, poteſt in judicio affirmare ut certam, ſed ſolum ut eam ſcit, bene tamen in juramento particulari, ut cum Diana, Hurtado docet Leander *ſupra q.10.*

35 Et hinc deduces deciſionem caſus frequenter contingentis, non eſſe inquam neceſſarium teſtificantibus de aliquo ſcholaſtico confluxiſſe ad ſcholas toto tempore requiſito ad curſum faciendum videre eum ſingulis diebus, ſed ſufficere ſi communiter viderint ſcholas adeuntem, inde enim rationabiliter credunt univerſitatis ſtatuto, quod eſt ut majori anni parte in ſcholis verſentur, ſatisfeciſſe. Non tamen ſatisfaciunt juramento, ſi ſolum audierint à fide digno, illum ad ſcholam adjiciſſe, quia eſt juramentum in judicio. Ita cum communi ſententia Leander. *tract.1.d.7.q.9.*

36 Dico ſecundo: Licet aliqui DD. aſſerant defectum juſtitiæ in juramento aſſertorio, eſſe mortalem, vel venialem, ſecundum quod narratio confirmata juramento mortalis, vel venialis fuerit, ut ait Toletus, Sotus, Ledeſma, quos refert Palaus *d.1. de juramento p.5. num.4.* Reginald. Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Trullench. *in Decalog. lib.2. cap.1. dub.7. num.5.* Verum probabilius eſt, defectum juſtitiæ, non eſſe ſumendum in juramento aſſertorio ex eo, quod juramentum confirmet narrationem, quæ mortalis ſit, vel venialis, ſed ex eo, quod ſumatur, ut inſtrumentum peccandi, ut ſi quis infamet proximum, narrando veritatem occultam, & ut credibilior fiat infamiam, vel detractionem juramento firmet, & hunc abſque dubio ſi detractio, vel revelatio proximi fuerit in materia gravi, grave peccatum erit tale juramentum. Ita cum Sanch. Suarez, & aliis Palaus *ſupra num.4.* Raphaël de la Torre *quæſt.98.art.3. d.3.*

37 Dico tertio: Defectus judicis, qui in eo ſitus eſt ut juramento deficiat cauſa honeſta, & utilis ad jurandum, ſi præcisè conſideretur, nunquam excedit culpam venialem, tam in juramento aſſertorio, quam promiſſorio, quia non videtur gravis irreverentia Deo fieri, quod ejus nomen abſque neceſſitate invocetur, ſi juſte, & vere invocatur. Ita communiter DD. apud Palaum *ſupra*. Dixi non excedere culpam venialem, ſi præcisè conſideretur, quia ſæpè ex hujuſmodi defectu naſcitur negligentia in inquirenda veritate, & juſtitia ad juramentum requiſitis], & tunc ſi negligentia gravis ſit, peccatum erit mortale, non tam ratione defectus judicij, quam ob periculum falsò jurandi, ſi tamen ſolum fuerit negligentia levis, etiam erit peccatum leve.

SECTIO VIII.

Quale peccatum ſit in juramento promiſſorio defectu veritatis, & juſtitiæ?

SUMMARIUM.

38 *Defectus veritatis præſentis in juramento promiſſorio ſemper eſt mortalis.*
39 *Quid ſi quis juret commiſſurum grave peccatum?*
40 *Quid ſi juret fracturum brachia filij?*
41 *Ponuntur quædam corollaria.*
42 *Quando res promiſſa cum juramento eſt gravis tenetur eam jurans exequi ſub mortali.*
43 *Quid ſi res promiſſa ſit levis?*
44 *Defectus juſtitiæ in juramento promiſſorio, ſi materia promiſſa eſt gravis, eſt peccatum mortale.*
45 *Quid ſi materia levis ſit?*
46 *Ponuntur quædam corollaria.*

Dico primo: Defectus veritatis in juramento promiſſorio ſemper peccatum mortale, ſive res promiſſa ſit magna, ſive parva, ſive licita, ſive illicita, quia in hac veritate juramentum promiſſorium cum aſſortorio convenit, ſicque peccat, mortaliter qui jurat ſe facturum aliquod malum grave, aut leve cujus exequendi non habet intentionem. Ita communiter. DD. apud Trullench. *lib.2. c.7. n.6.* Et hinc infert cum Sanchez, Trullench. minus malum ab eo committi, qui jurat ſe facturum aliquod peccatum veniale cum animo exequendi, quam animo non exequendi, nam qui jurat animo exequendi peccat ſolum venialiter, ut ſtatim dicemus, qui vero jurat animo non exequendi, peccat mortaliter, quia deeſt veritas. 38

Sed quid ſi quis juret commiſſurum grave peccatum, debetne habere intentionem exequendi, ut non jurel falſum: Reſpondeo non poſſe jurare, quia ex ſuppoſitione, quod vult jurare, tenetur habere intentionem exequendi, quod promittit, quam intentionem cum licite non poſſit habere, non poteſt licite jurare, unde peccat jurando cum tali intentione, tum in deſiderio mali, quod promittit, tum ipſo juramento, ſiquidem deficit ei juſtitia, non tamen contra veritatem juramenti, ſi habetur intentionem rem malam exequendi. 39

Adverte tamen eum, qui jurat ſe fracturum oſſa, vel brachia filio, &c. non peccare, ſi aliàs habeat animum illum graviter caſtigandi, quia hæc verba dicuntur per Hyperbolem, & exaggerationem, quod à ſimili probari poteſt, cum quis aliquem laudat de agilitate, & juramento firmat eſſe, ſicut aquilam velocem, ut ſi dicat, *por Chriſto que he Fulano hun penſamento*, vel ſi dicat, *por Deos, que non darei eſta pena por hun Reino, vale hun Reino*, ſenſus enim enim eſt, eſt magnæ æſtimationis. Idem dicendum eſt de aliquibus verbis urbanitatis, ut cum aliquis, ut alteri deferat honorem jurat non ingreſſurum, niſi alter præce- 40

dat,

Digitized by Google

dat, & similia, nam sensus est, se non ingressurum, nisi mutet intentionem. Et idem dicendum est de aliis juramentis, quæ faciunt patres erga filios, illos infringendo, hoc est, nisi mutent intentionem, vel nisi illi emendentur.

41 Hinc fit quod ille qui juravit rem malam efficere, non teneri illam exequi; imo etsi promissio sit de re justa, aliquando non tenebitur illam exequi, quia mutatæ sunt circumstantiæ, cum quibus juramentum obligat. Secundo fit matres, quæ ex passione, vel etiam alios, qui ex impetu iracundiæ jurant, minantes aliis; cum vera tamen intentione adimplendi, non teneri servare juramenta, quia juramenta, ut sic, non habent materiam bonam, cum fiant causa vindictæ; sic autem jurantes communiter solum peccant venialiter. Ita cum Diana, Villalobos, Trullenc. *supra num.*7. At si comminatio facta fuit de justa punitione, tenentur exequi, nisi alias mutentur circumstantiæ, quæ semper tacitè includuntur in omni juramento, censetur autem causa variata, quoties advenit causa non puniendi, ut si turbaretur pax domus, dummodo id non præviderit, vel si jam non sit opus talis pœnæ, ut medeatur, malum, vel si filius jam est emendatus, aut veniam petiit, aut amicus pro illo condemnationem impetravit, vel ob alias causas.

42 Dico secundò: quando res promissa cum juramento est gravis, & juxta certum est jurantem teneri illam exequi. Ita communiter DD. Ratio est quia violatio voti in re gravi, est grave peccatum: ergo à fortiori violatio juramenti, cujus obligatio
43 major est. An autem si res promissa sit levis, sit peccatum mortale illam non adimplere? affirmant Gabriel, Cajetan. Armilla, Valentia, Lessius, Bonacina, Reginaldus, quos refert Palaus *d. 1. p. 6. num. 6.* Secunda sententia distinctione utitur, affirmat namque, si materia promissa sit totalis, defectum in ejus executione peccatum esse, si vero sit partialis, esse veniale: nam defectus in materia partiali, & levi, non videtur sufficiens ad constituendum juramentum falsum; ita Cajetan. Couvar. Cordoua, Sayro, quos refert Palaus *supra*. Tertia tandem, & probabilior sententia docet, esse solum peccatum veniale, sive materia promissa levis sit totalis, sive partialis, hoc enim per accidens est, nam sicut, qui non exequitur promissum in materia totali, non adæquat executionem cum promissione, ita qui non exequitur totam materiam promissionis; & hanc sententiam tenent Navarr. Rodrig. Azor. Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *supra num.*7. Raphaël de la Torre *quæst.*98. *art.*3. *disput.*7. Arragonius, Ledesma, Alcozer, Henriquez, quos refert & sequitur Trullenc. *in Decalog. lib.*2. *cap.*7. & cum multis Diana *p.*4. *tract.*7. *resol.*7. Fagund. *in* 2. *præceptum lib.*2. *cap.*6. *num.*29. & cum aliis Leander *tract.*1. *d.*7. *quæst.*33.

Ratio fundamentalis est; quia qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente, si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc, quod animum mutet; cum ergo mendacium propriè non committat promissione, non adducit Deum in testem falsi, sed tantum infideliter agit, esse autem infidelem in re levi non est gravis injuria Dei, quia non destruitur aliquod Dei attributum, etiam in affectu hominis; non enim destruit veritatem, quia illo tempore cum executionem omittit, non adducit Deum in testem, quando vero promisit, verè adduxit, neque etiam destruit ejus fidelitatem, quia non invocat Deum, ut ipse promittat, sed solum invocat, ut assistat promissioni, ex qua assistentia provenit irreverentia, quæ Deo fit cum non impletur id, quod sub ejus authoritate promissum est: ergo.

Dico tertiò: Defectus justitiæ in juramento promissorio, si materia promissa est gravis, est peccatum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia qui rem gravem juramento promisit efficere, authoritate divina, divinoque testimonio se firmat in proposito peccandi mortaliter: ergo peccat mortaliter contra reverentiam Deo debitam; tum quia tenetur sub mortali non facere, quod curat, ergo perinde est, ac si falsò jurasset & in hac parte omnes conveniunt. 44

At si materia levis sit, eo quod vindicatio jurata levis sit, affirmat communis sententia solum esse culpam venialem; quia non videtur gravis injuria Deo fieri, quod quis ejus authoritate se firmet in proposito peccatum veniale committendi, præcipuè cum solum sub obligatione venialis culpæ teneatur juramentum illud non exequi. Sic innumeris relatis Palaus *supra num.*10. Torre, & alij, quos refert, & sequitur Leander *de juramento tract.*1. *d.*7. *quæst.*38. 45

Hinc fit, tantum esse peccatum veniale juramentum de non præstando consilium aliquod Evangelicum. Nam licet sic jurans sumat divinum testimonium ad obsistendum divinæ voluntati, tamen quia hæc obsistentia alias peccatum non est, non videtur graviter divina majestas in testem adducta injuriari. Imò Addo, quod si quis omittat consilium Evangelicum, quia juravit omissurum, vel faciat peccatum veniale, quia juravit facturum, regulariter peccare venialiter, quia talis omissio procedit ex quadam ignorantia, qua credis sic juratum esse adimplendum, at si illam ignorantiam secludamus, existimo executionem rei illicitæ, vel omissionem Evangelici consilij, quia juratum est, per se peccatum mortale esse, est enim gravis blasphemia in reverentiam juramenti præstare, quod est contra juramenti religionem. Adde talem executionem continere tacite errorem in fide. Sic cum Sanchez, Palaus, *supra num.*11. 46

SECTIO IX.

Quod peccatum sit in judicio vel extra juramentum præstare in alio sensu ab eo quem alius intelligit.

SUMMARIUM.

47 *Deus in judicio legitimè interrogatus non potest uti amphibologia.*

48 *Jurare etiam extra judicium sine necessitate, vel utilitate est peccatum saltem veniale, seclusa injustitia, vel alia circumstantia.*

49 *Quando detur amphibologia?*

50 *Jurare amphibologice, si adsint alij comites juramenti, non est peccatum.*

51 *Quid si amphibologia non in solis verbis consistat, sed sit necessarium ut aliquid mentale subintelligatur?*

52 *Quoties licitum est vel oratione ambigua, vel tacita restrictione, licitum est uti juramento, si necessitas, aut utilitatis causa id postulet.*

53 *Quædam corollaria ponuntur.*

54 *An in aliquo casu possit falsificari scriptura publica sine peccato.*

55 *Quid ſi quis ſcripturam privatam & ſyngraphan falſificet ?*

56 *Alia corollaria ponuntur.*

57 *Quotieſcunque aliqua cauſa honeſta ſe offert tegendi veritatem poteſt quis abſque peccato uti amphibologia.*

47 DIco primò : Deus in judicio legitime interrogatus, non poteſt uti amphibologia, quoties tenetur veritatem fateri, & idem dicendum eſt quando ad firmitatem alicujus contractus poſtulatur juramentum : nam ſi quis, ut ab obligatione ſolveretur, juraret amphibologice deciperet proximum in re gravi ; & in hoc conveniunt DD. ut teſtatur Leander *tract. 1. de juramento d. 44. quæſt. 5.*

48 Dico ſecundò : loqui, vel jurare etiam extra judicium amphibologice, ſine neceſſitate, vel utilitate, eſt peccatum, opponitur enim hic loquendi modus convictui humano. Vnde licet talis indebita, & ſimulata locutio non ſit mendacium, repugnat tamen veritati, non defectu veritatis, ſed per nimiam occultationem veritatis revelandæ, & ideo ſi tali locutioni addatur juramentum, eſt etiam peccatum, quamvis non excedat limites peccati venialis, ſeclusa injuſtitia, vel alia circunſtantia, quæ ex tali modo jurandi oriri poſſet. Ita cum Cajetano, Suario, Leſſio, & aliis Palaus *d. 1. p. 7. num. 3.* & cum aliis Tancred. *tract. 4. lib. 3. d. 3. num. 17.* Ratio eſt, quia hic non deficit veritas, ſed tantum datur defectus judicij, ſed defectus judicij juramento non eſt mortale, ſed veniale, ut *ſuprà* diximus, ergo.

49 Vt autem hæc clarius luceſcant notandum eſt, amphibologiam tunc dari, quando loquens accipit verba in alio ſenſu, quam alius accipit, quod dupliciter poteſt accidere. Primò ſi revera verba utrumque ſenſum, tam illud, quod intendit jurans, quam audiens, habere poſſunt in ſignificatione propria, & uſitata, ut contingit in æquivocis, ut ſi quis juret ſe non comediſſe talem rem, intelligens individuam, cum alij de tota ſpecie intelligant. Secundò poteſt uti ambiguo ſenſu, præter propriam ſignificationem verborum, ſubintelligendo, vel addendo aliquid, quod mente ipſe concipit, licet non exprimat voce.

50 Dico ego tertiò : quoties verba ſecundum aliquem ſenſum, vel proprium, vel ſecundum aliquam legitimam interpretationem intentam, proferuntur ex cauſa honeſta, nec perjurium committitur, neque ullum peccatum, ſic jurare amphibologice, ſi adſint alij comites juramenti. Ita communiter DD. apud Suarium *de juramento lib. 3. cap. 9.* Raphaël de la Torre, *quæſt. 98. art. 9. diſp. 4.* Et declaratur variis exemplis, v. g. ſi quis promittat, aut contrahat exterius ſine animo promittendi, & interrogetur à judice ſub juramento, an promiſerit, vel contraxerit, poteſt ſimpliciter negare ſe promiſiſſe, vel contraxiſſe, quia poteſt habere legitimum ſenſum, ſcilicet ſe non contraxiſſe interius, quia alias cum non poſſit probare, habet cauſam legitimam, ne confitendo condemnetur. Et idem dicendum eſt de eo, qui cum pecunias mutuatas ſolverit, & ab eo iterum petuntur in judicio, in quo probare non poteſt, ſe illas jam ſolviſſe, poteſt abſolute negare, ſe illas accepiſſe, quia negatio illa de pecuniis non ſolutis intelligenda venit. Item ſi exemptos à gabellis interrogetur, an talem rem portet, poteſt abſolute negare cum juramento, quia illa negatio facit hunc ſenſum, non porto ita ut tenear ſolvere. Idem dicendum eſt de eo, qui interrogatus an reus illuc tranſierit ? reſpondet cum juramento non tranſiſſe huc, deſignando locum, quem pede, vel manu tangit. Idem dicendum eſt de eo, qui interrogatus an veniat de tali loco, qui falſo putatur peſte infectus, negat cum juramento ſe ex illo venire, propter eandem rationem.

51 Major eſt difficultas quando amphibologia in ſolis verbis externis non conſiſtit, ſed neceſſe eſt, ut aliquid mentale ſubintelligatur, vel præcedat, ut verum ſenſum efficiant, verbi gratia, dicit aliquis, non comedi tale obſonium, & interius intelligit hodie. Et non eſſe licitam amphibologiam in nullo caſu acerrimè defendit Cajetan. Aragonius, Soto, quos refert, & ſequitur Raphaël de la Torre *q. 98. art. 9. diſp. 4.* contraria tamen ſententia communis eſt, & pro ea refert plurimos DD. Tancred. *tract. 4. lib. 3. d. 3. num. 6.* Diana *1. p. tract. 15. reſol. 25.* Palaus *d. 1. p. 7.* Trullenc. *lib. 2. cap. 1. dub. 15. n. 11.* Leander *tract. 1. d. 45. quæſt. 10.* Ratio autem eſt, quia ſicut datur oratio pure vocalis, pure ſcripta, & pure mentalis, ita poteſt dari oratio mixta, id eſt compoſita ex terminis vocalibus, & mentalibus, ergo veritas talis orationis mixtæ, non eſt penſanda ſecundum unam, vel aliam partem, ſed ſecundum integrum ſenſum, qui ex tota oratione ſic integra reſultat, ac proinde falſitas non eſt ſumenda ex ſola voce : confirmatur quia in his eventibus, & caſibus non tenetur homo totam ſuam mentem circa rem de qua interrogatur aperire : ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperitur : poterit ergo partem exprimere, & partem tacitus mente addere.

52 Et ex his colliges cum Trullenc. *ſuprà*, quandam regulam notatu dignam. Quotieſcunque licitum eſt uti oratione ambigua, vel tacita reſtrictione, licitum etiam eſt uti juramento, ſi neceſſitas, vel notabilis cauſa id poſtulet, aut utilitas corporis, aut honoris, aut rerum familiarium, vel ſi intercedat injuſta interrogatio facta illi, qui amphibologice loquitur. Ita etiam cum Bonacina, & aliis Diana *2. p. tract. 6. reſol. 30.* Leander *tract. 1. d. 45. quæſt. 11.* ex quo multorum caſuum reſolutiones colligit, quos nos etiam breviter colligemus.

53 Primò fit eum, qui juramento promiſit latroni 100. addendo tacite in mente ſua, ſi debeo, aut ſi voluero, non peccare jurando, quia habet juſtam cauſam utendi amphibologia, nec tenetur tunc ſolvere centum latroni, quia non intendit ea ſolvere. Valentia, Navarr. Sanch. & cum aliis Trullenc. *l. 2. cap. 1. dub. 15. n. 4.* Secundò fit poſſe uti amphibologia eum, qui à judice non ſuo interrogatus, vel à ſuo, ſed non juridice, interrogatur, & idem poteſt facere teſtis, dum non interrogatur juridice, aut habet juſtam cauſam non ferendi teſtimonium in judicio, ut ſi grave damnum inde ſibi timeat, vel quid ſimile, vel ſi interrogetur de criminoſo occulto, tunc enim poteſt reſpondere, ſe neſcire, vel non vidiſſe, vel quid ſimile, addita reſtrictione, ut tenear dicere. Ita cum Leſſio, Sanchez, Villalobos, Sairo, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 5.* & cum aliis Tancred. *tract. 4. lib. 3. d. 3. num. 25.*

Tertio rogatus à judice de delicto, quod ſaltem ſub opinione probabili non tenetur manifeſtare, ut, ſi ſolum detur ſemiplena probatio, negare poteſt ſe illud commiſiſſe, ſubintelligendo in carcere, vel ad dicendum. Ita cum multis Tancred. *ſuprà num. 30.* Item rogatus de complice, quem ex eiſdem rationibus manifeſtare probabiliter non tenetur, eodem modo negare poteſt. Ita cum Sanchez, Sairo, Navarro, Bonacina, Palaus *ſuprà num. 5.* Imò poteſt ſe offerre ad ſic jurandum, quando id opus eſſet; Adde ſi forte reus ſocios detexit, cum non deberet, teneri pro illorum defenſione, juramento

amphi

amphibologico uti, si sperat damnum factum recuperaturum; tenetur inquam ex justitia, si malitiosè contra ordinem juris detexit, si vero ignoranter, & absque culpa processit, solum tenetur reparare damnum proximi, modo quo sibi licitum est, & non incommodo Sanchez, *lib. 3. decalogi cap. 6. num. 28.* Palaus *suprà num. 5.* Tanered. *suprà num. 29.* Tamburinus *lib. 3. decalogi cap. 4. §. 3. numero 1.*

Quarto rogatus an promiserit matrimonium, à cujus obligatione secundum opinionem probabilem immunis est, jurare poterit non promisisse, subintelligendo, ut teneat. Item coactus accipere aliquam in sponsam, quam ducere non tenetur, jurare poterit se illam ductum intelligendo, si obligationem habeo. Et idem dicendum est de uxore, quæ cogitur cum marito cohabitare, cujus cohabitatio sibi interdicta est, poterit jurare cohabitaturam, subintelligendo, si id licite possim, quia justissimam cautam habent utendi amphibologia in his casibus. Ita cum Sanchez, Palaus, *suprà*, Tamburinus, *suprà num. 2.* Item rogatus de furto, quod in recompensationem accepit, vel de mutuo, quod vere non debet, quia solvit, vel præ paupertate probabiliter excusatur, aut vere non debet, quia non est terminus completus, potest jurare se mutuum non accepisse, subintelligendo, ut debeam statim solvere, quia ad hujusmodi finem judex juramentum exigit. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Palaus *d. 1. p. 7. num. 5.* Tamburinus *suprà numero 2.*

Quintò creditor exigens debitum in virtute instrumenti publici, affirmare poterit sibi totam illam quantitatem deberi, etiamsi pars sibi soluta sit, si aliunde est debita, & illam recuperare non potest; Imò potest jurare partem illius debiti non sibi esse solutam, intelligendo, ut non sit tantundem debitum, quia verum jurat. Excipe nisi hoc juramentum cederet in præjudicium alterius creditoris, qui haberet jus anterius debito illo non contento in instrumento, cui debitor satisfacere non potest, nisi sibi totum debitum solvat, tunc enim ob præjudicium alterius creditoris, jurare non poterit totam illam quantitatem sibi deberi, aut partem illius debitam non esse solutam. Ita Sanchez, *lib. 3. cap. 6. numero 33.* Tamburinus *suprà numero 2.* & cum Bonacina, & aliis, Leander *tract. 1. d. 45. quæst. 21.*

Sextò è contra debitor, à quo debitum expostulatur virtute alicujus instrumenti majorem quantitatem continentis, quam ipse debeat, poterit absolute negare, se illud debere. Imò & negare illam partem debiti, si ex confessione partis probabiliter timet obligandum esse solvere, quod non debet, quia ad utendum æquivocatione, habet legitimam causam, cavere tamen debet, ne præjudicium creditori sequatur in parte debita, eaque de causa tenetur partem illam solvere, & etiam expensas si quas fecit ob morosam solutionem Ita Sanchez, *suprà n. 3.* Bonacina, *suprà n. 10.*

54 Sed quæres, an sicut debitor potest jurare, se nihil ab alio mutuo accepisse, cum jam debitum solverit, possit etiam falsificare scripturam ostendendo publicum instrumentum, & scripturam falsam, qua constet ipsum jam solvisse debitum creditori? Quotidianus casus hic est, & affirmative respondet Carolus Bansius, Emanuël Saa, quos refert Diana *p. 7. tract. 8. resol. 6.* qui asserunt, quod si de prædio aliquo litigetur (& idem est de debito,) quod Franciscus sciret certo esse suum, alter vero illud injuste peteret, si Franciscus, alio modo non posset probare, tale prædium esse suum, quam producendo falsum instrumentum pridie ab alio confectum, posse illud producere. Ratio illorum est, quia nulli in hoc casu fit injuria. Et idem dicunt de publica scriptura nobilitatis, hæreditatis, quæ si amittatur dicunt, posse sine peccato mortali aliam similem confici.

Ego tamen cum Diana dico, quod publicum instrumentum, seu scriptura publica, in multo casu, sine peccato mortali posse falsificari, etiamsi nullum aliud suppetat remedium ad recuperandam hæreditatem amissam, non quia hæc falsificatio sit contra justitiam commutativam, sed quia est contra justitiam legalem, & bonum reipublicæ, quod maxime periclitatur, si liceret aliquando falsa instrumenta conficere, quod malum reipublicæ præponderat illi malo, quod patitur injustè privatus suo prædio. Ita Lugo *de justitia d. 40. tomo secundo, numero vigesimo septimo*, & cum Mazuchelo, Diana, *9. parte tractatu octavo, resolutione 71.* Si 55
quis tamen privatam aliquam scripturam, ut syngraphum, aut apocham, qua constaret se certæ quantitati pecuniæ mutuo acceptæ satisfeciſſe falsificaret, quia aliam legitimam à creditore confectam amisisset, nec alio modo probare posset solutionem, non damnat peccati mortalis Mazuchelus, quam non improbat Diana *suprà*, & ratio illius est quia falsificationes hæ privatarum scilicet scripturarum, non sunt ita reipublicæ perniciosæ, & authores citati loquuntur tantum de falsificatione instrumenti, quod est scriptura publica; sed ego nec huic sententiæ volo assentire, opponitur enim maxime bono publico, cum talis syngrapha, etiam in judicio faciat fidem.

Septimò fit, habentem justam, & probabilem 56
causam occultandi fisco, vel creditoribus aliqua bona, ne videlicet sibi desint necessaria ad sustentationem, neve mendicare cogatur posse negare se occultasse, subintelligendo, quæ obligatus sit manifestare. Idemque possunt respondere testes id ipsum cognoscentes. Ita cum Bonacina, Sanchez, Palaus, *suprà*, Trullenc. *suprà numero 7.* Diana *1. parte tractatu 6. resolutione 3.* Leander *tractatu 1. d. 45. quæstione 16.* Item scholasticus rogatus an locutus fuerit cum aliquo ex oppositoribus ad cathedram, vel illius domum fuerit ingressus, potest respondere negative, si verba, aut ingressus domus non fuerint subornationis causa, quia hæc debet esse mens judicis interrogantis. Ita cum Sanchez, Suario, Palao, Leander, *suprà quæstione 24.* Item Canonici obligati servare secretum eorum, quæ in congregatione tractantur, possunt jurare se non violasse secretum, si nihil eorum, quæ sub gravi culpa obligati erant celare manifestaverint, quia de his, & non de aliis censetur judex interrogare. Ita Sanchez, *libro tertio, capite sexta, numero 34.*

Octavo mulier, quæ adulterium commisit, poterit sub juramento negare, se commisisse, subintelligendo, ut manifestare teneatur. Ita cum Sanchez, Bonacina, Saïro, Palao, Leander, *suprà quæst. 21.* Item is, qui mutuare non tenetur, poterit respondere petenti mutuum, se nullam habere pecuniam, hoc est ad mutuandum, si causa detur negandi mutuum, nempe quia prædictis illis pecuniis eget ad alium usum, vel timet debitorem difficilem fore solvendum. Ita cum Navarrez & aliis Sanch. *lib. 3. c. 6. n. 40. & 41.* Item mercatores, qui non possunt justum pretium ab emptoribus obtinere, nisi jurent tanti, vel tanti sibi merces stare, cum de facto non stet, jurare quidem possunt, tanti

sibi

ſibi ſtare, ſubintelligendo, cum alia merce, quam habent, vel computatis omnibus expenſis. Ita Rebellus *lib.9.quæſt.6. num.*8. Bonacina *d.*4. *quæſt.*1. *p.*12. *num.*8.

Nonò: Quando quis inique interrogatur, ut reſpondeat excludendo omnem amphibologiam, poteſt adhuc, ſi juſta adſit cauſa, uti amphibologia, ponendo in mente aliquam particulam, per quam verum efficiatur juramentum, ut ſi judex interroget teſtem, an ſciat delictum, ſive publice, ſive occultè, aut ſecluſa omni amphibologia. Item pœnitens interrogatus an illud, vel hoc peccatum faſſus ſit, poteſt jurare, ſe non confeſſum, intelligendo, ut teneat tibi dicere, & idem de confeſſario dicendum eſt. Ita cum Henriquez, Sanchez, Bonacina, Diana, Trullenc. *ſuprà num.*9. & cum aliis Leander *tract.*1. *d.*45. *quæſt.*37.

Decimò ubi factum exterius ob aliquam cauſam excuſatur à peccato, poteſt interrogatus à judice de illo facto, id negare, intelligendo de facto criminoſo, ut ſi in propriam defenſionem, vel inadvertenter homines, quis occidit, vel rem alienam in veri debiti compenſationem uſurpavit. Ita cum Leſſio, Sanch. Diana *3.p. tract.6. reſol.*30. Qui optimè addit cum Sanchez, quod quando taxa alicujus rei probabiliter eſt injuſta, venditor ſi pluris vendat, defraudet in pondere, & menſura, ita ut ſibi ſatisfaciat, vel pro pretij injuſtitia poteſt à judice interrogatus, an pluris vendiderit, vel cum falſa menſura, poteſt inquam totum negare, & aſſerere, ſe pretio taxato, vendidiſſe, & cum juſtis ponderibus, intelligendo hæc, ita ut pluris vendens, aut deficiens in pondere deliquerim Diana *p.*3. *tract.6. reſol.*30.

Major difficultas eſt, an ſi quis ad promovendum in concionatorem, ad Cathedram, ad lauream doctoratus, debeat habere, v.g. decem annos ſtudij in aliqua univerſitate, & interrogatus ſub juramento, an prædictos annos habuerit in univerſitate Conimbricenſi, vel Eborenſi, poſſit reſpondere, tales annos perfeciſſe, intelligendo interius, quoad ſufficientiam, ſupponimus namque talem promovendum habere eam ſcientiam requiſitam ad tale munus; Negativè reſpondet cum Sanch. Diana *p.*4. *tract.* 4. *reſol.*175. Verum affirmativa ſententia probabilis mihi videtur, hanc tenet cum Tamburino, Tancred. *tract.*4. *lib.*3. *d.*3. *num.*52. Ratio autem eſt, quia ceſſante fine legis in aliquo caſu particulari ceſſat lex in probabiliori opinione, ſed lex præſcribens decem annos ſtudij in aliqua univerſitate ad gradum Doctoralem, ad concionandum, &c. eſt, ne doctoretur, vel prædicet non idoneus; ergo ſi homo iſte idoneus eſt, ceſſat lex præſcribens illi decem annos ſtudij: interrogatus ergo, an per decem annos ſtuduerit in univerſitate Conimbricenſi? Reſpondere poterit, ſtudui, ſubintelligendo in loco debito, quoad ſufficientiam, ſi quidem per hoc non lædit, quoad ſubſtantiam legem, vel jus alicujus. Imò ſi illi dicatur, quod reſpondeat ſine amphibologia, poteſt jurare ſe ſtuduiſſe in univerſitate Conimbricenſi per decem annos, ſubintelligendo quoad ſufficientiam, propter eandem rationem. Ita Tancred. *ſuprà n.*51.

57 Denique quotieſcumque aliqua cauſa honeſta ſe offert tegendi veritatem, poteſt quis abſque peccato uti amphibologico juramento, ut ex allatis exemplis conſtat & ex ratione ſæpe dicta, quia tale juramentum veritatem, & juſtitiam habet, & cum utile ſit, illud præſtare, non deficit judicium, ex nullo ergo capite vitiari poteſt. Adverte tamen maximè in fine hujus ſectionis, utentem aliqua ex his amphibologiis, debere ſcire ſaltem in genere, ſe poſſe abſque mendacio tegere veritatem, non tamen opus eſt, ut in particulari cognoſcat modum quo debet tegi, unde ſi intendat jurare eo ſenſu, quem vir doctus verum reperiret, & ſciat verum ibi reperiri poſſe, ſufficiet ad excuſationem perjurij. Suarez *tomo* 1.*de Relig.lib.*3.*cap.*10.*num.*4. Sanch. *lib.*3. *cap.*6. *n.*46.

SECTIO X.

Utrum juramentum fictum tam in judicio, quam extra ſit peccatum mortale?

SUMMARIUM.

58 *Jurare ſive in judicio, ſive extra ſine animo implendi juratum eſt peccatum mortale.*

59 *Jurare falſum ſine animo jurandi, tam in judicio, quam extra eſt peccatum mortale.*

60 *Jurare verum ſine animo jurandi extra judicium, & contractus tantum eſt veniale.*

61 *Juramentum verum ſine animo jurandi in judicio & contractibus eſt peccatum mortale.*

62 *Qui aliquid promiſit cum juramento ſine animo implendi, ſed cum animo non ſe obligandi peccat mortaliter.*

63 *Qui aliquid promiſit cum juramento cum animo implendi ſed cum animo non ſe obligandi extra judicium, & contractus venialiter peccat.*

TRibus modis dari poteſt fictio in juramento, primo ſi quis juret ſine animo jurandi, ſecundo ſi juret ſine animo ſe obligandi. Tertiò ſi juret ſine animo implendi, quod juravit; his ſuppoſitis,

Dico primò: jurare ſive in judicio, ſive extra ſine animo implendi juratum, eſt peccatum mortale. Ita communiter DD. apud Tamborinum *lib.*3. *cap.*3.§.1.*nu.*1. Tancredum *tract.*4.*lib.*2.*d.*4.*n.*12. Leandrum *tract.*1. *d.*44. *quæſt.* 7. Eſcobar *lib.*29. *n.*200. Ratio eſt, quia juramento quale hoc eſt deficit prima veritas, ergo. 58

Dico ſecundo: Jurare falſum ſine animo jurandi, tam in judicio, quam extra, eſt peccatum mortale. Ita cum Caietan. Ledeſma, Soto, Leſſio, Suar. Bonacina, Palaus *d.*1.*p.*8.*num.*4. Trullenc. *in decalog. lib.*2.*cap.*1. *dub.*12. Leander *tract.*1. *d.*44. *qu.*2. Ratio eſt, quia gravis irreverentia fit Deo, ex eo quod tantum in apparentia & nomine tenus in teſtem falſi invocetur, nomini enim Dei Summa reverentia debetur. Tum quia ſi ſemel admittamus Deum ſimulate invocari poſſe in teſtem falſi, abſque gravi peccato, finis juramenti, qui eſt veritatis confirmatio, magna ex parte pœnitus fruſtraretur, quæ ratio magis urget in judicio, & contractibus, quia in judicio, eſt contra judicis mandatum jurare falſum, ſine animo jurandi, & in contractibus, eſt in præjudicium partis. Hic tamen non loquimur quando juramento additur aliqua particula inintellecta, qua redditur verum juramentum in meo intellectu, licet exteriòr prolatio ſit falſa, nam de his modis jurandi, præcedenti ſectione fuſe diximus, quod non ſit peccatum. 59

Dico tertiò: Jurare verum, ſine animo jurandi, extra judicium, & contractus, tantum eſt veniale. Ita cum Leſſio, Sanch. Bonacina, Palaus *ſuprà n.*6. & cum aliis Leander *ſuprà quæſt.*4. Ratio eſt, quia 60

ex

Digitized by Google

ex hoc juramento non fit aliqua gravis irreverentia Deo, cum licet simulate invocetur, invocatur tamen in testem veritatis, neque fit injuria proximo, quia supponimus graviter inde non lædi.

61 Dico quartò: jurare verum sine animo jurandi in judicio, & contractibus, est peccatum mortale. Ita prædicti DD. & Ratio est, quia sic jurans, decipit judicem, vel secum contrahentes, nam superioris præceptum, non solùm est de veritate dicenda, sed de dicenda sub divino testimonio, in contractibus vero semper resultat ex hac simulatione aliquod damnum proximo, quod si nullum resultet, probabiliter putat Sanc. *lib. 2. cap. 7. n. 2.* non esse mortale, quam sententiam approbat Palaus *suprà num. 57.* Leander *suprà, quæst. 5.* & mihi non displicet, quia in contractibus, quod per se magis attenditur, est damnum proximi, unde si abfit, non erit mortale. Adverte tamen ex hoc juramento facto sine animo jurandi sive sit de re vera, sive falsa, nullam oriri obligationem adimplendi illud, non enim fuit verum juramentum, sed simulatum. Ita cum communi sententia Trullenc. *supra num. 2.* sed debet intelligi, quantum est ex vi, & religione juramenti, & in foro interno, nam si de foro exteriori loquamur, si detur scandalum, ratione scandali, tenetur jurans tale juramentum observare, si sit de re aliqua facienda. Ita communiter DD. apud Fagundez *in 2. præceptum Decalogi lib. 1. cap. 9. num. 4.*

62 Dico quintò: qui aliquid promisit cum juramento, sine animo implendi rem promissam, sed cum animo non se obligandi, peccat mortaliter. Ita Tamburinus *lib 3. cap. 3. § 2. num. 6.* Ratio est, quia juramentum, cui deficit animus se obligandi, non est verum, sed fictitium, sed jurare falsum fictitiè, est peccatum mortale, ut diximus præcedenti asserto: ergo & jurare sine animo se obligandi. Major probatur, quia obligatio, vel est de essentia ipsius juramenti, vel passio inseparabilis ab ipso juramento: ergo si quis vult jurare, excludendo obligationem, vult ut tale juramentum suam essentiam non habeat, siquidem illam habere non potest, sine obligatione: ergo non vult jurare, sed juramentum simulare.

63 Dico sextò: qui aliquid promittit cum animo adimplendi, sed cum animo non se obligandi, extra judicium, & contractus, tantum peccat venialiter. Ita Tamburinus *suprà num. 6.* & patet ex ratione allata asserto tertio, eodem namque modo philosophantur, cum utrumque juramentum sit simulatum ut probavimus. Vnde ex tali juramento, quantum est ex vi, & religione juramenti, secluso scandalo, nulla oritur obligatio ad illius observationē, siquidem ex juramento simulato nulla oritur obligatio, quam sententiam etiam tenet cum multis Fagundez *suprà, cap. 9. num. 9.* Palaus *suprà num. 7.* Trullenc. *suprà num. 6.* Adverte tamen prædictam doctrinam debere intelligi, quando quis habuit expressum animum non se obligandi, nam si juravit cum vero animo jurandi, & aliàs non habuit expressum animum non se obligandi, verum juramentum effecit, nam eo ipso quod voluit jurare, censetur habere voluntatem eorum, quæ necessario ad juramentum requiruntur, nisi ea expresse exclusérit. Ita cum Suario, Sanchez, Bonacina, Palaus *suprà num. 8.*

SECTIO XI.

Quando consuetudo jurandi gravem culpam inducat?

SUMMARIUM.

64 *Quando detur consuetudo jurandi explicatur.*

65 *Consuetudo quæ inclinat ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur non constituit hominem in statu peccati mortalis.*

66 *Quid si cum hac consuetudine jurandi verum haberet consuetudinem mentiendi?*

67 *Consuetudo quæ inducit ad jurandum falsum cum advertentia, vel sine advertentia, an sit verum, vel falsum quando quis jurat, constituit hominem in statu peccati mortalis.*

68 *Qui ex tali consuetudine sine advertentia sufficiente ad mortale jurat falsum tantum peccat in causa.*

69 *Consuetudo qua fit, quod homo juret falsum sine advertentia est culpabilis in se & debet auferri.*

70 *Explicatur assertio.*

71 *An sit differenda absolutio illi, qui hac prava consuetudine est affectus, etiamsi proponat emendationem.*

COnsuetudo jurandi, tunc datur, quando quis passim jurat, hæc autem consuetudo est duplex. Prima quæ inducit ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur. Secunda quæ inducit ad jurandum sæpe falsum, hoc etiam duplici modo. Primo ut cum quis ex consuetudine depravata perjurandi, jurat frequenter falsum, sed semper cum advertentia ad novum peccatum committendum. Secundo quando quis ex depravata consuetudine jurandi jurat absque advertentia, aut libertate nova, sed sine advertentia jurat, sive verum, sive falsum sit, quod jurat: his suppositis, 64

Dico primò: consuetudo, quæ inducit ad multoties jurandum, sed cum advertentia, ut verum juretur, non constituit hominem in statu peccati mortalis, nec sub mortali tenetur talem consuetudinem extirpare. Ita cum Valentia, Rodrig. Veiga, Ledesma, Sanchez, Bonacina, Palaus, *de juramento d. 1. p. 7. num. 2.* Trullenc. *lib. 2. de Decalog. cap. 1. d. 2.* Fagundez *in Decalog. cap. 8. num. 5.* Leander *tract. 1. d. 8. quæst. 3.* Ratio est, quia hæc omnia juramenta tantum sunt peccata venialia, ut suppono, siquidem fiunt cum plena advertentia ad veritatem, & solum eis deficit judicium: ergo consuetudo ex illis resultans, solum ad peccata venialia inclinare potest: nam solum inclinat ad similes actus. Nec obstat quod aliquando quis ex hac consuetudine in perjurium labatur, ut ex inde censeatur esse in morali periculo perjurij, quia ad hoc periculum deberet frequenter induci in perjurium. 65

Dico secundò: si quis cum hac consuetudine jurandi verum advertenter, haberet consuetudinem mentiendi, licet Valentia, Ledesma, & Bonacina, quos refert Leander *suprà quæst. 4.* affirmant illum esse in statu peccati mortalis si illam extirpare omittat, probabilius est, neque in hoc casu, sic jurantem esse constitutum in statu peccati mortalis. Nam esto aliquando contingat, quod juramentum cum mendacio conjungat, id est per accidens, & raro, & consequenter censeri non potest in periculo morali peccandi mortaliter esse constitutum. Ita cum Sanc. Suario, Palaus, *suprà num. 3* Fagundez, 66

ſuprà, Trullenc. *lib.* 2. *decalogi cap.* 1. *dub.* 20. *n.* 5. Leander *ſupra quæſt.* 4.

67 Dico tertiò: conſuetudo quæ inducit ad jurandum falſum cum advertentia, vel ſine advertentia, an ſit verum, vel falſum quod quis jurat, abſque dubio conſtituit hominem in ſtatu peccati mortalis, non quia ipſa conſuetudo, ut optime advertit Trullenc. *ſuprà*, ſit peccatum diſtinctum formaliter ab ipſis jurandi actibus, nam conſuetudo nihil aliud eſt, quam ipſemet actus frequenter repetitus, ſi formaliter loquamur de conſuetudine, ſi vero loquamur de conſuetudine, ut eſt quidam habitus criminoſus, ut ait Raphaël de la Torre *quæſt.* 98. *art.* 3. *d.* 3. quatenus ad peccatum inclinat, non poteſt eſſe peccatum, quia hoc in ſolo actu, & ejus commiſſione reperiri poteſt, at licet ipſa conſuetudo in ſe non ſit peccatum, omiſſio tamen eam extirpandi, poteſt eſſe peccatum mortale, ratione periculi moralis, cui exponitur eam habens incidendi in perjuria, ut cum Sanchez, Suario, Trullenc. notavit Palaus *d.* 1. *p.* 9. *n.* 4. Et ratio eſt, quia talis conſuetudo eſt occaſio ſæpe pejerandi: ergo ſi quis illam non procuret expellere, cenſetur velle perjurium, ut patet in eo, qui non vult expellere concubinam, vel alienum reſtituere cum poſſit.

Dices cum Tamburino *lib.* 3. *decalogi cap.* 1. §. 5. *num.* 4. hanc occaſionem eſſe intrinſecam, & involuntariam, nemo enim voluntarie aſſumpſit habitum illum jurandi, nam licet, frequenter volens incidat in culpas, non advertit tamen, nec deliberate vult habitum inde reſultantem. Reſpõdeo cum Dicaſtillo *de pœnitentia tract.* 8. *d.* 9. *num.* 414. Conſuetudinem illam, licet poſſit involuntarie acquiri, libere tamen retineri, non conari autem illam extirpare, eſt velle illam habere, hæc autem voluntas, non poteſt non eſſe mala. Unde poteſt dici talis conſuetudo involuntaria, nam licet ſit intrinſeca, eſt tamen voluntaria, per quod patet ad argumentum, quod Tamburinus ſumit ex fragilitate, reſponſio: nam fragilitas nec etiam jejuniis poteſt ab homine expelli, hanc autem conſuetudinem poteſt homo, ſi velit expellere. Unde non poteſt dici occaſio peccati remota, ut fomes peccati, ſed proxima, ut bene notat Tancred. *tract.* 4. *lib.* 3. *d.* 2. *n.* 18.

68 Dico quartò: ſi quis ob conſuetudinem ſupradictam pravam pejerãdi, aliquando juret falſum, ſine advertentia ſufficiente ad peccatum mortale, ſive talis inadvertentia proveniat à conſuetudine, ſive à repentino calore iracundiæ, ſive ab oblivione, non eſt in ſe peccatum mortale, ſed ſolum eſt mortale in voluntate, quam habet non removendi conſuetudinem; ita cum Suario, Sanchez & aliis Palaus *ſuprà num.* 5. Raphaël de la Torre *ſuprà*. Ratio eſt, quia illud juramentum, ut in ſe eſſet peccatum mortale, debebat eſſe voluntarium directe, vel indirecte; at neque directe, neque indirecte eſt voluntarium; ergo tantum erit peccatum in cauſa, ſicut pollutio in ſomno, cui quis cauſam dedit in vigilia, cujus tota culpa fuit in poſitione cauſæ.

Sed hinc exoritur non levis difficultas. Cur ſcilicet ſit obligatio gravis auferendi illam conſuetudinem, ita ut permiſſio conſuetudinis, ſit peccatum mortale? Nã ſi actus ſubſequentes non ſunt peccata propter inadvertẽtiam, conſuetudo ex qua illi actus oriũtur, non erit mala ſaltem ex eo capite, cum non exponat hominem periculo morali peccandi mortaliter, ſed faciendi aliquid abſque peccato, propter inadvertentiam. Unde ſicut contumelia prolata ab ebrio non eſt peccatum, nec in ſe, nec in cauſa, quia de ratione contumeliæ eſt, quod ſit verbum humanum ab homine ratione utente prolatum, ſic juramenta falſa abſque advertentia prolata non erunt juramenta, atque ideo neque in ſe, neque in cauſa erunt peccata, licet perjuria ſint, quod hoc argumento convictus concedit Joannes Sanct. *in ſelectis d.* 20. *num.* 5. quem ſequitur Thomas Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 4.

Verum communis Theologorum ſententia docet, prædictam conſuetudinem, qua fit, ut aliquis juret falſum ſine advertentia, eſſe culpabilem in ſe, & debere auferri, ut cum Sanchez & aliis, tradit Lugo, *de pœnitentia d.* 16. *num.* 206. & cum aliis Leander *tract.* 1. *d.* 8. *quæſt.* 7. Pro quo advertendum eſt, actum illum, qui ex conſuetudine oritur, aliquando eſſe talem, ut etiam ſine advertentia factus retineat in ſe totam malitiam objectivam, ob quam prohibetur, vel contingit in homicidio, vulneratione, & ſimilibus, quæ ſive fiant cum advertentia, ſive ſine illa, ſemper retinent malitiam, ſive indecentiam objectivam, ob quam prohibentur, ita ut adveniente advertentia, habeant jam malitiam formalem, & de his non eſt dubium quin conſuetudo, quæ facit, ut fiant hujuſmodi actiones abſque advertentia, ſit culpabilis, & peccatum. Unde qui videt homicidium in ebrietate ſecurum, peccat peccato homicidij, qua tenetur in cauſa illud impedire. 69

Aliquando vero hi actus ſunt, ut ſine advertentia facti, non retineant malitiam objectivam, ob quam prohibentur, v. g. contumelia, quæ ſi ab ebrio, vel inſano proferatur, non eſt contumelia, quia non ſunt verba humana, ſed ab illo, ac ſi à pſitaco proferuntur; & idem eſt de juramento prolato ab ebrio, & ideo, nec contumelia, nec juramentum prolatum ab ebrio, etſi prævideantur eſſet peccata in ſe, vel in cauſa; quia poſita illa circunſtantia, non retinent malitiam objectivam, ob quam prohibentur. Aliter tamen dicendum eſt de juramento, quod non in ebrietate, aut ſomno profertur, ſed ab habente uſum rationis, ſine advertentia actuali; hujuſmodi enim perjuria poſſunt eſſe peccata in cauſa, & eſt obligatio auferendi conſuetudinem ex qua oriuntur, quia ſemper retinent aliquam malitiam objectivam; nam illa invocatio divini nominis in teſtem falſitatis, etiamſi fiat ſine advertentia, eſt graviter Deo injurioſa, eſt enim contra debitam illi reverentiam, & valde pernicioſa ſocietati humanæ, ſicut ſi jurans falſum cum advertentia, ſed ſine intentione jurandi, abſque dubio peccaret mortaliter, quia exterius jurat falſum, abſque animo interno jurandi, uſurpando ea verba, quæ exterius ſonant, & ſignificant audientibus juramentum rei falſæ, in qua fictione magnam irreverentiam irrogat Deo. Imo talis fictio eſt valde pernicioſa ſocietati humanæ, ut ſupra diximus: ergo illa verba ſecundum ſe abſque animo prolata, habent indecentiam objectivam, ratione cujus tenetur homo ea non velle: ergo ſicut non poteſt velle illa in ſe ſine peccato, ita nec poteſt velle illa in cauſa abſque peccato per quod patet ad rationem dubitandi, nam licet illud juramentum in ſe non ſit peccatum, propter defectum advertentiæ, eſt tamen peccatum in cauſa, quia cum tale juramẽtum retineat indecentiam ex parte objecti, teneor ego vitare cauſam inclinantem ad actum, qui terminatur ad tale objectum, non propter malitiam actus, cum actus in ſe non ſit malus, ſed propter deformitatem objecti, ad quod per inadvertentiam terminatur; ſicut ſi præviderem quod in ebrietate hominem occiſurus ſum, teneor talem cauſam evitare, non quia occiſio in ſe ſit peccatum, 70

ſed

sed propter deformitatem objecti, ad quod terminatur per quod patet ad argumentum de contumelia, nam contumelia dicta ab ebrio, non habet indecentiam ex parte objecti.

71 Sed quæres, an sit differenda absolutio illi, qui hac prava consuetudine iurandi est affectus, etiamsi proponat emendationem. Aliqui DD. dicunt, quod si bis, vel ter sit admonitus de extirpanda consuetudine, & nullum profectum ostendit, non esse absolvendum, sed esse illi absolutionem per aliquot dies differendam ut correctio appareat. Ita Medina, Lopez, Sayrus, & alij, quos refert Palaus *d.1. p.9. n.6.* Verum ego existimo, quod etiamsi pœnitens nullam curam apposuisset ad emendam, adhuc in rigore posse absolvi statim, toties quoties, si verè doleat de præteritis, & de futuris emendationem proponat. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus *d.1. p.9.n.6.* Lugo *de pœnitentia d.14. sect.10. n.159.* Joannes Sanctius *d.9.num 6.* Leander *tract.1. d.8. q.11.* Ratio est quia ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccatoris, non est differenda necessario absolutio pœnitenti, quia eo ipso, quod de peccatis dolet, removet omnem occasionem, & periculum horum peccatorum, quod periculum fictum erat in prava voluntate, & affectu ea repetendi, ex consilio autem poterit Sacerdos pœnitenti absolutionem differre, si iudicet dilationem profuturam, quod non est facilè iudicandum, sed de his vide quæ latius dixi *tomo superiori in tractatu de pœnitentia.*

SECTIO XII.

Qua ratione liceat alicui inducere aliquem ad jurandum, quem tamen existimat esse pejeraturum, vel per falsos deos juraturum.

SUMMARIUM.

72 *Nemini licet inducere aliquem ad falso jurandum, vel per falsos deos.*

73 *Non est licitum inducere aliquem ad testificationem falsi, quod tamen jurans putat esse verum.*

74 *Contraria sententia etiam est probabilis.*

75 *Quoties alicui non constat alium esse falso juraturum, vel per falsos deos, potest ab eo petere juramentum.*

76 *Stante legitima causa licitum est, tam in judicio, quam extra petere juramentum ab eo, quem quis scit esse pejeraturum, vel per falsos deos juraturum.*

77 *Si aliquis sit determinatus ad jurandum falsum, vel per falsos deos, neque alia via jurare vult, non potest qui hoc scit petere, ut juret esto juret falsum, vel per falsos deos.*

78 *An sit petendum juramentum promissorium ab eo, quem quis scit illud esse violaturum.*

72 DIco primò: Certum est apud omnes nemini licere inducere aliquem ad falso iurandum, vel ad jurandum per falsos deos, quia cum hæc sint intrinsecè mala, nulla ratione possunt cohonestari eorum petitio, & inductio. Idem dicendum est si quis
73 petat iuramentum, quod nulla ratione licite præstari posset, quia peteret iuramentum iniquum. Idem dicendum est si inducat aliquem ad testificationem falsi, quod tamen iurans putat esse verum, ut si Petrus sciens talem rem non ita fuisse, & Franciscus certo existimet ita fuisse, non potest Petrus inducere Franciscum, ut juret, quod certo putat ita fuisse, quia esset causa illius periurij materialis, quod ex virtute Religionis tenetur vitare, nam licet respectu Francisci sit materiale, respectu illius est formale, cum inducat, ad iurandum id quod scit esse falsum.

Verum licet hæc sententia communior sit, pro- 74
babile tamen est, posse quemlibet alium inducere ad jurandum id, quod putat esse verum, licet inducens sciat esse falsum. Ratio est, quia jurans facit actum Religionis, quod bonum cum intendat inducens, sine proximi damno, non est reus alicuius culpæ, siquidem ipse non petit, ut alter iuret falsum, sed illud, quod putat esse verum. Ita cum Petro Hurtado, Tancred. *tract.4. lib.3. d.5. n.11.* Diana *p.5. tract.7. ref.14.* Tamburinus *lib.3. c.1. §.5. num.7.* Ego ipse *in nostro Directorio Regularium p.2. tr.3. d.6. num.523.*

Dico tecum 2ò: Quoties alicui non constat alium 75
esse falso juraturum, vel juraturum per falsos deos, potest ab eo juramentum exigere; quia in casu dubio de nemine est delictum præsumendum, alias ferè nunquam liceret ab alio juramentum petere. E contra vero nulla legitima causa interveniente illicitum est petere juramentum ab eo, quem quis scit falso juraturum, vel juraturum per falsos deos, si paratus non sit jurare; siquidem lege charitatis tenetur quis, proximo occasionem ruinæ non præbere. Ita cum communi sententia Palaus *d.1. p.10. n.1.* quod si paratus sit jurare, Sanchez existimat solum esse veniale, etiam absque causa petere juramentum ab eo, quem quis scit per falsos deos juraturum, esse tamen mortale si petat ab eo, quem scit falso per verum Deum juraturum. Verum absolute dicendum in utroque casu esse peccatum mortale, quia ex charitate tenetur quis vitare peccatum proximi, si absque ullo suo incommodo potest; sed in hoc casu nulla datur necessitas talis juramenti: ergo ita Palaus *supra n.7.*

Dico tertiò: stante legitima causa licitum est tam 76
in judicio, quam extra illud, petere juramentum ab eo, quem quis scit esse perjuraturum, vel per falsos deos juraturum. Ita cum Lessio, Suario, Sanct. Reginaldo, & aliis Palaus *supra num.9.* Fagundez *lib.2. decalogi cap.7.* Trullench. *lib.2. cap.1. dub.13.* Ratio est, quia in petitione juramenti absolutè, nihil malè invenitur, cum possit optimè fieri, quod autem alius falso juret, vel per falsos deos, non petenti, sed juranti, tribuendum est, nam ejus peccatum petens non tenetur impedire cum suo detrimento. Hinc sit judicem ad instantiam partis, actorem ad fraudes detegendas, posse petere hoc juramentum, etsi sciant jurantem esse perjuraturum. Et idem dicendum est in contractibus, & quando alicui interest alterius fidem infirmare, & hoc, juramento falso obtinetur, at tandem quoties causa legitima, & honesta intercesserit.

Sed quæres, an si aliquis sit determinatus ad ju- 77
randum falsum, vel per falsos deos, quod tamen quis optimè scit, neque alia via jurare vult, possit quis petere ejus juramentum, dicens jura mihi esto falso jures, vel per falsos deos? Affirmant Bañez, Abul Ledesma, quos refert Fagundez, *supra num.7.* Sanch. *lib.3. decalogi cap.8. num.27.* probabile putat Palaus *supra.* Verùm contraria sententia probabilior est. Ita cum D. Thom. & aliis communiter Fagundez, *supra*, Palaus, & Trullench. *supra*, Tancred. *tract.4. lib.3. d.5. n.17.* Ratio est, quia petens in illa petitione convincitur petere juramentum, non

absolutè,ut in præcedenti casu,sed esto sit iniquitate vestitum, sed juramentum iniquitate vestitum iniquum est;ergo etiam illa petitio est iniqua.Neque argumentum quod aliqui afferunt ex petente mutuum,esto sit sub usuris,est ad rem,nam petens mutuum,non vult dare usuras, hoc enim illi molestum est,& contrarium vult,sed petit mutuum,& ex suppositione, quod ille non vult, promittit usuras;petitio autem mutui & concessio usurarum non sunt in se mala,sicut est petitio juramenti, esto sit falsi. Vide Palaum *suprà*,& Fagund.*suprà n.*11.

78 Quæres tandem an sit petendum juramentum promissorium ab eo,quem quis scit esse illud violaturum?Respondeo.Idem esse dicendum, ac in juramento assertorio, nempe si morali certitudine constet esse violaturum non poterit exigere,nisi illi necessaria,& utilis sit talis petitio, ob rationem sæpè dictam. Ita cum multis Palaus *suprà n.*11. Et hinc deducitur imprudenter facere confessores exigentes à suis pœnitentibus juramenta, vel votum desistendi ab aliquo crimine, quia eos transgressionis periculo exponunt,& sæpè suppetunt alia remedia, ut cum multis advertit Fagundez *suprà*.

SECTIO XIII.

Quinam possint juramentum emittere?

SUMMARIUM.

79 *Iuramentum extra judicium potest emitti ab omnibus, dummodo usum rationis habeant.*

80 *Viris ante* 14. *annum,& fœminis ante* 12. *interdicitur juramentum in judicio in causis civilibus.*

81 *Perjurii,infames & inimici, repelluntur à juramento emittendo in judicio.*

82 *Socius criminis extra delicta excepta repellitur à juramento in judicio.*

83 *Prælati,& Sacerdotes jurare non possunt in judicio sine gravi causa.*

84 *Licitum est Sacerdotibus jurare in judicio in aliquibus casibus, qui ibi referuntur.*

85 *In aliquibus casibus non potest clericus jurare in manu laici sine Episcopi licentia,& quales sint?*

86 *Deus potest jurare, & quomodo?*

87 *Christus de facto nunquam juravit, poterat tamen jurare.*

88 *Angeli in ordine ad nos possunt jurare.*

89 *Angeli in statu beatifico non habent necesse jurare quoad se.*

90 *Quid dicendum sit in statu naturæ?*

79 PRo explicatione hujus sectionis notandum est, vel juramentum fieri in judicio, vel extra judicium,si fiat extra judicium,certum est,& commune, posse emitti ab omnibus,etiam impuberibus, dummodo rationis usum sufficientem habeant, eosque peccare mortaliter,si falsò jurẽt.Difficultas ergo est, utrum omnibus in iudicio liceat iuramentũ elicere?

80 Dico primò:Viris ante 14. annum, & fœminis ante 12. interdicitur iuramentum solemne in iudicio in causis civilibus *c. parvuli* 22. *q.*5. quia non habent maturum iudicium ad iurandum,cum debita reverentia,ideoque non possunt à iudice cogi ad iurandum. In criminalibus vero admittitur minor annis 20.*l.invicti,ff.de test.* quod si sponte se offerant,licet aliqui existiment posse admitti si sint doli capaces, & in eis sufficiens iudicium vigeat,communis sententia ait, non esse admittendos ob rationem dictam.Ita cum aliis Trullenc.*in decalog.lib.*2. *c.*1.*d.*13.*n.*2. Verum si minores dicta ætate admittantur,licet non faciant plenam fidem, faciunt tamen præsumptionem sufficientem ad torturam, ut cum Sanch.Fagundez,& aliis tenet Trullenc.*suprà*. Et de iure Lusitano, sine iuramento interrogantur, ut delicta puniantur, ut patet *ex Ordinatione lib.*3. *tit.*56.*n.*6.Sed hoc solum fieri potest in causis gravissimis, & in defectu alterius probationis, ut ait Fagundez *lib.*2.*decalogi cap.*5.*n.*6.

Dico secundò:Repelluntur à iuramento emittendo in iudicio primo periurii,qui in iudicio convicti sunt,& condemnati tanquam periurii,*c.parvuli* 22. *q.*5. præsumitur namque iterum periuraturos Trullenc.*suprà n.*3.Leander *tract.*1.*d.*6.*q.*14. Secundò infames infamia juris. Ita cum communi sententia Leander *suprà q.*16. Tertiò infames infamia facti, si illorum crimen probetur, quamvis aliquando etiam admittantur,si aliter veritas cognosci nequeat, utpote quia crimen suapte natura est occultum,vel in occulto loco commissum.Ita Dicastillus, & aliis Leander *suprà q.*17. Quartò inimici, inimicus enim præsumitur semper mala cogitare. Ita cum Dicastillo, & aliis Leander *suprà q.*11. requiritur tamen tam in causis civilibus, quam criminalibus, inimicitia gravis, & capitalis, ut si inter eos intercesserit lis,vel injuria,vel ut inimicus à judice fuerit declaratus.Ita cum Farinacio, Dicastillo, & aliis Leander *suprà q.*12. 81

Quintò repellitur à judicio socius criminis *c.conveniens de testibus*; Excipe delicta excepta, nempe hæresis,læsæ majestatis,Sodomiæ,falsificationis monetæ,Maleficij, furti famosi, & denique omnium criminum,quæ vergunt in damnum Reipublicæ,in quibus casibus,dictum socij criminis, si sit juratum facit semiplenam probationem, ut recte ait Trull. *lib.*8.*decalogi c.*3.*dub.*4.*n.*31. Fagundez, Dicastillus,& alij,quos refert Leander *suprà d.*6.*q.*20.licet ille cum aliis oppositum teneat. Sextò repelluntur consanguinei,sive sint ascendentes, sive descendentes,collaterales, vel affines. Ita cum communi sententia Leander *suprà q.*28.Admittantur tamen aliquando affines, & consanguinei, in rei defensionem, quando aliter veritas ostendi non potest, & circa matrimonium, nisi propter incrementum, & honorem filiorum videantur suspecti. Leander *suprà q.*30. Septimò repelluntur domestici, tam in causa civili, quam criminali, domestici autem dicuntur filij,servi,& liberti, famuli conductitij, & alij familiares. Ita cum aliis Leander *q.*31. & 32. Octavò repelluntur etiam pagani,Judæi,apostatæ à fide,& alij ex alia lege contra Christianos.Ita cum communi sententia Leander *suprà q.*33. 82

Dico tertiò:Prælati etiam, & Sacerdotes in judicio iurare non possunt,sine gravi causa,*c.si quis presbyter* 2.*q.*5. Ratio est, quia iuramentum exigitur à laicis, eo quod de eorum veritate dubitatur;sed hoc dubium cadere potest in Ecclesiasticam personam: ergo ab ea non est exigendum iuramentum pro levi causa. Licitum tamen est Sacerdotibus iurare in judicio pro necessitate,vel magna utilitate,v.g.quando quis defectus probationis læditur, vel rem suam perdit,vel pro fide,pace, obedientia, indemnitate Ecclesiæ, vel quando ipsi Sacerdotes ab infamiæ nota se purgare coguntur *l.dum ab excom.absolvendi sunt*.Tandem si in re propria litigent, debent jurare de calumnia, id est, non movere litem animo calumniandi, sed bona fide aliquid proponere, & respondere. Num autem Sacerdotes jurãt,non tenentur regulariter sacra tangere,sed satis est,si per suam consecrationem, tangendo pectus suum, iurent,nisi in casibus gravibus, & in quibus expressum est, 83

ut

Digitized by Google

ut Episcopi,& sacerdotes sacra tăgant. Trullĕc *sup.*

85 In tribus tamen casibus nequeunt Clerici in manu laici jurare absque sui Episcopi licentia, primo quando jurant coram laico tanquam suo superiori ab ipso coacti *cap. nullus* 22. *q.* 5. Secus quando non tanquam superiori; nam tunc possunt absque prædicta licentia *cap. ex rescripto.* Secundo quando jurant de calumnia, nam hoc juramentum non possunt præstare, nisi coram suo superiore, vel de ejus licentia *cap. nos.* 22. *q.* 7. Tertio non possunt in actu testificandi jurare in manu laici, absque superioris licentia *cap. quanquam* 24. *q.* 5. In reliquis vero casibus possunt sine sui prælati licentia jurare in manu laici; debet tamen esse gravis necessitas, aut magna utilitas, ut liceat sacerdotibus jurare, ut dictum est. Ita communiter Doctores apud Trullenc. *suprà.*

86 Sed quæres utrum Deus possit jurare? Respondeo affirmative, & patet ex multis locis scripturæ & Paulus de Deo loquens ait, *quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum,* ad Hæbreos 6. Ita communiter DD. Ratio autem est, quia licet juramentum non possit in Deo dari, eo modo, & imperfectionibus, quibus datur in nobis, scilicet cum respectu ad superiorem, vel ob defectum certitudinis veritatis juratæ, cum Deus, nec habeat superiorem, nec in sua veritate possit reperiri mendacium, bene potest tamen dari in illo juramentum demptis imperfectionibus, videlicet ut per juramentum intelligamus promissionem esse ex decreto absoluto, & non dependente ex cõditione, ex parte nostra. Secundo ad augendam nostram fidem & spem; non quia res in se fiat certior, quantum ad divinum testimonium, sed quantum ad modum, quo nobis proponitur, sub forma magis nobis commodata ad apprehendẽdũ promissionis certitudininem, & firmitatem. Ita Fagundez *lib.* 2. *Decalog. c.* 5. *n.* 16. Raphaël de la Torre *q.* 89. 90. *d.* 1. Advertè tamen juramenta Dei non posse esse execratoria, sed tantum attestatoria, dedecet enim Deum talis modus jurandi. Vnde quod Psalmo 94 dicit *juravi in ira mea,* & Ieremiæ 51. *juravit per animam suam,* idem significat ac jurare per suam essentiam, quæ nomine iræ suæ, metaphoricè significatur. Vide Fagund. *sup.*

87 De Christo dubitant aliqui an juraverit, nam quod posset jurare non est dubium, cum secundum humanitatem sit patri inferior. Dicendum tamen est facto nunquam juratsse, siquidem ipse docuit, *sit sermo vester, est, est, non, non.* Nec obstat quod sæpe dixit, *Amen, amen, dico vobis,* & nomen *Amen* significat Deum ut patet ex 3. Apocalypsis, *Hæc dicit amen testis fidelis.* Respondetur namque quod licet illa particula, *Amen,* habeat etiam illam significationem, etiam significat idem quod fiat, unde in hoc sensu, & non in illo est in illis locis accipienda.

88 An vero Angeli possint jurare? Respõdeo affirmativè, saltẽ in ordine ad nos, ut reddant homines certiores de suis dictis, ut patet ex illo Apocalypsis 10. *juravit per vivẽtem in secula* &c. Dixi quoad homines, nam in statu beatifico, nec habent necesse jurare, nec jurant, eo quod in illo statu bene sciant angelos non posse mentiri. Vnde unusquisque suo

89 concivi Angelo, sine hæsitatione credit, quare sine necessitate jurarent? Tum quia Angeli non credunt dictis aliorum Angelorum, nec fide humana, divina, vel angelica, quia in beatis non est fides, sed semper intuentur clare ea, de quibus ab aliis illuminantur. Et licet unus Angelus possit loqui alteri abstractivè tãtum, & sine intuitione rei de qua loquitur, adhuc non est necessarius usus juramenti inter illos, quia evidens est ipsi audienti loquentem non posse mentiri saltem propter beatitudinis statum.

De eisdem vero Angelis in statu naturæ, non est 90
certum utrum jurare possent, necne; nam si intuerentur conceptus suos per evidentiam in attestante, frustra fierent juramenta, ut unusquisque alteri assentiret. Cæterum quia abstractivè tantum, & obscure poterant adinvicem suos conceptus pandere, possent uti juramento ad illos firmandos, maxime, quia in illo statu poterant fallere, & falli. De Angelis vero damnatis. Dico nunquam uti juramento, tum quia ipsi bene cognoscunt ineptos fore, qui eis jurantibus credant, tum quia cum juramentum sit actus religionis, & reverentiæ in Deum, ipsi nunquam jurabunt, utpote, qui nunquam assumunt nomen Dei, nisi ad blasphemandum, nisi hoc ficte faciant, ut homines decipiant, ut notavit Fagundez *suprà num.* 20.

SECTIO XIV.

Quæ pœnæ impositæ sint perjuro?

SUMMARIUM.

91 *Ponuntur pœnæ, quas incurrit perjurus jure communi civili.*

92 *Ponuntur quas incurrit jure Canonico, & jure Lusitano.*

93 *Propriissima pœna perjurij apud omnes rationes est repulsa ad testificandum in judicio.*

PErjurij nomen dupliciter sumi potest primo propriè, pro juramento cui deest veritas, sive præsens sit, sive futura. Secundo late, pro omni juramento cui aliqua ex tribus conditionibus illud comitantibus deest, scilicet veritas, justitia, & judicium; cum igitur jura de perjuro loquuntur, intelligantur de perjuro primo modo, & de hoc si fuerit notorius. Ita Trullenc. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 1. his suppositis.

Dico primo: Perjurij pœnæ apud omnes rationes graves sunt & in primis jure Canonico tales perjuri, si perjurium sit notorium, reputantur infames; quam pœnam etiam incurrunt jure civili, sed ad hoc in utroque jure requiritur sententia declaratoria judicis. Vnde perjurus non privatur ipso jure beneficiis acquisitis, venit tamen privandus. Palaus *d.* 1. 1. *p.* 11. *n.* 2. Deinde jure Canonico puniuntur etiam gravi pœnitentia, ut si clericus sit, depositione, & reclusione in actum monasterium *cap. quicunque* & in hoc Lusitaniæ regno, in omnibus diœcesibus est casus Episcopo reservatus, in Eborensi tamen Episcopatu requiritur, quod tale juramentum tribuat damnum proximo, ita Emanuël Laurent. *c.* 2. §. 2. *& seq.* 91

Dico secundo: In hoc Lusitaniæ Regno, testis falsus in judicio in quacunque materia morte naturali punitur, & amittit omnia bona sua, quæ Fisco Regis applicantur, & eadem pœna punitur, qui induxerit aliquem testẽm, vel pecunia corruperit, ut falsum in judicio juret in causa mortis, sive sit ad absolvendum, sive condemnandum reum, sed si absolvendum fuerit, non ponent judices hanc pœnam in executione hucusque quo faciant ipsum Regem certiorem, qui de hoc, ut sibi melius placuerit providebit, etsi testimonium falsum fuerit in aliis criminibus, quæ non fuerint crimina mortis, sive sint civilia, sive criminalia, mittetur ad exilium ad Brasiliam in perpetuum, & omnia sua bona amittet, si ascendentes, vel descendentes legitimos non habuerit. Ita habetur *in ordinatione lib.* 5. *per totum.* 91

93 Dico tertio: Vltra dictas pœnas propriiſſima pœna perjuri apud omnes nationes eſt repulſa à teſtificando in judicio. Sic habetur *cap. quicunque 6. & cap. non poteſt*, qui enim ſemel perjuravit, ſemper præſumitur pejeraturus & ad hoc quod à teſtificando repellatur, non requiritur ſententia judicis, ſed ſufficit, quod probetur illi in judicio. Ita Palaus *ſuprà*, quidquid dicat Sanchez *ſuprà*.

SECTIO XV.

Qualis, & quanta ſit juramenti promiſſorij, obligatio?

SUMMARIUM.

94 *In juramento promiſſorio aliquando reperitur obligatio voti ſimul cum juramento, aliquando ceſſat hæc obligatio voti.*

95 *An in promiſſ. omnibus juratis inſit obligatio juſtitiæ?*

96 *An in juramento de re futura facienda in honorem Dei ſemper vinculum voti reperiatur, vel ſi fiat in gratiam hominis obligatio juſtitiæ?*

97 *An in juramentis, in quibus rigoroſa promiſſio non invenitur, reperiatur duplex veritas, & duplex obligatio de præſenti, & de futuro.*

98 *An major ſit obligatio juramenti, quam voti?*

94 Dico primo: Aliquando in juramento promiſſorio reperitur obligatio voti ſimul cum juramento, aliquando ceſſat hæc obligatio voti. Si enim juramentum confirmet promiſſionem, Deo factam in tali juramento, eſt obligatio voti, & juramenti, ut ſi quis ſub juramento promittat Deo caſtitatem, vel Religionis ingreſſum, hæc promiſſio jurata, & obligationem voti, & juramenti habet; una enim obligatio ab altera eſt diſtincta, poteſt namque quis promittere Deo caſtitatem abſque juramento; ſi autem hanc promiſſionem juramento confirmet, vinculum juramenti addit, ſunt namque hæc vincula diſtincta, & compatibilia. Aliquando vero in juramento ceſſat obligatio voti, ut contingit in omnibus promiſſionibus homini factis juramento confirmatis, in quibus ſola obligatio juramenti, non voti reperitur. Ita cum communi ſententia Palaus *d. 2. de juramento p. 1. numero 1.*

95 An vero in his promiſſionibus juratis obligatio juſtitiæ inſit? Reſpondeo ex vi, & natura juramenti non induci, induci tamen ex vi promiſſionis. quoties juramentum promiſſioni, aliàs validæ adjicitur, vel ex juris diſpoſitione, ſi facto juramento promiſſio, aliàs invalida, firma redditur. Ita cum communi ſententia Palaus *ſuprà*. Ratio eſt, quia juramentum ex natura ſua ſolum habet divino teſtimonio rem præſentem, vel futuram confirmare, ergo ſolum inducit obligationem religionis, non vero juſtitiæ; reſtat ergo ut ſolum ex promiſſione, cui adjicitur juramentum, vel ex juris diſpoſitione, hæc obligatio juſtitiæ in promiſſionibus homini factis, & juramento confirmatis naſcatur.

96 Sed dubium eſt an in juramento de re futura facienda in honorem Dei ſemper vinculum voti reperiatur, vel ſi fiat in gratiam alicuius hominis, obligatio juſtitiæ reperiatur? Reſpondeo quod ſi jurans rem aliquam faciendam habet animum promittendi, ſive Deo, ſive homini, tenebitur ex titulo voti reſpectu Dei, & juſtitiæ, ſi promiſſio fuerit reſpectu hominis, ſi tamen expreſſe non velit promittere, ſed ſolum proponere, & illud propoſitum de re facienda firmet juramento, ut vere firmare poteſt, ſolo juramenti vinculo tenebitur. Ita cum Suatio, Leſſio, Sanchez, Palaus, *ſuprà n. 3.* Raphaël de la Torre *quæſt. 89. art. 7. d. 2.* Leander *tract. 1. d 9. quæſt. 8.* Ratio eſt, quia non implens hujuſmodi juramentum, ſolum adducit Deum in teſtem falſi, non vero omittit promiſſionem aliquam, quam Deo, vel homini factam habuiſſet, cum reipſa nullam fecerit, ſed tantum propoſuerit facere: ergo.

Sed quæres an in eis juramentis, in quibus ri- 97
goroſa promiſſio non invenitur, reperiatur duplex veritas, & duplex obligatio de præſenti & de futuro v. g. ſi quis habet propoſitum faciendi aliquid, puta legere, ſcribere &c. & nulla ſuperaddita obligatione, id ipſum juramento firmet, an non ſolum teneatur de præſenti tale propoſitum habere, ſed etiam in futurum teneatur illud exequi? Reſpondeo affirmative. Ita cum Suario, Sanch. Leſſio, Palaus, *d. 2 p. 1. n. 3.* Raphaël de la Torre *quæſt. 89. art. 7. d. 4.* Leander *ſupra quæſt. 7.* Ratio eſt, quia obligatio juramenti ad exſequendam rem juratam non pendet ab obligatione promiſſionis, cum contingere poſſit obligationem eſſe irritam, & tamen juramentum obligare, ut contingit in juramento ſolvendi uſuras, ergo.

Sed inquires an major ſit obligatio juramenti, 98
quam voti? & ſermo eſſe poteſt de juramento aſſertorio, vel promiſſorio, ſi loquamur de iuramento aſſertorio. Dico maiorem eſſe obligationem iuramenti quam voti. Ita Raphaël de la Torre *quæſt. 89. art. 8.* Ratio eſt, quia qui iurat aſſertorie aliquid falſum, proteſtatur Deum eſſe mendacem, non enim poteſt eſſe teſtis falſitatis, niſi ille falſus ſit. Secus in voto in quo nulla talis proteſtatio fit, non enim proteſtatur vovens Deum eſſe infidelem, aut mendacem, ſed dumtaxat eſt Deo infidelis non reddens debitum promiſſum. Si tamen loquamur de periurio promiſſario; maior eſt obligatio voti, quam iuramenti. Ita D. Th. 2. 2. *quæſt. 98. art. 8.* Palaus *d. 2. p. 1. num. 2.* & cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 6.* Ratio eſt, quia in iuramento promiſſorio, ſolum divina authoritas adducitur, ut ſecurior, & firmior promiſſio reddatur, in voto autem ipſi divinæ authoritati fit promiſſio: ergo ex voto magis videtur quis obligari, quam ex iuramento.

SECTIO XVI.

Vtrum juramentum habeat vim confirmandi contractus alioquin irritos?

SUMMARIUM.

99 *De jure Luſitano omne juramentum appoſitum in contractibus &c. irritatur, imo etiam ipſi contractus, quibus apponitur, irritantur.*

100 *Iuramentum aliquando poteſt obligare, & non confirmare contractum, & quando id accidat?*

101 *Quando contractus non ſolum jure eſt nullus, ſed etiam prohibitus in conſcientia, juramentum illi adjectum, nec confirmat contractum, nec obligat.*

102 *Quando juramentum ſervari poteſt ſine mortali, &*

& veniali, etiam si cadat supra contractum nullum, obligat in conscientia.

103 *Ponuntur aliquæ limitationes.*

104 *Iuramentum quando confirmat contractum non id habet ex natura sua, sed ex juris dispositione.*

105 *Contractus alij sunt non ipso jure reciſi, sed rescindendi, alij sunt ipso jure irriti, & invalidi.*

106 *Contractus non ipso jure reciſi, sed rescindendi adhibito juramento confirmantur quando rescindibiles erant jure positivo, secus si rescindibilitatem haberent jure naturæ.*

107 *Omnes contractus jure humano irriti confirmantur juramento.*

108 *Aliqua corollaria ponuntur.*

109 *Numerantur contractus jure irriti, quibus si adjiciantur juramentum confirmatur.*

110 *Ponuntur contractus in quibus juramentum adjectum obligat, sed non confirmat contractus.*

111 *Ponuntur contractus, in quibus juramentum adjectum, nec obligat, nec confirmat contractus.*

99 HÆc quæstio, quæ gravissima est in hac materia non procedit de jure Lusitano, sed de jure communi. Nam de jure Lusitano *in Ordinatione lib. 4. tit. 73.* omne juramentum appositum in contractibus, promissionibus, donationibus, pactis, conventionibus irritatur, & similiter irritantur omnes contractus, promissiones, & pacta, donationes, & conventiones, etiam aliàs validæ, & licitæ, in quibus idem juramentum apponitur, sive sint publicæ, sive privatæ, ut cum multis tenet Fagundez *in Decalog. lib. 2. cap. 18. num. 9.* Quæ leges optimæ sunt, fundantur namque in speciali privilegio, quod Reges ad illas condendas habuere, ut optime probat Fagundez *in Decalog. lib. 2. cap. 18. num. 9.* Vnde tota controversia est de jure communi. Deinde non est sermo de juramento assertorio, sed tantum de juramento promissorio, quo quis v.g. promisit stare alicui promissioni, vel donationi, vel aliud quid simili, non tantum se intendens obligare ex fidelitate, vel gratitudine, sed ex justitia commutativa. In hoc namque sensu controvertitur quæstio, ut optime advertit Oñate *tom. 1. d. 11. sect. 1. n. 8.*

100 Deinde notandum est, aliud esse juramentum appositum alicui contractui obligare ad observandum juramentum, aliud esse confirmare contractum; nam juramentum aliquando potest obligare, & non confirmare contractum, ut patet in eo, qui promisit cum iuramento solvere usuras, qui ratione iuramenti tenetur eas solvere; aliquando vero, & obligat, & confirmat contractum, ut quando mulier consentit in alienatione fundi dotalis cum iuramento de non contraveniendo. Vnde iuramentum tantum obligans, quod cadit supra contractum, nullum dicitur per se stans, id est, non habens adiunctum contractum, nec facit illum revivisceret, atque adeo ipsum solum manet. Juramentum vero confirmans, tantam vim habet, ut contractum nullum, quasi resuscitet, ut sit verus, & ratus, & non solum obligat ratione iuramenti, hoc est ex obligatione Religionis, ut facit quando est tantum per se stans, sed etiam ex iustitia commutativa dat actionem in iudicio adversus iurantem, quod tamen non facit quando iuramentum est per se stans, & non confirmans contractum, neque obligatio iuramenti per se stantis transit ad hæredes, bene tamen iuramenti confirmatorij, siquidem parit obligationem ex iustitia.

Quando igitur juramentum promissorium cadit supra contractum nullum, sive rescissum sit ipso jure, sive rescindendum, duplex celebris oritur quæstio circa illud, altera, utrum illud juramentum obliget in conscientia, altera utrum confirmet contractum; & quidem si contractus, nec nulli sint, nec prohibiti, nulla etiam est dubitandi ratio, quin obligent accedente juramento, imo duplici obligatione, altera justitiæ ratione contractus, altera Religionis ratione juramenti; dubium ergo solum est de contractibus nullis: his suppositis.

Dico primo: Quando contractus non solum est 101
nullus, sive jure divino, Ecclesiastico, vel civili, sed etiam prohibitus in conscientia, juramentum adjectum tali contractui, nec confirmat contractum, nec obligat in conscientia; in hoc non est dissidium inter DD. Ratio est, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, sed si homo teneretur adimplere talem promissionem, quæ non solum est nulla, sed etiam in conscientia sub peccato prohibita, ratione juramenti, juramentum esset vinculum iniquitatis: ergo. Advertè tamen non omnem contractum per legem esse prohibitum in conscientia, v.g. lex irritat testamentum non factum debitis solemnitatibus jure requisitis, sed non prohibet ita fieri; unde si quis ita faciat, non peccat, factum tamen non tenet, ut optime advertit Oñate *supra sect. 2. n. 47.*

Dico secundò: Quando juramentum servari po- 102
test, sine dispendio salutis æternæ, id est sine peccato mortali, & veniali, etiamsi cadat supra contractum nullum, obligat in conscientia. Quando vero non potest servari sine peccato mortali, vel veniali juramentum non obligat. In hac conclusione etiam conveniunt universi DD. & secunda pars conclusionis constat ex primo asserto, nam juramentum non potest esse vinculum iniquitatis & habetur *cap. Quando de jure jurand.* prima vero pars conclusionis probatur, *ex cap. Quamvis pactum de pactis in 6. & cap. cum contingat & cap. quanto.* Ratio autem est, quia licet promissio supra quam cadit juramentum sit irrita, assertio tamen, qua ego dico adimpleturum talem promissionem, optime potest sine peccato impleri; siquidem adimplere illam promissionem non est prohibitum in conscientia: ergo licet juramentum non possit me obligare ex vi promissionis nullæ, poterit tamen me obligare ex vi assertionis confirmatæ juramento de actu futuro, quia illa assertio potest fieri sine peccato, non obstante irritatione promissionis: ergo reverentia divini testimonij obligat, ut illa assertio fiat, & consequenter ut promissio impleatur.

Adverte tamen hanc conclusionem universalem 103
debere intelligi his limitationibus, quibus etiam omnes conveniunt: prima est, nisi creditor remittat obligationem juramenti, nam fuit factum Deo cum conditione tacita, nisi creditor remittat. Secunda est nisi sit contra prius juramentum, nam tunc secundum juramentum non potest servari, sine fractione primi. Et idem dicendum est, quando juramentum est irritum per aliquam legem illud irritantem, ut constat de matrimonij clandestini juramento in Trid. *sess. 24. cap. 11.* Tertia est, nisi tale juramentum relaxetur, nam cum non confirmet contractum, relaxari potest, siquidem tantum obligat ex religione, talis ergo relaxatio non cedit in damnum tertij; sed quando hæc relaxatio peti possit infrà dicemus. Quarta conditio est, nisi tale juramentum sit contra bonum commune naturale,

bene

bene tamen si fuerit contra bonum politicum; tunc autem est contra bonum commune naturale, quando non potest observari sine peccato mortali, vel veniali, quod tunc accidit, quando est de re prohibita sub mortali, vel veniali, tam jure naturali, canonico, quam civili, dummodo prohibitio duret, adveniente juramento; & ratio est, quia homo tenetur naturali jure non peccare: ergo juramentum jure naturali non potest esse vinculum iniquitatis: ergo quando juramentum est de aliquo peccato faciendo, est contra bonos mores naturales, ac per consequens non obligans: Tunc autem dicitur contra bonos mores civiles, quando lex non obligat in conscientia, sed prohibet, propter bonum commune politicum; quia tunc licet res prohibeatur, non obligat ad culpam, ut patet in lege irritante testamentum, sine debita solemnitate, ut *supra* diximus.

Hucusque conveniunt communiter DD. sed an juramentum adjectum contractibus nullis, non solum obliget, quando non vergit in dispendium salutis æternæ, sed etiam confirmet contractus: Quæ est secunda pars hujus quæstionis, est totum pondus difficultatis, adeo namque in hac re gravissima, DD. divisi sunt, ut magis vellem audire, quam meam sententiam proferre.

104 Et in primis ad clariorem quæstionis notitiam, notandum est juramentum, si vim habet confirmandi contractus, non hoc habetur ex natura sua, & vi sibi innata, sed ex dispositione juris, non quia jus positivum det positivè, ut ita dicam, vim confirmandi contractum, ut aliqui voluerunt, quos refert Oñate *disp.* 11. *sect.* 4. *num.* 84. sed quia concurrit negativè auferendo impedimentum, quo prius ab eodem jure humano impediebatur valor, & firmitas illius contractus quo impedimento sublato, statim contractus recuperat valorem, & firmitatem, qua jure humano privatus fuerat, ut bene notavit Lugo *de justitia d.* 22. *sect.* 8. *num.* 199.

105 Secundò notandum est. contractus esse in triplici differentia, alij namque sunt validi omnino, nec ipso jure rescissi, namque rescindendi, & de his non loquimur, quia confirmatione non indigent, cum ipsimet etiam juramento non adjecto, firmi & stabiles sint. Alij sunt contractus non ipso jure rescissi, sed rescindendi, alij vero sunt ipso jure irriti, & invalidi, de his ergo duobus modis contractuum est præsens difficultas. Ad clariorem tamen notitiam prius dicam de contractibus non ipso jure rescissis, sed rescindendis, & statim dicemus de contractibus ipso jure nullis.

106 Dico tertiò: Contractus non ipso jure rescissi, sed rescindendi, adhibito juramento confirmantur, quando jure positivo rescindibiles erant; secus si rescindibilitatem habebant jure naturæ; non tunc juramentum eam non aufert, ut bene advertit cum Lessio, Lugo, *suprà*. Hanc conclusionem tenent communiter DD. apud Lugum *de justitia d.* 22. *sect.* 8. *n.* 202. contra Portium, & novissime contra Tamburinum *lib.* 3. *decalogi cap.* 5. §. 6. *n.* 7. Ratio est: quia hi omnes contractus in se validi sunt, & solum rescindi possunt, quatènus lex humana dat actionem contrahenti ad illius rescissionem petendam: ergo quando lex negat hujusmodi actionem, prout negat, adhibito juramento, manebunt omnino firmi, & irrevocabiles: patet consequentia, quia tota rescindibilitas contractus, & infirmitas illius, oriebatur ex actione illa, quam jus concedebat ad petendam rescissionem: ergo negata per ipsummet jus hac actione, posito juramento, eo ipso tollitur infirmitas, & rescindibilitas, quam contractus habet.

Dico quartò: Omnes contractus jure humano irriti, confirmantur juramento. Ita cum Sanch. Molina, Rebello, Sà, & aliis communiter Lugo, *de justitia d.* 22. *n.* 206. Fagundez *in Decalog. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 5. Oñate *d.* 11. *de contractibus sect.* 4. *n.* 89. contra Turrianum, Vasquium, quos refert Lugo *supra n.* 205. Tamburinum *supra n.* 7. Probatur primo, nostra sententia ex multis capitibus juris, scilicet *Authentica sacram. puber. C. si adversus venditionem*, & *l.* 1. *Cod. & c. quamvis pactum de pactis in* 6. *& c. cum contingat de jure jurando*, & *c. licet mulieres*, & *cap. debitores*, quæ jura, licet non utantur hoc verbo confirmare contractum, ita tamen interpretantur à doctoribus utriusque juris, & ex modo quo loquuntur colligitur illos confirmare; dicitur namque in illis, inviolabiliter serventur, omnino serventur; Deinde probatur ratione, quia in præcitatis juribus, & aliis datur actio, & obligatio adversus jurantem, & creditor non tenetur acceptum restituere, atqui si juramentum non firmaret contractum, jurans momentanea solutione satisfaceret, & posset repetere, & alias creditor teneretur restituere ut patet *in contractibus jure naturæ irritis*: ergo juramentum adjectum contractibus jure humano irritis, confirmat contractus. 107

Et hinc colliges primo quod quoties creditor non potest acceptum retinere absque peccato, etiamsi qui dat adjiciat juramentum, tale juramentum non confirmare contractum. Unde ad hoc ut juramentum confirmet contractum, duo requiruntur, scilicet quod nec jurans, nec exigens juramentum peccet illud servando; quare si creditor non potest retinere, quod jurans dat absque obligatione restitutionis, & absque peccato, signum est, juramentum nullo modo firmasse contractum, sed tantum obligasse juramentum ad illius observantiam propter reverentiam Divini nominis. Ita Oñate *suprà num.* 99. Secundo, Colliges juramentum solvendi usuras non confirmare contractum, nec contractus omnes jure naturæ irritos, ut contractus infantium, amentium, nec contractus simulatos de rebus alienis, nec contractus per vim, metum, vel dolum factos. Et ratio est, quia hæc confirmatio de qua loquimur, debet fieri virtute juris positivi, ut *suprà* diximus; sed jus positivum non potest facere validos contractus jure naturæ irritos, quos *suprà* enumeravimus, & alios innumeros, ergo non potest illos confirmare. Ita Oñate *suprà num.* 103. 108

Restat nobis nunc ad exactam notitiam hujus sectionis breviter enumerare contractus jure irritos, in quibus iuramentum adiectum nec obligat, nec confirmat, & illos in quibus obligat, sed non confirmat, & illos in quibus obligat, & confirmat. Pro quo sciendum est, quædam iuramenta adiecta contractibus obligare, & confirmare, quædam obligare, sed non confirmare, quædam denique, nec obligare, nec confirmare. Juramenta quæ obligant, & confirmant, sunt illa, quæ obligant ad servandum contractum, si non sit turpitudo ex parte recipientis, quare post confirmationem contractus tali juramento, nec satisfit momentanea solutione, nec datum repeti potest, nec relaxatio iuramenti peti potest, aut iuste dari, & obligatio illius iuramenti ratione obligationis contractus transit ad hæredes. Hi autem sunt.

Primo, contractus minorum sine licentia curatorum. Secundo, Renuntiatio legitimæ ultra dotem 3. Juramentum de alienatione fundi dotalis 4. 109

Donatio

Digitized by Google

Donatio inter virum, & uxorem 5. Donatio facta à patre filio, qui est sub ejus potestate, vel ab Abbatibus monachis, qui sunt eorum spirituales filij. 6. Donatio facta à patre filio ob obsequia artificialia, quæ non debet filius patri 7. Donatio ultra 500 solidos. 8 Donatio revocabilis ex causa ingratitudinis. 9. Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum 10. Donatio causa mortis omnium bonorum, cui adjungitur pactum de non revocando donationem 11 Donatio causa mortis omnium bonorum ab adulto habente curatorem 12. Confessio dotis receptæ non numeratæ facta à marito uxori. 13. Generalis renuntiatio hæreditatis, quæ non comprehendit legitimam renuntiantis, cui si juramentum adjiciatur, comprehendit legitimam 14. fidejussio mulieris 15. Fidejussio mariti pro dote reddenda 16. si fidejussor se obliget pro sorte principali antequam fiat executio in eo pro quo est fidejussor 17. pactum nudum, quod non parit obligationem. 18. contractus curatoris cum pupillo minore, in quibus contractibus, & aliis, quos congerit Oñate *supra*, licet invalidi sint, & irriti jure positivo, si tamen illis juramentum adjiciatur, confirmat contractum.

110 Juramenta vero quæ obligant & non confirmat, sunt illa, quæ observata non vergunt in dispendium salutis æternæ, ut sunt, primò: Promissio solvendi usuras. 2. Juramentum factum concubinæ à milite armato, à clerico, ab advocato, à militibus religiosis dandi aliquid propter stuprum; Donatio mariti uxori in arrhis ultra decimam 4 Juramentum de renuntiando generaliter beneficio juris. 5. Renuntiatio, quæ datur ad indebitum solutum per errorem, repetendi 6. Contractus carcerati: in quibus, & aliis contractibus, quos etiam congerit Oñate *supra*, licet juramentum non confirmet contractus, obligat tamen ad illorum adimpletionem ex Religione juramenti.

111 Juramenta vero, quæ nec obligant, nec confirmant contractus sunt 1. omnia juramenta, quæ sunt contra bonos mores naturales, & quæ sunt contra bonum commune, & bonum tertij. 2. Juramentum contra jus naturale ob igans ad mortale, vel veniale 3. Juramentum contra leges canonicas quascunque 4 Juramentum contra leges civiles, quando obligant in conscientia 5. Qui pacisc itur cum meretrice de pretio dando, & de peccato committendo, non tenetur ad peccatum, post tamen peccatum commissum tenetur ad pretium solvendum 6. Assassinus, qui pacisc itur de homine occidendo, non obligatur ad occisionem 7. Renunciatio fori Ecclesiastici facta per clericum 8. Renunciatio privilegij nobilitatis facta à Patre 9. Donatio ultra legitimam, tertium, vel quintum facta à Patre, vel matre filiis 10. Donatio prodigi 11. Donatio à Patre facta extraneis 12. Donatio mariti in arrhis ultra decimam cum excessu 13. Renunciatio debitoris juri cedendi bonis, ut liberetur à carcere 14. Promissio facti alieni 15. Sponsalia jurata post prima sponsalia 16. Juramentum appositum matrimonio clandestino post Trid. 17. Quicunque contractus contrarij alteri jam facta à prælato 18. Alienatio bonorum Ecclesiasticorum facta à prælato 19. Quodlibet juramentum contra prius juramentum. In quibus omnibus casibus, licet addatur juramentum, tale juramentum nec obligat, nec confirmat contractus, ut late probat Oñate *disp.* 11. *sect.* 6. *per totum*, ubi alios contractus videre potes, quoad relaxationem vero juramenti in contractibus appositi, *infra* dicemus.

SECTIO XVII.

Vtrum juramentum habeat vim confirmandi contractus factos contra prius juramentum?

SUMMARIUM.

112 *Juramentum factum contra prius juramentum non obligat.*

113 *Actus qui secluso juramento firmitatem habent validi sunt, etsi priori juramento adversentur.*

114 *Actus qui firmitatem habent à juramento si fiant contra prius juramentum validi sunt, & firmantur secundo juramento.*

SUppono juramentum factum contra prius juramentum, aut contra votum, aut contra simplicem promissionē valide acceptatam, non obligare, quia secundum juramentum, & secunda promissio, est de re quæ servari non potest sine peccato, juramentum autem quod sine peccato servari non potest non obligat, ut *supra* diximus, & bene notat Trullenc. *in decalog. cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 1. difficultas igitur est an quando aliquis fecit juramentum non faciendi aliquem contractum, vel donationem, si postea de facto talem contractum ineat, & firmet juramento, an posterius juramentum sit validum, & firmet contractum? Pro quo distinguenda sunt duo genera actuum, primum illorum, qui secluso juramento firmitatem habent, secundum qui à juramento sortiuntur firmitatem: his suppositis, 112

Dico primò: si loquamur, de actibus, qui secluso juramento firmitatem habent, quorumque valor dependet ex sola voluntate disponentis, validi sunt, & firmi, tamet si priori juramento adversentur. Ita cum communi sententia Palaus *tom.* 4. *d.* 2. *de juramento p.* 9. § 7. *num.* 1. Ratio est quia per juramentum non adimitur potestas faciendi actum, quem quis aliàs facere poterat; sed solum ne licite faciat, ut probat textus *in l fiquis in princip. tutor. & in vers. nemo ff. de legatis*, exemplis res explicatur, constituit Petrus procuratorem, juravit non revocare, revocat, tenet revocatio, quamvis periurus existat, si animo nunquam revocandi juravit. Secundò juravit Franciscus puellæ sponsalia, contraxit cum alia matrimonium, actus tenet 3. Promisit Joannes cum juramento vendere agrum Petro, vel forte vendidit, sed non tradidit, alteri vero vendidit, & tradidit, tenet secunda venditio, & alia plura exempla, quæ referri poterunt 113

Ideo secundò: actus qui omnem firmitatem suam habent à juramento, si fiant contra prius juramentum validi sunt, & firmantur, subsequenti juramento, v. g. juravit mulier non alienare fundum dotalem: postea vero illum alienavit cum juramento, alienatio quæ aliàs erat iure ipso civili invalida, valet, & manet firma per subsequens juramentum. Ita cum Gomes, Suario, Lugo *de justitia d.* 20. *num.* 221. Tanered. *tract.* 4. *lib.* 2. *d.* 12. *num.* 1. contra Lessium, Sanc. & alios, pro cuius explicatione advertē, ad iudicandum de valore iuramenti, non esse considerandum, an ipsum iuramentum in se sit peccatum, nam professio Religiosa aliquando potest esse peccatū si fiat cōtra præceptum superioris irritans, & tamē est valida; sed debet attēdi, an id quod iuratur sit peccatum, atqui in nostro casu, licet iuramentum in se sit peccatum, id tamen quod iuratur 114

non eſt peccatum; nam illud quod per ſecundum iuramentum promittitur, & iuratur, ſolum eſt non contravenire tali alienationi factæ contra primum iuramentum; ergo licet ipſa alienatio in ſe ſit peccatum, utpote oppoſita primo iuramento, non alienandi; promiſſio tamen non contraveniendi alienationi facta, non eſt peccatum, cum non opponatur priori iuramento; per illud enim non fuit promiſſum non reclamare, ſed non alienare; violato ergo primo iuramento per alienationem, non eſt peccatum non reclamare, quod ſolum eſt quod iuratur per ſecundum iuramentum quare illa duo iuramenta non ſunt contraria obiective, quia obiectum ſecundi, non opponitur obiecto primi, ſed ſecundum iuramentum contrariatur primo ſubiective, quatenus ipſum iurare opponitur obiecto prioris iuramenti, quod obligabat ad non iurandum poſtea de non reclamando, non tamen ad reclamandum, vel contraveniendum ſecundo contractui.

SECTIO XVIII.

Vtrum juramentum dolo, vel errore extortum obliget?

SUMMARIUM.

115 *Contractus alij ſunt ſtricti juris, & alij bonæ fidei, & quales unicuique ſint?*

116 *Duplex error poteſt dari in contractibus, antecedens, unam concomitans, ſubſequens, vel incidens.*

117 *Error poteſt verſari, vel circa ſubſtantiam, vel circa accidentia contractus.*

118 *Error poteſt cauſari in contractibus, vel à contrahente, vel ab alio tertio.*

119 *Error contingens circa ſubſtantiam contractus, ſive ſit antecedens, ſive concomitans reddit contractum nullum.*

120 *Si error verſetur circa qualitatem contractus, & ſit concomitans, valet contractus jure naturæ.*

121 *Si error contingat circa qualitatem non ſubſtantialem, etiamſi cauſam dederit contractui, contractus eſt validus, tam de jure naturæ, quam poſitivo, irrevocabiliter tamen ex parte decipientis, & irrevocabiliter ex parte decepti.*

122 *Quid ſi qualitas pertineat ad ſubſtantiam contractus?*

123 *Si juramentum adjiciatur contractui nullo ex errore, vel dolo nullum eſt.*

124 *Si adjiciatur contractui valido, ſed reſcindendo, eodem modo obligat juramentum.*

125 *Si error, vel dolus fuit circa ſubſtantiam contractus, ſive fuerit antecedens, ſive concomitans juramentum adjectum contractui eſt nullum.*

126 *Si error verſetur circa qualitates contractus, & ſit concomitans juramentum valet.*

127 *Quid ſi qualitates ſint veluti ſubſtantiales.*

128 *In quibus cõtractibus perfecta doctrina intelligatur?*

129 *In promiſſionibus, & donationibus gratuitis aliter philoſophandum eſt, ac in aliis contractibus, & quomodo ſit philoſophandum?*

130 *Ad invaliditatem promiſſionis non ſufficit quod adſit aliqua circumſtantia, quam ſi quis noviſſet non promiſiſſet.*

DEciſio huius quæſtionis dependet ex intelligentia illius potiſſimæ difficultatis qua ratione contractus dolo, vel errore celebrati, ſint validi: nam cum juramentum in hoc caſu ad confirmandum contractum advocatur, ſi contractus oberrorem, vel dolum nullus exiſtit, ſaltem jure naturæ, juramentum illi adhærens corruit. Pro intelligentia igitur hujus difficultatis ſuppono, duplex eſſe genus contractuum, alij ſunt ſtricti juris, quia jus 115
eos præcipit ſtricte explicare, & juxta expreſſum verborum ſenſum; hi ſunt ſtipulationes, promiſſiones, liberales donationes, feudum, & emphyteuſis. Contractus bonæ fidei dicuntur, quia in eis ad bonum fidei, & communis ſocietatis, plura judex ex æquitate arbitratur; hi ſunt emptio, venditio, locatio, permutatio, pignus, depoſitum, commodatum, ſocietas, ſponſalia & ſimiles. Molina *tom. 2. tract. 2. d. 259. per totum.*

Secundò ſuppono, in his contractibus duplicem errorem intervenire poſſe, alium antecedentem, al- 116
terum concomitantem, ſubſequentem, vel incidentem. Antecedens vocatur, qui antecedit contractum, & cauſa illius eſt, ita ut illo exiſtente fiat contractus, qui tamen non fieret, illo non exiſtente. Error concomitans, ſeu incidens in contractibus dicitur, quo exiſtente fit actus, qui tamen fieret, eo non exiſtente. Tertio ſuppono, hunc duplicem errorem verſari poſſe, vel circa ſubſtantiam 117
contractus, vel circa illius accidentia; quæ autem ſit ſubſtantia cujuſlibet contractus, quæ illius accidentia? deſumendum eſt ex natura cujuſlibet contractus; ſubſtantialia enim in uno contractu in alio accidentia ſunt, ut contingit in contractu matrimonij, ad cujus ſubſtantiam pertinet perſona contrahens, cum tamen in contractu emptionis, & venditionis, accidens ſit, & in promiſſionibus, & donationibus, finis, ſeu cauſa motiva eſſentialis eſt, quæ tamen emptionibus, & venditionibus accidit illa: ergo erit ſubſtantia cujuſlibet contractus, ſine qua contractus ille ſubſiſtere non poteſt; reliqua vero erunt illius accidentia. Tandem ſuppono error- 118
rem in contractu cauſari poſſe à parte contrahente, vel ab alio tertio, contrahente ignorante, vel poteſt naturaliter contingere. Si naturaliter contingat, vocatur error, ſeu ignorantia, ſi ex alterius malitia proveniat, vocatur dolus. Ita cum communi ſententia Lugo *de juſtitia d. 22 ſect. 2.* Fagundez *l. 2. decalogi cap. 13.* Palaus *ſuprà, d. 2. p. 5.* his ſuppoſitis,

Dico primò: ſi error contingat circa ſubſtan- 119
tialia contractus, ſive ſit antecedens, ſive concomitans, reddit contractum, quicumque ille ſit, nullum. Ita communiter DD. Ratio eſt, quia cum valor contractus, & illius obligatio pendeat ex voluntatis conſenſu, & hic conſenſus eſſe non poſſit, cum adſit error, neque contractus, neque obligatio illius eſſe poteſt. Hinc ſit, juramentum tali contractui appoſitum, irritum eſſe; quia fuit appoſitum ad confirmandum contractum, quem jurans habebat in mente, non qui de facto celebratus eſt, & cum juramentum non extendatur ultra id, quod cogitatum eſt, & in mentem venit, non poteſt extendi ad confirmandum contractum ex errore ſubſtantiali celebratum. Ita cum Palao, Fagundez, Trullenc. *lib. 2. cap. 1. d. 12. num. 2.*

Dico ſecundò: ſi error verſetur circa qualitatem 120
contractus, & ſit concomitans; valet contractus, ſaltem jure naturæ. Ita Leſſius *lib. 2 cap. 27. dub. 5. num. 28.* & alij communiter. Ratio eſt quia hujuſmodi error, non impedit ſufficientem conſenſum in contractus ſubſtantiam, ergo illum non annullat; patet antecedens, nam vel hic error procedit ex inadvertentia, quia contractus non cogitavit de tali qualitate, vel ſi cogitavit, non de illa juravit, ſed in utroque caſu videtur contrahens taliter

Digitized by Google

taliter ad contrahendum affectus, ut etiamsi tales qualitates expresè cognosceret, adhuc contraheret: ergo non est cur talis contractus sit nullus. Potissima igitur difficultas est an error contingens circa qualitatem non substantialem, si contractui causam dederit, annullet ejus valorem: Et relictis variis sententiis, quas late refert Oñate *tom. 1. d. 3. sect. 9.*

121 Dico tertiò: Si error contingat circa qualitatem non substantialem, etiamsi causam dederit contractui, contractus sunt validi tam de jure naturæ, quam positivo, irrevocabiliter tamen ex parte decipientis, & revocabiliter ex parte decepti, Vnde dici possunt semi nulli. Ita Lugo *de justitia d. 22. num. 73.* Oñate *tom. 1. d. 3. sect. 9. num. 198.* contra Bonacinam, Fagundez, & alios. Prima pars conclusionis patet, quia in his contractibus non deest voluntarium sufficiens ad reddendum actum simpliciter voluntarium; ergo tales contractus sunt validi: probatur antecedens, quia ex eo deficeret voluntarium, quia deceptio provenit ab altero contrahente, sed quod deceptio proveniat ab altero contrahente, vel à seipso, parum refert; cum in utroque casu auferat scientiam requisitam ad voluntarium; ergo si contractus sunt validi, quod quis se decepit, idem dicendum est, quod ab altero contrahente fuit deceptus, dummodo deceptio non sit circa substantiam.

Quoad secundam vero partem probatur, ex definitione contractus mutui, qui scilicet obligationem mutuam producit, sed in præsenti casu deceptor, in casu quo ipse sua culpa dedit causam contractui, & non deceptus, manet obligatus irrevocabiliter; ergo in quantum non obligat irrevocabiliter deceptum, non est validus, sed aliquo modo defectuosus ex una parte. Suppono namque eum, qui deceptus est, posse si voluerit contractum non servare, perinde ac si non contraxisset: ergo nullam obligationem sibi imposuit irrevocabilem, ac per consequens decipiens, nullum jus acquisivit firmum ex contractu contra alterum contrahentem, sed tantum à sua voluntate dependentem; manet tamen deceptor obligatus irrevocabiliter, juxta voluntatem decepti, quia talis contractus non est omnino irritus, sed validus, & ex parte decipientis firmus, licet ex parte decepti sit revocabilis, secundum suam voluntatem; quare ex vi contractus, tam decipiens quam deceptus manent obligati proximè, & immediatè ad contractum servandum, quamdiu non dissolvitur, sed deceptus habet jus, ut dissolvatur contractus, atque ideo mediatè habet jus ad illam non servandum, quatenus habet facultatem obligandi deceptorem ad contractum dissolvendum, & ideo diximus deceptum non obligari firmiter, & irrevocabiliter.

122 Dixi circa qualitates non substantiales, quia sunt aliquæ qualitates, quæ pertinent ad substantiam contractus, etsi circa has error, vel dolus versetur, contractus omnino est irritus, ut diximus de errore versante circa substantiam contractus: nam tunc est error in substantia illius, ut si quis emeret equum putans esse Africanum habentem excellentes qualitates, vel voveret peregrinationem putans distare 50. leucas, cum nec equus habeat illas qualitates, nec locus distet per 50. sed per 200. leucas, tunc illæ qualitates sunt substantiales, & error in illis, est error in substantia, ut bene advertit Lugo. Vnde conclusio solum procedit, de qualitatibus non substantialibus, & parvi momenti, quæ tamen dederunt causam contractui.

Et ex his jam Colliges qua ratione juramentum appositum contractibus dolo, vel errore celebratis, obligationem inducat, cum enim hoc juramentum, ut dictum est, appositum in contractibus ad augendam illorum obligationem, pro natura contractus obligationem habeat. Ideo si contractus nullus est, etiam juramentum nullum est, si vero contractus validus est, veniatque rescindendus, eodem modo rescindi poterit non obstante juramento, quia juramentum continet omnes restrictiones, & conditiones, quas contractus habet. Ita cum Covar. Gutierrez, Lessio, Palaus ubi *supra n. 26.* 123 124

Unde breviter dico quod si error, vel dolus fuit circa substantiam contractus, sive fuerit antecedens, sive concomitans, juramentum adjectum contractui est nullum, siquidem ipse contractus nullus etiam est. Si vero error vel, dolus versetur circa qualitates contractus, & sit concomitans, juramentum tenet, quia talis contractus validus est, ut *suprà* diximus; quod si error, vel dolus circa qualitates non substantiales, sed extrinsecas, & accidentales versetur, tunc etiam juramentum est validum, tam de jure naturæ, quam positivo, & ex parte decipientis non potest rescindi, bene tamen rescindi potest ex parte decepti. Si tamen error versetur circa qualitates substantiales, & quæ intrant rationem objecti principalis contractus, tunc nec contractus est validus, nec juramentum obligat. Ita cum Rebello, Aragonio, Sanchez, Valentia, Turriano, Basilio, & aliis Palaus *suprà n. 11.* quæ omnia procedunt in omnibus contractibus, tam stricti juris, quam bonæ fidei, saltem in foro conscientiæ. 125 126 127

In foro tamen externo, omnes admittunt contractus stricti juris validos esse, licet id negent plures de contractibus bonæ fidei; conceditur tamen decepto contra deceptorem exceptio, quando dolus dedit causam contractui, ut non cogatur implere contractum, si nondum impletus est; si vero impletus sit, conceditur decepto actio de dolo adversus decipientem, ut damnum resarciat, si aliquod passus est, si denique dolus fuit incidens, nec dedit causam contractui, validus est in utroque foro; in foro tamen interno tenetur deceptor reducere contractum ad æqualitatem; in externo autem ad id non cogitur, sed solum datur decepto exceptio de dolo, si contractus ex parte sua non sit integre completus, post impletum vero, conceditur ei actio de dolo adversus decipientem, ut damnum resarciat, si aliquod passus est, videatur Molina *d. 359.* Lugo *de justitia d. 22. n. 107.* Palaus *de juramento d. 2. p. 5. num. 1.* Et idem quod diximus de valore horum contractuum, dicendum proportionaliter est, de juramento, nam juramentum, ut diximus, valori horum contractuum accommodatur, & ad illorum revocationem revocatur. 128

Adverte tamen, quod quando diximus, quod si error vel dolus in qualitatibus accidentalibus dedit causam contractui, contractum esse validum, tam jure naturæ, quam positivo, posse tamen à decepto irritare, non debere intelligi de contractu Matrimonij, vel de professione religiosi, vel casibus constituentibus statum religiosum, qualia sunt, quæ fiunt in Societate levi; nam in his, quæ constituunt statum, voluntas juxta naturam rei de qua agitur accommodat se, & consentit sine restrictione, vel conditione, sed omnino absolutè, & independenter ab aliis conditionibus, præter eas, quæ sunt de substantia ejusdem contractus. Ita Sanchez quem refert & sequitur Lugo *de justitia ubi suprà num. 88.*

Adverte secundò: In promissionibus, & donationibus gratuitis, aliter etiam philosophandum esse, ac in aliis contractibus onerosis; nam in promissionibus, 129

missionibus, & donationibus gratuitis, si error, vel dolus sit circa causam finalem, vel circa aliquam circumstantiam, sine qua donatio non fieret, vel promissio; promissio, vel donatio non tenet. Ita cum Molina, & aliis Lugo *suprà num.* 89. Ratio est quia cum hæc donatio sit liberalis, potest quis apponere conditionem, quam voluerit sine injuria promissarij, vel donatarij, quare solum videtur se obligare quandiu rerum mutatio non fiat, unde non videtur le velle obligare, si causa finalis falsa sit.

130 Adverte tertiò: ad invaliditatem promissionis, non sufficere, quod adsit aliqua circumstantia, quam si quis novisset non promisisset, v. g. si Petrus det eleemosynam pauperi vero, quem si sciret esse suum inimicum, non daret, adhuc enim donatio, sive promissio est valida, quia non nocet illa circumstantia ignorata, nec ideo promittit, quia ille non est inimicus, sed quia est pauper, quæ causa motiva vera est à parte rei, non ergo bene arguitur, quod non valet donatio gratuita ex eo quod si sciret aliquid aliud, quod ignorat non promitteret, nisi sit tale, quod actu moveat positione ejus negatio. Vide Salas, Sanchez, Vasquium, quos refert, & sequitur Lugo *suprà num.* 90.

SECTIO XIX.

Utrum juramentum metu extortum obligationem inducat.

SUMMARIUM.

131 *Contractus ex metu levi celebratus validus est jure naturæ.*

132 *Si metus levis dedit causam contractui tenetur decipiens rescindere contractum, si à decepto requiratur.*

133 *Contractus ex metu gravi juste celebratus validus est tam jure naturæ, quam positivo, & juramentum illi adjectum validum est.*

134 *Quando metus gravis est injuste illatus juramentum tali contractui adjectum obligat jure naturæ.*

135 *Talis contractus ex metu factus est rescindibilis ex parte illius, qui passus est metum.*

136 *Juramentum extortum per metum injustè cadentem in virum constantem est validum de jure positivo, modo servari possit sine peccato.*

137 *Quanta sit obligatio hujus juramenti explicatur.*

138 *An qui juravit rediturum ad carcerem teneatur sub mortali hoc juramentum servare?*

139 *An juramentum redeundi ad carcerem relaxari possit?*

131 QVæstio procedit de metu gravi, & cadente in virum constantem, & non de metu levi, levis namque facilè rejici potest, ac proinde contractus ex illo celebratus validus est, jure naturæ, licet si talis
132 metus dedit causam contractui teneatur decipiens ad rescindendum contractum, si à decepto requiratur, ut late probat Lugo *de justitia d.* 22. *n.* 138. Vnde consequenter juramentum, etiam validum est: his suppositis.

133 Dico primò: Contractus ex metu gravi justo celebratus, validus est, tam jure naturæ, quam positivo, ac per consequens juramentum illi adiectum validum est, nec datur actio rescindendi contractum. Ita cum communi sententia Lugo *suprà n.* 156. Ratio est quia cum malum illud, quod est causa metus, juste inferri possit à metu inferente; juste potest vendere ius illud, quod habet, dummodo contractus aliunde non sit inæqualis ob excessum pretii excedentis valorem rei quam vendidit, ne ibi aliqua iniuria intercedat, quæ pariat obligationem restituendi. Hinc fit, quod si pater inveniat hominem cum filia sua fornicantem, & cum cogat iurare illam ducturum, alias Judici accusandum, ut morte plectatur, si iuret ducturum, teneri ex vi promissionis, & iuramenti.

Dico secundò: Quando metus gravis est iniuste 134
illatus, iuramentum tali contractui adiectum obligat iure naturæ. Ita cum multis Palaus *d.* 2. *p.* 4. *n.* 1. Fagundez *lib.* 2. *Decalogi c.* 13. *n.* 3. Ratio est quia iure naturæ, tenemur efficere verum id, quod iuramus, ne Deum fideiussorem infidelem faciamus. Tunc quia in tali sic iurando nec defuit intentio iurandi, & se obligandi, ut suppono, nec d. fuit libertas, si quidem non requiritur maior libertas ad jurandum, quam ad peccandum; sed illa libertas sufficiens erat ad peccandum, siquidem si ex metu gravi iniusto offerret idolo incensum peccaret: ergo eadem libertas sufficit ad iuramentum. Confirmatur quia promissio, seu contractus, qui firmatur tali iuramento, est validus iure naturæ, ut cum multis tenet Lugo *de justitia d.* 22. *n.* 115. & nos suo loco dicemus, contra Molinam, Rebellum, & alios quos refert & sequitur Oñate *d.* 3. *sect.* 13. *n.* 235. ergo etiam iuramentum, erit validum, patet consequentia; nam iuramentum sequitur naturam primordialem contractus; cui adiicitur.

Adverte tamen quod licet contractus ex metu 135
factus, sit iure naturæ validus, est tamen rescindibilis ex parte illius qui passus est metum. Unde potest cogere alterum metum iniustè inferentem, ut rescindat contractum, eo modo quo diximus de eo, qui per dolum fecit contractum, & ratio est, quia ratione iniuriæ, inferens metum dedit illi ius, ut possit rescindere contractum, & si iuramento fuerit confirmatum, ut diximus *de dolo*. Ita cum aliis Lugo *suprà*.

Dico tertiò: Juramentum extortum per metum 136
iniustum cadentem in virum constantem, est validum de iure positivo, indigetque relaxatione, modo tale iuramentum servari possit, sine dispendio salutis æternæ. Ita cum D. Th. & aliis cum multis Palaus *de juramento d.* 2. *p.* 4. *n.* 3. & 9. Fagundez *lib.* 2. *Decalogi c.* 13. *n.* 3. contra multos, quos refert, & probabile putat Sanchez, *de matrim. d.* 20. *sect.* 1. *n.* 3. Ratio autem desumitur *ex c. sivero de jurejurando*, & *cap. verum*, & *c. ad audientiam de iis quæ vi.* Deinde probatur etiam ratione, quia in tali juramento, nec defuit intentio, nec consensus, quia jurans erat in sufficienti libertate ad peccandum, ut *suprà* diximus, & aliàs nec datur lex divina, aut humana irritans tale juramentum; imo lex divina ad id obligat ob religionem juramenti, & promissionis, & lex humana idem præcipit in textibus allegatis: ergo tale juramentum de jure positivo obligat.

Quæ omnia locum habent non solum in contractibus approbatis, sed etiam in reprobatis, ut manifeste probat textus in *cap. Debitores*, promissio namque solvendi usuras nulla est, & à jure reprobata, & tamen si firmatur juramento observandum est: ergo. Quæ rationes non solum probant juramentum obligare in foro conscientiæ sed etiam in in foro exteriori. Tum quia *cap. debitores*, & *cap. ad audientiam* loquuntur de foro externo. Tunc quia ratio ob quam juramentum obligat, nempe obser-

vari

vari posse absque stipendio salutis æternæ æque in foro interno, ac externo procedit.

Dices : Votum metu extortum nullam inducit obligationem *cap. 1. de iis, quæ vi :* ergo neque juramentum, quia de voto ad juramentum firmum est argumentum. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio diversitatis est, quia votum irritatur in illo *cap. de iis, quæ vi* ; nullibi tamen invenitur juramentum metu factum homini irritum. Ad replicam dicimus de voto ad juramentum in honorem Dei præstitum bene inferri, secus vero ad juramentum in utilitatem hominum factum, quia in hoc non attenditur, quid gratius Deo sit, sed quid gratius homini, modo licitum sit & honestum.

137 Sed inquires quanta sit hujus juramenti obligatio? Angelus, & alij relati à Lessio *lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 30.* putant solum sub veniali obligare. Sed contrarium omnino tenendum est. Ita cum communi sententia Palaus *suprà num. 12.* Basæus *verbo juramentum 2. num. 6.* dummodo materia sit gravis. Ratio autem est, quia per fractionem talis juramenti, fit gravis Deo irreverentia, cum homo se ostendat infidelem in re gravi, nec ab hac gravitate illum potest metus excusare, cum Deus illum non intulerit.

Sed quæres an qui juravit rediturum ad carcerem teneatur sub mortali hoc juramentum observare? Negat Fexeda, quem refert, & probabile putat Diana *9. parte tract. 8. resol. 57.* etiamsi carcer justus sit, & reus non timeat injustè vexandum. Sed probabilius existimo, Reum obligatum esse redire quia talis reditus, & honestus est, & fidelitati, & justitiæ debitus. Sed quid si carcer fuerit injustus? Respondeo adhuc teneri redire ad carcerem. Ita cum Toleto, Lessio, Sanchez, Palaus, *suprà numero 14.* contra Basilium, Vasquium, Guttierrez, quos refert, & sequitur Tamburinus *lib. 3. cap. 3. §. 1. num. 31.* Ratio est, quia reditus ad carcerem factus ex fine observandi fidem stabilitam per juramentum est actus fidelitatis, veracitatis, fortitudinis, & patientiæ, ut ait Basæus *suprà numero 5.* ergo.

138 Nec inde rediens ad carcerem censeri debet se occidere, & vitam suam prodigere, ut dicunt Authores contrariæ sententiæ, sed solùm censeri debet se periculo vitæ exponere, quod ex justa, & rationabili causa, sæpe decet, ut docet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 6.* Adde ex observatione juramenti non se proprie conjici in vitæ periculum, quod antea non habebat, sed quod dato juramento, suspensum erat; ergo non potest excusari à juramenti observatione.

139 An autem hoc juramentum redeundi ad vincula relaxari possit ab Episcopo? Respondeo quod si juramentum est juste expostulatum, minime posse, bene tamen si fuerit injuste expostulatum, citra scandalum, primam partem defendat cum Sanchez, Palaus, *suprà num. 17.* contra Rodriguez, & alios; Ratio est, quia talis relaxatio derogat juri judicis, & custodis, cum enim carcer justus esset, judex, & custos jus habebant retinendi incarceratum in carcere, nequit ergo juramentum tolli. Secunda vero pars conclusionis probatur, etiam cum Suario, Sanchez, Rodriguez, à Palao *suprà* quia ex tali juramento nullum est jus parti acquisitum, sed soli Deo, qui ob injustam carcerationem facultatem Prælatis concedit, hæc juramenta sibi facta remittendi. Nec huic relaxationi obstat damnum, & pœna custodis, qui forte semper est innocens, quia illud est per accidens, & ex quocunque capite injustitia committatur præstat sufficientem causam relaxationis. Dixi citra scandalum, nam si captivo inter infideles libertas concessa esset, sub præstito juramento redeundi ad captivitatem, vel mittendi pretium suæ redemptionis, absque dubio tale juramentum observandum esset, nec relaxari potest, quia esto captivitas injusta sit, & injuste extorqueatur juramentum, at ejus observatio in bonum commune fidei, & Religionis cedit. Ita cum Sanchez, Suario, Palaus, *suprà*.

SECTIO XX.

Quæ materia requisita sit in juramento promissorio, ut obligationem inducat?

SUMMARIUM.

140 *Materia juramenti debet esse res licita, & non peccaminosa.*

141 *Materia juramenti non est res indifferens, aut impossibilis, aut impeditiva majoris boni, vel contraria divinis consiliis, vel quam melius est non fieri.*

142 *Quid si res non maneat indifferens, sed fiat bona ex aliqua circunstantia?*

143 *Qui absolute juravit nunquam ludere intelligitur de immoderato, non vero moderato ludo.*

144 *Qui juravit nunquam ludendi, non intelligitur per interpositam personam.*

145 *An qui juravit absolute non ludendi possit nomine alieno ludere?*

146 *An qui juravit abstinendi se ab aliquo ludo excusetur aliquando ratione parvitatis materiæ?*

147 *Juramentum de re indifferenti, vel quæ melius est non fieri, si fiat in favorem alterius obligat?*

148 *An juramentum non mutuandi, non fidejubendi, &c. sit validum?*

149 *An juramentum non denunciandi aliquem sit obligatorium?*

DIco primo : Materia juramenti debet esse res licita, & non peccaminosa. Vnde si juramentum adimpleri non potest absque peccato, non obligat, siquidem juramentum non potest obligare ad malum ; imo est quoddam genus blasphemiæ existimare, secluſa ignorantia, jurantem teneri ad illud implendum, ut bene cum Soto, Clavis regia, *lib. 5. cap. 7.* Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 1. dub. 8. num. 1.* Dixi secluſa ignorantia, nam si quis bona fide, & per ignorantiam existimet, se teneri rem venialem, vel mortalem, quam juraverat adimplere solum peccaret venialiter, vel mortaliter, si rem levem, vel gravem, propter juramentum exequeretur. Ita cum Navarro, Trullenc. *suprà*, Tamburinus *lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 5.* At quando materia juramenti partim est licita, partim illicita, & partim possibilis, partim impossibilis, servanda est, quoad partem licitam, & possibilem, quia utile per inutile non vitiatur. Ita cum Bonacina, Trullenc. *suprà*. 140

Dico secundo : Materia juramenti non est res indifferens, aut impossibilis, aut impeditiva majoris boni, seu contraria divinis conciliis, vel quòd melius est non fieri. Ita communiter DD. Ratio est, 141

Digitized by Google

quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otioſum, vel contrarium ſuis conſiliis, ſeu impeditivum majoris boni. Hoc autem limita primo quandiu res indifferens manet indifferens; Quare ſi quis juravit non fricare barbam, aut non tranſire per talem viam, aut ambulare, vel non ambulare, nullo propoſito fine honeſto, aut non ire ad talem officinam cauſa emendi, aut non ludere in tali domo, vel cum tali perſona, eo quod putet, illam domum, & illum ludum eſſe ſibi infauſtum, & infelicem, non tenetur ſervare juramentum, quia eſt de re vana, & indifferenti, quid enim refert nolle in hac domo, vel cum hac perſona ludere, reſervata facultate ludendi aliis locis, & cum aliis perſonis; at ſi res non manet indifferens, & ſit bona ex aliqua circunſtantia, hunc obligabit juramentum, quatenus durat bona circunſtantia, ut ſi non fricando barbam evitet culpam vanitatis, aut ſi non ludendo effugiat aliquam peccati occaſionem, vel jacturam facultatum, aut ſi non tranſeundo per talem viam, evadit periculum alicujus peccati, tenebitur rem juratam adimplere, nam tunc eſt materia apta juramenti. Ita cum Navarro, Sanchez, Suario, Trullenc. *ſuprà*. 142

Adverte tamen, quod ſi quis abſolute juravit nunquam ludere, non cenſeri regulariter, ſe velle obligari non ludere, etiam ludo moderato, ſed tantum ludo immoderato. Dixi regulariter, quia licet ludere moderate ſit opus virtutis Eutrapeliæ, perfectior actus eſt nolle ludere ob mortificationem; ſunt namque aliqui actus virtutis, à quibus abſtinere ob bonum finem perfectius eſt, ut Matrimonium, comeſtio ciborum ſaluti utilium, cum amicis politice converſare, inter quos eſt ludus moderatus; unde juramentum nunquam ludendi, etiam moderate ob finem mortificationis licitum eſt, & validum. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *d.2. parte 7. num.3.* Tamburinus *lib.3. Decalogi cap.3. §.5. num.58.* Quando tamen aliquis jurat nunquam ludere ob vitandam amiſſionem pecuniæ, non cenſetur jurare nunquam ludere moderatè, ſed tunc tantum cenſetur jurare nunquam ludendi, etiam moderate, [& idem eſt de voto] quando ea intentione, & fine juret, ut ſe privet hac honeſta recreatione in pœnitentiam, vel propriam mortificationem. Ita cum Palao, Trullenc. Tamburinus, *ſuprà num.59.* 143

Adde qui jurat nunquam ludere, non intelligit, nec comprehendit ludum per interpoſitam perſonam, cui pecuniam tradidit ut nomine ſuo ludat, tametſi ludentem aſpiciat, quia proprie, & in rigore non ludit, & cum obligatio juramenti ſtricte interpretanda ſit, non debet extendi ad hunc ludum moderatum. Nec obſtat ex hujuſmodi ludo ſequi eandem jacturam temporis, ac ſi ipſe luderet, quia non eſt attendendum an finis juramenti concurrat, ſed an ſub materia promiſſa comprehendatur. Ita cum Sanchez, Palaus, *d.2.p.7. num.5.* contra Bonacinam, *d.4.q.1.p.16.n.5.tom.2.* 144

Major tamen eſt difficultas de illo, qui jurat abſolute non ludendi, an poſſit nomine alieno ludere? Reſpondeo cum Sanchez, quem refert, & ſequitur Tamburinus *ſuprà num.63.* quod ſi finis juramenti fuit, ne jacturam faceret temporis, vel quia ludo occupatus non vacabat miniſterio ſuo, tunc non poſſe ſine peccato ludere nomine alieno; quod ſi fuit vitare jacturam pecuniæ, tunc poteſt ludere nomine alieno, ſi tamen fuit vitare rixas, perjuria, &c. tunc eſt inſpicienda cauſa harum rerum, etſi cauſa perſeverat, illicitus eſt ludus, ſi tamen non perſeverat, tunc ludus non eſt illicitus, ſi tamen finis fuit privare ſe recreatione ludi, nullo modo poteſt ludere, quod ſi ſolus finis eſſet, eo quod ille cum quo juratum eſt non ludere, credatur bene fortunatus in ludo, vel jurans concipiat illam domum, illumque ludum, eſſe ſibi infelicem, non valet juramentum, quia hæc vana, & ſuperſtitioſa ſunt, ſicut loca in ludo variare, ut felicior ſors cadat. Sanchez quem refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà*. Hinc fit votum, & juramentum nullo modo ludendi, niſi tali ludo determinato eſſe validum, quia in honorem Dei cadit, tot ludis ſe privare, ac conducit multum, ne jurans nimium ludis vacet. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſuprà* contra Sotum. 145

An vero ratione parvitatis materiæ poſſit aliquando ita jurans abſtinendi ſe ab aliquo ludo, non peccare mortaliter? Reſpondeo affirmative. Ita cum Sanchez, Palaus, *ſuprà*, Trullenc. *ſuprà*. Adverte tamen non ex ludo ipſo ſumendam eſſe hanc parvitatem, ſed ex fine, quo quis motus eſt jurare, ſe à tali ludo abſtinendum; nam ſi ex animo ſe privandi delectatione ludi juravit non ludere, ut vitaret jacturam temporis, ſpectandum eſt potius tempus inſumptum, quam quantitas, quia magis præjudicat fini juramenti, ſi enim ultra duas horas inſumeret, tametſi modicam luderet quantitatem peccaret mortaliter; Econtra vero ſi brevi tempore ludo vacaret notabilem quantitatem exponens, peccaret tantum venialiter. Ita cum Sanchez, Palaus *ſuprà num.6.* Si vero finis fuit vitare jacturam pecuniæ, & prodigalitatem, ex quantitate pecuniæ expoſitæ, & non ex tempore deſumenda eſt gravitas culpæ, ut de ſe conſtat. Eſt tamen maxime advertendum, quantitatem quæ reſpectu unius eſt modica, reſpectu alterius gravem, & graviſſimam eſſe, equiti enim diviti, & nobiliſſimo, modica quantitas cenſeri debet, quod uno, vel altero die tria vel quatuor ſcuta aurea ludendo inſumat, quæ ſi operarius inſumeret, gravem quantitatem conſumpſiſſe cenſendus eſt. 146

Adverte tamen dicta procedere, quando juramentum non eſt factum in favorem alterius, ſed ſoli Deo; nam ſi fuit factum in favorem tertij, licet juramentum de re indifferenti, vel quam melius eſt non fieri, non obliget per ſe loquendo, obligat tamen ſi fiat in favorem alterius ſi obligationem non remittat. Ratio eſt, quia adimpletio juramenti in hoc caſu non eſt actus indifferens, ſed virtutis veracitatis, & fidelitatis, & conſervativus propriæ exiſtimationis, quæ ſervatur ſtando promiſſis; Tum etiam quia in promiſſione facta homini, ſpectatur quid gratius ſit homini, & non quid in ſe melius; unde juramentum factum in alterius utilitatem ſervandum eſt, modo ſervari poſſit abſque peccato mortali, vel veniali. Ita cum multis Tamburinus *lib.3. cap.3. §.3. num.11. & ſequentibus.* 147

Sed quæres an juramentum non mutuandi, nec fidejubendi nec emendi auctiori pretio, nec vendendi minori, ſit validum? Reſpondeo regulariter non obligare, & de juramento non mutuandi, non fidejubendi, tenet cum Gutierrez, Sanchez, & aliis, Palaus *d.2. parte 7. num.1.* Ratio eſt, quia mutuare & fidejubere ſunt actus miſericordiæ; ergo juramentum de illis non præſtandis, non poteſt eſſe validum. Nec obſtat quod aliquando poſſit homo moveri ad hoc juramentum ex propria charitate, & filiorum. Nam ad hoc Reſpondeo quod quando eſt factum ob proprium commodum, poteſt ſic mutuans cedere juri ſuo, & alias perfectior eſt actus mutuandi, ſi alias detur gravis proximi neceſſitas. Si tamen factum fuit tale juramentum 148

tum in commodum filiorum, & creditorum, ne ex mutuatione gravem rei familiaris jacturam patiatur, ut sæpe fit, tunc si filij acceptaverunt talem promissionem juramento firmatam, non potest pater illam revocare, bene tamen ante illorum acceptationem, quia juramentum in commodum tertij factum, & ab eo acceptatum servari debet, quoties servari potest, absque peccato, ante vero acceptationem non obligat, quia juramentum sequitur naturam promissionis. Vnde cum promissio ante acceptationem non obliget, neque etiam juramentum confirmatorium promissionis. De juramento vero non emendi auctiori pretio, neque vendendi minori, tenet etiam cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *suprà num.* 4. Nam hujusmodi juramenta, neque in Dei honorem cedunt, neque in proximi utilitatem, sed ad summam cedunt in utilitatem propriam, cui ipse jurans facile cedere potest, non est ergo obligatorium.

49 Quæres tandem An juramentum non denunciandi aliquem delinquentem sit obligatorium? Respondeo, vel juramentum fuisse factum ante delictum commissum, vel post commissum, & non emendatum, vel jam emendatum; si post delictum commissum, & emendatum quis juravit non accusare, vel non denunciare, ipseque delinquens juramentum acceptavit, obligatus est servare juramentum, quia in eventu sola satisfactio injuriæ propriæ, cui ille per juramentum cedit, honestare accusationem, vel denunciationem poterat. Excipe tamen nisi præceptum superioris urgeret de denunciatione facienda, in illis casibus, in quibus obligare potest ad denunciationem, seu accusationem, nam juramentum præjudicare non potest huic juri. Si vero juramentum sit ante delictum commissum, vel post delictum commissum, sed non emendatum, sed potius persistens, obligatur solum ad non accusandum, verbi gratia, uxorem ad effectum divortij, vel quemlibet alium delinquentem ad effectum, cui ipse cedere potest, at non obligatur ad non accusandum uxorem, vel quemlibet alium delinquentem ad publicam vindictam, si id commune bonum expostulet, expediensque reipublicæ sit, alias tribueretur delinquentibus occasio liberius peccandi scientibus non esse accusandos.

Adverte tamen quod si huic communi bono, & vindictæ publicæ, possit quis satisfacere denuntiatione, & juramentum sit de non accusando, nequaquam accusare potest, quia cum sit juramentum in favorem tertij, & servari possit absque peccato, omnino servandum est. Hinc fit jutamenta alios accusandi vel denunciandi illorum crimina animo vindictæ esse nulla, & nullius momenti. Ita cum aliis Palaus *supra p.* 7. §. 3. *n.* 1.

SECTIO XXI.

De juramento Medicorum, Decurionum, Scribarum, & aliorum Judicum.

SUMMARIUM.

150 *Medicus, si infirmus est periculosus, tenetur illum monere per se, vel per alium, ut Sacramenta recipiat.*

151 *Jure Canonico non potest medicus ultra tertiam diem invisere infirmum, si ei non constet Sacramenta recepisse.*

152 *Universitates tenentur dare juramentum medicis de hoc adimplendo.*

153 *Quod juramentum emittant decuriones, & quomodo illo obligentur?*

154 *Scriba quod juramentum emittant, & qualiter illo obligentur?*

155 *Juramentum servandi statuta alicujus collegij obligat eo modo quo statuta obligant.*

156 *Quid de aliis judicibus ordinarijs, & delegatis dicendum sit?*

Dico primò: Medici jure naturali, & divino tenentur monere infirmum quando est probabile futuræ mortis periculum, vel per se, vel per parochum, vel consanguineos, ut Sacramenta suscipiat, & de bonis suis disponat. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 2. Ratio est quia jure charitatis tenetur quis vitare damnum proximi; sed medicus monendo infirmum de morte futura frequenter vitat damna gravia proximi, & dato quod ipse infirmus bene dispositus sit, melius ad mortem præparatur; ergo medicus tenetur de hoc infirmum præcavere specialiter, si prudenter timeat, non esse bene dispositum ad mortem. 150

Dico secundò: Jure Canonico tenetur medicus infirmum, ante omnia monere, ut Sacramenta recipiat *ex bulla Innocentij III. & Pij V.* ubi eis præcipit, ut medici ultra tertiam diem infirmum non visitent, nisi per confessarij scriptum ipsis de confessione infirmi fides fiat, nisi confessarius ex justa causa longius tempus infirmo concedendum judicet. Vnde universitates tenentur hoc juramentum præstare medicis, cum licentiam medendi illis tribuunt; debet autem infirmitas esse talis, ut lectum de se petat, quod si æger noluerit confiteri, jubet Pius V. ut medicus illum deserat, quod debet intelligi, nisi ex desertione medici, constituatur infirmus in probabili mortis periculo; nam tunc videtur esse contra charitatem. Ita cum Sanchez, Trullenc. *suprà n.* 3. Sed de hoc non est multum immorandum, cum in Hispania hoc decretum consuetudine abrogatum sit; unde juramentum, quod medici faciunt de servando decreto Pij V. intelligi debet, prout decretum usu receptum est. Ita cum Suario, Sanchez, Palaus *d.* 2. *p.* 7. §. 4. *n.* 6. Trullenc. *sup. n.* 3. 151 152

Dico tertiò: Decuriones, Lusitanè, *et Regedores*, juramentum emittunt, tum servandi secretum earum rerum, quæ in consistorio tractantur, tum prospiciendi bono publico Reipublicæ, & suum officium fideliter obeundi. Vnde tenentur agere, ut populus recte provideatur, ut pretia rerum venalium non sint excessiva, ne ministri publici injuriam civibus faciant, neve grassentur latrones, sed viæ publicæ sint tutæ, etsi alicubi pestis sit, civitas custodiatur; Ita cum Sanchez, Palaus, *de juramento d.* 2. *p.* 7. §. 5. *num.* 2. Non tamen tenentur ex suo officio, neque ex juramento, alia peccata publica inquirere, & denunciare. Ita cum Sanchez, Palaus, *suprà n.* 2. contra Navarra, Rodericum, & alios. Ratio autem est, quia præcepta non sunt multiplicanda, ubi clare de illis non constat. Tum quia forma juramenti, quod præstant hi Decuriones, nec verbum continet, ex quo appareat obligatos esse hæc peccata publica inquirere, & denunciare. De servando vero secreto, debent illud observare, quoties gravitas materiæ id postulaverit. Vnde si manifestare aliquid ex iis, quæ in consistorio fiunt, non cedat in damnum Reipublicæ, vel alicujus tertij, tantum erit veniale eorum manifestatio. Ita cum Sanchez, Palaus, *suprà.* 153

Dico

Dico quartò: Scribæ, procuratores, aliique officiales, juramentum emittunt ſervandi taxam ſibi à Rege præſcriptam; unde tenentur illam ſervare, etſi quid ultra taxam accipiunt, tenentur ad reſtitutionem. Nec obſtat aliquos ſcribas clamare hujuſmodi taxam conſuetudine eſſe abrogatam; hoc enim, ut teſtatur Palaus *d. 2. de juramento p. 7. §. 5. num. 4.* falſum eſt, nam ſi aliqui ultra taxam aliquid accipiunt, clam accipiunt, nec Reſpublica conſentit. Imo omnibus officialibus mandatum eſt, ut in fine cujuſlibet ſcripturæ apponant ſalarium per illam acceptum. Unde quamdiu hoc clam faciunt injuſtè faciunt. Tamburinus *lib. 3. cap. 3 §. 5. num. 53.* Sed gratis admiſſo taxam eſſe injuſtam, & conſuetudine abrogatam, dubium eſt an eb juramentum de illa ſervanda; ſint obligati illam ſervare? Reſpondeo negative, non quia ad illam ſervandam ſe obligare non poſſunt, ſed quia cenſendi ſunt, ſe noluiſſe obligare, nam cum quis aliquam legem ſervandam jurat, jurat eam ſervare eo modo, quo recepta eſt, quia juramentum eſt legi acceſſorium, ſi ergo lex non obligat, neque juramentum. Tamburinus *ſuprà num. 54.*

155 Hinc fit juramentum ſervandi ſtatuta alicujus Collegij, vel univerſitatis, Religionis, &c. virtute juramenti, eo genere obligationis, quo ſtatuta, obligant. Unde ſi ſtatuta non obligant ad culpam, ſed ad pœnam, ut frequenter fit in communitatibus, juramentum de illis ſervandis nullam inducit obligationem, ſi vero ſtatutum obligat ad mortale, vel veniale, pro gravitate materiæ, juramentum eandem obligationem habebit, quia cenſetur emiſſum, ſub ea conditione, & obligatione, quam habet ſtatutum. Ita cum Sanchez, Salas, Bonacina, & aliis Palaus *ſuprà n. 6.*

156 Et ex hac doctrina colligere poteſt, Qualiter alij judices ordinarij, & delegati obligentur ſervare ea, quæ in ingreſſu ſui officij jurant, ſpectandum namque eſt, an ſecluſo juramento, lege naturali, vel poſitivo, ea ſervare obligentur, & pro qualitate illius obligationis, erit obligatio juramenti; ſi autem ſecluſo juramento nulla adſtringuntur obligatione, ex vi juramenti eam non accipiunt, quia juramentum, ut ſæpè dictum eſt, eaſdem conditiones, reſtrictiones, & exceptiones habet, ac habet actus, ſuper quem interponitur. Ita cum Guttierrez, & aliis Palaus *ſuprà num. 7.*

SECTIO XXII.

Utrum tanta ſit obligatio juramenti, ut non detur locus compenſationi.

SUMMARIUM.

157 *Qui juravit alicui dare aliquam rem determinatam non ſatisfacit Iuramento dando æquivalens.*

158 *Qui juravit alteri dandi centum aureos poteſt facere compenſationem non ſolvendo ſi alter totidem illi debeat.*

159 *Quid ſi quis Intentionem haberet quando juravit non utendi compenſatione?*

160 *Aliqui dantur Caſus, in quibus compenſatio locum non habet & quales ſint.*

157 DIco primò: Non ſatisfacit juramento promiſſorio homini liberaliter etiam facto in aliqua certa ſpecie, v.g. in hoc equo, in hac actione poſt acceptationem illius, qui reddit æquivalens, vel intereſſe. Unde non poteſt quis ſua propria authoritate commutare rem ſingularem, quam dare juravit, in rem alterius ſpeciei, ut ſi juravit dare equum, dare pro illo pecuniam, vel triticum. Ita communiter DD. apud Fagundez *lib. 2. Decalogi cap. 20. num. 1.* Palaus *de juramento d. 2. p. 11. numero 6.* Tanczed. *tract. 4. lib. 2. d. 16. num. 9.* Ratio eſt, quia juramentum ſi quitur naturam promiſſionis, cui adjungitur, ſed promiſſio adimplenda eſt in ſpecie promiſſa, nec ſufficit dare æquivalens, ut patet ex §. 1. *inſtit. quibus modis tollatur obligatio*: ergo. Advertè tamen cum Palao, quod etſi in his rebus diverſæ ſpeciei locus non ſit compenſationi, eſt tamen locus retentioni, donec debita pecunia ſolvatur, ut expreſsè traditur *in l. ſi fortem, §. ſi centum, ff. de conditionibus indebiti.* Neque ex hac retentione cenſetur quis perjurus, habet enim juramentum ſolvendi, hanc tacitam à jure conditionem, niſi ex aliquo titulo legitimam excuſationem habeat. Ita cum Suario, Molina, Palaus *ſuprà numero 6.*

Dico ſecundò: qui juravit ſe ſoluturum alteri 158
centum aureos, vel centum coros tritici, vel olei, poteſt uti compenſatione, non ſolvendo, ſi alter totidem vareos, vel coros tritici, vel olei ei debeat. Ita cum Suario, Sanchez, Villalobos, Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 17.* Fagundez *lib. 2. cap. 2. num. 9.* & cum Bonacina, Palaus *ſuprà num. 2.* Lugo *de juſtitia d. 16. num. 117.* Tamburinus *lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 35.* contra plures juriſtas, quos refert, & ſequitur Guttierrez *part. 3. cap. 6. à num. 3.* Ratio eſt quia compenſatio cenſetur quædam ſolutio, & vera ſatisfactio; ergo compenſans cenſendus eſt ſolviſſe; ergo verè juramento ſatisfecit. Confirmatur, quia non eſt cenſendus infidelis, & perjurus, qui juſtè impeditus eſt à promiſſis ſolvendis *l. fin. ff. qui ſatisdare*; at promittens ſolvere centum, juſtè impeditur à promiſſione ſolvendi, eo quod totidem creditor ei non ſolvit, ergo: non enim eſt æquum creditorem velle aliorum debita excipere, ſuis debitis non ſolutis. Quod verum eſt, non ſolum in debitis, poſt juramentum contractis, ſed etiam in debitis ante juramentum contractis. Ita cum aliis Tamburinus *ſuprà num. 36.* Tancred. *tract. 4. lib. 2. d. 16. num. 24.* Ratio eſt, quia credendum eſt juramentum ea intentione à jurante fuiſſe emiſſum, quæ ſibi utilior, & commodior foret, qualis eſt intentio ſolvendi ſolutione legitima, & à jure approbata, & non cum intentione renunciandi compenſationi.

Sed quid ſi quis expreſſam intentionem haberet 159
non utendi compenſatione, poſſetne illa uti? Negat Bonacinas. Affirmat Sanchez, quos refert Palaus *ſuprà num. 4.* ſed fœdere diſtinctionis facilè conciliantur. Si enim eam intentionem non utendi compenſatione creditori manifeſtavit, ipſeque ſic juramentum ſibi factum acceptavit, ſine dubio non poteſt uti compenſatione, quia in ejus favorem huic viæ ſolvendi debitum renunciavit. Verum ſi eam intentionem creditori non declaravit, ſibi obeſſe non poteſt, quominus compenſatione utatur, quia illa promiſſio ſub ea qualitate non utendi compenſatione, non fuit à creditore acceptata, quia ipſi manifeſta non fuit, deficiente autem acceptatione in promiſſione, etiam jurata, deficit obligatio. Ita Palaus *ſuprà numero 6.* Tamburinus *ſuprà num. 37.*

Adverte tamen cum Palao aliquos eſſe caſus in 160
quibus compenſatio locum non habet, ut in debitis ad commune donum pertinentibus, qualia ſunt,

sunt, quæ debentur ad munitiones, ad fontium, pontiumque constructionem, ad bella, aut in tributum, aut fideicommissum, ita habetur *in l. eo. de compensationibus*, & quæ debentur alicui in pœnam ex conditione delicti adversus illum commissi *l. ultim. Cod. de compensationibus*, & latius tradit cum Molina, Palaus, *suprà num. 6.*

SECTIO XXIII.

Utrùm obligatio juramenti ita sit personalis, ut nullo modo transeat ad hæredes, vel successores.

SUMMARIUM.

161 *Hæres jurantis non tenetur illius juramentum impleri ex vi juramenti.*

162 *Obligatio contractus super quem cadit juramentum transit ad hæredes, modo contractus sit validus vel firmetur juramento.*

163 *Hæres illius qui juravit soluturus usuras, non tenetur eas solvere.*

164 *Coram quo judice conveniri possit laïcus ratione juramenti.*

LOquimur de juramento, quod fit homini, non de juramento quod fit Deo, & habet modum voti, nam de hoc in sequenti disputatione agemus: Hoc supposito.

161 Dico primò: ratione juramenti, seu ut aptiùs loquamur vinculo juramenti, hæres jurantis non tenetur illius juramentum implere, etiamsi juratus non solùm juraverit pro se, verum etiam pro aliis. Ita communiter DD. apud Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 1. dub. 16. num. 2.* Ratio est, quia obligatio juramenti est personalis, & vinculum voluntarie à jurante assumptum, obligatio autem personæ non transit ad hæredes. Vide Suarium *lib. 2. de juramento cap. 31.*

162 Dico secundò: obligatio contractus, supra quem cadit juramentum transmittitur ad hæredes, modo contractus sit validus, vel saltem validus efficiatur, seu firmetur juramento. Ita cum aliis Trullenc. *suprà num. 3.* Palaus *de juramento d. 2. p. 11. num. 1.* Ratio est, quia obligatio contractus transmittitur ad hæredes *l. necessario §. quod si pendente ff. de periculo, & commodo rei venditæ*; obligatio enim ex contractu est realis, obligatio autem realis transmittitur ad hæredes, nam res cum suo onere transit. Ita communiter DD. apud Trullenc. *suprà num. 3.*

163 Et ex his colliges primò: Hæredem illius, qui juravit soluturum usuras, non teneri eas solvere. Et ratio est, quia jurans eo casu solum tenebatur eas solvere ratione juramenti, & nullo modo ratione contractus, sed vinculum juramenti, ut dictum est, non transit ad hæredes: ergo ita cum Bonacina, & aliis, Trullenc. *suprà num. 4.* Secundò colliges successorem in dignitate habente annexa multa juramenta, non teneri juramentis sui prædecessoris, si successor ad illam dignitatem admittatur, non præstito juramento eis satisfaciendi. Fieri tamen potest, ut aliunde obligetur ad idem servandum, non ratione juramenti prædecessoris, sed ratione contractus, vel statuti obligatio singulos in ea dignitate constitutos ad idem servandum. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis, Trullenc. *suprà num. 5.* Tertiò colliges hæredes non servantes contractum juratum, vel promissionem juratam defuncti non peccare, peccato perjurij, quia ipsi non tenentur vinculo juramenti, peccare tamen contra justitiam, quia ut dictum est, obligatio realis in ipsos derivatur. Ita citati DD. Unde hæredes illius, qui juravit non repetiturum certam pecuniam, quæ illi debebatur, non peccant peccato perjurij illam repetendo, sed peccato injustitiæ. At si juramentum sit extortum per injuriam, nec peccant contra justitiam, quia tunc promissio fuit invalida, & defunctus non tenebatur ratione promissionis, sed juramenti, cujus vinculum non transfertur in hæredes. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Trullenc. *suprà num. 6.*

Sed quæres coram quo judice conveniri possit laïcus ratione juramenti? Respondeo posse conveniri coram judice Ecclesiastico, etiam & coram laïco, quia hoc crimen est mixti fori, & juramentum non mutat forum, sed addit forum foro; hoc tamen intellige, modo juramentum non sit factum soli Deo: nam de hoc juramento solum judex Ecclesiasticus cognoscit, quia nullus adest contractus cum homine celebratus, ratione cujus competat foro sæculari potestas de illo cognoscendi, sed solum adest spirituale vinculum, quo jurans spiritualiter devinctus est, & soli Deo jus acquisitum. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Trullenc. *suprà num. 8.* Et idem dicendum est de voto soli Deo facto, modo non sit acceptatum, & intimatum ab eo, in cujus favorem factum est: nam si acceptatum sit, poterit laïcus vovens, non solum coram judice Ecclesiastico, verum etiam sæculari conveniri, quia verum non mutat forum, sed addit forum foro. Ita cum Sanc. Bonacina, Trullenc. *suprà num. 8.* 164

SECTIO XXIV.

Utrùm juramentum per procuratorem præstari possit?

SUMMARIUM.

165 *Juramentum per procuratorem præstari potest, nisi contrarium jure vel consuetudine cautum sit.*

166 *Vi procurator nomine alterius valide, & licite juret, debet habere speciale mandatum.*

167 *Quid si procurator minoris firmaturus sit contractum juramento.*

168 *Aliqui dantur casus in quibus juramentum præstari non potest per procuratorem, & quales sint.*

DIco primò: optime potest juramentum per procuratorem præstari, nisi contrarium jure, vel consuetudine cautum sit. Ita communiter DD. apud Taneredum *tract. 4. lib. 2. d. 13. num. 1.* Fagundez *lib. 2. Decalog. cap. 22. num. 18.* Sumiturque hæc assertio ex textu *in cap. metuentes 14. quæst. 4. cap. tibi Domino 63.* Ratio autem est, quia ad juramentum solum requiritur invocatio Dei in testem, cum intentione; sed qui per procuratorem jurat, medio illo invocat Deum in testem, cum intentione ut supponimus: ergo est juramentum. Et hinc fit posse etiam per scriptum, & per nuncium præstari. 165

Dico secundò: ut procurator nomine alterius licite, & valide juret, debet habere speciale mandatum ad jurandum in tali causa, neque sufficit mandatum generale ad jurandum in quacumque partis causa, quia in juramento, tum assertorio, quam promissorio, necessario requiritur veritas, quam testari non potest procurator 166

Digitized by Google

nomine alterius jurans, nisi ei constet mandantem pro certo eam habere, aut ex animo promittere. Ita cum aliis Palaus *d.1.p.3.n.2.* Vnde si procurator ex solo mandato generali, & non speciali, circa hanc, vel illam cautam, juramentum præstet, & graviter peccat, & dominus obligatus non manet ex vi illius juramenti, quia defuit in Domino consensus, solumque tenebitur ratione contractus, ob generalem facultatem ad contrahendum, si contractus aliàs est firmus, seclusо juramento. Ita cum Cajetano, Ledesma, Bonacina, & aliis, Palaus *sup.n.3.* Quamvis Tancred. *sup. n.4.* existimet, quod si contractus est talis, ut communiter soleat fieri, præstito juramento, sufficere mandatum speciale ad jurandum in quacunque causa, ut possit contractus ille sive assertorio, sive promissione jurari, quia jam implicite est mandatum speciale ad jurandum in hac causa.

167 Hæc generaliter dicta sunt, at si procurator nomine minoris, contracturus est, & consequenter juramento firmaturus, debet non solùm speciale mandatum circa causam specialem habere, sed insuper requiritur ut ipsamet promissio, & institutio procuratoris juramento firmetur à minore, alias si contractum in ejus utilitatem non cedat, poterit beneficio restitutionis uti. Sic cum aliis Palaus *suprà num.4.*

168 Dixi in principio juramentum per procuratorem præstari posse, nisi contrarium jure, vel consuetudine cautum sit, quia sunt aliqui casus in quibus videtur non esse permissum interposita persona jurare, hi sunt cum à jure cavetur, ut propria manu, tactis Evangeliis, aliusve solemnitatibus juramentum præstetur, item si quis testificare debeat in aliqua causa, hæc enim testificatio medio procuratore non permittitur, vide Palaum *suprà num.5.*

SECTIO XXV.

An juramenti obligatio antequam præstetur impediri possit?

SUMMARIUM.

169 *Iure Canonico impediri potest obligatio juramenti illud irritando.*

170 *Potestas civilis potest impedire vires juramenti, & de facto in Castella, & Lusitania impedire sunt in multis casibus.*

171 *An id sit contra libertatem Ecclesiasticam?*

169 DE potestate civili sermo est, nam de Ecclesiastica nemini dubium esse potest, cum id factum fuerit in Trid. *sess.25.c.16. de regularibus*, ubi redditur juramentum irritum renunciationi bonorum à novitio factæ, ante bimestre præcedens professionem: his suppositis.

170 Dico primò: non solùm potest potestas civilis vires juramenti impedire; sed etiam sic factum est, in Regnis Castellæ, & Lusitaniæ. Ita cum Molina, Pinello, Gutierrez, Matienço, Sanc. Lessio, Bonacina, Basilio, Palaus, *sup.p.13.n.2.* contra Martam, Valerum, & alios, quos refert, & sequitur Diana *p.1. tract.2. resol.113.* Ratio est, quia lex civilis reddere potest inhabilem ad acceptandam promissionem, hac vel illa forma factam, sed absque acceptatione juramentum promissorium obligationem non inducit; ergo sive lex irritat contractum prohibendo illum sub peccato, sive non, si de facto reddit inhabilem ad acceptandùm, promittens nullo modo tenetur vinculo juramenti.

Dices: videtur contra libertatem Ecclesiasticam, 17
quod lex civilis irritet omnem contractum, seu conventionem, donationem, & promissionem, cui apponitur juramentum, eo quod juramentum apponatur, licet aliàs talis contractus sit validus, & firmus, ut sit in lege Lusitana: ergo. Respondeo cum Lugo, *de justitia d.22. sect.8. num.146.* negando antecedens, nam motivum harum legum non est, ne causæ trahantur ad forum Ecclesiasticum, sed ne detur ansa faciendi contractus injustos, & ne difficilior reddatur eorum dissolutio, vel cognitio, propter religionem, & metum violandi juramentum adhibitum. Et si velis dicere, fieri etiam, ne causæ trahantur ad forum Ecclesiasticum, dicito cum Fagundez *lib.2. Decaleg. cap.18. num.9.* Summos Pontifices hanc potestatem dedisse regibus horum Regnorum. Nec obstat non constare de tali facultate, nam in istis, & similibus; casibus sufficit fama privilegij, & continua observatio, non enim est præsumendum Reges Catholicos, leges iniquas stabilisse, & per decursum tot annorum observare fecisse.

SECTIO XXVI.

Quomodo juramentum sit interpretandum?

SUMMARIUM.

172 *Si constet de intentione jurantis, juramentum non indiget interpretatione.*

173 *Quadam Corollaria deducuntur.*

174 *An juramentum faciendi quidquid alter petat sit peccatum mortale?*

175 *Juramentum restringendum est juxta naturam actus super quem cadit.*

176 *Plures casus ex hac regula deducuntur.*

177 *Juramentum obligat rebus in eodem statu permanentibus, secus si notabiliter fuerint mutata secundum intentionem jurantis.*

178 *Plures ex hac regula casus deducuntur.*

179 *Juramentum debet restringi ne censeatur factum in tertij præjudicium.*

180 *Si quis dubitet an juramentum vel votum emiserit, non tenetur tali voto, vel juramento, sive dubium sit negativum sive positivum.*

181 *Quid si dubitet de intentione jurandi, aut se obligandi.*

182 *Quid si dubitatur an quis executioni mandaturus sit juramentum, vel an res sint ita notabiliter mutatæ, ut eum ab illius executione excusent?*

172 DIco primò: si de intentione jurantis constet, nulla indiget juramentum interpretatione, at si hæc intentio manifesta non est, interpretandum est juramentum, ut servata proprietate verborum, quoad minus fieri possit, obligationem inducat. Ita communiter Doctores apud Layman *lib.4. tract.4. cap.3. num.4.* Tamburinum *lib.3. cap.3. §.4. num.1.* Prima pars regulæ ex terminis ipsis liquet, cum intentio, vel restrictio juramenti, ex intentione jurantis desumenda sit. Secunda vero pars probatur, quia creaturam liberam adstringi, & obligari ad aliquid determinatum faciendum, vel omittendum, odiosum illi est, & grave: ergo facienda est stricta interpretatio, colligiturque hæc regula *ex cap. ad nostram 21. de jurejurando.*

Hinc

173 Hinc deducitur primò: juramentum absolutè præstitum servandi statuta alicujus communitatis, intelligi tantum de editis, non verò de edendis, non enim tale juramẽtum extenditur ad futura, nisi expressè jurans ad futura extendere velit. Ita cum Sanc. Villalobos, Trul. *lib.* . *decalogi cap.* 1. *d.* 17. *num.* 8. Tancred. *tract.* 4. *lib.* 2. *d.* 15. *num.* 1. Et idem dicendum est, si statutum tempore, quo factum est juramentum, non sit in usu, & postea in usu accipiatur; nam juramentum solum extenditur ad statutum, quod erat in usu, quando juramentum factum est, Tancred. *tract* 4. *lib.* 2. *d.* 15. *num.* 7. Et idem dicendum est, si tempore, quo factum fuit juramentum, statutum erat injustum ex aliqua circunstantia intrinseca, nam licet postea fiat licitum, non extenditur ad illud juramentum; secus si statutum erat injustum ratione alicujus circunstantiæ extrinsecæ, Tancred. *suprà num.* 12.

Secundò deducitur, clericum qui emisit juramentum generale obediendi Petro, v. g. aut concedendi illi, quodcunque petierit, non teneri deponere beneficium, si Petrus illud petat, quia promissio censetur facta cum hac cõditione tacita, modo non petat immoderatum; ita Azor. Sylvester, Bonacina, & alij apud Trullenc. *suprà num.* 10. Tancred. *suprà num.* 3. Item qui juravit se facturum quidquid alter petat, non tenetur, si petat aliquid, quod faciat adimpletionem malam, quia juramentum non est vinculum Iniquitatis. Sic juramentum Herodis, quod præstitit puellæ saltanti in ordine ad amputationem capitis Baptistæ, non obligabat. Ita cum Saïro, & aliis communiter Trullenc *suprà num.* 11.

174 An verò tale juramentum faciendi quidquid alter putat, sit peccatum mortale? Respondeo affirmative, nisi aliàs ex circunstantiis honestetur. Ratio est, quia jurator sic jurans animo suo desinat exequi absurdum, & etiam peccatum mortale, quod contigit Herodi. Ex circunstantiis tamen fieri potest, ut ita jurans non peccet adhuc venialiter, quando scilicet juramentum fit inter viros probos, & timoratos, de quibus moraliter certus est, solum res probas esse petituros; & animo à principio concepit solum justa exequi, vix tamen hoc juramentum à culpa veniali imprudentiæ liberabitur. Ita cum Soto, Sanc. & aliis, Fagundez *in decalogum lib.* 2. *c.* 19. *num.* 3. Tancred. *suprà num.* 3.

175 Dico secundò: juramentum restringendum est juxta naturam actus super quem cadit. Vnde omnes restrictiones, & conditiones, quas propositum. vel promissio habet ex jure, vel ex recepta consuetudine, omnes illas habere censendum est juramentum, quia accessorium, quale est juramentum, sequitur naturam principalis, cui adjungitur. Nec obstat aliquandò juramentum confirmare actum invalidum, ut *suprà* diximus, quominus dicamus juramentum sequi naturam actus super quem cadit, sequitur namque naturam primordialem ipsius, non accidentalem, & intrinsecam, ut supra notavimus. Ita cum multis Bonacina, *tom.* 2. *d.* 4. *quæst.* 1. *p.* 16.

176 Et ex hac regula plures jam casus deduces. Primò si quis juravit Petro, v. g. dare equum, ipse tamen non servat, quæ promisit, non tenetur dare, quod verum est, non solũ quando promissio facta est intuitu alterius promissionis, & ab ea dependenter, in quo casu omnes affirmant, sed etiam quando quis absolutè promisit, quia hæc absoluta, & liberalis promissio, habet tacitam conditionem, nisi alius ingratum se ostendat, ut ostendit non implens promissum. Ità cum multis Palaus *d.* 2. *p.* 14. *num.* 5. Tamburinus *suprà num.* 4. Advertè tamen, quod si quis jam promissum donavit, revocare non poterit, nisi in quatuor casibus, qui referuntur *l.* 10. *tit.* 4. *part.* 5. scilicet, si donatarius illum vituperavit, aut accusavit de crimine capitali, famoso, vel tentavit eum percutere, tertio si magnum suis bonis tulit damnum; quartò, si illius mortem captavit. Tancred. *tract.* 4. *lib.* 2. *d.* 15. *n.* 18. Poterit etiam quis donationem juratam revocare, si postea liberos habuerit. Ita Tancred. *supra num.* 19.

Secundò deduces; si quis juravit fidelitatem alicui, illique non esse contrarium, subintelligitur, nisi jus suum, suorum, vel Ecclesiæ petere, defendereve, necessarium fuerit. Idem dicendum est, quando juravit parere mandatis Ecclesiæ, vel judicis, stareque ejus sententiæ, poterit appellare si se injustè gravatum sentiat, quia hoc juramentum generale, non excludit rationabilem appellationem, his enim conditionibus, talia juramenta emittuntur. Ita cum aliis Palaus *suprà num.* 7.

Tertiò si quis juraverit obedire superiori, ipseque ab officio removeatur, cessat obligatio obediendi, quia ex jure supponitur ad obligationem jurisdictio in superiore, ut possit præcipere. Ita cum aliis Lessio *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 4. *num.* 22. Quartò jurans non expellere conductorem domus, vel agri, potest eum expellere, si biennio conductionis pensionem non solverit, quia hic contractus, habet hanc tacitam conditionem, ut conductor biennio non solvens expelli valeat. *l.* 4. §. *inter locatorem ff. locati.* Ita Tancred. *tract.* 4. *l.* 2. *d.* 15. *num.* 17. Et idem dicendum est de jurante contractum fidejussionis, non se obligante instar principalis, nam iste non tenetur solvere, quousque principalis debitor excutiatur, quia hanc habet tacitam conditionem, Palaus *suprà num.* 11.

Quintò jurans solvert pecuniam sibi mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ, quia sub ea cõditione cẽsendus est obligatus solvere, si sibi fuerit pecunia numerata, ut habetur *in l. ultima Cod. de non numerata pecunia.* Verum si jurans, non solùm juraverit pecuniam sibi mutuatam solvere, sed eam accepisse, non poterit postea exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere, quia sibi opponeret perjurium; qua propter in Hispania nunquam admittitur exceptio non numeratæ pecuniæ, ad effectum ut creditori incumbat onus probandi intra biennium numeratam fuisse, quia debitores testantur in obligatione, illam accepisse, quo instrumento huic exceptioni renuntiant, quod optime fieri potest juxta *l. Regiam.* 9. *tit.* 1. *part.* 5. Tametsi, secluso juramento, satis dubium sit, an jure communi valeat hujus exceptionis renuntiatio? Ita cum alis Palaus *suprà num.* 12.

Sextò promittens sub juramento aliquid absenti, non tenetur quousque ille, vel alius valide nomine ipsius acceptet, imò etiamsi jurasset non revocare promissionem, posset revocare; quia hæc promissio cujus naturam sequitur juramentum, revocabilis est quousque per acceptationem firmetur. Ita cum aliis Sanch. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 9. *n.* 20. Ade etiamsi esset acceptata promissio, poterit revocari, si donator post eam liberos habuerit, juxta *l. si unquam Cod. de revocanda donatione.* Septimò qui juravit non resignare beneficium in favorem alterius, vel non commutare absque ordinarij consensu, non se obligavit sic religionem fuerit ingressus, quia hic ingressus tacite censetur exceptus, eo quod finis ob quem ordinarius illud juramentum solet exigere est, ne beneficiati accipientes beneficium, & manentes in sæculo cum pensione renuntient, iterumque alia beneficia obtineant. Ita Sanc. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 17. *num.* 11.

Octavò: Admissus in Collegium Hibernorum, vel Anglorum, si juravit post absoluta studia ad patriam redituru, poterit Religionem ingredi, non obstante juramento, quia hic status utpote majoris perfectionis semper censetur exclusus. Sic Basilius *de sponsalibus lib. 11. cap. 8. num. 27.* Palaus *d. 2. p. 14. de juramento num. 15* Tanered *suprà n. 25.* Si tamen quis juravit Religionem non ingredi, quin prius superiorem moneret, observare debet juramentum, quia hæc monitio justissimas causas habere potest, & ob illam non impeditur religionis ingressus, cum possit, superiore monito, & invito, religionem ingredi, sed præstat prudentem, & maturum ingressum: ita Basilius *loco citato.* Hinc fit quod si ingredientes collegium Anglicanum jurent, se non ingressuros Religionem, sine licentia Papæ, non posse illam ingredi sine tali licentia, nam cum hoc juramentum sit in bonum tertij, scilicet Ecclesiæ Anglicanæ, ut habeat pios, & doctos cultores, est validum, & debet impleri, ut rectè notavit cum Suario, Tanered. *suprà num. 26.* & alij communiter. Nono Admissus in collegio, si juravit Collegis suis auxilium ferre quoties opportunum fuerit, subintelligitur dummodo alius dignior non sit, quia aliàs non esset licitum juramentum Palaus *suprà num. 16.*

177 Dico tertiò: Juramentum obligat rebus in eodem statu permanentibus; secus si notabiliter fuerint secundum intentionem jurantis mutatæ, sumitur ex *c. brevi de jurejurando.* Ita cum multis Palaus *suprà num. 18.* estque communis sententia. Ratio est, quia juramentum obligat secundum intentionem jurantis, sed mutatis notabiliter rebus, non censetur quis intentionem habuisse se obligandi: ergo non tenetur juramento. Quæ vero mutatio notabilis sit, ut censeatur jurans deobligatus ab observatione juramenti; non potest certa regula definiti, sed prudentis arbitrio est æstimanda, ut rectè putavit Sanchez apud Palaum *suprà num. 18.* subjiciam tamen aliquos casus ex quibus alij deduci poterunt.

178 Primo, Promisit quis puellæ conjugium, cognoscit postmodum fornicatam esse, deobligatur à promissione, etiam jurata, ut habetur expressè in *cap. quemadmodum de jurejurando.* Et idem dicendum est, si in infamiam, lepram, morbum incurabilem, paupertatem notabilem, devenerit. Ita cum aliis Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 12.* Imò addo jurantem ducere aliquam, excusari à juramento, si inveniatur postmodum non habere dotem competentem, quia sub ea conditione videtur juramentum emissum fuisse. Ita Palaus *suprà n. 19.*

Secundò facta pace cum inimico, juravit quispiam non nociturum, non obligatur si inimicus novam causam dederit inimicitiæ, aut fuerit ex bannitis, intelligitur enim illa promissio solum ex causa præterita. Ita Sanch. *lib. 3. decalogi cap. 17. num. 6.* Item jurat parochus residere in Ecclesia, potest juramento non obstante, pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, se absentare *cap. ex parte tua.* Palaus *suprà num. 21.*

Tertiò juravit Prælatus non alienare bona Ecclesiæ, sine licentia Papæ, vel superiotis, poterit urgente necessitate ea alienare, si superior adiri non possit. Ita Sylvester *verbo juramentum 3. quæst. 4.* Item juravit quis non petere beneficium à se renuntiatum, potest illud accipere, si sibi denuo conferatur. Item juravit quis non dividere societatem, intelligitur, nisi socius sit rixosus, vel molestus; item juravit stale mandato alicujus, intelligitur, nisi ille immoderatum imperet.

Quartò juravit quis dare alicui, vel Ecclesiæ unum ex suis bobus, vel quosdam fructus suarum segetum illius anni, si fortè omnes boves perierunt, vel fructus colluvione extincti fuere, non tenetur juramento. Secus dicendum est, quando quis absolutè promisit daturum unum bovem, vel unum calicem, non limitando suam intentionem ad certam aliquam proprietatem, vel aurum quem sperat, vel ad aliquos boves, quos habet. Ratio est, quia promissio fuit absoluta; ergo absolutè obligat, ac proinde tenetur alium bovem, vel calicem emere, & dare cui promisit. Ita cum Cajetano, Sylvestro, Azor, Fagundez *lib. 2. decalogi cap. 20. n. 19.*

Dico quarto: Juramentum debet restringi, ne 179
censeatur factum in tertij præjudicium. Ita habetur *cap. veniente, & cap. quamvis pactum de pactis lib. 6.* & tenent communiter DD. Ratio est quia juramentum alteri præjudicans illicitum est, obligare ergo non potest, v. g. juravit quis secretum alicui servare; non tenetur, quando est alteri nocivum, sed poterit revelare his qui prodesse, & non obesse possunt. Item juravit quis creditori non recedere à loco, nisi prius debitum illi solvat, vocatur à superiore, quando solvere non potest, debet ad superiorem recurrere, quia juramentum præjudicare jurisdictioni superioris non potest; At hoc est intelligendum, quando absque ejus consensu expresso, vel tacito, juramentum præstitit.

Dico quintò: Si quis dubitet an juramentum, 180
vel votum emiserit, non tenetur tali voto, vel juramento, sive dubium sit negativum, sive positivum. Ita communiter DD. apud Sanch. *lib. 1. decalogi cap. 10. num. 36.* & *lib. 4. cap. 1. num. 16.* Idem dicendum est quando quis sibi certo constat protulisse verba, quæ possunt in sensu juratorio, & non juratorio accipi, dubitat tamen in quo sensu illa acceperit, nam semper est possessio pro libertate, quæ absque certo vinculo non est absolutè, & certò adstringenda.

At si de intentione jurandi, aut se obligandi du- 181
bitet, est tamen certus verba juramenti protulisse, tenetur juramento, quia non est præsumendus fictionem commisisse, ne delinquens præsumatur, quod verum est, esto coactus juravit. Quod si dubitet, an juramentum sit de materia licita, vel illicita, superiorem consulere debet, si adiri potest; si vero superiore consulto, adhuc dubium perseverat, excusatur à juramenti executione, quia Deo grata non est executio, quæ periculum turpitudinis continet.

Verum si dubitet an executioni mandaturus sit 182
juramentum, vel an res sint ita nobiliter mutatæ, ut se ab illius executione excusent, tenetur juramentum exequi, si dubium vincere non potest, quia ab executione certa non est æquum se excusare ob causam dubiam. Ita cum Suario, & aliis Palaus *d. 2. de juramento p. 15. num. 4.* Hinc fit quod si quis juravit ingredi Religionem minorum nudis pedibus incedentium, si fortè incurrit morbum gallicum, aut alium gravem, eo durante excusatur à juramento. At si restitutus ad pristinam sanitatem dubitet possitne onera Religionis subire ob infirmitatem præteritam, tenetur sane; quia obligatio est certa, quam exercere non debet excusatio dubia. Ita Sanch. *lib. 4. de voto cap. 16. n. 37.*

SECTIO

SECTIO XXVII.

Quæ juramenta in honorem Dei præstita irritari, relaxari, commutative possint? & à quibus?

SUMMARIUM.

183 *Gaudentes potestate irritandi vota Deo facta, gaudent etiam potestate irritandi juramenta facta in honorem Dei.*

184 *Habentes potestatem dispensandi, vel commutandi vota, habent potestatem dispensandi vel commutandi juramenta in honorem Dei facta.*

185 *An propria authoritate possit quis hæc juramenta, sicut & vota in rem evidenter meliorem commutare.*

183 Dico primò: Gaudentes potestate irritandi vota Deo facta, gaudent etiam potestate irritandi juramenta facta in honorem Dei. Ita communiter DD. apud Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 19. num. 2.* Ratio est, quia potestas irritandi, provenit ex potestate dominativa, in personam, vel in materiam promissam; ergo qui habet potestatem dominativam in personam, vel materiam promissam, poterit vota irritare: ergo & juramenta, quæ naturam voti imitantur; qui autem hi sint: loquentes *disp. sequenti de voto*, dicemus.

184 Dico secundò: Habentes potestatem dispensandi, vel commutandi vota; habent potestatem dispensandi juramenta in honorem Dei facta, & hoc sive potestas sit ordinaria, sive delegata, & sive juramenta sint accessoria voto, sive non. Ita cum Suario, Basilio, Lessio, Sanchez & aliis Palaus *suprà num. 5.* Trullench. *in Bulla Cruciatæ in prooemio dub. 4. num. 4.* contra Ledesmam, Bonacinam, & alios, quos refert Palaus *d. 3. de juramento p. 1. num. 3.* Ratio est quia hæc juramenta ob affinitatem cum votis, vota in communi hominum æstimatione reputantur, & satis colligitur ex textu *in cap. pervenit*, ubi dicitur propositum, aut promissum non infringit, qui in melius commutat, nomine enim propositi, aut promissi, non solum votum, sed & juramentum intelligitur.

185 An autem propria authoritate possit quis hæc juramenta, sicut & vota, in rem evidenter meliorem commutare, vel in rem evidenter æqualem? Respondeo affirmative ut latus infra dicemus, cum de voto egerimus, interim tamen vide Palaum *de juramento d. 3. p. 2. num. 6.*

SECTIO XXVIII.

Quæ juramenta in favorem hominum præstita irritari, vel remitti possint, & à quibus?

SUMMARIUM.

186 *Omnes qui potestatem habent dominativam possunt irritare juramenta subditorum de materia sibi subjecta.*

187 *Quæ juramenta possit Pontifex irritare?*

188 *Quæ possit irritare prælatus regularis?*

189 *Quæ vir respectu uxoris?*

190 *Quæ dominus respectu servi?*

191 *Demissione Creditoris de materia sibi promissa cessat juramenti obligatio.*

192 *An Creditor possit juramentum principaliter præstitum in honorem Dei remittere eo quod tota obligatio in sui favorem cedat?*

Dico primò: Omnes illæ personæ, quæ potestatem habent dominativam, irritare possunt subditorum juramenta de materia sibi subjecta, quod probatur discurrendo breviter per singulas personas. Pontifex irritare potest juramenta de alienandis, vel non alienandis rebus Ecclesiæ, de renuntiando beneficio, de non augendo numero canonicorum, & his similia quia sunt de materia dispositioni Pontificis subjecta, ac proinde censetur semper excepta potestas superioris *cap. venientes de jurejurando.* Idem dicendum est de Episcopis de materia sibi subjecta. 186 187

Secundò Prælatus regularis potest quodcumque juramentum à suo subdito factum irritare; quia ratione voti obedientiæ plenè religiosi voluntas est prælato subjecta, ita ut absque illius consensu nihil firmum stare possit. Idem dicendum est de viro respectu uxoris circa juramenta, quæ fuerint de materia sibi subjecta: unde si mulier etiam cum juramento disponat de bonis suis dotalibus, irritari potest à marito, cui bona dotalia sunt subjecta. Adverte tamen, quod si uxor de his bonis disponat in tempus, quo matrimonium fuerit dissolutum, vel morte viri, vel propria, ipsamque dispositionem juramento firmaverit, maritum tale juramentum irritare non posse, quia non cedit in ejus præjudicium, nec est de materia suæ dispositioni subjecta. 188 189

Tertiò Dominus respectu servi irritare potest ejus juramenta, si vergant in ejus præjudicium; at juramenta de materia, quæ fuerit extra ejus dominium, irritare non poterit, quia in illa materia non procedit servus, ut servus, sed ut liber. Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 20. num. 3.* Item Parentes, & tutores, quæcumque juramenta, quibus pupilli, seu impuberes, firmant contractum rerum suarum, secundum probabilem sententiam irritare possunt talia juramenta; non tamen stando in nostra sententia, in qua *suprà* diximus juramenta minorum adjecta contractibus confirmare contractus. Unde nec juramenta puberum possunt irritare, siquidem etiam firmant contractus. Palaus *suprà num. 1.* 190

Quarto remissione, seu condonatione creditoris de materia sibi promissa cessat juramenti obligatio, quia cessat fundamentum illius. Deus enim in tantum vult obligare jurantem, in quantum ille, in cujus gratiam fit, optat esse obligatum, si igitur is remittit obligationem, & Deus remittere censetur. Posse autem eum, in cujus utilitatem cedit juramentum, hanc remissionem facere, nemini dubium esse potest, cum cuilibet datum sit, debita sibi remittere: hæc autem remissio, non est proprie relaxatio, aut irritatio, quia neque est actus jurisdictionis spiritualis, nec potestatis dominativæ, est tamen actus dominij in materiam promissam, & ideo ad irritationem reducitur. Ita Sanchez *lib. 3. Decalogi cap. 2. num. 9.* Palaus *suprà num. 3.* 191

Difficultas igitur est, an possit creditor juramentum præstitum principaliter in honorem Dei remittere, eo quod tota obligatio in sui favorem cedat, v. g. intuitu pietatis, promisit quis sub juramento 192

mento alicui pauperi eleemosynam, poteritne pauper obligationem remittere? Et quidem si pauperem non determinavit, clarum est nullum esse, qui possit obligationem remittere, cum nulli in particulari facta sit talis obligatio, sed huic, vel illi, &c. Verùm si pauperem determinavit, probabilius est remittere posse obligationem, nolendo promissum acceptare, quia illud juramentum censetur tacitam conditionem habere, dummodo velit promissum acceptare, is de cujus commodo agitur. Ita cum aliis Palaus *suprà num.* 3.

SECTIO XXIX.

Vtrum in contractibus juratis relaxatio peti possit, & quando, & à quibus?

SUMMARIUM.

193 *Iuramentum promissorium homini factum licitum ex parte utriusque ut plurimum relaxari non valet sine consensu creditoris.*
194 *Iuramentum cadens super contractum nullum relaxari potest saltem in aliquibus contractibus.*
195 *In quibus casibus possit relaxari juramentum, & in quibus non?*
196 *A quo debeat fieri relaxatio juramenti, quando juramentum firmat contractum?*
197 *An princeps temporalis possit suis subditis relaxare juramenta homini facta?*

193 Dico primo: Iuramentum promissorium homini factum, licitum tamen ex parte utriusque extremi, ut plurimum relaxati non valet, sine consensu creditoris. Ita communiter DD. limitandum tamen est, nisi aliud exposcat bonum commune, raro tamen talis necessitas debetur. Ratio est, quia hoc juramentum est licitum, & cadit super materiam licitam, & per illud jus tertio acquisitum est: ergo sine tertij injuria remitti, & relaxari non valet. Ita Oñate *tom.* 2. *tract.* 4. *d.* 21. *sect.* 6. *numero* 135.

194 Dico secundo: Juramentum cadens super contractum nullum, potest relaxari, saltem in aliquibus contractibus. Ita Oñate *suprà num.* 135. Ratio est, quia ubi potest recusari, vel retractari contractus, potest etiam relaxari juramentum, sed post juramentum in quibusdam contractibus nullis potest revocari contractus, ut patet *ex cap. debitores*; ergo confirmatur quia eo ipso quod juramentum cadit super contractum nullum, habet quasi intrinsecam causam justificandi relaxationem: ergo poterit relaxari.

195 Sed quæres, in quibus casibus possit relaxari juramentum, & in quibus non? Respondeo, Quoties juramentum non confirmat contractum potest relaxari juramentum licite, & licite talis peti relaxatio. Ita cum communi sententia Oñate *suprà num.* 139. Ratio est, quia quando juramentum non confirmat contractum, datur turpitudo ex parte recipientis, seu conditoris: ergo intercedit etiam justissima causa petendi relaxationem juramenti, & concedendi illam ex parte Prælatorum contra creditorem.

Econtra dicendum est quando contractus juramento confirmatur, nam tunc, nec relaxatio juste peti potest, nec dari. Ita cum communi sententia Oñate *suprà*. Ratio est quia per confirmationem, & reviviscentiam contractus, acquiritur parti, id est, creditori, jus justitiæ ad rem juratam, & in eo si tradita jam sit jus in re, & dominium, & simul civilis & naturalis possessio: ergo non potest peti relaxatio, quia non potest dari in detrimentum testis, & contra jus, maximè in re tertio acquisita. Unde obligatio non relaxandi, seu non revocandi annexa est omni vero, & justo contractui.

Sed quæres à quo debeat fieri relaxatio juramenti, quando juramentum non firmat contractum? Respondeo præcipue hoc facere posse summum Pontificem, Episcopum respectu suorum subditorum. Aliis vero qui non habent potestatem Episcopalem non est hæc potestas nisi delegata à superiore valente delegare. Poterunt tamen illa relaxare omnes habentes dignitatem quasi Episcopalem, ut capitulum sede vacante Episcopi. Ita Palaus *de juramento d.* 3. *p.* 1. *num.* 1. An vero Regulares ratione suorum privilegiorum possint talia juramenta relaxare, commutare, & dispensare negat cum aliis Sanchez *de matrim. lib.* 1, *d.* 31. *num.* 17. Contrarium tamen dicendum est cum Ledesma, Rodriguez, quos refert, & sequitur Portel *in dubiis regularibus verbo dispensatio num.* 18. Martinus à Sancto Joseph, Trullench. & alij, quos retuli *in nostro directorio Regularium p.* 1. *tract.* 2. *disp.* 3. *num.* 85. Et idem dicendum est de habentibus bullam cruciatæ, ut tenet Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 19. 196

An vero possint hæc juramenta homini facta relaxare Principes temporales suis subditis. Respondeo aliud esse relaxare, ut partem, juramentum, aliud ut superiorem, potestate à Deo tradita. Priorem potestatem concedo Reipublicæ, & principi sæculari in causis, quæ ad eum ut partem pertinent, quia non debet Respublica esse prioris conditionis in bonis, quæ ad se pertinent, quam quivis privatus in propriis. Ita Oñate *tom.* 2. *d.* 11. *sect.* 6. *num.* 154. At vero in causis alienis, etiamsi sint mere temporales, in quibus potestas sæcularis non est domina, sed tantum judex, potestatem relaxandi juramentum denego, est enim hæc relaxatio actus jurisdictionis spiritualis, quæ non competit potestati sæculari, & in hac parte etiam convenit nobiscum Palaus *d.* 3. *de juramento, puncto ultimo, num.* 4. & hæc satis sint de juramento, cætera enim quæ hic desiderari poterant, latius in materia sequenti de voto tractabimus ne eadem repetamus. 197

DISPUTATIO II.

De Voto.

SECTIO I.

Quid sit votum, & in quo ejus formalis ratio consistat?

SUMMARIUM.

198 *Ponitur voti definitio.*
199 *In quo consistat essentia voti?*
200 *Quid sit materiale voti?*
201 *Quid sit terminus formalis voti?*

Dico primò: votum quod significat promissionem Deo factam, & inducentem obligationem, 198

Digitized by Google

nem, definitur, est promissio deliberata, & spontanea Deo facta, de meliori bono dicitur promissio, quia in hoc convenit cum promissione homini facta, dicitur facta Deo de meliori bono, quia in hoc ab aliis distinguitur. Ita cum communi sententia Palaus *tract.* 15. *d.* 1. *p.* 1. *num.* 2. Hinc fit, ad votum quinque requiri, primo deliberationem, hoc est libertatem, secundo propositum, id est, voluntatem vovendi, tertio promissionem, id est ipsam voluntatis determinationem, quarto ut Deo fiat promissio, quinto ut fiat de meliori bono; quas conditiones in sequentibus examinabimus.

199 Dico secundò: Voti essentia consistit in promissione, hæc autem promissio consistit in consensu voluntatis, quo vovens vult ex tunc Deo obligari. Ita Suarez *de voto tract.* 6. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 5. Azor. Palaus *d.* 1. *p.* 1. *num.* 4. Oñate *tom.* 2. *d.* 29. *sect.* 1. *num.* 9. contra Raphaël de la Torre *quæst.* 88. *art.* 1. *d.* 3. *num.* 4. Trullench. *cap.* 2. *decalogi lib.* 2. *dub.* 1. *num.* 2. Ratio est, quia illa voluntas est efficax, & in Deum relata, ipsique cognita: ergo necessario obligationem parit. Adverte tamen hanc voluntatem supponere semper, ut conditionem sine qua non, expressam, vel tacitam cognitionem intellectus de voti natura, & essentia; quia absque hujusmodi cognitione, voluntas non potest moveri, nec suscipere obligationem, suppositâ autem hac cognitione, si voluntas se determinat ad vovendum castitatem, v. g. hoc actu vovet, & promittit, volo ex nunc Deo obligatus esse ad castitatem, & in hoc actu, tota ratio voti, tam pro formali, quam materiali consistit; nam consensus voventis est causa materialis voti, obligatio in fieri est forma actualis voti; eadem vero obligatio in facto esse, est forma voti in facto esse, & aliquo modo effectus ipsius voti in fieri.

Probantur hæc omnia manifeste. Votum in facto esse, formaliter est vinculum, seu quædam obligatio relicta ex voto actuali, sicut peccatum in facto esse, est reatus seu vinculum manans ex peccato actuali; ergo votum in fieri erit productio hujus obligationis, seu actus ille voventis, quatenus producit illam obligationem, sicut peccatum actuale, nec est ipse actus naturalis præcisè, nec ipsa malitia formalis in abstracto, sed actus liber humanus ut producens moraliter illam malitiam, ergo sicut in peccato actuali, illa malitia, ut in fieri, seu produci, est formale peccati actualis, ipse vero actus, quo talis malitia producitur, est materiale; ita in voto, obligatio, ut in fieri, & produci, erit formale voti actualis, ut producta erit formale voti in facto esse, & ille actus, quo talis obligatio producitur, erit materiale voti actualis.

200 Adverte tamen, nos non dicere, totam essentiam voti, esse obligationem; sed dicere actum illum voventis, ut producit per quandam resultantiam, vel productionem moralem, vinculum illud, & obligationem, esse formaliter votum actuale, materiale vero voti actualis, esse ipsum actum physicum voventis. Pro cujus majori explicatione nota, in voto, sicut & in contractibus, duplicem dari actionem, aliam physicam, quæ est actio immanens voluntatis, scilicet consensus voventis, & aliam metaphoricam, quæ est productio obligationis, quæ actio metaphorica, posito consensu resultat, sicut relatio posito fundamento, & termino relationis, & sicut malitia peccati resultat, posito actu contra legem Dei prima illa actio, vel actus, seu consensus physicus, non est formale voti, sed materiale, secunda actio metaphorica, est formale voti actualis & terminus formalis illius; vinculum autem seu obligatio in facto esse, est formale voti in facto esse, & habitualis, & simul effectus voti actualis, ut diximus in exemplo de peccato actuali, & habituali.

Quomodo autem eadem met obligatio in fieri 201
possit simul esse respectu ejusdem actus, & termini formalis, & causa formalis constitutionis ipsius, optime explicatur à nostris Complutensibus *in Logica disput.* 24. *sect.* 6. *num.* 73. unde juxta ibi dicta dicendum est istam obligationem dupliciter sumi posse radicaliter, vel formaliter; hoc est, vel secundum præcisam vim obligandi, vel formaliter pro ipsa obligatione, si sumatur formaliter pro ipsa obligatione, tunc obligatio tantum habet puram rationem termini respectu voti actualis, si vero sumatur secundum ipsam vim obligandi, tunc obligatio est causa formalis constituens votum actuale in ratione actus obligantis; quæ quidem satis nimis metaphysicè dicta sufficiunt, excedunt enim nostrum institutum; sed quia ad essentiam voti explicandam nimis necessaria, ideo non omittenda.

SECTIO II.

An promissio vera requiratur ad votum? an sufficiat simulata?

SUMMARIUM.

202 *Votum non consistit in proposito.*
203 *Qui promittit cum animo non se obligandi, non vovet.*
204 *Quid si non habuit expressam voluntatem non se obligandi?*
205 *Promissio cum animo se obligandi, cum animo tamen non exequendi sufficit ad votum.*
206 *Quale peccatum sit vovere aliquo simulato modo?*

SVppono ad clariorem notitiam hujus sectio- 202
nis, quòd licet ad votum requiratur propositum voluntatis, ut supra diximus, non tamen in tali solo proposito consistit votum: votum namque inducit obligationem, non vero propositum, nam propositum tantum est assertio illius quod quis facturus est, votum vero, non in proposito, sed in promissione consistit, ut cum communi sententia tenet Trullench. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *d.* 1. *numero secundo*; Difficultas igitur est, qualis debeat esse hæc promissio? an vera, an simulata sufficiat? simulatio autem contingere potest tripliciter; primo si quis promittat animo promittendi, sed non se obligandi; tertio si promittat animo se obligandi, sed non exequendi rem promissam: his ergo suppositis,

Dico primo: qui promittit verbo tenus, seu 203
cum animo se non obligandi, non vovet, nec tale votum inducit obligationem. Ita cum Azor, Navarro, Sanchez, Lessio, Suario, Bonacina, & aliis Palaus *de voto d.* 1. *p.* 5. *numero secundo*, Trullench. *in Decalog. libro secundo, cap.* 2. *dub.* 1. *numero* 11. Tancred. *tract.* 3. *d.* 1. *quæst.* 3. Tamburinus *libro tertio, cap.* 12. §. 1. *numero tertio*. Ratio est, quia obligatio voti oritur ex vero voto; sed votum factum absque animo promittendi, seu

absque

absque animo se obligandi, non est verum votum: ergo probatur minor, quia votum est lex quædam privata, sed lex non obligat, nisi legislator obligare intendat: ergo.

204 Et hæc doctrina procedit sive vovens sit conscius naturæ voti, sive non, ut rectè cum aliis notavit Palaus *suprà*, nam si conscius sit naturæ voti, eo ipso cognoscit se promittere non posse, quin obligatio subsequatur, si igitur manifestè, & absolutè obligationem excludit, manifestè convincitur nolle promittere, sed promissionem simulare. Quando vero quis ignarus fuit ex promissione obligationem nasci, tunc clare constat, ventem obligatum non esse, si expressam habuit voluntatem non se obligandi, quia hæc lex non se extendit ultra intentionem voventis. Dixi si expressam habuit voluntatem non se obligandi, nam si eam non habuit, obligatus manebit; quia censendus est promittere voluisse intentione promissioni accommodata, & qualem habent recte promittentes. Ita cum aliis Palaus *suprà*. Hæc tamen doctrina debet intelligi moraliter; nam si vovens talem voluntatem vovendi, ut alij, non habuit, nec id ei in mentem venit, non obligatur, quia per illa verba, voveo castitatem, intendit solum enuntiare, quod per illa verba significatur. Ita cum Sanchez, Tancred. *tract.* 3. *d.* 1. *q.* 4. Tamburinus *lib.* 3. *decalogi cap.* 12. §. 1. *num.* 7.

205 Dico secundò: Promissio cum intentione promittendi, & se obligandi, cum animo tamen non exequendi, sufficit ad votum. Ita cum communi sententia Palaus *suprà n.* 4. contra Valentiam 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *p.* 1. cujus sententiam probabilem putat Palaus *suprà*, Tancred. *suprà quæst.* 5. Tamburinus *suprà num.* 4. Ratio nostræ assertionis est, quia executio operis promissi, & obligatio ad illud, sunt res distinctæ, ut per se patet: ergo potest esse animus complectandi obligationem, in quo consistit tota substantia voti, quin adsit animus exequendi promissum: nam executio est quid posterius ad substantiam voti: ergo potest esse vera promissio, absque animo adimplendi promissum.

206 Sed Quæres quale peccatum sit vovere, aliquo simulato modo ex supradictis? Respondeo cum, qui fictè vovet, absque animo vovendi, aut se obligandi, per se solum peccare venialiter; facit enim Deo aliquam irreverentiam; per accidens tamen ratione scandali, vel injustitiæ, potest peccare mortaliter; ut si fictè & invalidè votum publicum coram aliis, aut solemne, ut votum castitatis in ordine sacro, vel votum professionis religiosæ, emittat, nisi fortè justam causam habeat fictè vovendi, ut si per metum inducatur ad professionem Religionis. Ita cum Reginaldo, Bonacina, Sanchez, Palaus *suprà num.* 6. Trullench. *suprà num.* 15. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 3. Si verò fictio contingat in proposito exequendi promissum, est peccatum mortale, vel veniale, prout materia voti gravis, vel levis sit; si enim votum non implere veniale peccatum tantum sit, quia est votum de materia levi, propositum non implendi; eandem malitiam habebit, quia est solum voluntas de peccato veniali committendo. Ita cum Suario, Sanchez, Bonacina, Palaus *suprà*, Trullench. *suprà*.

SECTIO III.

Quæ deliberatio, seu libertas ad votum necessaria sit?

SUMMARIUM.

207 *Ad votum requiritur, & sufficit libertas, quæ requiritur, & sufficit ad peccatum mortale.*

208 *Quale peccatum sit vovere absque plena deliberatione?*

209 *An deliberatio virtualis, seu in causa sufficiat ad votum?*

210 *Quid si quis voveat ex consuetudine vovendi, sine actuali advertentia?*

Dico primò: Ad votum requiritur, & sufficit 207
libertas, quæ requiritur, & sufficit ad peccatum mortale. Ita cum communi sententia Palaus *de voto p.* 4. Raphaël de la Torre *quæst.* 98. *art.* 1. *disp.* 4. *num.* 5. Tancred. *tract.* 3. *d.* 1. *quæst.* 7. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 10. §. 1. *num.* 1. Leander *tract.* 2. *de voto d.* 1. *quæst.* 9. Ratio est, quia illa libertas sufficit ad votum, quæ sufficit ad constituendum actum simpliciter humanum, & voluntarium; sed libertas sufficiens ad peccatum mortale, sufficit ad constituendum actum simpliciter humanum, & voluntarium: ergo etiam sufficit ad votum: major est certa, minor probatur, nam si actus non sit plenè deliberatus, sed elicitus motus primo primus, in quo propter inadvertentiam nullum est peccatum, vel secundo primus, in quo propter imperfectam valde advertentiam, tantum est peccatum veniale, in his inquam votum non consistit, quia hæc libertas non sufficit ad constituendum actum simpliciter humanum: ergo illa tantum libertas, requiritur, & sufficit ad votum, quæ sufficit ad peccandum mortaliter. Patet consequentia, quia libertas sufficiens ut diabolo victi simus, sufficere debet, ut Deo adstringamur, alias si ad votum requisita esset matura, & exacta deliberatio, quæ omnem circumstantiam convenientiæ, & disconvenientiæ ponderaret, in vovendo, nullus ferè esset, qui verum votum emitteret, sufficit ergo ea deliberatio, quæ ad meritum, vel demeritum sufficit.

Dices: cum libertate sufficiente ad peccatum mortale compatitur levis consideratio in vovendo, & consequenter Dei offensio; Deo enim displicet stulta promissio, hoc est, inconsiderata; sed hæc inconsideratio adest, cum quis calore iracundiæ, aliave passione percitus, votum emittit: ergo non sufficit ad actum; nam voto colitur Deo, & non offenditur. Dico votum factum ex calore iracundiæ, atque absque perfecta, & matura deliberatione, peccatum esse, sed inde non sequitur votum non esse, quia solum extrinsecè, & in circunstantia vitiatur, non vero in substantia; unde tale votum admittitur, quoad obligationem, non vero quoad præmium.

Sed quæres: quale peccatum sit vovere absque 208
plena deliberatione? Respondeo frequenter esse veniale, aliquando mortale, aliquando nullum. Ita cum Cajetano, Valentia, Suar. Sanch. Palaus *suprà num.* 5. Est frequenter culpa venialis, quia ubi non adest, nisi defectus prudentiæ in promittendo, culpam venialem excedere non potest. Est aliquando mortalis, quando scilicet quis ita vovendo exponit

Digitized by Google

exponit se periculo vovendi illicita, aut impossibilia, quia hæc Deo promittere grave peccatum est, quidquid in contrarium dicat Tamburinus *lib. 3. cap. 10. §. 1. num. 3.* Aliquando tandem nulla datur culpa; quando scilicet materia voti levis est. Ita Sanch. licet oppositum teneat Palaus *supra num. 5.*

209 Inquires secundò an deliberatio virtualis, seu in causa sufficiat ad votum? Respondeo sufficere deliberationem virtualem, quæ fundatur in aliquo actu formali præcedenti, ut si quis animo vovendi incipiat cæremonias; sed cum pervenit ad formam voti, animo distrahitur ad alia, verè & validè vovet. Quando verò deliberatio virtualis non fundatur in actu, qui præcessit, sed solum est virtualis, quia ita imputatur actus, ac si præcessisset, non sufficit ut si quis prævidens fore ut, in somno votum emittat, & non impediat, si postea in somno votum emittat, non valde vovet. Ita cum Sanch. Suario, Palaus *supra num. 4.* Trullenc. *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 1. num. 5.* & cum aliis communiter Leander *de voto tract. 2. a. 1. quæst. 10. & 11.* contra Pradum, Torre, & alios.

Ratio prioris partis est, quia illa formalis voluntas vovendi in virtute, & in effectu à se relicto manet: ergo sufficit ad efficiendum actum liberum, humano modo: ut patet in ministro sacramentorum: Alias ratæ essent actiones humanæ validæ, si formalis advertentia ad sui valorem requisita esset; secunda vero pars nostræ assertionis etiam probatur; quia licet quis prævideat fore ut in somno votum emittat, cum tamen in somno illud emittit, jam non est capax actus humani eliciendi, censetur igitur pro tunc suspensa illa voluntas virtualis, ac per consequens illa vota non sunt in se volita, nec virtute prioris actus cententur virtute volita, cum dum sui compos esset solum poterat habere intentionem proferendi ea verba promissoria, non tamen habere intentionem ea proferendi, cum intentione, & advertentia debita, quæ necessaria est ad actum humanum.

210 Dices: ergo qui voverit ex consuetudine quadam vovendi, sine actuali advertentia, & sine prudenti deliberatione, non efficiet verum votum, siquidem fieret sine advertentia, & ex consuetudine, nec etiam committeret aliquam contra Deum irreverentiam, siquidem fiet sine libertate, sicut si dormiens, vel ebrius esset. Respondeo admittendo sequelam, quoad priorem partem, nam cum tale votum fiat sine deliberatione actuali, vel virtuali, non est votum; Nego tamen non committere aliquam contra Deum irreverentiam; in causa, sicut diximus de juramento, nam illa verba votiva prolata ab homine compote rationis, retinent malitiam objectivam, ob quam prohibentur proferri, sine debita intentione, quod tamen non accidit in ebrio, vel dormiente, quia ab eis censentur dicta ac si à psitaco proferrentur.

SECTIO IV.

Utrum metus impediat libertatem requisitam ad votum.

SUMMARIUM.

211 *Metus alius intrinsecus, alius extrinsecus.*
212 *Metus alius cadens in constantem virum, alius non cadens in constantem virum.*
213 *Metus cadens in constantem virum, alius justus, alius injustus.*
214 *Si metus à Deo, vel à causis intrinsecis proveniat votum validum est.*
215 *Ob nullum metum juste incussum, etiam ad extorquendum votum, jure naturæ irritantur vota.*
216 *Ob nullum metum, etiam injustè incussum, etiam ad extorquendum votum annullatur votum.*
217 *Ex metu levi nulla vota irritantur.*
218 *Omnia vota metu gravi facta jure Ecclesiastico irritantur.*
219 *Quadam corollaria ponuntur.*
220 *Quid de voto facto ex metu levi?*

PRo intelligentia hujus sectionis notandum est, 211
metum alium esse intrinsecum, alium vero extrinsecum; intrinsecus dicitur ille, qui à causa intrinseca, & naturali infertur, qualis est metus gravis mortis, proveniens ex periculosa infirmitate, gravi tempestate, aut ex feris, & animalibus. Metus extrinsecus dicitur, qui fit à causa libera, hoc est, ab homine. Deinde metus alius dicitur cadens in constantem virum, gravis, seu probabilis, alius vero cadens in virum non constantem, seu levis metus. Metus cadens in virum constantem dicitur ille, qui non est alienus à viro constanti, & forti, & agnosci potest ex objecto, ut si malum minatum est grave, qualia sunt mors, graves cruciatus, diuturnus carcer, servitus, gravissima infirmitas, omissio status, vel magnæ partis sui cen- 212
sus, metus stupri, infamiæ, quæ facile reparari non potest. Secundò potest agnosci ex parte modi, ut si metum incutit unus, vel plures armati, nam si illum incutiat puer, vel mulier, non erit metus cadens in constantem virum, nisi aliàs puer, vel mulier possint per alios, quod minantur facilè exercere. Tertiò dignosci potest ex parte subjecti, fieri enim potest, ut metus qui respectu unius dicitur cadens in virum constantem, respectu alterius non sit; ut metus, qui respectu alicujus puellæ dicitur cadens in virum constantem, respectu viri non dicitur talis.

Tandem ille metus dicitur cadens in virum constantem, quo eligitur minus malum, ut majus malum imminens probabiliter fugiatur, quod non potest facile impediri. Metus vero cadens in virum non constantem est ille, quo malum majus, & inconveniens eligitur, ad vitandum minus. Præterea metus cadens in constantem virum, aut est 213
justus, aut injustus: justus dicitur, quando quis minatur malum, quod justè potest inferre, ut si minetur justam criminis accusationem; injustus vero quando quis minatur malum, quod justè inferre non potest, ut si privatus alicui mortem minetur. Denique metus, qui provenit ab extrinseco, aliquando incutitur ad extorquendum votum, aliquando ad alium finem: His suppositis.

Dico primò: Si metus à Deo, vel à causis na- 214
turalibus intrinsecis proveniat, & quis ut malum evitet voveat, votum validum est, tam jure naturæ, quam Ecclesiastico. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 3. numero 2.* estque definita *in cap. sicut nobis de regularibus*, ut tradunt omnes apud Palaum *de voto d. 1. p. 5. numero 2.* Ratio est, quia esto vovens per simplicem affectum nollet votum facere, si alia via vitare malum illud posset, ut quia censet, vel id esse impossibile, vel difficillimum, prudenti consideratione votum eligit ad illud malum vitandum; valet ergo votum. Et idem dicen-

Digitized by Google

dum est, cum ab extrinseco metus incussus sit, sive juste, sive injuste, si tamen incussus non est ad extorquendum votum, quia est eadem ratio, cum eo casu liberè quis assumat votum, ut medium salutare ad malum vitandum, quod medium Deo gratum est, tametsi occasio illius ei grata non sit. Ita cum Suario, Lessio, & aliis communiter Palaus *suprà*.

215 D co secundò: ob nullum metum justè incussum etiam ad extorquendum votum, jure naturæ vota irritantur. Ita cum Sanch. Lessio, Bonacina, Suario, Palaus, *suprà*, Trullenc, *suprà numero* 6. contra Rodriguez, Veiga, Lopez, & cum aliis Vidal, *titulo de voto, inquisitione* 1. *numero* 53. Ratio est quia postulans hujusmodi votum, metu illato, potius censendus est offerre votum, ut medium ad vitandum malum ortum ex natura delicti, aut aliàs. Quæ ratio procedit, etiamsi quis alterum ad matrimonium, vel professionem cogat, quia in hac petitione nulla est coactio, sed potius oblatio ejusdem beneficij, & remedij mali sibi imminentis.

216 Dico Tertiò: ob nullum metum etiam injuste incussum, & etiam ad extorquendum votum annullatur votum, de jure naturæ. Ita cum Azor. Bonacina, Suario, Lessio, Sanch. Palaus, *suprà num.6.* & cum Henriquez, Villalobos, & aliis Trullenc. *suprà num.* 9 & ut probabilius cum multis tenet Tancred. *tractat. 3. de voto d. 1. quæstione 9.* contra Angelum, Rozellam, Navar. Soto, quos refert Vidal. *titulo de voto, inquisitione 1. num. 25.* Torre *quæst.88. art. 3. d. 1. num.* 10. probabile putat cum Rodriguez, Veiga, Sanchez, Palao, Suario, Tancred. *suprà quæst. 9.* estque valdè probabilis sententia. Ratio nostræ resolutionis est, quia neque ex injuria, neque ex defectu libertatis, potum votum jure naturæ annullari: ergo ex nullo capite est nullum: antecedens probatur, quia talis metus non tollit libertatem sufficientem ad meritum, & demeritum; sed possunt cum illo opera bona, & mala compati: ergo non tollit, quia sic coactus validè vovere possit. Deinde diminutio libertatis æquè provenit ex metu justo, & injusto: si ergo metus justus non impedit libertatem ad votum requisitam, nec illam impedire debet metus injustus; quod autem injuria non impediat etiam valorem voti patet, quia injuria solum poterat impedire quatenus tolleret libertatem ex parte voventis, & honestatem rei promissæ; cum ergo hæc non impediat, neque valor voti impeditur.

217 Hinc à fortiori infertur, ex metu levi, nulla vota jure naturæ annullari, siquidem metus levis, minorem injuriam irrogat, & voluntarium non ita diminuit, siquidem metus gravis. Ita cum multis Tancred. *tract. 3. de voto d. 1. quæst. 10.* licet oppositum saltem in foro conscientiæ teneat cum aliis Vidal. *suprà num.* 44. & probabile putat cum multis Tancred. *suprà quæst.* 10.

218 Dico quartò: Omnia vota metu gravi facta, jure Ecclesiastico irritantur. Ita cum Soto, Valentia, Navarro, Sanch. Lessio, & aliis Palaus, *suprà*, Torre *suprà n.* 15. & cum Bonacina, Azor. Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 3. n. 4.* Lugo de justitia *d. 22. n. 134.* Leander *tract. 1. de juramento d. 10. qu. 3.* Probatur quæ ex *cap. de his*, quæ vi, & ex *cap. dilectus de his, quæ vi*, ubi decernitur, votum fuisse validum, quia non fuerat factum per metum gravem; ergo supponi videtur, non fore validum, si factum fuisset per metum gravem, & in hoc sensu explicant communiter DD. illa capita juris.

Hinc fit non teneri ad votum castitatis, qui ex metu gravi cadente in virum constantem accessit ad suscipiendos ordines sacros, eisque fuit initiatus, 219
etiamsi receperit characterem. Ita cum Sanch. Villalobos, Bonacina, Trullenc. *suprà n.* 11. Unde potest nubere, si velit; si tamen metu cessante ulus est ordine suscepto, tenetur ad castitatem, quia per usum ordinis suscepti censetur votum ratificare, ut bene cum Sanchez, Trullenc. *supr.* Secundo infertur metum gravem sufficere ad excusandum à peccato violantem votum validum antea factum, ut si Religiosus graviter minetur, si non violet castitatem, non tamen excusat à peccato contra jus naturæ. Ratio est, quia metus excusat à transgressione legis humanæ, sed votum est lex privata, quam vovens sibi imponit; ergo. Tum quia vovens non censetur voluisse vovere si res notabiliter mutentur; ergo si absit contemptus religionis, violans castitatem in hoc casu non peccat contra votum, bene tamen contra præceptum naturale: nam metus non tollit obligationem legis naturalis. Ita cum Rodriguez, Sanchez, & aliis Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 3. n. 12.*

Et idem affirmant plures Authores de metu levi, 220
in ea sententia, quam *suprà* retulimus dicente, metum levem sufficere jure naturæ ad invalidandum votum; dicunt enim etiam sufficere metum levem alicujus mali gravis, imo & preces importunas ad excusandum à transgressione voti. Ita cum Vidal, & aliis, Tancred. *tract. 3. de voto d. 1. qu. 17. & 18.* quam sententiam etiam non reputo improbabilem, dummodo metus sit proprius, & non imaginarius, & sit alicujus mali gravis immminentis, ut rectè notat Tancred. *suprà quæst. 18.* Tandem infertur non solum votum metu gravi factum, esse nullum, sed etiam constitutionem procuratoris ad vovendum nomine alterius, eodem modo per metum extorta, siquidem constitutio procuratoris dari non potest, sine consensu, qui per metum impeditur, sicut impeditur ipsum votum. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. d. 13. num. 15.*

SECTIO V.

Qualiter error, vel ignorantia, impediat voti libertatem, & consequenter ejus valorem.

SUMMARIUM.

221 *Multiplex error, vel ignorantia circa vota explicatur.*

222 *Ignorantia voventis mere negativa non eximit ab obligatione voti.*

223 *Quædam limitationes ponuntur.*

224 *Votum emissum ex errore, vel ignorantia positiva quidditatis voti aut proprietatum ejus substantialium non est obligatorium.*

225 *Quid si quis dubitet an ab isto errore cessaverit per admonitionem ante vel post voti emissionem.*

226 *Quid si ignorantia, vel error sit circa Conditiones rei votivæ adeo graves ut mortaliter existimentur pertinere ad rei votivæ substantiam?*

227 *Quid si error versetur circa aliquas circunstantias, vel impertinentes, vel levioris momenti?*

228 *Quid si talis ignorantia dedit causam voto?*

229 *Quid si error versetur circa causam impulsivam, vel occasionem voti.*

Multiplex

221 Multiplex error, vel ignorantia eſſe poteſt; primus verſatur circa voti eſſentiam, ut ſi quis ignoret votum obligare, vel credat non obligare ſemper, ſed quo huculque violetur. Secundo verſatur circa materiam ejus: tertio circa aliquas conditiones. Quarto circa cauſam motivam, vel impulſivam voti, cauſa autem motiva differt ab impulſiva, quia impulſiva ſupponit animum determinatum ad opus, & tantum impellit ad facilius, ac proinde ea non exiſtente adhuc fieret opus, ideoque non dicitur abſolute finalis, ſed finis impulſivus, ſeu cauſa impulſiva; motiva vero eſt illa, quæ ita voluntatem determinat, ut abſque illa actus non fieret; proindeque dicitur abſolute cauſa finalis motiva. Ita cum Sanchez, Vaſquio, Trullench. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 4.* Secundo obſervandum eſt duplicem eſſe ignorantiam, quædam eſt mere negativa, quæ eſt nescire, ſeu non advertere, altera eſt poſitiva, quæ errorem continet. Tertio notandum eſt nos loqui in præſenti de voto præcise, quatenus tale, non de voto ſolemni, nec de ſimplici conſtituente ſtatum religioſum; nam de iis late diximus in noſtro directorio Regularium *tract. 3. d. 3.* his ſuppoſitis,

222 Dico primo: Ignorantia voventis mere negativa, hoc eſt, voventem non penetrare quod promiſit, & difficultates in eo contentas, quas, ſi omnino penetraſſet, aut advertiſſet, aut fuiſſet expertus, neutiquam voviſſet, non eximit ab obligatione voti. Et Ratio eſt, quia conditio ignorata ſola ignorantia negationis, implicite continetur in objecto abſolute volito, ſibique imputet vovens rem non ſatis expreſſam, & cognitam ſe promiſiſſe. Ita cum Cajetano, Armilla, Soto, Molina, Sanchez, *in Decalogum lib. 3. cap. 2. num. 10.* Torre *quæſt. 88. art. 3. d. 2. num. 6.* & cum Valentia, Suarez, *lib. 1. de voto cap. 12. num. 9.*

223 Limita tamen hoc aſſertum, niſi talis homo, dum vovet per expreſſam voluntatem limitet ſuam intentionem ad objectum ſibi propoſitum ut ſic, vel expreſſe addat conditionem, niſi tale votum habuerit plures difficultates, quam ſibi proponuntur, nam per talem intentionem manifeſte fit hujuſmodi votum involuntarium, quia tunc voluntas conditionalis, & conditio ſubſiſtit. Ita Suarez *lib. 1. de voto cap. 11. num. 9.* & cum Sanchez, Molina, Fagundez, Tancred. *tract. 3. de voto d. 1. quæſt. 11.* Secus vero eſt, quando licet difficultas, vel conditio lateat, in intentione non concipitur, ſed abſolute fertur intentio ad objectum, ut de facto proponitur. Limita ſecundo niſi ex materia propoſita, & modo proponendi moraliter conſtet taciturnitatem hujuſmodi conditionis ſeu proprietatis materiæ, æquivalere negationi; tunc enim ignorantia non eſt mere negativa, ſed vim habet moralis deceptionis. Quando autem de tali ignorantia hoc modo judicandum ſit; prudentis arbitrio relinquendum eſt, multumque pendet ex deliberatione, & intentione voventis.

224 Dico ſecundo: Votum emiſſum ex ignorantia, vel errore poſitivo quidditatis voti, vel proprietatum ejus ſubſtantialium, non eſt obligatorium v. g. ſi quis voveat putans ſe ad nihil obligari, vel non obligari pro ſemper. Ita cum communi ſententia Raphaël de la Torre *quæſt. 88. art. 3. ad 2. num. 7.* Ratio eſt, quia nihil eſt volitum, quin præcognitum; ſed vovens in hoc caſu non cognovit nativam voti obligationem, & eſſentiam, vel ejus materiam, & objectum ſubſtantiale; ergo voluntarie non vovit. Excipe niſi alias ignarus obligationis, & objecti voti, vellet illud emittere prout eſt in ſe eo modo quo alij emittunt, nam per hanc voluntatem, ignorantiam depellit. Et credendum eſt voventem eo modo votum emittere, quoties ſibi non conſtat voti emiſſionem, errorem illum habuiſſe, quia ſemper præſumi debet velle votum facere, qualiter ipſe petit.

225 Quod ſi quis certus ſit, ſe erraſſe circa voti, vel juramenti obligationem vel ſubſtantiam, dubitat tamen an ab illo errore ceſſaverit, per admonitionem, ante, vel poſt voti emiſſionem, non tenetur voto; quia jam ſibi conſtat de ratione excuſante ab obligatione, & conſequenter votum non poſſidet, neque præſumendum eſt errorem falſum eſſe, niſi probetur. Ita cum Sanchez, Palaus *ſuprà, d. 1. p. 6. num. 2.* Temperanda eſt tamen hæc reſolutio, ut error ſit invincibilis. Secus quando error fuit vincibilis, eo quod de re quam dubitabat nullam diligentiam adhibuit, quia tunc non eſt involuntaria illa major difficultas, ſed virtute eſt volita, cum hujuſmodi ignorantia non tollat voluntarium, & ſibi debet vovens imputare hujus diligentiæ omiſſionem. Nihilominus tamen, ſi conſtaret voventem non emiſſurum votum, ſi ipſi tunc eſſet error manifeſtus, exiſtimo eſſe ſatis probabile, votum non teneri, quia revera reſpectu illius circunſtantiæ non datur voluntarium. Ita Trullench. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 4 num. 4.* & cum Suario Tancred. *tract. 3. de voto d. 1. quæſt. 3 1.* Hinc fit, quod ſi Religioſus profiteretur credens profeſſionem non obligare in perpetuum, ſed pro voluntate ipſius reſcindi poſſe, nullam eſſe talem profeſſionem, quia voluntarie non voluit profiteri, cum noluerit profeſſionis eſſentiam; nunquam tamen talis error præſumendus eſt. Ita cum Suario, Palaus, *ſuprà num. 3.*

226 Dico tertio: Vota emiſſa ex ignorantia, vel errore circa conditiones, vel circunſtantias rei votivæ adeo graves, ut moraliter exiſtimentur pertinere ad rei votivæ ſubſtantiam, non ſunt valida, neque obligatoria. Ita communiter DD. apud Tancred. *tract. 3. de voto d. 1. q. 28* exemplum ſit in eo, qui voveret ire Romam putans diſtare à civitate voventis per decem leucas, cum diſtet centum, vel ſi putavit poſſe Romam ire ſine navigatione, vel ſi putavit viam non eſſe nimis difficilem, cum tamen ſit difficillima, vel ſi putavit ſe habere ſufficientem pecuniam ad ducendam familiam ad Deiparam Lauretanam, cum tamen non habebat. Ita Tancred. *ſuprà quæſt. 3 3.* Immo idem affirmat de eo, qui non cogitavit de aſperitate viæ, & an latronibus eſſet expoſita, vel ſi haberet pecuniam ſufficientem, niſi haberet voluntatem vovendi quandocunque fuiſſet via, vel defectus pecuniæ, nam hæ difficultates ſunt ſubſtantiales ad peregrinationem; quam ſententiam etiam ego reputo probabilem. Ratio autem eſt, quia qui cum hac ignorantia vovet, merito cenſetur ignorare, quod vovit, & ſine hac cognitione non eſt voluntas vovendi.

227 Dico quarto: Si error, vel ignorantia ſit circa aliquas circunſtantias, vel impertinentes, vel levioris momenti, talis ignorantia qualiſcunque ſit, non impedit valorem voti, ſi alias talis error, vel ignorantia non dedit cauſam voto. Ita cum communi ſententia Tancred. *ſuprà*. Ratio eſt, quia parum pro nihilo reputatur. Ideoque illa circunſtantia, ſi aliàs non fuit cauſa totalis voti, non reputatur ſufficiens ad mutandam voluntatem, neque ad cauſandum involuntarium ſimpliciter, vel ad multum illud minuendum.

228 Dixi niſi talis error, vel ignorantia dedit cauſam voto, nam ſi talis circunſtantia licet fuiſſet parvi momenti fuit finis motivus voti, valorem

cujus impedit, secus si solum fuit occasio, vel causa impulsiva voti. Ita cum Suario, Lessio, Sanch. Bonacina, Palaus, *suprà num.* 5. Torre ubi *suprà num.* 5. Trüllench. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 7. Exemplum primæ partis sit, quando quis putans Petrum esse pauperem, vovet dare illi certam summam, in quo causa pauperiei Petri fuit causa finalis motiva voti, exemplum secundæ partis sit, quando quis occasione accepta existimatæ pauperiei ejus, vovet dare pauperibus eleemosynam. Ratio autem primæ partis est, quia finis est, qui voluntatem movet, ergo si circa finem erratur per ignorantiam, voluntas ipsa, etiam involuntaria, est circa rem volitam propter illum finem.

229 Secunda vero pars conclusionis, scilicet errorem commissum circa causam impulsivam, vel occasionem voti, non irritari votum, facile probatur. Nam hujusmodi error non occultat voti objectum, & substantiam; ergo non potest illud involuntarium reddere, nec nullum. Quomodo autem dignoscendum sit, quæ sint finis voti, quæ occasiones? difficile est explicatu. Respondeo tamen illa esse finem voti, quæ quis per votum obtinere intendit. Illa vero esse occasiones, quæ tempore voti existunt, vel vovens præsumit existere, & eum ad vovendum excitant. In casu autem dubio, an aliqua habeant rationem finis, an vero sint occasio voti emittendi, spectandum est an illis deficientibus votus finis voti persistat, nam si hoc ita est, credo potius reputandam esse occasionem, quam finem, quia hæc præsumptio favet valori actus, & pro illo in foro exteriori judicaretu, dum vovens non probaverit ea, quæ deficiunt, causas esse finales, non impulsivas. At si illis deficientibus, non relinquitur finis voti, clare constat ea finem esse, & non tantum occasionem, siquidem absque fine, votum esse non potest. Ita cum Sanchez, Sylvestro, & aliis, Palaus *suprà*.

SECTIO VI.

An votum soli Deo faciendum sit?

SUMMARIUM.

230 *Si votum sumatur pro cultu recognoscente D. numen, soli Deo fit.*

231 *Si votum sumatur prout cadit in cultum, & honorem sanctorum, propter illorum propriam excellentiam, tunc talis promissio non habet rationem voti.*

232 *Ad quam virtutem pertineat?*

233 *Quomodo sit hoc votum interpretandum?*

234 *Quomodo sit intelligendum votum obedientiæ factum prælato?*

230 DIco primò: si votum sumamus pro cultu recognoscente divinum nomen, à quo tanquam ab authore bonorum omnium, aliquid impetrare intendimus, vel de impetratis gratias agimus, hoc modo votum soli Deo fit, quia hac ratione solus Deus coli potest. Quod si tunc sancti invocantur, in illa promissione, & voto invocantur, ut testes promissionis factæ, vel ut mediatores, & intercessores ad impetrandum à Deo, quæ per votum desiderantur.

231 Dico secundò: si votum sumatur, quatenus cedit in cultum, & honorem sanctorum, propter illorum propriam excellentiam gratiæ, & gloriæ, quam habent, tunc talis promissio non habet veram rationem voti, sed pertinet ad diversam speciem, scilicet Duliæ, quæ est diversa virtus à Latria, cujus virtutis actus est votum. Unde stricte loquendo talis promissio facta sanctis, non dicitur stricte votum, nec est actus Religionis, sed est actus alterius virtutis, nempe duliæ, quæ pertinet ad observantiam. Ita Lugo *de pœnitentia d.* 16. *num.* 283. 232

Advertè tamen; quod quando quis vovet castitatem, v. g. Beatæ Virgini, vel sancto Francisco, nisi constet de expressa illius intentione, tale votum interpretandum esse fuisse factum immediate illis sanctis, ut sunt aliquid Dei, vel ut sunt testes illius promissionis. Ratio est, quia illorum intentio pie explicanda est, prout sancta Ecclesia docet, & intendit, atque hac de causa, omne votum sanctis factum, Deo fieri dicitur. Ita cum multis Palaus *suprà num.* 2. 233

Quando vero Prælato locum Dei tenenti obedientiam quis promittit, votum prælato non fit, etiam illo modo, quo fieri potest sanctis spectata eorum excellentia, quia vovens non in prælati cultum, & honorem promittit obedientiam, sed Deo promittit obedientiam suo prælato servandam. Ita cum Bonacina, Saïro, Palaus, *suprà*. Si autem quis alicui homini in ejus utilitatem aliquid promittat, absque relatione ad Deum, ut si dicat promitto tibi me non lusurum, promissio humana & civilis est, non votum. Ita cum Sanchez, Navarro, Palaus *suprà num.* 2. 234

SECTIO VII.

Utrùm votum de re moraliter bona emissum, propter malum finem sit validum?

SUMMARIUM.

235 *Malus finis aliquando est finis ejus boni quod vovetur, aliquando ipsius voventis.*

236 *Si finis Rei promissæ per votum malus sit, votum invalidum est.*

237 *Si malus finis non sit finis rei, quæ vovetur, sed voti, vel applicationis voluntatis ad vovendum, validum est votum.*

PRo explicatione hujus sectionis notandum est (Ita Raphaël de la Torre, *quæst.* 88. *art.* 1. *d.* 2. *num.* 2.) dupliciter posse accidere, ut quis voveat aliquod opus bonum, propter malum finem. Primò ut ipse malus finis sit finis ejus boni, quod vovetur, id est, quod sit finis, qui in executione rei promissæ obtineri intenditur, ut si quis voveat eleemosynam, ut fornicationem obtineat. Alius est finis ipsius voventis, quique ad vovendum illum excitat, & actu vovendi obtineri procuratur, ut si quis voveat Religionem, ut laute vivat, ubi lautus victus, non est finis primarius, & motivus voti, sed est tantum causa impulsiva, cur vovens se applicat ad actum vovendi, sicut pulcritudo puellæ, est causa impulsiva, cur juvenis se applicat ad ducendam illam: his suppositis, 235

Dico primò: si finis rei promissæ per votum malus sit, votum invalidum est. Ita cum communi sententia Palaus, *d.* 1. *de voto p.* 8. *§.* 3. *num.* 1. Torre *suprà*. Ratio est, quia quando rei promissæ finis malus est, promittens non se intendit obligare ad illam rem secundùm se, sed quatenus medium est ad talem finem obtinendum, sed hoc modo sumpta res honesta, 236

Digitized by Google

honesta, mala redditur: ergo votum illius, validum esse non potest. Major est certa, minor probatur, quia nullum medium potest amari, ut medium, nisi propter, & in ordine ad finem; sed hic ordo est intrinsecus in illo actu, quo eligitur medium; ergo omnis electio procedens ex intentione mali finis, debet esse mala, non solum extrinsecè sed etiam intrinsecè, & immediatè, quia ipsa etiam electio dicit ordinem intrinsecum ad malum finem, Ita Lugo *de pœnitentia d.* 15. *n.* 231.

237 Dico secundò: Si malus finis non sit finis rei, quæ vovetur, sed voti, vel applicationis voluntatis ad vovendum, validum est votum, quamvis sic vovens peccet. Ratio est, quia objectum illius voti, etiam formaliter loquendo, bonum est, nam finis pravus, qui est motivum ad vovendum, non transit in rationem objecti, sed relinquit votum in sua natura, ut si quis voveat eleemosynam pauperi coram multis, ut ij id videntes vanam æstimationem concipiant de virtute voventis, valet votum quia res promissa, nulla inficitur pravitatis materia, & solum ipse vovendi actus ordinatur à vovente ad finem illum malum Ita Tamburinus *lib.* 3. *decalogi cap.* 15. §. 2. *num* 4.

SECTIO VIII.

Vtrum votum de opere indifferenti valeat?

SUMMARIUM.

238 *Quæ res dicatur indifferens?*
239 *Votum de re quæ omnibus circumstantiis spectatis indifferens est, validum est.*
240 *Res indifferens concurrentibus quatuor conditionibus potest esse materia voti.*
241 *Explicatur prima Conditio.*
242 *Explicatur secunda Conditio.*
243 *Explicatur tertia Conditio.*
244 *Explicatur quarta Conditio.*
245 *An votum faciendi eleemosynam, si vovens ex bello injusto incolumis evadat, sit validum?*
246 *Quid de voto emisso in gratiarum actionem pro victoria injusta jam parta?*
247 *An votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinenda bona temporalia valeat.*

238 RES indifferens dicitur illa, quæ non habet rationem boni, aut mali, nec magis conducit ad vitam æternam obtinendam, quam eius privatio, seu omissio, de qua Sylvester, & alii apud Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *d.* 6. *numero* 1. His suppositis,

239 Dico primò: Votum de re indifferenti, quæ omnibus circumstantiis spectatis indifferens est, nullum, & invalidum est. Ita cum communi sententia Trullenc. *loco citato.* Ratio est, quia materia voti debet esse res ad cultum divinum spectans, Deo grata, & melior, quam eius oppositum; sed neutrum horum reperitur in re omnino indifferenti: ergo votum de re indifferenti non valet, est tamen peccatum veniale tale votum, eo quod deficit in materia legitima. Ita Palaus *de voto d.* 1. *p.* 8. §. 3. *num.* 7. Torre *quæst.* 88. *art.* 2. *d.* 4. *n.* 5. Trullenc. *uprà n.* 2.

240 Dico secundò: Res indifferens potest esse materia voti, & votum de ea factum obligat, concurrentibus quatuor conditionibus statim referendis. Ita communiter DD. apud Trullenc. *suprà num.* 4. Prima conditio est, ut adsit bonus finis, 241
hic enim omnino est requisitus in voto, & quovis opere bono; Unde defectu hujus conditionis, invalidum est votum, non transeundi per aliquam viam factum absque honesto fine, valet tamen, si bono fine fiat ad evitandam peccati occasionem. Ita cum communi sententia Trullenc. *suprà.*

Secunda conditio est, ut res indifferens, quæ 242
est materia voti conducat, & inserviat, ac habeat proportionem cum tali bono fine, alioquin perinde esset, ac si talis bonus finis non adesset. Hinc fit invalidum esse votum, quo quis vovet non abscindere ungues in die Sabbati, non nere, non comedere capita animalium in honorem D. Joannis Baptistæ, non comedere carnes assas in die S. Laurentij, non loqui, non ludere cum aliquo, vel ad aliquem certum ludum, quando solum fiunt, quia colloquium, vel ludus voventi sunt ingrata. Ratio est, quia materia horum votorum non inservit honori illorum sanctorum, secus si hæc vota fiant propter aliquam mortificationem, quam vovens in hoc sentit: nam tunc validum est votum, & illis Sanctis gratum, quia jam habet bonum finem, & idem dicendum est de voto induendi vestes viles, propter humilitatem. Ita Sanchez, & alij, quos refert, & sequitur Trullenc. *suprà.*

Tertia conditio est, ut in voto rei indifferentis, 243
ille finis honestus intendatur ab ipso vovente, nam aliter res adhuc manet indifferens. Hinc fit non esse validum votum de re indifferenti factum absque honesto fine intento, quamvis verè adsit, vel superveniat causa, ob quam bonum esset adimplere id, quod voto promissum est. Unde qui vovit non ingredi talem domum, nullo sibi honesto fine proposito, non validè vovet, etiamsi postea contingat domum illam inhabitari à fœmina inhonesta, occasionem peccandi præbente: Tenebitur tamen vovens, non ratione voti, sed ratione periculi peccandi, ab ingressu illius domus abstinere. Ita cum Sanchez, Trullenc. *suprà num.* 19.

Quarta conditio est, ut honestus finis, ob quem 243
res indifferens fuit voto promissa, nondum cessaverit, alioquin res adhuc esset indifferens. Ex quo fit votum non transeundi per talem viam, non ingrediendi talem domum, ob periculum fornicandi cum Maria, quæ ibi habitabat, obligat quamdiu Maria ibi habitabat. Secus dicendum est, si Maria jam absens sit, vel periculum fornicandi cum illa absit, licet aliàs detur periculum fornicandi cum altera, nam intentio voventis fuit non intrandi in talem domum, ob periculum fornicandi cum Maria, non vero cum alia. Ita Trullenc. *suprà num.* 7.

Sed Quæres an votum faciendæ eleemosynæ, si 245
vovens ex bello injusto, quod agredi determinatus est, incolumis, & salvus evadat. Et idem est si ex Concubina quam pertendit cognoscere, filius nascatur, sit validum? & suppono hæc non præcisè, ut conditionem spectari, nam tunc certi juris est, votum tenere, sed spectari ut finem consequendum à Deo promissione eleemosynæ, & ipsius executione? Respondeo tale votum esse nullum. Ita cum Sanch. Palaus *suprà num.* 3. Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 2. *quæst.* 24. & 25. contra Lessium, Layman, & alios. Ratio est, quia vovens ea eleemosyna oblata, non intendit incolumitatem absolutè obtinere, sed medio bello injusto, & filium ex illicito concubitu: ergo votum pro his impetrandis, habet finem turpem, siquidem in incolumitate

Digitized by Google

optata, imbibit bellum injuſtum, & in filio, illicitum concubitum. Et idem dicendum eſt de voto facto à ludente ludo illicito, ſi in ludo vicerit, & à meretrice, ſi abuſu ſui corporis magnam pecuniæ ſummam obtinuerit; hæc enim vota omnia ſunt irrita, & blaſphema, ut pote facta pro impetratione turpi.

246 Major tamen eſt difficultas de voto emiſſo in gratiarum actionem præ victoria injuſta, jam parta, vel pro filio ex concubina progenito. An tunc hæc, & ſimilia vota ſint valida? Reſpondeo hoc votum validum eſſe. Ita cum Suario, Palaus *d. 1. queſt. 8. §. 3. num. 4. de voto*, contra Sanchez, Leſſium, quos refert, & ſequitur Tancred. *de voto tract. 3. d. 2 queſt. 24.* Ratio eſt, quia vovens in hoc caſu, non eſt cenſendus gratias referre pro victoria injuſta, ex parte qua injuſta fuit, & à ſe provenit, ſed pro illa victoria, quatenus à Deo proceſſit, ſed ſecundum hanc rationem bonum eſt: ergo, &c.

247 Quæres tandem an votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinenda bona temporalia, ſit validum, v. g. votum dandi eleemoſynam, ſi quis impetret à Deo matrimonium divitem, filium ex illo, officium in Republica? Reſpondeo affirmative. Ita cum Laïman, Sanchez, Palaus *ſuprà*, & cum Suario, Bonacina, Trullench. *ſuprà num. 9.* Ratio eſt quia finis horum votorum, non indifferens, ſed honeſtiſſimus eſt, conſecutio namque horum beneficiorum, imbibit illorum divinam donationem; ſi igitur hanc habet pro fine, quid honeſtius? aliàs nulla eſſent vota illorum, qui in infirmitate pro incolumitate obtinenda voverent caſtitatem, vel Religionem, quod eſt contra communem uſum; illud tamen votum cenſerem de fine indifferenti, quo quis voveret jejunium, ut ſumptibus parceret, vel voveret eleemoſynam, ut avaritiæ opinionem tolleret; quia in hoc fine, non involvit aliquam actionem quæ honeſtatem habeat: ita cum Sanchez, & aliis, Palaus *ſuprà num. 6.* licet contrarium teneat Bonacina, quem refert, & ſequitur Trullench. *ſuprà num. 9.*

SECTIO IX.

Utrùm opus malum poſſit eſſe materia voti?

SUMMARIUM.

248 *Opus malum ſive mortaliter ſive venialiter non poteſt eſſe materia voti.*

249 *Ponuntur quædam corollaria, quæ inde ſequuntur.*

250 *Quale peccatum committat qui opus malum vovet?*

251 *Quid ſi quis verbo tenus ſine animo promittendi, vel implendi promiſſionem faceret?*

252 *Quid ſi detur ignorantia?*

248 Dico primò: opus malum, ſeu illicitum, ſive mortaliter, ſive venialiter, non poteſt eſſe materia voti. Ita communiter DD. apud Trullench. *lib. 2. Decalogi cap. 2. d. 5. num. 2.* Ratio eſt, quia Deus, non acceptat promiſſionem rei ſibi ingratæ, opus autem malum eſt Deo ingratum. Tum quia ſic vovens, eo ipſo profitetur gratum eſſe Deo peccatum, quod eſt blaſphemia. Unde ſit votum de materiâ illicita, eſſe nullum, ſic votum de homine ſacrificando non tenet, quale fuit votum Jephte, Judicum 11.

249 Secundò ſequitur invalidum eſſe votum de omni actione prohibita, tam ſub veniali, quam ſub mortali, tam in prohibitis jure divino naturali, quam humano. Valet tamen votum de re licita factum ab eo, cui eſt prohibitum vovere, quamvis vovens vovendo peccet contra præceptum ſuperioris. Ita Sanchez, & alij, apud Trullench. *ſuprà num. 3.* Ratio eſt, quia materia hujus voti eſt licita, ex quo fit illum, qui ex juſta cauſa vovit ſe non emiſſurum amplius votum, ſine conſilio confeſſarij, ſi poſtea voveat, non præmiſſo confeſſarij conſilio, tenetur ſtare huic voto facto contra prius votum, quamvis peccet vovendo, ſine conſilio confeſſarij: Ita cum aliis Trullench. *ſuprà.*

Et idem dicendum eſt de voto quo quis amore continentiæ vovet, ſe non amplius peccaturum, niſi cum tali fœmina. Ita cum Sanchez, Trullench. *ſuprà num. 4.* Ratio eſt, quia tale votum eſt de re bona, ſcilicet de abſtinentia ab aliis fœminis. Item votum abſtinendi ab hoc opere ſervili in die feſto, vel non fornicando cum tali fœmina, vel non furandi à Petro, validum eſt. Ita Trullench. *ſuprà* & cum Suario, Palaus, *de voto d. 1. p. 8. §. 2. num. 2.* contra Tancred. *de voto tract. 3. d. 2. queſt. 20.* Ratio eſt, quia horum abſtinentia, cum ſit res præcepta, bona eſt, ac proinde capax obligationis voti. Secus dicendum eſt de voto, quo quis promittit in honorem alicujus ſancti, taurorum agitationem, alioſve ſimiles ludos publicos, nam tale votum nullum eſt, quia hi ludi ſolum ex hac relatione videntur ſanctorum honori conferri. Ita cum Sanchez, Leander, *tract. 2. d. 4. queſt. 17.*

Quartò ſequitur non eſſe validum votum de immoderatis macerationibus corporis, quæ juri naturæ adverſantur, vel impediunt munus alicujus. Adverte tamen, tale votum ſolum eſſe invalidum, quoad exceſſum, quoad reliquam vero moderatam macerationem validum eſſe, ut infra dicemus; An vero votum jejunandi omnibus diebus, etiam Dominicis, ſit validum? Reſpondeo ſecluſo ſcandalo, ſuperſtitione, aut alio pravo fine, validum eſſe. Ita cum Leſſio, Sanchez, Azor. Trullench. *ſuprà num. 7.* contra Suarium, Saïrum, & alios. Ratio eſt quia ſublato ſcandalo, ſuperſtitione, vel malo fine, non eſt malum diebus Dominicis jejunare. Quintò ſequitur volentem opus malum duplex peccatum committere, aliud, quod ſpecificatur à fine malo, quem intendit, alterum ſacrilegij contra Religionem, v. g. qui vovet dare eleemoſynam, ut mulierem conſequatur peccat, & peccato luxuriæ, & peccato ſacrilegij. Ita communiter DD. apud Trullench. *ſuprà.*

Sed quæres quale peccatum committat, qui opus malum vovet. Et omiſſis variis placitis, dicendum eſt primò. Si finis ſit ſolius voti, & non materiæ, per votum promiſſæ ultra peccatum, quod fecerit in deſiderio illius finis, peccatum veniale tantum, committi adverſus religionem. Ita cum Suario, Palaus *de voto d. 1. p. 8. §. 3. num. 7.* Et quidem eſſe peccatum contra religionem conſtat, quia aſſumere votum ad Dei offenſam, quod ex genere ſuo ad illius cultum ordinatur, abuſus eſt religionis. Quod vero hic abuſus præter malitiam provenientem ex fine, ſolum ſit peccatum veniale contra religionem, inde probatur, quia hæc malitia in eo ſita eſt, ut vovens modum debitum vovendi inficiat, & cum hæc infectio ex fine extrinſeco proveniat, neque in voti materiam redundet, illiuſve obligationem minuat, efficitur per ſe in materia religionis, culpam venialem non excedere. 250

Secundò dicendum eſt, ſi res promiſſa turpis mortaliter

mortaliter sit, vel ob finem mortaliter turpem promittatur, quod idem est, omnes consentiunt, peccatum esse mortale contra Religionem, præter malitiam pravi desiderij, nam vel sic promittens rem promissam offert Deo, ut illi gratam, vel ut ingratam; si ut gratam, quæ major injuria, & blasphemia excogitari potest, quam facto ipso testari rem turpem summæ bonitati placere, si autem illam offert ut ingratam, non offert, sed minatur, minari
251 autem Deo grave malum, grave peccatum est. Quod verum esse credo, esto solo verbo tenus absque animo promittendi, vel implendi, quis promissionem faceret, nam verba blasphemiæ non petunt voluntatem inferendi Deo malum, sed sufficit, ut ex se hanc voluntatem indicent, & sic proferantur. Ita cum Suario, Palaus *suprà num.* 8.

Tertio dicendum est peccatum esse mortale, si res promissa turpis venialiter sit, vel ob finem venialem turpiter promittatur. Ita cum Lessio, Suario, Palaus, *suprà num.* 9. Torre *quæst.* 88. *art.* 2. *d.* 1. Leander *de voto tract.* 2 *d.* 4. *quæst.* 36. contra Villalobos, Navarrum, & alios, quos refert, & sequi-
252 tur Trullenc. *suprà num.* 9. Hæc tamen conclusio intelligitur seclusa ignorantia, vel alio extrinseco excusante. Ratio autem est, nam quæcunque res turpis quantumvis minima oblata Deo tanquam cedens in ejus cultum, gravissime ejus summam bonitatem offendit, si autem tanquam illi malum, & ingratum offeratur, vel potius comminetur, blasphemiam continet attribuendo Deo, quod illi convenire non potest.

SECTIO X.

Utrum votum de materia impossibili sit validum?

SUMMARIUM.

253 *Impossibilia Deo promitti non possunt.*
254 *Votum de nunquam peccando mortaliter nec venialiter est invalidum.*
255 *Votum de nunquam peccando mortaliter est validum.*
256 *Votum confitendi omnia venialia validum est.*

253 Dico primo: Impossibilia Deo promitti non possunt quia impossibilium non est obligatio *Reg. nemo potest de regul. juris in 6. & l. impossibilium ff. eodem titulo:* quod verum habet non solum in absolute impossibilibus, sed etiam in his, quæ comparatione promittentis impossibilia sunt, nam eo ipso, non poterit promittens ad illa se obligare. Hinc fit, quando aliquis promittit factum alienum, tantum illud promittit, ea ratione, qua sibi subjicitur, factum autem alienum tantum alteri subjicitur, quatenus promittit se curam apponere ut efficiatur. Et ex his jam plura licet inferre.

254 Primum esse invalidum votum de nunquam peccando simpliciter, aut de nunquam peccando mortaliter, nec venialiter, aut de nunquam peccando venialiter. Ita cum Azor, Suario, Rodriguez, Villalobos, Sanchez, Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 2. Palaus *de voto d.* 1. *p.* 8. §. 1. *num.* 3. Ratio est, quia licet vitare omnia peccata mortalia, & venialia, vel omnia venialia, sit speculative loquendo homini physice possibile, moraliter tamen, & spectato communi rerum cursu, & auxiliis à Deo concessis, est impossibile, ut experientia constat; sed ad ea, quæ impossibilia sunt lex humana positiva obligare non potest: ergo. Adverte tamen quod licet hæc ita sint, votum tamen, quod fecit Seraphica M. S. Theresia faciendi semper quidquid perfectius esse intelligeret, validum fuisse; siquidem illud fecit, Deo consiliante, ut patet ex lectionibus ejusdem Sanctæ in ejus die festo: unde S. M. Nostra Theresia ultra communem rerum cursum habuit specialissima auxilia ad observandum hoc votum, & moraliter possibilis illi fuit illius observatio ob specialem Dei concursum, & protectionem, in quo maxime resplenduit illius sanctitas, & vita Seraphica.

Secundo infertur, Probabilius, & verius esse, 255
votum de nunquam peccando mortaliter validum esse, quia est de re moraliter possibili, non tamen id votum est consulendum: nam peccata mortalia, quæ cogitatione committuntur, difficile caventur. Ita cum Sanchez, Ledesma, & aliis Trullenc. *suprà num.* 4. Vnde homo nimis fragilis faciendo tale votum venialiter peccaret, immo si tanta esset fragilitas ratione periculi frangendi votum, peccaret mortaliter, votum tamen valeret. Dixi probabilius, & verius, quia ut docet cum Sanchez, & Ledesma, Trullenc. *suprà*, contraria sententia non est improbabilis.

Si tamen quæras an votum confitendi omnia ve- 256
nialia sit validum? Respondeo affirmative. Ita cum aliis Palaus *suprà num.* 13. quia est de materia possibili, & determinata, non enim intelligitur factum de fatendis omnibus venialibus absolute, nam si ita factum fuisset, esset absque dubio invalidum, utpote de re impossibili, ut cum aliis notavit Trullenc. *suprà num.* 7. sed de confitendis iis, quæ facta mediocri diligentia memoriæ occurrerint, quod si aliqua in confessione obliviscantur, tenetur in sequenti confessione ea confiteri, sicut fit in mortalibus oblitis. Ita cum aliis Trullenc. *suprà.*

SECTIO XI.

An votum de materia partim possibili, partim impossibili, partim honesta, & partim turpi, vel indifferenti, sit validum?

SUMMARIUM.

257 *Si materia voti, partim sit possibilis, partim impossibilis, partim honesta, partim inhonesta, &c. per modum unius promittatur, ita ut neutra pars volita sit, nisi dependenter ab alia votum est irritum.*
258 *Quomodo dignoscatur actum fuisse per modum unius factum.*
259 *Quædam corollaria ponuntur.*
260 *Si modus sub quo objectum voti promissum est impossibilis esset valor voti non impediretur.*
261 *Quid si modus impossibilis gravaret objectum voti?*
262 *Quid si in communi æstimatione res promissa per modum unius existimetur?*
263 *Quoties votum quoad partem principalem impleri non potest, non obligat ad accessorium.*
264 *An votum disjunctivum cujus una pars est materia apta voti, non vera altera sit validum?*
265 *Quædam corollaria ponuntur.*

Dico primo: Quando materia voti partim est 257
possibilis, partim impossibilis, partim bona,

&c

& honesta, & partim indifferens, vel turpis, si utraque pars per modum unius promittatur, ita ut neutra pars volita sit, se dependenter ab alia, tale votum est irritum. Si autem divisive promittatur, ita ut quævis illarum sit per se volita, & independenter ab alia, est virtute duplex votum, alterum rei possibilis, quod est validum, & alterum rei impossibilis, quod est irritum. Ita cum Suario, Sanchez, Villalobos, & aliis, Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 2. Prior pars conclusionis patet, quia tunc vovens non intendit se ad unam partem obligare, nisi etiam maneat obligatus ad aliam, cui cum non possit obligari, quia impossibili, ab utraque manet deobligatus. Secunda vero pars etiam probatur, quia hoc votum censetur factum per modum pluritum votorum: ergo, quamvis votum rei impossibilis, sit invalidum, non erit tamen invalidum votum rei possibilis.

258 Difficultas tamen est in cognoscendo, quando de voventis intentione non constat, an votum fuerit factum per modum unius, an vero per modum plurium? Ad quod dignoscendum tripliceem ponit regulam Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 10. *num.* 5. Prima regula delimitor ex rei promissæ natura, quæ si res individua est, id est, quæ non patitur commodam divisionem, nec communiter dividi solet, censetur per modum unius promissa, quando autem est dividua, id est, quæ commode dividuntur, & communiter dividi solet, censetur per modum plurium promissa.

259 Et hinc deducitur primo votum nunquam peccandi obligare, quoad peccata mortalia, nam quoad hanc partem est possibile. Ita cum aliis Palaus, *suprà num.* 8. peccatum namque mortale à veniali separatur, licèt contrarium teneat Sanchez *libro* 4. *de voto capite* 5. *numero* 10. Idem dicendum est de voto jejunandi totam quadragesimam, & castitatis in uxorato, nam vovens jejunare quadragesimam, si totam non potest, tenetur ad partem, & uxoratus tenetur non petere. Similiter vovens graves pœnitentias, tenetur ad illas, quas potest, & qui mille aureos vovit in eleemolynam, si tot non potest réddere, tenetur ad centum, quæ potest, quia hæc omnia non per modum unius, sed plurium promittuntur, & alias possunt dividi, & separari. Ita cum aliis Palaus *suprà numero* 10.

Excipe nisi quis voveat jejunare per quadraginta dies in honorem quadraginta horarum, quibus Christus foit in sepulcro, vel voveat recitare tres partes Rosarij, in honorem sanctissimæ Trinitatis, vel quinquies Pater noster, in honorem quinque plagarum, vel aliud simile, vel voveat jejunare in pane, & aqua tota vita, in honorem alicujus Sancti, qui tota vita in pane, & aqua jejunavit, vel voveat perpetuum cilicium in honorem alicujus Sancti, qui tota vita illo corpus suum maceravit; nam tunc si non potest totum implere, non tenet votum, nec ad partem, nisi aliud constet ex voluntate voventis, etiam si pars possibilis esset major, nam materia hujus voti, licet sit dividua, tamen prout hic vovetur, est individua, vovetur enim, prout repræsentat tale mysterium, & per modum unius, qui enim sic vovit, non intendit carnis macerationem, vel cultum Dei, ut sic, sed cum tali forma, & cum illo cultu individualiter accepto, qui cultus, dempto uno die, vel una parte Rosarij, cessat. Ita & bene Tancred. *tractatu* 3. *de voto d.* 2. *quæstione* 3. contra Sanchez *lib.* 1. *summæ cap.* 19. *num.* 4.

Hinc fit validum esse votum illorum populorum Lusitaniæ prope civitatem Conimbricæ eundi quotannis processionaliter nudos ad Ecclesiam Sanctæ Crucis in honorem quinque martyrum minorum, ut recte ait Suarez *de voto lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 3. contra Tancredum *tract.* 3. *de voto d.* 2. *quæst* 9. nam intentio horum hominum, non est eundi nudos indecenter, sed nuditate decenti, alias esset intentio prava; ire autem corpore nudato, nuditate decenti, hoc est quoad superiores partes, in pœnitentiam, pedibus etiam nudatis per frigus, & gelu, non potest meo videri reputari inhonestum, siquidem hoc non fit à fœminis, nec à viris delicatæ complexionis, quibus hæc nuditas nociva esse posset tanti, sed ab hominibus rusticis, quorum pœnitentia magnam omnibus affert admirationem, & ædificationem, & taliter Deo placet ut uno anno, in quo à tali processione illi populi cessarunt, statim eos pestilentia interemit, & in agris erugo increpuit, & omnino vastavit, quare iterum assumptionem sui voti redierunt, & statim erugo, & pestilentia cessaverunt, ut refert traditio illorum populorum; inde illorum votum laudatur ab illo scientiarum Theatro nempe Conimbricensi, ubi non viget minus scientia, quam morum honestas, unde rejiciendus est Tancred. qui hoc votum reputat rei inhonestæ, cum revera ita non sit, sed honestissimo modo, & Deo grato, ut ejus miracula quotidiana testantur, executioni mandetur.

Deco secundo: Si modus, sub quo objectum 260
voti promissum est, impossibilis esset, ob illius impossibilitatem, valor voti non impeditur, quia impossibilitas accessorij, non cedit in principale. Quia de causa, si quis voveat ire Romam flexis genibus, nudo capite, cilicio indutus, vel alia conditione impossibili, obligatus manet ire Romam, rejecta tali conditione impossibili; & promittens jejunare in pane & aqua, si non potest in pane & aqua jejunare, debet servare jejunium Ecclesiasticum.

Adverte tamen hoc debere intelligi, quando 261
modus ille impossibilis potius gravaret, quam levaret difficultatem objecti principalis promissi, nam in casu quo gravatur objectum, tota difficultas, quæ est in objecto promisso amatur, & insuper amatur difficultas modi, qui ut possibilis apprehenditur; At si modus sub quo objectum promittitur difficultatem illius notabiliter minuit, si modus impossibilis est, cessat objecti promissi obligatio, quia esto objectum separabile sit ab illo modo, at non est censendum ex intentione voventis separari, quia non est censendum ad objectum ita difficile se velle obligare, verbi gratia, qui promittit ire Romam equitando, credens possibile esse ita ire, si postea contingat illum modum esse impossibile, cessat obligatio, nam peregrinatio pedestris, difficilior est equestris.

Secundo nota quod, si in communi æstimatione, 262
res promissa per modum unius æstimetur, si non constet de contraria voluntate voventis, ita taliter debere censeri rem promissam, quia verba in dubio intentionis, sunt juxta communem intellectum accipienda; sic vovens monasterium, seu Ecclesiam ædificare, si postea in paupertatem incidat, non tenetur ad partem, quia per modum unius censendus est promisisse constructionem Ecclesiæ, vel monasterij. Ita cum Sanchez, & aliis Palaus *supra num.* 10.

Tertia nota quod quoties votum quoad partem 263
principalem promissam implere quis nequit, non obligatur

obligatur ad accessorium; quia principali corruente, accessorium cessat. Hac ratione si quis vovit jejunare in vigilia Nativitatis B. Virginis, & non potest, non tenetur à carnibus abstinere. Ita cum Laïman, Palaus *suprà num.* 10. Ratio est, quia abstinentiam à carnibus non vovit per se, sed quatenus constituit jejunium Ecclesiasticum, à quo cum excusetur, excusatur etiam à carnium abstinentia. Item si à carnibus abstinere non potest, non tenetur abstinere à repetita commestione, præterea si ob lucrandum jubileum vovit confessionem, non tenetur confiteri si jubileum lucrari non potest. Deinde si vovit peregrinationem indutus cilicio, non tenetur induere cilicium, si peregrinari non potest, quia hæc omnia sunt accessoria, ut ex se patet.

264 Sed quæres, an votum disiunctivum, cujus una pars est materia apta voti, non vero altera, sit validum, ut si quis vovit inservire hospitali, vel furari? Respondeo negative. Ita cum Bonacina, Sanchez, Trullench. *suprà num.* 8. Ratio est, quia in voto disjunctivo, obligatio cadit super utranque materiam, ita tamen quod voventi liberum sit, eligere quam maluerit, cum autem obligatio voti non possit cadere in hoc casu super materiam ineptam, sequitur voventem non manere obligatum ex vi tamen voti. Quod procedit, sive vovens sciverit, vel ignoraverit, alteram partem esse materiam ineptam voti, licet si ignoraverit immunis maneret à culpa, quam contraxit, si scienter talem materiam vovit. Imò addit Sanchez, *suprà*, quod in casu dubio, an votum fuerit vere disiunctivum, an conditionale, tale votum non obligare, si forma illius fuit disiunctiva, nam cum prima vere disiunctiva sit, ea possidet, dum non probatur voventem non disiunctivè, sed sub tali conditione turpi vovisse.

265 Hinc sequitur eum qui vovit se traditurum Ecclesiæ bovem, aut equum, non teneri ad aliquid tradendum, si tempore voti, equus periit, nam hoc votum est, disiunctivum, cujus altera pars est impossibilis, cum equus jam perierit tempore voti, si vero mortuus est, post votum, vovens tenetur superstitem dare, quia obligatio voti cadit super utramque materiam, licet in potestate voventis sit, alteram eligere; ergo una parte destructa, adhuc manet obligatio alterius; satisfaciet tamen in hoc casu tradendo æstimationem equi, qui periit, vel bovem superstitem, si nondum facta erat electio, quia potest eligere quod voluerit; quod si periit absque culpa voventis, post factam electionem, vovens non tenetur tradere rem superstitem, aut æstimationem illius rei, quæ periit; nam vovens facta electione tenebatur solum ad rem electam, sed res periit inculpabiliter facta electione: ergo periit illi, cui promissa erat: ergo vovens ad nihil amplius tenetur. Ita cum Bonacina, Sanchez, Trullench. *suprà num.* 10. Palaus *d.* 1. *de voto p.* 12. *n* 28.

Sequitur secundò hæredem teneri adimplere votum reale defuncti, qui votum disiunctivum emiserat, cujus una pars erat realis, & altera personalis, quia cum obligatio voti disiunctivi cadat super utramque partem materiæ, quamvis liberum esset defuncto eligere, quam maluisset ex suppositione tamen, quod illam perfecte non eligit, censetur obligatio partis personalis plane extincta, remanente adhuc obligatione reali, obligatio autem realis ad hæredes transitat: ut infra dicemus. Ita tenet cum Bonacina, Sanchez, & aliis, Trullenc. *suprà n.* 12.

SECTIO XII.

Utrùm votum possit esse de rebus præceptis.

SUMMARIUM.

266 *Votum potest esse de rebus præceptis.*
267 *Præceptum non necessitat voluntatem sed liberam relinquit.*
268 *De eadem re potest dari multiplex obligatio.*

DIco primò: votum propriissime esse potest de 266
rebus præceptis. Hæc est certa, & tenent omnes cum D. Th. apud Palaum *d.* 1. *de voto p.* 8. §. 4. *n.* 1. Ratio est manifesta, quia opera præcepta sunt honesta, & Deo ita grata, ut opposita grata non sint: ergo sunt apta ut Deo in cultum ejus offerantur, 267
hæc enim oblatio libera est, & spontanea, nec impeditura præcepto, quia præceptum non cogit ad obligationem, neque voluntatem necessitat, sed liberam relinquit absolute, ut opus præceptū exequatur.

Dices votum obligationem inducit, ergo non sup- 268
ponit illam, nemo enim promittit alteri, quod jam illi debebat. §. *sed si rem & §. ex contrario instit. de legat.* Respondetur negando consequentiam, quia frequens est obligationem addi obligationi, maximè quando sunt diversarum rationum; nam ad ea, quæ alias servare tenebamur, superaddimus juramentum, ut patet *in c. ego enim de jure jurando c. cum in Ecclesiis*, & ob id confessores sæpe in pœnitentiam injungunt auditionem missæ, vel aliud opus pertinens ad religionem.

SECTIO XIII.

Utrum votum debeat esse de meliori bono?

SUMMARIUM.

269 *Votum debet esse de re meliori quam sua contradictoria.*
270 *Quædam corollaria ponuntur.*
271 *An votum non ingrediendi religionem sit validum.*
272 *Quid si votum sit non vovendi non ingrediendi religionem absque consilio.*
273 *An votum non petendi dispensationem sit validum?*
274 *Quid de voto non amplius ludendi?*
275 *An ex voto non petendi dispensationem obligetur vovens ad non petendum irritationem vel commutationem?*
276 *Quomodo petenda sit dispensatio in casu, quo votum non petendi dispensationem valeat absque peccato.*
277 *An votum non ascendendi ad Episcopatum valeat?*
278 *Quid dicendum de voto non comedendi delicate?*
279 *Quid de voto serviendi perpetuo in hospitali?*
280 *An si quis voveat castitatem tantum intendens vitare actus externos non voto internos circa illum, tale votum sit validum?*
281 *Votum contrahendi matrimonium absolute sumptum invalidum est.*
282 *Quid si matrimonium esset in præcepto.*
283 *Quid si fiat animo contrahendi, sed religionem petendi.*
284 *Quid si fiat in remedium frequentis lapsus?*

Digitized by Google

285 *Quid ſi fiat cauſa pietatis?*
286 *Quomodo intelligendum ſit hoc votum promitto Deo me daturum pauperem?*
287 *Quid dicendum ſit de hoc voto, promitto me nullam religionem ingreſſurum niſi hanc?*
288 *Validum eſt votum ſi negative excludat materiam voti ineptam.*

269 Deo primo: Communis, & omnium ſententia eſt, ad votum non ſufficere rem eſſe bonam, ſed debere eſſe meliorem, quam ſua contradictoria, ne quis obligatus ſit ad omittendum id, quod melius, & perfectius eſt. & Deo gratius, quod nec divino obſequio, nec noſtræ perfectioni conſonum eſt. Nec obſtat rem honeſtam, & majus bonum ex ſe impedientem, gratam eſſe Deo, & juxta ejus voluntatem mandari executioni poſſe, ut inde quis inferat votum valere, quia aliud eſt poſſe quempiam rem honeſtam majus bonum impedientem exequi libere, aliud exequi ex obligatione, quando ergo talem rem honeſtam, ex obligatione quis exequitur, eo ipſo obligatur perfectiorem, & Deo gratiorem omittere, quod non contingit, quando abſque obligatione exequitur.

270 Hinc fit, omnia vota conſiliis Evangelicis oppoſita, eſſe nulla, qualia ſunt vota non ſuſcipiendi ordines, non ingrediendi Religionem, non mutuandi, non fidejubendi, non erogandi eleemoſynam, & ſimilia; tum quia hæ negationes per ſe nullam habent honeſtatem, tum quia ex ſe impediunt majoris boni executionem, cum conſilia ſemper ſint de meliori bono, & in his omnes DD. conveniunt quod ſupervacaneum eſt recenſere. Sunt tamen aliqui caſus de quibus dubium eſt, an meliori bono opponantur.

271 Et dubitatur primò: de voto non vovendi, non ingrediendi Religionem, an ſit validum? Et quidem ſi ſic abſolute ſumatur, meliori bono opponitur, ac proinde nullum eſt; opponitur namque contradictorie votorum emiſſioni. Ita communiter DD. At ſi votum fieret ſub aliqua circunſtantia excludente imprudentiam, & temeritatem in vovendo, valeret utique votum ut ſi quis votum emitteret non ingrediendi Religionem, in qua vivitur ita laxè, ut prudenter judicetur, fore ut vovens melius ſerviret Deo in ſæculo, vel ſi prudentum judicio natura voventis non æſtimetur apta ad Religionem, puta quia eſt animi valde inconſtantis, vel habet parentes adeo pauperes, ut teneatur eos alere, vel ſi quis voveret jejunare, quando non eſt ſub præcepto, ſi jejunium impediret opus perfectius, quia dum hæc impedimenta durant, materia illorum votorum non eſt de conſilio. Ita cum Suario, Sanchez, Tancred. *de voto tract. 3. d. 2. q. 35.*

272 Et idem dicendum eſt ſi quis votum emitteret non vovendi, vel non ingrediendi Religionem, abſque conſilio confeſſarij, vel niſi verbo aut præcepto, aut coram aliquibus perſonis, quia conditiones hæ non impediunt votum, ſed ponuntur ad vitandam votorum temeritatem. Ita cum Azor, Sanchez, Leſſio, Suario, Palaus, *d. 1. de voto p. 8. §. 5. n. 3.* Unde ſi quis abſque his circunſtantiis voveat, peccat, quia votum tranſgreditur, ſed regulariter non videtur mortale, quia non eſt materia gravis. Ita cum Leſſio, Sanchez, Palaus, Trullench. *lib. 2. Decalogi c. 2. d. 5. n. 13.* votum autem ſic miſſum tenet, quia peccatum commiſſum in vovendo non tollit valorem voti. Quod ſi immemor prioris voti, quis votum emitteret, Palaus ſupra vult, quod ſi expreſſam non habuit intentionem non vovendi, caſu quo prioris voti non recordaretur, tenere votum. Verum ego melius puto cum Rodriguez, Sairo, Trullench. quos refert, & ſequitur Tancred. *de voto tract. 3. d. 2. quæſt. 34.* tale votum non obligare, niſi vovens aliud expreſſiſſet, quia talis cenſetur mens voventis, caſu quo non recordetur prioris voti, nam ejus mens, & voluntas eſt abſolute non vovere.

Secundo dubitatur de votis non petendi diſpenſationem, irritationem, vel commutationem, an ſint valida? Et quidem ſi ſub aliqua limitatione emittantur, ut ſi quis voveret non petere voti relaxationem, abſque cauſa legitima, validum eſt tale votum, quia eſt votum de non faciendo peccato; nam petere diſpenſationem ſine cauſa peccatum eſt, & non petere irritationem ſine cauſa gratius eſt Deo. Ita Palaus *ſuprà num. 4.* Trullench. *ſuprà num. 10.* At ſi hanc limitationem vovens non expreſſit, ſed generaliter voveat, non petiturum diſpenſationem, vel irritationem, aliqui putant talia vota eſſe nulla, & ſalva. Sed probabilius exiſtimo talia vota eſſe valida, quoties non fuerit utilius voventi petere diſpenſationem, vel irritationem; tunc autem erit utilius animæ voventis hæc impetrare, quando eſt probabile tranſgreſſionis periculum, aut quando eſſet dubium, an res promiſſa in hoc, vel illo eventu ſit inutilis, aut impediens majus bonum. Ita cum Sylveſtro, Azor, Rodriguez, Trullench. *ſuprà num. 2.* & cum Suario, Palaus, *ſuprà num. 4.* contra Sotum, Sanchez, & alios; Ratio eſt quia non petere diſpenſationem aliquando eſt bonum, aliquando malum, aliquando majus bonum, aliquando minus, nonnunquam moraliter neceſſarium eam petere; ſed quando votum habet materiam ſeparabilem, aliam aptam, aliam ineptam, ſi ea, quæ apta eſt, frequentius, & in plurimum contingat, credendum eſt divisibiliter, & ſeparabiliter eam aptam materiam reſpicere, dum de contraria intentione expreſſe non conſtat, quia hic reſpectus eſt materiæ proportionatus, & favet valori actus: ergo. 273

Sed quid dicendum ſit, de voto non petendi diſpenſationem ab alio, quam à Pontifice, neque conceſſa utendi? Reſpondeo valere tale votum, quia hoc voto non aufert vovens ab inferioribus poteſtatem diſpenſandi, ſed à ſe aufert poteſtatem illos pro diſpenſatione adeundi, quod per ſe conveniens eſt, ut ſic votum ſecurius diſpenſetur. Ita Sanchez *lib. 4. cap. 8. num. 34.* Palaus *ſuprà*, licet oppoſitum teneat Tancred. *tract. 3. de voto d. 2. q. 35.* 274

Aliter dicendum eſt de voto, quo quis vovit ſe amplius non luſurum, ſub pœna, ut ſi luſerit, non poſſit ab alio abſolvi, vel diſpenſari, quam à Romano Pontifice, nam in hoc ſenſu, tale votum abſolute prolatum, eſt nullum, & irritum. Ita Sanchez, quem refert, & ſequitur Trullench. *ſuprà n. 25.* Quia non eſt integrum huic facultatem Epiſcopis & privilegiatis conceſſum reſtringere. Et idem dic ſi dicat, ut nullus me abſolvat nulluſve mecum diſpenſet, præter Papam, vel præter provincialem, vel generalem, caſu quo fuerit Regularis. Ita cum eodem Sanch. Trullench. ibi. At ſi vovens ita voveat, voveo me amplius nō luſurum ſub pœna, quod ſi luſero, tenear Romam adire, ita ut à nullo alio poſſim abſolvi, niſi à Papa, valide vovet, teneturque Romam ire. Poterit tamen abſolvi, & diſpenſari ab Epiſcopo, quamvis obtenta abſolutione, tenetur ire Romam, nam votum illud triplex votum includit, primum, non ludendi, ſecundum adeundi Romam, caſu quo luſerit, tertium non petendi relaxationem, niſi à Papa, primum eſt validum, non eſt tamen reſervatum, nec tertium, bene tamen ſecundum. Unde Epiſcopus non poteſt in illo 275

diſpenſare,

dispensare, licet possit in aliis duobus, nisi quando hoc votum est pœnale, ut contingit in præsenti, nam vota reservata si pœnalia, aut conditionalia sint, dispensari posse ab Episcopo *infrà* dicemus. Vnde stando in hac sententia, etiam in secundo poterit Episcopus dispensare.

Adverte tamen, quod licet votum non petendi dispensationem, vel irritationem, aut commutationem sit validum; valere irritationem, si petatur, etiamsi nulla adsit causa, quia hoc votum non potest tollere potestatem à superiore ad irritandum, sicque nec peccat superior irritando, quia utitur jure suo, peccat tamen inferior absque justa causa irritationem petendo, quia violat votum factum, non tamen peccat ea utendo, nisi eam voverit illa obtenta non uti, quia tunc etiam ageret contra votum. Quod si votum esset non impetrandæ dispensationis, ex quavis causa legitima, tunc valeret dispensatio ex quavis causa legitima, quia tale votum fuit nullum.

275 An vero ex voto non petendi dispensationem obligetur vovens ad non petendum irritationem, vel commutationem, & è contra, ex voto non petendi irritationem, obligetur ad non petendum dispensationem. Respondeo negative. Ita Palaus *suprà num.* 5. Quia hi modi sunt omnino distincti, nec unus in alio includitur; non enim qui habet potestatem vota commutandi, ea dispensare potest, neque qui potestatem habet dispensandi, ea potest irritare; vel è contra; ergo ex parte objecti, & materiæ promissæ, unum in alio non includitur, sed obligatio voti non sumitur solum ex animo promittentis, nisi talis animus in materia promissa, & objecto exprimatur: ergo quamvis vovens non petere commutationem, vel dispensationem, intenderit nunquam liberari à voto, quia tamen id non expressit, sed solum expressit, non liberari à voto illo modo, censendus est solum hanc voti liberationem sibi interdixisse.

276 Advertendum est secundò: quod in omnibus casibus, in quibus obligat votum, vel juramentum non petendi dispensationem, irritationem, aut commutationem voti, aut juramenti Deo præstiti, aut illis impetratis, non eis utendi, posse prius hujus voti, vel juramenti irritatio, dispensatio, vel commutatio impetrari, & tunc manebit prius votum, ac si hoc posterius non esset emissum. Ratio est quia qui votum fecit non impetrandi dispensationem non se obligavit ad non petendam dispensationem, hujus ultimi voti, quod si etiam vovit, vel juravit non petiturum dispensationem illius voti, quod emisit de non petenda dispensatione, potest eam petere hujus ultimi voti, & sic in infinitum, & deinceps reliquorum. Quando autem petitur dispensatio horum votorum, nequit peti simul utriusque voti, vel juramenti, sed debet prius peti dispensatio de voto non petendi dispensationem, & deinde de aliis. Item potest utrumque votum prælato manifestari, ut ipse ex officio præstet dispensationem, si utiliorem illi esse judicaverit. Ita cum Suario, Sanchez, Palaus, *suprà num.* 5. Trullenc. *suprà num.* 22.

277 Tertiò dubitatur de voto non ascendendi ad Episcopatum, an sit validum. Respondeo validum esse, si recta intentione fiat, hoc est, de non procurando, vel acceptando Episcopatu, vel prælatura, quantum est ex parte voventis, & dummodo utilitas Ecclesiæ, & præceptum superioris non urgeat. Ita cum D. Thom. Soto, Guttierrez, Corduba, Rodriguez, Sanchez, Suario, Layman, Palaus *suprà num.* 7. Trullenc. *suprà num.* 19. Ratio est, quia sic votum conceptum, & viam præcludit ambitioni, & utilitati Ecclesiæ non præjudicat, negari enim non potest Episcopatum, vel aliam prælaturam, ob splendorem honoris, & divitiarum, & animarum regimen, multis periculis esse expositum, ac proinde vovens si propriam utilitatem spectet, commodius, & utilius esse illum fugere.

278 Quartò dubitatur de voto comedendi delicate, assumendi aliquam honestam recreationem, an sit validum? Respondeo negative. Ita cum Sanchez, Lessio, Palaus, *suprà num.* 10. Torre, *quæst.* 88. *art.* 2. *d.* 10. & cum aliis Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 2. *quæst.* 28. Et idem dicunt de voto accipiendi, vel non accipiendi tabacum, & similium actionum naturalium ad vitæ conservationem factarum. Ratio est, quia votum debet esse de meliori bono, non ita ut actus, qui vovetur sit optimus, sed ita ut carentia actus non sit melior, quam ipse actus; sed perfecta vota si fierent, non essent de opere cujus carentia non esset melior, quam actus; nam non ludere, non recreari, melius est quam ludere, si aliàs non detur aliquis specialis casus, in quo ob charitatem proprium vel alienam, vel ob aliquem rectum finem, judicaretur melius recreari, quam à recreatione abstinere, quod raro contingit, vel si alicui magno prædicatori afferret damnum ejus memoriæ usus tabaci, & ipse voveret non illo uti, ut posset melius concionari. Nec obstat quod recreari aliquando sit actus virtutis Eutropeliæ, nam non omnis actus virtutis est quid melius, licet aliàs sit quid honestum, ad votum autem requiritur quod sit de meliori bono. Adverte tamen, quod si quis voveret se moderatè lusurum, vel cibum sumpturum, casu quo has actiones exerceat, valere tale votum, quia vovens melius vovet. Ita cum Suario, Layman, Palaus *suprà num.* 10.

279 Quintò dubitatur de voto serviendi perpetuo in Hospitali, an sit validum? Respondeo affirmative. Ita cum communi sententia Palaus *suprà num.* 11. Melius est enim servire Hospitali, quam non servire. Nec per hoc impeditur ingressus religionis, quia in hoc, & similibus votis, semper intelligitur inhibita conditio, nisi perfectius elegero, ut patet in eo, qui vovet ingredi religionem laxiorem.

280 Sextò dubitatur, an si quis voveat castitatem, tantum intendens vitare actus externos, non vero internos circa illam, tale votum sit validum? Negat cum Sanchez, Palaus *tract.* 15. *d.* 1. *p.* 11. *num.* 10. quia tale votum est de re impossibili; nam cum actus externus habeat malitiam ab actu interno, emisso voto de vitando actu externo, non potest excipi actus internus. Verum contrariam sententiam probabiliorem existimo. Ita Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 4. *quæst.* 5. Ratio est, quia ille actus externus, non solùm est peccatum prout constat actum internum, sed etiam prout constat voluntatem libere operantem, unde ille actus externus est vere peccatum, & voventi melius est, etiam posito actu desiderij voluntatis, re ipsa, v.g. non fornicari, quam fornicari, ergo tale votum est validum. Adverte etiam, quod si vovens vitare actus externos fornicationis, v.g. non adhibuit expressam intentionem excipiendi actus internos, teneri vitare etiam omnes actus internos, quia directe opponuntur fornicationi. Ita cum Vasquio, Tancred. *suprà.*

280 Septimò dubitatur, an votum contrahendi matrimonium sit validum? Omnes DD. conveniunt tale votum absolute sumptum esse invalidum, quia excludit virginitatem, & cœlibatum, qui est actus

282 perfectior. Conveniunt etiam tale votum esse validum, si alias matrimonium esset in præcepto, quale esset, si quis violasset puellam sub fide data de contrahendo matrimonio, vel si speraret bella inter principes Christianos cessatura, vel multos infideles ad fidem convertendos, ob suum matrimonium; nam tunc votum non impedit meliorem statum, sed vovent em aliunde impeditum, & obligatum firmiorem reddit. quod honestissimum est; quid enim honestius esse potest, quam divinorum præceptorum observatio. Vnde controversia tantum est, inter Doctores de triplici casu. Primò si fiat animo contrahendi, sed religionem petendi. Secundò si fiat in remedium frequentis lapsus, & depravatæ consuetudinis peccandi. Tertiò si fiat causa pietatis, qualis reperitur ducendo pauperem vel meretricem.

283 Dico primò: casu affirmat Sotus, tale votum validum esse, tum quia tale votum non impedit perfectiorem statum, siquidem relinquit liberum religionis ingressum, quod à fortiori sequitur, cum ex parte utriusque votum castitatis emissum est, tunc enim nec cœlibatus impeditur eo voto, aliàs sanctissima Virgo, & Beatus Joseph, non recte in matrimonio contrahendo processissent. Sed omnino dicendum est tale votum invalidum esse. Ita cum Sanchez, Suario, Layman, Palaus *suprà num.* 12. Ratio est quia matrimonij contractus constituit contrahentem in periculo violandi castitatem, & recedendi à statu cœlibatus: ergo non est gratior Deo, quam illius carentia, non enim gratius esse potest, quod viam perfectionis difficiliorem reddit, quod periculum cum in Beata Virgine, & Sanct. Joseph, abesset, & eorum matrimonium in altissimos fines à Deo dirigeretur, viam perfectionis non percussit, nec difficiliorem reddidit; quod à fortiori dicendum est quando ex parte utriusque datur votum castitatis.

284 Gravior est difficultas in secundo casu, quando quis se sentit ita fragilem, & ad carnis peccata proclivem, ut vix contineri possit, an tunc votum de matrimonio contrahendo validum sit? Affirmant Cajetan. Navarr. Valent. Azor. Toletus, Sanchez, quos refert Palaus *d.* 1. *de voto p.* 8. §. 5. *num.* 14. Verum contraria sententia verior est, hanc tenet cum Soto, Aragonio, Suario, Lessio, Conincho, Layman, Palaus, *suprà num.* 14. Ratio est, quia matrimonium ea sola ratione voventi utilius esse potest, quam cœlibatus, quatenus est medium ad tentationes temperandas, & lapsus excusandos, sed non est unicum medium, cum sint plura divinæ voluntati gratiora, ergo si quis uti voluerit, non obligabitur medium matrimonio assumere; ergo solum obligari poterit casu, quo nolit aliis remediis uti, quæ est solum quædam conditionalis obligatio, quam pro sua voluntate potest infringere; per quod solvuntur omnia argumenta, quæ afferri poterant; dicimus namque quod licet matrimonium sit medium satis proportionatum ad carnis tentationes temperandas, etiam oratio, jejunium, & aliæ pœnitentiæ, sunt ad hunc finem maximè proportionatæ. Vnde tunc solum matrimonij præceptum urget, quando quis, vel non potest uti talibus remediis, vel nolit, ut notant prædicti DD.

Dices votum de non contrahendo matrimonio, vel servandæ castitatis in proclivi ad venerem est nullum: ergo votum ineundi matrimonium in proclivi ad venerem erit validum. Respondeo probabile satis esse votum non nubendi, vel servandi castitatem in proclivi ad venerem, & qui peccet sæpissime, ita ut prudentum, & piorum consilio, attentis omnibus circumstantiis, sit huic melius nubere, esse nullum, nam suppono castitatem huic, non esse melius bonum, & cum votum sit personale essentialiter exigens consensum voventis, & materiam aptam, quæ sit de meliori bono suo contradictorio, non potest dici, quod hic homo obligetur voto servandæ castitatis, ex hoc ipso quod materia possit esse alteri melior, & non ipsi, vel ex hoc ipso, quod sit melior respectu totius Ecclesiæ, & ita tenent Valentia, Ledesma, Bonacina, Homobonus, Trullenc. Martinus à Sancto Joseph, quos refert, & sequitur Tancred. *tractatu* 3. *d.* 2. *quæstione* 3. Leander *tomo* 2. *de Sacrament. tractatu* 9. *d.* 23. *quæstione* 3. Inde tamen non fit, votum ineundi matrimonium in proclivi in venerem esse validum, siquidem potest aliis mediis hæc proclivitas vinci, ut supra diximus, in casu tamen, quo talis sit persona, ut attenta complexione, & inclinatione, ejus, judicetur prudenter, melius illi esse nubere, quam conari aliis remediis ad servandam castitatem, tenetur præcisè ad servandum votum ineundi matrimonium, sicut non tenetur ad votum non nubendi, vel servandæ castitatis. Ita cum Lessio, Palao, Sanc. & aliis Tancred. *de voto tract.* 3. *d.* 2. *quæst.* 29.

De tertio casu, certa res est, votum absolute 285
sumptum ducendi pauperem, vel meretricem titulo pietatis, & misericordiæ invalidum esse. Ita cum Sanchez, Suario, Layman, Palao, Trullenc. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 14. Raphaël de la Torre, *quæst.* 88. *art.* 2. *d.* 9. *numero* 1. Ratio est, quia hujusmodi titulus, non excusat quin res promissa excludat à vovente statum perfectiorem, & continentiam Deo gratiorem. Adverte tamen, quod si hoc votum non absolute sumatur, sed conditionaliter, scilicet hac forma, casu quo ducam, pauperem, vel meretricem, validum est, quia ex vi illius non obligatur vovens ad matrimonium, sed matrimonio ex sua voluntate assumpto, obligatur ad perfectissimum usum ipsius. Ita fere omnes Doctores citati.

Solum est dubium, An votum factum sub hac 286
forma absoluta, promitto Deo me ducturum puellam pauperem, habeat prædictum sensum conditionatum, si aliquam ducturus sum, promitto ducere pauperem? Affirmat Suarez, quem refert Palaus *suprà num.* 15. Movetur, quia sic vovens intendit se obligare quantum potest; cum ergo non possit se obligare ad matrimonium absolute, censendus est voluisse se obligare sub conditione. Sed probabilius est ad nihil manere obligatum. Ita Palaus, Sanchez, Coninchus, Bonacina, Layman, quos refert, & sequitur Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 2. *quæst.* 31. Ratio est, quia verba voti sunt absoluta, ergo dum de conditionata voluntate non constat, sine fundamento in sensu conditionato explicantur, præcipue cum obligatio voti affirmari non debeat, nisi de illa dare constet.

Octavo dubitatur, de hoc voto, promitto me 287
nullam aliam religionem ingressurum, nisi hanc, promitto non restituturum, nisi flexis genibus. Promitto non dare eleemosynam minorem decem aureis. An inquam hæc vota valida sint? Affirmat Sanchez, *libro quarto, de voto capite octavo, numero* 47. Movetur quia hoc votum est conditionatum obligans ad rem præfatam, scilicet ad ingressum religionis, ad eleemosynam, & cætera, & licet alia bona excludat, id est, consequenter, & non directe. Vtrum probabilius est, illa vota

esse

eſſe nulla. Ita Palaus *ſuprà numero* 16. & probabile putat Sanchez ibi. Ratio eſt, quia hæc vota ad ſummum faciunt hunc ſenſum conditionatum, ſi aliquam religionem ingrediar, promitto hanc aſſumere, &c. Sed in hoc ſenſu conditionato tacite, & indirecte promittitur materia voti inepta, ita ut ab hac materia inepta non poſſit promiſſio ſeparari: ergo illa vota invalida ſunt; minor probatur, nam in illo voto non ſolum promittitur ingreſſus in hanc religionem, ſed etiam promittitur non ingreſſus in aliam, nec ſolum promittitur Eleemoſyna decem aureorum, &c. ſed etiam nulla alia major, aliàs non eſſet peccatum ingredi aliam religionem, eleemoſynam minorem dare, & orationes fedendo recitare, ſed quoties materia apta voto cum inepta conjungitur, ita ut ex intentione voventis ſint inſeparabiles, votum non tenet, ergo. Deinde hæc vota retrahunt ab operibus bonis abſolutè, & totum ſub conditione pendente à propria voventis voluntate obligant ad opus perfectum, ergo non cedunt in Dei obſequium, nec voventis utilitatem, per quod patet ad fundamentum contrarium.

288 Illud tamen optimè advertit Sanchez *ibi n.* 48. valida eſſe vota, ſi negatio excluderet materiam voti ineptam, ut ſi quis promitteret, non recitare niſi attente, non dare eleemoſynam, niſi ex recto fine, quia per hanc negationem excludit recitationem ſine attentione, eleemoſynam ex ſiniſtro fine, quod eſt bonum.

SECTIO XIV.

Utrùm emiſſio voti, illuſque executio, ſit actus à Religione illicitus?

SUMMARIUM.

289 *Votum eſt opus laudabile meritorium.*
290 *Votum elicitur a virtute religionis.*
291 *Executio voti imperatur à virtute religionis.*

289 VOtum eſſe opus laudabile, & meritorium nemini dubium eſſe poteſt, quia & Deum honorat, & voventem in bono firmat; ex quo fit melius eſſe facere aliquid ex voto, quam ſine illo, nam factum ex voto fit ex affectu Religionis, & licet ex diminutione libertatis, meritum diminuatur, non minuitur tamen ex voti obligatione, quia obligatio voti non minuit libertatem indifferentiæ, ſed tantum tollit libertatem ab obligatione, aliàs præcepta tollerent libertatem, privare autem ſe libertate ab obligatione, propter Deum, maximè laudabile eſt, & meritorium. Vide Raphael de la Torre *queſt.* 88. *art.* 6. *num.* 7. His ſuppoſitis,

290 Dico primò: Emiſſio voti elicitur à virtute Religionis. Ita cum D. Th. Suario, Palaus, *d.* 1. *de voto p.* 9. *num.* 2. Ratio eſt, quia ea, quæ Deo promittimus, eo fine promittimus ut eum honoremus, quia ea promittimus, eo quod ei bona ſint; non poſſunt autem ei eſſe bona, niſi quatenus in ejus honorem cedunt: ergo neceſſario in promiſſione Divinus honor ſpectatur: ergo eſt actus à Religione emiſſus.

291 Dico ſecundò: Executio voti imperatur à virtute Religionis. Ita præcitati DD. Ratio eſt, quia executio promiſſi ex obligatione promiſſionis à promiſſione ipſa imperatur, elicitur à virtute illa, ad quam actus promiſſus pertinet, quia promiſſio non mutat honeſtatem rei promiſſæ, ſed illa ſuppoſita Deo in illius cultum refert; promittit namque vovens promiſſum exequi, ſecundum ſuam rationem, & honeſtatem; verbi gratia, in promiſſione jejunij, & caſtitatis, promittitur temperantiæ actus; ergo executio promiſſi, ab illa virtute elicitur, ad quam aliàs promiſſum pertinet, tametſi à Religione imperetur, quod fit, quoties quis exequitur promiſſum ex animo, ut votum impleatur.

SECTIO XV.

Quotuplex ſit votum?

SUMMARIUM.

291 *Votum aliud eſt perſonale, aliud reale, aliud mixtum.*
293 *Votum aliud eſt expreſſum, aliud implicitum.*
294 *Votum aliud eſt ſolemne, aliud ſimplex.*
295 *Votum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum.*
296 *Votum aliud eſt commune, aliud privatum.*

DIco primò: Votum aliud eſt perſonale, aliud reale, aliud vero mixtum; Perſonale eſt, quod ſolum impleri poteſt ab ipſo vovente, ut ſi quis voveat caſtitatem; Reale eſt, quo aliqua res extranea promittitur, ut ſi quis voveat eleemoſynam. Mixtum eſt illud quod partim eſt reale, partim perſonale, ut ſi quis voveret ire Romam, & ibi dare Eccleſiæ D. Petri centum aureos. 291

Dico ſecundò: Votum aliud eſt expreſſum, aliud implicitum. Expreſſum eſt, quod fit verbis expreſſis, ut voveo caſtitatem. Implicitum, ſeu tacitum, eſt quod fit cum aliquid aliud ſuſcipitur, quod votum requirit, vel cui annexum eſt votum, quale eſt votum quod emittunt, qui ordinantur ordinibus ſacris. 293

Dico tertiò: Votum aliud eſt ſolemne, aliud ſimplex: votum ſimplex conſiſtit in nuda promiſſione, ideoque ſimplex appellatur. Solemne vero conſiſtit in quadam actuali dedicatione, & traditione proprij corporis, & libertatis acceptatæ ab eo, qui vicem Dei tenet, cum quadam ſolemnitate, qualitate, juris formula, & circunſtantijs ab Eccleſia approbatis, quale eſt votum religionis approbatæ emiſſum in illius profeſſione, & votum caſtitatis emiſſum in ordinum ſuſceptione. 294

Dico quartò: Votum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum. Abſolutum eſt, quod omni caret conditione, ut voveo jejunium. Conditionale eſt, quod ſub certa conditione, & modo emittitur, ut ſi quis voveat caſtitatem, ſi infirmitatem evaſerit. Rurſus conditionale aliud eſt pœnale, aliud vero non pœnale, ſed merè conditionale; votum mere conditionale eſt, cui ponitur aliqua conditio, nulla tamen adjecta pœna, ut ſi incolumis evaſero hoc periculum, voveo caſtitatem. Votum vero conditionale pœnale eſt, quando quis vovet aliquid in pœnam delicti, ſi fortè in illud inciderit, quod bifariam fieri poteſt: primo ſi quis tantum voveat pœnam delicti, non tamen ejus evitationem, ut ſi luſero Religioſus fiam, & hoc modo factum, votum eſt verum, & ſimplex votum conditionale pœnale, unde quando luſerit non violat votum, ſed purificatur conditio, & fit votum abſolutum. Secundò, ſi quis voveat pœnam in eventu delicti, & ſimul evitationem delicti ut voveo non amplius ludere, & ſi luſero, dabo talem eleemoſynam, in quo 295

caſu duo vota continentur, alterum abſolutum, de non ludendo, & alterum conditionale pœnale de danda eleemoſyna, unde ſi luſerit, violat primum votum, & aliud manet abſolutum, & purificatur conditio.

196 Demum votum aliud poteſt dici commune, ut quando fit à tota communitate, aliud privatum, quod ſcilicet fit à privata perſona; deinde votum aliud eſt reſervatum, aliud vero non, dicitur autem reſervatum, aut non reſervatum, quatenus ſuperior denegat, ſeu concedit facultatem diſpenſandi. Alias diviſiones aſſignant DD. de quibus vide Palaum *diſp. 1. punct. 10. de voto* Sanchez *lib. 4. c. 15.* & alios.

SECTIO XVI.

Quæ, & qualis ſit voti obligatio?

SUMMARIUM.

197 *Votum obligat ſub peccato.*
298 *Hæc obligatio voti ex genere ſuo eſt ſub mortali.*
299 *Poteſt eſſe mortalis ex inadvertentia.*
300 *Poteſt eſſe venialis, etiam circa rem gravem ex intentione voventis, qui tantum ſe voluit obligare ſub veniali.*
301 *Poteſt eſſe venialis ex levitate materiæ.*
302 *Unde levitas materiæ deſumenda ſit?*
303 *An graviter peccet qui ſæpe violat votum de materia levi.*
304 *An qui plura vota faciendi rem levem in eadem die emittit, ſi ea omnia non adimpleat peccet mortaliter?*
305 *Quod peccatum committat violans votum?*

197 DIco primo: Certum de fide eſt votum obligare ſub peccato ad illius executionem. Nam ſi fides data hominibus obligat ſub præcepto, à fortiori facta Deo; obligat autem ex virtute fidelitatis, quæ comparatione Dei eſt vera religio, colitur namque Deus, & honoratur ſervando quod illi promiſſum eſt, & licet in promiſſionibus humanis ratio cultus raro, aut nunquam conjungatur per ſe loquendo; at in promiſſione facta Deo inſeparabilia ſunt promittere, & colere, nam cum promiſſio neceſſario fiat ad promiſſarium de aliquo ei utili, & Deo nihil ei utile dare poſſimus, niſi honorem, & cultum, hoc ipſo quod aliquid promittimus Deo, ex fidelitate ei obligamur reddere cultum, & honorem.

298 Dico ſecundo: Hæc obligatio voti ex ſuo genere gravis eſt, quia grave eſt, Deo fidelitatem præſtare & cultum debitum exhibere. Sic tenent omnes DD. explicantes in hunc ſenſum verba Pauli 1. *ad Timot. 5.* habentes dominationem, quia primam fidem irritam fecerunt, & diffinitur ab Innocentio III. *in cap. licet de voto.* Dixi ex genere ſuo obligationem gravem eſſe, quia ex triplici capite poteſt excuſari à peccato mortali, & eſſe tantum veniale.

299 Primum eſt inadvertentia, de qua quoad hunc effectum idem eſt dicendum in hac materia, ac in aliis, & tanta poteſt eſſe inadvertentia, ut ab om-
300 ni peccato excuſet. Ita communiter DD. Secundum eſt contraria intentio voventis, nam hæc, etiam ſuppoſita materiæ gravitate, poteſt votum limitare ad ſolam culpam venialem. Ita cum Suario, Sanchez, Villalobos, Bonacina, Trullenc. *lib. 2. decalogi cap. 2. d. 12.* Palaus *ſupra num. 4.* contra Sotum, Vaſquium, quos refert Palaus *d. 1. p. 11. num. 3.* Torre *quæſt. 88. art. 5. d. 6. num. 4.* & contra Tancredum *tract. 3. d. 4. quæſt. 2.* qui ait tale votum eſſe omnino nullum, quia velle ſe Deo obligare in materia gravi, & nolle ſe graviter obligare, eſt idem ac nolle vovere. Ratio tamen noſtræ reſolutionis eſt, quia votum eſt quædam lex privata, ſed lex in materia gravi poteſt leviter obligare, ergo votum leviter obligare poteſt, etiam in materia gravi; ſicut enim ex intentione legiſlatoris naſcitur obligatio legis, ita ex intentione voventis, obligatio voti, & juxta ejus intentionem commenſurari debet.

De tertio capite: An ſcilicet ex levitate materiæ 301
poſſit votum leviter obligare, communiter affirmant DD. apud Palaum *ſupra num. 6.* omnibus namque præceptis commune eſt obligationem ex ſuo genere gravem, fieri venialem ex levitate materiæ. Unde ſolum eſt difficultas, quando tota materia voti eſt levis, an tunc tranſgreſſio voti ſit peccatum mortale an veniale? Cajetanus, Navar. & Corduba quos refert, Torre *quæſt. 88. art. 5. d. 5. num. 6.* exiſtimant, quod licet tranſgreſſio voti, ſit veniale ratione parvitatis materiæ, quando pars levis materiæ gravis omittitur, aliter tamen dicendum exiſtimant, quando tota materia voti levis erat, v. g. recitandi ſalutationem angelicam.

Verum contraria ſententia communis eſt. Ita Pa- 302
laus, Bonacina, Villalobos, Sanchez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *p. 7. tract. 7. reſol. 5.* Immo *d. 4. de voto quæſt. 3.* exiſtimat tale votum eſſe nullum. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia ſi prælatus, vel confeſſarius præcipiat aliquid leve, obligatio eſt tantum ſub veniali: ergo idem dicendum eſt de voto de re levi, etiamſi vovens habeat intentionem ſe obligandi ad mortale. Tum quia promiſſio humana de re levi, tantum obligat ſub veniali, eſto promiſſio humana ex genere ſuo obliget ad mortale, ut aliqui volunt; & idem contingit in contractibus promiſſariis, quos ex genere, & ſpecie juſtitiæ obligare ad mortale certum eſt: ergo idem dicendum eſt de promiſſione, quæ fit Deo, non enim eſt Deus magis rigidus exactor quam homo.

Si tamen quæras unde hæc levitas materiæ deſu- 303
menda ſit? Reſpondeo ex duplici capite. Primo ex magno, vel exiguo honore, qui redundat in Deum ex adimpletione voti. Secundo ex comparatione ad legem, & præceptum eſt materia, quæ ſi præciperetur à lege, vel præcepto ſufficeret ad mortale, hæc etiam ſufficit ad votum. Secus ſi tantum obligaret ad veniale. Hinc votum ſumendi Euchariſtiam, miſſam audiendi, confitendi, obligat ad mortale, quia de his & dari poteſt lex, & præceptum, & cedunt in gravem Dei honorem. Secus vero dicendum eſt de voto confitendi venialia, recitandi ter orationem angelicam; in voto verò dandi Eleemoſynam ſi vovens intendit levare pauperis miſeriam, illa erit gravis materia, quæ talis eſt in furto, ſi verò vovens reſpexit cultum Dei, tunc ex gravitate cultus omiſſi ſumitur materiæ gravitas. Unde qui vovit ſacrum, graviter peccat, ſi ſacrum dicere non præcipiat.

Sed quæres an graviter peccet, qui ſæpius vio- 304
lat votum de materia levi, v. g. vovit quis quotidie recitare orationem angelicam ſæpiſſime omittit recitare; vel promiſit levem eleemoſynam quotidie, quam etiam ſæpe omittit? Reſpondeo quod ſi hæc vota ſint in honorem Dei, & temporis, tunc non eſt mortale etiam ſi ſemper omittantur, quia

ſingulorum

Digitized by Google

singulorum dierum lapsu extinguitur obligatio pro illis diebus, ac proinde materia illa vota continuari nequit, & peccata venialia, nisi eorum materia continuari possit, nunquam efficiant unum mortale neque propositum illa committendi potest esse mortale. Ita cum Sanchez, Bonacina, Villalobos, Trullenc. *suprà num.* 7. Torre *suprà num.* 7. Diana *p. 2. tract. 5. resol.* 24. At si vota non sint facta in Dei honorem tantum sed dies seu terminus appositus sit, ne ultra illum voti executio differatur, si per multos dies omittatur, erit peccatum mortale; nam materia promissa, lapsu temporis non extinguitur, sed continuatur, ac proinde, cum materia gravis fuerit, erit peccatum mortale, ut patet in furto rei levis: ita cum Suario, Sanchez, Bonacina, & aliis, Trullenc. *suprà n.* 17.

304 Sed quæres quid dicendum sit de eo qui multa vota emittit pro eadem die recitandi pro singulis votis unam orationem angelicam, vel dandi aliquam levem eleemosynam, sed postea singula vota prætermittit, quæ omnia simul sumpta materiam notabilem continerent? Respondeo peccare mortaliter. Ita cum Bonacina, Sanchez, Trullenc. *suprà num.* 19. Ratio est, quia violat præceptum Religionis in materia gravi, nam illa vota sunt ejusdem rationis, & obligant pro eodem tempore ex virtute religionis, sicut qui magnam pecuniæ summam diversis promissionibus pollicitus est, sed modicam in singulis promissionibus, peccat mortaliter si promissis non stet, quia facit contra justitiam in re gravi: ergo idem dicendum est de pluribus illis votis violatis.

305 Sed quæres quod peccata committat violans votum? Respondeo votum de re alias non præcepta, solum obligationem fidelitatis includere; quantumvis vovens intendat per votum habere rectitudinem virtutis materiæ promissæ. Ita cum Suario, Palaus, *suprà num.* 8. & cum Cajetano, Soto, Aragonio, Trullenc *supra num.* 13. contra Sanchez, & Valentiam; quos ibi refert Palaus putantes committi duo peccata; quando votum sit cum speciali affectu ad virtutem ad quam pertinet materia promissa. Ratio nostræ resolutionis est, quia vovens quantumvis afficiatur ad materiam promissam, non potest illius habendæ aliam obligationem sibi imponere, nisi quatenus Deo illam promittit; sed ex hac ratione solum nascitur obligatio naturalis fidei servandæ, absque speciali obligatione ad materiam, illam enim accidentaliter respicit: ergo ex vi voti tota est obligatio fidelitatis.

SECTIO XVII.

Quæ personæ voto obligari possint.

SUMMARIUM.

306 *Pueri ante usum rationis de jure naturæ vovere valide non possunt.*

307 *Votum solemne religionis nullum potest validè emittere, nisi post. 16 annum.*

308 *Omnia vota Religiosorum, filiorum impuberum, uxorum, servorum de materia majus bonum non impediente sunt valida.*

309 *Omnia vota Religiosorum in illis, in quibus subsunt superiori sunt nulla.*

310 *Vota realia, seu mista filiorum, vel servorum, aut Religiosorum, si ad illa necessarij sint sumptus &c. sunt irrita.*

311 *Votum religiosi impuberis, servi, & uxoris de re absolute illis interdicta est nullum.*

312 *Quid si quis voveat cum conditione si prælatus consentiat?*

313 *Quædam corollaria ponuntur.*

314 *An si quis prohibitus sit vovere absque superioris licentia votum factum de materia alias apta sit validum.*

Dico primo: jure naturæ non possunt valide 306
vovere pueri ante usum rationis, sicut nec phrenetici, aut amentes, ut ex se patet; item votum solemne religionis nullus potest emittere, sive vir, 307
sive fœmina, ante 16. annum. Ita definitum est in Tridentino *sess. 25. cap. 5. de regular.* præter autem casum nullus alius datur, in quo Ecclesia fideles suos inhabiles ad vovendum reddat. Ita cum communi sententia Palaus *d. 1. de voto p. 19. n. 3.* Quapropter quælibet vota facta ab Episcopis, & clericis beneficiatis, de materia alias honesta, neque Ecclesiæ præjudiciali, valida sunt, & omnino firma. Item omnia vota Religiosorum, filiorum im- 308
puberum, uxorum, servorum, de materia majus bonum non impediente, quia horum subjectio non impedit vovendi potestatem, relinquit tamen illam infirmam. Unde talia vota semper intelliguntur, nisi prælatus contradixerit, & sic de servis, & filiis &c. ut recte notavit Torre *quæst.* 88. *art.* 8. *d. 1. num.* 10. quamvis non desint Authores qui probabiliter dicunt, omnia vota Religiosorum, in 309
illis, in quibus subsunt superiori esse ipso jure irrita, ac per consequens non teneri subditum postulare licentiam à prælato. Et ratio illorum est, quia melius est religiosis non facere opera laudabilia, sine consensu prælati, quam illa facere: ergo melius est religiosis hic, & nunc non vovere, quam vovere sine consensu prælati. Ita Valentia, Angelus, Rosela, Palud. Hostiensis, Gordonus, quos refert, & probabile putat Tancred. *tract. 3. de voto d. 3. quæst. 15.*

Hinc fit voto realia, sive mixta servorum, vel 310
filiorum, aut Religiosorum, ad illa implenda sunt necessarij sumptus, peregrinatio, vel aliud quidpiam, quod potestatem parentum, dominorumve perturbet, irrita esse. Idem dicendum est de votis amborum conjugum, si aliquo modo impediant debiti solutionem, ut si voveat castitatem, peregrinationem, aspera jejunia &c. Si tamen ex tali jejunio, vel peregrinatione nullum præjudicium in debiti solutione fiat uxori, validum est votum. Ita communiter DD. apud Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 11. num. 3.*

Secundo fit votum Religiosi, impuberis, uxoris, 311
servi de materia absolute illis interdicta nullum esse, non quia ad vovendum sint incapaces, sed quia materia talis voti incapax est obligationis, quod de voto rei interdictæ, quia mala, certissimum est. At de voto rei interdictæ quia sic rectæ gubernationi convenit, non caret difficultate. Nihilominus dicendum est neque de hac materia regulariter valere votum ex incapacitate materiæ. Nam licet talis materia per dispensationem possit reddi licita, & non contra præceptum superioris, at regulariter melius est tali dispensatione non uti, melius namque est legi generali confirmari, quam ab illa per dispensationem eximi, quod verum est, non solum quando regula, & mandatum obligat ad culpam, sed etiam quando ad nullam culpam per se obligat.

Quæres tamen an in casu, quo quis vovet rem 312
prohibitam quoad modum, subintellecta conditione, si prælatus consenserit, teneatur hujusmodi licentiam

Digitized by Google

centiam petere? Respondeo affirmativè, quia promissum absque illa licentia, materia voti non est: ergo ut materia voti sit, illa licentia sub re promissa continetur: ergo etiam continetur promissio illius, utpotè medium moraliter necessarium ad eam obtinendam.

Neque obstat voventem sub conditione deobligatum esse procurare conditionem, sed satisfacere, si expectet illius adventum. Respondetur namque, hoc fallere cum conditio apponitur, ut honestans materiam promissam qualiter in casu præsenti, item cum conditio in alterius voluntatem remissa à voventis actione pendet, ut si quis promiserit Religionem sub consensu parentis, debet parentum consensum explorare, aliàs irrisorie voveret, si ad hæc obligatus non esset. Ita cum Suario, Sanc. Layman, Palaus, *suprà num.* 8. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 12. §. 5 *n.* 6.

313 An verò teneatur subditus cum petit licentiam, votum manifestare prælato? affirmant Valentia, Azor. Lessius, quos refert Palaus, *suprà n.* 9. Sed contrarium probabilius censeo. Ita cum Navarro, Suario, Sanch. Layman, Palaus *suprà num.* 9. Tamburinus *suprà n.* 7. Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 3. *qu.* 17. Ratio est, quia ex vi voti, vovens solum fuit obligatus licentiam petere, ad petitionem autem licentiæ, illiusque concessionem, non est necessaria voti manifestatio, siquidem cessante voto, peti, & concedi licentia poterat. Nec obstat facilius licentiam obtinendam fore, si votum prælato manifestaretur, quia ad hanc facilitatem præstandam, se non obligavit vovens.

314 Hinc fit votum uxoris, filiifamilias, & servi Eleemosynæ præstandæ, si sit de bonis parentis, mariti, aut domini, obligare sub ea conditione, si pater, maritus, vel dominus, ea sic alienanda permiserit; quia sub ea conditione promissum, honestum est, neque majoris boni impeditivum. Idem dicendum est de religiosis, si faciant votum, dandi eleemosynam de his, quorum administrationem habent, si excedat facultatem, quam habet prælatus immediatus ad aliquas res alienandas, nam tunc tale votum subintellecta licentia, si superior consentiat validum est. Et idem dicendum est de aliis religiosis, etiamsi nullam rerum habeant administrationem, namque tale votum solum illos obligat ad petendam licentiam à prælato, ad eam erogandam. Palaus *suprà num.* 10.

Secundò fit votum Episcopi de Religione assumenda, validum esse, si fiat cum conditione si Pontifex consentiat, est namque prohibitum Episcopo Religionem ingredi, absque Pontificis licentia *cap. nisi cum pridem.* Secus dicendum est de aliis parochis, & beneficiatis residentiam requirentibus: nam hi absque Episcopi licentia possunt ingredi Religionem. Ita cum Sanchez, & aliis Palaus *suprà n.* 13. nullus enim de hoc invenitur textus, talem ingressum prohibens. Nam textus in *cap. licet*, loquitur de Religiosis transeuntibus ad strictiorem Religionem, & textus in *cap. admonet*, loquitur de dimissione beneficij, extra casum Religionis à jure concessum.

Tertiò fit votum peregrinationis, tam Episcoporum, quam parochorum, extra tempus, quo illis permittitur non habere residentiam, esse nullum, quia est de re absolutè prohibita, & est majoris boni impeditivum, unde etsi fiat cum conditione, si prælatus dispenset, est omnino nullum. Ita cum Azor. Sairo, Palaus, Tancred. *tract.* 3. *d.* 3. *qu.* 4. valet tamen votum peregrinationis, si fiat pro illis mensibus, quibus non tenetur Episcopi, vel parochi residere, nam tunc præmittitur illis à suis Ecclesiis abesse, & idem dicendum est de aliis clericis, qui residentiam non tenentur habere.

Sed quæres, an si quis prohibitus sit vovere 315
absque superioris licentia, votum factum aliàs de materia apta, sit validum? Respondeo affirmativè. Ita cum Suario, Sanchez, Layman, Palaus, *suprà num.* 11. Ratio est, quia etsi modus promittendi malus sit, promissio, quoad rei promissæ obligationem tenet, & à Deo acceptatur, quia ad hunc effectum tota honestas rei promissæ spectatur. Excipiendum est, nisi illa prohibitio esset simul irritatio, quam non omnes superiores facere possunt, sed illi tantum, qui dominativam habent potestatem, & ratione illius, promissionibus faciendis valent contradicere, & factas infirmare, de quibus *infrà.*

SECTIO XVIII.

Pro quo tempore votum obliget, ad sui executionem.

SUMMARIUM.

316 *Votum aliquando dicitur positivum aliquando negativum.*

317 *Votum qui determinat tempus pro sui impletione eo tempore debet impleri.*

318 *Votum in quo non determinatur tempus obligat ad quamprimum vovens potuerit moraliter.*

319 *Aliqua corollaria ponuntur.*

320 *Quæ dilatio in votis peccatum mortale constituat.*

PRo explicatione hujus sectionis notandum est, 316
de la Torre *qu.* 88. *art.* 3. *d.* 8. quod licet votum ex parte voventis semper si affirmativum, cum sit promissio Deo facta, ex parte tamen objecti, aliquando potest dici negativum, ut quando quis vovet non efficere aliquam actionem, aliquando vero affirmativum, ut quando vovet facere aliquam actionem; Unde votum, quo quis vovet non facere aliquam actionem, ita obligat ut nunquam liceat facere talem actionem, in quo æquiparatur præcepto negativo; Affirmativum vero semper dicitur obligare, quia semel sumpta obligatione aliquid agendi non cessat, sed dicitur non obligare pro semper, sicut præceptum affirmativum, quia non in qualibet parte signata, illius temporis necessario implendum est.

Deinde adverte, non esse dubium in præsenti de 317
voto affirmativo, cujus impletio ex voventis intentione determinatur usque ad tale tempus, de hoc enim voto certum est non obligare ad ejus impletionem, nisi intra illud tempus præfixum, neque de voto ad cujus impletio ex eadem intentione voventis obligat ad statim, sed sermo in præsenti est de voto absoluto, in quo non fit mentio, neque temporis præfixi, neque statim, ut v. g votum ingrediendi Religionem, dandi Eleemosynam, sine alio addito, quo scilicet tempore obliget ad sui impletionem?

Dico primò: hujusmodi vota obligant ut quam- 318
primum commode fieri possit. Ita cum communi sententia Torre *suprà numero* 4. & sumitur ex illo Deuteronomij 23. cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere. Ratio vero est, quia si debita quibus erga homines tenemur sunt solvenda, quam primo debitor commode possit, nisi

præfixum

præfixus sit terminus ad persolvendum, multo fortiori tenebimur debita Deo quam primo solvere.

Dixi quam primò quomodo potest moraliter, nam non tenemur sub mortali adimplere votum statim metaphysicè, sed statim moraliter, id est, data opportunitate, & occasione, juxta prudentis arbitrium, hoc enim temperamento judicandum est se voluisse voventem obligare, & non aliter, *juxta*
319 *l. quod dicimus, ff. de solutionibus.* Ex quo fit occasionem rationabilem esse differendi voti executionem, si spes subsit, quod utilius ea dilatione posita, votum quis executurus sit. Vnde si ad Religionis labores sustinendos quis satis idoneus non sit, sperat autem fieri, si differat ob literarum eruditionem, quam in Religione æquè obtinere non potest. Item si parentes ægre ferunt filij religionis ingressum, sperat autem dilatione temperandos, cum hac tamen advertentia, votum ingrediendi religionem, & serviendi perpetuo in hospitali, minori tempore differendum esse, quam votum dandi eleemosynam, vel quid simile, quia hoc votum, Eleemosynæ dilatione non minuitur, ut fit votum ingrediendi religionem, cum minori tempore vovens Deo obsequatur, quo votum differtur.

320 Quæ autem dilatio in votis peccatum mortale constituat? variant DD. Palaus in voto Religionis dilationem sex mensium post natam opportunitatem illud exequendi putat esse notabilem *d. 1. p. 13. n. 7.* illum sequitur Sanchez, quem refert, & sequitur Trullenc, *in Decalogum lib. 2 cap. 2. dub. 13.* contra Ledesmam, Armillam, Manuel. quos ibi refert Palaus, qui putant dilationem duorum, vel trium annorum in voto Religionis, absque periculo oblivionis, vel majoris dilationis, non esse mortale, quibus assentire videtur de la Torre, ubi *suprà n. 4.* Tamburinus verò *lib. 3. cap. 12. §. 3. num. 10.* existimat considerandam esse ætatem voventis, nam si adolescens sexdecim annorum voverit ingredi Religionem, existimat dilationem trium, vel quatuor annorum, non violare votum, bene tamen si vovens quadragesimum ætatis annum attingeret, nam in hoc dilationem ultra sex menses existimat esse notabilem, & constituere moram moralem mortalem, quam sententiam probabilem reputo in voto assumendæ religionis, in aliis autem votis, in quibus nihil ex dilatione omittitur, existimo dilationem trium annorum esse notabilem, non tamen minorem. Ita cum Palao, Leander *de juramento tract. 1. d. 14. quæst. 16.* Imò aliqui existimant talia vota posse differri quantumcumque vovens voluerit, dummodo non sit periculum oblivionis, vel non adimpletionis. Ita Cajetanus, Navarrus, Lopes, Reginaldus, quos refert Leander *suprà quæst. 14.*

SECTIO XIX.

Utrum votum non impletum tempore designato, desinat obligare.

SUMMARIUM.

321 *Si votum fiat animo ne ultra tempus designatum executio differatur, & tempore designato non impleatur, manet vovens obligatus implere.*

322 *Si votum fiat animo finiendi ibi obligationem tempore designato, si eo tempore votum non impleatur extinguitur votum.*

323 *Quoties circumstantia temporis specialem devotionem communiter continet, & in illius memoriam quis votum emisit principaliter, si eo tempore votum non adimpleatur extinguitur.*

324 *Quid si circumstantia temporis sit principaliter intenta?*

325 *An hæc doctrina locum habeat non solum in votis personalibus, sed etiam in realibus?*

326 *Quid si dubium sit, an vovens decreverit tempus in honorem Dei, necne?*

327 *Quoties vovens est impotens ad voti executionē non obligatur ad aliquam compensationem.*

DUpliciter tempus executioni voti, quis designare potest: primò animo ne ultra illud executio differatur. Secundò animo ibi finiendi obligationem.

Dico primò: Si votum fiat animo ne ultra tem- 321
pus designatum executio differatur; & tempore designato non impleatur, manet vovens obligatus implere, sicut si quis Petro deberet solvere centum intrà mensem, si non solvit, adhuc obligatus manet: Imò efficacius urgetur, contraxit namque duplex debitum, aliud rei promissæ exequendæ, & aliud exequendi illam intra tale tempus, & licet hoc ultimum jam implere non possit, bene tamen primum, quia independenter ab obligatione temporis promissum est, tempus namque in illo voto designatum fuit ad excitandam executionem, & non ad finiendam illam.

Dico secundò: Si votum fiat animo finiendi ibi 322
obligationem tempore designato, sicuti in præceptis Ecclesiasticis audiendi Missam, & jejunandi designatur, si eo tempore votum non impletur, extinguitur tota ejus obligatio, quia sic est promittentis voluntas. Ita communiter DD. apud Palaum *de voto d. 1. p. 14. num. 1.* & cum multis Leander *de juramento tract. 1. disp. 14. q. 17.* tota igitur difficultas est, quomodo cognoscatur votum obligari tempori, ita ut illo transacto amplius non obliget, vel è contra quando vovens de sua intentione certus non est: pro quo,

Dico tertiò: Quoties circumstantiæ temporis 323
specialem devotionem communiter continent, & in illius memoriam quis votum emisit principaliter, si eo tempore votum non adimpleat, extinguitur obligatio: v.g. promisit aliquis jejunare in vigilia alicujus Sancti, vel feria sexta in honorem passionis Christi, si de facto non jejunavit, cessat obligatio: An autem sequenti feria sexta alterius hebdomadæ teneatur jejunare? Respondeo negativè, quia esto idem in specie cultus passionis Christi sequatur, si jejunat sequenti feria sexta, at quia non est idem numero, & in individuo cum eo, qui promissus est, sed omnino distinctus, ea de causa cessat obligatio. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *suprà num. 3.* Tamburinus *lib. 3. de voto cap. 16. §. 2. num. 9.* Et idem dicendum est de voto peregrinationis ob lucrandum jubileum, illo transacto cessare obligationem, quia non potest sumi peregrinatio qualis promissa est. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus ibi.

Notanter dixi votum obligari tempori specialem 324
devotionem continenti, si principaliter ob ejus devotionem fiat; Nam sæpe contingere potest, signari tempus ob ejus devotionem, sed non principaliter, ut si quis promittat ingredi Religionem in die S. Joannis Baptistæ ob ejus specialem honorem, & non cessat obligatio, tametsi illo die Religionem non ingrediatur, quia censetur principaliter ob sta-

Digitized by Google

tus perfectionem, divinum obsequium, & propriam utilitatem votum emisisse, & secundario ob honorem S. Joannis. Ita cum Suario, Bonacina, Palaus, *suprà num.* 3. Tamburinus *suprà num.* 6.

325 Sed quæres an supradictæ doctrina non solum in votis personalibus, sed etiam realibus locum teneat? Respondeo affirmativè. Ita cum Suario, Vasquio, Sanch. Bonacina Palaus, *suprà num.* 5. Tamburinus *suprà num.* 7. Ratio est, quia negari non potest eleemosynam posse promitti occasione lucrandi jubileum, vel ad aliquam solemnitatem alicujus Sancti; ergo sicut obligatio jejunij cessat, si signato tempore non impleatur, ita obligatio eleemosynæ, hac solum differentia, quod vota personalia, maxime si perpetua sint, tempori frequenter alligantur, non solum quando emittuntur ob specialem devotionem temporis, sed etiam quando emittuntur ob propriam voventis utilitatem, v. g. quando vovens intendens bonis operibus assuefieri, vovet octavo quoque die confiteri, aliudve bonum opus efficere. At realia vota, seclusa devotione temporis, raro ob utilitatem voventis alligantur tempori, nec cessat eorum obligatio. Et ratio differentiæ est, quia in votis personalibus, gravaretur maxime vovens, si prorogaretur obligatio prætermissa, secus verò contingit in votis realibus. Ita cum Sanch. Bonacina, Palaus *suprà num* 6.

326 Sed quid, si dubium sit an vovens decreverit tempus in honorem diei, nec ne? Respondeo tunc censendum esse, ac si decreverit in honorem. Ratio est, quia de voto jam constat, & dubitatur de tempore: ergo prævalet possessio voti, atque transacto tempore adhuc obligat. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *lib.* 3. *cap.* 16. §. 2. *numero* 11.

327 Tandem adverte in omnibus illis casibus, in quibus vovens impotens est ad voti executionem, sive cum culpa, sive absque illa, non obligari ad aliquam compensationem, quia nulla est lex Ecclesiastica, aut divina, quæ talem compensationem statuat, & ex voto talis obligatio non oritur, cum vovens solum ad executionem rei promissæ se intenderit obligare; Ita cum D. Thom. Suario, Palaus, *supra num.* 6. Leander *tract.* 1. *d.* 14. *quæst.* 26.

SECTIO XX.

Utrum qui nequit implere votum tempore præfinito, teneatur illud prævenire, & votum prius implere?

SUMMARIUM.

328 *Explicatur sensus quæstionis.*

329 *Si terminus præfixus sit, ne ultra differatur votum, si vovens prævideat, tempore præfinito, non posse implere votum tenetur anticipatè solvere.*

330 *Quando opus vovetur, ut proprium onus diei certi, non tenetur vovens illud tempus prævenire.*

328 QUæstio hæc, non habet locum in votis, quibus expressè declaratur obligatio ad statim. Immo neque in votis absolutis, & indefinitis, quæ nullum designant tempus, nam de illis dictum est obligare ad statim moraliter, obligatio autem ad statim, licet moraliter patiatur divisionem, semper tamen est quasi de præsenti respectu cujus non habet locum præventio. Procedit ergo dubitatio, quando ad votum adimplendum certum tempus, vel dies præscribitur. His suppositis,

329 Dico primò, Si terminus præfixus sit, ne ultra differatur votum, si vovens prævideat tempore præfinito, fore ut superveniat impedimentum, quo votum tempore præfixo adimplere non possit, tenetur anticipate solvere, & prævenire. Ita cum Suario, Sanch. Bonacina, Layman, Palaus, *d.* 1. *de voto p.* 13. *n.* 3. Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 25. Raphaël de la Torre *quæst.* 88. *art.* 3. *d.* 10. Tamburinus *lib.* 2. *Decalogi cap.* 12. *num.* 3. & cum aliis Leander *tract.* 1. *d.* 14. *quæst.* 2. *de juramento.* Ratio est, quia hoc votum statim, ac fit obligat; ergo si vovens prævideat impedimentum futurum, tenetur votum præveniendo implere, sicut si prævideat impedimentum, quo impediatur, ne in quadragesima confiteatur, tenetur confessionem anticipare. Et idem dicendum est de votis quæ latitudinem aliquam habent, ut de voto ingrediendi Religionem intra annum, jejunandi tribus diebus in mense, vel hebdomada, habet enim latitudinem totius anni, vel mensis, unde si prævideat in fine anni, vel mensis impediendum fore, tenetur prævenire.

330 Dico secundò: Quando opus vovetur, ut proprium onus certi diei, seu temporis, non tenetur vovens illud tempus prævenire, etiamsi prævideat impediturum. Ita cum Suario, Bonacina, Palaus, *suprà*, Tamburinus *suprà num.* 2. Ratio est, quia mensura obligationis voti est intentio voventis, & cum hæc solum sit pro tempore signato, solum pro eo tempore obligatio adstruenda est, quod à simili ex præceptis Ecclesiasticis convinci potest, nam qui die Dominica prævidet non posse audire missam, vel recitare horas canonicas, non tenetur anticipare altero die.

SECTIO XXI.

Utrum obligatio voti, ita sit personalis, ut solum ventem adstringat, ab ipsoque solum impleri possit?

SUMMARIUM.

331 *Votum aliquando est personale, aliquando reale, aliquando mixtum.*

332 *Votum personale non potest per alium impleri.*

333 *Votum reale non potest alium à vovente adstringere.*

334 *Quando vovens non potest per seipsum illud implere, tenetur adimplere per alium?*

335 *Quid dicendum sit de voto mixto?*

336 *Qui non potest votum sive reale, sive personale implere, non tenetur commutationem facere in rem, quam implere possit.*

PRo decisione hujus sectionis notandum est, 331
Votum ut supra diximus, aliud esse reale, aliud personale, aliud mixtum ex reali & personali, deinde mixtum aliquando esse principaliter personale, & accessoriè reale, quale est votum peregrinationis in quo actio persolvenda personalis, est principalis, quæ cum fieri nequeat sine expensis,

Digitized by Google

penſis, ideo actio realis eſt acceſſoria, aliquando vero eſſe æqualiter reale, & perſonale, ut eſt votum quo vovens promittit peregrinationem Lauretanam, & eleemoſynam Eccleſiæ Lauretanæ faciendam: his ſuppoſitis,

331 Dico primò: Votum perſonale, non poteſt per alium impleri, ita communiter D D. apud Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. d. 14. numero 2.* Ratio eſt, quia materia voti perſonalis, eſt actio propria ipſius voventis, & non alterius, ideoque dicitur votum perſonale. Hinc fit voventem non teneri per alium adimplere votum perſonale, dum factus eſt impotens ad votum implendum, ſive factus ſit impotens propria culpa, ſive non.

333 Dico ſecundò: Votum reale non poteſt alium à vovente adſtringere. Quando tamen vovens non poteſt illud adimplere per ſeipſum, tenetur 334 adimplere per alium. Prima pars hujus aſſerti communis eſt inter DD. & probatur, quia votum ſolum adſtringere poteſt eum, qui habuit intentionem ſe obligandi, ſed nullus alius habuit talem intentionem, niſi qui vere vovit: ergo: ſecunda verò pars, etiam communis eſt. Ratio autem eſt, quia materia hujus voti, non eſt actio ipſius voventis, ſed res; cum autem res poſſit per alium exhiberi, ſequitur voventem debere votum reale per alium implere, ſi per ipſum nequeat, non tamen tenetur vovens carens pecuniis ad adimplendum votum illas petere ab amicis, vel propriis manibus laborare, ſi tale officium ſuum ſtatum dedeceat, bene tamen ſi non dedeceat.

335 Dico tertiò: Votum mixtum ex parte qua eſt perſonale, non poteſt per alium adimpleri, ut probatum eſt. Ex parte verò qua eſt reale, debet adimpleri per alium, ut ſuprà dictum eſt, modo tamen tale votum ſit æque reale, & perſonale, & non ſit reale tantummodo acceſſorie, v. g. vovit quis ire Compoſtellam, & tradere ibi eleemoſynam, ſi non poteſt ire, tenetur tradere, ſi poteſt eleemoſynam, non tamen tenetur ſolvere ſumptus peregrinationis, nam hi ſumptus, ſunt acceſſorij ad peregrinationem. Ita præcitati DD.

336 Adverte tamen illum, qui non poteſt votum, ſive reale, ſive perſonale adimplere, non teneri commutationem facere in rem quam adimplere queat. Ita cum Sylveſtro, Suario, Bonacina, Trullenc. *ſuprà num. 5.* Ratio eſt quia ſicut cum Eccleſia præcipit aliquem actum, non præcipit recompenſationem, impotentia ſuperveniente, ita neque vovens obligat ſe ad recompenſationem faciendam, ſi rem voto promiſſam præſtare nequeat.

SECTIO XXII.

Vtrum obligatio voti tranſeat ad hæredes?

SUMMARIUM.

337 *Vota perſonalia non tranſeunt ad hæredes neceſſarios, etiam volente teſtatore, niſi hæres ſponte ſua acceptet.*

338 *Quid ſi teſtator relinquat hæreditatem, ſi hæres impleat ſua vota perſonalia?*

339 *Obligatio voti realis tranſit ad hæredes ex vi hæreditatis receptæ.*

340 *Si conventus conſtituatur hæres profitentis religionem, non tenetur ad vota realia ipſius profitentis.*

341 *Quid ſi ille in cujus favorem factum eſt votum vim acceptaverit votum ante profeſſionem?*

342 *Quis ordo ſervandus in ſolutione horum votorum?*

343 *An quando multi ſunt hæredes quilibet teneatur vota defuncti ſolvere?*

344 *An idem dicendum ſit de legatariis?*

DUpliciter poteſt imaginari voti obligationem tranſire ad hæredes. Primo modo, ex voluntate teſtatoris, non obligantis formaliter ſuo voto alium, ſed delegantis alicui ſua bona, vel partem eorum ſub hac conditione, ut ſua vota impleat; ſecundo modo poteſt imaginari vota defuncti tranſire ad hæredes, hoc ipſo quod hæredes illius ſunt.

Dico primò: Vota perſonalia non tranſeunt 337 ad hæredes neceſſarios, etiam volente, & præcipiente teſtatore, niſi hæredes ſponte ſua acceptent, & faciant, ſuam promiſſionem defuncti. Ita communiter DD. apud Raphaël de la Torre *queſt. 88. art. 3. d. 6. numero 1.* Ratio eſt, quia hæc obligatio perſonalis, non eſt conjuncta cum hæreditate, ſed cum perſona: ergo teſtator non poteſt pro ſuo arbitrio eam imponere hæredibus renuentibus acceptare.

Dico ſecundò: Si teſtator relinquat ſuam hæ- 338 reditatem hæredi non neceſſario ſub conditione, ut vota ſua perſonalia impleat, tunc hæres tenetur vota teſtatoris implere, non abſolute, ſed ut poſſit hæreditatem obtinere, juxta modum in teſtamento præſcriptum, ut ex ſe patet. Si tamen relinquat hæreditatem non oppoſita conditione expreſſa videlicet, ſi vota impleat, ſed appoſita juſſione implendi, tunc ſolum datur in hærede obligatio gratitudinis ad ſolvendum vota perſonalia defuncti. Vnde ſi illa non ſolvat; non tenetur ad reſtitutionem, juſſio namque illa teſtatoris potius pertinet ad modum hæreditatis capeſſendæ, quam conditionis. Ita cum Suario, Palaus, *de voto d. 1. p. 16. n. 1.* Torre *ubi ſuprà n. 2.*

Dico tertiò: Obligatio voti realis tranſit ad hæ- 339 redes ex vi hæreditatis receptæ, id eſt, hoc ipſo quod adeunt hæreditatem. Ita communiter DD. apud de la Torre *ſuprà num. 4.* Ratio eſt, quia per votum reale fit homo debitor Deo illius rei, in quam votum cadit, ſed bona defuncti ſunt obnoxia ſolutioni debitum ejus: ergo. Advertendum tamen eſt hanc obligationem non tranſire ad hæredes, niſi ſalva legitima hæredis, quia hæc legitima gravari non poteſt à teſtatore debito voluntario, quale eſt votum, vel pium legatum, nec hæres tenetur ſolvere hæc vota, niſi pro ſufficientia hæreditatis, etiam ſi hæres non confecerit inventarium, ut multis Trullenc. *ſuprà num. 3.* Nam lex præſcribens hæredi, qui non confecit inventarium, ut ſolvat ultra vires hæreditatis, fundatur in præſumptione fraudis, præſumens hæredem occultaſſe bona; lex autem fundata in falſa præſumptione non obligat in conſcientia, ſi veritas ſit in oppoſitum; quod etiam procedit etiamſi per judicis ſententiam condemnetur ad ſolutionem, nam cum hæc ſententia fundetur in falſa præſumptione, non obligat in conſcientia. Ita cum aliis Trullenc. *ſuprà n. 3*

340 Quæres tamen primo, An caſu, quo monaſterium, vel alius quiſpiam conſtitutus ſit hæres voventis, ob profeſſionem illius in religione approbata, teneatur ſolvere hæc vota reaalia? Reſpondeo negative, etiamſi talis religioſus vellet ſua vota realia per profeſſionem non extingui. Ita Sanchez, Bonacina, quos refert, & ſequitur Palaus *d. 1. de voto p. 16. num. 7.* Ratio eſt, quia omnia vota, tam perſonalia, quam realia per profeſſionem, extinguntur, non per irritationem, vel commutationem, ſed per perfectiſſimam ſolutionem? ſed ſemet votis realibus ſolutis, non poteſt profeſſus imponere novam obligationem hæredi, non facta profeſſione res illa non ad ipſum jam pertinet, ſed ad hæredem: ergo.

341 Sed quid ſi ille in cujus favorem votum factum eſt, illud jam fuiſſet acceptatum. Tenetur adhuc hæres tale votum perſolvere. Reſpondeo negativè, niſi aliàs profeſſus feciſſet ſpecialem promiſſionem parti, ultra promiſſionem voti. Ita Palaus *ſuprà num. 7.* Ratio eſt; quia ſi hæc promiſſio deficeret, nullum jus juſtitiæ parti acquireretur, ſed Deo quantumvis pars in cujus gratiam votum factum eſt, illud acceptaſſet, quia non propriè promiſſionem acceptavit, cum parti promiſſio non fuerit directa, ſed acceptavit rem promiſſam, quæ in utilitatem ejus cedit.

342 Quæres ſecundò: Qui ordo ſervandus ſit in ſolutione horum votorum. Reſpondeo, Vota deberi ab hærede ſolvi poſt debita juſtitiæ, & ante legata pia. Ita communiter D D. apud Palaum *ſuprà num. 10.* Deus namque non acceptat oblata cum præjudicio tertij: Quod autem debeant præcedere legata, etiam patet; nam vota, & non legata defunctum adſtringunt. Caſu tamen, quo plura fuerint vota, & vires hæreditatis non ſufficiant ad omnia perſolvenda, tunc hæres votum de re meliori debet præferre. Et in caſu dubio, votum quod prius conſtiterit fuiſſe emiſſum. Ratio eſt, quia hæres perſonam defuncti repræſentat, at defunctus illa vota eo ordine obligatur exequi; ergo.

343 Quæres tertiò: An quando multi ſunt hæredes, quilibet teneatur vota defuncti ſolvere? Reſpondeo neminem teneri in ſolidum, quia ſolum tenetur quatenus eſt hæres, & cum ſolum in parte ſit hæres, pro ea parte vota ſolvere debet. Ita communiter D D. apud Palaum *ſupra num. 13.* Duplicem tamen limitationem patitur hæc doctrina. Prima niſi res promiſſa ſit apud unum ex hæredibus, nam tunc ipſe tenetur in ſolidum, datur tamen illi actio adverſus alios hæredes, ut ſibi partem eorum hæreditati correſpondentem ſolvant, *habetur l. 2. ff. de verborum* obligat. Secunda limitatio eſt, niſi alij hæredes nolint ſolvere, nam tunc quilibet tenetur in ſolidum, & nolente uno, non ex impotentia, ſed ex malitia, tenetur alius ſolvere in ſolidum. Ratio eſt, quia debitis, & legatis ſolvendis, quælibet pars hæreditatis addicta eſt, & quilibet hæres obligatus. Non enim eſt æquum, ut ob malitiam unius, debita maneant inſoluta. Dixi nolente uno, non ex impotentia, ſed ex malitia, nam ſi non ſolvat ex impotentia, tunc alij cohæredes non tenentur ſolvere vota, niſi pro quantitate hæreditatis, quia eſto illa pars hæreditatis addicta ſit votorum ſolutioni, non tamen integre, ſed cum alia comparte. Ita cum aliis Palaus *ſuprà n. 13.*

344 Quæres tandem, An idem dicendum ſit de legatario? Reſpondeo negative. Eſt enim diverſa ratio. Nam donatarius per traditionem rei donatæ accipit dominium illius, quia eſto hoc fuerit illicitum, traditio tamen fuit valida, & legatarius dominium acquirere debet ex valore promiſſionis in teſtamento factæ, quæ ſi nulla eſt periit legatum; Eſt autem nulla ſi ſit de materia voto contraria, quia tunc eſt promiſſio de re illicita, ac proinde nullius valoris: ergo ſi legatarius acceperit rem in ſpecie Deo promiſſam, obligatus eſt Deo tradere. Ita Palaus *ſuprà num. 15.*

SECTIO XXIII.

De obligatione voti de quo dubitatur an factum ſit.

SUMMARIUM.

345 *Qui dubitat an votum emiſerit, non tenetur illi.*
346 *Quædam corollaria ponuntur.*
347 *Quando conſtat votum factum eſſe, & ſolum eſt dubium an vovens habuerit intentionem ſe obligandi, vel vovendi obligat votum.*
348 *An qui fecit votum animo negativo, hoc eſt, abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligandi, teneatur ad illud.*

DUplex poteſt circa votum oriri dubium, unum eſt an factum fuerit, necne? Aliud eſt: An votum quod conſtat factum eſſe obliget, vel an obliget tali, vel tali modo: His ſuppoſitis,

Dico primò: Dubitans an votum, vel juramentum emiſerit, illis non tenetur, facta diligentia, dubium vincere non poteſt. Ita cum Soto, Graffis, Henriquez, Reginaldo, Villalobos, utroque Sanch. Rebello, Salas, Suario, Palaus *tom. 1. tract. 1. d. 3. p. 9. num. 2.* Torre *queſt. 88. art. 3. & 4. d. 3.* & cum Bonacina, Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 1. d. 17. num. 16.* & cum Filliucio, Avila, Fagundez, Diana *4. p. tract. 3. reſol. 10.* Tancred. *tract. 3. d. 4. quæſt. 6.* contra Azorium, Vaſquium, Sayrum, & alios, quos ibi refert Palaus. Ratio eſt, quia videtur iniquum cogi promittentem ad certam ſolutionem, qua probetur promiſſorem extitiſſe. Quare in foro externo, & judiciali nemo promiſſis cogitur ſtare, dum de promiſſione non conſtat. Item quia ubi tractatur de obligatione contrahenda, facienda eſt ſtricta interpretatio *l. quid de aſtringend. ff. de verb. oblig.* Cum ergo vovens reus ſit, illi in caſu dubio favendum eſt. Quæ ratio probat; neminem eſſe obligatum, etiam ſi propendeat magis ſe voviſſe, dummodo ſemper maneat dubius. Sic cum utroque Sancio, Palaus, *ſuprà num. 2.* 345

Et hinc infertur primò certum, ſe emiſiſſe votum religionis, ſi dubius ſit an religionis in communi; vel hujus in particulari, poſſe quamlibet ingredi, quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Secundo, Qui certus eſt ſe voviſſe non acceſſurum ad aliquam fœminam, & dubitat nunc de acceſſu fornicario, vel uxorario, non tenetur abſtinere à nuptiis, quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Ita cum utroque Sancio, Corneio, Diana *p. 4. tract. 3. reſolutione 10.* Tertio infertur. Si quis certus eſt ſe voviſſe caſtitatem, aut perpetuam, aut temporalem, & eſt omnino verborum voti immemor, ſed tantum certus eſt, ſe alteram promiſiſſe, ad ſolam temporalem, quæ minor eſt tenetur. Secus autem ſi memor ſit verborum voti v. g. voveo caſtitatem, nam hæc verba perpetuitatem quandam important. 346

Ita

Digitized by Google

Ita cum Sanchez, Diana, *ſuprà*. Quartò infertur eum, qui vovit Religionem, dubitat autem an voverit ſe profeſſurum, non teneri ad profeſſionem; item ſi quis vovit quotidie dicere Rotarium, & dubitat an intellexerit integrum Rotarium, vel tertiam ejus partem, poteſt eligere tertiam partem. Ita cum Suario Diana *ſuprà*.

347 Dico ſecundò: Quando conſtat votum factum eſſe, & ſolum eſt dubium an vovens habuerit animum ſe obligandi, vel vovendi, vel an ſcierit quando vovit obligationem ex voto conſurgere, tenetur tale votum adimplere. Ita Navarrez, Sanchez, Bonacina, & alij, & apud Trullenc. *in Decalogum lib. 2. cap. 2. d. 2. num. 13.* Torre *quæſt. 88. art. 3. d. 4.* & cum Suario, Sylveſtro, Corduba, Palaus, *ſuprà*, contra Alphonſum à Leone, *in tractatu de poteſtate confeſ. 1. p. reſolut. 17. concluſione 8. num. 93.* Rebellum *1. part. lib. 2. quæſt. 14.* Quidquid improbet Diana *p. 4. tract. 3. reſol. 10. in fine.* Ratio eſt quia in dubio delictum non præſumitur niſi probetur *c. abſit. 11. quæſt. 3.* Sed ſi in tali dubio animum defuiſſe præſumatur, jam delictum præſumitur: ergo non eſt præſumendus abfuiſſe. Confirmatur quia verba ſunt ſigna intentionis, dum contrarium non probatur; nemo enim præſumitur dicere, quod non ſentit, ergo dum vovens non probat defuiſſe intentionem præſumendus eſt ex verbis illum habuiſſe. Confirmatur ſecundò: Quia probato facto præſumitur adfuiſſe omnia requiſita ad illud, ergo cum conſtet de voto, præſumendum eſt animum adfuiſſe requiſitum ad illud. Confirmatur tandem, quia poſſeſſio ſtat pro voto.

348 Sed quæres an qui fecit votum animo negativo, id eſt, abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligandi, teneatur ad illud? Reſpondeo negative, quantum eſt ex vi voti. Ita cum Navarro, Leſſio, Sanchez, Bonacina, Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 1. num. 13.* Unde qui ignorat votum obligare & credit non obligare, non obligatur ad votum ſervandum, quia non habuit expreſſam, vel tacitam intentionem ſe obligandi; votum autem in tantum obligat, in quantum vovens intendit ſe obligare.

SECTIO XXIV.

An quis teneatur voto, ſi dubitat in tempore voti adfuiſſe libertatem, & uſum rationis.

SUMMARIUM.

349 *Puer dubitans, an quando voverit habuerit uſum rationis, ſi nondum expleverit ſeptennium, non tenetur ad votum.*

350 *Quid ſi dubium ſit an votum ſit tempore ſomni, vel ebrietatis, vel phreneſis?*

351 *Quid ſi quis certus ſit de nullitate voti, dubitet tamen, an illud rectificaverit?*

352 *Si detur dubium, an quando quis vovit ita fuiſſet, vel alia paſſione affectus ut verum dubium ſit, an tunc habuerit uſum rationis non tenetur ad votum.*

353 *Quando dubitatur de bonitate materiæ an ſit bona, vel mala vel indifferens, votum non obligat.*

354 *An dubitans, an votum implerit, teneatur illud iterum exequi?*

355 *Quando quis certus eſt ſe emiſiſſe votum Caſtitatis, dubitat tamen, an habuerit animum ſe obligandi tale votum, non eſt reſervatum eſto valeat.*

UT clarius procedamus in hac ſectione notandum eſt, ex triplici cauſa oriri poſſe defectum deliberationis. Primo ex tenera ætate; ſecundò ex impedimento naturali accidentario, quale eſt ſomnus, ebrietas, phreneſis. Tertio ſubita paſſione: his ſuppoſitis,

Dico primò: Puer dubitans de perfecto uſu ra- 349
tionis, dum vovit, ſi neſciatur an expleverit ſeptennium, non tenetur ad votum. Ita cum Soto, Beja, Bonacina, Palao, Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 11.* Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 1. num. 5.* Ratio eſt, quia tunc non eſt poſſeſſio pro voto, non enim ſupponitur votum, cum de conſtituentibus illud dubitetur. Secus dicendum eſt, ſi conſtet votum emiſiſſe tranſacto ſeptennio, & non dentur conjecturæ, certum moraliter reddentes, non fuiſſe eo tempore uſum rationis, nam tunc votum obligat. Ita Bardi, Palao, Decalogo, Tancred. *tract. 3. de voto d. 4. quæſt. 8.*

Dico ſecundò: Si dubium ſit, an votum factum 350
fuerit tempore ſomni, vel ebrietatis, ſi vovens non recordetur bene de voto, neque actus oſtenditur ita bene geſtus, exiſtimo, votum non valere. Ita cum Suario, Palaus, *ſuprà num. 8.* Trullenc. *ſuprà num. 5.* Tancred. *ſuprà quæſt. 9.* contra Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 1. num. 15.* Ratio eſt, quia tunc vere dubitatur, an ſit votum, cum dubitetur, an ſit aliquid eſſentialiter ad illud requiſitum, qualis eſt libertas; ergo in favorem libertatis judicandum eſt.

Et idem dicendum eſt quando datur dubium an votum factum tempore ſomni, ebrietatis, vel phreneſis, fuerit factum in plena ebrietate &c. præſumendum namque eſt ita fuiſſe. Sanchez, Suarez, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà numero ſeptimo*, exempto illius, qui nocte habuit pollutionem, quique dubitat an habuerit perfectum uſum rationis, de quo non præſumitur mortaliter peccaſſe, ob defectum perfectæ libertatis; ſimiliter ergo ob eundem defectum non eſt præſumendus valide voviſſe.

Et idem dicendum eſt, quando quis certus eſt de 351
nullitate voti, ſed dubitat an illud ratum habuerit, advertens votum antea factum fuiſſe nullum, nam tale votum non obligat, ſiquidem dubitatur de conſtituentibus illud. Ita Tancred. *tractatu 3. de voto d. 4. queſtione 11.* Et idem dicendum eſt, ſi Petrus dubitet an votum à ſe emiſſum fuerit validum, an commutatum, & cætera, & ut ſe iis ſcrupulis liberaret, iterum vovit, ſed tandem certior factus de nullitate prioris voti, dubitat an ſecundum votum emiſerit animo ratificandi prius, ex eo quia putabat illud valere, an vero animo de novo vovendi, nam in hoc caſu cenſendum eſt votum non obligare, ſed factum fuiſſe ex errore, quo putabat prius votum verum fuiſſe. Ita cum Emanuële, Corduba, Veiga, Tancred. *ſuprà queſtione undecima.*

Dico tertiò: Si detur verum dubium, an quan- 352
do quis voverit, ita iracundia, vel alia paſſione affectus eſſet, ut verum dubium ſit, an tunc habuerit uſum rationis, cum vovit, proculdubio non tenetur ad votum; quia eſt dubius de valore actus, ac proinde de obligatione. Ita Palaus *ſuprà numero 10.* Adverte tamen regulariter non poſſe dari hujuſmodi dubium, quia raro, vel nunquam calor iracundiæ uſum rationis impedit,

quin operatio inde orta habeat ſufficientem libertatem ad bonum, & malum. Ita cum Sanchez, Baſilio, & aliis, Palaus *ſuprà num.* 10.

353 Dico quartò: Quando dubitatur de bonitate materiæ voti, non ſolum, an ſit mala, vel bona, ſed etiam an ſit, vel non, vel indifferens, vel an ſit de meliori bono, votum non obligat. Quia in his dubiis, non eſt poſſeſſio pro voto, ſiquidem dubitatur de conſtituentibus illud. Ita Tancred. *ſuprà quæſtione decima tertia.* Et idem dicendum eſt, quando eſt dubium de fine voti, an fuerit ex fine malo, vel bono, vel indifferenti, nam cum materia ex fine ſit mala, vel bona, vel indifferens, dubitando de fine, dubitatur de ipſa materia. Ita Tancred. *ſuprà quæſt.* 14. Secus dicendum eſt, quando vovens dubitat, an materia voti ſit mutata, verbi gratia, ex bona facta mala, nam tunc tenetur voto, quia cum conſtet votum rite eſſe factum, & non conſtet, an materia fuerit mutata, votum eſt in poſſeſſione; ergo obligat. Ita Tancred. *ſuprà quæſtione* 15. Excipe niſi vovens dubitet, an materia voti ſit mutata. Ita ut notabile damnum afferat ſaluti corporis, vel tertio, nam tunc non poteſt votum executioni mandare, quia eſt peccatum operari cum dubio detrimenti proprij, vel alterius mali, contra tertium. Et idem dicendum eſt quando eſſet opinio probabilis, quia eſt eligendum, quod eſt tutius. Ita & bene Tancred. *ſuprà quæſtione* 15.

354 An autem dubitans an votum impleverit, teneatur illud iterum exequi? Quando materia eſt dividua, negative reſpondet Tancred. *ſuprà quæſtione decima ſexta.* Secus quando materia eſt individua. Verum ego exiſtimo in neutro caſu ventem teneri ad iterum exequendum votum. Nam ut dixi *in prima parte hujus directorij in tractatu de Pœnitentia numero* 285. in tantum eſt votum in poſſeſſione, in quantum certum eſt, non illi ſatisfactum fuiſſe: ergo ſi dubitetur de ſatisfactione, hoc ipſum votum, quod antea certum erat, labefactatur, hoc ipſo enim quod invincibile dubium de ſolutione incidit, incertum incipit eſſe debitum, & poſſeſſio ſtat pro libertate, unde hanc ſententiam debent à fortiori tenere cum aliis à ſe citatis loquens *de peccato dubio* Caramuel *in Theologia morali lib.* 3. *cap.* 1. *d.* 4. *art.* 1. *num.* 1481. *& in Theologia fundamentali à numero* 1902. Amicus *de Pœnitentia ſectione* 3. *numero* 35. & alij ibi relati.

355 Illud tandem in fine hujus ſectionis advertе, quod quando quis eſt certus ſe emiſiſſe votum caſtitatis, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, vel an ſciret votum obligare, licet teneatur in communi ſententia caſtitatem ſervare, quia poſſeſſio ſtat pro voto, nihilominus, [quamvis hæc ſententia certa eſſet de quo dubito, ſiquidem contrariam non ignobiles defendunt DD. ut *ſuprà* vidimus] tale votum non cenſetur reſervatum Pontifici, quoniam reſervatio, cum ſit odioſa, eſt in ſecundo caſu, quando quis vovit expleto ſeptennio, ſed dubitat an tunc habuerit uſum rationis. Ita cum Suario, Sanchez, & aliis Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſolutione* 11.

***

SECTIO XXV.

Qualiter votum ſit interpretandum, quando ejus materia non eſt determinata.

SUMMARIUM.

356 *Votum ſemper eſt explicandum juxta intentionem voventis.*

357 *Vota voventis in dubio explicanda ſunt ſecundum patriæ uſum, & conſuetudinem.*

358 *Quædam corollaria ponuntur.*

359 *Votum in dubio eſt ſtrictè interpretandum, ut quantum fieri poſſit minus obliget, ſervata proprietate verborum & communem uſum.*

360 *Quædam corollaria ponuntur.*

361 *Quando dubitatur de intentione voventis ſervanda eſt materia voti, ac ſi eſſet materia alicujus divinæ vel humanæ.*

362 *Quædam corollaria ponuntur.*

SUppono votum ſemper eſſe explicandum juxta intentionem voventis, nam cum hæc obligatio voluntarie ab illo ſumatur, non poteſt ejus voluntatem excedere, quod ſi de ea non conſtet, ex conjecturis elicienda eſt, inter quas potiſſimum locum habet finis, nam lex omnis ampliatur, & limitatur juxta ipſius rationem, ſi verò nec ex circunſtantiis intentio voventis colligi poſſit, ſervandæ ſunt ſequentes reſolutiones. 356

Dico primò: Verba voventis in dubio intelligenda ſunt ſecundum communem loquendi patriæ uſum, quilibet enim præſumitur loqui juxta communem populi uſum, modo vovens noverit illorum verborum ſignificationem, nam ſi vovens ignorabat, non eſt ita votum explicandum, quia deeſt voluntas, circa id quod verba ſignificant, cum voluntas non feratur in incognitum. Ita cum Sanchez, Suario, & aliis Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *d.* 12. *num.* 2. Palaus *diſp.* 1. *de voto p.* 12. *n.* 3. 357

Hinc fit primo, eum qui vovit non bibere vinum, poſſe bibere cerviſiam, quia cerviſia non venit nomine vini, licet inebriet. Ita cum Palac, Tamburino, Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 20. *quæſtione* 12. Idem dicendum eſt de chocolato, non enim venit nomine vini. Tancred. *tractatu de voto d.* 4. *quæſtione* 2. Secundo qui vovit non comedere lacticinia, poteſt comedere carnes. Tancred. *ſuprà quæſtione* 28. & cum Sanchez, Leander *ſuprà quæſtione* 20. contra Tamburinum *lib.* 3. *Decalogi cap.* 15. §. 1. *numero* 21. Tertio qui vovit abſolute caſtitatem, tenetur ad omnimodam caſtitatem, & non ſolum ad conjugalem, ſic enim accipitur caſtitas in communi modo loquendi. Ita cum Sanchez, & aliis communiter Trullenc. *ſuprà num.* 4. Quarto qui vovit virginitatem perpetuam, obligatur non ſolum ad recuſandum primum actum, ſed omnes deinceps, niſi expreſſe aliqua limitatio addatur, quia ex uſu, & modo loquendi, illud voveo virginitatem, etiamſi non addatur perpetuam, ſignificat perpetuam caſtitatem, quare amiſſa per primum actum virginitate, adhuc obligatur ad reſpuendos omnes actus, tam externos, quam internos contra virtutem continentiæ. Ita cum Sanchez, Palao, Tamburin. Leander, *ſup. d.* 19. *q.* 8. Dixi, niſi aliqua limitatio addatur, nam ſi vovens intendit ſe ſolum obligare ad vitandum primum actum venereum, admiſſo primo actu, liber manet à voto. 358

Ita

Ita cum multis Diana *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 60. Trullenc. *in cruciatam lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *d.* 15. *num.* 22.

Quintò qui vovit aliquas missas, satisfacit voto, si comperiat aliquem volentem eas celebrare absque eleemosyna, nam vovens tantum accessorie vovit eleemosynam. Ita cum Sanchez, Palaus, *d.* 1. *de voto p.* 12. Sexto qui vovit omnibus feriis sextis, vel Sabbatis jejunare, potest omittere jejunium, & vesci carnibus in die natalis Domini, si in Sabbato, vel sexta feria inciderit, juxta morem Ecclesiæ, nisi aliud expressè intenderit. Ita cum multis Pascaligus *decisione* 226. *de jejunio num.* 2. Trullenc. *supra num.* 6. Tanered. *tract.* 3. *de voto d.* 4. *quæst.* 30. contra multos quos refert, & ut probabilius sequitur Leander *supra d.* 20. *quæst.* 11. Idem dicendum est de eo, qui vovit jejunare per integrum mensem, non teneri diebus dominicis jejunare, si alias id non expressè intenderit, quia intelligitur votum juxta morem Ecclesiæ. Ita cum Diana, Tamburino, & aliis Leander *supra quæst.* 8.

359 Dico secundò: In dubio votum est stricte interpretandum, ut in quantum fieri possit, minus obliget, servata proprietate verborum, & communi intelligentia. Ratio est, quia obligatio non est imponenda, nisi de illa clare constet, ob periculum transgressionis. Ita cum Palao, Sanchez, Tamburino, & aliis Leander, *supra d.* 19. *quæst.* 1. Trullenc. *supra n.* 7. & alij communiter.

360 Hinc fit primò, Eum qui vovit recitare Rosarium, satisfacere recitando tertiam partem, nisi aliud expresserit, quia secundum frequentem usum, sub nomine Rosarij, tertia pars Rosarij intelligitur. Ita cum Sanchez, Palao, Tamburino, Prado, Diana, Leander, *tract.* 1. *de juramento d.* 19. *quæst.* 4. Satisfacit etiam recitando alternatim. Ita cum Tamburino, Azor, Prado, & aliis Leander, *supra quæst.* 5. non tamen satisfaciet, recitando mentaliter. Ita cum Sanch. Palao, Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 15. §. 5. *num.* 5. oratio enim vocalis est in co voto præmissa, oppositum tenet Leander *supra quæst.* 6. Secundò qui vovit omnibus diebus sacrum audire, satisfaciet, si diebus festivis, unam tantum missam audiat. Ita cum Sanchez, Suario, Palaus, *supra num.* 6. Leander *supra quæst.* 7. Tertiò qui vovit peregrinationem, & non determinavit pedestrem, potest equester peregrinari. Ita cum Tamburino, & aliis Leander *supra quæst.* 9. Quartò qui vovit jejunare indeterminate, satisfacit si una tantum die jejunet, etsi vovit jejunare plures dies satisfacit, si per duos tantum dies jejunet, nisi alias verba voti denotent continuationem. Ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Pascaligus, *decisione* 232. *num.* 1. Leander *supra quæstione* 7. Dixi nisi verba voti denotent continuationem, nam si denotent, tunc voluntas voventis ex circumstantiis debet prudenter determinari. Pascaligus *supra n.* 4.

Quintò qui vovit eleemosynam, satisfacit dando quamcunque quantitatem, si aliud ex circumstantiis non colligatur, unde qui promisit mensuram tritici, satisfacit dando minimam, etiamsi quando vovit aliter esset affectus, ita ut quod si tunc votum determinasset majorem mensuram daret, nam ex affectu habituali non nascitur obligatio. Ita cum Sanchez, Bonacina, Trullenc. *supra num.* 11. Item qui vovit absolute calicem, satisfacit dando argenteum, imo qui solum cupam argenteam habeat, nisi aliud intenderit. Trullenc. *supra n.* 14. Palaus *supra num.* 23. & 24. Sextò qui vovit non ingredi aliquam domum, non peccat contra votum, si semel ingressus ibi per multum tempus assistat, nam votum de solo ingressu intelligitur. Ita cum aliis Trullenc. *supra n.* 15.

Dico tertiò: Quando dubitatur de intentione vo- 361
ventis, servanda est materia voti, ac si esset materia alicujus legis divinæ, vel humanæ: nam votum sicut & testamentum in dubio, quando non constat de intentione voventis, vel testantis interpretandum est juxta legum dispositiones. Ita Mantica *de conjecturis ultimarum voluntatum lib.* 6. *tit.* 6. *num.* 1. Leander *d.* 20. *tract.* 1. *quæst.* 1.

Hinc fit primò, Eum qui vovit abstinere à car- 362
nibus, teneri etiam abstinere à jure carnium, sic enim obligat præceptum Ecclesiasticum de abstinentia carnium, excipe nisi vovens aliud expresserit. Item qui vovit jejunium, potest extra quadragesimam uti lacticiniis, sic enim obligat præceptum Ecclesiæ de jejunio. Ita cum Tamburino, Prado, Palao, & aliis Leand. *supra quæst.* 3. Et idem dicendum est de jejuniis quadragesimalibus, casu quo vovens habeat bullam cruciatæ. Ita cum aliis Leander ibi. Secundò qui vovit jejunium tenetur à carnibus abstinere, & à repetita comestione, in vigilia tamen nativitatis potest sumere refectiunculam, ut mos est in Ecclesia. Palaus *d.* 1. *de voto p.* 12. *num.* 11. ibi qui vovit jejunare in vigilia alicujus Sancti, si vigilia incidat in Dominica, potest Sabbato jejunare, ut mos est in Ecclesia. Item qui vovit aliqua die non bibere vinum, vel comedere carnes, toties peccat, quoties vinum bibit, vel carnibus vescitur, hoc enim votum est negativum, & obligat pro semper. Ita cum Navarro, Suario, Diana, Leander, *supra quæst.* 9. Palaus *supra num.* 11. contra Pascaligum *decisione* 66. *numero* 4.

Tertiò qui vovit certa die jejunare, si semel carnes comedat jam manet deobligatus à jejunio, & potest plures vices carnes comedere, solum enim in prima vice peccavit. Et idem dicendum est, de eo, qui repetita refectione fregit jejunium, est enim jam impossibile servare jejunium. Ita cum Sanchez, Gilin. Laymán, Diana, Pascaligus, *decis.* 65. *num.* 2. & cum Prado, Leander, *supra quæst.* 10. contra Suarium, Palaum, & alios; Quartò qui vovit jejunare in pane & aqua, solum peccat prima vice bibendo vinum, unde postea potest illud sæpiùs bibere, habet enim hoc votum pro materia abstinentiam, sic modificatam, quæ modificatio, si destruatur per potum vini, manet jam ea die impossibilis, & consequenter cessat obligatio voti. Ita cum Portel, Fausto, Diana, Pascaligus *decis.* 239. *num.* 2. & cum Tamburino, Leander, *supra quæst.* 16.

Quintò qui vovit jejunium in pane, & aqua, si semel illud fregit potatione vini, non tenetur jejunare, secundum formam Ecclesiæ; præscribit enim votum formam novam jejunij, quæ primo haustu notabili vini redditur ea die impossibilis, & idem dicendum est si sumat alium cibum præter panem; Pascaligus *decisione* 240. *num.* 2. Leander *supra quæst.* 16. & hoc verum est, & si tantum comedat pastillos esculentos, hoc est panem in oleo, coctum, Lusitane, *Cesateis en filhos*. Tamburinus *lib.* 3. *Decalogi cap.* 15. §. 6. *num.* 20. Leander *supra quæst.* 17. poterit tamen vesci pane ad prunas asso, seu aqua lixato, sive etiam esculento, quod Lusitane dicimus Papas sine oleo tamen. Ita cum Tamburino, Leander, *supra*, tandem qui vovit jejunare in pane, & aqua, si non potest transire, nisi sumat aliquid obsonij

deobligatur

deobligatur à jejunio. Paſcaligus *deciſione* 242. qui vero vovit jejunare omnibus ſextis feriis in pane & aqua, & iterum vovit jejunare, in vigilia alicujus Sancti abſque pane, in ſolis piſcibus. Hic poteſt eligere quod gratius ſibi videbitur Deo eſſe, Leander *ſuprà quæſtione* 18. contra Tamburinum putantem debere jejunare in pane & aqua.

SECTIO XXVI.

Qualiter votum conditionale obliget.

SUMMARIUM.

363 *Explicantur multiplices conditiones quæ votis apponi poſſunt.*
364 *Votum ſub conditione turpi regulariter eſt nullum.*
365 *Quid ſi ſub conditione futura contingenti & honeſta votum emittatur?*
366 *Quando conditio cenſeatur impleta?*
367 *An conditio debeat impleri in ſpecifica forma, an ſufficiat æquivalenter.*
368 *An vovens ſub conditione futura contingenti teneatur expectare conditionis eventum, ut voto obligetur?*
369 *Qualiter peccet contra votum conditionem impediens?*
370 *Quid ſi conditio nulla lege prohibita ſit, nec pendeat ex voluntate voventis, ſi de facto ac ſi vovente impediatur?*
371 *Quadam corollaria ponuntur.*
372 *Votum ſub conditione, ſi Petrus poſitive conſentiat non obligat, ſi Petrus mortuus eſt antequam conſentiat?*
373 *Quid ſi Petrus in prædicto caſu det fatuum conſilium?*
374 *Quid ſi quis voveat ſingulis ſextis feriis jejunare, ſi fiat illo anno judex prætorio, & de facto factus ſit judex magnæ curiæ, tenebiturne voto?*
375 *Quid ſi Petrus voveat dare centum Eccleſiæ, ſi nubat cum filia Franciſci, & illa nolit cum eo nubere?*
376 *Quid ſi quis voveat centum dare Eccleſiæ, ſi ejus filius honeſtè nubat, & ille primo honeſtè, deinde mortua uxore inhoneſtè nupſit?*

363 Dico primò: Multiplex eſt conditio, quæ votis apponi poteſt, ſcilicet contingens, neceſſaria, impoſſibilis, de præſenti, præterito, vel futuro, honeſta, turpis, dependens à propria, vel ab aliena voluntate. Conditio de præterito, vel de præſenti in votis appoſita, non reddit votum conditionale, quia non ſuſpendit ejus obligationem; idem dicendum eſt de conditione futura neceſſaria, quia hæc pro impleta habetur. Ita communiter Doctores. E contra conditio impoſſibilis, reddit votum nullum, cum talis conditio nunquam poſſit poni in eſſe. Nec obſtat quod conditio impoſſibilis in matrimonio, & ultimis voluntatibus habeatur pro non adjecta, nec reddat actum nullum, nam in matrimonio, & ultimis voluntatibus diſpoſuit jus non tamen in votis. Trullenc. *in Decalogum lib. 2. cap. 2. d. 27. numero* 4. & cum Sanchez, Bonacina, Palaus *de voto d. 1. p. 17. num. 1.*

364 Dico ſecundò: Votum ſub conditione turpi, regulariter eſt nullum, ut votum de eleemoſyna faciendâ, ſi fœminam quis ad turpem actum obtineret, quia eſto eleemoſyna bona ſit, at promiſſa, ut medium ad conditionem turpem obtinendam, mala eſt. Ita cum Leſſio, Sanchez, Bonacina, Palaus *ſuprà num. 1.* Trullenc. *ſupra num. 5.* Dixi regulariter, quia regulariter hæc conditio turpis inducit promiſſionis finem, nam ſi ſolum, ut pura conditio apponeretur, voti obligationem non impediret. Vt ſi dux Chriſtianus cum Turcis pugnans voveat, ſe ad Religionem tranſiturum ſi Turca vicerit, tunc enim nullatenus intendit illam Turcæ injuſtam victoriam, nec ad eam dirigit votum, immo eam odio habet, ſed eo ſolum per modum conditionis imponitur; ita cum Sanchez, Villalobos, & aliis, Trullenc. *ſuprà num. 5.*

365 Dico tertiò: Si ſub conditione futura contingente, & honeſta votum emittatur, ante impletam conditionem, voti obligatio ſuſpenſa eſt, quia vovens noluit ſe obligare niſi conditione exiſtente, illa verò poſita, obligat votum, ac ſi tunc abſolute eſſet emiſſum; quia poſita conditione tranſit in abſolutum; ac proinde ſola ea mera, quæ culpam gravem conſtitueret, in executione voti abſolute emiſſi, eadem conſtituit in hoc voto poſt conditionem impletam. Sanchez quem refert, & ſequitur Palaus *de voto d. 1. puncto 17. num. 2.* Advertendum tamen eſt conditionem ſub qua votum emiſſum eſt, ſæpe non eſſe unam, ſed multiplicem, ut ſi quis voveat eleemoſynam, ſi beneficium obtinuerit, & frater ſuus ſalvus evaſerit ex infirmitate; unde quando conditio ponitur copulative, utraque conditio debet impleri antequam votum obliget, ſecus ſi diſiunctione, ut ex ſe patet, Palaus *ſuprà num. 2.*

366 Quæres, quando conditio cenſeatur impleta? Et ſpecialiter dubitant DD. de voto quod emiſit filius ſuſcipiendi ſtatum religioſum, ſi Pater conſenſerit? Sanchez *lib. 4. ſumma cap. 23. num. 14.* exiſtimat talem conditionem eſſe impletam, quando filius declarando patri votum, ille conſentit, licet poſtea diſſentiat. Sed melius Eſcobar *libro 29. Decalogi num. 506.* exiſtimat conditionem illam non ſolum poſtulare, ut pater poſitive conſentiat, ſed ultra requiri, ut poſtea non diſſentiat; quia ex vi illius conditionis, non vult filius ſe obligare ad religionem ſtante patris diſſenſu, conditio namque illa, ſi pater conſenſerit, non poſitivum conſenſum, ſed carentiam diſſenſus, toto tempore, ante ingreſſum in Religionem, ſignificat. Si tamen pater tempore voti mortuus fuerit, vel antequam diſſenſum præſtiterit, conditio cenſebitur impleta, quia patris diſſenſus eſſe non poteſt, ſub cujus carentia Religio promittitur.

367 Quæres ſecundò: An conditio debeat impleri in ſpecifica forma, an ſufficiat æquivalenter? Affirmat Sanchez ſufficere æquivalenter *lib. 4. de voto cap. 23. num. 27.* Sed verius exiſtimo, conditionem in ſpecifica forma debere impleri *juxta l. qui heredi. §. 1.* Ita Palaus *d. 1. p. 17. de voto num. 5.* Tamburinus *lib. 3. Decalogi cap. 12. §. 6. num. 4.* Leander *de juramento tract. 1. d. 41. quæſt. 21.* Eſcovar *lib. 29. num. 509.* Ratio eſt, quia conditio inducit formam, & licet ab hac regula excipiantur conditiones, quæ tanquam diſpoſitiones, & media ad effectum intentum aſſumuntur, hoc non ex natura rei, ſed ex vi juris, ita in contractibus diſponentis, procedit, quæ diſpoſitio juris, non datur in votis, ſicut in aliis contractibus.

368 Quæres tertio: An vovens ſub conditione futura contingente, teneatur expectare conditionis eventum, ut ſic voto obligetur, vel poſſit ſe inhabilem

Digitized by Google

habilem reddere ad voti executionem ? Respondeo, quod vel conditio pendet à voventis voluntate, vel ab alterius voluntate, si à voventis voluntate, non tenetur expectare conditionis eventum, sed potest statum incompatibilem assumere, quia conditio à voventis voluntate dependens suæ voluntati remittitur. Unde si quis promisit religionem si luserit hoc anno, potest ante impletam conditionem matrimonium contrahere. Et idem est si promisit eleemosynam si è domo hoc anno non exierit, potest nolle exire è domo, quia per hanc voluntatem, nihil contrarium voto apponit, cum solum appetat, conditionem sub qua votum promisit, non impleri. Si vero ab alterius voluntate pendeat, non potest ejus voluntatem eludere, & impotentem reddere ad obligandum, alias frustra voveret, nisi aliàs conditionem apponi fuerit moraliter impossibile, quia tunc tenetur conditionis eventum expectare. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *supra numero* 6. Tamburinus *supra numero* 5.

369 Quæres quartò: qualiter peccet contra votum conditionem impediens ? Respondeo nullum esse peccatum, si impediatur conditio dependens à propria voluntate, sive conditio præcipiatur aliqua lege, sive non; si tamen conditio à voluntate alterius dependeat, & lege prohibita sit, ut si quis promittat religionem, si filius suus fornicationem commiserit, certum est teneri talem conditionem impedire. At si conditio nulla lege prohibita sit, dicendum consequenter est teneri voventem ex vi voti talem conditionem non impedire. Ita cum Sanchez, Bonacina, Laïman, Palaus, *supra numero septimo*. Ratio est quia vovens sub conditione ab alterius voluntate pendente, in ejus voluntatem sui voti obligationem remittit, ne igitur hæc remissio inanis sit, cogitur voluntatem alterius non impedire; in illo namque voto includitur pactum quoddam faciendi, quod bono modo potest, ad implendam conditionem, vel de hoc datur ibi aliud votum; ut alij volunt; unde ibi dantur duo vota, unum faciendi talem rem adimpleta tali conditione, & aliud non impediendi conditionem. Unde si filius, qui vovit Religionem, si Pater consentiat, vi, aut fraude consensum Patris impedierit, peccat contra tale votum, non tamen si precibus, & rationibus eum suadeat, quia adhuc liberum absolute relinquit. Idem dicendum est de eo, qui vovit Religionem ingredi, si integram sanitatem recuperaverit, & animo subterfugiendi à voto vescitur immoderate, & cibos noxios, non tamen si passione his vescitur. Tamburinus, *supra numero sexto*. Et idem dicendum est, si quis voveat dare centum, si per annum à fornicatione abstineat, & data opera fornicando, ne voto adstringatur, nam si per annum non abstinuit, non tenetur voto. Tancred. *tractatu* 3. *de voto d.* 1. *quæst. quinquagesima septima*. Et idem dicendum est, si quis voveat fabricare Hospitale, si Petrus id judicaverit, & precibus illum suadeat, ne tale quid judicet, nam revera conditio non fuit impleta. Tancred. *supra*.

370 An autem quando conditio nulla lege prohibita est, nec pendet ex voluntate voventis, si de facto culpabiliter à sic vovente impediatur, ne ipso voto obligetur, adhuc illo astringatur ac si conditio esset impleta ? Respondeo negativè. Ita Suarez, *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *cap.* 17. *numero vigesimo*, Filliucius, *tractatu* 26. *capite sexto, quæstione* 9. *numero* 158. & cum Laïman, Bonacina, *in Decalogum d.* 4. *quæstion.* 2. *part. secunda, numero septimo*, Torre, *quæstion.* 38. *art.* 3. *d.* 11. *numero* 8. Palaus, *supra numero decimo secundo*, Diana, *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 101. & 9. *p. tract.* 8. *resol.* 3. Escobar, *libro vigesimo nono, numero* 513. Leander, *tractat.* 1. *de juramento d.* 41. *quæstion.* 33. probabile putat Tamburinus, *supra numero septimo*, Tancred. *de voto d.* 4. *tractatu* 3. *quæst.* 57. & 59. contra Gabrielem, Tabienam, Ricardum, Navarrum, & alios, quos refert Palaus, *supra n.* 11. & contra Fagundez, *in Decalogum cap.* 30. *lib.* 2. *numero* 7. Trullench. *lib.* 2. *Decaleg. cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 24.

Ratio fundamentalis est, nam vel talis vovens, qui fraude postea usus est, obligatur ad voti executionem, ratione conditionis non impletæ, vel ratione peccati commissi; neutrum dici potest: ergo &c. non primum; quia revera conditio impleta non fuit, siquidem si conditio fuit ingrediendi Religionem, si per annum non fornicetur, ille per annum non fuit à fornicatione præservatus. Neque secundum dici potest, nam hoc discrimen est inter violationem promissionis Deo factæ, & violationem promissionis homini factæ, quod illa obligat ad pœnitentiam, & satisfactionem pro peccato, & injuria Deo illata; hæc vero ad compensationem, sive restitutionem damni illati, quia homini violatione juris sui damnum infertur in bonis ei utilibus, quod compensari potest, ac debet; Deo autem transgressione voti, nulla utilitas decedit quæ restitui possit, ac debeat, sed tantum honor, ac cultus debitus aufertur, qui per pœnitentiæ satisfactionem eidem restituitur.

Et hinc jam plures libet deducere casus: Primò 371
si quis voveat Religionem ingredi, si Pater intra annum consentiat, & ipse votum non manifestat, elapso anno, quamvis Pater consentiat, non tenetur ingredi Religionem. Et idem est si vi, vel dolo impediat ne Pater consentiat, quia reipsa conditio non fuit impleta. Et idem dicendum est, si voveat captivos redimere, si Petrus expedire illi dixerit; nam si Petrus illi non dixit, non tenetur voto, etsi ille non dixerit, eoquod votum ille manifestum non fuit. Secus si voveat captivos redimere, si Petrus id judicaverit, nam si Petro votum sit manifestum, & ipse interius judicet expedire, tenetur voto, etsi Petrus exterius dicat quod non expedit. Ita cum aliis Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 1. *quæst.* 58. Item si quis voveat servire in perpetuum Hospitali, sub conditione dum Rector illius retinere voluerit tenetur voto, si Rector illum dimittat, eo quod bene serviat, nam rector quantum est ex parte sua retinere volebat. Ita Palaus, *tractatu* 15. *d.* 1. *p.* 17. *numero* 13. & cum aliis Tancred. *supra quæstione* 59.

Item votum sub conditione si Petrus positive 372
consentiat, non obligat si Petrus mortuus est, antequam consentiat, facta est enim conditio impossibilis. Ita cum Sanchez, Azor, Tancred. *supra quæst.* 60. Et idem dicendum est, si votum sit ingrediendi Religionem si Petrus consilium det; nam si Petrus nollet consilium dare, vel moriatur, vel absens sit, & intra tempus voti præfixum, non possit ab eo consilium postulari, etsi postea veniat, non obligat votum, quia tempus appositum fuit, ut suppono ad extinguendam obligationem voti. Imò id verum est, etsi culpa voventis Petrus consilium non dederit. Ita Tancred. *supra quæstion.* 60. Sed quid si Petrus consultus in

Digitized by Google

prædicto caſu dicat, voventem non debere votum exequi, & ſtatim mutet, & dicat debere exequi? Reſpondeo tunc poſſe voventem eligere, quod velit. Ita & bene Tancred. *ſuprà q.* 61.

373 Sed quid ſi Petrus in prædicto caſu det fatuum conſilium, tenebiturne vovens voto? Reſpondeo non teneri, nam intentio voventis fuit ſe obligare ad id, quod Petrus prudenter judicaſſet; Unde ſi conſtet conſilium fuiſſe fatuum, & ſi votum ſit ingrediendi religionem, ſi Petrus tale conſilium dederit, votum non obligat, & ſi Petrus ita conſulat, votum enim non erat ſequendi quomodocunque conſilium ejus, ſed conſilium prudens. Ita bene cum Naldo, Trullench. Tancred. *ſuprà quæſtion.* 62. contra Sancium, *lib.* 4. *ſummæ cap.* 25. *num.* 56.

374 Sed quæres quid dicendum ſit, ſi Petrus voveat ſingulis ſextis feriis jejunare, ſi fiat illo anno judex prætorij; & de facto factus eſt judex magnæ Curiæ, tenebiturne voto? Reſpondeo quod ſi ille tantum intendit officium judicis ut ſic & expreſſit hoc officium judicatus prætorij, quia ut plurimum ab eo gradu incipitur, tenebitur voto; nam cum intentio voventis, tantum fuerit aſſequi gradum judicis, & melius gradum aſſecutus fuerit, procul dubio tenebitur voto. Secus ſi intentio voventis ſolùm fuit directa ad officium judicis prætorij, eo quia vel erat majus lucrum, vel quia non ſe putabat adeo idoneum, vel quia habebat aliquam æmulationem, quoad hoc facile officium, nam tunc non intendit principaliter officium judicis, ut ſic, ſed hoc numero, etto grandius fuiſſet ille judicatus magnæ Curiæ, quod ſi vovens dubius de ſua intentione exiſtat, ſive dubium ſit negativum, ſive poſitivum, votum non obligat. Ita & bene Tancred. *ſuprà quæſt.* 63.

Et idem dicendum eſt, ſi quis voveat dare calicem aureum Eccleſiæ, ſi fiat parochus Eccleſiæ Sancti Antonij, ſi fiat parochus pinguioris Eccleſiæ Sancti Michaëlis; vel ſi voveat centum dare pauperibus ſi ejus filius Doctor evaſerit, & filius aſſecutus fuit ſcientiam doctoris, non tamen gradum; nam ſi ſolum intendit Eccleſiam Sancti Antonij vel gradum doctoris, non obligat votum. Si tamen intendit quod ejus filius ſit parochus, vel habeat doctrinam, quam ſolent habere doctores, quia filius videbatur craſſi ingenij, obligat votum, quia jam idem fuit effectus, & de hac, vel illa Eccleſia, vel de gradu Doctoris, non curabat: Tancred. *ſuprà quæſt.* 63.

375 Sed quid ſi quis voveat dare centum Eccleſiæ, ſi Petrus cum filia ſua contrahat matrimonium, & ille velit illam ducere, & filia nolit, cenſeturne conditio impleta vel non? Reſpondeo non cenſeri impletam, ac per conſequens votum non obligare. Nam cum obligatio pendeat ex voluntate voventis, eo ipſo quod conditio non fuit appoſita, votum non obligat. Secus dicendum eſt in legatis, nam in illis conditio pendens à voluntate duorum cenſetur impleta, quando per debitorem non ſtat. Ita Sanchez *lib.* 4. *ſummæ cap.* 23. *numero* 18. Tancred. *ſuprà quæſt.* 64. Imò addo, quod in prædicto caſu, ſi matrimonium non fuit conſummatum, ſed tantum ratum, conditio non cenſetur impleta, niſi aliud conſtet de voluntate voventis; nam cum in votis ſit facienda ſtricta interpretatio, ita ut quod fieri poſſit minus obliget *ex cap. ex partibus de ſponſibus*, nomine matrimonij ſtricte loquendo, ſolum venit matrimonium conſummatum. Ita cum Sancio, & aliis, Tancred. *ſupra quæſt.* 61.

376 Sed quid ſi quis voveat dare centum Eccleſiæ, ſi ejus filius honeſtam mulierem ducat, & filius prius honeſtam, deinde meretricem, vel aliam inhoneſtam ducat? Reſpondeo votum non obligare, quia ſub illa forma, ſi honeſtam ducat clauditur illa conditio negativa, ſi cum inhoneſta non contrahat. Ita cum Peralta, Rolando, Mantica, & aliis Tancred. *ſuprà quæſt.* 66. Et idem dicendum eſt, ſi quis voveat dare Eccleſiæ calicem ſub conditione, ſi Franciſcus fuerit parochus illius, ſi aliàs Franciſcus electus fuit in parochum, ſed noluit acceptare parochiam, quia revera defuit conditio, Franciſcus enim parochus non fuit. Ita cum Acoſta, Mantica, & aliis Tancred. *ſuprà quæſt.* 67. Et idem dicendum eſt, ſi quis voveat dare Calicem Eccleſiæ, ſi ejus filius fieret ſacerdos, & filius duxit uxorem, & ea mortua factus eſt ſacerdos, nam cum filius duxerit uxorem evanuit conditio, niſi alias intentio voventis fuiſſet quandocunque ejus filius fuiſſet ſacerdos. Ita cum Acoſta, Molina, Tancred. *ſuprà quæſt.* 68.

SECTIO XXVII.

Qualiter votum pœnale obligationem inducat.

SUMMARIUM.

377 *In quo conveniat votum pœnale cum conditionali, & quomodo ab eo differat?*

378 *Votum pœnale dupliciter emitti poteſt, primo vovendo pœnam caſu quo talem rem non faciat, ſecundo utrumque vovendo.*

379 *Quando tranſgreſſio voti pœnalis culpa caret ex aliqua cauſa, vovens non tenetur ad pœnam?*

380 *An caſu, quo quis voveat vitare fornicationem ſub conditione peregrinationis, ſublato voto, de vitanda fornicatione per diſpenſationem cenſeatur ſublatum votum de pœna incurrenda.*

381 *An ad petendam diſpenſationem voti principalis debeat vovens facere mentionem acceſſorij.*

382 *Quædam corollaria ponuntur.*

383 *An quoties quis violat votum pœnale, pœnam incurrat.*

377 Dico primò: votum pœnale concidit cum voto conditionali, differt tamen ab illo, quia etſi in utroque conſenſus ſit imperfectus, & conditionalis, pendenſque ab eventu conditionis, & uſque ad eum ſuſpenſus ſit, at in pœnali, res promiſſa apponitur tanquam ingrata, & odioſa voventi, ut ejus timore arceatur, ne committat id, quod vitare intendit, vel ne omittat quod exequi deſiderat, in mere autem conditionali, non apponitur tanquam odioſa, & pœna, ſed tanquam obſequium, quod vovens eligit Deo offerre quo ipſum inducat ad id beneficium concedendum. Eſſe autem hoc votum validum, & honeſtum nemini dubium eſſe poteſt, quia materia promiſſa, & conditio ſub qua promittitur honeſtæ ſunt, neque majoris boni impeditivæ, ut cum communi ſententia probat Palaus *de voto d.* 1. *p.* 18. *num.* 1. & alij communiter.

Dico

378 Dico ſecundò: votum pœnale dupliciter præſtari poteſt. Primò ſi quis ſolum vovet pœnam, & res vitanda ponatur ſub conditione, ut voveo religionem, ſi luſero. Secundò ſi quis utramque voveat, & pœnam ſcilicet, & uſitationem rei, ut voveo me non luſurum, etſi luſuro voveo caſtitatem. In primo caſu, ſi vovens luſerit, non peccavit, tenetur tamen ad pœnam, ſolum enim eſt votum circa pœnam, & non circa ludum. Ita cum Henriquez, Sanchez, Suarip, Tancred. *tract.3. de voto d.4. quæſt.4.* In ſecundo, & ludendo peccabit contra votum, & tenetur ad pœnam ſub peccato. Ita Trullenc. *in Decalogum lib. 2. cap. 2. dub. 26. numero 3.*

379 Dico tertiò: quando tranſgreſſio voti pœnalis omni culpa vacat ex invincibili oblivione, aut ex alia cauſa, vovens non tenetur ad pœnam appoſitam. Ita cum Sanchez, Fagundez, Trullenc. Tamburino, Leander, *de juramento tract.1.d.42.quæſt.4.* Quod verum eſt, etſi pœna ſit graviſſima, & etiamſi ſit ad vitandum aliquod peccatum contra jus naturale. Ratio eſt, quia pœna fuit appoſita in pœnam peccati tranſgreſſionis, ergo ubi peccatum non fuerit, pœna eſſe non debet. Et idem dicendum eſt, ſi quis recordetur voti, non autem pœnæ à ſe impoſitæ, nam ſi tranſgrediatur votum, non tenetur ad pœnam. Et ratio eſt, quia nulla lex obligat ad pœnam, quando hæc ignoratur. Ita Sanchez *lib.4.de voto cap.22. num.18.* Palaus *ſuprà num.3.* Trullenc. *lib.2. Decalog. cap.2. dub.27.* Tamburinus *tract.3. cap.12. §.7. num.4.* Leander *tract.1. de juramento d.42. quæſt.7.*

380 Quæres primò: an in caſu quo quis votum duplex emiſerit, vitandi ſcilicet fornicationem ſub conditione peregrinationis, ſublato voto, de vitanda fornicatione per diſpenſationem, vel irritationem, cenſeatur ſublatum votum de pœna incurrenda? Dixi de pœna incurrenda, nam ſi pœna jam incurſa eſt, certum eſt, etiam ſi votum auferatur, non auferri pœnam, quia jam eſt independens ab illo: Reſpondeo affirmative. Ita cum Sanchez, Layman, Palaus, *ſuprà num.4.* Trullenc. *ſuprà num.7.* Tamburinus *ſuprà num.5.* Leander *ſuprà quæſt.8.* Ratio eſt, quia votum pœnæ ſubeundæ emittitur, ut acceſſorium priori, & in illius perfectam obſervationem: ergo ſublato principali, tollitur acceſſorium.

381 An autem ad petendam diſpenſationem voti principalis debeat vovens facere mentionem acceſſorii? Reſpondeo negative. Ita cum Sanchez, Layman, Palaus, *ubi ſuprà num.5.* Tamburinus *ſuprà num.5.* Leander *ſuprà quæſt.10.* Ratio eſt, quia ex eo talis mentio eſſet facienda, quia votum acceſſorium annectitur aliquo modo materiæ voti principalis, eamque digniorem, & gratiorem Deo reddit; ſed hoc non ita ſe habet in voto pœnali: non enim annectitur voti principalis obſervationi, ſed potius tranſgreſſioni; quia non obligat, quouſque votum principale tranſgreſſum fuerit: ergo, &c.

382 Hinc colliges quotieſcunque materia voti principalis quacunque ratione fuerit inepta, vel impoſſibilis, non obligare votum pœnale; ut ſi quis voveat rem malam, vel indifferentem ſub aliqua pœna. Quod procedit, etiamſi quando vovit, falſo putavit ſe obligari ad illam pœnam, nam ignorantia voventis nullam obligationem inducere poteſt, quando materia non eſt apta ad inducendam obligationem. Et idem dicendum eſt, quando materia voti principalis à principio fuit apta, & poſtea facta eſt indifferens, vel mala, nam votum annexum de pœna ſubeunda in tantum obligat, in quantum materia voti principalis fuerit apta materia voti.

383 Quæres ſecundò: an quoties quis violat votum, ſeu materiam in cujus obſervationem votum pœnale emiſit, pœnam incurrat, vel tantum illam incurrat prima vice? verbi gratia, promiſit Petrus, ſi luſerit dare eleemoſynam pauperi, vel Romanam peregrinationem, vel religionem. An ad multiplicationem delicti, multiplicanda ſit pœna? Reſpondeo quod vel votum eſt de pœna ſubeunda caſu, quo luſerit, vel eſt votum non ludendi, etſi luſerit, ſubeundi illam pœnam. Si primo modo ſit, tunc tantum obligat ad ſemel pœnam ſubeundam. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *ſuprà numero 6.* Ratio eſt, quia poſito prædicto voto, ſatis dubium eſt voventem velle ſe pœnam ſubire quoties luſerit, ſed tantum colligitur velle obligari ad pœnam ſubeundam, ſi de facto luſerit, quod una vice completur, ut cum quis vovet jejunare vigilia alicujus Sancti, de prima vigilia ſequenti tantum intelligitur, niſi quando univerſale ſignum addat, ut tradit cum Bonacina, Sanchez, Palaus, *ſuprà.* Et idem dicendum eſt *de voto pœnæ ſubeundæ*, ſi luſerit, quia voti obligatio extendenda non eſt.

At ſi votum ſit non ſolum de pœna ſubeunda in caſu quo luſerit, ſed etiam non ludendi; tunc exiſtimo non ſolum de prima vice, ſed etiam de aliis vicibus debere intelligi, ſi aliàs pœna iterabilis eſt. Secus ſi non fuerit iterabilis, vel fuerit maxime acerba, ut votum peregrinationis Jeroſolimytanæ, vel Romanæ, vel exorbitantis eleemoſynæ, nam tunc de ſola prima vice debet intelligi. Ita cum Sanchez, Layman, Palaus, *ſuprà num.6.* Trullenc. *ſuprà num.10.* Tamburinus *ſuprà num.5.* Prima pars aſſertionis probatur, nam votum pœnale eſt acceſſorium voto non ludendi; ſed votum non ludendi non eſt ſolum de prima vice; ergo nec votum pœnale, nam acceſſorium ſequitur principale. Secunda verò pars etiam conſtat, nam ſub una inevitabili, & perpetua pœna poteſt promitti perpetua ludi evitatio, qualis eſt pœna, quæ non eſt iterabilis, vel etiam valde acerba, & difficilis.

Adverte tamen non eſſe improbabilem ſententiam, tam in caſu, quando votum eſt de ſola pœna, quam de ludo vitando, & pœna ſubeunda, votum de pœna ſubeunda intelligi de prima vice, ſive pœna ſit vel non ſit acerba. Ita Saa, quem refert, & ſequitur Diana *p.4.tract.4. reſol.18.* præcipue ſi non conſtet de intentione voventis, & eſt dubium an fuerit ſubeundi pœnam in perpetuum, quam ſententiam etiam probabilem putat Layman, quem refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà num.10.* Ratio eſt, quia cum de voti obligatione agitur, benigniot pars in dubio amplectenda eſt.

SECTIO XXVIII.

Utrùm obligatio voti ceſſet, ceſſante cauſa, ob quam factum eſt, vel notabili mutatione ſuperveniente.

SUMMARIUM.

384 *Votum ceſſat ceſſante cauſa finali.*
385 *Quædam corollaria ponuntur.*
386 *Quæ materia mutatio voti obligationem ceſſare faciat.*

Digitized by Google

387 *Quædam corollaria ponuntur.*
388 *Quid si dubium sit an promissum ita mutatum sit, ut moraliter diversum censeri debeat?*
389 *Ob periculum vitæ, luminis, alteriusve detrimenti supervenientis post emissum votum potest votum cessare.*
390 *An pœnitere de voto facto sit peccatum?*

384 DIco primò: voti obligatio cessat, sublata causa finali, propter quam fuit factum, v. g. vovit quis non ingredi domum Franciscæ, quia erat ipsa illi occasio peccandi, moritur Franciscа, aut alio migrat, cessat hoc votum, quia cessat causa, sed de hoc late *suprà*. Ita cum communi sententia Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 12. *quæst.* 1.

385 Hinc fit adolescentem nobilem secundo genitum, qui fecit votum suscipiendi statum clericalem, vel ingrediendi religionem, ne quid faceret indecorum suæ nobilitati, ob exiguum patrimonium, si interim frater major natu moriatur, non teneri voto, nam finis partialis principalis voti fuit vivere, sine dedecore ob exiguum patrimonium, sed cessante fine partiali principali voti, cessat votum, ut docet Sanchez, *lib.* 4. *summa cap.* 40. *& cap.* 7. *n. ultimo*: ergo cum in hoc casu cesset finis principalis partialis acquisitione majoratus, cessat votum, Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 1. *quæst.* 56. Secundò fit, quod si quis voveat dare eleemosynam Petro, quia erat pauper, si ille dives evasit, cessare votum. Item si quis vovit dare eleemosynam ad impetrandam filij salutem, & hic mortuus erat, quando vovens votum emittebat, cessare votum. Item si quis vovit dare eleemosynam ad liberandum captivum, & captivus ante votum fuga libertatem vindicaverat, non tenetur voto. Item si quis voveat dare centum ad reparandum Ecclesiam, & hæc propter hæreticos reparari non concedatur, non obligat votum. Ita Tamburinus *lib.* 3. *Decalog. cap.* 16. §. 1. *num.* 2.

386 Dico secundò: ea mutatio quæ materiam promissam diversam in re, vel in prudentum hominum æstimatione constituit, voti obligationem cessare facit. Ita cum communi sententia Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 12. *quæst.* 1. Palaus *de voto d.* 1. *p.* 20. *num.* 3. Ratio est, quia votum non obligat ultra voventis intentionem; sed vovens non habuit intentionem se obligandi, supervenienti tali mutatione; ergo votum non obligat. Dixi mutationem debere esse in re, vel in prudentis arbitrio, quia non sufficit mutatio voluntatis ejus, qui fecit votum, neque quod superveniant aliquæ causæ, quæ si à principio extarent, votum non fieret; quia obligatio, vel deobligatio promissionis non est sumenda ex promissione, quæ futura foret, sed ex ea quæ facta est, aliàs nihil firmum subsisteret, quapropter eam diversitatem prudentum arbitrio remittimus, qui tunc judicabit materiam esse diversam, quando rem constitueret in alio statu moraliter diverso, vel datur magna difficultas ex parte ipsius rei promissæ.

387 Hinc fit quod si quis post votum religionis sacrilegè contrahat matrimonium, si post multos annos matrimonij, ejus uxor moriatur non teneri ingredi religionem ex vi voti, etiamsi in vovente sint vires sufficientes ad onus religionis sustinendum; facta est enim magna rerum mutatio: difficillimum enim esset huic homini filios, & familiam deserere, & aliorum regimini se tradere, ut bene notat cum Navarro, Sylvestro, Hostiensi, Antonino, Tabiena, & aliis Tancred. *tract.* 3. *de voto d.* 1. *quæst.* 55. & non reprobat Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 16. §. 1. *num.* 1. Secus dicendum est, si post sex menses contracti matrimonij ejus uxor moriatur, nam tunc non censentur mutatæ circumstantiæ. Tancredus *ibi*.

Sed quid si dubium sit an promissum ita mutatum sit, ut moraliter diversum censeri debeat? Respondeo in favorem voti judicandum esse, quia dubia excusatio certam obligationem tollere non potest, ita cum Sanchez, Palaus, *suprà num.* 4. Quod intelligendum est, quando mutatio provenit ex difficultate supervenienti, vel ex aliis circumstantiis, quæ honestatem materiæ non mutant, nam si honestatem illius dubiam reddunt, cessat illius obligatio, quia non potest gratum esse Deo, exequi rem, de qua dubitatur an illi offensa sit. Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 4. 388

Secundò fit, ob periculum vitæ, honoris, alteriusve gravis detrimenti superveniens, vel denuo cognitum post votum emissum, voti obligationem cessare, ut multis allegatis docet Suarez, quem refert, & sequitur Palaus, *suprà num.* 5. Secus verò, si non obstante illo periculo, quis voveret, quando virtuti consonum est tali periculo se offerri, Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 13. *quæst.* 8. An autem religiosus, qui post professionem acquisivit jus ad Regiam coronam, qui si ante professionem prævidisset non profiteretur, teneatur ad professionem emissam? Respondeo affirmative, quia ex parte rei promissæ non datur mutatio. Ita Caramuël *in secunda parte Theologiæ fundamentalis num.* 89. Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 13. *quæst.* 7. 389

Advertendum tamen est prædictam mutationem rei promissæ aliquando esse perpetuam, hoc est, pro toto tempore, quo votum impleri potest, aliquando temporale, pro aliquo tempore determinato, aliquando mutatio afficit totam materiam promissam, aliquando partem; si mutatio perpetua est, & comparatione totius materiæ promissæ, votum extinguitur, si temporalis sit pro eo solo temporale obligatio suspenditur, manente obligatione, quoad aliud tempus, in quo impedimentum cessat, sic plurimis citatis Palaus *suprà num.* 5.

Quæres tamen in fine hujus sectionis, an pœnitere de voto facto sit peccatum mortale, vel, saltem veniale? Respondeo non esse peccatum mortale, nec veniale. Primam partem hujus asserti tenent D. Th. Navarrus, Saïrus, Bonacina, & alij, quos refert, & sequitur Palaus *d.* 1. *de voto p.* 21. *num.* 2. Ratio est, quia cum hoc dolore, & tristitia compati potest voluntas efficax promissum exequendi. Secundam verò partem defendit Suarez *lib.* 5. *de voto cap.* 7. *n.* 4. contra Palaum *suprà*. Ratio est, quia talis dolor non est malus, neque ex objecto, neque ex fine, non ex objecto, quia non datur præceptum, cui talis tristitia adversetur, nam sicut à principio quis potuit nolle vovere, ita nunc potest nolle voviſſe, non ex parte finis, nam si quis cognoscat tale votum sibi ob fragilitatem suam esse damnosum, & occasio peccati dolere de voto facto ob hunc finem non est illicitum, sed potius honestum. 390

SECTIO XXIX.

Quid sit voti irritatio, quotuplex, & unde ortum habeat, & quibus competat.

SUMMARIUM.

391 *Ponitur diffinitio irritationis?*
392 *Cujus potestatis actus sit irritatio?*
393 *Potestas dominativa propria, & directa, quibus competat?*

394 *Qui*

Digitized by Google

394 *Qui ſint prælati, qui poſſunt ſubditorum vota irritare.*

395 *An hæc poteſtas competat Summo Pontifici, tam reſpectu Religioſorum quam omnium Chriſtianorum?*

396 *Quæ vota Epiſcoporum poſſit Pontifex irritare?*

397 *Quid poſſint alij Prælati inferiores Papa, Reges, & Principes, circa vota ſubditorum?*

398 *An Superiores, qui poſſunt vota ſubditorum irritare, poſſint ea aliis irritanda committere?*

391 DIco primò: irritatio eſt actus liber, quo is à quo votum pendet, tollit voti obligationem dupliciter autem poteſt vovens depẽdere ab alterius voluntate, primo, ſi alter ſuper eum habeat dominativam poteſtatem, ut Pater in filium, Prælatus in ſubditos, Dominus in ſervum, vel quando quis alteri ita ſe ſubjecit, ut nolit obligari niſi dependenter à voluntate ipſius, quandiu namque perſeverat in eo hujuſmodi voluntas, ejus voluntas dependet à voluntate alterius. Secundò poteſt quis pendere in voto ab alterius voluntate, ſi in materia promiſſa ab eo dependeat, quia ſcilicet illius dominium habet, vel quia illam prohibere poteſt. Quando ergo quis priori modo ſubjectus eſt alterius voluntati, poſſunt ejus vota pro arbitrio illius, qui materiæ dominium habet irritari, quippe quæ emiſſa fuere ſub tacita conditione illius conſenſus. At quando quis ſolum in materia promiſſa ab alio dependet, ſolum poteſt ejus vota irritare, quatenus poteſt prohibere materiam promiſſam, quæ irritatio non eſt directa, ut prima, ſed indirecta, & non tollit abſolute votum ut prima, ſed tantum ſuſpendit illam, dum impedimentum durat. Ita Suarez, quem refert, & ſequitur Palaus *de voto d. 1. cap. 1. num. 2.*

392 Dico ſecundò: irritatio proveniens ex ſubjectione voluntatis, non eſt actus juriſdictionis, ſed dominij. Irritatio vero ex materia promiſſa proveniens, aliquando eſt actus juriſdictionis, aliquando dominij, eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, quando Pontifex, vel Epiſcopus materiam prohibet, eſt actus juriſdictionis temporalis, quando Rex materiam prohibet. Eſt autem actus dominij, tum proprij, tum improprij, improprij ut quando hæres famulis præcipit aliquid voto incompatibile, proprij quando is, qui habet poteſtatem dominativam nolit votum irritare, ſed illud pro tempore ſuſpendere.

393 Dico tertiò: poteſtas propria, & directa competit patribus in filios, dominis in ſervos, viris in uxores, Prælatis in ſubditos non ex jure Eccleſiaſtico, ſed naturali, & divino, naturaliter: namque filius ſubditur Patri, ſervus domino, & uxor marito, & ſubditus Prælato, nam ut diximus in tractatu de matrimonio, tria vota ſubſtantialia religionis, non jure Eccleſiaſtico, ſed naturali ſtatum religioſum conſtituunt, ſecluſa illius ſolemnitate. Ita cum Suario, Sanchez, Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 2. dub. 19. num. 1.* & cum multis Leander *tract. 1. de juramento d. 16. queſt. 7.*

394 Prælati autem, qui ſubditorum poſſunt vota irritare, ſunt omnes Superiores, ut Generales, Provinciales, Priores, imò etiam Subpriores, ſeu Vicarij in abſentia Prioris, ſi alias habeant poteſtatem generalem regendi religioſos ſibi ſubditos. Ita cum Azor, Saïro, Sanchez, Portel, Bordonus, *reſol. 14. num. 15.* Fagundez *ſuprà num. 4.* Eandem poteſtatem habent viſitatores dum viſitant in tota Provincia, ſiquidem pro tunc ſunt Superiores totius Provinciæ, ſi alias non habeant juriſdictionem limitatam ad aliquos caſus. Idem dicendum eſt de Abbatiſſis reſpectu monialium, quidquid contradicat Azor, *lib. 11. cap. 17. queſt. 3.* ad finem, per monialium namque profeſſionem acquirunt dominativam poteſtatem ſuper illas. Ita Fagundez *ſuprà num. 7.* Bonacina, Rodriguez, & alij, quos refert, & ſequitur Bordonus *ſuprà num. 59.*

An autem competat etiam hæc poteſtas Summo 395
Pontifici, tam reſpectu religioſorum, quam omnium Chriſtianorum? Reſpectu religioſorum certum eſt convenire. Ita cum communi ſententia Leander *tract. 1. de juramento d. 16. queſt. 12.* ſiquidem religioſi ſubduntur Pontifici, non ſolùm ea ratione, qua cæteri fideles, ſed ratione voti obedientiæ, eò quod eſt ſupremus omnium religioſorum generalis, & ideo habet in illos dominativam poteſtatem. Reſpectu vero aliorum Chriſtianorum, major eſt difficultas. Affirmat Gloſſa, Molina, Llamas, quos refert Fagundez, *ſuprà*. Sed contraria ſententia communis eſt, ut cum multis teſtatur Leander, *ſuprà queſt. 8.* quæ ſententia vera eſt, etiamſi vota ſint clericorum, niſi aliàs clerici aliquid voveant quod ad gubernationem Eccleſiarum, beneficiorum, & rerum Eccleſiaſticarum pertineat, quia hujuſmodi vota emittuntur cum tacita conditione, niſi Pontifex renuerit. Ratio eſt, quia licet Pontifex habeat à Chriſto Domino ſupremam juriſdictionis poteſtatem ad dirigendum omnes fideles in finem ſpiritualem, ideoque poſſit eorum vota diſpenſare, aut commutare, caret tamen poteſtate dominativa in eos, ac per conſequens non poteſt vota eorum directe irritare.

Poteſt tamen Pontifex irritare proprie ea vota 396
Epiſcoporum, quæ ipſi non poſſunt vovere inconſulto Papa, ſeu quæ ad illorum executionem requirunt Pontificis licentiam, qualia ſunt votum renuntiandi Epiſcopatum, aut religionem ingrediendi, & votum magnæ peregrinationis; alia vero vota, quæ non impediunt munus ſuum, poſſunt libere abſque Pontificis licentia vovere, & exequi, & non poſſunt à Pontifice irritari. Ita cum aliis Leander *ſuprà queſt. 10.*

Hinc à fortiori conſtat non poſſe alios inferiores 397
Prælatos, & multo minus Reges, & Principes temporales, vota ſuorum ſubditorum irritare, quia minori poteſtate gaudent in ſuos ſubditos, quam Pontifex. Ita communiter DD. apud Palaum *ſuprà numero 2.* poterunt tamen Epiſcopi, vel Abbates, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſuorum clericorum vota irritare, quando regimini ſuarum Eccleſiarum talia vota obſtiterint, ut diximus de Summo Pontifice.

Si quæres tamen, an ſuperiores qui poſſunt ſuo- 398
rum ſubditorum vota irritare, poſſint ſua propria, aut aliis irritanda committere? Breviter reſpondeo cum Sanchez, & Palao *ſuprà num. 5.* non poſſe, quia nemo poteſt votum emittere ſub conditione futura ſui conſenſus, & beneplaciti, deſtruit enim hæc conditio ſtrictam voti obligationem, ſed neceſſario debet emittere ſub conditione beneplaciti alterius, ſicuti ſubditi emittunt ſub beneplacito ſuorum ſuperiorum, in qua conditione poteſtas irritandi innititur: ergo nemo poteſt ſua vota irritare. Nec obſtat ea diſpenſare poſſe, quia diſpenſandi poteſtas juriſdictioni nititur, quem Deus concedere poteſt ſuperioribus, etiam comparatione ſuorum votorum, ea inquam remittendo, quæ ipſi, cauſa juſta intercedente remiſerint.

SECTIO XXX.

Ad quæ vota irritativa poteſtas extendenda ſit?

SUMMARIUM.

399 *Poteſtas irritandi vota extenditur ad vota interna & futura.*

400 *Extenditur ad vota emiſſa ex licentia ſuperioris.*

401 *Quid ſi ſuperior dicat concedere ſubdito facultatem irrevocabilem ſe eximere illum à ſua poteſtate.*

402 *Quædam corollaria ponuntur.*

403 *Quando cenſeatur ſuperior concedere ſubdito licentiam vovendi.*

404 *Irritativa poteſtas extenditur ad vota quæ ſubditus fecit tempore quo erat ſubditus, ſi poteſtas non eſt extincta in ſuperiore.*

405 *Quædam corollaria ponuntur.*

406 *Quid dicendum ſit de votis filiorum ante pubertatem emiſſis, nec in pubertate confirmatis, an poſſit Pater ea poſt pubertatem irritare?*

407 *Quid dicendum ſit de curatore?*

408 *An irritativa poteſtas extendatur ad vota, quæ filius emiſit implenda poſt pubertatem?*

409 *An votum impuberum poſt pubertatem commutatum in opera perſonalia poſſit à patre irritari?*

410 *Quando vota tempore ſubjectionis emiſſa cenſeantur confirmari tempore pubertatis?*

411 *An votum emiſſum poſt pubertatem non petendi irritationem voti emiſſi in pubertate ſit illius confirmatio?*

412 *An ſi quis in pubertate fecit votum diſiunctivum, & poſt pubertatem aliquam partem determinavit, cenſeatur confirmaſſe poſt pubertatem?*

413 *An poteſtas irritativa extendatur ad vota emiſſa tempore ſubjectionis, implenda tamen ſubjectione diſſoluta?*

414 *Irritativa poteſtas nequaquam extendi poteſt ad votum factum tempore quo voventes erant ſui juris, bene tamen indirecta, & ſuſpenſiva.*

399 Dico primò: poteſtas irritandi vota extenditur ad vota interna, & futura. Primam partem hujus aſſerti tenent Vaſquius, Suarez, Sanchez, quos refert, & ſequitur Palaus, *d.* 2. *de voto p.* 8. contra Bordonum, *reſol.* 14. *num.* 20. Ratio eſt quia omnia vota quæ ſubditus facit emittuntur tacita conditione, ſi ſuperiori placuerit; ſed ſuperior circa vota interna diſplicere poteſt: ergo poterit ea irritare. Secundam vero partem aſſerti tenent Sanch. Suarez, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus *ſup. n.* 2. Trullenc. *lib.* 2. *Decalog. c.* 2. *dub.* 29. *n.* 3. Bordonus, *reſol.* 14. *n.* 28. Non ſufficit tamen quod prælatus prohibeat votum fieri, ſed ultra requiritur poſitæ prohibitioni addat ipſo jure annullationem voti attentati contra ſuam prohibitionem, aliter teneret votum, nam multa prohibentur fieri quæ tamen facta tenent, ex vulgatis juribus; peccaret tamen vovens contra prohibitionem. Ratio eſt, quia difficilius eſt tollere obligationem contractam, quam impedire contrahendam; ſed prælatus poteſt tollere obligationem voti contractam: ergo & contrahendam impedire.

400 Dico ſecundò: irritativa poteſtas extenditur ad vota emiſſa ex licentia ſuperioris. Pro explicatione hujus aſſerti notandum eſt, ſermonem non eſſe de licentia ſuperioris prælati reſpectu inferioris, nam inferior non poteſt geſta ſuperioris irritare, poterit tamen inferior prælatus executionem voti, intercedente juſta cauſa, impedire; ita communiter DD. ſermo igitur eſt de votis factis ex licentia inferioris prælati reſpectu ipſius, vel ſuperioris, vel æqualis ſuccedentis illi in officio. Et in primis ſuperior omnia vota etiam facta cum licentia inferioris prælati poteſt irritare, ut incompertum eſt apud omnes. De eodem vero prælato reſpectu votorum ex illius licentia emiſſorum, major eſt dubitatio. Dicendum tamen eſt adhuc poſſe talia vota irritare, etiamſi promiſerit licentiam non revocaturum. Ita cum aliis communiter. Trull. *ſup. n.* 2. peccabit tamen prælatus, ſi ſine cauſa talem licentiam revocaverit.

Ratio eſt, quia dando licentiam non abdicavit à ſe dominativam poteſtatem, quam habet in ſubditi voluntatem; peccabit tamen ob infidelitatem, non mortaliter ut volunt communiter DD. ſed tantum venialiter ſecluſo ſcandalo, ut tenent Sotus, Roſela, Suarez, & probabile putat Sanchez, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus *ſuprà num.* 9. contra alios, quos citat, & ſequitur Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 17. *quæſt.* 46. Et quod ſit peccatum talem licentiam revocare patet, quia prælatus dando licentiam ſubdito promittendi Deo, quantum eſt ex ſe cooperavit illi obligationi, quaſi afferendo materiam illius voti. Quod autem tale peccatum non ſit mortale, etiam patet, quia hic non læditur juſtitia, ſed fidelitas; ſed fidelitas ſecundum probabilem ſententiam, tantum ad veniale obligat; ergo. Nec poteſt dici hanc irritationem eſſe gravem contra religionem, quia ſuperior non vovit, nec irritando votum, fecit ut ſubditus votum tranſgrederetur, cum potius fecerit, quod votum non ſit; ergo tota malitia hujus peccati conſiſtit in quadam levitate, animique inconſtantia, qua rem Deo dicatam abſque ulla cauſa à dedicatione retrahit, quod cum non fiat per violentiam, ſed uſum ſuæ poteſtatis, non videtur gravem culpam conſtituere.

Dico tertiò: ſi ſuperior dicat ſubdito ſe illi con- 401
cedere facultatem irrevocabilem, ſeque eximere illum à ſua poteſtate, quoad illam rem promiſſam, tunc adhuc Pater reſpectu filiorum impuberum, & prælatus reſpectu religioſorum, poſſunt valide eorum vota irritare. Nam hi non poſſunt à ſe abjicere curam religioſorum, & filiorum impuberum, & idem dicendum eſt de viro reſpectu votorum, tam realium, quam perſonalium uxoris, quia nec poteſtatem gubernandi eam poteſt à ſe abdicare, nec illi adminiſtrationem bonorum ſuorum poteſt concedere independenter à ſua voluntate. Ita cum Sanchez, Trullenc. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 3. Contrarium tamen dicendum eſt in votis realibus puberum, quia poteſt pater filio pubero concedere bonorum adminiſtrationem, & quoad omnia in votis ſervorum, quia poteſt dominus donare libertatem ſervo, & proinde à fortiori circa illam materiam. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſuprà num.* 3.

Hinc ſit potentem irritationem voti emiſſi de li- 402
centia ſuperioris, ab eodem ſuperiore, vel ab ejus ſucceſſore, non aliter peccare quam ipſe prælatus diſpenſans. Vnde ſi ſine cauſa, talem licentiam poſtulaverit, ab eodem ſuperiore, qui eam conceſſit, ſecluſo ſcandalo peccabit venialiter, ſi cum cauſa, nullum peccatum committet. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſuprà num.* 8. Si tamen poſtulaverit illam ab ejus ſucceſſore, vel alio prælato magis ſuperiore, non amplius peccat, ac ſi tale votum ſine licentia emiſiſſet, ac per conſequens nullum peccatum committit, eo quod ſuperior à quo petit irritationem,

Digitized by Google

tionem, potest perinde irritare, ac si licentia non esset, ut *infrà* dicemus. Quæ omnia huc usque dicta procedunt in omnibus habentibus potestatem dominativam, & in omnibus votis tam realibus, quam personalibus, eadem enim in omnibus ratio reperitur.

403 Sed quæres quando censeatur superior concedere subdito licentiam vovendi? Respondeo concedere talem licentiam, non solùm quando conscius voluntatis subditi, tribuit facultatem vovendi, sed etiam quando votum factum approbat, in illoque consentit. Ita communiter DD. apud Palaum *suprà num.* 12. Quia quoties consensus non requiritur ad actus valorem, potest præstari ante, & post, & in ipso actu, ut multis allegatis probat Matienzo *lib.* 1. *recopil. tit.* 15. An vero taciturnitas, & dissimulatio superioris, cognito inferioris voto, censeatur consensus, ac voti illius approbatio, ita ut jam non sit integrum superiori irritare absque causa? Respondeo taciturnitatem absque consensu interno superioris, neque sufficere ad voti confirmationem, neque illius esse signum sufficiens. Verum si taciturnitati addatur consensus internus, esto voventi non manifestus, sentiunt multi DD. sufficere, ut tale votum dicatur factum ex licentia superioris, & aliquo modo manifestari subdito taciturnitate. Verum cum necessarium sit, ut superior consentiens in votis subditi, talem consensum subdito manifestet per se, vel per literas, vel per nuntium proprium, ut docet cum Sanchez, Palaus, *suprà num.* 15. cum taciturnitas non sit sufficiens indicium consensus in præjudicantibus sibi, ut probat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 36. *num.* 2. existimo cum Palao *suprà*, absolute non esse dicendum, concessam esse licentiam subdito, ex eo quod superior, audito voto, taceat, & dissimuler, etiamsi internum habeat consensum, bene tamen si alio signo præter taciturnitatem consensum manifestet. Ita cum aliis etiam Leander *suprà quæst.* 55.

404 Dicò quartò: irritativa potestas extenditur ad vota, quæ subditus fecit tempore quo erat subjectus, quoties dominativa potestas non est extincta, vel suspensa in superiore, non tamen quando est jam extincta vel suspensa. Ita Sanchez, Laïman, & alij, apud Palaum *suprà*. Ratio est quia fundamentum irritationis est dominativa potestas, ergo si hæc extincta est, quia subditus exemptus est à potestate superioris, non potest vota illius irritare.

405 Hinc fit nullum prælatum regularem posse irritare vota religiosi in Episcopatum assumpti, quia assumptione Episcopatus eximitur à regularium prælatorum potestate. Si tamen depositio Episcopatu ad religionem redeat, poterunt prælati regulares omnia illius vota etiam facta tempore Episcopatus irritare. Et idem quod dictum est de religioso facto Episcopo, dicendum est de religioso in perpetuum à religione ejecto, nam per ejectionem eximitur. Secus si per aliquod tempus ad triremes ejiciatur in pœnam alicujus delicti, nam tunc non à religione separatur, sed extra loca religiosa cõstituitur ad pœnas debitas solvendas, ac proinde manet eisdem prælatis subjectus. Et idem dicendum est de religioso, qui ad aliam transit religionem, quia per secundam professionem eximitur à potestate prioris prælati, per transitum vero imperfectum nempe novitiatum est suspensa.

Secundò infertur, vota uxoris tempore matrimonij emissa, nec tunc irrita, nullatenus posse tempore divortij irritari à viro, tametsi confirmata non fuerint; nam ratione divortij eximitur mulier, etiamsi nocens sit à subjectione viri; at divortio cessante, vel per remissionem injuriæ, vel per simile delictum innocentis, irritare poterit vir omnia vota uxoris tempore matrimonij emissa, emissa vero tempore divortij, vel antea emissa, & tunc confirmata, poterit vir irritare eodem modo, ac potest si essent emissa ante matrimonium contractum, de quo *infrà*. Et idem dicendum est de votis servorum tempore servitutis emissis, nec tunc irritatis, non posse inquam à domino irritari, concessa servo libertate, quia jam non est dominus, sed persona particularis.

Major est difficultas de votis filiorum ante pubertatem emissis, nec in pubertate confirmatis, an possit Pater, curator, ac mater, ea post pubertatem & emancipationem irritare? Negat Soto, Aragon. Alcozer, & probabile putat Sanchez, quos refert Palaus *suprà num.* 5. Verum probabilius existimo, Patrem irritare posse filiorum impuberum vota post eorum pubertatem, & emancipationem, si tempore pubertatis confirmata non sint. Ita cum Cajetano, Sairo, Navarro, Sanchez, Bonacina, Valentia, Suatio, Azor, Palaus, *suprà num.* 5. & cum Tamburino, Basæo, & aliis Leander *tract.* 1. *d.* 16. *quæst.* 73. Ratio est quia jus propter immaturum impuberum judicium eorum votis voluit hanc tacitam conditionem inesse, nisi Pater contradixerit; sed Pater per filij emancipationem, vel pubertatem, non amisit esse Patris: ergo neque amisit potestatem deobligandi filium ab illis votis. 406

Et idem quod diximus de Patre, dicendum est de curatore, ita contra multos Sanchez, Laïman, Lessius, quos refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 6. & cum Tamburino, & aliis Leander *de juramento tract.* 1. *d.* 16. *quæst.* 110. & 111. Ratio est, quia curator succedit in gubernatione filij in potestate, quæ Patri convenire debebat eo tempore si viveret. Nec obstat si dicas curatorem datum esse ad gubernationem minoris in bonorum administratione, & non in persona. Respondetur namque, curatorem non solùm gaudere potestate gubernandi directe res minoris, sed etiam indirecte gaudere potestate administrandi personam, sicut tutor primo & per se datur ad pupilli gubernandam personam, & secundario ad gubernandum illius bona. Et idem dicendum est de matre, si hoc officium curatoris exerceat. At si hoc officium non exercuerit, tametsi nullus sit curator, vota impuberis post pubertatem non poterit irritare; quia matri, qua mater est, nulla filij gubernatio à jure conceditur, neque personæ bonorum. Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 7. quamvis contrarium sit etiam probabile, ut tenet cum Suario, & aliis Tamburinus *lib.* 3. *Decalog. cap.* 16. §. 3. *num.* 23. Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *quæst.* 120. 407

Sed quæres an irritativa potestas extendatur ad votum, quod filius omisit implendum post pubertatem, vel sub conditione contingente tempore pubertatis? Multiplici distinctione utitur Sanchez, quem refert Palaus *suprà num.* 13. ubi dicit, & bene quod si votum est absolutum, vel sub conditione ab alterius voluntate pendente, ut si quis voveat ingressurum religionem cum pubes fuerit, vel si voveret religionem sub conditione si Deus eum aliquo beneficio tempore pubertatis afficeret, tunc absque dubio poterunt talia vota à Patre irritari; quia hæc vota absolute sunt ab impubere emissa, neque pubertas illorum naturam immutat, sed signat executionis tempus. Ita etiam cum aliis Leander *de juramento tract.* 1. *d.* 16. *quæst.* 74. 408

Verum

Digitized by Google

Verum si votum emissum sit, sub conditione non pœnali, pendente à voluntate voventis, ut si impubes voverat Rosarium recitare, quando talem Virginis imaginem inviseret, & post pubertatem imaginem visitaret memor prioris voti, & ex ea intentione, ut votum adimpleret; tunc existimant Sanchez, & Palaus *suprà*, non posse parentem tale votum irritare, quia censendum est, post pubertatem emissum, cum enim vovens liber esset ad ponendam illam conditionem, eo ipso quod voluit illum in pubertate ponere, ex ea intentione, ut voto satisfaceret, censendus est votum antea factum approbare, & quasi de novo iterare.

409 Quæres secundò, an votum impuberum post pubertatem commutatum propria, vel superioris authoritate in opera personalia possit à Patre irritari? Respondeo nequaquam posse. Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà num.* 11. Ratio est quia nec potest votum in impuberrate emissum, utpote quod est per commutationem extinctum, neque subrogatum, quia subrogatum emissum non est ab homine, qui in emissione voti personalis est sui juris.

410 Quæres tertiò: quando tempore subjectionis emissa censeatur confirmata tempore pubertatis? Respondeo censeri confirmata ex eo quod vovens voluerit illa exequi, neque ex eo quod talia vota sæpe renoventur, seu repetantur ut firma, credendo firma, & irritabilia esse, quia hujusmodi repetitio est approbatio prioris vinculi, non alicujus novi constitutio, & ignorantia, seu error tollit voluntarium, ac proinde impedit ne firmentur amplius, quam sint. Nec censetur confirmata per approbationem parentis, hæc quia confirmatio non privat parentem potestate gubernativa filij, sed tantum præstat, ne sine causa licite irritare possit vota filij, ut diximus; qua propter tunc voto confirmata censebuntur, quando vovens conscius infirmitatis priorum votorum, se obligare vult firmiter, & irrevocabiliter, quia hæc voluntas æquivalet novæ voti emissioni. Ita cum Lessio, Sanchez, & aliis, Palaus *suprà num.* 1. & cum aliis Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *quæst.* 77.

411 Quæres quartò: an votum emissum post pubertatem non petendi irritationem voti in impubertate emissi, sit illius confirmatio? Respondeo cum Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *suprà numero* 15. voto præcise non petendi irritationem non confirmari votum; quia non excluditur irritatio, propria sponte à superiore, vel à petitione ulterius concedenda, bene tamen si votum sit non utendi irritatione, nam per hoc votum efficit novum votum exequendi rem promissam, etsi à superiore irritetur.

412 Quæres quintò: de voto disiunctivo, & indeterminato, ut si quis promittat religionem, vel castitatem, & post pubertatem determinat castitatem, an eo ipso censeatur prius votum confirmare; Et sermo est de determinatione à qua non possit resilire, quod non fit per propositum, sed per votum, nam si solum propositum haberet unam partem exequendi, votum factum non confirmaret, sed illud immutatum relinqueret. Respondeo igitur quod facta hac determinatione per votum, manere votum irritabile. Ita cum Sanchez, Palaus, *suprà numero* 16. Ratio est, quia votum disiunctivum antea factum, cessavit per hanc novam determinationem factam post pubertatem ac si de novo fuisset emissum, hoc tamen debet fieri absque ignorantia, quod prius votum potuisset irritari, ut suppono.

Dico quintò: irritativa potestas extenditur ad vota emissa tempore subjectionis, implenda tamen subjectione dissoluta, quando voluntatem, & materiam promissam, secus quando solum est illi subjectus quoad materiam promissam. Ita cum Sanchez, Palaus, *d.* 2. *p.* 3. § 4. *num.* 1. & cum Tamburino, Prado, & aliis Leander *tract.* 1. *d.* 16. *q.* 80. Ratio prioris partis hujus asserti est, quia horum volùtas plene est superiori subjecta: ergo obligari non potest nisi cum superioris dependentia Secundæ vero assertionis patris. Ratio est, quia talia vota superiori non præjudicant. Et hinc fit posse prælatum religiosum irritare vota à religioso emissa in tempus, quo à subjectione fuerit liber. Et idem dicendum est de Patre, & tutore respectu votorũ suorum filiorum emissorum tempore impubertatis ad tempus pubertatis relatorum. Et de marito respectu votorum uxoris relatorum ad tempus soluti matrimonij, ut *infra* dicemus. Non tamen potest Pater vota filij puberi nec dominus servi implenda tempore libertatis irritare. 413

An vero vir, Pater, vel dominus, possint vota uxoris, filij puberis, vel servi irritare, quæ ex se, vel ex intentione voventis sunt perpetua? v. g. vovit filius puber, uxor, vel servus, quotidie jejunaturum. Respondeo non posse, sed tantum pro tempore quo sunt sub potestate viri, Patris, vel domini, possunt tale votum suspendere. Ita cum Lessio, Bonacina, Palaus, *tract.* 15. *d* 2. *p.* 3. § 4. *num.* 2. & cum aliis Escobar *lib.* 29. *Decalog. num.* 566. contra Sanchez *lib.* 4. *summæ cap.* 29. *num.* 7. Ratio est, quia supradicti domini solum possunt irritare vota subditorum, quatenus sibi præjudicant; sed illa vota solum possunt præjudicare dominis, quoad materiam contingentem tempore subjectionis, non autem postea; ergo solum quoad illam partem suspendere vota possunt.

Dico sextò: irritativa potestas directa nequaquam extendi potest ad vota tempore, quo voventes erant sui juris, bene tamen indirecta, & suspensiva. Ita communiter DD. apud Palaum *suprà* §. 5. *numero* 1. Escobar, *suprà numero* 569. contra Lessium *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 33. Ratio prioris partis est, quia ea solum vota potest superior irritare, quæ sub ejus beneplacito fiunt, sed vota superiorem non habentis, sub nullius beneplacito emittuntur, ergo non sunt capacia directæ irritationis; quod vero indirecte irritari possint, manifeste probatur, quia virtute potestatis dominativæ supervenientis potest superior impedire executionem votorum sibi præjudicantium, in qua suspensione irritatio indirecta consistit. 414

Dices, superior religiosus irritare potest vota à religiosis in sæculo emissa, & tutor vota pupilli facta tempore, quo tutore carebat; ergo &c. Respondetur superiorem religionis non irritare talia vota, sed professione tanquam perfecta solutione extingui, quod si religiosus tempore professionis ea approbaverit, tunc poterunt à superiore irritari, utpote facta tempore subjectionis; vota autem pupilli non irritari, sed suspendi possunt à tutore, siquidem nullibi est cautum, eos illa vota posse irritare, & potestate indirecta sufficienter providere possunt. Et ex his infertur maritum solum posse suspendere vota uxoris facta ante matrimonium, non tamen irritare.

SECTIO

SECTIO XXXI.

Qualiter & quando irritatio concedi possit?

SUMMARIUM.

415 *Quando censeatur superior votum irritare?*
416 *Quando superior ignarus voti denegat licentiam exequendi illud, non censetur illud irritare.*
417 *Ad irritationem procedentem ex potestate dominativa nulla requiritur causa ad sui valorem.*
418 *Potest concedi irritatio sine causa absque ullo peccato.*
419 *An superior possit efficere hanc irritationem contradicente subdito?*
420 *Vt irritatio valida, & justa sit, non est necessarium ut superior cognoscat votum irritandum.*
421 *An hac irritativa potestas exerceri possit in casu dubio?*
422 *Quadam corollaria ponuntur.*
423 *An irritativa potestas alteri delegari possit?*

415 Dico primo, Superior tunc votum irritat, quando voto cognito, denegat subdito licentiam illud exequendi, sine ulla temporis limitatione. Ita communiter DD. apud Palaum *d. 2. p. 4. num. 1.* Sumiturque *ex cap. 30. num.* Ratio est quia omnia vota subditorum, si sint de rebus prohibitis fieri absque licentia, hanc habent conditionem, si superior licentiam concedat, alias nulla erunt, utpote de materia illicita. Si vero sit de rebus sibi permissis, tunc imbibunt conditionem, nisi superior contradixerit, quia hæc conditio necessaria est, ut superioris potestas salva remaneat, nullumque præjudicium habeat ex subditorum votis: ergo superiore non consentiente, vel contradicente absolute, votum cessat, quia cessat conditio sub qua votum emissum est.

416 Dixi quando voto cognito, nam si superior ignarus voti deneget subdito licentiam exequendi illud, nullo modo censeri debet irritasse. Quia quilibet actus voluntatis qualis est irritatio, non potest fieri absque irritandi voluntate. Dixi quando superior denegat absolute licentiam, nam si votum pro determinato tempore denegaret, pro illo tantum suspenditur votum, & transacto illo tenebitur subditus votum exequi, sicut antea, nisi alias sit alicujus materiæ prohibitæ facere absque licentia.

Pro quo sciendum est, Quemlibet subditum, sive Religiosum, filium, vel uxorem, aut servum posse licite & meritorie ea omnia opera vovere, quæ nec regula, nec statuto aut superioris præcepto ei interdicta sunt, nec eos à debito illorum obsequio retrahunt, & talia vota statim nullo superioris spectato consensu obligant, nam hæc vota non fiunt sub tacita conditione, si prælatus consenserit, sed si non renuerit. Unde dum prælatus non renuit, tenetur subditus votum observare. Ratio autem est, quia materia promissa est res bona, & sub potestate voventis. Si tamen vota subditorum sint de rebus prohibitis absolute per regulam, vel per præceptum superioris, tunc talia vota, utpote de materia inepta, sunt omnino irrita, & illa emittere est culpa saltem venialis. Ita cum Sanchez, Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. d. 29. num. 8.* Si tamen materia non sit absolute prohibita, sed prohibita fieri absque licentia prælati, tunc votum de tali materia non est statim validum, sed accedente superioris consensu, nam cum materia sit interdicta, non est apta materia voti, donec accedat licentia superioris. Ita cum aliis Trullenc. *supra num. 7.*

Dico secundo: Ad irritationem, & suspensionem procedentem à potestate dominativa, nulla ad sui valorem causa exigitur. Ita communiter DD. apud Palaum *supra num. 4.* & cum aliis Leander *tract. 1. de juramento d. 16. quæst. 5.* Ratio est quia ut supra diximus, subditus in sua promissione imbibit conditionem, si superior consenserit, vel non contradixerit: ergo prohibito contradicente, cessat obligatio. 417

An vero sine causa, justè, & sine peccato saltem veniali, irritatio concedi possit? Negant Sotus, Aragonius, Sanchez, Suarez, Layman, quos refert, & sequitur Palaus *supra num. 5.* Et Cobar *lib. 29. Decalogi num. 573.* Verum contraria sententia probabilior est, eam tenet cum Lopez, Navarro, Azor, Pontio, Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 19. n. 2.* Secum aliis Leander *supra quæst. 5.* Ratio est, quia superior irritans utitur jure suo, quod habet, ne inferiorum vota sint. Nec obstat si dicas esse abusum potestatis absque ulla necessitate avertere subditum ab actu bono, qualis est votum. Respondetur namque prælatum non avertere subditum per se, & directe ab actu bono, sed tantum per accidens, quatenus utitur jure suo, tunc autem peccaret quando per se & directe averteret subditum ab actu bono, non tamen quando per accidens ab illo avertit. 418

An vero superior possit efficere hanc irritationem contradicente subdito? Certum est posse, nam prælatus non dependet in sua potestate à voluntate subditi. Nec obstat dispensationem, & commutationem non posse fieri, subdito invito, beneficium namque non datur invito: Respondetur namque negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia dispensatio, & commutatio habent inclusam illam conditionem, si prælatus non renuerit, vel consenserit; secundo Respondetur & melius, quod licet commutatio non possit concedi invito, siquidem requirit consensum, & acceptationem subditi, eo quod obligationem voti in aliud transfert. At dispensatio optime potest dari invito, quia esto beneficium subditi sit, est tamen beneficium superioris quatenus illa via ostendit habere liberam potestatem, nec ligatam subditi voluntate. Palaus *supra num. 6.* & idem dicendum est de irritatione. 419

Dico tertio: Ut irritatio valide & juste fiat, non est necesse superiorem cognoscere votum irritandum. Nam dato quod requireretur aliqua causa, ut juste fieret, potest credere subditum illam habere, unde potest dicere ego aufero à te quæcunque vota tua. Ita communiter DD. apud Palaum *supra n. 7.* Tamburinus *lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 1.* 420

Sed quæres primo, An hæc irritativa potestas exerceri possit in casu dubio? Respondeo cum distinctione. Si dubium sit ex parte irritantis, quia dubitatur an sit verus patet legitimus tutor, vel prælatus, aut maritus, si sint in possessione poterunt vota irritare, quia in dubio melior est conditio possidentis. Secus si possessione careant, quia absque possessione nullus est titulus, quo certus usus irritativæ potestatis firmetur. Si tamen dubium ex parte voventis nascatur, generaliter non impedit potestatem superioris, quia non est æquum aliquem jure suo certo privare ob dubiam causam, & rationem. 421

Digitized by Google

422 Hinc infero, Patrem posse irritare vota personalia filij impuberis, & realia puberis, tametsi dubium vel opinio sit, fuerintne personalia tempore pubertatis, & realia post pubertatem emissa. Et idem dicendum est de aliis superioribus, de quocunque dubio superveniente, An fuerint talia vota facta tempore habili, vel de materia, quæ sit sub superioris potestate, vel non. Adverte tamen, quòd si de facto contingat superiorem irritare votum, quod vere non poterat irritare, si veritas constaret, vel quia non est legitimus superior; quocunque tempore hæc veritas deprehendatur, irritatio facta non subsistit, quia error esto suppleat jurisdictionem, non tamen supplet dominationem, cum de potestate dominativa ex errore supplenda, nihil jura disponant. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *suprà n.* 10.

423 Quæres secundo: An hæc irritativa potestas alteri delegari possit? Negant aliqui Authores moti ea ratione, quia hæc delegatio non potest fieri absque communicatione dominij, sicut nec delegatio jurisdictionis, sine jurisdictionis communicatione. Respondeo tamen, hanc rationem convincere neminem posse vota irritare proprio nomine, quin dominium habeat, at nomine alieno, tanquam alterius procurator, absque dubio hoc potest efficere. Ita cum Suario, Lessio, Sanchez, Palaus, *suprà n.* 11. Escobar *lib.* 29. *Decalogi n.* 57. Ratio est, quia irritatio est contradictio superioris dispositioni factæ à subdito, sed nulla datur ratio, ob quam superior non possit per procuratorem hanc contradictionem facere; ergo.

SECTIO XXXII.

Quæ, & qualiter Religiosorum vota irritari possint.

SUMMARIUM.

424 *Regulares possunt plura vota absque superioris licentia valide efficere.*

425 *Prælati regulares præter votum assumendi religionem strictiorem omnia alia vota subditorum etiamsi sint de reservatis Papæ possunt irritare dummodo statum religiosum non constituant.*

426 *Præter prælatos Religiosorum & Papam nemo potest Religiosorum vota irritare.*

427 *Novitiorum vota, neque pontifex neque prælatus religionis possunt irritare, bene tamen eorum parentes.*

428 *Prælati religionis, & magistri novitiorum possunt novitiorum vota suspendere pro anno novitiatus.*

424 SVppono ut certum, contra Ricardum, Majorem, & Angelum, quos refert Fagundez *in* 2. *præcepto Decalogi lib.* 2. *c.* 34. *n.* 9. Regulares posse pleraque vota valide, & meritorie efficere absque sui superioris licentia, & consensu, ut sunt vota, quæ nec præceptis divinis, nec suæ regulæ, aut ipsius prælati præceptis sunt contraria, ut hucusque diximus. Ita communiter DD. apud Fagundez *suprà*. Secundo suppono votum semel irritatum non amplius revivisce re, etiamsi superior retractet suam irritationem, quia obligatio semel extincta, non amplius revivisc it, per irritationem autem directam non suspenditur obligatio voti, sed extinguitur. His suppositis,

Dico primo: Prælati Regulares præter votum assumendi Religionem strictiorem, omnia alia vota, quæcunque illa fuerint, etiamsi fuerint de reservatis Papæ, dummodo statum religiosum non constituant, possunt irritare. Ita communiter DD. apud Palaum *d.* 2. *de voto p.* 8. *n.* 2. Fagundez *suprà n.* 7. Trullench. *lib.* 2. *Decalogi c.* 2. *dub.* 32. *n.* 1. Bordonum *ref.* 14. *n.* 21. Torre *q.* 88. *art.* 9. *d.* 2. *n.* 1. & cum multis Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *q.* 12. contra Caietan. Fumum, Palacios, & alios. Ratio est quia voluntas religiosi in suscipiendis novis obligationibus debet esse perfecte dependens à mera voluntate prælati, ita ut nullam aliam obligationem suscipiant, quæ à prælato irrita esse non possit. Nec obstat illam materiam non subdi potestati prælati. Respondetur namque quod licet non subdatur illi, quatenus est materia præcepti, subditur tamen illi, quatenus est nova voti obligatio.

Dixi irritare posse omnia vota religiosi, dummodo 425
statum religiosum non constituant, nam quæ ejus statum constituunt, non possunt irritari, siquidem ab ipsis tanquam à fundamento provenit hæc irritativa potestas. Unde irritare non possunt votum obedientiæ, castitatis, & paupertatis, neque vota huic statui ex dispositione Pontificis annexa, quia accessorium sequitur naturam principalis, ut sunt votum redemptionis captivorum in Religione Mercenariorum, votum quadragesimalis abstinentiæ in religione Minimorum, quibus adde votum sumendi strictiorem religionem *ex cap. licet de regularibus*. Et pleraque alia, quæ in aliquibus religionibus sunt.

Dico secundo, Præter prælatos Religionum, & 426
summum Pontificem, nullus alius neque etiam legatus à latere, vel sacra congregatio, vel episcopus, vel pater, aut tutor ipsius religiosi, ejus vota possunt irritare. Et de legato vel Episcopo constat, quia ipsis non promittunt Religiosi obedientiam. Bordonus *ref.* 14. *n.* 69. De sacra congregatione etiam liquet, quia pontifex solum delegat huic congregationi potestatem jurisdictionis in Regulares. Ita cum Pelizario, Leander, *tr.* 1. *de juramento d.* 16. *q.* 61. contra Th. à Jesu, Lezanam, Pradum, Garciam, quos ibi refert. De patribus vero Religiosorum, seu tutoribus etiam constat, quia per professionem liberantur à patria potestate. Ita cum Molina, Covarruvias, Sanchez, & aliis, Palaus, *d.* 2. *p.* 7. *n.* 2. *de voto*.

Dico tertio: Novitiorum vota, neque Pontifex, 427
neque prælati Religionis possunt irritare, quia dum sunt novitij, sunt sui juris neminique ex voto obedientiæ subjecti. Possunt tamen illorum vota irritare eorum patres, quia per annum probationis non eximuntur à patria potestate. Ita communiter DD. apud Palaum *suprà n.* 10. Bordonus *resol.* 14. *n.* 43. & 76. & cum aliis Leander *tract.* 1. *d.* 16. *q.* 27. Po- 428
terunt tamen prælati regulares, quibus competit novitios gubernare, & experiri, ut sunt magistri novitiorum, omnia illorum vota suspendere. Immo credo talia vota ipso jure esse suspensa, si alias onera Religionis, vel per se, vel ex dispositione subjecti aggravant, ita cum Lessio, Sanchez, Sayro, Palaus *suprà n.* 10. Bordonus *suprà num.* 44. Leander *suprà q.* 29. Hæc procedunt de votis personalibus, nam realia, raro aut nunquam exercitia novitiatus impediunt, ideoque neque prælati regulares ea valent suspendere. Ita cum Azor, Lessio, Sanchez, Palaus, *suprà num.* 10. Secus esset si novitio deficerent commoda alimenta, ob quorum defectum Religio sibi difficilior appareret, nam tunc posset etiam vota realia suspendere, ut claram Religionis capiat experientiam. Si tamen novitius Religionem deserat, omnia vota suspensa revivisc unt. Ita communiter DD.

SECTIO

SECTIO XXXIII.

Qualiter parentes, tutores, & curatores, poſſint vota filiorum, pupillorum & minorum, irritare?

SUMMARIUM.

429 *Triplex datur in hominibus ætas, infantia, impubertas, & pubertas.*
430 *Quando exeat filius à patria poteſtate?*
431 *An quid datum ſit officium tutoris, & curatoris?*
432 *Pater poteſt irritare omnia vota filij impuberis.*
433 *Sub nomine filij, etiam filij illegitimi intelliguntur.*
434 *Nomine patris venit tutor.*
435 *Quid dicendum ſit de matre?*
436 *An ſub nomine patris veniat herus & magiſter?*
437 *Pater reſpectu filiorum puberum ea ſola vota poteſt irritare, quæ gubernationi domeſticæ præjudicaverint.*
438 *Quædam corollaria ponuntur.*
439 *Quid dicendum ſit de curatore, & matre reſpectu filij puberis.*
440 *An minoribus competat reſtitutio in integrum in votis?*

429 SVppono primo, In humana ætate tria tempora, & triplicem ſtatum conſiderari. Primum tempus infantiæ, hoc eſt, à Primo inſtanti nativitatis uſque ad ſeptimum annum. Frequentius namque in hoc tempore advenit uſus rationis, ideoque in dubio, an citius, vel tardius advenerit? ſtandum eſt juris diſpoſitioni. Secundum tempus eſt impubertas, quæ incipit ab uſu rationis, & durat in fœminis uſque ad duodecimum annum completum, & in maſculis uſque ad annum decimum quartum completum. Tertium ætatis tempus dicitur pubertas, quæ in fœminis incipit ab anno duodecimo, & in viris à decimo quarto, & durat uſque ad annum vigeſimum quintum: ante pubertatem vir dicitur pupillus, & fœmina pupilla, & poſt pubertatem, tam vir, quam fœmina dicuntur minores.

430 Secundo ſuppono filium non eximi à patria poteſtate ratione ætatis, neque ratione ordinis ſacri, etiam presbyteratus, neque ſpectato jure communi per matrimonium, bene tamen ſpectato jure Caſtellæ, & Luſitaniæ. Molina *de juſtitia d.* 229. Egreditur tamen patriam poteſtatem per Religionis profeſſionem, vel per aliquam illarum dignitatum, quarum meminit *l. ultima cod. de curationibus lib.* 2. vel ſi Pater, vel ipſe filius fiant ſervi, vel ſi pater mortuus fuerit naturaliter, vel civiliter; vel crimen hæreſis tam pater, quam filius commiſerit, vel ſi de facto emancipetur, de quibus late Palaus *d.* 2. *de voto p.* 7. *num.* 2.

431 Tertio præmitto, Officium tutoris, qui pupillo regendus præcipuè datus eſt, & ſecundario ipſis rebus finiri, cum primo pupillus pubertatem attingit; at officium curatoris, qui puberis rebus adminiſtrandis præcipuè datus eſt, ceſſat ipſo jure cum pubertas finitur. Solent item tutoris, & curatoris officia finiri beneficio principis, veniam ætatis concedentis, Palaus *ſuprà n.* 3. His ſuppoſitis,

432 Dico primò: Pater omnia vota abſque ulla exceptione, ſive realia, ſive perſonalia, etiamſi ſint religionis, & caſtitatis, filij impuberis quantumvis doli capacis, irritare poteſt, excepto voto caſtitatis quod emittitur in ſacri ordinis ſuſceptione. Ita communiter DD. apud Palaum *d.* 2. *de voto p.* 7. *n.* 4. & cum Fagundez, Trullench. Tamburino, & aliis Leander *tr.* 2. *de juramento, d.* 16. *q.* 72. contra Vivald. *in Candel.* 3. *p.c.* 4. Ratio eſt, quia illa omnia jure ſic diſponente emiſſa ſunt ſub parentis beneplacito, expediebat enim maxime eo tempore, quo filius creditur imbecilli uſu rationis gaudere aliena voluntate regi, & licet aliquando perfecto uſu rationis gaudeat, hoc per accidens eſt, & poteſtatem parentis non diminuit.

Dico ſecundo: Sub nomine filij non ſolum legi- 433
timum, ſed & naturalem, & ſpurium intelligitur ſi moraliter conſtet vere filium illius eſſe, quia eſto pater civilem poteſtatem non habeat reſpectu filij naturalis, & ſpurij, ad eum gubernandum, habet tamen poteſtatem naturalem, ut filij imbecillitati in vovendo conſulat, ne maneat hoc convenienti remedio deſtitutus: quod intelligendum eſt, quando nullus adeſt tutor, nam ſi tutor adeſſet, ipſi, & non parenti competit filij illegitimi vota irritare. Ita cum Sanch. Palaus, *ſuprà n.* 5. Tamb. *lib.* 3. *Decalog. c.* 16. *§.* 3. *num.* 9. Leander *tract.* 1. *de juramento diſp.* 16. *queſt.* 99.

Sub nomine vero Patris, ad hæc vota impuberis 434
irritanda, in omnium ſententia venit tutor, quia loco patris ſubrogatur ex juris diſpoſitione. An vero etiam competat matri? Vivente patre nullo modo 445
competit, mortuo tamen illo, ſi detur tutor, etiam nullo modo competit matri, ſi tamen non adſit tutor, nec curator, neque ex parte patris ſit avus, qui loco patris ſuccedere poſſit, tunc poterit mater vota filij impuberis irritare, non quia tutrix ſit, tutelam namque ob mortem mariti ipſo jure non habet, ſed quia ipſo jure naturali, illi datum eſt impuberem gubernare patre, avo, tutoreque deficientibus, ita cum Suario, Sayro, Sanch. Layman, Bonacina, Palaus, *ſuprà n.* 7. Leander *ſuprà q.* 118. *&* 119. *&* 120.

An autem ſub nomine patris veniat Herus, vel 436
magiſter deficientibus patre, tutore, aliiſque aſcendentibus? affirmant Sayrus, Leſſius, Suarez, Layman, quos refert Palaus *ſuprà n.* 8. At contraria ſententia verior eſt. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *ſuprà n.* 8 & cum Prado, Trullench. Fagund. Tamburino, & aliis cõmuniter Leander 8. *tr.* 1. *de jurament. d.* 16. *q.* 126. & ratio eſt, quia poteſtas dominativa, neque jure naturali, aut poſitivo hero, magiſtro, nutritiove infantis conceditur, ſed potius ſui juris reputatur impubes, patre, tutore, aliiſque aſcendentibus carens.

Dico tertiò: Pater reſpectu filiorum puberum, ea 437
ſola vota poteſt irritare, quæ adminiſtrationi, & gubernationi domeſticæ præjudicaverint non alia. Ita cum Suario, Valentia, Leſſio, Bonacina, Palaus, *ſuprà n.* 9. & cum aliis communiter Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *q.* 83. Ratio eſt, quia obtenta pubertate præſumitur filium habere plenam diſcretionem ad vovendum: ergo ex parte voluntatis nulla adeſt cauſa irritationis, bene tamen ex parte rei promiſſæ, nam ſi domeſticæ gubernationi, vel adminiſtrationi, quæ patri convenit præjudicaverit, irritari poteſt.

Hinc fit non poſſe patrem irritare votum filij pu- 438
beris Religionis, ordines ſuſcipiendi, frequentandi ſacramenta, fundendi preces, ſuſcipiendi moderata jejunia, quibus adde votum peregrinandi, non devotionis cauſa, ſed in ſubſidium ad terram ſanctam, & votum eundi Romam pro impetranda abſolutione, niſi alias per bullam, vel aliud privilegium poſſet abſolutio obtineri. Ita communiter DD. Item non poteſt irritare votum reale de rebus caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, quia in horum adminiſtratione,

Digitized by Google

ſtratione, filius ſui juris eſt. Item neque votum reale de rebus adventitiis, quorum neque uſumfructum, neque adminiſtrationem habet. Unde cum filius poſt vigeſimum quintum annum habeat adminiſtrationem rerum adventitiarum, nullatenus hæc vota irritare poteſt.

439 Idem quod diximus de patre reſpectu filij puberis, dicendum eſt de curatore, & de matre, ſi officium curatoris exerceat. Ita communiter DD. nam curator ſuccedit loco patris; De matre tamen ſi curatrix non ſit, & minor curatorem habeat, certum eſt nulla ipſius vota poſſe irritare. Si tamen curatore careat, aliqui affirmant poſſe irritare ea vota, quæ Pater. Ita Emanuël Veiga, Stunica, Clavis Regia, quos refert Palaus *ſuprà n.* 15. Votum contraria ſententia probabilior eſt, hanc tenet cum Suario, Sanchez, & aliis Palaus *ſuprà num.* 15. Ratio eſt quia filius pubes non eſt ſub poteſtate matris, qua mater eſt, ut deciditur *in* §. *fœmina inſtit.* de adoptione: ergo mater qua talis eſt, non habet poteſtatem filiis puberis, nam matri non competit ipſo jure adminiſtratio rerum minoris, ſed in defectu patris, & curatoris competit ipſi, quia eſt ſui juris.

440 Tandem inquires, An minoribus competat reſtitutio in integrum in votis, ſicut in aliis contractibus, cum ſe reputant notabiliter læſos? Affirmant Paludanus, Sylveſter, & alij relati a Sanchez *diſp. & cap.* 35. *num.* 85. *Decalogi.* Sed abſque ullo fundamento, cum longe diſpar ratio ſit in votis, ac in contractibus. Nam in contractibus invenitur deceptio, & defectus voluntarij, ob cujus cauſam conceditur minoribus reſtitutio. At in votis nullatenus deceptio eſſe poteſt, quia Deus neminem decipit, neque etiam defectus voluntarij, cum votum plene voluntarium ſit; Præterea, quæ deceptio eſſe poteſt ubi opus conſilij, & perfectionis Evangelicæ exercetur. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palaus, *ſuprà num.* 16.

SECTIO XXXIV.

An omnia vota uxoris poſſit maritus irritare? & è contra.

SUMMARIUM.

441 *Maritus poteſt omnia vota uxoris irritare quæ præjudicant matrimonio, & gubernationi domeſticæ.*

442 *Quid dicendum ſit de aliis votis?*

443 *Ponuntur quædam corollaria.*

444 *An vir poſſit irritare vota, quæ uxor fecit ante matrimonium?*

445 *Quid dicendum de voto ingrediendæ religionis facto ab uxore ante matrimonium conſummatum?*

446 *Quæ vota mariti poſſit uxor irritare?*

441 Dico primò: Maritus poteſt irritare omnia vota uxoris, quæ præjudicant matrimonio, & domeſticæ gubernationi. In hoc conſpirant univerſi DD. Eſt enim vir caput mulieris juxta illud Pauli ad Epheſios, mulieres viris ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ.

442 Dico ſecundo: Maritus poteſt irritare omnia vota uxoris, non ſolum, quæ præjudicant matrimonio, & rectæ gubernationi, ſed etiam omnia alia, etiamſi ſint non ſolum de operibus conſilij, ſed etiam præcepti, ut de non mentiendo, fornicando, &c. ſaltem conſtante matrimonio edita, non minus quam Pater, & prælatus poſſunt vota filij impuberis, & ſubditi irritare. Ita cum Villalobos, Maldero, Soto, D. Th. Sanch. Joanne de la Cruz, Torre, Aragonio, Saa, Paludano, Diana, 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 220. & cum Ledeſma, Veiga, Fagundez, *lib.* 2. *Decalogi cap.* 37. *n.* 11. & cum Prado, Tamburino, & aliis, Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *quæſt.* 127. probabile putat cum Leſſio, Bonacina, Lopez, Palaus, *d.* 2. *de voto p.* 6. *num.* 1. Præpoſitus, quem refert Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 110. contra Navarrum, Azor, Leſſium, Suarium, Portium, Layman, Bonacinam, quos refert, & ſequitur Palaus *ſupr. n.* 2. Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi c.* 2. *d.* 33. *n.* 2. & alios.

Ratio fundamentalis eſt, quia juxta illud Pauli ad Epheſios, mulier debet eſſe ſubdita viro ſuo, ſicut membra capiti, & ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; ſed capiti omnes actiones ſubduntur: ergo mulier in omnibus ſuis actionibus debet eſſe ſubjecta marito. Confirmatur quia ſicut recta gubernatio ſpiritualis, poſtulat, ut voluntas religioſi plene ſit ſubjecta prælato ſuo, ita perfecta & pacifica gubernatio domus, & perfecta educatio filiorum poſtulat, plenam uxoris viro in omnibus ſubjectionem, quoad obligationes novas ſibi imponendas.

Et ex his plura jam licet inferre: Primo poſſe 443
virum irritare votum caſtitatis, ſeu non petendi debitum factum ab uxore, ſive tale votum factum, fuerit ſine licentia, vel cum licentia viri, & licet tale votum adimplendum ſit tempore ſoluti matrimonij, vel non. Ita cum Sanchez, Præpoſito, Diana, *p.* 4. *tract.* 4 *reſol.* 110. & probabile putat Trullench. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *d.* 35. *num.* 11. & cum aliis Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 16. *quæſt.* 129. & 130. Ratio autem eſt quia per hoc, quod vir concedat uxori licentiam vovendi caſtitatem, non aufert a ſe poteſtatem, quam habet irritandi valide omnia ejus vota. Peccabit tamen ſi hoc ſine cauſa fecerit, ſecundum aliquos mortaliter, vel ut probabilius alij dicunt venialiter. Ita Præpoſitus, & Diana *ſuprà.*

Secundo infertur, Poſſe etiam virum valide irritare votum caſtitatis, vel ingrediendi religionem, quam ipſe, & mulier ex utriuſque conſenſu fecerunt. Ita Præpoſitus, quem refert, & ſequitur Diana loco citato, & probabile putat Trullench. *ſuprà num.* 14. contra alios, quos citat, & ſequitur Leander *ſupra quæſt.* 131. Ratio eſt quia per conſenſum non videtur à ſe omnino poteſtatem irritandi abdicaſſe, ſed tantum cadere ad petendum licite, abſque cauſa juſta. Idem dicendum eſt, ſi unus Religionem voveat & alter ordinis ſacri ſuſceptionem, vel emittat votum caſtitatis, etiamſi talia vota facta fuerint de utriuſque conſenſu, nam in omnibus his poteſt vir valide irritare, licet ſacrilege, ſi ſine juſta cauſa id faciat, quæ omnia militant in marito tam primi, quam ſecundi matrimonij, qui poteſt irritare omnia vota, quæ uxor fecit tempore primi matrimonij. Ita cum Sanchez, Diana, *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 220.

An vero vir poſſit etiam irritare vota, quæ uxor 444
fecit ante contractum matrimonium, & tempore quo erat ſui juris? conſtat ex ſupra dictis ubi diximus non poſſe illa directe irritare, bene tamen ſuſpendere; licet alias Veiga, Præpoſitus, & Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 110. etiam non improbabiliter affirment. Nam eſto iſta vota non fuerint emiſſa ſub tacita conditione abſolute beneplaciti ſuperioris, quia nullus aderat ſuperior, fuerunt tamen emiſſa

emiſſa ex juris interpretatione, ſub conditione beneplaciti ſuperioris, ſi exiſteret, quam rationem, ſuppoſita ſubjectione, quam tribuimus uxori ſuo marito, non reputat improbabilem Palaus *de voto d. 2. p. 3. §. 1. n. 2.* ubi etiam citat Leſſium.

445 An autem ſaltem poſſit vir irritare votum ingrediendæ Religionis factum ab uxore, ante conſummatum matrimonium? Reſpondeo affirmative. Ita cum Præpoſito, Diana, *p. 4. tract. 4. reſol. 100.* Ratio eſt, quia tota cauſa ob quam vir poteſt irritare omnia alia vota uxoris eſt ob levitatem, imprudentiam, & facilitatem muliebrem in vovendo, ſed hæc etiam cauſa ſubeſt in hoc voto; ergo. Confirmatur quia propter hanc cauſam poteſt Pater irritare votum filij impuberis de ingreſſu Religionis: ergo idem poteſt vir efficere reſpectu uxoris. Nec obſtat prælatum non poſſe irritare votum ſubditi de ingrediendo ſtrictiore Religione. Reſpondetur namque, prælatum id non poſſe, eo quod jus, ut ſuprà diximus, id illi prohibuit, in præſenti autem non habemus ſimilem prohibitionem.

446 Dico tertio: Uxor ea ſola vota mariti poteſt irritare, quæ ſibi præjudicaverint, quoad moderatam debiti petitionem, quia in hoc vir, & uxor ſunt æquales, & non eſt major ratio, quoad hoc in viro, quam in uxore. Ita communiter DD. apud Trullenc. *ſupra num. 7.* Hinc fit uxorem poſſe irritare votum viri longinquæ peregrinationis, niſi ſit in ſubſidium terræ ſanctæ, votum magnæ abſtinentiæ, votum geſtandi habitum religionis, ſeu Eremitæ, quia ob errorem, quem cauſant, retrahunt mulierem à debiti petitione, & redditione. Votum nimiarum precum, & ſimilium, quia obſtant mutuæ cohabitationi, & obligationi reddendi, item votum non petendi debitum, quia in hoc vir, & uxor ſunt æquales, & ex tali voto cauſatur præjudicium uxori, & gravatur ad ſemper petendum, quod eſt contra naturalem mulierum pudicitiam. Ita Henriquez, Philiarcus, Veiga, Navarrus, Gutierrez, Emanuël, Lopez, & probabile putat Aragonius, quos refert Sanchez *lib. 9. matrimonij diſp. 42. num. 7.* Layman, quem refert Palaus *d. 2. de voto p. 6. num. 10.* Trullenc. *ubi ſuprà num. 5.* Probabile putat Leander *tract. 1. de juramento d. 16 queſt. 141.* contra Villalobos, Sanch. & Palaum, ſuprà. Quod procedit etiamſi uxor jam in illud votum conſenſerit, ut dictum eſt de viro; peccabit tamen, ſi juſta cauſa non adſit, valida tamen erit irritatio, ut ſæpe dictum eſt. Item ſi mutuo conſenſu fuit caſtitatis votum emiſſum, ut dictum eſt de viro. Item ſicut vir poteſt irritare vota uxoris ſibi præjudicantia emiſſa ante matrimonium, Ita etiam poteſt uxor, eadem enim eſt ratio. Trullenc. *ſuprà.* Vota autem adimplenda tempore ſoluti matrimonij, non poteſt irritare, quia non ſunt illi nociva: Vide Trullenc. & Sanchez *ſuprà.*

SECTIO XXXV.

Qualiter vota ſervorum poſſit dominus irritare?

SUMMARIUM.

447 *Dominus ea ſolum vota ſervi poteſt irritare, quæ juri, & poteſtati ſuæ officiunt, obſtant, & præjudicant.*

448 *Quædam corollaria ponuntur.*

446 *Herus non poteſt vota famuli irritare, poterit tamen ea ſuſpendere, ſi obſequio debito præjudicent.*

Dico primo: Dominus ea ſolum vota ſervi poteſt irritare, quæ juri, & poteſtati ſuæ officiunt, obſtant, ac præjudicant. Ita communiter DD. apud Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 37. num. 1.* Palaus *de voto d. 2. p. 5. num. 1.* Torre *q. 88. art. 9. d. 2. num. 14.* & cum aliis Leander *tract. 1. de juramento d. 16. queſt. 151.* contra Alenſem, Tabienam, Ledeſmam, Aragonium, quos refert Sanchez *lib. 4. cap. 36. num. 1.* Ratio eſt, quia dominus non eſt ſuperior, quoad voluntatem ſervi ſimpliciter, ſed quatenus ejus ſervitutem, & obſequium ſpectat. 447

Hinc fit dominum non poſſe irritare votum caſtitatis ſui ſervi, nec precum moderatarum, abſtinentiæ, & jejunij, niſi fortè hæc domini obſequio obſtarent. Nec poteſt dominus ob eandem rationem irritare vota emiſſa tempore ſervitutis, exequenda tamen tempore libertatis. Poterit tamen ſuſpendere vota emiſſa ante ſervitutem, ſi illi præjudicant. Poterit etiam irritare omnia vota realia à ſervo emiſſa, quia ſervus nihil habet proprij, ſed omnia domino acquirit. Hoc tamen intellige, niſi aliàs ſervus poſſideat, quod à domino auferri nequeat, ta Sanchez, & alij apud Trullenc. *lib. 2. Decalogi cap. 2. d. 37. num. 2.* Palaum *ſuprà*, & alios, & apud Leandrum *ſuprà q. 159.* 448

Dico ſecundo: Herus non poteſt famuli vota irritare, quia in eum non habet poteſtatem dominativam. Poterit tamen illius vota, ſi obſequio ſibi debito præjudicant, ſuſpendere. Ita communiter DD. apud præcitatos Doctores. 449

SECTIO XXXVI.

Qualiter obligatio voti ceſſet diſpenſatione?

SUMMARIUM.

450 *In Eccleſia datur poteſtas Eccleſiaſtica relaxandi vota.*

451 *Quid ſit votum diſpenſare?*

452 *Quomodo Papa & prælati poſſint divinum jus relaxare?*

453 *Ad validam voti diſpenſationem ſemper requiritur juſta cauſa.*

454 *Illæ cauſæ dicuntur ſufficientes, quæ obſtant executioni voti.*

455 *Quæ ſint cauſæ obſtantes executioni voti?*

456 *Quid ſi cauſa ſit inſufficiens, diſpenſans tamen bona fide proceſſerit, & diſpenſatus putantes eſſe ſufficientem?*

457 *An aliquando teneatur ſuperior diſpenſationem concedere?*

458 *Quid dicendum ſit de delegato?*

Dico primo de fide eſt dari in Eccleſia Dei legitimam poteſtatem ſpiritualem relaxãdi vota. Quæ poteſtas de jure ordinario reſidet in ſummo Pontifice, & in prælatibus habentibus juriſdictionem in foro externo. Ita communiter DD. apud Fagundez in ſecundum præceptum *lib. 2. cap. 40. num. 1.* & apud Leandrum *tract. 1. de juramento, d. 17. queſt. 2.* Et probatur ex antiquiſſimo uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ in re tam gravi 450

Digitized by Google

non poteſt errare; Colligiturque hæc poteſtas ex illis verbis Chriſti, *quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Quæ verba ob ejus generalitatem, juncta Eccleſiæ traditione, extendunt patres ad quodlibet vinculum, quod ad ſalutem animarum, & rectam Eccleſiæ gubernationem convenit; ſed ſæpe ſaluti animarum, & rectæ Eccleſiæ gubernationi expedit, non ſolum ſolutio pœnæ, & culpæ, ſed etiam voti, & juramenti promiſſorij: ergo ad hæc vota & juramenta Chriſtus poteſtatem in ſua Eccleſia reliquit. Hæc autem poteſtas non eſt ordinis ſed juriſdictionis, ac proinde poteſt convenire omni Eccleſiaſticæ perſonæ habenti ſubditos, illosque in foro externo gubernanti, ut jam tetigimus, quibus autem perſonis hoc competat infra dicemus.

451 Dico ſecundo: Diſpenſare in voto, non eſt declarare materiam voti non eſſe Deo gratam, ut aliqui putant, hoc enim proprie eſt interpretatio, & epicheia, quæ ad doctores potius pertinet. Unde dicendum eſt diſpenſationem voti, eſſe veram relaxationem vinculi voti obligantis, qua relaxatione voti poſita, votum non obligat. Ita communiter DD. apud Fagundez *ſuprà num.* 3. Ratio deſumitur ex uſu quotidiano Eccleſiæ, frequentiſſima enim eſt Eccleſiæ diſpenſatio in voto Religionis, & caſtitatis, ob incontinentiæ periculum ortum ex voventis fragilitate, cum tamen res ſit clariſſima votum, ſecluſa ea diſpenſatione, obligare.

452 Quomodo autem Papa, & Prælati poſſint relaxare jus divinum, & naturale, quo votum obligat? Relictis variis Doctorum ſolutionibus; Reſpondeo, Chriſtum hanc facultatem ſuæ Eccleſiæ reliquiſſe relaxandi ſcilicet hanc obligationem juris divini naturalis orti ex actu voluntatis humanæ, quo ſe quis per votum, & juramentum voluit obligare, non diſpenſando in univerſum, ut jus naturale non obliget, ſed ut non obliget in tali, vel tali caſu occurrenti, ex cauſis juſtis. Ita cum Fagundez, Sanchez, Leander *tract.* 1. *de juramento, d.* 17. *quæſt.* 3.

453 Dico tertio: Ad validam voti diſpenſationem ſemper requiritur juſta cauſa, alioquin talis diſpenſatio injuſta, & irrita erit. Ita communiter DD. apud Leandrum *tract. de juramento d.* 17. *quæſt.* 3. Ratio eſt quia cum vinculum voti non obliget ex jure humano, ſed divino, abſque cauſa non poteſt tale vinculum, nec etiam per Pontificem tolli, non enim Deus illi talem facultatem relinquit, niſi juſta cauſa intercedente.

454 Dico quarto: Illæ cauſæ ſufficientes ſunt ad voti diſpenſationem, quæ voti executioni obſtant, nam cum obligatio exequendi votum, cedat in honorem Dei, & in voventis utilitatem, non eſt cenſendus illius remiſſioni conſentire, niſi adſit cauſa hujus executionis obligationem impediens. Ita communiter DD. apud Palaum *de voto d.* 2. *p.* 9. *num.* 5.

455 Dico quinto: Cauſæ obſtantes executioni voti ſunt: Sequentes. Prima, Si votum factum fuit ex metu, iracundia, vel alia ſubita paſſione, non tollente deliberationem. 2. Parva ætas. 3. Si detur cauſa ruinæ, attenta materia voti difficili, vel fragilitate voventis 4 Si votum impediat majus bonum voventis 5. Ex mutatione notabili ipſius voti, ſi videlicet materia voti facta eſt ſcandaloſa, minus honeſta, nimis difficilis. 6. Si diſpenſatio voti pertineat ad bonum commune, non tamen ſemper requiritur, ut diſpenſatio illius pertineat ad bonum commune, ſed ſatis eſt quod pertineat ad bonum voventis; nam ſic etiam redundat ſaltem indirectè in bonum commune. 7. Quando eſt dubium ſi voverit, vel dubium de intentione obligationis. 8. Si vovens inquietetur multis ſcrupulis, ita ut implere votum illi valde noceat, illumque inquietet, ſed hoc intelligitur, quando inquietudo, & ſcrupuli procedunt ex impletione voti. 9. Si voventi Religionem ſuperveniat morbus continuus, unde ſalus deſperetur, 10. Vehemens ludendi deſiderium, ſi ſimul ſit cum experientia, quod ſæpe eſt cauſa talis appetitus violationis voti, ſecus quando non eſt talis experientia, ſed de facto vincitur talis appetitus. 11. Si eſt dubium an votum ſit impeditivum majoris boni. 12. Si ex voto bonum commune impeditur. 13. Si votum cedat in damnum propriæ domus, vel familiæ. Denique quæcunque alia cauſa judicata arbitrio prudentis, & ſi ſhorati ut omnes DD. affirmant quos larga manu refert & ſequitur Leander *tract.* 1. *de juramento, d.* 17. *quæſt.* 9. & ſequentibus.

Advertunt tamen communiter DD. raro quamlibet ex ſupradictis cauſis ſufficientem eſſe, ut integre, & abſolute voti diſpenſatio concedatur, ſed oportere aliquam commutationem commiſceri, præcipuè cum votum grave eſt, & perpetuum. Si tamen aliqua cauſa arbitretur ſufficiens arbitrio prudentis viri, ad integram voti diſpenſationem poterit abſque dubio ſecure concedi, quia credendum eſt prælato, uſum facultatis diſpenſandi conceſſum eſſe ſtante cauſa dubio legitima, alias ſi certitudo ſpectanda eſſet, omnia plena eſſent ſcrupulis, & raro, vel nunquam concederetur diſpenſatio, cum vix certitudo cauſæ poſſit cognoſci. Unde colliges in diſpenſante ſemper deſiderari cognitionem voti, unde neceſſario explicanda eſt voti materia, & cauſa, quæ facit pro diſpenſatione, alias non valebit diſpenſatio, ſi taceatur votum, vel narretur falſum. Portel in additionibus ad dubia regularia. *Verbo votum num.* 86. Trullenc *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *dub.* 4; *num.* 1. Si tamen de facto detur legitima diſpenſandi cauſa, etiamſi fiat diſpenſatio ſine cognitione cauſæ, erit valida, peccabit tamen mortaliter, ſic diſpenſans Sanchez, & alij, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà.* Diana 8. *p. tract.* 3. *reſol.* 21.

An autem ſi petens diſpenſationem, illamque 456
concedens bona fide procedant exiſtimantes cauſam legitimam adeſſe, valeat diſpenſatio, nec teneatur diſpenſatus ad votum ſuum redire deprehenſa cauſæ inſufficientia? Negat Salas, quem refert Diana 1. *p. tract.* 10. *reſol.* 33. Palaus *ubi ſuprà num.* 4. Verum contraria ſententia probabilior eſt, hanc tenent Azor, Sanchez, quos refert Diana ibi Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 43. *num.* 14. Mercla, Reginaldus, Villalobos, quos refert, & ſequitur Diana 8. *p. tract.* 3. *reſol.* 20. & cum Tamburino, Leander, *tract.* 1. *de juramento d.* 17. *quæſt.* 7. Ratio autem eſt, quia non plus petit Chriſtus dominus à ſuo miniſtro, niſi ut fideliter, & prudenter diſpenſet, immo neque inter homines plus requiritur, ut geſta, vel diſpenſata ab aliquo œconomo valida ſint. Tum quia hoc conſonum eſſe videtur æquitati, ad ſedandos ſcrupulos, & rectam Eccleſiæ gubernationem.

An vero aliquando teneatur ſuperior diſpenſa- 457
tionem concedere? Reſpondeo teneri, nempe ſi omnibus penſatis judicetur bono communi, vel ſpeciali diſpenſati graviter expedire, nec alia cauſa in contrarium præponderet. Ita Sanchez, Salas, Suarius, & alij, quos refert, & ſequitur Palaus *tom.* 1 *tract.* 3 *d.* 6 *p.* 8. *num.* 10. Ratio eſt quia poteſt contingere ita urgens cauſa boni communis, vel ſpecialis

specialis alicujus, ut princeps cujus officium est hæc omnia respicere, censeatur contra debitum sui muneris procedere, si dispensationem neget. Palaus *suprà*.

458 An vero delegatus teneatur aliquando etiam dispensare? Respondeo quod si ille acceptavit electionem pro dispensatione votorum, vel impedimentorum, teneri uti privilegio, ad dispensandum, sive tale privilegium concessum sit in favorem dispensaturi, sive in favorem dispensati. Secus dicendum est si ad hoc expresse non eligatur, licet alias eligatur ad confessionem. Ita Palaus *suprà n.* 12. Ratio prioris partis est, quia ipse privilegiatus acceptans talem electionem, se ipsum obligavit uti privilegio suo. Secus dicendum est, quando solum acceptavit cogi ad confessionem, non enim quis tenetur uti suo privilegio.

Adverte tamen aliquando teneri delegatum consentire electioni de se factæ, & dispensationem concedere, nempe si id judicaverit graviter bono dispensaturi convenire, eo quod ab aliis repellitur, & ob hanc repulsam tristatur graviter, & in periculo peccandi existit. Ita cum Joanne Sancio, Palaus *suprà num.* 12.

SECTIO XXXVII.

Qui habeant potestatem ordinariam dispensandi, & in quæ vota?

SUMMARIUM.

459 *Omnes prælati habentes potestatem quasi Episcopalem possunt dispensare omnia vota suorum subditorum non reservata.*

460 *An Episcopus possit vota vagorum in suo episcopatu dispensare?*

461 *An possit vota religiosorum viventium in suo Episcopatu dispensare?*

462 *An prælatus regularis possit vota novitiorum dispensare.*

463 *Quis possit ipsorum Prælatorum vota dispensare.*

459 Dico primò: Omnes prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, comparatione suorum subditorum potestatem habent dispensandi in omnibus votis, nisi aliqua sint specialiter reservata. Ita communiter. DD. Quare non solum summus Pontifex, sed Episcopus, Archiepiscopus, legatus à latere in sua provincia, summi Pontificis pœnitentiarius, capitulum sede vacante, Prælati regulares exempti, Abbates habentes propriam diœcesim, potestatem habent ordinariam dispensandi in omnibus votis, quilibet respectu suorum subditorum, & respectu illorum votorum quæ reservata non sunt. Ratio est quia id rectæ Ecclesiæ gubernationi convenit. Alij autem prælati Episcopo inferiores, ut sunt Archidiaconi, vicarij generales, & alij hujusmodi, non possunt in votis dispensare, nisi specialiter sit illis commissum, de quo Trullench. *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 2. *d.* 27. *num.* 11. Idem dicendum est de parocho, quia jurisdictione in foro externo non gaudent, ad dispensandum in votis. Et licet in lege jejuniorum, & festorum dispensare possit, cum Episcopus abest, id ex recepta consuetudine habetur, quæ tamen non est circa votorum dispensationem. Palaus *de voto d.* 2. *p.* 10. *n.* 1.

460 Dixi respectu suorum subditorum, quia dispensatio est jurisdictionis exercitium. An autem Episcopus possit in votis vagorum, & peregrinorum dispensare, dum per modum transitus sunt in suo Episcopatu? De vagis omnes admittunt. Ita cum aliis Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 6. *p.* 5 §. 2. *num.* 1. De forensibus autem major est dubium; Aliqui tamen nolunt posse episcopum in illorum votis dispensare, nisi habeant domicilium, vel saltem confluant in illum locum animo ibi habitandi. Cæterum probabile est posse episcopum in illorum votis dispensare, etiamsi non habeant domicilium in suo Episcopatu, nec illuc confluant intentione ibi habitandi. Pontius *lib.* 8. *de matrimon. cap.* 1. *num.* 7. & probabile putat Palaus *suprà num.* 5. licet contrarium probabilius sit, ut docet Trullench. *suprà num.* 22.

An vero Episcopus possit in votis religiosorum exemptorum dispensare? Respondeo negative. Ita communiter DD. & licet aliqui DD. affirment de licentia prælatorum posse regularem subjici Episcopo, ut cum illo in aliquo voto dispenset catu quo in Religione non detur potestas ad tale votum dispensandum, quos congerit Trullenc. *suprà num.* 21. Hæc exceptio mihi frustranea videtur, cum alias nullum detur votum, quod Episcopus possit dispensare, quod etiam prælatus regularis respectu suorum subditorum non possit dispensare, ut infra dicemus. An vero saltem vota Novitiorum possit Episcopus dispensare? Respondeo affirmative. Ita communiter DD. apud Palaum *suprà num.* 1. non enim novitij sunt plene exempti ab ejus jurisdictione, cum religiosi non sint. 461

An vero etiam Prælatus regularis possit in votis novitiorum dispensare? Aliqui negant. Ita Azor, Sayrus, Suarius; Cæterum probabilius contrarium dicendum est. Ita cum Angelo, Sylvestro, Henriquez, Rodriguez, Sanchez, Lessio, & aliis, Palaus *suprà num.* 3. & cum Bonacina, Trullench. *suprà num.* 18. Ratio est, quia licet prælatus non habeat plenam potestatem dominativam in novitios, habet tamen potestatem jurisdictionis, cum ad prælatum pertineat cognoscere de novitij delicto, & non ad Episcopum, nisi illi novitius subdat; Tum etiam quia novitij gaudent privilegio Religionis. Et quidquid sit de his opinionibus, certum est prælatos religionis posse uti potestate delegata dispensandi, in votis novitiorum, aut ea commutandi, quia gaudent per religionis privilegia erga sæcularium vota, de quo infra, non enim sunt novitij pejoris conditionis, quam sæculares. Ita cum Azor, Sanchez, Sayro, & aliis Trullench. *suprà num.* 19. 462

A quonam autem vota prælatorum ipsorum dispensari possint? Respondeo debere dispensari ab altero magis superiore, ut vota prioris à provinciali, vota provinciali à generali, vota generalis à capitulo generali. Ita cum aliis Trullench. *suprà num.* 17. Lessius *num.* 1. *cap.* 18. *num.* 52. Probabile etiam est, posse prælatum supremum religionis, committere suo confessario, ut secum dispenset. Et idem dicendum est de provincialibus, & prioribus, & aliis quibuscunque prælatis sive sæcularibus, sive regularibus, qui omnes possunt committere suis confessariis, ut cum ipsis dispensent, in omnibus illis votis, in quibus cum suis subditis possunt dispensare. Ita cum Azor, Navarro, & aliis, Sanchez *de matrim. lib.* 8. *d.* 3. *num.* 9. Lessius *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 52. Trullench. *suprà num.* 17. & cum aliis Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 17. *quæst.* 63. & 64. Ratio est quia hæc jurisdictio neque est contra jus naturæ, neque contra jus canonicum: ergo non est cur prælatis negetur. Antecedens quoad 463

primam

primam partem constat, quia jurisdictio hæc non est contentiosa, quæ postulat distinctionem personarum, sed solum est directiva, quatenus postulat cognitionem prudentem causæ; sed hoc non repugnat, ut detur respectu sui ipsius, alias summus Pontifex non potest in suis votis dispensari: ergo quoad secundam etiam partem constat, quia nullus datur textus in contrarium, ut probat Sanchez *suprà* ergo, &c.

SECTIO XXXVIII.

Quæ vota sint summo Pontifici reservata?

SUMMARIUM.

464 *Quinque tantum dantur vota Pontifici reservata & qua sint?*

465 *Hujusmodi vota quomodo sint interpretanda?*

466 *Votum religionis non approbatæ reservatum non est.*

467 *Votum religionis, castitatis, & peregrinationis emissum sub aliqua circunstantia accidentali reservatum non est, qua parte illam circunstantiam spectat.*

468 *Votum in quod votum reservatum commutatum est, non est reservatum.*

469 *Votum disiunctivum de materia reservata & non reservata non est reservatum.*

464 Dico primo: Quinque dantur tantum vota summo Pontifici reservata secundum juris dispositionem, consuetudinem approbatam, & stilum curiæ, votum scilicet castitatis perpetuæ, & perfectæ; votum Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apostolorum; votum ad Sanctum Jacobum Compostellanum, & votum in terram sanctam. Ita communiter DD. apud Trullench. *lib. 2. Decalogi cap. 2. dub. 39. num. 2.* Et licet in his tribus ultimis Panormitanus, Tabiena, & alij, existiment posse Episcopum dispensare, quando facta sunt tantum causa devotionis, & non in subsidium, & probabile putat Baunius *tomo 1. tract. 8. de Episcopis quæst. 13. lit. B.* At consuetudine introductum est, votum illarum trium peregrinationum devotionis causa non posse, nisi à Romano Pontifice dispensari. Sic pluribus citatis firmat Palaus *de voto d. 2. p. 10. n. 5.* Trullench. *suprà n. 2.*

465 Dico secundò: Hujusmodi vota non sunt strictè interpretanda, nam reservatio est odiosa. Unde votum castitatis intelligendum est de voto perfecto, & absoluto, & idem dicendum est de aliis. Unde fit votum non contrahendi matrimonium, votum non fornicandi, non polluendi, non tangendi turpiter mulierem, non petendi debitum in conjugatis, non esse reservatum. Simile est de voto castitatis pro determinato tempore, & de voto assumendi ordines sacros, quia non est votum castitatis promissæ sed promittendæ castitatis. Ratio autem horum est, quia hujusmodi vota non sunt perfectæ castitatis, sed diminutæ.

466 Secundo deducitur votum Religionis non approbatæ reservatum non esse. Idem est de voto paupertatis & obedientiæ extra statum religiosum, quia nec statum constituunt, nec sunt vota religiosi status assumendi. Ita cum Lessio, Suario, & aliis Palaus, *suprà num. 2.* Et idem dicendum est de voto Compostellanæ, Romanæ, vel Jerosolymitanæ peregrinationis ob alium expressum finem, quam devotionis, quia Extravagans, *etsi dominici*; non cujuslibet peregrinationis votum reservat, sed conceptum ex devotione illorum locorum. Ita Sanchez, Pontius, quos refert, & sequitur Palaus *suprà num. 3.*

Tertiò deducitur, Votum castitatis, Religionis, 467
& peregrinationis emissum sub aliqua circunstantia accidentali, reservatum non esse, qua parte illam circunstantiam spectat. Quia secluſa illa circunstantia in integrum manet votum reservatum. Unde si quis voveat ingredi Religionem strictiorem, poterit prælatus dispensare, ut laxiorem ingrediatur, quia non dispensat in religionis voto, hoc enim integrum manet, sed in illius circunstantia. Ita cum Navarro, Azor, Lessio, Sanchez, Palaus, *suprà num. 4.* Idem dicendum est de voto perseverandi in religione, quia non est votum Religionis. Et idem est de voto peregrinandi pedester, vel mendicando, quia sublata hac circunstantia, intactum remanere potest votum reservatum. Ita cum Sanchez, Basilio, & aliis Palaus, *suprà num. 4.*

Quarto deducitur non esse votum reservatum, sed 468
potius dispensari posse votum illud, in quod reservatum commutatum est, ut si Pontifex votum Religionis in Eleemosynam commutaret, quia facta commutatione, votum de materia reservata extinctum est. Nec obstat Regula juris, subrogatum sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur. *l. unica Cod. de rei uxoria actione.* Quia id intelligi debet in favorabilibus, & non in odiosis. Ita cum Saa, Sanchez, Lessio, Layman, Palaus *suprà num. 5.*

Quinto deducitur: Non esse reservatum votum 469
disiunctivum de materia reservata, & non reservata, ut si quis voveat Religionem, vel jejunium quotidianum, quia cum liberum sit ad eligendum materiam non reservatam, absolute tale votum reservatum non est. Ita cum Azor, Suario, Sanchez, Lessio, Layman, Palaus, *suprà num. 6.* Quod verum est, tametsi pars non reservata impossibilis successu temporis fiat, quia esto ad partem reservatam eo casu vovens determinate obligetur, id non provenit ex voto per se, sed provenit ex impossibilitate per accidens contingente partis non reservatæ. Ita cum Suario, Sanchez, Layman, Palaus, *suprà num. 6.* Secus dicendum est, si vovens partem illam reservatam intentione determinaret, ita ut ab ea determinatione resilire non posset, quod cum non solo proposito, sed novo voto faciendum sit, quo scilicet se vovens obliget ad partem reservatam exequendam, necessario tale votum reservatum erit. Ita cum Suario, Sanchez, Layman, Palaus, *suprà num. 6.* Tandem deducitur votum non petendi dispensationem voti ab alio, quam à Romano Pontifice, non esse reservatum, quia non est votum de materia reservata. Ita cum Suario, Pontio, Sanchez, Barbosa, Palaus, *suprà numero septimo.*

SECTIO

SECTIO XXXIX.

An sint aliqui casus, in quibus prælati inferiores possint dispensare in votis reservatis?

SUMMARIUM.

470 *Primus casus in quo prælatus potest dispensare in votis reservatis est quoties votum est dubium.*

471 *Secundus quando votum emittitur ex metu injusto ad extorquendum votum.*

472 *Tertius est si consuetudine sit præscriptum in talibus votis dispensare.*

473 *Quartus est si hæc vota emittantur à personis dominativæ potestati subjectis.*

474 *Quintus est in extraordinario aliquo eventu, & qualis requiratur.*

475 *Quomodo in hoc casu concedenda sit dispensatio?*

476 *Sextus casus est, si vota fuerint conditionalia pœnalia.*

477 *Quid si fuerint pure conditionalia?*

478 *Quid si jam conditio sit adimpleta?*

470 DIco primò: varij numerantur casus, in quibus prælati inferiores possunt in quinque supradictis votis Pontifici reservatis dispensare. Primus est: Quoties de valore voti fuerit morale dubium, sive sit dubium juris, sive facti, sive sit dubium negativum, propter conjecturas, quæ non sufficiunt ad determinandum judicium, sive sit positivum ex opinionibus probabilibus contrariis; nam cum reservatio certa sit, semper casus certos expostulat. Ita cum Navarro, Layman, Sanchez, Lessio, Suario, Palaus, *d. 2. de voto p. 12. num. 11.* Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 2. d. 39. n. 9.* Unde quando dubitatur an votum sit reservatum Papæ, judicandum est non reservatum? Ita cum aliis Diana, *p. 4. tract. 3. resol. 19.* Trullenc. *suprà n. 4.* Similiter quando dubitatur, utrum potestas dispensandi extendatur ad aliquem casum, post debitam diligentiam præsumitur extendi: nam cum potestas dispensandi sit favorabilis, late est interpretanda, Bonacina, Sanchez, quos refert, & sequitur Trullenc. *suprà num. 4.*

471 Secundus casus in quo inferiores possunt in votis prædictis dispensare est, quando votum emittitur ex metu ad extorquendum votum injuste incusso, esto metus levis sit, nam cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda. Ita cum Navarro, Lessio, Sanchez, & aliis Trullenc. *suprà num. 10.* contra Suarium.

472 Tertius casus est si consuetudine fuerit præscriptum, posse inferiores prælatos in his votis dispensare, nam consuetudo sicut potest constituere legem, ita & abrogare constitutam. Hanc autem consuetudinem habent prælati inferiores respectu conjugum, qui fuerint voto castitatis obstricti, ut possint eo non obstante petere debitum, ob periculum incontinentiæ; ita pluribus citatis Sanc. & alij, quos refert, & sequitur Palaus, *suprà n. 10.* Hoc tamen intelligitur de voto facto post contractum matrimonium, absque licentia alterius conjugis, vel si fuit factum ante matrimonium, & petitur dispensatio post matrimonium ratum, vel consummatum. Si tamen votum factum fuit post contractum matrimonium de utriusque conjugis licentia, Palaus, *ubi suprà*, putat non posse inferiores prælatos dispensare, nisi in casu, quo conjuges remissionem juris sibi mutuo remiserint, quod valide, licet sacrilege efficere possunt. Verum adhuc in hoc casu quando votum factum est de utriusque conjugis licentia probabilius puto, posse inferiores prælatos dispensare. Ita Angelus, Lessius, Basilius, & probabile putat idem Palaus, *suprà num. 10.* Diana, *4. p. tract. 4. resol. 125.* Baunius, *tomo 1. tract. 8. de Episcopis quæst. 13. verficulo infertur 3.* Propter periculum incontinentiæ.

473 Quartus casus est, si hæc vota reservata emittantur ab hominibus dominativæ potestati subjectis, quia cum facile solvi possint, non credendum Pontificem eorum dispensationem sibi reservare voluisse. Ita Gutierres, aliis relatis *lib. 2. canonicarum.* Cæterum hic casus communiter à doctoribus reprobatur, quia nullo nititur fundamento, potestas enim dispensandi diversa est à potestate irritandi: ergo ex eo quod illa vota irritari possint, non sequitur posse dispensari. Ita cum Sanchez, Suario, Palaus, *suprà num. 12.* & cum Maldero, & aliis, Diana, *1. p. tract. 11. resol. 84.*

474 Quintus casus, & præcipuus est, in extraordinario aliquo eventu, quando scilicet urget gravis necessitas dispensationis, neque Pontificis responsum, aut qui illius vices habet expectari potest, absque gravi periculo spiritualis salutis, vel quando timetur scandalum, in fama, aliudve grave damnum ex dilata dispensatione, ut si adstrictus voto castitatis violasset Virginem, & ad reparationem honoris illius, matrimonium necessarium esset, & timeret à cognatis illius impediendum, si dispensatio Pontificia expectaretur. Item si morti proximus oporteret matrimonium inire ad legitimandam prolem. Ita Basilius, Lessius, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus, *suprà num. 4.* Trullenc. *lib. 4. Decal. cap. 2. d. 39. num 8.* Ratio est, quia jure ordinario habebant Episcopi potestatem dispensandi in his votis, nisi Pontifex summus hanc illis potestatem non limitaret, sed non est credendum Pontificem illis talem facultatem limitare, quando non est facilis recursus ad ipsum Pontificem, vel ad alium habentem delegatam potestatem super hæc vota: ergo modo talis potestas ineſt Episcopis, ac per consequens in aliis prælatis. Minor in quo est difficultas patet, quia talis prohibitio esset in grave præjudicium Ecclesiæ.

475 Dixi dummodo absque gravi damno expectari non possit Pontificis responsum, aut qui illius vices habet, nam si aliquis sit, qui ex speciali privilegio hæc vota dispensare possit, ad illum debet pro dispensatione recurri. Nec prælati inferiores, tunc possunt dispensare. Ita cum Sanchez, Navarro, Basilio, Palaus, *suprà num. 5.* Torre *quæst. 88. art. 12. d. 3. num. 14.* Trullenc. *suprà num. 8.* Licet contrarium non improbabiliter teneat Henriquez, Avila, quos refert Palaus, *suprà num. 5.* & probabile putat ipse Palaus, & Trullenc. *locis citatis*: nam commissio illi accidentalis non videtur posse impedire potestatem ordinariam prælatis inferioribus competentem, quæ est dispensare in casu, in quo Pontifex adiri non potest, quia in illo casu, non est potestas eorum limitata, sed suæ naturæ relicta Palaus, *suprà*.

Est tamen in hoc casu advertendum dispensationem tantùm concedendam esse, quatenus necessitas postulat, & non amplius; siquidem sola necessitas facultatem concedit. Quapropter si cum adstricto voto castitatis dispensetur, ut matrimonium ineat, non dispensatur cum illo, ut non peccet

adversus votum, si cum altera fornicetur, vel se polluat, quia id necessarium non est. Ita cum Suario, Barbosa, Pontio, Sanchez, Layman, Palaus, *suprà num.* 6. Trullenc. *suprà num.* 8. Unde si differendo executionem voti satisfieri necessitati potest, ut frequenter contingit in voto Religionis, & peregrinationis, non poterunt prælati inferiores in voto dispensare, quia cessat necessitas.

476 Sextus casus est si vota fuerint conditionalia. Cæterum ut hic casus clare constet, adverte, Vota conditionalia alia esse conditionalia pœnalia, alia pure conditionalia. De conditionalibus pœnalibus non est dubium posse dispensari ab Episcopo, si conditio pœnalis non fuit de præsenti, vel præterito. Ita communiter DD. apud Trullenc. *suprà*, *dub.* 40. Bauni, *tom.* 1. *tract.* 8. *de Episcopis quæst.* 13. Torre *quæst.* 88. *art.* 12. *d.* 3. *num.* 7. Ratio est, quia qui sibi Religionis ingressum comminatur in pœnam, si tale crimen commiserit, non vovet Religionem ex affectu, sed ex odio delicti: ergo tale votum non est Pontifici reservatum, quia exceptio debet intelligi de eo, quod est simpliciter, & directe votum Religionis.

Dices hinc sequi votum pœnale de præterito, & de præsenti, posse per Episcopum dispensari; patet sequela, quia sic vovens, non ex affectu Religionis, sed ex odio criminis vovet. Respondeo negando sequelam. Nam licet hoc votum eandem imperfectionem habeat ex parte motivi, ac habet votum quando conditio est de futuro, non tamen habet eandem imperfectionem ex parte consensus, nam quando conditio est de præsenti, consensus absolutus est omnino, & independens ab aliquo futuro eventu, & directe tendens in rem promissam. At in votis pœnalibus pendentibus ex conditione de futuro, non fertur directe consensus in rem promissam, imò conatur quantum sibi possibile est, illam vitare.

477 De votis autem pure conditionalibus majus est dubium, & in primis vel sermo est de conditionalibus ante impletam conditionem, vel post impletam conditionem; si de votis pœnalibus ante impletam conditionem sermo sit, reservationi non subsunt; ita communiter DD. apud Palaum, *suprà n.* 13. Quia reservatio utpote odiosa debet esse de obligatione perfecta, & consummata, & non de illa, quæ pendet ex eventu futuro, ut bene advertit Palaus, *suprà*.

Si sermo sit post impletam conditionem, tunc variant DD. plures censent reservata esse, tam pure conditionalia, quam pœnalia. Sic Sotus, Gutierres, Azor, Pontius, & alij, quos refert Palaus, *suprà num.* 14. Alij DD. distinctione utuntur, admittunt enim supradictam sententiam in votis pure conditionalibus, negant tamen illam in votis conditionalibus pœnalibus. Ita Suarez, Lessius, Layman, quos refert, Palaus, *suprà num.* 14.

478 Verum probabilior sententia docet, non solùm vota pure conditionalia, sed etiam conditionalia pœnalia, reservata non esse; etiam post adimpletam conditionem. Ita Toletus, Gomez, Ledesma, Villalobos, quos refert, & sequitur Palaus, *suprà n.* 14. Torre, *suprà n.* 9. Trullenc. *suprà n.* 3. Ratio est, quia vota conditionalia imbibunt in sua natura imperfectum, & diminutum consensum in rem promissam, quippe qui est consensus sub conditione contingenter futura. Sed hic diminutus consensus non mutatur superveniente conditione, aliàs novum votum fieret, sed ex illo diminuto, & imperfecto consensu, qui præteriit posita conditione nascitur absoluta, & perfecta obligatio rei promissæ exequendæ: ergo hæc vota reservata non sunt, quia reservatio, quæ stricti juris est, sola vota, quæ ex natura sua sunt perfecta, & absoluta, comprehendere debet.

SECTIO XL.

Quibus competat, & in quæ vota potestas delegata dispensandi?

SUMMARIUM.

479 *Potestas delegata provenit ab habente potestatem ordinariam.*

480 *Tenor delegationis attendendus est.*

481 *Si concessio sit ad dispensandum in omnibus votis, non extenditur ad reservata.*

482 *Si alicui concedatur facultas ad omnia vota servata, omnia censentur comprehendi.*

483 *Si unum reservatum tantum excipiatur, omnia alia censentur commissa.*

484 *An facultas dispensandi in votis reservatis extendatur ad vota facta in commodum tertij?*

485 *Hæc facultas dispensandi in votis generaliter solum reperitur in religiosis mendicantibus.*

486 *An hæc potestas mendicantibus concessa extendatur ad alios regulares alterius, vel ejusdem Religionis ad illos venientes?*

487 *An hæc facultas extendatur ad vota reservata, quæ Episcopus dispensare potest ratione urgentis necessitatis, & quia est periculum in mora?*

488 *Quid possint regulares respectu dispensationis debiti universalis in eo qui contraxit matrimonium post votum Castitatis?*

De eo primò: delegata potestas provenit ex commissione facta ab eo, qui potestatem habet ordinariam. Unde tenor delegationis diligenter exa- 479
minandus est. Et in primis si concessio sit absoluta 480
ad dispensandum in omnibus votis, non extenditur 481
ad reservata, ut communis docet opinio, nam in speciali concessione non veniunt ea, quæ verosimiliter quis non esset in specie concessurus, ut patet *ex cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.* extenditur tamen ad omnia vota non reservata, quæ ante, & post talem concessionem fuere emissa. Item si alicui 482
concedatur facultas ad omnia vota reservata, omnia sine exceptione comprehenduntur. Ita cum Pontio, 483
Sanchez, Suario, Palaus, *de voto d.* 2. *p.* 2. *n.* 3. Et si unum reservatum tantum excipiat, ab hac concessione reservatorum, cætera censentur commissa, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Si tamen omnia vota concedat excepto voto castitatis, in tali concessione cætera reservata comprehenduntur. Ita communiter DD. apud Palaum *suprà*, nam aliàs esset inutilis talis exceptio. Verum si commissio esset omnium votorum, etiam castitatis, omnia minora censentur comprehensa, non tamen æqualia, *suprà n.* 5.

An autem talis facultas ad dispensandum in 484
omnibus votis non reservatis, extendatur etiam ad vota in commodum tertij facta? majus est dubium. Etsi promissio non sit acceptata ab illo tertio; communior opinio defendit comprehendi sub tali potestate, nam ante acceptationem nullum jus ei est acquisitum Ecclesiæ, vel pauperi, quia votum seu promissio tantum fuit factum Deo, vel sanctis, & non tertiæ personæ, sicque nulla

nulla ſit illi injuria. At ſi votum in alterius utilitatem ſit ab eo acceptatum, majus eſt dubium; & communior ſententia defendit non poſſe per talem poteſtatem diſpenſari, ſine licentia illius, qui tale votum acceptavit. Ita Sayrus, Leſſius, Suarius, Sanchez, & alij, quos refert, & ſequitur, Fagundez, *in Decalogum libro 2. capite 44. in 2. præcepto numero 8.* Trullenc. *ſupra numero 31.* quia tertius per acceptationem acquiſivit jus, & promiſſio tranſit in contractum, cui juri præjudicare prælati ordinarie non poſſunt, abſque illius conſenſu. Contraria tamen ſententia, quæ aſſerit a illue in hoc caſu poſſe diſpensare, etiam ſine licentia illius, in cujus commodum factum eſt votum, vel eo renuente, non eſt improbabilis, videturque eſſe de mente D. Th. *in 4. d. 38. quæſt. 1. art. 1.* illamque tenent Sylveſter, Angelus, Cajetanus, quos refert Raphael de la Torre, *quæſt. 88. art. 12. d. 2. num. 2.* & probabilem putat Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 2. dub. 4. num. 31.*

Ratio autem eſt, quia promiſſio licet per accidens cedat in favorem tertij, non tamen illi fit, ſed ſoli Deo: ergo acceptio tertij, non poteſt illi tribuere jus juſtitiæ, vel fidelitatis, contra voventem; ergo optime poterit diſpenſari ſine ejus conſenſu, niſi alias ultra votum detur ſpecialis promiſſio facta tertio, vel Eccleſiæ, & ab illo acceptata, nam cum hæc promiſſio non ſit votum, ſed promiſſio humana, intrat rationem contractus poſt acceptationem, ac per conſequens non poteſt diſpenſari, ſine conſenſu illius, cui facta eſt, & à quo eſt acceptata. Hæc autem promiſſio humana datur quando quis poſtquam promiſit alicui Eccleſiæ, vel pauperi aliquam eleemoſynam, abſque voto, vovit Deo adimplere talem promiſſionem, vel quando poſt factum votum ſpeciali promiſſione materiam voti illi loco, vel perſonæ promiſit: ergo.

485 Dico ſecundò: hæc poteſtas diſpenſandi in votis generaliter ſolum reperitur delegata Religionis mendicantibus, nam Martinus V. conceſſit privilegio bullato poſſe diſpenſare omnia vota Epiſcopalia, abſque ulla limitatione. Item conceſſit Eugenius IV. & Innocentius VIII. ut teſtatur cum multis Leander *tract. 1. de juramento d. 17. quæſt. 135.* Et licet Lezana, *tom. 1. cap. 19. num. 22.* dubitet an hæc privilegia fuiſſent Oracula, Leander tamen, cum Bordon. *reſol. 15. num. 2.* affirmant fuiſſe per bullam: & ita tenent Candidus, Vidal. Pellizarius, Vibarius, quos ego refero noſtro in Directorio regularium, *p. 1. tr. 2. d. 3. n. 80.* & cum multis Leander *ſup. q. 135.*

486 An autem hæc poteſtas delegata ad vota diſpensãda quam habent regulares, tam intra quam extra duos conventus, extendatur non ſolùm ad ſæculares, undequaque venientes, ſed etiam ad ſuos pœnitentes regulares, tam ejuſdem quam alterius religionis ad ſe venientes. Reſpondeo affirmative ex privilegio bullato Eugenij V. ut tenet Quintanaduenas *tr. 3. ſingulari 19. num 9.* & idem conceſſit Leo X. ut cum Peyrino, Bordono, & aliis, latius dixi in noſtro Directorio regularium *p. 1. tract. 2. d. 2. num. 131. & 132.*

487 An vero hujuſmodi facultas extendatur ad vota reſervata, quæ Epiſcopus ſolum poteſt diſpenſare in caſibus urgentis neceſſitatis? majus eſt dubium, & communis & probabilior ſententia negat. Ita pluribus relatis Diana, *p. 6. tract. 6. reſol. 50.* & cum aliis Leander, *ſupra quæſt. 134.* An autem contraria opinio ſit etiam probabilis, vide quæ dixi in noſtro Directorio regularium, *p. 1. tract. 2. d. 3. num. 84.* ne eadem repetamus.

488 Præter ſupradicta privilegia conceſſum eſt provincialibus mendicantium vel illis quos ipſi deputaverint, poteſtas diſpenſandi ad petendum debitum cum his, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxerunt, vel poſt matrimonium contractum voverunt caſtitatem. Ita conceſſit Martinus V. privilegio bullato, & tenent Lezana, *tom. 1. cap. 19. num. 25.* Bordonus, Navarrus, Candidus, Belaſius, Pellizarius, Quintanaduenas, quos retuli in noſtro Directorio regularium, *p. 1. tract. 2. d. 1. n. 108.* Imò non ſolùm ex vi hujus privilegij poſſunt regulares diſpenſare in hujuſmodi voto ad petendum debitum, ſed ex poteſtate quam habent ad diſpenſanda omnia vota, etiam illa, quæ ſunt de materia reſervata, modo non ſit affecta reſervatione, nam hoc votum caſtitatis, ita conjugato non eſt affectum reſervatione, ſi quidem non eſt abſolutæ caſtitatis, ſed tantum non petendi debitum; ergo optime poteſt a quocunque regulari, etiam ſine ulla deputatione diſpenſari. Ita Bordonus, *reſol. 11. num. 31.* Trullenc. *lib. 2. Decalog. cap. 2. d. 44. n. 3.* Quæ quidem intelliguntur de voto facto, tam ante matrimonium, quam poſt matrimonium ratum, vel conſummatum, de modo diſpenſatio petatur ſaltem poſt matrimonium ratum, ut latius probat Trullenc. *ſupra*, & Palaus *d. 2. p. 13. n. 9.* Imò etiamſi ſit de conſenſu utriuſque conjugis, ut ſupra diximus. Num tamen diſpenſare poterunt in voto religionis, quod quis ante matrimonium, etiam poſt matrimonium ratum, cum adhuc vovens poſſit illud implere, bene tamen poſt matrimonium conſummatum. Ita Trullenc. *ſupra*, & alij communiter.

SECTIO XLI.

Quid ſit commutatio, & an ad vota commutanda ſemper requiratur poteſtas Eccleſiaſtica, ita ut nunquam propria authoritate poſſint commutari?

SUMMARIUM.

489 *Ponitur commutationis definitio.*
490 *Vovens propria authoritate poteſt commutare votum in opus evidenter melius.*
491 *Quid ſi ſit dubium an ſit melius?*
492 *An vovens poſſit votum commutare in evidenter æquale?*
493 *Quoties datur dubium an ſit evidenter æqualis, vel inæqualis, requiritur poteſtas Eccleſiaſtica.*
494 *Quibus cõpetat hæc poteſtas commutandi vota?*
495 *An mera commutatio ſit facienda neceſſario in bonum æquale?*
496 *An votum in favorem tertij poſſit quis propria, vel prælati authoritate in rem evidenter meliorem commutare?*
497 *An ad voti commutationem requiratur cauſa?*
498 *An ſi non detur cauſa, & votum commutetur in minus, valeat commutatio?*
499 *Quædam corollaria ponuntur.*
500 *Qualiter peccet commutans vota ſine legitima cauſa?*
501 *An poteſtas delegata diſpenſandi, nec commutandi vota extendatur ad cõmutanda, vel diſpenſanda juramenta Deo facta?*
502 *Quid ſi res promiſſa ſit vinculo voti & juramenti?*

COmmutatio voti, eſt mutatio obligationis alicujus voti circa unam materiam facti in aliam materiam meliorem, vel æqualem. Ita communi- 489

ter DD. An autem ad hanc commutationem faciendam requiratur ſemper poteſtas Eccleſiaſtica, vel poſſit aliquando votum commutari propria authoritate? explico ſequentibus aſſertionibus.

490 Dico primò: ad commutandum votum in rem manifeſtè meliorem, id eſt, Deo manifeſtè gratiorem, nulla eſt opus authoritate ſuperioris, aut aliquo privilegio; ſed vovens propria authoritate poteſt ſic commutare. Ita communiter Doctores apud Trullenc. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 2. Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 18. *quæſt.* 7. Ratio eſt, quia Deus ſemper vult, quod præſtantius eſt, hoc autem procedit, quando votum non fuit factum in commodum tertij, vel non fuit ab illo acceptatum, nam ſi fuit in commodum ejus, & ab eo acceptatum *infrà* dicimus quod dicendum ſit.

491 Dixi in rem manifeſtè meliorem, nam ſi dubium eſt, an ſit melior, non poteſt fieri commutatio propria authoritate; quia cum votum ſit in poſſeſſione, melior eſt conditio poſſidentis. Ita cum Sanchez, Valentia, & aliis Palaus *de voto d.* 2. *p.* 15. *n.* 5. Trullenc. *ſuprà num.* 2. Sed hoc debet intelligi, niſi aliàs detur caſus, in quo certus quis eſſet de æqualitate materiæ ſubrogatæ, dubius tamen, an melior ſit; nam tunc affirmat cum Suario, Sanchez, Palaus, *ſuprà*, poſſe propria authoritate fieri commutationem, nam illa res ſubrogata abſolute jam eſt melior, ſiquidem ultra æqualitatem certam, ſub dubio ſuperioritatem habet.

492 Dico ſecundò: valde probabile eſt poſſe hoventem propria authoritate commutare votum in id quod evidenter conſtat eſſe æquale. Ita Rodriguez, Henriquez, Molina, Bonacina, Sanchez, Villalobos, Diana, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà n.* 5. Joannes Sancius, Joannes de la Cruz, Portel, quos refert Diana, 3. *p. tract.* 5. *reſol.* 25. contra Suarium, Leſſium, & alios, quos refert, & ſequitur Palaus, *ſup. n.* 3. Leander *ſup. q.* 9. Ratio eſt, quia nulla fit Deo injuria, cum res illa grata reddatur per commutationem factam, non per actum juriſdictionis, ſed per ſubrogationem materiæ æquè Deo gratæ, quod æque ab omnibus fieri poteſt, cum non ſit actus juriſdictionis, ut libenter admittit Sanchez.

493 Dico 3. quotieſcunque commutatio fit in rem, quæ non eſt evidenter melior, vel ſaltem evidenter æqualis, ſed eſt dubium, an ſit æqualis, vel eſt inæqualis, requiritur poteſtas Eccleſiaſtica. Ita communiter DD. apud Trullenc. *ſuprà num* 6. Leander *ſuprà quæſt.* 8. eſt autem hæc poteſtas juriſdictionis ſpiritualis, à Chriſto conceſſa, ſicut diſpenſatio.

494 Quibus autem competat hæc poteſtas commutandi vota? Reſpondeo omnes illos, qui habent poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad vota diſpenſanda, habere ſimiliter authoritatem ad eademmet vota commutanda. Ita communiter DD. apud Fagundez, *in ſecundum præceptum Decalog. lib.* 2. *c.* 50. *n.* 2. Leandrum *ſup. quæſt.* 4. an vero qui habent poteſtatem ad commutanda vota poſſint illa etiam diſpenſare? Reſpondeo cum qui habet poteſtatem ordinariam commutandi, habere etiam diſpenſandi, nam poteſtas ordinaria commutandi ſolum eſt in prælatis, in quibus ſupponitur poteſtas ad diſpenſandum. Ita communiter DD. apud Fagundez, *ſuprà*, Leandrum, *ſuprà q.* 3. qui tamen habet poteſtatem delegatam ad commutanda vota, non eo ipſo habet ad diſpenſandum. Ita communiter DD. apud eundem Fagundez, *ſuprà num.* 8. Leandrum *ſuprà quæſt.* 5. Ratio eſt, quia commutatio eſt minus, quam diſpenſatio: ergo licet commiſſa diſpenſatione cenſeatur commiſſa commutatio, ſiquidem, ut pars continetur in diſpenſatione, concello tamen id quod eſt minus, non cenſetur commiſſum, id quod eſt majus.

Sed quæres 1. an commutatio mera nullam diſpenſationem admixtam habens ſit neceſſario in bonum æquale facienda, ſive ordinaria ſive delegata poteſtate fiat? An vero fieri poſſit paulo minus? Negant Sylveſter, Sotus, Navarrus, Sanchez, quos refert Trullenc. in bullam cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 12. *n.* 4. Palaus *de voto d.* 2. *p.* 1. *n.* 2. Azor, quem refert, & ſequitur Fagundez, *lib.* 2. *Decalog. cap.* 50. *n.* 10. Torre *q.* 88. *art.* 12. *d.* 5. *p.* 7. Verum contraria ſententia probabilior eſt, hanc tenent Molina, Toletus, Henriquez, Saa, Leſſius, Manuël, Vivald. Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà n.* 5. Bonacina, quem refert, & ſequitur, Suarez Luſitanus, *cap.* 2. §. 9. *n.* 9. Bordonus, *reſol.* 15. *n.* 30. Leander *ſuprà quæſt.* 12. Ratio eſt, quia res minor æque præſumitur Deo grata, quam altera æqualis, cum utraque ſit apta ad cultum Dei, & Deus videtur eſſe contentus de eo, quod confeſſarius facit ejus nomine, cum prudenter ſe gerat. Tum quia illud minus pro nihilo reputatur, ac proinde cenſetur commutatio, quaſi in æquale. Tum quia ex probabili opinione quam ſupra ſecuti ſumus, ipſemet vovens poteſt commutare ſuum votum in evidenter æquale: ergo confeſſarius virtute privilegij, poterit commutare in quid minus, cum ejus poteſtas ſit efficacior poteſtate voventis. 495

Quæres ſecundò: an votum factum in favorem tertij poſſit quis propria, vel prælati authoritate in rem meliorem commutare? Reſpondeo quod ſi tale votum non ſit à tertio acceptatum, non eſſe dubium poſſe tam propria, quam prælati poteſtate in melius commutari, ſiquidem hæc vota fiunt Deo, & tertius ſolum eſt materia circa quam is cultus eſt Deo exhibendus. Ita cum Leſſio, Suario, Palao, & aliis Leander *tract.* 1. *de juramento d.* 18. *q.* 19. & 20. At ſi votum ſit à tertio acceptatum, tunc majus eſt dubium, & negat cum multis Leander *ſup. q.* 21. Sed contrarium etiam eſt probabile. Ita Fagundez, *lib.* 2. *Decalog. c.* 49. *n.* 10. Tamburinus, *lib.* 3. *Decalog. cap.* 16. § 5. *n.* 5. & *c.* 17. § 2. *n.* 15. Nam votum licet per accidens cedat in favorem tertij; non tamen illi fit, ſed ſoli Deo: ergo acceptatio tertij non poteſt illi tribuere jus juſtitiæ, vel fidelitatis contra voventem, niſi alias ultra votum detur ſpiritualis promiſſio facta tertio, vel Eccleſiæ, ut diximus lectione præcedenti, loquentes de diſpenſatione. 496

Quæres 3. an ad voti commutationem requiratur cauſa? Reſpondeo ad commutationem faciendam in rem manifeſtè meliorem nullam cauſam ſpecialem requiri, quia ipſamet ſuſceptio obligationis perfectioris, utpote Deo gratior, ſufficit pro cauſa. Ita communiter DD. apud Palaum *de voto d.* 2. *p.* 55. *num.* 7. Et idem dicendum eſt quando commutatio fit in evidenter æquale, nam etiam illa hilaritas in exequendo votum ſufficit pro cauſa. Ita Sylveſter, Sanchez, Villalobos, & alij, quos refert, & ſequitur Trullenc. *ſuprà num.* 9. Quando tamen votum commutatur in minus, quod ſolum fieri poteſt authoritate Eccleſiaſtica, aliqualis cauſa requiritur, quia ſi fiat abſque ulla cauſa, Deo placere non poteſt, non enim poteſtas Eccleſiaſtica data eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem. Non tamen requiritur tanta cauſa ad commutandum in minus, quanta ad diſpenſationem; unde ſufficiens videtur levitas voventis inconſtantia, modeſtia in adimplendo, magna fragilitas cum violandi periculo, repugnantia parentis, aut viri. Ad commutandum autem per bullam cruciatæ, ſufficit quod vovens hilarius adimplebit votum in materia ſubrogata; imò ſufficit habere bullam, & voti commutationem 497

petere.

petere, ut cum aliis late probat Trullenc. *ſuprà numero* 12.

498 An vero ſi nulla datur cauſa ex ſupradictis, nec alia, & de facto votum per habentem Eccleſiaſticam poteſtatem commutetur in minus, ſit valida commutatio, cum obligatione tamen ſupplendi defectum? majus eſt dubium. Negat Suarez, quem refert, & ſequitur Palaus *de voto d.2. p.17. num.2.* Azor, quem refert, & ſequitur Trullenc. in bullam cruciatæ *lib.1.§.7. cap.3.dub.3.num.7.* Verum contraria ſententia probabilior eſt, hanc tenent Sanchez, *lib.4.ſummæ cap.51.n.2.* & probabilem putat Diana, *1.p.tract.16.reſol.8.* Trullenc. *ſuprà num.13.* Ratio eſt, quia mitius agitur cum Deo quam cum hominibus, *l. celſus, ff. de recept. arbitr.* at inter homines commutatio injuſta defectu æqualitatis inter res commutatas non eſt omnino irrita, ſed valet cum obligatione tamen ſupplendi exceſſus, ut conſtat *ex l.2. c. de reſcind. vendit.* quæ lex procedit etiam in commutationibus, ut tradunt Pinellus, Gomez, Molina, & alij, apud Sanchez, *ſuprà*: ergo à fortiori idem dicendum eſt in commutatione votorum.

499 Hinc fit, quod ſi quis propria authoritate commutet ſuum votum in minus, talem commutationem non eſſe irritam, ſed tantum teneri voventem, vel ſuum votum adimplere, vel ſupplere defectum. Ratio eſt quia ſi quis rem venditioni quinquaginta aureis expoſitam, à domino in platea futuretur, aut dolo ſe daret domino triginta, cogitante illo eſſe quinquaginta, ſatis faceret ſuæ conſcientiæ in priori caſu reſtituendo domino quinquaginta, in poſteriori vero ſupplendo decem, quæ deerant, & non tenetur rem domino tradere, quia ſi propoſito, quod ille voluntatem abſolutam vendendi habebat, ſolum defectus fuit in modo, cum ergo Deus omnia vota communicationi habeat expoſita, velitque ea, juſta cauſa intercedente, in æquale, vel in melius propria authoritate commutari, facientes commutationem in minus, ſolum in modo, non in ſubſtantia deficiunt, alias rigoroſior actor eſſet Deus, quam homines.

500 Secundò fit, non peccare contra votum commutatum in minus, qui id violat animo ſupplendi, quod ad juſtam commutationem defecit. Sanchez, *lib.4. ſummæ cap.51.num.1.* Secus ſi eo animo careat, quia à commutationis tempore non tenetur præciſe ad votum, ſed ad illud, aut ad ſupplendum, quod deerat: ergo ſatisfacit habens animum ſupplendi, ſicut rem venditioni expoſitam certo pretio furans non peccaret poſtea utens re illa cum propoſito reddendi ſtatim juſtum pretium domino perſeveranti in eadem voluntate vendendi eandem rem, eodem pretio.

Qualiter autem peccet commutans votum abſque legitima cauſa, aut in minus? Reſpondeo, quod ſi fiat abſque legitima cauſa, ſive fiat à prælato, ſive propria authoritate, ſi commutatio facta fuerit in æquale, tantum erit veniale, quia eſt abuſus poteſtatis in materia levi. Si tamen facta fuerit in minus, erit mortale; nam eſt abuſus poteſtatis in re gravi, quod à fortiori admittunt omnes adverſarij, ut teſtatur Palaus *ſuprà num.6.* licet alias Sanchez, *ſuprà num.15.* videatur affirmare, tantum eſſe peccatum veniale, quia actus ille validus eſt, & abuſus poteſtate tantùm eſt in modo.

501 Quæres quartò: an poteſtas delegata diſpenſandi, vel commutandi vota, extendatur ad diſpenſanda, vel commutanda juramenta Deo facta. Negant Navarr. Azor, Ledeſma, Bonacina, quos refert Palaus *de juramento d.2. p.15. num.3.* Lopez, & alij, quos refert Fagundez, *in Decalogum præcepto 2. lib. 2. cap.51. n.12.* Secunda ſententia probabilior affirmat privilegium concedens diſpenſationem, vel commutationem votorum, extendi etiam ad juramenta in honorem Dei præſtita. Ita Cajetanus, Henriquez, Saa, Aragonius, Vivaldus, Sayrus, Sorbus, Suarius, Sanchez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana, *S.p.tract 3.reſol.4.* Fagundez, *ſuprà num.13.* Palaus, *ſuprà num.5.* Trullenc. in bullam cruciatæ, in proœmio *dub.4. num.4.* Ratio eſt, quia hæc juramenta ob aliimitatem cum votis, vota in communi hominum æſtimatione reputantur. Tum quia diſpoſitum in uno æquiparatorum, cenſetur diſpoſitum in altero, *l. tantum §. de ſervo c. ac furt.* At quoad hæc privilegia, vere æquiparantur hujuſmodi juramenta, & vota, quoniam in eis conceditur facultas remittendi, aut commutandi obligationem ex virtute religionis ſoli Deo tanquam creditori acquiſita: ergo, &c.

An vero quando eadem res promiſſa confirmatur expreſſe duobus vinculis, altero voti, altero juramenti additi, aut e contrario, conceſſa facultate ad vota diſpenſanda, cenſeatur etiam conceſſa ad talia juramenta? Negant Henriquez, Azor, Rodriguez, & alij, quos refert Fagundez, *ſuprà num.13.* Secunda ſententia diſtinguit, & ait, quod ſi juramentum ponitur ad firmandum votum, tunc privilegium ad commutandum votum, extenditur etiam ad juramentum, ut ſupra diximus. Secus quando non ponitur in voti confirmationem, ſed independenter ab illo, ut ſi quis immemor voti juraſſet, vel dependenter ab illo volens duplici vinculo obligari. Ita cum aliis Fagundez, *ſuprà num.13.* Tertia & vera ſententia docet etiam in hoc caſu, quando juramentum ſit independenter à voto, extendi facultatem ad diſpenſanda, vel commutanda vota ad juramenta. Ita Saa, Aragonius, quos refert Fagundez, *ſuprà num.13.* Suarez, quem refert Diana, *tract.3.reſol.46.* 502

Ratio eſt, quia licet ſint duo vincula diverſa in ſpecie, tamen in ordine ad diſpenſationem, & commutationem reputantur quaſi unum, & idem, & ejuſdem rationis, nec unum addidit alteri novam gravitatem intenſivam, ſed extenſivam, id eſt, plura vincula. Confirmatur, quia habens poteſtatem delegatam commutandi vota, aut in eis diſpenſandi, poteſt non tantum ſemel, vel ſæpius eam eadem perſona diſpenſare, vel commutare circa obligationem religionis erga Deum per vota, vel juramenta ſoli Deo præſtita: ergo poſtquam delegatus conceſſit diſpenſationem, aut commutationem voti, poteſt eandem concedere circa juramentum; ergo eadem ratione poterit ſimul tollere utrumque, quaſi duas diſpenſationes ſimul concedendo.

SECTIO XLII.

Utrùm vota ſemel commutata reviviſcant, ſi non impleatur materia ſubrogata?

SUMMARIUM.

503 *Commutatione facta extinguitur prioris materiæ obligatio.*

504 *An liceat aliquando voventi redire ad priorem materiam?*

505 *Quid ſi votum in melius ſit commutatum?*

506 *An poſtquam quis rediit ad priorem materiam, poſſit illa emiſſa redire ad ſubrogatam?*

507 *An facta materia ſubrogata inutili, vel impoſſibili reviviſcat prioris materiæ obligatio?*

503 *An redeunte ex aliqua causa priori materia voti, extinguatur obligatio materiæ subrogatæ?*

DIco primò: commutatione rite facta extingui prioris materiæ obligationem fere omnes DD. sentiunt, apud Sanch. *lib.4. summæ, cap.55. n.2.* quia commutatio est translatio obligationis in novam materiam, ac proinde est antiquæ extinctio, & novæ susceptio. An vero aliquando voventi liceat ad priorem materiam promissam reditus omissa subro-
504 gata? Respondeo quod vel commutatio facta fuit in rem minorem, vel æqualem, aut superiorem. Si in rem minorem, omnes DD. conveniunt licitum esse voventi ad priorem materiam promissam redire, utpote excellentiorem, Deoque gratiorem. Si vero facta sit in rem æqualem, licet aliqui id negent, probabilius est licere voventi propria authoritate ad priorem materiam redire. Tum quia vovens juxta nostram sententiam potest votum in materiam evidenter æqualem commutare. Tum quia dato, quod non sit prior materia evidenter æqualis, cum prius promissa fuerit videtur gratior esse Deo illam exequi, cum secunda solum ex benignitate concedatur. Ita Azor, Lessius, Sayrus, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus, *de voto d.2.p.18. num.8.* Trullenc. *in Decalogum lib.2. cap.2. d.48.* Diana, 1. *p. tract.2. resol.8. & 2.p. tract.5. resol.25.*

505 Quod si votum, vel authoritate propria, vel prælati in melius commutatum fuerit, negat Suarez, *suprà*, licitum esse transitum ad priorem materiam. Respondeo tamen quod quomodocunque fiat commutatio materiæ promissæ, sive in æquale, sive in melius, posse voventem ad priorem materiam redire. Ita communiter DD. apud Palaum, *suprà n.10.* Ratio est, quia cum commutatio fiat in favorem voventis, fieri videtur tacita conditione, ut liberum sit voventi materiam subrogatam exequi, aut ad priorem redire.

506 Quæres tamen primò: an postquam quis redit ad materiam commutatam, omissa subrogata, possit iterum ad subrogatam redire? respondeo affirmative, ita Lessius, quem refert, & sequitur Palaus, *suprà num.11.* Ratio est, quia cum commutatio relinquat potestatem satisfaciendi voto exequendo priorem materiam promissam, executione, inquam prioris materiæ promissæ, non videtur vovens privari potestate accepta virtute commutationis, nisi forte redeundo ad priorem materiam renunciaret commutationi, quod alia via effici non potest, nisi emittendo de novo prius votum, & novo voto usum commutationis renuntiando. Ita Palaus, *suprà*, Trullenc. *suprà num.7.*

Quæres secundò: an facta materia subrogata inu- 507
tili, vel impossibili, reviviscat prioris materiæ obligatio? Respondeo negative. Ita communiter DD. apud Palaum, *suprà num.2.* Leandrum, *tract.1. de juramento d.18. quæst.16.* Ratio est, quia commutatio secundum omnes DD. extinguit absolute prioris materiæ obligationem, novæ materiæ obligatione susceptæ; at obligatio semel extincta non reviviscit, ergo, &c. Hinc fit si quis religionem voveat, & quandam profiteatur, & post professionem ejiciatur, non reviviscere prius votum, ac proinde non teneri aliam religionem ingredi; quia per professionem tanquam per commutationem cessavit omnino obligatio, Sayrus, Azor, Lessius, Sanchez, quos refert, & sequitur Trullenc. *suprà num.5.*

Quæres tertiò: an redeunte obligatione prioris 508
materiæ commutatæ, eo quod non integre, sed in parte facta sit commutatio, extinguatur obligatio materiæ subrogatæ? verbi gratia, dispensatur quis, ut non obstante voto religionis, vel castitatis, matrimonium contrahat, sub onere commutationis in confessionem menstruam, contingit illo vivente, & potente votum implere, conjugem mori; quo casu obligatio voti redit, quia solum ad effectum matrimonij dispensatus est, an inquam in hoc casu teneatur commutationem illam exequi? Respondeo quod licet sit bonum consilium materiam subrogatam exequi, ad illam tamen in hoc casu vel in ullo voventem teneri. Ita contra Sanchez *suprà numero 6.* Ratio efficax est, quia ut generaliter affirmant DD. priore materia voti redeunte, periit subrogata, sed hic redit prior materia voti: ergo periit subrogata & hæc de voto sufficiant.

TRACTATUS SEXTUS,

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO, Sabbata sanctifices.

SOLENT DD. in hoc tertio Decalogi præcepto, non solùm de festorum observatione, sed etiam de obligatione Missæ audiendæ in die festo, & de jejunio ex obligatione, & præcepto Ecclesiæ differere. Vnde ego eis inhærendo primo de observatione festorum, deinde de præcepto audiendi Missam in die festo, & jejunij præcepto eodem ordine disputabo: sit igitur

DISPUTATIO I.

De observatione Festorum.

SECTIO I.

Quis possit dies Festos instituere?

SUMMARIUM.

1 *Datur præceptum observandi dies festos.*
2 *Quid hoc præcepto præcipiatur?*

3 *Solus*

3 *Solus Summus Pontifex poteſt pro tota Eccleſia dies feſtos indicere.*
4 *Idem poteſt facere pro tota Eccleſia legitima conſuetudo & qualis iſta ſit?*
5 *Poteſt populus ſe obligare obligatione perſonali ad obſervandum aliquem diem feſtum.*
6 *Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt dies feſtos inſtituere.*
7 *Parce hac poteſtate utendus eſt Epiſcopus his temporibus.*

1 SUppono dari præceptum obſervandi dies feſtos, quod præceptum partim eſt naturale, partim divinum, partim Eccleſiaſticum, eſt naturale quia recta ratio dictat, aliquo tempore rebus divinis eſſe vacandum Deo. Eſt divinum, quia fuit datum à Deo Moïſi, quamvis ſecundum hanc rationem cum lege illa ceſſaverit. Eſt autem Eccleſiaſticum, quia Eccleſia diem ſanctificationis, ſeu feſtum colendum determinavit, ut cum communi ſententia docet Palaus, 2 *tom. 2. tract. 9. p. 1.* Præcipitur ergo hoc præcepto externus cultus, quem Deo debemus in memoriam, & compenſationem beneficiorum, quæ ab eo recepimus. Conſiſtit autem hæc feſtorum obſervatio in tribus, ſcilicet in Miſſæ auditione; in abſtinentia ab operibus ſervilibus, in abſtinentia quorundam operum forenſium. Primum ex his præceptum affirmativum, ſecundum & tertium negativum, de quibus omnibus breviter dicendum eſt: his ſuppoſitis,

3 Dico primò: ſolus Summus Pontifex poteſt dies feſtos indicere, & abrogare pro tota Eccleſia in honorem Dei, & Sanctorum canonizatorum, vel ſaltem beatificatorum, *c. conqueſtus de feriis, cap. 1. de conſecr. d. 3.* 4 Idem poteſt facere pro tota Eccleſia legitima conſuetudo univerſalis, vel particularis pro Diœceſi, vel oppido. Tunc autem dicitur legitima conſuetudo quando tacite ſaltem conſenſum prælati includeret, ſolus enim populus non poteſt introducere hanc conſuetudinem, cum careat juriſdictione ſpirituali, qua ſolus prælatus gaudet, ut advertit cum communi ſententia Trullenc. *lib. 3. in Decalogum cap. 1. num. 4.* 5 Poterit tamen ſe populus voto obligare obligatione perſonali ad colendum aliquem diem feſtum, hæc tamen obligatio cum ſit perſonalis, non poteſt tranſire ad poſteros, niſi fiat ex conſenſu Epiſcopi, vel introducatur conſuetudo à prælato comprobata, ut recte cum Filliucio notat Trullenc. *ibi n. 5.* Vnde quando princeps ſecularis præcipit aliquem diem obſervari ob aliquam victoriam, vel ob reverentiam alicujus Sancti, ſi ſine prælati conſenſu fiat, ſolum abſtinentia à negotiis præcipitur, non vero obligatio in conſcientia ex virtute Religionis, audiendi Miſſam, vel abſtinendi à ſervilibus præcipitur. Ita cum communi ſententia Suarius, *tom. 1. de Religione lib. 1. cap. 12. num. 2.* Fagundez *lib. 1. in 3. præceptum Decalog. cap. 5. num. 3.* Trullenc. *lib. 3. Decalog. cap. 1. num. 3.*

6 Dico ſecundò: Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt inſtituere dies feſtivos ab omnibus etiam regularibus obſervandos, & hoc ſine conſenſu populi, ſufficit enim ſi populus non contradicat. Ita Diana, *4. part. tract. 4. reſ. 178.* & cum Fagundez, Villalobos, Gavanto, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 2.* Moneta, Vrbanus VIII. in bulla edita anno 1640. [ſed non jubet, nec poteſtatem tollit,] 7 ut parce, ne fideles graventur hanc poteſtatem Epiſcopi exerceant. Ita Thomas Tamburinus, *lib. 4. Decalog. cap. 2. §. 1. n. 3.* Tancred. *de religione tract. 1. lib. 3. d. 3. quæſt. 1.*

SECTIO II.

Qui teneantur ad dies Feſtos obſervandos.

SUMMARIUM.

8 *Ad ſervandum diem feſtum pro tota Eccleſia tenentur omnes fideles, qui habent uſum rationis, & non habent excuſationem legitimam.*
9 *Idem dicendum eſt de feſtis Diœceſanis.*
10 *An itinerantes, & tranſeuntes teneantur feſta loci per quem tranſeunt obſervare?*
11 *Quædam corollaria ponuntur.*
12 *Quid ſi quis è ſua patria recedat in die, in quo feſtum, verbi gratia, S. Franciſci obſervatur, & perveniat ante meridiem ad locum ubi feſtus Sancti Antonij obſervatur?*
13 *An recedens à loco, in quo jejunium obſervatur, poſſit mane comedere carnes ante prandium perventurus ad locum ubi tale jejunium non obſervatur?*
14 *Quid ſi quis ex æquo habitet in duplici parochia?*

DIco 1 ad colendos dies feſtos generaliter in tota Eccleſia indictos obligantur omnes fideles, qui habent uſum rationis, & aliàs excuſati non ſunt. 8 Et idem dicendum eſt de Diœceſanis reſpectu Diœceſis, ubi dies feſtus obſervatur: 9 in hoc conveniunt omnes DD an autem tranſeuntes, peregrini, vel iter agentes teneantur obſervare feſta loci, in quo reperiuntur? Reſpondeo non teneri ſi ibi non ſint per 10 majorem anni partem, vel habeant animum permanendi, ſecluſo ſcandalo. Ita cum Azor, Suarius, *tom. 1. de religione lib. 2. cap. 14. num. 23.* Henriquez, *lib. 9. cap. 25. n. 2.* Bonacina, *punct. 12. de ſacrificio n. 5.* & cum Conincho, Fagundez, & aliis, Tamburinus, *lib. 4. Decalog. cap. 2. §. 2. n. 10.* Ratio eſt, quia qui non aſſiſtit in tali loco, vel ſaltem habet animum aſſiſtendi per majorem anni partem, non fit pars illius communitatis. Secus ſi talem animum habeat; nam qui mutat domicilium, etiamſi per parvum tempus in tali loco aſſiſtat, ſtatim obligatur legibus populi, ad quem divertit, & deobligatur à legibus populi, à quo receſſit. Ita cum Suario, Leſſio, Sanchez, Palao, notat Trullenc. *lib. 3. Decalog. cap. 2. d. 3. num. 3.*

Hinc fit illum qui à ſua patria receſſit mane die 11 feſto, ad locum, in quo tale feſtum non obſervatur, non teneri Miſſam audire, ſi ad locum ubi feſtum non obſervatur, perveniat ante meridiem, ſiquidem in proprio loco poterat differre auditionem Miſſæ uſque ad meridiem: cum ergo intra illud tempus, in quo poterat differre auditionem Miſſæ pervenerit ad locum, ubi non eſt obligatio eam audiendi, poterit cum loci moribus confirmari, ſive à ſacro, ſive à jejunio, atque ab abſtinentia ſervilium ſe liberando. Ita Sanchez, Leſſius, Salas, Joannes, Sanctius, Palaus, quos refert, & ſequitur Tamburinus, *lib. 4. Decalog. cap. 2. §. 2. num. 12.* Quod adeo verum eſt, ut poſſit quis de induſtria à ſua patria exire ad locum, ubi non eſt dies feſtus, ut ibi operibus ſervilibus vacet, vel ut non jejunet, &c. Et idem dicendum eſt ſi feſtum obſervetur in una parochia ejuſdem oppidi, & non in alia, ſi quidem præceptum loci, non prohibet egreſſum à loco, in quo obligat, & poſtquam eſt in alio, non obligatur amplius ad illud. Ita cum Navarro, Leſſio, Fagundez, Palao, Trullenc. *lib. 3. Decalog. cap. 1. d. 3. num. 4.*

Sed quid, ſi quis è ſua patria recedat in die, in 12 quo feſtum v.g. S. Franciſci obſervatur, & pervenit ante meridiem ad locum, in quo feſtum Sancti Anſelmi,

ſelmi, v.g. obſervatur, tenebiturne Miſſam audire, & feſtum obſervare? Reſpondeo negative, ſiquidem non tenetur ex vi legis ſui territorij, cum ab illo jam exierit, nec ex vi legis alieni territorij quia ibi eſt peregrinus; ergo. Ita Joannes Sanctius, *diſp.* 54. *num.* 31. Tamburinus, *lib.* 4. *Decalog. cap.* 2. §. 2. *n.* 13. contra Sanchez, Palaum, & alios, quos refert, & ſequitur Trullenc. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 1. *d.* 3. *n.* 3.

13 An autem qui recedit à loco, in quo jejunium obſervatur poſſit mane comedere carnes ſciens ante prandium perventurum ad locum ubi tale jejunium non obſervatur? Reſpondeo negative, quia adhuc leges patriæ obligant, poterit tamen ſumere jentaculum, cum hoc non ſit contra jejunij ſubſtantiam; ſi tamen recedat à loco in quo jejunium non obſervatur, poterit mane carnibus veſci, etſi ante meridiem perveniat ad locum ubi jejunium obſervatur; Imò ſi ibi fuerit peregrinus poterit, ſecluſo ſcandalo, carnibus veſci; ſecus ſi ſit tibi domicilium collocaturus, vel permanenter permanſurus. Ita cum Leſſio, Sanchez, & aliis Trullenc. *lib.* 3. *Decalog. c.* 1. *d.* 3. *n.* 7.

14 Sed quid, ſi quis ex æquo habitet in duplici parochia? Reſpondeo teneri obſervare feſtum illius parochiæ, in qua præſens fuerit, pro eo tempore, quo in ea morari contigerit, ſive ſit habitator, & incola ad aliquod tempus, ſive ad breve, & in hoſpitio, ſiquidem utriuſque parochiæ parochianus eſt. Ita cum Sanchez, Filliucio, Trullenc. *ſuprà num.* 8. Vagi tamen, qui nullam certam habent habitationem, donec vagi ſunt, non tenentur feſta particularia civitatum, per quas tranſeunt obſervare, ſiquidem ſubditi non ſunt, tenentur tamen ad feſta univerſalia Eccleſiæ. Ita cum Joanne Sanctio, Tamburinus, *lib.* 4. *Decalog. cap.* 2. §. 2. *num.* 14. contra Sotum, Suarium, Palaum, & alios, quos refert, & ſequitur Trullenc. *lib.* 3. *cap.* 1. *d.* 3. *num.* 12. qui dicunt vagos teneri ad feſta loci, in quo vagantur.

SECTIO III.

Quid in hoc præcepto præcipiatur.

SUMMARIUM.

15 *Duo præcipiuntur in hoc præcepto auditio Miſſæ, & ceſſatio ab operibus ſervilibus.*
16 *Hoc præceptum obligat ſub mortali.*
17 *Excuſat levitas materiæ.*
18 *Fideles non tenentur concionẽ in die feſto audire.*
19 *An parochi teneantur paſcere oves prædicatione verbi Dei.*

15 Dico primò: in hoc præcepto duo fidelibus tantum præcipiuntur, alterum affirmativum, ut Miſſam in die feſto audiant, alterum negativum, nimirum ut ab operibus ſervilibus abſtineant; ita com-
16 muniter DD. & patet ex praxi totius Eccleſiæ. Hæc autem obligatio eſt ſub mortali, unde ſolum levitas materiæ excuſabit, ut cum communi ſententia notat
17 Trullenc. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 4. *n.* 2. Præter autem duo ſuprà dicta ad nullum aliud fideles ex vi hujus præcepti obligantur. Vnde non tenentur aliquem cultum internum Deo exhibere in die feſto, nec tenentur non peccare, aut à peccato per contritionem, vel confeſſionem recedere, nec peccare in die feſto, etiamſi ſit die veneris Sancti, eſt circumſtantia neceſſario confitenda, ut cum communi ſententia docet Palaus, *tom.* 2. *tract.* 2. *d.* 9. *p.* 4. *num.* 8. & 9. *p.* 9. *n.* 6.
18 Trullenc. *ſup. n.* 6. Nec fideles tenentur in die feſto concionem audire, ut cum Suarez, Bonacina, Palao, & aliis communiter Trullenc. *ſup. n.* 4. nullibi enim tale præceptum extat, unde tenentur concionem omittere, ut Miſſam audiant, ſiquidem concio eſt opus conſilij, & Miſſa de præcepto. Excipe niſi urgeat neceſſitas ad diſcendi myſteria fidei, quæ commode nequeunt aliàs audiri, aut ſi unius exemplo inducantur cæteri, ad audiendum verbum Dei. Ita cum Bonacina, Trullenc. *ſuprà num.* 12. quamvis hic caſus moraliter videatur impoſſibilis.

An autem parochi teneantur ſub mortali paſcere 19
oves ſuas prædicatione verbi Dei omnibus diebus feſtis? Reſpondeo negative, ſed ſufficit, quod oves ſuas inſtruant de his, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ut eſt doctrina Chriſtiana. Concionem autem ad populum ſufficit, ſi ſemel aut bis in anno habeant per ſe, vel per alium, ut effugiant Concilij Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de reformatione præceptum.* Imò in oppidis ubi conciones aliæ fiunt, non tenebitur parochus aliquam concionem in parochia efficere, nam quod per alios facit, per ſe ipſum facere videtur. Ita cum Suario, Trullenc. *lib.* 3. *cap.* 1. §. 4. *num.* 13. & 14. & patet ex praxi parochorum.

SECTIO IV.

De obligatione audiendi Miſſam in die feſto.

SUMMARIUM.

20 *Omnes baptizati adulti habentes uſum rationis tenentur ſub mortali unam Miſſam audire in die feſto.*
21 *Satisfaciunt fideles audiendo quamcunque Miſſam ritu Catholico celebratam.*
22 *Fideles tenentur integram Miſſam audire.*
23 *Quæ ſit pars notabilis, quæ ſi omittatur frangitur præceptum.*
24 *Quid ſi impeditus accedat ad Miſſam poſt perfectionem.*
25 *An Sacerdote multum tempus conſumente in memento poſſit interim Miſſam audiens ad aliquod negotium ire, & iterum revertere?*
26 *A quolibet Sacerdote Catholico Miſſa licite audiri poſſit.*
28 *Adimpletur hoc præceptum audiendo Miſſam in Eccleſiis regularium.*
28 *Fidelis ſatisfacit huic præcepto ſi partem Miſſæ audiat ab uno Sacerdote, & partem ab alio.*
29 *Audiens Miſſam debet eſſe præſens localiter & moraliter in Eccleſia.*
30 *Non eſt neceſſe audire, vel videre Sacerdotem.*
31 *An poſſit quis Miſſam audire à feneſtra domus ſuæ ſi ſit parva diſtantia.*
32 *Ad ſatisfaciendum præcepto requiritur intentio volendi Miſſam audire.*
33 *Quid ſi non habens intentionem ſatisfaciendi præcepto Miſſæ, quam audivit poſtea intra tempus dubium mutet voluntatem?*
34 *Quid ſi ſolum ſciat illa auditione Miſſæ ſatisfacere?*
35 *Quid ſi quis audiat Miſſam intentione alloquendi amicum, videndi mulieres, &c.*
36 *Ad ſatisfaciendum præcepto ſufficit attentio ſola externa, & in quo hac attentio conſiſtat?*

20 Dico primò: omnes baptizati adulti, habentes uſum rationis, tenentur ſub mortali unam Miſſam in die feſto audire: eſt communis ſententia inter Catholicos, imò aliqui putat eſſe de fide, unde

ſemel

semel omittere Missam est peccatum mortale, cum sit materia gravis. Ita communiter DD. Dixi omnes baptizati adulti, nam non baptizati, etiamsi cathecumeni sint, nec pueri ante usum rationis, vel amentes non tenentur hoc præcepto, cum non subdantur præceptis Ecclesiæ, quale est hoc, bene tamen tenentur pueri expleto septennio, ut cum communi sententia notat Trullenc. *suprà num.* 3. Dixi unam Missam, nam quamvis sit dies natalis Domini, non tenentur nisi unam tantùm Missam audire, ut cum communi sententia Trullenc. *suprà n.* 4.

21 Dico secundò: Satisfaciunt fideles huic præcepto, quamcunque Missam ritu Catholico peractam audiendo, sive sit votiva, sive pro defunctis, sive sit ritu Ambrosiano, Romano, vel Græco, sive sit in lingua Latina, vel Græca, dummodo talis ritus sit ab Ecclesia approbatus. Ita cum Azor, Fagundez, Bonacina, Trullenc. *suprà num.* 8. Nec missam audiens tenetur esse in gratia, nec tenetur ad contritionem peccati. Et ratio horum est quia hoc præcepto solum præcipitur missæ auditio, non vero hæc, vel illa, aut cum gratia, vel contritione. Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 2. §. 1. *num.* 2. Trullenc. *suprà num.* 8.

22 Dico tertiò: Fideles tenentur missam integram audire. Vnde qui omittit partem notabilem, peccat mortaliter. Ita communiter Doctores. Sed quæ sit pars notabilis? est controversia inter Doctores.

23 Certior sententia docet, partem notabilem esse omissionem à principio usque ad Evangelium inclusivè. Quamvis si in fine missæ iste audiat Evangelium S. Joannis, sive ab eodem, sive ab alio, adhuc omissio primi Evangelij non faciet materiam gravem. Ita cum Suario, Bonacina, Trullenc. *suprà num.* 11. & cum Fagundez, Tamburinus *suprà num.* 3. Idem dicendum est si audiat ab initio missæ usque ad communionem inclusive, omissis cæteris usque ad finem. Tamburinus *ibi num.* 3. vel si non sit præsens consecrationi, bene tamen cæteris partibus, quia potest adhærere opinioni asserenti sacrificij essentiam in communione consistere. Tamburinus *ibi*; in mea tamen opinione, hic non satisfaciet, quia ego existimo essentiam sacrificij consistere in consecratione, ut latius dixi de sacrificio. Et ita etiam tenet cum Villalobos, Fagundez, Suario, Trullenc. *suprà n.* 10. Et idem dicendum est de omittente communionem, nam si solum illam omittat, non erit materia gravis, secus si simul cum consecratione communionem omittat. Trullenc. *suprà n.* 10. Tamburinus *suprà n.* 2.

24 Dico quartò: Qui propter impedimentum accessit ad missam, quando Sacerdos est in perfectione, tenetur quod superest audire, quia tunc principalis pars, & quæ potissimum intenditur à præcepto, audiri potest. Ita Lugo *de Eucharistia d.* 22. *n.* 6. Tamburinus *suprà n.* 5. & cum Suario, Sanchez, Trullenc. *suprà n.* 10. contra Joannem Sanctium *in selectis d.* 15. *n.* 5. contrarium asserentem. Si tamen post consecrationem accedat, non obligabitur ad persistendum parti, quæ recitanda superest, quia tunc deficit pars principalis, & substantialis, Tamburinus *ibi n.* 6.

25 An autem, si Sacerdos per multum tempus, verbi gratia, per horam, vel dimidiam in momento perduret, possit minister aliquod negotium interim peragere, etiam extra Ecclesiam, & iterum redire? Respondeo licite posse citra scandalum, nam tanta mora in momento impertinens est ad sacrificium, cum tantum paulisper Sacerdos jubeatur orare, Tamburinus *suprà num.* 4. Immo adverte ministrantem satisfacere huic præcepto, si recedat à sacrificio ad portandum vinum, aut hostiam, thus, &c. dummodo per multum tempus ab Ecclesia non recedat. Ita cum Henriquez, Bonacina, Trullenc. *suprà n.* 12.

Dico quintò: A quolibet Sacerdote Catholico 26
missa licite audiri potest, modo is non sit nominatim excommunicatus, depositus, vel degradatus, vel publicus clerici percussor. Vnde si alius non adsit Sacerdos, qui die festo celebraret, omittenda est potius Missa, quam cum tali Sacerdote communicare. Excommunicati tamen tolerati possunt fideles missam audire, dummodo ad eam dicendam illum non inducant. Ita cum Fagundez, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. *d.* 6. *num.* 1. Et idem dicendum est de missa Clerici irregularis, si non sit de irregularitate denunciatus. Trullenc. *ibi num.* 1.

Dico sextò: Adimpletur hoc præceptum audien- 27
di missam, sive in propria parochia, sive in Ecclesiis Regularium, vel oratoriis privatis audiatur, siquidem Ecclesia præcipit missæ auditionem, & non præscribit locum. Ita cum communi sententia Trullenc. *suprà num.* 4. Immo nec possunt Episcopi cogere subditos ad audiendam missam in parochia ex declaratione Cardinalium, quam refert Lugo de Eucharistia *d.* 22. *sect.* 1. *num.* 3. & testatur Tamburinus *suprà num.* 7. An autem si in die veneris Sancti incidat festum Annuntiationis B. Virginis teneantur fideles missam, seu officium, quod eo die dicitur, audire? Respondeo negative. Et ita declaratum fuit à sacra congregatione anno Domini 1622. 19. Februarij, ut testatur Trullenc. *suprà num.* 12. Vnde hanc sententiam tenent Sanctius *in selectis d.* 52. *num.* 13. Diana *de celebratione missarum tract.* 14. *resol.* 61. & cum Villalobos, Trullenc. *suprà num.* 12. quidquid alij dicant. Quod si in Sabbato sancto prædictum festum Annunciationis inciderit, tunc fideles tenentur missam audire, & eo die debent plures missæ celebrari, ut populus missam audiat. Ita cum Ledesma, Diana, Trullenc. *suprà num.* 13. Missæ autem dicendæ debent esse, vel missa B. Virginis, vel missa ordinaria illius diei, cum introitu missæ resurrectionis sequentis diei, modo missa conventualis sit de Sabbato sancto. Trullenc. *suprà num.* 13.

Dico septimò: Fidelis satisfacit huic præcepto, si 28
partem missæ audiat ab uno Sacerdote, & partem ab alio, nam ex illis conflatur idem sacrificium, sicut unum dicitur sacrificium, quando post aliquam partem Missæ, deficiente Sacerdote, alter perfecit, quod ab eo fuit inchoatum, ita cum Navar. Bonacina, Fagundez, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. *d. num.* 9. Limita tamen, dummodo successive, & non simul, has partes missæ audiat, nam aliter debite attendere non potest. Ita Azor, *tomo* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 3. Coninkus *quæst.* 86. *art.* 6. *num.* 288. & cum Villalobos, Trullenc. *suprà num.* 9. quamvis contrarium non sit improbabile, ut ait Diana 1. *p. tract.* 3. *resol.* 18.

Dico octavò: Audiens missam, duo præstare de- 29
bet, ut huic præcepto satisfaciat, primum ut sit præsens corpore, hoc est, ut localiter in Ecclesia assistat, hæc autem præsentia debet esse moralis, & humana, ut docent communiter DD. Vnde non satis est, si quis incipiat vigilans interesse, & deinde obdormiat, vel si audiens missam, raptum, aut extasim patiatur, cum tunc præsentia moralis per somnum, vel raptum interrumpatur, ut notat Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 2. §. 1. *n.* 11. Quamvis de raptu, & extasi contrarium probabiliter doceat Trullenc. *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 14.

Non est tamen necesse audire, vel videre Sacer- 30
dotem,

Digitized by Google

dotem, nam cæcus, vel ſurdus, ſatis præceptum adimplent; nec eſt neceſſe ut quis ſit intra Eccleſiam, ſufficit ſi ſociet alios videntes, vel audientes, quamvis ſit extra Eccleſiam, omnes præſentes non capientem, quod fere ſemper contingit in oratorio parvo, vel ſi ſit poſt columnam ipſius parvi ſacelli, aut in choro, poſt altare, ut accidit clericis miſſam canentibus; ita cum Fagundez, Hurtado, Tamburinus, *lib.4. Decalogi cap.2.§.1.num.12.* Secus dicendum eſt in templo magno, nam qui eſſet in una capella, non ſatisfaceret, ſi miſſa in alia capella celebraretur, vel poſt columnam, vel parietem capellam dividentem, nam talis diſtantia tollit præſentiam moralem. Excipe niſi in tali magno templo, una ſola miſſa diceretur, & quis ei cum aliis eſſet præſens, etiam extra Eccleſiam, vel in quocunque illius loco: nam tunc faceret unum cum tota illa multitudine præſentium. Tamburinus *ſuprà num.12.*

31 Hinc fit poſſe quempiam audire Miſſam à feneſtra domus ſuæ, ſi ſit parva diſtantia ad altare Eccleſiæ, etiamſi ſit intermedia via publica, quia ſic præſens eſt moraliter; Secus ſi diſtantia fuerit magna, arbitrio prudentis viri. Lugo *de Euchariſtia d.22. n.21.* Tamburinus *ſup.n.14.* contra Trullenc. *lib.3. c.1.d.5.n.13.* qui id ſolum admittit, ſi miſſa in platea celebretur. Secundo fit, non eſſe moraliter præſentem, qui dum miſſa celebratur ſua peccata confitetur. Ita cum Suario, Azor, Tamburinus *ſuprà n.15.* Trullenc. *ſupr.n.16.* bene tamen ſatisfacit qui dum miſſam audit recitat officium divinum, vel alias orationes, etiam illas, quas tenetur ex præcepto recitare. Ita cum communi ſententia Tamburinus *ſupra num.16.* Trullenc. *ſuprà num.16.*

32 Secundum quod requiritur ad ſatisfaciendum præcepto, eſt intentio volendi miſſam audire, nam ſi quis coactus, & omnino invitus ibi eſſet, habens voluntatem miſſam non audiendi, ſi illi liberum eſſet, non impleret præceptum. Fagundez *lib 2. c.7. num.11.* Secus ſi mutaret voluntatem in ipſo actu, quamvis enim antea peccaverit, quia habuit voluntatem repugnantem præcepto, ſi tamen poſtea illam ponat, ſatisfacit. Ita cum Suario, Filliucio, & aliis Trullenc. *lib.3.cap.1.d.5.num.19.* Et idem dicendum eſt de eo, qui audiens miſſam in die feſto animo non adimplendi præceptum, ante meridiem
33 mutat voluntatem, vultque per auditam miſſam præcepto ſatisfacere, nam iſte reipſa adimplet præceptum, quia poſuit rem præceptam; Ita cum Bonacina, Trullenc. *lib.3.cap.1.d.5.n.19.* Tamburinus *lib.4. cap.2.§.1.num.18.*

34 Immo non eſt opus, ut voluntas mutetur intra tempus obligationis præcepti, ſed ſatis eſt, ſi ſciat ſatisfeciſſe, non obſtanti ſua contraria voluntate. Ita Diana *p.1.tract.17.reſol.37.& p.2.tr.6. reſ.77. & 78.* & cum Palao, Trullenc. *ſuprà n.19.* Et idem dicendum eſt de audiente miſſam in die feſto, neſciente eſſe diem feſtum, nam hic revera non tenetur aliam audire, etſi in tempore habili adverat eſſe diem feſtum, ſed ſatis eſt ſcire ſe ſatisfeciſſe præcepto, & velle ſatisfeciſſe per miſſam auditam. Ita cum Filliucio, & aliis Trullenc. *ibi.* Et idem dicendum eſt de eo, qui audita miſſa ſcrupulis agitatus dixit, habeo pro non audita, iterum miſſam audiam: nam iſte, non tenetur depoſito ſcrupulo, aliam miſſam audire, quia reipſa jam ſatisfecit. Ita cum Suario, Leſſio, Henriquez, Bonacina, & aliis Trullencus, *ibi num.21.*

Et idem dicendum eſt; ſi feratur excommunicatio contra non audientes miſſam, & aliquis debita intentione miſſam audiat, animo non obediendi Eccleſiæ, nam is ſi deſiſtat ab eo animo non obediendi, non incurrit excommunicationem. Ita cum Bonacina, Suario, Coninchio, Trullenc. *ſuprà num.22.* An autem qui miſſæ intereſt, cum intentione alloquendi amicum, videndi mulieres, ſatisfaciat huic præcepto? Reſpondeo ſatisfacere ſi interim ſacrificio vacet, & modo hoc non impediat, ut recte ex ſe ſola non impediunt. Ita cum Sanchez, Tamburinus *ſuprà num.17.* 35

Dico tandem: Ad ſatisfaciendum præcepto audiendi miſſam ſufficit attentio ſola externa, quæ conſiſtit in negatione diſtractionis externæ, id eſt, in negatione ejus negotij, vel occupationis externæ, quæ ex ſe ſit diſtractiva mentis ab auditione miſſæ, quale eſſet velle hiſtoriam legere, confabulari, ludere, depingere, ſcribere &c. Attentio enim interna non eſt de ſubſtantia orationis, cum dari poſſit oratio ſine illa, quamvis veniale peccatum eſſe non dubitemus. Ita Lugo *de Euchariſtia d.22. num.27.* Tamburinus *lib.4. Decalogi cap.2.§.1. num.19.* & cum Angelo, Aſtenſi, Corduba, Medina, Diana *1.p. tract. de horis canonicis reſol.2. & 4.p. tract.4. reſol.100.* Coninchius, Layman, quos refert, & probabile putat Trullenc. *lib.3. cap.1. d.5. n.14.* contra Navarrum, Cajetanum, & alios communiter, quarum ſententia licet conſulenda ſit, non tamen imponenda eſt obligatio præcepti, ſine majori fundamento. 36

SECTIO V.

De cauſis excuſantibus ab auditione miſſæ.

SUMMARIUM.

37 *Prima cauſa excuſans ab auditione miſſa eſt impotentia phyſica ſeu moralis.*
38 *Quædam corollaria ponuntur.*
39 *Secunda cauſa eſt periculum alicujus mali, vel amiſſionis lucri notabilis.*
40 *Quædam corollaria ponuntur.*
41 *Tertia cauſa eſt titulus charitatis.*
42 *Ponuntur quædam corollaria.*
43 *Quarta cauſa excuſans eſt conſuetudo Regionis.*
44 *Ponuntur quædam corollaria.*
45 *Quinta cauſa excuſans eſt ignorantia inculpabilis, & invincibilis.*
46 *Ponuntur quædam corollaria.*
47 *Sexta cauſa excuſans eſt cenſura.*
48 *Ponuntur quædam corollaria.*

Dico primò: Prima cauſa excuſans ab auditione miſſæ eſt impotentia, ſive Phyſica, ſive moralis, impoſſibilium enim non eſt obligatio. Ita cum Suario, Azor, & aliis communiter Trullenc. *lib.3. Decalogi cap.1.d.7.num.2.* Hinc fit excuſari, primo carcere detenti, ægroti, qui à domo ſine periculo novi morbi exire non poſſunt, & in dubio, debet peti conſilium à medico, vel à parocho, niſi in- 38
firmus ſit vir ſatis prudens. Secundo excuſantur incolentes loca valde à templo diſtantia, circa quod debet attendi perſonæ, viæ, pluviæ, tempeſtatis & ſimilium ratio. Item excuſantur itinerantes, & navigantes, quando, vel miſſa careat, vel notabilis eſſet difficultas divertendi ad miſſam. Excuſatur etiam domi detentus ſuperioris præcepto, & qui bona fide, promiſſione, præſertim juramento firmata, viro verbi gratia nobili 37

Digitized by Google

nobilis, data, è domo exire non valeat. Nec tunc tenetur domi in oratorio à sacerdote aliàs stipendiario missam audire, quia privilegium non videtur ad hoc medium extraordinarium obligare, secus si sacerdos gratis vellet missam celebrare. Ita cum Suario, Trullenc. *supra numero* 12. Tamburinus *lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 4.* Et idem dicendum est de filio, vel servo à patre, vel domino domi in supplicium detento, & quibus indumenta denegat, ne foras exeant, quod aliquando facere licite posse patres concedit Fagundez *lib. 4. cap. 1. num. 2.* Tamburinus *supra num. 4.* Et idem potest facere prælatus religiosus præcipiendo subdito, ne à cella exeat, gravior tamen requiritur causa, ut non accedat saltem associatus ad aliquod oratorium, vel ad chorum ad missam audiendam, quam si inclusus esset in carcere monasterij. Tamburinus *supra num. 4.*

39 Dico secundo: Secunda causa excusans ab auditione missæ, est periculum alicujus mali, vel amissionis lucri notabilis, hinc excusantur ægroti, convalescentes, prægnantes, peste infectam, vel
40 bello vexatam civitatem incolentes, quando sine notabili incommodo, arbitrio prudentis, exire nequeunt; ita Marchines *de ordine tract. 3. cap. 17. num. 19.* Tamburinus *supra num. 5.* & alij communiter. Item fœmina honesta quæ caret veste, vel pedisequa, aut comitatu decenti suæ personæ, nec occulte exire ei permittitur. Ita cum Navarro, Trullenc. *supra. num. 7.* Item matres nutrices, quæ nec relinquere possunt infantes, nec propter magnos vagitus possunt eos ad Ecclesiam adducere. Item quæ domo exeundo; cum gravida sit, propalaret suum debitum. Tamburinus *supra num. 5.* Item itinerantes, cursoresve, [ex eo etiam capite ne amittant Sotius Tamburinus ibi *num. 5.*] vel viarum ductores, vel quando urget periculum latronum, vel aliud notabile incommodum. Trullenc. *supra num. 6.*

Excusatur etiam qui non potest à domo securus exire, quia timet se ab hostibus invadendum. Et idem dicendum est, si sit periculum latronum, pestis, vel aëris corrupti. Item cum Bonacina, Filliucio, Trullenc. *supra num. 8.* Idem dicendum est de uxore, quæ sine gravi rixa mariti, è domo exire non potest. Suarez *d. 88. sect. 6.* & cum Bonacina, Trullenc. *ibi num. 9.* Et idem de famulis dicendum est, quando eorum ministerium est necessarium, nec differri potest in aliam horam, vel diem, nam tunc, nec etiam dominus peccat. Secus si differri posset, nam tunc licet famuli omittentes missam ob gravem rixam domini non peccent, bene tamen dominus, siquidem tenetur non impedire, sine justa causa famulos ab impletione præcepti, ut cum Suario, Navarro, & aliis, docet Trullenc. *supra num. 9.* Qui bene advertunt in prædicto casu teneri famulos, si possunt commode de alio domino provideri, secus si alium non inveniant, nisi alias dominus id faciat in contemptum Religionis, nam tunc non est eis acquiescendum. Suarez, Toletus, Fagundez, Villalobos, quos refert, & sequitur Trullenc. *ibi num. 9.*

Excusantur etiam custodes gabellarum, civitatis, mercium, vineæ, gregis, vel domus, quando propter missam dubitant de furto, &c. Tamburinus *supra num. 5.* Idem dicendum est de nautis, mulionibus, & vectoribus mercium, qui non possunt sine magno incommodo, & expensis missam audire. Et idem de Agasonibus dicendum est, qui in monte habent magnam herbæ commoditatem suis jumentis, & in diversorio magna extitit raritas hordei, si pauperes sint. Ita cum Rodriguez, Trullenc. *supra n. 6.* Excusatur etiam molitor quoties laborare in die festo ei licet, præcipuè si molendinum distat ab Ecclesia, vel non potest illud relinquere, sine gravi incommodo. Trullenc. *ibi. n. 6.* Et idem dicendum est de manente domi, ad præparandos cibos. Ita cum Navarro, Azor, Bonacina, Trullenc. *ibi n. 6.*

Excusat etiam urgens, negotium, quod sine magno detrimento omitti non potest, nec prævenire auditio missæ, sic excusantur publici ministri, qui ratione muneris domo egredi, castra dimittere, murorum portas, quas custodiunt, & tuentur, & vigilias deserere non permittuntur. Tum etiam, & magistratus, senatores, & primarij viri, quia gravia reipublicæ negotia ad illud tempus rejicere commode non possunt. Ita cum Azor, Fagundez, Trullenc. *supra n. 11.* Tandem posset quis missam omittere propter notabile lucrum, quod ei cessaret, si missæ adesset, ut si amitteret centum, vel plures aureos, si ab aliquo loco decederet ad audiendam missam. Tamburinus *lib. 4. cap. 2. Decalogi §. 1. n. 7. & lib. 4 cap. 3. §. 2. n. 8.*

Dico tertio: Tertia causa excusans ab auditione 41
missæ, est titulus charitatis, ut quando non potest quis missæ interesse, & infirmo assistere, qui vel periculum subiret, vel medicamenti suo tempore careret, vel solus relictus laborem, & anxietatem pateretur; ita cum Bonacina, Filliucio, Trull. *supra n. 4.* Et ex hoc titulo excusari potest puella, quæ credit ab adolescente lascivo concupiscendam, 42
si è domo exeat, & ideo ne proximus labatur missam omittit, exercet enim charitatis actum, quem tamen non tenetur exercere, si velit; utitur enim jure suo, & alias lapsus adolescentis non est scandalum datum sed acceptum, quod homo non tenetur vitare, cum omissione missæ. Ita cum Bonacina, Filliucio, Trullenc *sup. n. 73.* Tamburinus *supra n. 8.*

Dico quarto: Quarta causa excusans ab auditio- 43
ne missæ est consuetudo regionis, hæc enim juxta communem doctorum sententiam aliquando excusare potest à missæ auditione. Unde excusantur primo viduæ quæ mortuo marito, per mensem, vel annum, juxta consuetudinem patriæ, non tamen ultra, è domo non exeunt. Et idem dicendum est de 44
sponsis, quæ non permittuntur è domo exire, donec nuptui tradantur. Et idem de mulieribus post partum dicendum est, quæ non ex ritu Mosaico, sed ob devotionem, vel ob salutem è domo non egrediuntur. Ita cum Bonacina, Villalobos & aliis Trullenc. *sup n. 18.* Tamburinus *supra n. 9.* Et idem dicendum est de virginibus nobilibus, quæ cum sint jam nubiles, nunquam è domo exeunt, ubi datur hæc consuetudo. Ita Marchinus quem refert, & sequitur Tamburinus, *sup. n. 9.* Quæ tamen consuetudines ab Episcopo extirpandæ essent, dum tamen tolerantur, non sunt damnandæ. Tamburinus *ibi.*

Dico quinto: Quinta causa excusans ab auditio- 45
ne missæ est ignorantia inculpabilis, & invincibilis. Unde excusantur, qui invincibiliter ignorarunt, vel non adverterunt esse diem festum, ita cum Suario, Bonacina, Trullenc. *supra n. 16.* An autem pere- 46
grini cum ad aliquem populum accedunt teneantur inquirere, an sit dies festus in eo oppido, ut missam audiant, vel possint hanc inquisitionem omittere, non curando de missa audienda? Respondeo affirmative, si solum ibi sint per transitum, secus si ibi sint per majorem anni partem, quod verum est, etsi talis dies sit etiam dies festus in sua patria, *sed de iis vide quæ supra dixi in hac eadem disputatione numer. 12.* vide etiam Tamburinum *supra num. 10. 11. & 12.*

47 Dico ſexto, Sexta cauſa excuſans ab auditione miſſæ eſt, cenſura; nam impoſſibile eſt aliquem obligari ad illud, à quo per cenſuram tenetur abſtinere, & quod ſine peccato præſtare non poteſt. Ita cum communi ſententia Trullenc. *ſuprà num.* 17.

48 Unde excuſantur primo excommunicatus, vel interdictus, ſive publicè, ſive privatim quia hoc prohibet, nec dum excuſat Eccleſia, idque etſi culpabiliter negligat ſibi procurare abſolutionem, dummodo id non faciat ex fine non audiendi miſſam, ut cum Bonacina, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 17. Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *num.* 1. Secundo excuſatur, qui non habet alium ſacerdotem, niſi excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum vitandum. Tertio qui lato interdicto locali generali, non poteſt commodè adire locum non interdictum. Immo fideles tempore interdicti non tenentur procurare privilegium audiendi miſſam, quia præceptum non obligat ad obtinendum privilegium, ſaltem ſi commodè non poſſit obtineri. Ita cum Navarro, Bonacina, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 17. An autem habens bullam cruciatæ teneatur miſſæ aſſiſtere tempore interdicti localis? multi affirmant, quos refert, & ſequitur Tamburinus *ſuprà num.* 2. Sed probabilior ſententia negat, quia nemo obligatur uti ſuo privilegio. Ita Avila, Victoria, Janus Alterius, Ledeſma, Llhamas, quos refert, & ſequitur Diana *p.* 1. *tract.* 11. *reſol. & alij.*

SECTIO VI.

An teneantur fideles non ponere impedimenta ad miſſam audiendam?

SUMMARIUM.

49 *Qui mane previdet non poſſe ſub meridiem miſſam audire, tenetur prævenire audiendo illam diluculo.*

50 *Poteſt quis Sabbato facere iter ad locum ubi non eſt Eccleſia, etiam ex intentione ne ſequenti die miſſam audiat.*

51 *Quid ſi exeat eodem die feſto ad locum ubi feſtum non obſervatur.*

49 Dico primo: Qui mane diluculo poteſt miſſam audire, prævidetque non poſſe ſub meridiem, tenetur audire illam diluculo, quia præcepti obligatio, jam tunc adeſt, urgetque toto tempore matutino. Ita cum aliis Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 3. *Decalogi §.* 3. *num.* 4.

50 Dico ſecundo: Poteſt quis Sabbato v. g. facere aliquod iter ad locum ubi non eſt Eccleſia, etiam ex intentione, ne die dominica teneatur ire ad miſſam. Ratio eſt quia præceptum tunc actu non obligat, nec eſt in proximo: ergo ponendo impedimentum, etiam illa intentione, non tantum cenſetur ponere impedimentum executioni præcepti, quam effugere obligationem præcepti; ſicut cum exit à loco ubi jejunium obſervatur, & ſe confert ad locum ubi non obſervatur tale jejunium, etiam cum intentione ſola ibi carnes comedendi, & non jejunandi. Quæ doctrina licet in omnibus præceptis non procedat, bene tamen in his præceptis humanis, quæ non obligant tanto rigore. Ita Palaus *tomo* 1. *d.* 1. *p.* 21. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 15. & cum Merola, Tamburinus *ſuprà num.* 6.

Secus dicendum eſt, ſi è loco recedat in eodem die feſto, ne miſſam audiat, nam cum jam urgeat præceptum, tenetur fidelis tollere impedimentum executioni præcepti. Et idem eſt dicendum, ſi parum ante mediam noctem, quæ præcedit diem dominicam iter arripiat, quia ita eſt jam in proximo præceptum, ut moraliter adeſſe cenſeatur. Secus dicendum eſt, ſi die Sabbati proficiſcatur propter ſufficientem diſtantiam à die dominica. Ita & bene Tamburinus *ſuprà n.* 9. 51

SECTIO VII.

Quænam opera permiſſa ſint vel prohibita in die feſto.

SUMMARIUM.

52 *Opera quæ in die feſto prohibentur ſunt ſervilia & mechanica.*

53 *Licitum eſt in die feſto iter agere, ſive equeſter ſive pedeſter.*

54 *Licita ſunt in die feſto actiones ſaltandi, ducendi choreas, canendi &c.*

55 *Licitum eſt ſtudere, legere, ſcribere, &c.*

56 *Licitum eſt pictoribus pingere ſine magno apparatu.*

57 *Licita eſt in die feſto auditâ miſſâ, venatio, piſcatio, & aucupatio.*

58 *Licitum eſt præliari in die feſto, etiam extra neceſſitatem.*

59 *An liceat in die feſto uti molendinis.*

60 *An liceat in die feſto opus ſervile injungere Turcis & Mauris.*

52 Dico primo: Opera quæ in hoc præcepto prohibentur fieri, ſunt opera corporalia mechanica, & ſervilia, ad quæ deputantur ſervi, ut patet ex illo *Levitici* 27. Omne opus ſervile non facies in eo. Unde etſi hæc ſervilia non fiant propter lucrum, vel ad dandum eleemoſynam, vel ad alium bonum finem, quantum eſt ex hoc capite adhuc ſunt prohibita in die feſto, ſicut non ſervilia, & liberalia, etſi fiant poprer lucrum, non propter id fiunt ſervilia, aut ſunt prohibita, & in his conveniunt DD. ut teſtatur Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. *d.* 8. *n.* 1. Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 3. §. 1. *à n.* 1. Solum igitur eſt dubium, quæ opera propriè ſint ſervilia, quæ libera, in quo etiam attendendus eſt uſus; & conſuetudo, poteſt enim uſus, aliquas artes pro ſervilibus habere, ut advertit Tamburinus *ſuprà num.* 5. Unde ſolum agemus de his, in quibus eſt aliqua dubitatio, an ſint, vel non ſint ſervilia.

53 Dico ſecundo: Licitum eſt in die feſto iter agere, ſive pedeſter, ſive equeſter, ſive lectica ab hominibus, equiſque portata. Ita cum Palao, Bonacina, Suario, Tamburinus, *ſuprà num.* 11. Trullenc. *ſuprà num.* 2. de beſtiis, ac curribus onuſtis, majus eſt dubium, ſed abſolute dicendum eſt licere, ſive ſermo ſit de mulionibus, ſive agaſonibus, ex officio, ſive non, dummodo miſſam audiant, quod verum eſt, non ſolum ſi continuent iter inceptum die antecedēti, ſed etiamſi illud eodem die feſto incipiant, quia regulariter in onerandis jumentis, & curribus, non tantum tempus inſumitur, & ſic tenet conſuetudo. Ita cum Navarro, Saa, Azor, Diana 1. *p. tr.* 1. *reſol.* 36. & cum Filliucio, Sanchez, Rodriguez, Trullenc. *ſuprà n.* 2. Tamburinus *ſuprà n.* 12.

Dico

54 Dico tertio: Licitæ sunt in die festo actiones saltandi, ducendi choreas, canendi, & pulsandi musica instrumenta, etiamsi fiant ob lucrum, hæc enim reducuntur ad musicam, quæ est ars liberalis. Ita cum Filliucio, Bonacina, Trullench. *suprà num. 3.* Licitum est etiam studere, legere, scribere, consulere, concionari, Fagundez, Villalobos, Palaus,
55 quos refert, & sequitur Trullench. *suprà num. 4.* Licitum est advocatis studere, & judicem de his informare in scriptis; causidicis uti scribentibus ad scribendas juris informationes, supplicationes, & scripturas; procuratoribus processum in compendium redigere, utendo ministro ad id pretio conducto; magistris puerorum exemplaria efficere, ut pueri addiscant scribere; tabellionibus transcribere scripturas, processus, & privilegia, etiam lucri causa, mercatoribus rationem facere, etiamsi totum diem absumant, & eos in principalem codicem transcribant, typographis caracteres ordinare, & componere, non tamen torculari exprimere, quia id servile quid est; dominis computare mercedem, & illam solvere operariis, rationes dati, & accepti facere, ac transcribere. Licet denique transcribere libros, in quibus cantus figuratus describitur; ita cum aliis Trullench. *suprà num. 4.* est, Diana *p. 4. tract. 4. resol. 62.* & cum aliis Tamburinus, *suprà num. 6. & 7.*

56 Dico quartò: Licitum est pictoribus in die festo pingere, sine magno apparatu, magnum autem apparatum voco eum, quo conteruntur, seu miscentur colores, dolantur tabulæ, gypso parantur, telæ efformantur penicilli, hæc enim vere famulorum sunt ministeria. Secus dicendum est de ipso mero pingere, hoc enim est quid liberale. Ita Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3.* Saa, Pelizarius, & alij, quos refert, & sequitur Tamburinus *lib. 4. cap. 3. §. 1. num. 8. & 9.* Lopez, Medina, quos refert, & sequitur Diana *p. tract. 4. resol. 2.* contra multos, quos refert, & sequitur Trullench. *suprà num. 7.*

57 Dico quinto: Licitum est in die festo, audita tamen prius Missa, venatio, piscatio, & aucupatio, etiam ob lucrum, dummodo in die festo retia ex proposito non reficiantur, nec armamenta serió componantur, aut escæ, hami, nassæ, principaliter compingantur, nec etiam magna retia; quas *sciabicas* vocamus magno nisu, & piscatorum labore longo tempore attrahantur: nam hæc sunt propria servorum. Ita cum Layman, Azor, Saa, Palao, Diana, Tamburinus *suprà num. 9.* An autem exercere artem sculptoriam, sive sculpendo statuas, marmore, cera, creta, metallo, sive gypso, &c. sit opus servile? Respondeo affirmative, pertinet enim ad artem mechanicam Palaus 9. *d. 2. p. 5. num. 7.* Tamburinus *suprà num. 10.*

58 Dico sextò: Præliari in die festo, etiam extra necessitatem licitum est. Ita Diana *4. p. tr. 4. resol. 229.* & cum D. Th. Granado, Trullench. *suprà num. 9.* Tamburinus *9. suprà num. 1.* Idem dicendum est de arte digladiatoria, qua docentur juvenes præliari Palaus, Fagundez, quos refert & sequitur Trullench. *ibi num. 9.* Item licitum est in die festo exercere torneamenta, ludos, quid dicuntur, *justos*, hæc tamen, & alia. Non licent in hebdomada sancta, ob reverentiam passionis Christi. Sanchez in consiliis *p. 2. lib. 5. cap. 2. d. 16. & 17.* Trullench. *suprà num. 9.*

59 An autem liceat in die festo, uti molendinis, non solum aquatilibus, sed etiam iis quæ animalia solent obvertere? Respondeo, quod si detur necessitas, vel consuetudo, nullum esse dubium licitum esse. Sed his seclusis adhuc existimo licere, si applicationem notabilem non habeant, secus si illam habeant; existimo tamen talem applicationem notabilem non dari, si molendinum aqua moveatur. Sanch. *lib. 5. consiliorum cap. 2. d. 13.* Trullench. *lib. 3. Decalogi c. 1. dub. 10. n. 8.* Vel si bestia bene instructa solo sibilo, voce, vel etiam baculo quandoquidem moveatur; secus si sæpe sæpius equus esset alligandus, & solvendus, si cum eodem male instructo sæpe incedendum esset, si mola avertenda non raro foret, & similia Tamburinus *suprà num. 14.*

Non tamen erit licitum in die festo opus servile 60
injungere Turcis, vel Mauris, quia jam altero homine mediante, quis laboraret, quod tamen non est more humano, & morali diem festum sanctificare. Ita cum Fernandes, Tamburinus *suprà num. 16.* licet oppositum teneat Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 9. num. 3.* Diana *p. 5. tract. 14. resol. 7.* An autem emundare triticum ad molendinum, sit etiam prohibitum in die festo? Respondeo, quod si fiat corporis defatigatione & cribris, absque dubio esse, si tamen manu purgetur recreationis gratia, existimo licere, secus si aliqua nimia occupatione, vel defatigatione fiat, Tamburinus *suprà num. 18.*

SECTIO VIII.

De causis excusantibus operantem in die festo.

SUMMARIUM.

61 *Prima causa est brevitas temporis, ut si quis per duas horas laboret.*
62 *Ponuntur quædam corollaria.*
63 *Secunda causa excusans est divinus cultus.*
64 *Ponuntur quædam corollaria.*
65 *Tertia causa excusans est pietas in proximum.*
66 *Quæ opera pietatis sint quæ excusant operantem in die festo?*
67 *Quædam corollaria ponuntur.*
68 *Quarta causa excusans est necessitas tam privata quam publica.*
69 *Quædam corollaria ponuntur.*
70 *Quinta causa excusans est magna spes lucri.*
71 *Quædam corollaria ponuntur.*
72 *Sexta causa excusans dispensatio superioris.*
73 *Quis sit superior, qui possit in hoc dispensare?*
74 *Septima causa excusans est legitima consuetudo.*
75 *Quædam corollaria ponuntur.*

Dico primo: Prima causa excusans est brevi- 61
tas temporis. Hæc autem erit si quis per duas integras horas laboraret. Diana *2. p. tract. 15. res. 36. & p. 5. tract. 5. resol. 6.* Marcantius *q. 2. cap. 3. q. 2.* Tamburinus *lib. 4. Decalogi cap. 3. §. 2. num. 1.* Trull- 62
lench. *lib. 3. Decalogi c. 1. d. 10. num. 1.* Unde non erit mortale, si quis habeat animum laborandi singulis diebus festis duabus horis, quia unus dies festus non annectitur alteri, nec si uni servo præcipiat operari per duas horas, & alteri per alias duas, & alteri per alias duas, quamvis sic toto die successive laboret, vel si singulis servis jubeat simul per duas horas laborare, propter eandem rationem; secus si opera servilia modica pluries ab eodem fiant in die festo. Ita cum Bonac. Pelizario, Portel, Tamburinus, *suprà n. 2.* Trullench. *suprà n. 3.*

Digitized by Google

63 Dico ſecundò : Secunda cauſa excuſans eſt divinus cultus, ut crucem in proceſſionibus deferre, organa, campanaſque pulſare, altare ornamentis veſtire, templum verrere, parietes Eccleſiæ oleis adornare, conficere hoſtias, etiamſi die antecedenti fieri poſſent, hæc enim habent magnam cum rebus ſacris propinquitatem. Ita Bonacina *tomo* 1. *d.* 5. *quæſt. unica p.* 3. *num.* 3. Fagundez in ſecundum præceptum Eccleſiæ *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. Palaus *tomo* 2. *tract.* 9. *d.* 2. *p.* 10. *num.* 1. Et idem dicendum eſt de præparatione viarum ad poſſeſſionem. Fagundez *ſuprà num.* 4. Pelizarius *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 25. An autem tabulata efficere ad videndam proceſſionem liceat in die feſto? Reſpondeo, licere, ſi die feriato fieri non potuerunt. Ita Suarius *tomo* 1. *de religione lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 8. Et idem exiſtimat Azor *tomo* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæſt.* 5. cum publici ludi fiunt. Secus ſi de induſtria hæc in diem feſtum differantur, ſiquidem de ſe ſunt ſervilia. Tamburinus *ſuprà num.* 4. An autem ſepulcra Chriſti Domini pro hebdomada ſancta, præſepe Domini, & moles artificioſas ad exponendum corpus Chriſti, liceat efficere in die feſto, etſi antea confici poſſent? Reſpondeo affirmative, quia hæc habent majorem connexionem cum rebus ſactis. Tamburinus *ſuprà num.* 5.

64

65 Dico tertiò : Tertia cauſa excuſans eſt pietas in proximum. Circa quam nota, Alia eſſe opera pietatis per ſe, ut ſepelire mortuum, foveam facere ad illum ſepeliendum; viſitare, & inſervire infirmis,

66 veſtire nudos, & hæc abſque dubio licent in die feſto. Alia ſunt opera pietatis per accidens, & reductive, ut domos religioſas ædificare, pontes erigere ad ſolùm pietatem, publicas vias pro viatoribus ſternere. Et hæc non licent in die feſto, niſi forte adſit neceſſitas communis, vel alia juſta cauſa. Ita cum Suario, Navarro, Trullench. *ſuprà num.* 6. nec etiam erit licitum laborare in die feſto ad pauperes ſublevandos, excipe niſi aliquis pauper, vel Eccleſia ſit in extrema, vel gravi neceſſitate, non tamen in communi. Ita cum communi ſententia

67 Tamburinus, *ſuprà num.* 16. Hinc optimum erit conſilium puellis nobilibus ad evitandum otium aliquid efficere in die feſto, ad aliquem pauperem in particulari, in gravi vel extrema neceſſitate conſtitutum ſublevandam, vel aliqua ornamenta, quibus caret aliqua pauper Eccleſia, debet tamen conſtare de neceſſitate pauperis, vel Eccleſiæ alicujus in particulari, ut recte advertit cum Fagundez, Tamburinus *ſuprà num.* 18.

68 Dico quarto : Quarta cauſa excuſans eſt neceſſitas, tam privata, quam publica, nam Eccleſia non obligat cum gravi incommodo; & neceſſitas non habet legem. Hinc excuſantur primo, qui præparant victum communem, ut qui carnes coquunt, qui illas vendunt, paſtillos facientes, macellarij, caupones, ſtabularij, item panem, olera, fruges, legumina, fructus, vinum, oleum, ſal, & ſimilia in foro, vel in privatis domibus vendentes. Idem dicendum eſt de coquentibus panes, triticum molientibus, ſive aqua, vento, vel jumentis, ſi neceſſitas communis urgeat, ſive quia ſunt plures dies feſti, ſive quia eſt magnus gentium concurſus. Ita cum Fagundez, & aliis Trullench. *ſuprà num.* 8.

69 Idem dicendum eſt de medicis, chirurgis, pharmacopolis, quando datur neceſſitas. Ita cum communi ſententia Trullench. *ſuprà num.* 9. Idem de militibus decertantibus, aggeres, vel foveas facientibus cauſa belli pro defenſione Reipublicæ. Et idem dicendum eſt de fabris equorum, qui ferreas ſoleas pedibus equorum accommodant, ex equorum neceſſitate. Et eadem ratione excuſari poſſunt reficientes pontes, vias, & alia publico uſui neceſſaria, modò ſine magno incommodo differri non poſſint. Poſſunt etiam in adventu Principis, vel ortu, vel ad communem lætitiam artifices facere tabulata, theatra, arcus, veſtes, Luſitanè, *libres*, vel luctus, pro aliquo funere, & apparatus ad repreſentandas comedias, &c. dummodo hæc die feriato, fieri non potuerint. Ita cum Bonacina, & aliis, Trullench. *ſuprà n.* 9.

Excuſantur etiam qui ſegetes metunt, ne imminente tempeſtate pereant, vel purgantes triticum, ne vento deſtituantur, & ſatores ſeminantes autumni tempore, ne occaſio ſeminandi amittatur, aut qui fœnum de pratis deferunt, ne pluvia corrumpatur, aut qui inchoatum opus perficiunt, dum ex ipſius omiſſione grave damnum naſceretur, ut accidit in decoctione lateris, calcis, vitri, & ſaponis, aut tinctura lanæ, non tamen poſſunt hæc inchoari in die feſto, niſi daretur grave damnum, ſi non inchoarentur; ita cum Suario, Navarro, & aliis, Trullench. *ſuprà num.* 10. Excuſantur etiam pauperes, qui niſi laborent in die feſto, non poſſunt ſe, ſuamque familiam ſuſtentare; debet tamen hoc ſine ſcandalo fieri, & audita miſſa. Ita cum communi Trullench. *ſuprà num.* 10. Quæ omnia ſi commode poſſent fieri de conſilio Epiſcopi, vel parochi, melius eſſet ad vitandum ſcandalum, ut advertunt communiter DD.

Dico quintò : Quinta cauſa excuſans eſt magna 70
ſpes lucri, nam notabile lucrum amittere, damnum grave eſt, ut notat cum Sanchez, & Diana, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 3. §. 2. *num.* 8. Hinc
piſcationes Tymnorum, & aliorum piſcium, qui uno 71
ſolo, & brevi tempore capiuntur, excuſantur in die feſto, quia hoc lucrum tranſitorium reputatur pro damno; ita cum Fagundez, Sayro, & aliis communiter Trullench. *ſuprà num.* 10. Nec eſt neceſſe, quod hæc piſcatio cedat in utilitatem publicam, ut cum aliis vult Trullench. *ſuprà num* 10. ſufficit ſi ex omiſſione illius extraordinarium lucrum amittat piſcator, nam hoc reputatur damnum, ut bene advertit cum aliis Tamburinus *ſuprà num.* 8. Dixi lucrum extraordinarium, nam quodlibet lucrum ad id non eſt ſufficiens, alias quilibet officialis pro ſtipendio diurno, poſſet omnibus diebus feſtis laborare, ne illud lucrum amitteret, quod nequaquam concedi certum eſt, ut advertit Tamburinus *ſuprà num.* 10.

Dico ſextò : Sexta cauſa excuſans eſt diſpenſatio 72
ſuperioris. Hæc autem non neceſſaria, quando cauſa eſt moraliter certa, niſi forte publice ſit laborandum, ad tollendum ſcandalum. Erit tamen neceſ-
ſaria ſi cauſa eſt dubia. Hæc autem diſpenſatio po- 73
teſt concedi pro tota Eccleſia à Papa, quæ ut juſte, non vero ut valide fiat, requiritur cauſa, & idem dicendum eſt de Epiſcopo reſpectu feſtorum ab ipſo indictorum. An autem Epiſcopus poſſit diſpenſare in feſtis à Papa indictis? Reſpondeo poſſe valide, & juſte, ſi adſit cauſa, ſecus ſi cauſa deſit, quia diſpenſatio in lege ſuperioris ſine cauſa, non tenet. Ita cum Azor, Sayro, Bonacina, Trullench. *ſuprà num.* 12. Nomine autem Epiſcopi veniunt illi, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut ſunt vicarij generales Epiſcoporum, capitulum ſede vacante, & illius vicarius, immo etiam Prælati regulares reſpectu domeſticorum ſuorum intra clauſtra degentium. Ita cum Palao, Trullench. *ſuprà num.* 12. An autem parochus hanc etiam poſſit concedere diſpenſationem? Reſpondeo in dubio

cauſæ

causæ posse, quando adiri non potest Episcopus, quia sic consuetudine introductum est. Ita cum Bonacina, Trullenc. *suprà num.* 13. Immo si adiri posset Episcopus. Ita cum Joanne Sanctio, Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 4. §. 1. *n.* 37. *& cap.* 5. §. 7. *n.* 56. qui omnes hanc facultatem possunt, etiam aliis delegare. Tamburinus *ibi num.* 36. *&* 37. An autem dispensantes in festis possint aliquam multam imponere dispensatis, pro aliquo opere pio? Respondeo affirmative, sicque fieri solet. Trullenc. *suprà n.* 12. Tamburinus *suprà num.* 39.

74 Dico septimò: Septima causa excusans, est consuetudo à superiore scita, & approbata. Ita cum communi Trullenc. *sup. n.* 14. Hæc autem jam nunc excusat primo Barbitonsores, ita cum Sayro, Diana, Fa-
75 gundez. Trullenc. *sup. n.* 14 Secundo Piscatores, venatores, & pictores, quoad aliquos actus frequentiores, sed hæc debent intelligi, si hæc fiant sine magno apparatu, ut supra diximus. Ita cum Toleto, Soto, Cajetano, Tamburinus, *sup. n.* 25. Trullenc. *sup. num.* 14. Tertio gladiatores artem gladiatoriam docentes. Ita cum Fagundez, Tamburinus, *sup. n.* 25. Quarto, Véditores calceorum. Ita cum Navarro, Rodriguez, Tamburinus, *sup. n.* 26. Quinto exercitationes militares exercentes. Ita cum Palao, Tamburinus *sup. n.* 27. Sexto hortulanos rigantes olera in die festo, & agricolas vertentes, & separantes in area triticum in die festo, & alia minuta facientes. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *suprà num.* 28. Septimo artifices præparantes, & ferentes materiam in die festo ad vesperam pro labore sequentis diei, purgantes instrumenta artis &c. Trullenc. *suprà n.* 14. Octavo officiales vendentes rusticis diebus festis calceos, vestes, &c. Ita cum Filliucio, Suario, Trullenc. *ibi.* Nono iter agentes mulis onustis supellectili. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *suprà n.* 19. Et idem dicendum est de molendinis, & nundinis. Tamburinus *ibi.* Tandem adverto, quod quando est imposita excommunicatio contra laborantes in die festo, non ligari eos, qui aliqua ex his causis excusantur, ut cum Sanchez, & aliis notat Trullenc. *suprà num.* 14.

SECTIO IV.

Quæ opera non servilia jure in die festo prohibeantur?

SUMMARIUM.

76 *In die festo prohibetur mercatum, placitum, jus civile, & criminale, & quid per hæc intelligatur?*

77 *Nundinæ quæ semel fiunt in anno, aut bis licitè fiunt in die festo.*

78 *Quid de illis nundinis, quæ fiunt singulis mensibus?*

79 *Mercatus prout significat actus mercandi, vel vendendi, fere ubique non est prohibitus in die festo.*

80 *Omnis strepitus judicialis prohibitus est in die festo.*

81 *Quid si detur necessitas vel pietas?*

82 *Quædam corollaria ponuntur.*

83 *Juramentum judiciale prohibetur in die festo seclusa causa pietatis, aut necessitatis.*

84 *Non prohibetur juramentum in die festo quod fit pro rebus spiritualibus & in actu publico fidei.*

SUppono tria in die festo fieri prohiberi cap. omnes dies 1. de feriis; scilicet mercatum, placitum, jus civile, & criminale, & juramentum. Per mercatum intelligi possunt, vel nundinæ, quæ semel fiunt in anno, vel quæ omnibus hebdomadibus in omnibus locis fiunt, vel ipsi actus mercandi, quo pacto comprehenduntur omnes contractus locationis, & venditionis, per placitum vero intelligitur omnis strepitus judicialis, id est, citatio partis, formatio processus, cognitio causæ, & sententiæ exécutio, in causis omnibus civilibus, & criminalibus, à quocunque fiant judice, sive sæculari, sive Ecclesiastico. Per juramentum vero intelligitur juramentum judiciale: His suppositis, 76

Dico primo: Nundinæ, quæ fiunt semel, aut bis in anno licitè fiunt in die festo, quia jam consuetudo universalis prædicto juri derogavit. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 1. *d.* 9. *num.* 2. Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 4. §. 1. *num.* 2. Nundinæ vero quæ fiunt singulis hebdo- 78
madibus, jam fere ubique sunt in usu ac per consequens permittendæ, propter eandem rationem; ubi vero non fuerint in usu, non debent permitti fieri in die festo. Ita cum Palao, Tamburinus, *suprà num.* 2. & cum Suario, Sanchez, & aliis, Trullenc. *suprà num.* 2. Mercatus vero prout significat 79
actus mercandi, vendendi &c. jam fere ubique est permissus: videmus enim operarios die festo sine ullo scrupulo conduci, bona defunctorum voce præconis publice vendi, necessaria cibo, vel potui venialia fieri, etiam publice per plateas, calceosque & alias res leves vendi, & passim fiunt privatæ venditiones, & solum propter reverentiam festi non quasi in publico id fit, sed semiclausis officinarum januis, in quibus omnibus attendenda, & servanda est consuetudo. Ita cum Suario, Filliucio, Fagundez, Trullenc. *suprà num.* 2. Tamburinus *suprà num.* 2. *&* 3.

Dico secundò: Omnis strepitus judicialis, quem 80
placitum significat, prohibitus est in die festo. Immo omnes actiones supra relatæ sunt nullæ, factæ in die festo, nisi detur legitima excusatio, quod procedit, etsi fiant de consensu partium. Ita 81
cum Suario, Palao, & aliis, notat Trullenc. *suprà num.* 3. In casu tamen necessitatis, possunt omnia prædicta licite, & valide fieri, & propterea excusantur judices rurales judicia diebus festis exercentes in civilibus ad pauperes pertinentibus, quod locum habet, tam in causis civilibus, quam criminalibus. Et idem dicendum est non solum quando necessitas id postulat, sed etiam quando pietas, vel bonum pacis, & concordiæ id exigit, vel quando ex interposita dilatione datur periculum justitiam impediendi. Ita cum multis Trullenc. *suprà num.* 3.

Hinc fit posse in festis licite expediri causas ali- 82
mentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum. Item causas, quæ celeritatem requirunt, quia alioquin res peritura est; Potest etiam latro de fuga suspectus in die festo capi; ita cum Layman, Suario, Tamburinus, *suprà num.* 61. Secundo fit, non esse prohibitum judici in die festo advocatum consulere, & cum procuratore de lite privatim agere, nec privatim debitum petere. Item licet in die festo adoptare, emancipare, manumittere, præsentationes facere, institutiones, collationes, processiones &c. beneficiorum, excommunicare, suspendere, & interdicere, & absolvere, expedire dispensationes; & alia, quæ causæ cognitionem non requirunt. Ita cum Suario, Palao, Azor; & aliis Trullenc.

Trullenc. *ſuprà n.*4. Tamburinus *ſuprà n.*5. Poteſt etiam in die feſto appellari, id enim pertinet ad naturalem defenſionem, non tamen licet appellationem proſequi. Ita cum Suario, Sanchez, & aliis communiter Trullenc. *n.*10. Sicut non licet ſecluſa conſuetudine proſequi examen teſtium in die feſto, etſi die feriato antecefſerit juramentum, ut bene cum Palao, Suario, Bonacina, Fagundez, Trullenc. *ſup. n.*14. ipſa enim teſtium examinatio pertinet ad ſtrepitum judicialem.

83 Dico tertiò: Juramentum judiciale prohibetur die feſto, ſecluſa cauſa pietatis, miſerabilium perſonarum, aut magnæ neceſſitatis, aut cauſæ piæ. Nec prohibetur in feſtis quodcunque juramentum judiciale, ſed ſolum illud, quod ſit pro rebus temporalibus, non vero ſpiritualibus, unde licita ſunt jura-
84 menta publica, quæ à Dominis inquiſitoribus dantur in diebus ſolemnibus in actu fidei, immo Religionis gratia hæretici in ſolemni feſto ſolent relaxari brachio ſæculari, & comburi; ita cum Sanchez, & aliis communiter Trullenc. *ſup. n.*6. An autem juramentum, quo firmantur pacta, & contractus, licitum ſit in die feſto? affirmant cum Layman, & Cajetano, Tamburinus, *ſup. n.*4. licet oppoſitum teneat cum aliis Trullenc. *ſup. n.*15. quando contractus ſunt prohibiti.

DISPUTATIO II.

De jejunio Eccleſiaſtico.

SUPPONO in præſenti non eſſe ſermonem, nec de jejunio naturali requiſito pro ſumptione Euchariſtiæ, nam de hoc late diximus in prima parte hujus Directorij confeſſariorum agentes de Euchariſtia. Nec de jejunio morali, quo ſecundum prudentiam abſtinemus à cibo, & potu, ſed ſolum de jejunio Eccleſiaſtico, quod fidelibus certis diebus præcipitur, eſtque voluntaria abſtinentia à certo genere ciborum ſub unica conceſſorum comeſtione ſub meridiem ſuſcipienda, ut ait Azor *tom.*1. *lib.*7. *cap.*9. *quæſt.*1. Eſt autem jejunium actus virtutis temperantiæ, & maxime fidelibus proficuum, de quibus vide latius Trullenc. *lib.*3. *Decalogi c.*2. *n.*5. His ſuppoſitis ſit,

SECTIO I.

A quibus cibis abſtinendum ſit tempore jejunij?

SUMMARIUM.

85 *Omnibus fidelibus in jejuniis quadrageſimæ, ſive in aliis eſus carnium prohibetur.*
86 *Excipiuntur pueri ante uſum rationis.*
87 *Quid ſi dubium ſit, an pueri habeant uſum rationis?*
88 *Quid nomine carnis intelligatur.*
89 *Non ſolum caro, ſed & jus carnis, & ſanguis, medulla, laridum, axungia hoc præcepto prohibentur.*
90 *Quoties quis in die prohibito comedit carnes toties peccat mortaliter.*
91 *Quid ſi jejunium ſit ex voto?*
92 *Diſpenſatus ex quacunque cauſa ad carnes edendas liber eſt à jejunio.*
93 *Qui eſt diſpenſatus ad carnes in die jejunij, etſi habeat ſufficientes vires non tenetur jejunare.*
94 *Diſpenſatus ad carnes poteſt ſimul comedere piſces.*
95 *Diſpenſatus ad carnes poteſt comedere quamcunque carnem, etiam porcinam, &c.*
96 *Quid ſi eis ſint nocitura?*
97 *Diſpenſatus ad carnes in jejuniis quadrageſimæ poteſt etiam comedere lacticinia.*
98 *Lacticinia in jejuniis extra quadrageſimam, nec in aliis diebus, in quibus à carnibus abſtinetur extra quadrageſimam non ſunt prohibita.*
99 *Quid dicendum in jejuniis quadrageſimæ?*
100 *An hæc prohibitio non comedendi Lacticinia comprehendat dies dominicos quadrageſimæ?*
101 *An diſpenſatus ad lacticinia in diebus jejunij teneatur jejunare.*
102 *An diebus jejunij adhiberi poſſit ſagimen.*

DIco primò: Quod primo omnibus fidelibus 85
hoc præcepto prohibetur eſt eſus carnium, ſive ſit in jejuniis quadrageſimæ, ſive in aliis. In
hoc conveniunt DD. excipe pueros ante uſum ra- 86
tionis, nam hi non tenentur legibus Eccleſiæ, ſicut nec pagani, aut perpetuo amentes. Quod ſi dubium
ſit an pueri habeant uſum rationis, ſi non habeant 87
ſeptennium completum, poſſunt eis carnes miniſtrari, ſecus ſi habeant ſeptennium completum, nam tum præſumuntur habere uſum rationis, ac per conſequens tenentur à carnibus abſtineri, ſicut & ſenes ſexagenarij, quamvis non teneantur jejunare, ſicut & pueri ante vigeſimum primum annum completum. Ita Tamburinus *lib.*4. *cap.*5. §.1. *n.*9. & cum Fagundez, Sanchez, Diana, Trullenc. *lib.*3. *cap.*2. *dub.*2. *n.*11.

Dico ſecundò: Nomine carnis intelliguntur, 88
quæ à piſcibus contra diſtinguntur, juxta communem Chriſtianorum uſum. Quod ſi de aliquo animali dubitetur, nec detur prædictus uſus, attendendum eſt ad finem prohibitionis, & ad ſimilitudinem cum aliis prohibitis, ſi enim valide nutriat, aſſimileturque animantibus noſtratibus prohibitis, cenſendum eſt prohibitum, ſecus non item. Et hac ratione excuſat Tamburinus *lib.*4. *cap.*5. §.1. *num.*12. hominem pro deliciis comedentem viperarum corpore, præciſis capitibus, & caudis, quod & referre abhorret, tum propter ſimilitudinem cum anguillis, tum quia parvæ nutritionis ſunt; & idem dicerem ego de colubris, quæ melius anguillis aſſimilantur, & in aquis ſicut teſtudines, & ranæ, etiam verſantur. Vide Tamburinum *ſuprà*.

Dico tertiò: Non ſolum omnes partes anima- 89
lium prohibitorum ſunt prohibitæ, ut ſuppono, no, & illorum jus, ſanguis, medulla, laridum, axungia, & quæcunque pinguedo, nondum vi ignis liquefacta; ipſa vero pinguedo igne liquefacta, quæ ſagimen dicitur, aliquibus non exiſtimatur caro, nec ſub mortali prohibita. Ita cum Henriquez, Ludovico à Cruce, & aliis Tamburinus *ſuprà num.*16. & cum aliis Paſcalig. *de jejunio, deciſione* 74. *num.*4. & 6. Quamvis contrarium teneat cum Fagundez, & aliis, Diana *part.*5. *tract.* 9. *reſol.* 21.

Dico quartò: Quoties quis in die jejunij, vel 90
in diebus, in quibus eſus carnium prohibetur, ut feria ſexta, vel Sabbato, carnibus veſcitur, toties peccatum mortale committit, modo inter unam, & alteram comeſtionem moralis diſtantia detur, puta per horam, vel per dimidiam, etiamſi detur animus

conti

continuandi. Tamburinus *suprà num.* 18. est enim hoc præceptum negativum, quod obligat pro semper. Suarius *tomo* 2. *de religione lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 2. & alij communiter. Secus dicendum est de eo, qui semel jejunium fregit, cibos non prohibitos comedendo, nam is, etsi multoties in die jejunij comedat cibos non vetitos, unum tantum peccatum committit, per secundam comestionem, quia qui semel jejunium fregit, jam non potest amplius præceptum affirmativum de unica comestione servare. Ita cum Filliucio, & aliis, Trullench. *suprà num.* 10.

91 Unde si jejunium fuit ex voto, comedendo sæpius carnes non peccat, nisi in prima comestione, quia abstinentia carnium in hoc casu fuit accessoria ad jejunium. Ita cum aliis Diana *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 37. & cum Sanchez, & aliis, Escobar *lib.* 45. *num.* 163. contra Lessium, Filliucium, quos refert, & sequitur Trullench. *suprà num.* 4. An autem, qui vovit certo die à carnibus abstinere peccet contra votum, non solum in prima comestione, sed etiam in secunda, & aliis in eadem die commissis? negat cum Tabiena, & aliis Pascaligus *decisione* 63. *num.* 3. Contrarium tamen dicendum existimo, nam hoc votum est ad modum præcepti negativi, ac per consequens obligat semper, & pro semper: ergo non solum prima comestio carnis erit contra votum, sed secunda, & aliæ, ut in præcepto negativo non comedendi carnem. Ita cum Sanchez, Bosio, Suario, Diana, & aliis Escobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 162.

92 Dico quinto: Dispensatus ex quacunque causa ad carnes edendas, liber est à jejunio, & potest pluries vesci carnibus in die, nam cum essentia jejunij dari non possit cum esu carnium, eo ipso quod est dispensatus ad edendas carnes, manet liber à jejunio, & cum dispensatio sit absoluta, ut suppono, & non limitata pro uno tantum carnium esu, non est cur multoties eas comedere non possit. Ita cum Joanne Sanctio, Tamburinus, *suprà numero secundo*, & cum Cajetano, Henriquez, Filliucio, Diana, Fagundez, Sanchez, Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 2. *num.* 7. Et idem dicendum est de eo, qui inadvertenter in die jejunij non contemnendam carnium quantitatem comedit, si errorem postea advertat, nam is jam non obligatur eo die jejunare, cum jam habeat in stomacho sufficientem nutritionem directe incompatibilem cum jejunio, ita cum Pontio, Tamburinus, *suprà numero* 5. Contra Henriquez, apud Dianam *p.* 9. *tract.* 6. *resol.* 28.

93 Dico sexto: Qui est dispensatus ad carnes in die jejunij, eo quod cibi quadragesimales sunt ei nocivi, etiamsi habeat sufficientes vires ad jejunandum, non tenetur jejunare diebus, quibus vult à carnibus abstinere. Nam cum sit dispensatus ad carnes edendas, necessario est dispensatus à jejunio, cum jejunium essentialiter esse non possit, cum comestione carnium: ergo potest uti dispensatione non jejunandi, etsi non utatur dispensatione, quoad edendas carnes. Ita cum Henriquez, Azor, Rodriguez, Tamburinus, *suprà num.* 4 contra Trullench. *suprà num.* 7. Et idem dicendum est de eo, qui vovit jejunare, & dispensatus est ad edendas carnes, Tamburinus *suprà num.* 4.

94 Dico septimò: Dispensatus ad carnes, potest simul comedere pisces; nulla enim lex est, quæ eos simul comedere prohibeat. Quod si saluti noceant, fiet contra temperantiam, quod regulariter erit veniale, non vero contra legem jejunij. Quod si forte non noceant pisces, non ob id dispensatio erit injusta, quia id, vel eveniet, quia comedere carnem simul cum piscibus tali subjecto non erit nocivum, vel quia modica piscium portio, forte non nocet. Ita cum Henriquez, Filliucio, Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 2. *n.* 10. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 26. Tamburinus *suprà n.* 6. & 7. & cum Pascaligo, Escobar *lib.* 45. *num.* 147.

Dico octavò: Dispensatus ad carnes, potest co- 95
medere quamcunque carnem, sive laridum, farcimen, porcinam, leporem, gallinam, capram, bovem, perdicem, &c. quæ si ejus saluti disconveniant, peccabit contra temperantiam, quod peccatum communiter tantum erit veniale, ut ait Tamburinus 96
suprà num. 8. non tamen contra præceptum jejunij. Ita cum Joanne Sanctio, Sanchez, Villalobos, & aliis Trullench. *suprà num.* 9. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 4. & cum Lesana, & aliis Escobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 150.

Dico nonò: dispensatus ad carnes in jejuniis qua- 97
dragesimæ, potest etiam comedere lacticinia. Ita cum Azor, Medina, Filliucio, Trullench. *suprà num.* 8. Nomine autem lacticiniorum veniunt lac, caseus, butyrum, ova etiam non nata; immodo ille nervorum racemus unde hæc ova pendent excludatur, is enim totus est carneus. Sagimen vero an sit caro jam suprà diximus.

An autem hujusmodi lacticinia sint in jejuniis 98
prohibita? in jejuniis extra quadragesimam certum est non esse, nec aliis diebus, in quibus à carnibus abstinetur extra quadragesimam, nullibi enim tale præceptum reperitur. Ita cum Vasquio, Reginaldo, Villalobos, Sanchez, Tamburinus *suprà num.* 20. & cum communi sententia Trullench. *lib.* 3. *cap.* 2. *d.* 2. *num.* 3. Neque in aliquo loco, etiam extra Hispaniam datur consuetudo illa non comedendi, ut advertit Tamburinus *suprà n.* 22. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 41. Escobar *lib.* 45. *Decalogi n.* 187.

De jejuniis vero quadragesimæ majus est du- 99
bium; nam communiter DD. volunt dari prohibitionem sub mortali *cap. denique dist.* 4. de quo vide Trullench. *suprà num.* 3. Verum Fagundez *in* 4. *præcepto Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. Pelizarius *to.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 20. 21. & 22. Pascaligus *de jejunio decisione* 17. existimant de jure communi, seclusa consuetudine, solum esse veniale ova, & lacticinia in quadragesima edere, quod etiam probabile putat Escobar *lib.* 41. *Decalogi num.* 175. & consuetudo generalis in hoc Lusitaniæ, & Hispaniæ regnis ita videtur habere, ut notat Tamburinus *suprà num.* 24.

An autem hæc prohibitio non comedendi lacti- 100
cinia qualiscunque sit, comprehendat etiam dies dominicos quadragesimæ, sicut & alias ferias? negat Antonius Gomez, Llhamas, & probabilius judicat Fagundez, quos refert, & probabile tenet Trullench. *suprà num.* 3. Verum contraria sententia probabilior est, præceptum enim etiam dies dominicos videtur includere. Ita cum Villalobos, Sanchez, & aliis tenet Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 80. Trullench. *ibi* Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 5. §. 2. *numero* 16. & cum multis Escobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 184.

An autem dispensatus ad lacticinia in diebus je- 101
junij teneatur jejunare? Respondeo affirmative, nam in jure stare potest jejunium cum lacticiniis, ut patet in jejuniis extra quadragesimam; ergo dispensatus ad lacticinia non censetur dispensatus ad non jejunandum. Ita cum Azor, & aliis Tamburinus *suprà num.* 25. & cum aliis Trullench. *suprà num.* 15. Hinc fit habentem bullam posse comedere lacticinia, teneri tamen jejunare Trullench. *ibi*. Et

Digitized by Google

idem dicendum eſt de jejunio ex voto vel ex pœnitentia Sacramentali, vel ad lucrandum aliquod jubilæum, niſi ex circunſtantiis contrarium conjiciatur. Tamburinus *ſuprà num.* 25.

102 An autem in diebus jejunij adhiberi poſſit ſagimen? Reſpondeo de jure communi probabilius eſſe non poſſe. In multis tamen locis ob defectum olei, jam abhinc multis annis introductum eſt conſuetudine, ut in Gallacia, & Peru teſte Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 11. *lit. H*, & tenet Trullench. *ſuprà num.* 8. Quæ conſuetudo etiam datur in provincia Interannenſi in Luſitania. Tum quia probabile eſt venire nomine lacticiniorum, ut ſuprà diximus. Unde ubi talis datur conſuetudo, illud comedentes non facile de peccato condemnandi ſunt.

SECTIO II.

Quotuplex refectio ſumi poſſit in die jejunij.

SUMMARIUM.

103 *Unica comeſtio eſt de eſſentia jejunij.*

104 *In ſola ſecunda comeſtione gravi peccat mortaliter, qui frangit jejunium.*

105 *Qui in hac unica comeſtione inſumit unam, vel alteram horam non frangit jejunium, ſecus ſi per multum tempus comeſtio protrahatur.*

106 *An quis poſtquam ſtatuit amplius non comedere, poſſit adhuc comeſtionem continuare.*

107 *Quadam corollaria ponuntur.*

108 *An ſi poſtquam incepit comedere exurgente gravi negotio poſſit recedere, & iterum redire ad comeſtionem.*

109 *Potus verus non frangit jejunium.*

110 *Quid per potum intelligatur?*

111 *Sapa, acetum, oleum, mel, & lac, in magna quantitate frangunt jejunium.*

112 *An paſſio chocolatis frangat jejunium?*

103 Dico primò: Certum eſt comeſtionem unicam eſſe de ſubſtantia jejunij Eccleſiaſtici. Ita cum D. Thom. & aliis communiter notat Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 4. *num.*... Non tamen, qui pluribus vicibus comedit in die jejunij

104 peccat mortaliter, aut venialiter, niſi tantum in ſecunda comeſtione quantitatis gravis; quia poſita ſecunda comeſtione jam jejunium eſt impoſſibile. Ita cum Villalobos, Trullench. *ſuprà num.* 3. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 3. Dixi in ſecunda comeſtione quantitatis gravis; nam ratione parvitatis materiæ excuſatur multoties ſecunda comeſtio, ut ſi quis ſumeret duos ficus, vel qui ob urbanitatem, vel preces amici, vel ne potus noceat exiguum quid ſumat in die jejunij, v. g. duas caſtaneas, duos ficus, duo amygdala vel quid ſimile, uſque dimidiam unciam, ut cum Sanchez, Boſio, & aliis, docet Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 221. At ſi in fraudem jejunij ſæpius in die modicum cibi ſumatur, eſſet mortale, quia multa modica continuari poſſunt, ita ut faciant notabilem quantitatem ſufficientem ad mortale. Ita cum Reginaldo, Bonacina, Fagundez, Diana, & aliis Trullench. *ſuprà n.* 2.

105 Dico ſecundo: Qui in hac unica comeſtione inſumit unam, vel alteram horam non frangit jejunium. Fagundez *in* 4. *præcepto Eccleſiæ lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. Secus ſi per multum tempus, ut ſi à meridie uſque ad veſperas, vel ad noctem protraheretur comeſtio, nam tunc multiplex eſſet comeſtio virtualis. Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 2. *n.* 15. An 106
autem poſtquam quis ſe ad ſatietatem refecit, & ſtatuit amplius non comedere, poſſit adhuc aliquid adhibere? Reſpondeo quod ſi non detur interruptio moralis, bene poteſt, ut ſi per quadrantem, & dimidium comeſtioni finem poſuerit, non tamen amplius, quia daretur interruptio moralis. Ita cum Sanchez, Tamburinus *ſuprà num.* 16. Excipe niſi propter aliquod negotium interrumpat quis comeſtionem, quando nondum plena adhibita eſt refectio, nam tunc propter prædictam cauſam plus temporis v. g. per horam concedi poteſt, præcipue ſi animo redeundi interruptio facta eſt. Ita cum Sanchez Tamburinus *ſuprà num.* 17. Immo Joannes Sanctius *diſp.* 52. *num.* 4. duas horas concedit, quando animo redeundi facta eſt interruptio, ſed nimia hæc ſane interruptio eſt, ut bene advertit Eſcobar *tract. exam.* 1. *de jejunio c.* 3.

Hinc ſit lectores ad menſam, & ſervitores, ſive 107
famuli, quando domino comedenti inſerviunt, poſſe aliquid deguſtare ante lectionem cum animo poſt finitam lectionem, vel ſervitium comeſtionem inceptam iterum continuandi, nam lectio ſeu menſæ ſervitium, vel aliud grave negotium ſufficiens cauſa eſt ad differendam comeſtionem per horam, ut ſupra diximus, quæ regulariter in dicta refectione poteſt inſumi. Ita cum Sanchez, Tamburinus *ſuprà n.* 17. Et propter eandem rationem non frangunt jejunium famuli qui inſerviunt menſis dominorum comedendo guloſe, ex his quæ de menſa tollunt, ſi ſtatim poſt ſuos dominos ſunt comeſturi. Ita cum Sanchez, Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 3. *n.* 1.

Sed quid ſi alicui poſt inceptam comeſtionem 108
magnum, & urgens negotium veniat, vi neceſſarium eſt ſtatim occurrere, relicta comeſtione, poteritne iſte tranſactis duabus, tribus, vel quatuor horis redire ad menſam? Reſpondeo, quod ſi nondum acceperat ſufficientem cœnam ad diem tranſgrediendum, nec negotium poterat differre, poſſe poſtea comedere, cum Eccleſia non intendat aliquem ſine ſufficienti refectione diem tranſigere. Secus ſi jam ſufficientem alimentum acceperat, & modicum cœnæ relinquit, nam parum pro nihilo reputatur. Dixi nec negotium poterat differre, nam ſi differri poterat, jam interruptio ei imputabitur ad culpam, ea tamen de facto data, ſi poſtea ſub noctem ſuboriatur nimia debilitas, tunc ſine peccato poterit ſe ipſum reficere, quod prudentis arbitrio judicandum eſt. Tamburinus *ſuprà num.* 18.

Dico tertiò: Verus potus, etſi pluries in die je- 109
junij ſumatur, nullo modo frangit jejunium. In hoc conveniunt DD. Quid autem per verum potum intelligatur? Reſpondeo intelligi omne illud quod adhibetur ad vehiculum cibi, & alimenti, dummodo ex natura ſua ad id ſit inſtitutum, & non ſolum ex intentione aſſumentis. Hinc ſit ſtilum 110
gallinæ non eſſe verum vehiculum, nec lac, aut jus, etſi ad finem vehendi per venas cætera alimenta aſſumerentur, quia hæc in uſu communi cibi ſunt, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 2. *numero quarto.* Secus dicendum eſt de vino, muſto, cerviſia, aqua ex herbis, vel vino diſtillato, ita cum Layman, Sanchez, Diana, Lezana, Lugo, & aliis Tamburinus *ſuprà num.* 4. Et idem dicendum eſt de aqua, ſaccaro, citro, Gelſiminis, aneto, aromatibuſve condita, hæc enim apponuntur per modum medicinæ, & in parva quantitate & ſumuntur in veram potionem. Ita

Tamburinus

Digitized by Google

Tamburinus *ſuprà num.* 5. Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 1. *n.* 3. Paſcaligus *deciſione* 118. *n.* 2. Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 208.

111 Secus dicendum eſt de ſapa, acero, oleo, melle, hæc enim ſi in magna quantitate aſſumantur frangunt jejunium. Tamburinus *ibi.* Idem dicendum eſt de uva recenti, & ſi ſumitur ad ſitim extinguendam, etiamſi quis duntaxat ſugat ſuccum, & cætera ab ore projiciat, eſt enim vera & uſualis comeſtio, & idem dicendum eſt de piris, & malis Maſſilicis, Medicis, aureis Punicis, Luſitane, *limois laraniat, romans, melois, Balancias*, & alia hujuſmodi; ſemper enim ſumuntur per modum cibi. Et idem dicendum eſt de ſugente arundines ſacchari, niſi forte excuſet parvitas materiæ, ſicut & in ſugente ſuccum aliorum pomorum excuſat. Ita & docte Tamburinus *ſuprà num.* 5. Leander quem refert, & ſequitur Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi n.* 215. & 218. quidquid in contrarium dicat Paſcaligus *de jejunio deciſ.* 135. in hac de re minime audiendus.

112 An vero potio chocolatis frangat jejunium? negat Navarrus, quem refert Thomas Hurtadus *tract.* 10 *cap.* 8. *num.* 166. Eſcobar *in examine confeſſorum tract.* 1. *cap.* 5. Turrianus, Lezana, quos refert Tamburinus *ſuprà num.* 11. quamvis hi authores ſolum de puro chocolate loquantur. De eo vero, quod etiam nunc eſt in uſu in Hiſpania, negat etiam acerrime Hurtado *tract.* 10. per totum. Probabile tamen putat cum Lugo Tamburinus *ſuprà num.* 13. Machado, & alij, quos refert Diana *p.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 54 Idem tenet Leander *præcepto* 4. *Eccleſiæ tract.* 5. *d.* 5. *quæſt.* 5. Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 212. dummodo non ſit admixtum ovis, & lacte, & in eodem ſenſu illud non audet condemnare Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 194. Trullenc. *lib.* 3. *c.* 2. *d.* 2. *num.* 15. nec ego propter authoritatem horum Doctorum. Tum quia ſumitur jam ut potus uſualis inter Hiſpanos. Et idem dicendum exiſtimo de aqua aloxa, ut cum Pinello docet Hurtado *tract.* 10. num. 76. Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 209.

SECTIO III.

An in die jejunij poſſit ſumi refectiuncula veſpertina, & in qua qualitate, & quantitate.

SUMMARIUM.

113 *Refectiuncula veſpertina poteſt ſumi in die jejunij.*
114 *Hæc refectiuncula ſumitur ad noctem.*
115 *Si abſque cauſa mane ſumatur, & comeſtio principalis ad noctem omittatur erit peccatum veniale.*
116 *Quid ſi quis mane inadvertens eſſe diem jejunij ſumeret refectiunculam?*
117 *Qua quantitas ſumi poſſit in collatione?*
118 *Ex quibus cibis ſumenda ſit refectiuncula.*
119 *In vigilia nativitatis domini quæ collatio ſumi poſſit?*

113 DIco primo: Vſus, & conſuetudine introductum eſt, quod ultra principalem comeſtionem, quæ adhibetur in die jejunij, veſpertina etiam refectiuncula ſumatur. Ita communiter DD. Hæc autem refectiuncula communiter ſumitur ad
114 noctem; Vnde ſi abſque cauſa mane, vel meridie ſumatur, & principalis comeſtio omittatur erit peccatum veniale, propter inordinationem; ſecus 115
ſi cum aliqua cauſa fiat, ut cauſa ſtudendi, iter agendi, legendi, concionandi &c Ita cum Navarro, Azor, Filliucio, Bonacina, & aliis Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 3, *num.* 7.

Et idem dicendum eſt ſi quis ſummo mane in- 116
advertens eſſe diem jejunij refectiunculam ſumeret, nam tunc, vel meridie, vel ad noctem poſſet comedere abſque ulla culpa, bona enim fides illum liberavit à culpa in hac inordinatione commiſſa. Ita Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 3. §. 3. *num.* 14. quamvis aliqui addant, iſtum poſſe hora conſueta prandere, & iterum ſero ſumere colatiunculam conſuetam. Fagundez *in* 4. *præcepto Eccleſiæ cap.* 4. *num.* 6. Villalobos 1 *p. tract.* 23. *diff.* 6. *num.* 7. Immo Bonacina apud Tamburinum *ſuprà num.* 14. addit prædictum ſic mane comedentem, ſive bona, ſive mala fide, jam amplius non teneri ad jejunium, quia jam eſt deſtructum jejunium, ſed à noſtra ſententia non eſt recedendum, niſi in caſu quo vel refectiuncula fuiſſet excedens, & non ſuffic.ens ad reficiendas vires, vel fuit adeo modica, ut non excederet unam vel duas uncias, nam tunc poſſet iterum ſumi veſpertina colatiuncula, ſupra refectionem meridianam.

Dico ſecundo: Quantitas, quæ ſumi poteſt ad 117
colatiunculam, jam commune eſt inter DD. poſſe pertingere ad octo circiter uncias, & hoc ſive his octo unciis fames prorſus extinguatur, ſive non, ſic enim conſuetudine introductum eſt: ita cum Fagundez, Joanne, Sanctio, Suario, Diana, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5 §. 3. *num.* 1. & cum Villalobos, Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. §. 3. *n.* 9. Et cum hac ſententia concordant, qui dicunt poſſe aſſumi quartam partem ſolitæ cœnæ pro refectiuncula, ut ſunt Filliucius *tract.* 27. *p.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 33. Reginaldus *tomo* 1. *lib.* 4 *cap.* 14. *num.* 185. quia communiter vix adæquant duas uncias hominum cœna ſolet aſcendere. Dixi octo circiter uncias, nam addere unam, vel alteram unciam ſupra prædictas octo, non erit peccatum mortale, propter parvitatem materiæ. Ita Pelizarius, Leander, Turrianus, apud Dianam *p.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 15. Tamburinus *ſuprà num.* 1. Imo poterit quis ſumere panem, ciceres, fabas, in debita quantitate, & in aqua, vel vino, vel alio liquore decoquere, & totam illam quantitatem pro refectiuncula ſumere, cum liquor ſolum ſit vehiculum. Boſius *ſect.* 4. *de jubilæo caſu* 18. *numero* 128. Tamburinus *ibi numero* 2.

Dico tertio: De cibis communibus quadrageſi- 118
malibus, ſive ſint herbæ crudæ, ſive lixatæ, piſces, ſive recentes, ſive ſicci, ſive parvi, ſive magni, ſive etiam conſervæ, & dulciaria, vel alij quicunque fructus, vel legumina, ea accipi poſſunt pro colatiuncula, prout cuique libuerit, modo ſimul cum pane non excedant prædictas octo uncias. Ita ex Bonacina, Cajetano, & aliis Tamburinus *ſuprà num.* 3. Imo qui habent bullam cruciatæ poſſunt ad colatiunculam ſumere ſimul cum pane lacticinia, ut caſeum, lac, butyrum, &c. exceptis ovis. Ita Layman, Turrianus, & alij apud Dianam *p.* 9. *tract.* 6. *reſol.* & 4. *p. tract* 4. *reſol.* 171. Tamburinus *ſuprà num.* 4. Excipe niſi quantitas ovorum ſit valde tenuis, parum enim pro nihilo reputatur. Hinc fit poſſe ad colatiunculam adhiberi id, quod Hiſpani vocant *biſchocos*, quia in eis vix quarta pars ovorum reperitur. Ita cum Diana, Trullenc. *ſuprà num.* 8. non poteſt tamen aſſumi ille panis, qui Luſitane dicitur *Pam leve*, quia totus ex ovis, modico

immixto farinæ flore, constat. Tamburinus *suprà num.* 6. Excipe nisi in parva quantitate simul cum aliis dulcibus, sumatur, nam tunc propter materiæ parvitatem, non erit mortale.

119 Dico quarto: in vigilia natalis domini duplex maior collatio in quantitate assumi potest, ita ut pertingat ad uncias sexdecim ex eisdem obsoniis, quæ in cæteris ieiuniis diximus licere. Ita Tamburinus *suprà num.* 7. Imo aliqui dicunt posse hanc refectiunculam sumi absque mensura, aut limite ex cibis, quos licet in collatione assumi. Ita cum Medina, Lllhamas, Leandro, Contrado, Joanne Sancio, & aliis Escobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 265. Sic enim habet Ecclesiæ consuetudo, ratione officii divini, cui solent omnes nocturno tempore interesse. Immo addo id licere, etsi ieiunium observetur in Sabbato, in quo etiam celebratur ieiunium quatuor temporum, etiamsi dies natalis Domini in sequenti feria secunda observetur, quia magis dignum trahit ad se minus dignum. Ita cum utroque Sanctio, Tamburinus *suprà num.* 8. Et propter eandem rationem poterit quis eandem collationem duplo maiori efficere, etsi in hac vigilia voverit ieiunare, nisi expresse contrarium intenderit. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *lib.* 3. *cap.* 15. §. 6. *num.* 13. & nos iam supra diximus. In vigiliis tamen Paschæ, & Pentecostes nisi alicubi sit introducta consuetudo, quæ in Lusitania nondum est, nequaquam hæc benignitas locum habet, bene tamen ubi talis datur consuetudo. Ita cum Fagundez, Medina, Filliucio, Trullenc. *suprà num.* 9.

SECTIO IV.

Qua hora sumi possit refectio, vel comestio in die jejunij.

SUMMARIUM.

120 *Prandij hora in die jejunij est sub hora meridiana.*
121 *Prævenire hujusmodi horam non est contra substantiam jejunij.*
122 *Si detur justa causa, non erit veniale anticipare hanc horam.*

Dico primò: Consueta hora prandii in die ieiu- 120
nii est sub hora meridiana, parum, minusve, etsi aliqua lex de tardiore cæna fuit, jam usu abrogatum est. Poterit tamen, si quis voluerit usque ad noctem cænam differre, dummodo id non faciat ex aliqua superstitione, nam sic rigorosius jejunium exhibetur. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi t.* 2. *d.* 4. *n.* 1. & 2. & 5. Dixi parum, minusve, nam meridies non est computanda mathematice, sed moraliter. Unde si prandium fiat hora undecima sufficit, quia parum à meridie distat, & moraliter pro meridie computari potest. Ita Trullenc. *suprà num.* 2.

Dico secundo: Prævenire hujusmodi horam, 121
non est contra substantiam jejunij, etiamsi summo mane prandium sumatur, erit tamen peccatum veniale. Ita cum Toleto, Lessio, Filliucio, Bonacina, Trullenc. *suprà num.* 3. Diana 1. *p. tract.* 9. *resol.* 27. non enim violatur jejunium, quoad substantiam, 122
sed quoad circunstantiam accidentalem. Immo si datur justa causa, nec quidem veniale erit. Ita cum prædictis doctoribus Trullenc. *suprà num.* 4. Hinc fit dispensatum circa horam comedendi, non esse liberum à ieiunio, sed tenetur in reliquis ieiunium observare, & multo magis, qui horam illicite, vel inadvertenter anticipavit. Ita cum multis Trullenc. *suprà num.* 6. Quamvis in opinione illorum, qui dicunt horam undecimam esse de substantia ieiunii, ille qui ex casu, vel sine causa mane comedit non tenetur deinceps ieiunare: ita Joannes Sanctius *in selectis d.* 53. *num.* 5. Sed hoc negat cum Layman, & aliis Trullenc. *suprà num.* 7. Diana 1. *p. tract.* 9. *resol.* 27. & 48. & *p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 10. & merito, nam si hora prandendi esset de substantia ieiunii, nec posset in ea dispensari, sicut nec in esu carnium, nec ex causa anticipati. An autem in quadragesima licitum sit ante vesperas prandere? Respondeo affirmative, horæ enim canonicæ nullam habent connexionem cum ieiunio, nec id præcipitur in rubricis, sed tantum congruenter servari disponitur. Tamburinus *suprà n.* 4.

SECTIO V.

Quo jure, & quibus diebus jejunandum sit.

SUMMARIUM.

123 *Omnia fidelium jeiunia obligant iure Ecclesiastico, vel etiam consuetudine.*
124 *Consuetudo si fuerit in aliquo loco communis obligat etiam religiosos, secus si tantum sit, quoad seculares, vel clericos.*
125 *Obligatio ieiunii est sub mortali.*
126 *Ieiunium non potest per alium adimpleri.*
127 *Jejunium Ecclesiasticum incepit à media nocte, & durat usque ad mediam noctem subsequentem, & quomodo id sit intelligendum.*
128 *Quid si plura sint horologia?*
129 *Ponuntur dies in quibus ex præcepto Ecclesiæ tenentur fideles ieiunare.*
130 *Quando ieiunium incidit in dominica persolvitur in Sabbato antecedente.*
131 *Qui ieiunium ad quod tenetur ex duplici præcepto frangit, unum peccatum committit.*
132 *Qui initio quadragesimæ statuit numquam in illa ieiunare, unum peccatum commisit æquivalens multiplici omissioni.*

Dico primo: Omnia fidelium ieiunia obligant 123
ex iure Ecclesiastico; ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 5. *num.* 1. Possunt etiam induci consuetudine, sicut etiam eadem consuetudine iam inducta ab Ecclesia possunt abrogari, legitima enim consuetudo vim legis habet. Hæc autem consuetudo, si fuerit communis in aliquo oppido, obligat etiam Religiosos ibi existentes, quia est omnibus communis. Secus si 124
consuetudo tantum esset apud clericos, vel sæculares. Ita cum Azor, Fagundez, Villalobos, Trullenc. *suprà num.* 2. Ieiunia autem indicta ab Episcopo non tenentur Religiosi observare, secluso scandalo; ita cum Azor, & aliis, Trullenc. *suprà n.* 2. & cum Suario, Fagundez, Diana *p.* 1. *tract.* 9. *resol.* 36. Potest etiam induci obligatio ieiunii ex voto, & iuramento, ut sæpe dictum est.

Dico secundò: Obligatio ieiunii est sub mortali; 125
unde frangens ieiunium unius tantum diei absque iusta causa, etsi fiat absque contemptu est peccatum mortale. Ita cum communi sententia Trullenc. *suprà*, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5 §. 5. *num.* 1. Unde merito communiter reiicitur Angelus *verbo ieiunium. n.* 14. & Cardinalis *ad cap.* 2. de observatione

tione jejunij dicentes non peccare mortaliter violantem jejunium ad quod tenetur ex præcepto Ecclesiæ, nisi id faciat ex contemptu expresso, vel interpretativo ex consuetudine peccandi, & modò talis propositio condemnatur ab Alexandro VII. in suo decreto emanato 24. die septembris anni Domini 1665. propositione 23.

116 Dico tertio: Jejunium non potest per alium adimpleri, est enim obligatio personalis. Unde nec per patrem adimpleri potest, etsi eidem cum filio reputetur. Sic contra Ugonem tenet cum communi sententia Escobar *lib.* 44. *Decalogi num.* 124. An autem possit in alium diem transferri, sine privilegio? Respondeo negative, quia ad hoc requiritur potestas jurisdictionis; unde qui uno die non potest jejunare, non tenetur in alio jejunare. Ita cum communi sententia Escobar *lib.* 44. *Decalogi n.* 127.

117 Dico quarto: Jejunium Ecclesiasticum incipit à media nocte non mathematice, sed moraliter sumpta, in noctem mediam subsequentem. Hinc fit quod si quis more humano, & moraliter non verò mathematice curet cognoscere, an sit media nox, comedatque carnes circiter illud tempus, non peccat mortaliter, quamvis revera mathematice fuerit jam duodecima cum dimidia noctis; hæc enim præcepta, non mathematice, sed moraliter obligant. Excipe nisi quis ex horologiis scire possit punctum mediæ noctis mathematice, nam tunc ex eo puncto, & momento cum certo sciat illud tempus ad sequentem diem jejunij pertinere, non potest non morali modo cognoscere præceptum jejunij urgere, & esse in possessione, non vero libertatem. Ita Palaus *tomo* 1. *tract.* 3. *d.* 5. *p. num.* 8. & cum utroque Sanctio Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 5. *num.* 8. & 9.

118 Advertè tamen quod si plura fuerint horologia, nec ex aliquo mathematice possit cognosci, an sit media nox, posse quempiam cuilibet illorum se accommodare; sequitur enim quasi opinionem probabilem, nisi aliquod sit communiter errans reputatum. Ita cum Sanchez, Salas, Palao, & aliis Trullenc. *lib.* 4. *Decalogi cap.* 2. *d.* 4. *num.* 8. An autem præceptum incipiat obligare à primo ictu quadrantis, vel à pulsu horæ majoris? Respondeo incipere à primo pulsu horæ majoris, totum enim illud tempus, quod intercedit inter primum pulsum quadrantis, & primæ horæ mediæ noctis moraliter censetur idem tempus, quod quidem procedit non solum pro jejunio Ecclesiastico, sed etiam naturali, pro solvenda Eucharistia. Trullenc. *supra n.* 8. *in fine.*

119 Dico quinto: Ex præcepto Ecclesiæ jejunandum est ab omnibus fidelibus primo in quadragesima, quæ nunc incipit à feria quarta cinerum, & desinit in Sabbato proxime antecedente Pascha, *cap. quadragesima de cens. dist.* 5. *cap. non licet de cons. dist.* 5. Secundo in quatuor temporibus *cap. statuimus dist.* 76. Tertio in vigilia Nativitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis *cap. ex parte de observantia jejunij.* Quarto in vigiliis Apostolorum, exceptis vigiliis S. Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ *cap. consulis eodem tit.* Vigilia autem S. Joannis Baptistæ, S. Laurentij, Pentecostes, & omnium Sanctorum, obligant ex consuetudine. Ita cum Azor. Fagundez, & aliis Trullenc. *lib.* 3. *cap.* 2. *d.* 5. *num.* 16. Tenentur etiam fideles jejunare diebus in sua diœcesi ab Episcopo decretis; Ad hæc tamen jejunia non tenentur Regulares, utpote exempti Trullenc. *supra num.* 1.

130 Tandem adverte quod quando jejunium incidit in diem Dominicam persolvitur Sabbato antecedenti *cap. ex parte de observatione jejunij.* Et in anno, in quo vigilia S. Joannis Baptistæ incidit in diem corporis Christi jejunandum est pridie illius; ita enim statuit *Leo X.* & tenet cum communi sententia Trullenc. *supra num.* 19. Et hoc idem debet efficere Episcopus si in festo solemni Patroni civitatis vigilia aliqua occurrat. Sanchez *in consiliis lib.* 5. *cap.* 4. *d.* 5. *num.* 17. Trullenc. *supra num.* 19. An autem in triduo Rogationum teneantur fideles à carnibus abstinere; negat Pascaligus *decisione* 79. *num.* 7. probabile putat Leander *præcepto* 4. *tract.* 5. *d.* 3. *quæst.* 13. Escobar *lib.* 45. *Decalogi, num.* 188. Ego tamen existimo quod licet hodie ex jure fideles non teneantur à carnibus abstinere, bene tamen ex consuetudine, ubi datur; ut certè datur in hoc Lusitaniæ regno. Ità cum Leandro, Barbosa, Escobar *supra num.* 190.

Dico sexto: Qui jejunium frangit obligatus ex 131
duplici præcepto Ecclesiæ, v. g. vigilia, & quatuor temporum, unum numero peccatum committit, quia utrumque obligat ex eadem temperantiæ virtute; secus si frangat jejunium debitum ex voto, & ex præcepto Ecclesiæ, quia tunc delinquit contra duplicem virtutem, scilicet temperantiam, & religionem; ita cum Azor, Henriquez, Filliucio, Fagundez, & aliis Trullenc. *supra num.* 5. Tamburinus *supra num.* 5. contra Cajetanum, Corneium, quos refert Diana 4. *p. tract.* 4 *resol.* 83. Adverte tamen quod qui die debito fregit jejunium non teneri altera die jejunare, vel aliquid loco jejunii solvere, est enim obligatio affixa diei. Ita cum Navarro, Bonacina, Trullenc. *supra num.* 6. Excipe si jejunium debitum fuit ex voto, nam tunc videndum est, an intentio voventis fuerit principaliter in talem diem, eo quod esset vigilia alicujus sancti in honorem illius, an vero solum fuerit ex devotione jejunii, & secundario in honorem diei, nam si principaliter fuit in honorem talis diei, eo transacto non tenetur jejunare. Secus si fuit ex devotione jejunii, licet secundario fuerit in honorem diei. Ita cum Bonacina, Trullenc. *lib.* 2. *Decalogi cap.* 2. *d.* 13. *n.* 20. & 21.

Dico septimo: Qui initio quadragesimæ statuit 132
nunquam in illa jejunare, unum numero, sed gravius, nempe æquivalens multiplici omissioni peccatum commisit, at in executione toties peccavit quoties diem jejunii fregit, vel quoties cenem comedit, Filliucius *tract.* 27. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 87. & 88. Tamburinus *supra num.* 3. contra Fagundez, Azorium, & alios, quo refert, & sequitur Trullenc. *supra num.* 7.

SECTIO VI.

An qui administrant aliis cibos in die jejunij peccent, & quomodo?

SUMMARIUM.

133 *Qui causa est ut alij sine causa frangant jejunium peccat mortaliter.*

134 *Pater & dominus non tenentur cogere filios, & servos ut jejunent.*

135 *Dominus injungendo famulis opus incompatibile cum jejunio non peccat.*

136 *Quando campanes appopendo cibos accedentibus peccent?*

137 *Qui urbanitatis causa invitat alium ad cœnam paratam ad alibi cœnandum non peccat?*

133 Dico primò: certum eſt eum, qui cauſa eſt ut alij abſque legitima cauſa jejunium ſolvant peccare mortaliter contra præceptum jejunij, non enim ſolum peccat, qui præceptum tranſgreditur, ſed etiam, qui eſt cauſa ut alij abſque legitima cauſa tranſgrediantur: in hoc conveniunt DD. Difficultas igitur eſt, quando aliquis poſſit alijs miniſtrare cibos in die jejunij abſque peccato?

134 Dico ſecundò: Pater, & dominus non tenentur cogere filios, & famulos ad jejunium, non enim ſunt prælati, nec ſpiritualem in eos juriſdictionem exercent, tenentur tamen eos modeſte increpare. Ita cum Azorio, Filliucio, Trullench. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 3. *num.* 8. Unde poſſunt, & debent illis cibos non vetitos miniſtrare, quamvis ſciant eos non jejunaturos, nam illa ciborum adminiſtratio eſt indifferens; & ad Patrem vel dominum pertinet alimenta ſuis cum debita liberalitate præbere, modo eis cibos non miniſtrent, quos vel jejunij obſervantia vetuit, vel ad illud frangendum alliciant. Ita cum Villalobos, Filliucio, Azor, Fagundez, & alijs Trullench. *ſuprà num.* 8. & cum Paſcalige, Aragonio, Soto, Angelo, Ledeſma, Sanchez, Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 543. Ipſi vero filij, vel famuli, ſimileſque ſubditi poſſunt dominis, patribuſque frangentibus jejunium ſcienter cibos præparare, ac miniſtrare, quia hæc ſunt opera indifferentia, & ex alia parte famulatus, ac filiationis ratio ipſos ſatis excuſat; ita cum Azor, Sanchez, Tamburinus, *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 6. *num.* 4.

135 Dico tertiò: Domini præcipiendo bona fide famulis, vel aliis operariis labores, qui communiter imperari ſolent, cum quibus ſtare jejunium non poteſt etiamſi differri valeant non peccant, utuntur namque jure ſuo præcipiendo, quæ poſſunt ſervis. Nec etiam ſervi peccabunt, quia ex officio laborant. Ita cum Bonacina, Sanchez, Tamburinus *ſuprà num.* 4. Immo propter eandem rationem, potent quis operarios conducere cum pacto, ut non jejunent, ne aliàs minus laborent. Ita cum Eſcobar, Tamburinus *ibi n.* 4.

136 Dico quarto: Caupones, quando probabiliter exiſtimant accedentes ad eos non violaturos jejunium, poſſunt eis miniſtrare, vendere, atque incitare, ut emant, ut ex ſe patet. Quod ſi dubium ſit, adhuc poterunt, quia niſi certo conſtet contrarium, nemo præſumendus eſt malus, atque adeo non eſt præſumendus jejunium violaturus. Tamburinus *ſuprà num.* 6. Quod ſi probabiliter, vel certo ſciant violaturos, adhuc poſſunt eis cibos non vetitos in die jejunij miniſtrare, immo ad eos emendos invitare, nam illa actio miniſtrandi, ac invitandi, eſt actio indifferens, & caupo non intendit, ut illi jejunium violent, ſed ſuum lucrum, idque ſciunt, & bene norunt cmentes; Ita Sanchez *in conſilijs lib.* 5. *cap.* 26. *num.* 2. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 38. Tamburinus *ſuprà num.* 7. & cum Valentia, Filliucio, Molpheſio, & alijs Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 552. Dixi cibos non vetitos, nam in terris Catholicorum non poteſt caupo carnes apponere hoſtilibus, niſi aliquis fide dignus diceret ſe habere facultatem eos concedendi, vel illis indigere ob infirmitatem. Eas tamen apponere poteſt in terris hæreticorum ſi hoſpites eas petant, vel ſi non poſſit aliud efficere, ſine ſuo gravi incommodo, ut ſi ab hoſpitibus ob id eſſet deferendus, vel damnum paſſurus à magiſtratu, dummodo abſit fidei contemptus. Ita cum communi ſententia Trullench. *ſuprà num.* 9.

137 Dico quintò: Qui urbanitatis cauſa invitat ad cœnam in die jejunij cum, qui paratus eſt alibi cœnare non peccat; quia non illum abſolute invitat ad cœnam cum per ſe jam ſit paratus ad cœnandum domi ſuæ. Ita cum Caietano, Navarro, & aliis Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 38. & cum Villalobos probabile putat Trullench. *ſuprà num.* 10. Immo addo poſſe quempiam urbanitatis cauſa amicum invitare ad ſecum cœnandum, non ex intentione, ut ille cœnam acceptet, atque complete cœnet, ſed ad oſtentandam ſuam liberalitatem, & ut amici videant ejus ſigna amicitiæ. Non poteſt tamen urgere, ut cœnet. Ratio eſt, quia illa invitatio ex ſe eſt actio indifferens, & urbanitatis ſignum, non enim ille cogit, ut cuncta oblata, etiam in lautiſſima menſa comedat, ſed quæ ſunt ad jentaculum ſufficientia, quod ſi ipſi plus abſumant ſibi imputent, cum ſcire deberent hæc fieri ſolere ad oſtentationem liberalitatis conciliationemque amicitiæ, non vero ad eos omnes cibos comedendos. Ita cum Eſcobar, Saa, Diana, Hurtado, Tamburinus *ſuprà num.* 11. & cum Navarro, Filliucio, probabile putat Trullench. *ſuprà num.* 10. Immo poteſt etiam in menſa lacticinia miniſtrare, eaque offerre ubi viget bulla cruciatæ, nam ſenſus offerentis ſemper intelligitur conditionatus, ut ſcilicet ea quis comedat, ſi licite poteſt, Sanchez *in conſiliis cap.* 1. *d.* 16. *num.* 3.

SECTIO VII.

Quinam lege jejunij teneantur.

SUMMARIUM.

138 *Hoc præceptum omnes Chriſtianos uſum rationis habentes obligat completo* 21. *anno.*

139 *Pueri ante* 21. *annum poſſunt obligari ad jejunium.*

140 *Senes ſexagenarij deobligantur à jejunio.*

141 *An adoleſcens teneatur jejunare in die, qua* 21. *annum attigit, & ſenex in die, qua implet ſexageſimum.*

142 *An adoleſcens qui dubitat an impleverit* 21. *annum teneatur ad jejunium.*

Dico primò: Hoc præceptum jejunij omnes Chriſtianos uſum rationis habentes cuiuſcunque ſint conditionis, & dignitatis, & perfectionis, completo tamen vigeſimo primo ætatis anno, niſi ex cauſa excuſentur obligat. Hoc eſt certum apud omnes. Dixi omnes Chriſtianos, quia cum hoc præceptum ſit Eccleſiaſticum ſolum obligat fideles. Dixi uſum rationis habentes, quia carentes uſu rationis non ſunt capaces præcepti. Dixi cuiuſcunque conditionis, quia omnes quantumcumque perfecti, indigent carnis maceratione. Dixi completo vigeſimo primo anno, nam ante illum adoleſcentes non obligat Eccleſia, quamvis poſt uſum rationis teneantur à carnibus abſtinere. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib.* 3. *cap.* 2. *d.* 6. *num.* 1. 138

Dixi, non obligat Eccleſia, nam etiam ante vigeſimum primum annum poſſunt obligari, ut ſi velint jubileum lucrari, cui annexum eſt ieiunium aliquorum dierum, vel ſi ieiunium à confeſſario pro ſatisfactione Sacramentali imponatur, quia in his caſibus urget ſpecialis ratio, ob quam non debet illa ætas excludi. Ita cum Joanne Sanctio, Paſcalige, Eſcobar *lib.* 44. *Decalogi num.* 77. Poſſunt 139

etiam

Digitized by Google

etiam obligari ante vigeſimum primum annum ex voto, vel regula ſi religioſi fiant, aſſumunt namque voluntariè hanc obligationem. ita cum Azor, & aliis Trull. *ibi* contra Aſſenium, Tamburinum *tomo 1. de jure Abbatum d. 12. quæſt. 2. num* 4. & cum Medina, Graſſio, Thomas Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap* 5 § 7. *num.* 6. Ratio illorum eſt, quia niſi contrarium expreſsè conſtet, lex religionis proportionari præſumitur cum lege Eccleſiæ. Et idem dicendum exiſtimant prædicti DD. quando regula præcipit ſuos religioſos, ut obſervent jejunia Eccleſiæ, nam cum eis non imponat novum præceptum ut illa obſervent, ut ſuppono, non eis vult imponere novam obligationem, ſed quam habent ex præcepto Eccleſiæ demonſtrare & in memoriam reducere, quæ quidem ſententia probabilis eſt.

140 Et idem, quod de adoleſcentibus ante vigeſimum primum annum dictum eſt, dicendum eſt de ſenibus, qui ſexageſimum annum attingunt, quamvis nondum illum compleverint. Ita præcitati Authores pro utraque opinione. Et idem dicendum eſt, in quibuſcunque votis de jejunando, etiamſi quis faceret votum jejunandi ſingulis Sabbatis in tota vita, nam etiam is excuſatur à jejunio cum ad ſexageſimum annum pervenit, vota enim jejunandi, niſi contrarium quis intendat, non præſumuntur facta, niſi juxta modum legis Eccleſiæ. Ita cum Sanchez, Layman, Fagundez, Diana, Tamburinus *ſuprà num.* 5 qui idem dicendum exiſtimant de jejunio ſubrogato à Pontifice pro voto caſtitatis, nam jejunium ſubrogatum à Pontifice in diſpenſatione voti caſtitatis debet commenſurari cum lege Eccleſiæ. Tum quia ſexagenarius vere, & intrinſecè infirmus eſt, etſi ſanus & robuſtus appareat, ſenectus enim ipſa eſt morbus. Sed ſi taliter diſpenſatus infirmaretur, non teneretur jejunare; ergo idem dicendum eſt ſi ſexagenarius factus eſt. Tamburinus *ſupra n.* 12. An autem fœminæ quæ attigerunt quinquageſimum annum liberæ ſint à jejunio? affirmat cum aliis Pelizarius, quos refert Diana 9. *p. tract.* 7. *reſol.* 73 *& tract.* 6. *reſol.* 16. Verum contrarium dicendum exiſtimo, quia de hoc non datur jus, nec conſuetudo. Ita Tamburinus *ſuprà num.* 5.

141 An autem tam adoleſcens, quam ſenex, teneantur jejunare in die quo adoleſcens implet vigeſimum primum annum, & ſenex ſexageſimum? Reſpondeo minime teneri, etiamſi adoleſcens natus fuerit in ipſa media nocte, & ſenex in eadem attigerit ſexageſimum annum? Et ratio eſt, quia jejunium reſpicit totum diem integrum, ſed ipſa hora duodecima mediæ noctis, tota pertinet ad ipſum diem, ſuppono enim in ipſa hora jam incepta, natum fuiſſe, vel attigiſſe ſexageſimum annum, & non antea: ergo cum in illa hora, poſſet libere comedere, non eſt privandus poſtea ſua refectione, ac per conſequens liber manet à jejunio. Ita cum Sanctio, Diana, Bonacina, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 7. *num* 2. & cum aliis Trullenc. *ſuprà num.* 1. Si tamen in medio quadrageſimæ adoleſcens compleverit vigeſimum primum annum, tenebitur ad jejunia ſequentia, ſicut ſenex ab eis liberabitur, ſi eodem die ſexageſimum annum attigerit. Ita cum Sanchez, Ledeſma, Tamburinus *ſupra num.* 4.

142 An autem adoleſcens, qui dubitat an expleverit vigeſimum primum annum, teneatur jejunare? Reſpondeo quod ſi facta diligentia non poteſt dubium expellere, non teneri jejunare, poſſidet enim ſuam libertatem. Ita cum Sanchez, Fagundez, Palao, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 1. Secus dicendum eſt de ſene, qui dubitat an attigerit ſexageſimum annum, nam tunc eſt præceptum in poſſeſſione contra libertatem. Tamburinus *lib.* 1. *Decalogi c.* 3. §. 7. *verbo ætas num.* 4. Si tamen quæras, quæ jejunia peregrini, & advenæ teneantur obſervare; vide quæ diximus de auditione miſſæ in die feſto in hoc tractatu *d.* 1. *ſect.* 2. & juxta ibi dicta de obligatione audiendi miſſam, idem dicendum eſt de obſervatione jejunij, & abſtinentia à carnibus.

SECTIO VIII.

De prima cauſa excuſante à jejunio quæ eſt impotentia.

SUMMARIUM.

143 *Prima cauſa excuſans à jejunio eſt impotentia non ſolum phyſica, ſed etiam moralis.*

144 *Quædam corollaria ponuntur.*

145 *Magna difficultas in jejunando non eſt cauſa ſufficiens ad excuſandum à jejunio.*

146 *Quid ſi procedat ex mala corporis diſpoſitione?*

147 *Prægnantes & lactentes pærvulos excuſantur à jejunio.*

148 *Pauperes, & mendici qui non poſſunt habere unum prandium completum excuſantur à jejunio.*

149 *Si pauperes non habeant cibos quadrageſimales poſſunt veſci carnibus, & quando id intelligendum ſit?*

150 *Qui non habet unde alat familiam poteſt laborare in die jejunij, ut familiam ſuſtentet, etiam non jejunando.*

Dico primo: Prima cauſa excuſans à jejunio 143
eſt impotentia, non ſolum phyſica, quando ſcilicet, quis nullo modo poteſt jejunare, ſed etiam moralis, ſeu prudentialis, quando ſcilicet quis non poteſt jejunare abſque gravi damno; Et hac ratione excuſantur pueri uſque ad vigeſimum primum annum completum, & ſenes à ſexageſimo anno, ut diximus ſectione præcedenti. Excuſantur 144
etiam infirmi, & convaleſcentes, ac debiles, & qui laborant dolore capitis, oculorum, vel ſtomachi, & qui patiuntur vertigines, & ſimiles, quod procedit etiamſi infirmitatem propria culpa contraxerint. Ita cum Fagundez, Villalobos, Bonacina, Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 7. *num.* 4. Idem dicendum eſt de eo, qui aliquid comedit, ut ſomnum neceſſarium capiat, aut capitis vertiginem, aut tremorem evitet. Ita cum Sylveſtro, & aliis Trullenc. *ibi num.* 4. Idem dicendum eſt de eo, qui non poteſt dormire per magnam noctis partem, vel non poteſt calefieri niſi cœnet, is enim poteſt cœnare, nec propter hoc tenetur mane accipere collationculam, ſed abſolute à jejunio deobligatur. Ita cum Fagundez, Sanchez, Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 7. *num.* 14.

Dico ſecundo: Magna difficultas in jejunando 145
non eſt cauſa ſufficiens ad excuſandum à jejunio, quando hæc difficultas procedit ex malo habitu, vel guloſitate, bene tamen ſi procedat ex mala corporis diſpoſitione, ut quia ſentit ſtomachi extraordinariam debilitatem, etiamſi procedat ex malo habitu multum comedendi, nam hæc debilitas ſtomachi jam eſt infirmitas. Ita Paſcaligus *deciſ.* 343. *num.* 3. Tamburinus *lib.* 4. *cap.* 5. §. 7. *num.* 47. Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi num.* 510. Adverte tamen 146
hujuſmodi

Digitized by Google

hujuſmodi dolorem ſtomachi, ſeu capitis, & debilitatem, debere eſſe per tempus conſiderabile, unde non quodlibet valetudinis detrimentum, ut habere duo cauteria vel extemporaneus, & brevis, & remiſſus dolor capitis eſt ſufficiens, ſed requiritur quod ſit rationabilis, tunc autem talis cenſebitur, quando operationes conſuetas cujuſlibet perſonæ impediat. Ita cum communi ſententia Tamburinus *ſuprà num.* 17. Non tamen eſt neceſſe, quod abſolute impediat, ſed ſufficit, quod quomodocunque impediat, ne poſſint commode exerceri. Ita & bene Eſcobar *lib.* 44. *Decalogi n.* 66.

147 Dico tertio: Prægnantes, & lactentes parvulos ſive ſint, vel non robuſtæ, excuſantur à jejunio. Ita cum Villalobos, Diana, & aliis multis Trullenc. *ſuprà n.* 5. & cum Navarro, Eſcobar, *lib.* 44. *Decalogi num.* 69. Immo ſi ex eo quod jejunent periclitetur fœtus, jejunando peccant mortaliter. Ita cum Navarro, Fagundez, Trullenc. *ibi.* Tenentur tamen à carnibus abſtinere, niſi prægnans aliquando vehementer carnem appetat; ita ut ſit periculum fœtus, vel quando parvulus graviter laborat, & ad ejus ſalutem eſt neceſſarium, ut nutrix carnem comedat, nam tunc etiam carnibus eis veſci licebit, ut puer ſalubre lac comedat. Trullenc. *ibi* Eſcobar *ſuprà n.* 70.

148 Dico quarto: Ex eodem capite excuſantur pauperes, & mendici qui non poſſunt habere unum prandium completum, nec ſuo tempore, etiamſi habeant panem, & aquam, vel etiam vinum. Tamburinus *lib.* 4. *Decalogi cap.* 5. §. 7. *n.* 34. Si tamen ſimul habeant aliquos parvos piſciculos, quos Luſitane dicimus, *ſardinhas*, & nuces, ficos, olivas, in quantitate ſufficienti ad prandium, non eos excuſarem, quomodo nec eos excuſat Tamburinus *ibi*. Secus ſi tantum habeant, duas ſardinhas ou hanſciois, vel tantum nuces, vel olera, nam hoc jejunium nimium corpus debilitaret; quod tamen non intendit Eccleſia. Ita cum Sanchez, Paſcaligus, Eſcobar, *lib.* 44. *Decalogi num.* 74.

149 Dico quinto: Si pauperes non habeant cibos quadrageſimales, poſſunt licite carnibus veſci, non enim intendit Eccleſia, ut quis ob jejunium periculum vitæ incurrat. Ita cum Navarro, Azor, Leſſio, Bonacina, & aliis, Trullenc. *ſuprà num.* 6. Diebus tamen quibus habent ſufficientem victum tenentur jejunare, niſi inedia præterita eos debilitatos reliquerit, ut indigeant refici. Sanchez in conſiliis *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *d.* 15. Hinc fit agricolas pauperes poſſe abſque ulla diſpenſatione quando neceſſitas eſt evidens comedere lacticinia in diebus prohibitis, etſi ſub mortali eſſent prohibita, quando alium cibum habere non poſſunt, bene tamen lacticinia. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſuprà n.* 6. & cum Paſcaligo Eſcobar *lib.* 45. *Decalogi n.* 196.

150 Immo addo quod ſi aliquis habeat unde vivat, non tamen unde alat familiam, vel ſolvat debita, poſſe licite laborare, etiamſi ſolvat jejunium, tum ut familiam ſuſtentet, tum ut debita ſolvat, obligatio enim alendi familiam, & reſtitutionis plus inſtat, quam lex jejunij. Immo ad hunc etiam finem, præcipue ad alendam familiam poterit etiam laborare die feſto ſecluſo ſcandalo, non tamen poterit omittere Miſſam, quia labor tam limitati temporis parum conducere poteſt ad alendam familiam, vel ſolvenda debita. Dixi præcipue ad alendam familiam, nam ad ſolvenda debita, non tenebitur laborare die feſto, ſicut pro alenda familia, quando neceſſitas premit, cum non præſumatur de creditore, quod velit debitorem obſtringere ad conquirendam pecuniam, tam extraordinario medio, ut ſibi debitum ſolvat. Ita & bene Tamburinus *ſuprà num.* 36. Trullenc. *ſuprà num.* 8.

SECTIO XI.

De ſecunda cauſa excuſante à jejunio quæ eſt labor.

SUMMARIUM.

151 *Secunda cauſa excuſans à jejunio eſt labor corporalis incompatibilis cum jejunio.*

152 *Numerantur qui ex hac cauſa excuſantur.*

153 *An hi qui excuſantur poſſint famulos, & operarios ad laborandum conducere cum conditione, ut laborantes non jejunent?*

154 *Excuſantur à jejunio curſores, iter pedibus agentes.*

155 *Quid de ſcriptoribus, notariis, pictoribus, nentibus, vel lanam, vel linum, famulis comitantibus dominum dicendum ſit?*

156 *An pedites itinerantes deobligentur à jejunio, & quando?*

157 *An peccet mortaliter qui libere, & non ex officio aſſumit labores incompatibiles cum jejunio.*

158 *Quid ſi labor aſſumatur ex aliqua cauſa notabili?*

Dico primo: ſecunda cauſa excuſans eſt labor, excuſantur igitur omnes laborantes corporaliter, ſi talis eſt labor ut non commode, compatiatur cum jejunio. Unde excuſãtur omnes, quoties oportet efficere aliquid incompatibile cum jejunio ad conſervationem vitæ, vel ſui ſtatus decorem, vel ad vitandum damnum notabile, vel ad lucrandum aliquid. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib.* 3. *Decalogi cap.* 2. *d.* 7. *num.* 9. Excuſantur ergo ratione laboris omnes, qui labore ſuo victitant, ut ſunt fere omnes, qui mechanicam artem exercent, ut ſunt agricolæ, fabri, lignarij, vel ferrarij, vel ſegmentarij, ſculptores, ſutores conficientes calceos, figuli, argentarij, aurifices, textores, fullones, laniarij, furnarij, coqui, qui pro pluribus habent fercula præparare, ita ut in his fere totam diem inſumant, molitores per totam diem molentes, ſi in aſportando triticum molendino, & colligendo farinam magnam diei partem inſumant, ſecus ſi bis importent molendino triticum; piſtores, typographi prelum verſantes, non tamen typos colligentes, quod procedit, etſi hi artifices divites ſint, ſiquidem has artes exercent ex officio, quibus neminem vult privare Eccleſia, & ſic declaravit Eugenius IV. Ita cum Bonacina, Sanchez, Sylveſter, Leſſio, Navarro, & aliis Trullenc. *ſuprà n.* 9. Eſcobar *lib.* 44 *num.* 82. 151 152

Immo addo hos omnes non ſolum poſſe laborare omittendo jejunium, ſed etiam famulos ad id etiam compellere, & cum hac conditione conducere operarios, ut eo die, quo labori incumbant non jejunent, dummodo labor talis ſit, ut non compatiatur cum jejunio. Ita cum Fagundez, Sanchez, Trullenc. *ſuprà num.* 9. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 13. Immo ſic laborantes non ſolum deobligantur à jejunio die, quo laborant, ſed etiam uno, vel alio die, quo à labore vacant, ſi ob præcedentis diei laborem debiles facti ſint, vel debilitatem contractari probabiliter videantur, unde officio ſuo rite fungi non poſſint, ſecus ſi per plures dies ab officio vacẽt. Ita 153

cum

cum Filliucio, Bonacina, Trullench. *ſuprà num.* 8. Eſcobar, *lib.* 44. *Decalog. num.* 83. Paſcaligus *deciſione* 193.

154 Dico ſecundò: excuſantur etiam à jejunio curſores, iter pedibus agentes, Luſitane, *correos, ou os, vinte ou ordinarios*, nautæ tota die remigantes, vel alia navis exercitia præſtantes, mercenarij, qui onuſti tota fere die per civitatem merces vendunt, ornantes templa, ſcalas huc, & illuc deportantes, ſed hæc omnia debent intelligi, dummodo hi officiales per magnam diei partem laborent; nam ſi per unam, vel duas horas prædictas artes mechanicas exerceant, non excuſabuntur à jejunio, niſi in aliquo caſu per accidens. Ita cum multis Tamburinus, *ſuprà n.* 21. & ſequentibus.

155 An autem ſcriptores, notarij, pictores, filum ex lana, vel lino nentes, famuli comitantes dominum per urbem moderate, etiam cum rheda obambulantem, iter lectica, navi, equo pergentes, cantores, ſartores, ancillæ levia domus exercitia præſtantes, medici, chirurgi, advocati, procuratores, ſcolaſtici, & ſimiles deobligentur à jejunio? minimè exiſtimo per ſe excuſari, quia hujuſmodi artes non ſunt ex ſe nimium laborioſæ. Ita & bene Tamburinus, *ſuprà num.* 25. Poterunt tamen aliquando excuſari per accidens, ut ſi quis equo feroci, vel multum corpus vexanti, tota die incederet, vel ſi ſcholaſticus nimium ſtudio operam expediat, vel advocatus tota die ſuo muneri incumbat, vel ſi notarius, aut ſecretarius principis, tota die ſuo munere occupetur, vel ſi medicus, vel chirurgus tota die infirmos inviſat, vel timeant contagium infirmorum: nam tunc per accidens ob nimium laborem excuſantur. Ita cum Diana, utroque Sanctio, Paſcaligo, Leandro, & aliis multis Eſcobar, *lib.* 45. *Decalog. num.* 500. Tamburinus, *ſuprà num.* 25.

156 An autem pedibus itinerantes deobligentur à jejunio? Reſpondeo deobligari, ſi per majorem partem diei itinerentur, ſecus ſi iter eſſet breve, v.g. unius, vel duarum leucarum: nam tunc ſolum per accidens excuſarentur, ſicut etiam excuſarentur equo, vel lectica, aut curru iter facientes, ſi iter longum eſſet, & incedentes debilitatem ſentirent. Ita cum Sanchez, & aliis Trullench. *ſuprà n.* 12. & cum aliis Eſcobar, *lib.* 44. *Decalog. n.* 85. An autem barbitonſores excuſentur à jejunio? Reſpondeo per ſe minime excuſari, cum eorum ars non ſit nimis laborioſa, aliquando tamen per accidens excuſabuntur, ut ſi per majorem partem diei ſtantes laborent. Ita Tamburinus, *ſuprà num.* 29. & cum Leſſio, Azor, Sanchez, Trullench. *ſuprà num.* 9. Eſcobar, *lib.* 44. *Decalog. n.* 85. quamvis Saa, & Fagundez, quos refert, & probabile putat Trullench. *ibi*, exiſtiment omnes artifices indiſcriminatim excuſari à jejunio diebus, quibus laborant ex privilegio Eugenij IV. quod tamen non admitto, niſi in artificibus artes laborioſas exercentibus. Ita Tamburinus, *ſuprà num.* 29. & cum Sanchez, Azor, Leſſio, probabilius putat Trullench, *ſuprà num.* 9.

157 An autem peccet mortaliter contra jejunij præceptum, qui labores licitos incompatibiles cum jejunio, non ex officio, ſed voluntate aſſumit, ea intentione ut liber ſit ab obligatione jejunij? Reſpondeo peccare mortaliter non quando poſt defatigationem non jejunat, ſed quando aſſumpſit labores incompatibiles cum jejunio. Ratio eſt, quia fraude uſus eſt ad præceptum non obſervandum, quod minime licet. Ita cum Azor, Pelao, Henriquez, Diana, Villalobos, Sanchez, Boſio, Layman, Trullenc. Eſcobar, *lib.* 45. *Decalog. n.* 506. Et idem dicendum eſt, quando non ea intentione, ſed ſine cauſa ſufficienti, aſſumpſit prædictos labores, prævidens ſe cum illis non poſſe jejunare, ut ſi quis pedeſter ad venandum ſolùm ob voluptatem ſe confert, vel pila ludat, vel aſtillo vacet, & multo magis ſi cum peccato, ut ſi ad furandum, vel fornicandum pedeſter iter arripiat eodem die jejunij. Secus ſi tempore remoto, ut ſi die antecedenti id faceret, & poſtea forte exurgeret neceſſitas non jejunandi. Ita cum aliis Tamburinus, *ſuprà n.* 30. & cum Azor, Reginaldo, Trullench. *lib.* 3. *Decalog. c.* 2. *d.* 7. *n.* 14. & 11. contra Ledeſmam, Filliucium, Dianam, Bonacinam, quos refert, & ſequitur Eſcobar, *ſuprà n.* 28. qui dicunt talem ſic laborantem, etiam eo fine malo, peccare contra virtutem, cui finis inhoneſtus opponitur, non tamen contra præceptum jejunij. Sed à noſtra ſententia non eſt recedendum: nam taliter agens non ſolùm operatur contra virtutem, cui finis inhoneſtus opponitur, ſed ponit impedimentum executioni præcepti, quando illud urget, vel impedit, ut urgeat per cauſam, cujus poſitio nulla ratione honeſtatur, ut recte probat Palaus de legibus, *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 21.

Secus dicendum exiſtimo, quando labor honeſtus 158
aſſumitur ex aliqua cauſa notabili, ut ſi deficiente templi ornatore, aliquis cum labore nimio ornaret, ne feſtum relinqueretur, ſi ad exemplum ſe flagellis uſque ad nimiam effuſionem ſanguinis cæderet, ſi pedeſter iter arriperet ad ſacram imaginem inviſendam, ſi ad ſerviendum infirmis totum diem etiam cum proprio lucro inſumeret. Ita cum utroque Sanctio, Leſſio, Filliucio, Tamburinus, *lib.* 4. *cap.* 5. §. 7. *n.* 3. Et idem dicendum eſt, ſi propter alicujus magni damni vitandi cauſa, vel ad acquirendum magnum lucrum, quis cogitur laborare, & defatigatio ſequitur, cum enim detur tanta cauſa, cenſetur indulgere Eccleſia. Ita cum Filliucio, Leſſio, Trullench. *lib.* 3. *cap.* 2. *d.* 7. *n.* 13. Tamburinus, *ſuprà n.* 30.

SECTIO X.

De tertia cauſa excuſante à jejunio quæ eſt pietas.

SUMMARIUM.

159 *Certa cauſa excuſans à jejunio eſt pietas.*
160 *Quoddam corollarium ponitur.*
161 *Concionatores quando excuſentur à jejunio.*
162 *Confeſſarij quando excuſentur à jejunio?*
163 *Conjux quando excuſetur à jejunio?*
164 *An puella nubere volens ſi jejunando deformis reddatur, an tentatur ad jejunium?*

Dico primò: tertia cauſa excuſans à jejunio eſt 159
pietas, ob illam excuſantur à jejunio omnes pietatis opera exercentes, ſive ex voto, ſive ex præcepto, ſive voluntarie ex devotione, ob communem utilitatem illa ſuſcipiant, ſi illa ſimul cum jejunio exercere non poſſint. Ita cum communi ſententia Eſcobar, *lib.* 45. *Decalog. n.* 92. Ratio eſt, quia jejunium præcipitur, ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni, ſed opera pietatis ſunt majus bonum, quam jejunium: ergo, &c.

Hinc excuſantur concionatores, qui ſingulis die- 160
bus in quadrageſima, vel qui ter, quaterve in hebdomada concionantur, quia hoc miniſterium vividas requirit vires, quæ jejunio atteruntur; ſecus dicendum eſt de his, qui ſemel tantum, vel bis in hebdomada concionantur, niſi eſſent debilis, & delicatæ complexionis: nam tum per accidens ratione debilitatis nō ſolùm pro eodem die poſſent omittere

jejunium, ſed etiam pro die antecedenti. Ita cum Diana, Tamburinus, *lib.4. Decalog.cap.5.§.7.n.16.* & cum Sanchez Trullench. *lib.3.c.2.d.7. n.15.* & cum aliis Eſcobar, *lib.45. Decalog.n.4. q.3.* quod verum eſt, etſi ob mercedem prædicent. Ita cum Sanchez, Trullench. Diana, & aliis Eſcobar, *ſuprà n.483.* Quamvis non deſint etiam DD. qui excuſent concionatorem à jejunio non ſolum in die, quo concionatur, ſed etiam in veſpere illius, etiamſi ſemel in hebdomada, menſe, vel anno concionetur. Ita Paſcaligus, *deciſione 326. n.7.* & cum Sanchez, Henriquez, Eſcobar, *ſuprà num.487.*

162 Secundò, excuſantur confeſſarij non ſolùm, qui ex officio, vel obedientia, ſed voluntarie tota die confeſſionibus audiendis interſunt, ſi cum prædicto labore non poſſint ſimul commode jejunare, quia melius eſt confeſſiones audire, quam jejunare. Ita cum Trullench. Bonacina, Diana, Sanchez, Eſcobar, *lib.45. Decalog.n.491.* Secus dicendum eſt, ſi cum confeſſionibus audiendis poſſent ſimul commode jejunare. Ita Tamburinus, *lib.4.c.5.§.7.n.2.* Et idem dicendum eſt de lectoribus, cujuſcunque ſcientiæ, etiam qui plures lectiones more ſolito legunt; ita Tamburinus, *lib.4. Decalog.c.5.§.7.n.25.* Sanchez, *lib.5.conſiliorum c.1.d.3.n.7.* Villalobos, *p.1.tr.23. d.4. n.5.* Excipe diem quo concluſiones publicas, ſeu privatas faciunt, vel aliquam lectionem cum magno ſtudio antecedenti, & plauſa legunt, ſi magno conatu in reſpondendo, & ſpeculando utantur. Ita Paſcaligus, *deciſione 327. num.4.* & 5. Eſcobar, *lib.45. Decalog.n.494.*

163 Tertiò excuſatur conjux, qui cum jejunio debitum reddere conjugi non valet: potius enim obligat præceptum juſtitiæ reddendi debitum, quam præceptum jejunij. Ita cum Sanchez, Bonacina, Paſcaligo, Eſcobar, *lib.45. Decalog.n.97.* Adverte tamen conjugem non teneri reddere debitum, niſi moderate; unde non poteſt omittere jejunium, ut potentior fiat ad copulam, ſed ſolum ad reddendum debitum moderate, quia ad id ſolum tenetur conjux, non vero ad petendum debitum; unde ſolum propter redditionem debiti moderatam poterit omittere jejunium, quando ad id ejus omiſſio neceſſaria fuerit. Tamburinus, *lib.4. Decalog.c.5.§.7. num.40.* Excipe niſi advertat conjux periculum incontinentiæ in alio: nam tunc poterit etiam omittere jejunium, ut petat, vel ad vitandam aliquam ſuſpicionem, eo quod non petat Tamburinus, *ibi n.41.* poterit etiam uxor omittere jejunium, ſi ex jejunio reddatur extraordinarie pallida, & confecta, ita ut timor rationabilis ſit, ut à marito minus ametur. Ita cum utroque Sanctio, Tamburinus, *ibi n.42.*

164 Excuſatur tandem à ejunio puella nubere volens, ſi ex continuo jejunio quadrageſimæ eſſet deformis notabiliter reddenda, quia formæ injuria in ordine ad conjugium notabile malum cenſetur, unde poterit aliquos dies quadrageſimæ non jejunare, ſi id ſufficiat; tenetur tamen intra annum in vigiliis jejunare, niſi adeo ſit debilis complexionis, ut ſolum unius diei jejunium notabiliter formam muliebrem ædat. Ita cum Paſcaligo, Sanchez, Fagundez, Eſcobar, *lib.45.n.101.* Tamburinus, *ſuprà n.45.*

SECTIO XI.

De quarta cauſa excuſante à jejunio, quæ eſt juſtus metus.

SUMMARIUM.

165 *Quarta cauſa excuſans à jejunio eſt metus cadens in virum conſtantem.*

166 *Ponitur quoddam corollarium.*

167 *Quid ſi vir hæreticus abſque religionis contemptu compellat uxorem non jejunare?*

168 *Quid dicendum de captivis apud barbaros, ſi eis alij ſibi non apponuntur?*

165 DIco primò: quarta cauſa excuſans à jejunio eſt juſtus metus, qualis eſt cadens in virum conſtantem, ut periculum mortis, ſervitutis, captivitatis, carceris, tormentorum, jacturæ bonorum, vel alterius mali gravis. Sic uxor excuſatur à jejunio, ſi vir rixoſus, & ſeditioſus ob id eam male tractat, vel ſi ei præcipiat, ut non jejunet, dummodo rixæ, & diſcordiæ timeantur, ſecus ſi non timeantur rixæ, quamvis enim peccet vir, quando id ſine ſufficienti cauſa præcipit, ſi tamen uxor obediendo dummodo vir non faciat id in contemptum Religionis. Ita cum Sanch. Fagundez, Tamburinus, *lib.4. Decalog. c.5.§.7.n.43.* Eſcobar, *lib.45. Decalog. n.99.*

166

167 Idem dicendum eſt ſi vir hæreticus ſub minus, abſque religionis contemptu, uxorem fidelem jejunare prohibeat, eo quod nollet alios cibos quadrageſimales parare. Ita cum Azor, Fagund. Trullench. Tamburinus, *ſuprà n.44.* Eſcobar, *ſuprà n.100.* Et idem dicendum eſt de Chriſtianis tranſeuntibus per terras infidelium, ſi ex eo, quod cibos vetitos rejiciant ſe prodant, cum vitæ periculo, dummodo abſit fidei contemptus. Et idem dicendum eſt, ſi aliud malum grave timeant. Unde ſervi, vel remigantes Chriſtiani, qui timent male tractari à dominis ſi ieiunent, vel ſi cibos prohibitos non tenentur ieiunare, & poſſunt prædictos cibos vetitos manducare, dummodo abſit fidei contemptus. Et idem dicendum eſt, ſi eis alii cibi quam vetiti non apponantur. Ita cum Azor, Villalobos, Trullench. *lib.3. c.2.d.7.n.22.* Tamburinus, *ſuprà n.48.*

168

SECTIO XII.

De quinta cauſa excuſante à jejunio, quæ eſt diſpenſatio.

SUMMARIUM.

169 *Quinta cauſa excuſans à jejunio eſt diſpenſatio ſuperioris.*

170 *Pontifex poteſt concedere hanc diſpenſationem, & quomodo.*

171 *Quilibet etiam ſine alia cauſa poteſt petere à Papa jejunij diſpenſationem.*

172 *Epiſcopi, & gaudentes Epiſcoporum juriſdictione, & prælati regulares poſſunt in hoc diſpenſare cum ſuis ſubditis.*

173 *Idem poteſt facere Parochus, etiam præſente Epiſcopo.*

174 *An Prælatus teneatur quoties ab eo poſtulatur concedere hanc diſpenſationem?*

175 *An occurrente aliqua cauſa poſſit Epiſcopus diſpenſare in jejuniis quadrageſimæ pro tota diœceſi?*

176 *An poſſit transferre jejunium vigiliæ S. Mathiæ, ſi incidat in diebus bacchanalibus?*

177 *Ad has diſpenſationes ſemper requiritur cauſa.*

178 *Confeſſarius, medicus, & abbatiſſa poſſunt declarare aliquo caſu non obligare jejunium.*

179 *Qui bona fide putat ſe habere cauſam licitam jejunandi, quam revera non habet non peccat non jejunando.*

169 DIco primò: quinta cauſa excuſans à jejunio eſt diſpenſatio. Hæc autem concedi poteſt valide

à

à summo Pontifice, non solùm concedendo alicui, ut nunquam jejunet, sed etiam legem jejunij generatim omnino auferendo, est enim Papa super hoc
170 præceptum, cum tantum sit de jure canonico. Hæc tamen jejunij generalis abrogatio proculdubio illicita mortaliter foret, quia est in præjudicium boni communis, & nulla posset ad id causa justa allegari. Ita & bene Escobar, *lib.45. Decalog. num.565*. Et idem dicendum est si cum aliquo particulari, vel aliquibus, sine causa dispensaret in lege jejunij, esset enim etiam contra bonum commune. Ita cum Sanctio, Reginaldo, Diana, Leandro, & aliis Escobar, *suprà num.568.* & cum aliis Trullench. *lib.3. Decalog. cap.2.d.7.num.18.* Tamburinus, *lib.4. Decalog. cap.5.§.7.num.53.* contra Salas, Valentiam, Villalobos, Palaum, & alios, quos ibi refert Trullench. qui tantum existimant Pontificem solum peccare in hoc casu venialiter. Imò Tamburinus, *ubi suprà*, etiam à veniali Pontificem excusat, si ad dispensandum moveatur ex sua benignitate, nam similes dispensationes pro persona particulari non lædunt bonum commune, & ipsi bono communi convenit, ut princeps aliquando se benignum ostendat. Et idem concedit de Episcopo respectu jejunij Diœcesani, non tamen universalis.

171 Et hinc colligit idem Tamburinus, *suprà n.54.* posse quempiam à Pontifice, etiam sine alia causa licite petere dispensationem à jejunio, quia semper in eo adest causa benignitatis, quam respicere potest, si velit, unde si eam concesserit, potest dispensatus ea uti, sine ullo peccato. Tum quia jam cum causa à lege absolutus est. Tum quia dispensatio sine causa concessa à legitimo superiore est valida, sed uti dispensatione valida non est peccatum: ergo. Et ita etiam tenet cum Sanchez, Vasquio, Suario, & aliis Escobar, *lib.45. Decalog.n.585.*

172 Dico secundò: Episcopi, & omnes gaudentes Episcoporum jurisdictione pro suis subditis, & prælati regulares pro suis, possunt dispensare non solùm in jejuniis propriis juris, sed etiam in jejuniis lege universali institutis, in esu carnium, & ovorum, & ut horam prandij anticipent; nam quando non est recursus ad superiorem, casusque dispensandi est frequens, potest prælatus inferior dispensare in lege superioris, causa existente ex parte subditi, cum quo est dispensandum. Ita cum Suario, utroque Sanctio, Fagundez, Tamburino, & aliis Escobar, *lib.45. Decalog. num10.*

173 Et idem potest facere parochus, etiam præsente Episcopo, propter præscriptam consuetudinem. Ita cum utroque Sanctio, Tamburinus, *suprà num.56.* Pascaligus, *decisione 387. num.3.* Trullench. *lib.3. Decalog. cap.2. d.7. num.8.* Suarez, de legibus, *lib.6 cap.14.* Valentia, *tom.3. d.9. quæst.2. p.2.* Et idem possunt prædicti omnes facere cum se ipsis, sive immediate per se ipsos, sive mediate per suos legatos, vel confessores. Ita Palaus, *tom.1 tract.3. d.7. §.1.n.2.* Diana, *p.1. tract.9. resol.15.* & cum Layman, Azorio, Tamburino, Thomas Tamburinus, *suprà n.57.* Escobar, *lib.45. Decalog. num.59.*

174 An autem Prælatus teneatur toties quoties subditus petierit dispensationem causa rationabili existente eam concedere? Affirmat cum multis Sanctius *in electis d.43. num.8.* Verum melius tamen alij negant in universum, sed solum id admittunt, quando causa est evidens, & certa, & est periculum, quod subditus violet jejunium. Ita cum Palao, Suario, Pascaligo, & aliis Escobar, *lib.45. Decalog. num.581.*

An autem possit Episcopus occurrenti aliqua gravi causa pro tota Diœcesi aliquando dispensare in jejunio, v.g. quadragesimæ? Respondeo affirmative, & sic factum est Panormi, grassante peste, & Messanæ, premente fame, teste Tamburino, *suprà num.58.* potest etiam Episcopus ex causa transferre jejunium in alium diem, ut si festum Patroni, civitatis incidat in die jejunij, potest Episcopus ieiunium transferre in aliam diem antecedentem. Ita Tamburinus, *suprà num.58.* & cum Trullench. Azor, Pascaligo, Sanchez, Layman, & aliis Escobar, *lib.45. Decalog. num.594.* Et idem possunt facere prælati regulares de consensu sui capituli in die Patroni, Ordinis, si incidat in diem ieiunii. Ita cum Pelizario, Bordono, Layman, ego ipse in nostro directorio regularium *p.3. tract.4.d.4.n.256.* 175

Imò Escobar, *lib.45. Decalog. num.597.* existimat posse Episcopum transferre ieiunium S. Mathiæ incidens in aliquem diem ex duobus ultimis Bacchanalium, in alium diem, & ita affirmat etiam Pascaligus, *decisione 180.num.2.* Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo cum Diana, *p.10. tract.16. resol.7.* Leandro *tract.5.d.10.quæst.42.* non enim apparet causa sufficiens, nam si daretur, Pontifex illud transtulisset, sicut transtulit vigiliam S. Joannis incidentem in diem corporis Christi. 176

Adverte tamen pro huiusmodi dispensationibus, quod licet ad dispensandum semper aliqua causa requiratur, non esse tamen necesse, ut sit causa totaliter excusans à ieiunio, sed aliquo modo insufficienter excusans, vel si sit dubia & ratio est, quia si causa est magna, & gravis non indiget dispensatione, si nulla, non potest dispensatio licite dari: ergo ut potestas dispensandi aliquid operetur, requiritur, ut causa non sit adeo gravis, vel sufficit, quod sit dubia. Ita cum Azor, Sanchez, Filliucio, Fagundez, Trullench. *lib.3.cap.2.d.7.n.19.* 177

Tandem adverte, quod licet confessarius, Medicus, vel Abbatissa, non possint dispensare in lege ieiunii, cum non habeant iurisdictionem spiritualem, posse tamen declarare in aliquo casu ad esse causam sufficientem omittendi ieiunium, vel carnes comedendi, quod etiam ipsemet subditus potest bona fide efficere, cum horum, vel alterius viri prudentis desit consilium, Tamburinus, *suprà num.63.* Quod si dubitet, an causam ieiunandi habeat, tenetur ieiunare, quia possessio stat pro ieiunii lege. Ita cum Sanchez, Toleto, Lessio, Leander, *lib.45. numer.107.* & *lib.45. num.513.* contra Pascaligum, *decisione 344. num.4.* 178

Hoc solum addiderim, quod si quis bona fide putet se habere causam iustam non ieiunandi, quam re vera non habet, non peccare mortaliter, nec venialiter, si non ieiunet, nam operatio quæ ex iusta ratione ortum duxit, non est peccaminosa. Ita cum Vasquio, Toleto, Suario, Filliucio, & aliis communiter Escobar, *lib.45. Decalog. num.513.* 179

TRACTATUS SEPTIMUS,

DE QVARTO PRÆCEPTO DECALOGI, HONORA Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.

CVM in hoc præcepto nomine parentum non ſolùm intelligantur illi, qui nos carnaliter genuerunt, ſed etiam ſuperiores, ut ſunt prælati Eccleſiæ erga ſubditos, Domini reſpectu ſervorum, principes erga vaſſallos, viri reſpectu uxorum, magiſtri reſpectu diſcipulorum, ideo in hoc tractatu de omnibus in ſuo ordine dicendum eſt. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De obligatione filiorum erga parentes, & parentum erga filios.

QVATUOR potiſſimum ſunt quibus filij parentes honorare tenentur, videlicet amor, reverentia, obedientia, & ſubventio in ſpiritualibus & temporalibus. Patres vero reſpectu filiorum tenentur illorum curam habere, hæc autem cura præcipuè conſiſtit ut filiis in ſpiritualibus & temporalibus provideant de neceſſariis: ut igitur clarius procedamus: ſit

SECTIO I.

Quomodo filij teneantur parentes diligere?

SUMMARIUM.

1 *Filius tenetur parentes diligere.*
2 *In quo conſiſtat hic amor?*
3 *Filij qui parentes odio proſequuntur peccant mortaliter.*
4 *Tenentur hanc circunſtantiam in confeſſione explicare.*

1 DIco primò: certum eſt filios teneri parentes amore proſequi, nam ſi etiam inimicus diligendus eſt, quanto magis parentes qui nos genuerunt; hic autem amor conſiſtit in odij fuga; & deſiderio boni. Primum pertinet ad præceptum negativum, & obligat ſemper, ita ut nunquam liceat parentes odio habere, ſicut nec alios proximos. Secundum pertinet ad præceptum affirmativum ratione cujus filij tenentur parentes diligere actu interno, eis bona ſpiritualia, & temporalia operando, tum etiam in actu externo, qui conſiſtit in exhibitione ſignorum amoris, ſaltem cum ſubeſt neceſſitas.

3 Hinc fit peccare mortaliter filios qui parentes odio proſequuntur, vel aliquod malum animæ, vel corpori exoptant, ut ſi illis mortem exoptent ut quam primum ineant hæreditatem, vel eos torvo oculo ſemper intueantur, ac ita aſpera loquantur, ac ſi eos odio haberent, quamvis forte eos interius diligant. Unde tenentur hanc circunſtantiam in confeſſione aperire, quia habet malitiam pietati parentibus debitæ oppoſitam. Ita cum Saïro, Villalobos, Navarro, Bonacina, Trullench. *lib. 3. cap. 1. d. 2. num. 3.* & cum Reginaldo, Filliucio, Eſcobar, *lib. 31. Decalog. num. 2.* Tamburinus, *lib. 5. Decalog. cap. 2. §. 2. num. 4.* 4

SECTIO II.

De reverentia à filiis parentibus præſtanda.

SUMMARIUM.

5 *Filij tenentur parentibus reverentiam exhibere.*
6 *Filius qui parentes percutit peccat mortaliter.*
7 *Idem dicendum eſt ſi eis maledicat.*
8 *Idem ſi ex contemptu non cognoſcat Patrem.*
9 *Filius qui parentes de aliquo crimine accuſat excepto crimine divina, vel humanæ majeſtatis peccat mortaliter.*
10 *Non poteſt filius Patrem præſcriptum occidere.*
11 *Quid ſi Pater ſumeret arma in Patriam?*

DIco primò: filij tenentur parentibus reverentiam exhibere non ſolùm actu interno, quæ conſiſtit in recognitione ſuperioritatis per timorem quendam filialem, ſed etiam actu externo, quæ conſiſtit in verbis & ſignis v. g. honorifice loquendo, non detrahendo de parentibus, aſſurgendo, caput inclinando, famulando, impediendo damna, &c. ita Navarr. *c. 14. n. 12.* & alij communiter. 5

Hinc fit peccare mortaliter filium qui parentes percutit, etiam leviter, vel ſi tantum elevet manum cum ſufficienti deliberatione ad percutiendum, niſi forte id faceret ad ſe defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ad defendendam patriam. Ita cum Reginaldo, Filliucio, & aliis Trullenc. *lib. 3. c. 1. d. 2. num. 5.* Idem dicendum eſt ſi maledicat parentibus, ſive vivis, ſive mortuis, vel ſi eos contumeliis afficiat, ſi eos graviter increpent, vel aſpere, & dure tractent, & in gravem iram provocent. Ita cum communi ſententia Trullench. *ſuprà num. 6.* & 7. Tamburinus, *ſuprà n. 12.* & 13. Et idem dicendum eſt ſi ex contemptu non cognoſcat Patrem ob ejus inopiam, ſecus ſi id faciat ad vitandum aliquod incommodum, vel erubeſcentiam; Tamburinus, *ſuprà num. 17.* & cum Azorio, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 8.* vel ſi id faciat eo quod fuerint hæretici proditores, aut infames, juſtam enim habet cauſam filius dedignationis cum bonum commune privato ſit præferendum. Ita cum Bonacina, Azor, Filliucio, Trullench. *ſuprà n. 8.* 6 7 8

Secundò fit peccare mortaliter filium qui parentes de aliquo crimine accuſat, ſive civiliter, ſive criminaliter, 9

Digitized by Google

minaliter etiamsi crimen verum sit, excepto tamen crimine læsæ majestatis divinæ per hæresim, vel humanæ per conspirationem advertus principem, vel proditionis reipublicæ, ut bene cum Symancas, Alphonso à Castro, Navarr Saito, Salon. Sanchez, Suario, & aliis tenet Trullenc. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 2. *d.* 6. *num.* 11. *& lib.* 3. *c.* 1. *dub.* 1. *num* 9. Tamburinus, *supra num.* 14 Non poterit tamen filius Patrem præ-
10 scriptum à principe, cum facultate ut impune possit occidi, interficere, quia id pietati & charitati parentibus debitæ repugnat. Ita cum Azor, Filliucio, & aliis Trullenc. *suprà num.* 10. & cum aliis
11 Tamburinus, *suprà num.* 16. Quid si Pater sumeret arma contra patriam vel principem, tunc posset filius alimenta ei denegare, non tamen occidere, nisi nullum aliud remedium suppeteret; nam tunc bonum commune privato esset præferendum, Dicastillus, *lib.* 2. *de justitia, tract.* 1. *d.* 10. *num.* 13. Tamburinus, *suprà num.* 16.

SECTIO III.

De obedientia à filiis parentibus præstanda.

SUMMARIUM.

12 *Filij tenentur parentibus obedientiam præstare in illis in quibus sunt eis subjecti.*
13 *Filius non tenetur in rebus pravis parentibus obedire.*
14 *Non tenetur eis obedire in his quæ pertinent ad vitæ statum. & quomodo hoc sit intelligendum?*
15 *An pater possit compellere filium ad matrimonium?*
16 *Quid si Pater impediat filium à religione vi, vel fraude.*
17 *Quid si solum precibus vel promissionibus averteret, etiam filium à religione?*

12 Dico primò: filij tenentur sub mortali parentibus obedientiam præstare in his in quibus sunt illi subjecti, v. g. in his quæ ad domesticam gubernationem pertinent modo res sit gravis & ad bonos mores, animæque salutem, ut in pravis amicitiis vitandis in meretricibus, ludis, & contractibus prohibitis &c. fugiendis, quod maxime procedit si ex contemptu, & animi pertinacia fiat. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 3. *cap.* 1. *d.* 2. *n.* 11. Tamburinus, *lib.* 5. *cap.* 2. §. 2. *num.* 8. Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 5. Excusari tamen potest inadvertentia, vel materiæ levitas, vel si Patris non præcedat præceptum, sed tantum admonitio, etiam replicata; Tamburinus, *suprà num.* 18. Trullenc. *suprà num.* 11.
13 Dico secundò: filius non tenetur in rebus pravis parentibus obedire, præceptum enim Dei præcepto Patris præferendum est, nec tenetur patribus obedire in his quæ pertinent ad vitæ statum, nam in status electione liber est, sive fiat clericus, sive religiosus,
14 sive ducat uxorem, dummodo uxorem, ducat dignam, nam si ducat indignam contra voluntatem Patris probabilior sententia docet esse mortale. Ita cum Saito, Bonacina, Navarro, & aliis Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 6. & cum aliis Trullenc. *suprà num.* 13. quamvis contrarium probabiliter teneat Tamburinus *lib.* 5. *Decalog. cap.* 2. §. 3. *num.* 5. sive filius, vel filia sit viginti quinque annis, sive non: nam in his quæ pertinent ad vitæ statum filius non subjicitur parentibus, ut ait D. Th. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. in corpore. Excipe si ex tali matrimonio timeantur gravia mala, vel scandala vel incommoda, nam si ex illo hæc timerentur peccaret filius, vel filia sic nubens indigno contra charitatem, non tamen contra obedientiam. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *ibi num.* 6. illud tamen adverte conveniens esse ut filius à Patre saltem consilium peteret, quamvis non teneatur in electione status sequi ejus consilium, nisi velit ducere indignam, nam tunc satius foret, in opinione Tamburini, id patrem ignorare, ne coràm ejus authoritas à filio delpiciatur. Tamburinus, *suprà num.* 6.

An autem Pater possit filium compellere ad ma- 15
trimonium? Respondeo negative: nam filiis liberum est quem velint, statum eligere Ita cum communi sententia Sanchez, *lib.* 4. *de matrim. d.* 22. *n.* 4. Tamburinus, *suprà* § 4. *num.* 2. Imò Pater qui fraude, vel vi, aut injuria impedit ingressum, vel consulit egressum filio religioso, etiam novitio à religione peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem de quibus si placet vide quæ dixi in nostro directorio regularium *p.* 2. *tract.* 3. *d.* 2. *num.* 18. ne eadem repetamus. Imò in Tridentino, *sess.* 25. *de regulari-* 16
bus cap. 18. anathematizantur impedientes, etiam metu reverentiali, ut ddcet Tamburinus, *suprà numero* 3. mulieres ab ingressu religionis, vel cogentes ad ingressum, de quo vide etiam quæ dixi in nostro directorio loco citato vide, etiam Tamburinum, *suprà num.* 8.

Dixi qui vi, fraude, vel injuria, nam qui solum 17
precibus vel promissionibus aliquem, etiam fœminam averteret ab ingressu religionis, nec peccaret mortaliter contra justitiam, nec incurreret prædictam excommunicationem Trid. nec teneretur ad restitutionem, faceret tamen contra charitatem, nisi aliqua esset causa excusans, ut necessitas extrema parentum, nocumentum ipsius ingredientis, vel religionis, & aliæ quas numerat Molina, *tom.* 5. *de justitia tract.* 4. *d.* 51. de quibus etiamsi placet vide quæ dixi in nostro directorio regularium, *loco citato num.* 12. & ita docet etiam Suarez, *tom.* 3. *de religione, lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 9. Tamburinus, *suprà num.* 7.

SECTIO IV.

Quomodo filij teneantur subvenire parentibus; tam in necessitate spirituali, quam corporali.

SUMMARIUM.

18 *Filij tenentur subvenire parentibus, tam in necessitate spirituali quam corporali, modo eis subvenire possint.*
19 *Filius si sit hæres Patris, tenetur ejus debita, & legata solvere post acceptam hæreditatem.*
20 *An filius teneatur ex bonis vinculatis solvere debita Patris?*
21 *Quid sit de jure Lusitano?*
22 *Quid si majoratus sit institutus ex bonis liberis?*
23 *Filius etiam ex eorum damnato tenetur parentes Catholicos egenos sustentare.*
24 *Quid si sint pagani, Judæi &c.*
25 *Quid si Pater paganus, vel Judæus sit in extrema necessitate?*
26 *Filij qui relictis parentibus in gravi, vel extrema necessitate religionem ingrediuntur, ubi eis non possunt subvenire, peccant mortaliter.*
27 *Filius professus religionem potest petita, & non obtenta licentia exire ad parentibus in gravi necessitate constitutis subveniendum.*

Digitized by Google

18 *Parentibus & creditoribus ad extremam neceſſitatem redactis, tenentur filij, potius parentibus quam creditoribus ſubvenire, quando utriſque ſubvenire non poſſunt.*

18 DIco primò: filij tenentur ſubvenire parentibus tam in neceſſitate ſpirituali quam corporali, modo eis ſubvenire poſſint, amor enim debitus parentibus totum id expoſtulat ut notat D. T. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. & alij communiter DD. Vnde graviter peccat filius qui non curat ut in articulo mortis parentibus ſacramenta miniſtrentur, ſi prohibeat ut pia legata faciant, etſi eorum voluntatem à gerenda reſtitutione avertant, ſi eos abducant ne quid rationi conſonum pauperibus, vel piis operibus pro ſalute animæ relinquant, ſi eorum corpora ſepulturæ cum debito funere mandari non curent, ſi in teſtamento à patribus diſpoſita circa æs alienũ, vel legata quam primum poſſibile fuerit non adimplent. Ita cum Reginaldo, Filliucio, Eſcobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 3. & 10. & cum Navarro, Tamburinus, *lib.* 3. *Decalogi. cap.* 1. *d.* 2. *num.* 15.

19 Adverte tamen quod ut filius teneatur debita & legata parentum ſolvere debet eſſe illorum hæres, & poſt occupatam hæreditatem, & juxta vires hereditatis, nam ſi filius nulla alia bona à Patre hæreditavit non tenetur ex propriis bonis debita, etiam quæ fuerunt expenſa pro alimentis ipſius filij reſtituere: nam Pater tenetur filiis alimenta exhibere, & obligatio mutui eſt perſonalis, unde ſicut deficientibus viri bonis uxor non tenetur ex ſuis dotalibus debita, etiam contracta ad alendam familiam ſolvere, quia non recipit ea ex cauſa lucrativa ſed oneroſa, ita neque filius. Quod tamen intellige, niſi Pater illa debita acceperit nomine filij, ipſo conſentiente, aut proteſtatus ſit nolle illa gratis præſtare, aut niſi acceperit illa in fraudem creditorum ſciente filio: nam tunc tenetur filius, ſicut & uxor, ut infra dicemus, ea debita ſolvere. Ita cum Bonacina, Trullenc. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. quidquid abſolute dicat cum Sanchez, & aliis Tamburinus, *ſuprà num.* 7. & 8.

20 An autem teneatur filius ex bonis vinculatis ſolvere debita patris? Reſpondeo quod ſi debita ſint contracta ab eo, qui inſtituit majoratum, & ante vinculum irrevocabiliter inſtitutum, teneri, ſecus ſi debita fuere contracta ab eo, qui majoratus non fuit inſtitutor, niſi forte ex fructibus majoratus, ſi jam decurſi erant, vivente Patre, ſecus ſi poſt illius obitum ſint decurſa. Ita cum Sanchez, Tamburinus, *ſuprà num.* 9 Molina, *tom.* 2. *d.* 435. & cum Alciato; probabile putat Eſcobar, *lib.* 31. *num.* 82. Trullenc. *ſuprà num.* 16. Excipe ſi debita ſint contracta ad vinculi conſervationem, vel aliàs ſine culpa Patris, & in ſubventionem extremæ, vel gravis paternæ neceſſitatis, nam filij, & vinculi ſucceſſores tenentur conſentire, ſecus, ſi prodige vivendo vinculo abutendo, ita Sanchez, *in conſiliis p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *d.* 31. & cum Bonacina, Trullenc. *ſuprà n.* 16. *in fine*, hæc de jure communi dicta ſunt.

21 De jure tamen Luſitano, aliter dicendum eſt: nam ſi majoratus inſtitutus ſit de bonis Regiæ coronæ, & debita fuere contracta ob obſequia Regi, vel Regno impenſa, ob educationem, & ſuſtentationem filiorum, ob ſolutionẽ ſtipendiorum ſervitio famulorum, debitam, ob dotem matrimonio promiſſam, tunc ſucceſſor in majoratu ex prædictis bonis Regiæ coronæ inſtituto, tenetur ex reditibus duorum annorum prædicti majoratus intra quatuor annos ſequentes prædicta debita ſolvere, ita ut ſingulis annis illorum quatuor dimidium redituum ſolvat, & aliud dimidium pro alimentis ſucceſſoris relinquatur, quod ſi reditus horum duorum annorum non ſufficiant ad omnia debita ſolvenda præcipit jus Luſitanum ut pro rata inter creditores ea ſumma dividatur, reliquo inſoluto remanente. Ita habetur in noſtra ordinatione, *lib.* 4. *tit.* 101.

Quod ſi majoratus fuerit inſtitutus de bonis liberis, ſive debita ſint contracta ab adminiſtratore, ſive ab inſtitutore, poſt tamen irrevocabilẽ illius inſtitutionem, non poſſunt illius bona vendi, capi, aut alienari pro debitis hujuſmodi, poſſunt tamen reditus vendi, & pro executione ſententiæ capi, durante ſolummodo vita poſſeſſoris, relicta poſſeſſori congrua debita ſecundum ejus ſtatum, ne egeat. Ita habetur in ordinatione, *lib.* 3. *tit.* 93. *num.* 1. & tenet cum Calda, Pereira, Barboſa, Fagundez, *lib.* 4. *quarti præcepti Decalog. cap.* 2. *num.* 47. Dixi poſt irrevocabilem illius inſtitutionem, nam ſi debita fuere contracta ante inſtitutionem majoratus, ſucceſſor in majoratu, ſive immediatus, ſive mediatus tenetur ſolvere debita inſtitutoris ſive omnia ſi majoratus inſtitutus fuit ex univerſa hæreditate, ſive tertium ſi majoratus inſtitutus fuit ex tertio bonorum, ut cum Molina, advertit Fagundez, *ſuprà num.* 48. & ſequentibus. An autem majoratus confiſcari poſſint ob hæreſim ultimorum poſſeſſorum? Reſpondeo negative, poſſunt tamen confiſcari eorum reditus in vita tantum hæretici poſſeſſoris. Ita cum Caſtro, Simancas, Farinacio, Sanchez, Fagundez, *ſuprà num.* 54. 21

Dico ſecundò: tenentur filij etiam ex amplexu damnato nati parentibus Catholicis graviter indigentibus, & non habentibus unde ſe honeſta arte, & decenti labore ſuſtentare poſſint jure naturæ alimenta præſtare, eos à carcere liberare, ægrotantes viſere, & mente captos curare. Ita cum communi ſententia Fagundez, *in* 4. *præceptum lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 4. Imò hæc obligatio tranſit ad hæredes filiorum hæreditate, teſtamento, vel donatione, eſt enim hoc onus impoſitum rebus. Vnde ad quoſcunque bona perveniant titulo gratuito tenentur eis alimenta præbere; dixi titulo gratuito, nam ſi perveniant titulo emptionis libera ſunt ab hoc onere. Ita cum Azorio, & aliis Fagundez, *ſuprà num.* 34. & 35. 23

Dixi patribus Catholicis, nam ſi ſint pagani, Judæi, vel hæretici, non eis tenentur ſubvenire, niſi in neceſſitate extrema. Et ratio eſt quia Pater poteſt filium hæreticum exhæredare ut cõſtat ex authẽtica ut cum de *appell. agnoſc.* §. *cauſas, & ex jure Luſitano, lib.* 4. *ordinationis tit.* 88. *num.* 17. & 18. & probat Sanchez, *lib.* 2. *Decalog. cap.* 24. *num.* 7. Sed in omnibus caſibus in quibus Pater poteſt filium exhæredare, poteſt ei, ſecluſa extrema neceſſitate, negare alimenta, ut cum communi ſententia tradit Molina, *de primogeniis lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. 2. & 3. Fagundez, *ſuprà num.* 6. ergo idem poſſunt facere filij reſpectu parentum; patet conſequentia, quia ſecundum jus naturæ minus adſtringuntur filij ad patres, quam patres ad filios, ſiquidem natura deſcendit à patribus ad filios, & non aſcendit à filiis ad patres. Ita cum Lara, Surdo, Sanchez, Eſcobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 54. Fagundez, *ſuprà num.* 6. quidquid dicat in contrarium cum aliis Trullenc. *lib.* 4. *Decalog. cap.* 1. *d.* 2. *num.* 18. 24

Dixi ſecluſa extrema neceſſitate, nam in hac tenentur filij jure naturæ patribus etiã hæreticis ſuccurrere, imò redactis filiis propriis & parentibus ad eandem neceſſitatem extremam potius tenentur filij patribus ſuccurrere, quam propriis filiis, ſiquidem eſſe à patribus, & non à filiis acceperunt; quod tamen non eſt dicendum in neceſſitate gravi, 25

nam

Digitized by Google

nam tunc propter majorem propensionem in filios, potius filiis quam patribus succurrendi sunt. Itacum D. Th. Toleto, Sairo, & aliis Fagundez, *suprà numero* 13. & 14. Adverte tamen quod si parentes hæretici, vel pagani filios à fide avertere conentur & nolint ab ea intentione desistere, nec in extrema necessitate teneri filios ei subvenire, imò si parentes vim faciant filiis ut fidem deserant, possunt eos cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut hostes naturæ humanæ jura violantes occidere, non tamen eos possunt in vincula tradere ut fame pereant, nam si tempus longius sit, patet aditus ad censores fidei qui huic malo gravissimo occurrent. Ita cum aliis Faguncez, *suprà num.* 7. & 8. Escobar, *lib.* 31. *Decalog. n.* 57. contra Azorium, *tom.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 2. & 3.

26 Dico tertiò: filij qui relictis parentibus in gravi vel extrema necessitate religionem ingrediuntur ubi eis non possint subvenire, peccant mortaliter. Nam sublevatio parentum est de jure naturæ, & ingressus religionis ex consilio; sed anteponere opus consilij obligationi ex præcepto est peccatum mortale: ergo. Ita cum D. Th. Toleto, Rosella, Azor, & aliis communiter Fagundez *suprà num.* 15. Excipe nisi Pater filios in sæculo provocaret ad peccatum, ita ut probabiliter eorum lapsus timeatur, vel si filius in sæculo non posset vivere absque probabili periculo peccandi mortaliter, nam tunc sicut filius non tenetur cum periculo probabili vitæ temporalis succurrere Patri etiam extreme indigenti, ita neque cum probabili periculo vitæ spiritualis. Ita cum D. Th. Toleto, Sanc. & aliis Fagundez, *suprà num.* 21.

27 Dico quartò: filius professus in religione potest exire à monasterio, petita, & non obtenta licentia ab parentibus, in gravi necessitate constitutis succurrendum, sive ea necessitas detur ante, sive post professionem, non tamen ad id tenetur. Primum patet, quia prælati tenentur hanc licentiam filio religioso concedere si extra monasterium eis succurrere possit, & intra non valeat; ergo si non concedat, jus habent religiosi exeundi, siquidem licentia injuste fuit negata, & illam habent à superiori prælato, nempe Papa, vel à jure naturæ. Quod autem ad id non teneantur patet, quia id est contra suum statum, sed præceptum succurrendi parentibus non obligat filios ad deserendum proprium statum, ut si sint conjugati, non eos obligat ad deserendas uxores, imò Pater deserendus est propter uxorem juxta illud *Genes.* 5. propter hanc relinquet homo Patrem & matrem ergo: ita cum Sà Rosella, Corduba, Tabiena, Rodriguez & aliis Fagundez, *suprà num.* 27. & cum aliis Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 70. Adverte tamen, quod in casu, quod filius exeat ad succurrendum parentibus, si ad hoc necessarium foret relinquere habitum, id posse efficere, secùs si cum habitu retento eis posset subvenire, nam cui conceditur finis, conceditur etiam medium omnino necessarium ad illud. Ita cum Fagundez, Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 73. contra Roderi:um Navarrum, & alios.

28 Dico quintò: parentibus & creditoribus ad extremam redactis tenentur filij potius parentibus quam creditoribus subvenire, quando utrisque subvenire non possunt. Ratio est quia in extrema necessitate omnia quoad usum sunt communia, sed filius magis parentibus quam creditoribus adstringitur: ergo cum sit in possessione, & melior sit conditio possidentis prius sibi extremè indigenti, & parentibus debet subvenire quã creditoribus. Ita cum Azor, Palud. Tabiena, Fagundez *supra num.* 30. & cum Cajetano, Soto, & aliis Escobar. *lib.* 31. *Decalog. num.* 76. contra Medinam, Sotum, Grabrielem & alios; adverte tamen quod redeûte meliori fortuna teneri filium id quod secum, vel cum parentibus de ære alieno insumpsit restituere creditoribus, nam cum solus fuerit in extrema necessitate communis, & non dominium, semper dominium mansit apud creditorem. Ita cum Navarro, Toleto, Fagundez, & aliis Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 79. contra Rosellum, Sylvestrum, Sotum, & alios, quos ibi refert Escobar, *num.* 78.

SECTIO V.

De obligatione parentum erga filios.

SUMMARIUM.

29 *Parentes tenentur curam filiorum habere in spiritualibus, & temporalibus.*

30 *Peccant parentes mortaliter si non curent ut filij bonis moribus imbuantur.*

31 *Tenentur facere sumptus necessarios ut filij addiscant saluti necessaria, & literarum studia.*

32 *Quid de studiis ad altiores scientias?*

33 *Quid si habeant aliqua bona filij castrensia, vel quasi castrensia?*

34 *Et si Pater habeat bona filij, adhuc si velit potest eum alere in studiis, & aula regia propriis bonis.*

35 *Pater tenetur filiis etiam spuriis alimenta præstare.*

36 *Quæ veniant nomine alimentorum?*

37 *Quid si Pater bonis careat, polleat vero mater?*

38 *An clerici teneantur filiis spuriis egenis alimenta præbere.*

39 *Mater per triennium tenetur filium, etiam spurium alere lac præbendo.*

40 *An mater possit repetere expensas factas in alendo filiumque ad 10. annum.*

41 *Parentes, in casibus, in quibus possunt filios exhæredare, possunt ei alimenta negare.*

42 *Causa ob quas parentes possunt filios exhæredare.*

43 *An filia de jure Lusitano nubes sine consensu Patris, vel luxuriosam vitam degens, possit exhæredari?*

44 *Quid si viro manifestè nobiliori nubat?*

45 *An de jure communi possint parentes filias absque voluntate parentum nubentes sive digno, sive indigno exhæredare?*

46 *Parentes qui absque gravi causa filios exponunt peccant mortaliter, & tenentur expensas hospitali restituere.*

47 *An matres proprio lacte filios non lactentes peccent?*

48 *Si Pater vivendo bona fide sua bona dissipavit cum præjudicio legitimarum filiorum non tenetur ex tertio legitimas filiorum integrare, secus si ex mala fide id fecit.*

29 Dico primò: parentes ex virtute pietatis tenentur curam filiorum habere in spiritualibus, & temporalibus, in hoc conveniunt DD. Et quoad spiritualia in primis peccat mortaliter Pater pro gravitate materiæ, si filios absque rationabili causa à bono revocat, ab ingressu religionis, ab impletione votorum quæ bona venia ipsorum fecerunt, item si cogant ad matrimonium contrahendum, si dolo, ac minis, nisi in casibus in jure expressis, invitos filios, vel filias ad ingressum religionis, vel professionem

sionem cogant. Imò cogentes fœminas ad ingressum, vel impedientes eis ingressum Religionis, & ad id consilium, auxiliumve dantes incurrunt in excommunicationem latam, *in Trid. sess. 25. cap. 18. de regularibus*, ut supra diximus.

30 Dico secundò: peccant mortaliter parentes, si non curant, quantum in ipsis est, ut filij bonis moribus imbuantur, & doctrinam Catholicam addiscant, si patiantur ut scholas hæreticorum frequentent, si non curent ut mandata Dei observent; prava consortia devitent, sacramenta frequentent, & ab omni peccato saltem mortali, & ab ejus occasionibus abstineant, si eos malo exemplo, vel consilio depravent, si eos non objurgent, & castigent mo-
31 derate, vel si eos etiam immoderate castigent, denique tenetur Pater facere sumptus necessarios ut filius addiscat saluti necessaria, & literarum studia, filius in divisione paternæ hæreditatis tenetur expensas factas in studiis litteraris, quæ alij pueri ejusdem status & qualitatis addiscunt, ut est grammatica in pueris ingenuis computare. Ita cum Azor, Soto, Bonacina, & aliis communiter Trullenc. *lib. 4. t. d. 3. num. 3.* Fagundez, *in 4. præceptum lib. 4. cap. 1. num. 3.*

32 Et idem dicendum est de aliis expensis factis in aliis studiis ad altiores scientias stando in jure Lusitano: hæ enim expensæ, nec sunt conferendæ, nec à parentibus computandæ in tertium aut in partem de qua libere possunt disponere ut patet ex ordinatione Lusitana, *lib. 4. tit. 97. §. 5. ou em scolas*, ita Valasceus, de partitionibus, *cap. 13. num. 152.* Fagundez, *lib. 4. in quartum præceptum cap. 20. num. 14.* Et idem dicendum est de jure communi: nam scientiæ cedunt in bonum commune, nec ad hæredes sunt
33 transmissibiles, nec vendi possunt. Ita cum Valasco, Molina Fagundez, *suprà num. 14.* Excipe nisi Pater habeat aliqua bona filij castrensia, vel quasi castrensia, aut adventitia: nam tunc in dubio censebitur ipsum filium alere in studiis de bonis ipsius filij, & non propriis, quia non tenentur Patres de suo præstare alimenta quando filij habent bona propria de quibus ali possint. Ita cum Bartolo, Molina, Valasco, & aliis Fagundez, *suprà num. 16.*

Dixi in dubio: nam adhuc in hoc casu Pater potest si velit de propriis bonis filios alere in studiis, & aula regia, quin teneatur eos sumptus sumere in tertium de quo libere disponere potest, ut advertit Fagundez, *suprà n. 16.* Imò ut tales sumptus computentur in legitimam filij debet præcedere patris protestatio quod nolit de propriis bonis hujusmodi expensas in studiis facere, sed illas facere de bonis ipsius filij ut recte docet Molina, *tom. 1. d. 239.* Fagundez, *suprà numero 18.* Sed de his infra redibit
35 sermo.

Dico tertiò: quoad temporalem curam tenentur parentes de jure naturæ filiis, non solùm legitimis, sed etiam illegitimis, ut spuriis ex coitu damnato, etiam adultis alimenta præbere, si inepti sint ad se sustentandum, ac si se sustentare valeant, aut aliunde habeant, solum ex æquitate, & jure etiam canonico tenentur ad illa: ita Azor, *tom. 2. lib. 2. cap. 1. q. 1.* & cum aliis communiter Fagundez, *in 5. præceptum Decalog. cap. 1. num. 7.* Ratio est quia filius pars pa-
36 tris & de jure naturæ Patri commendatus.

Nomine autem alimentorum veniunt victus, vestitus, domus, lectus, medicinæ, impensæ funeris, non solùm filij, sed ejus uxoris, & hæc omnia juxta cujuscunque conditionem considerata ætate, nobilitate, professione vitæ instituto, more, & consuetudine patriæ, ita ut filio nobili debeantur & famuli, & pædagogus, & liberi, & impensæ necessariæ ad studendum, & juxta morem patriæ etiam equus, nisi ex justa causa, culpa filii Pater hæc alimenta decentia statui neget, & solum concedat quæ sunt simpliciter ad vitæ necessaria Ita cum Azor, & aliis Trullenc. *lib. 4. cap. 1. d. 3. num. 10* Tunc autem filij dicuntur habere aliunde quando habent bona propria, vel corporis vires, & industriam vel artem quibus possint si velint sibi victum quærere. Ita cum Azorio, Trullenc. *suprà num. 10.*

Dico quartò: si Pater bonis careat, polleat vero 37
mater, hæc succedit in hac obligatione alimentorum, & utroque deficiente succedunt avi, tam paterni, quam materni, & alij progenitores ut sunt patres, sorores, & patrui, non tamen alij ut bene cum Surdo advertit Tamburinus, *lib. 5. de Decalog. cap. 3. §. 1. num. 1.* An autem quando ob Patris hæresim ejus omnia bona fisco publicantur teneatur fiscus ex justitia filiis Catholicis alimenta ad vitam simpliciter necessaria donare? Respondeo post sententiam latam hæresis non teneri, bene tamen ante sententiam. Ratio est quia ita jus statuit ob bonum commune, ut atrocitatem hujus pœnæ parentes à patrando delicto arceantur. Ita cum Sanchez, Symancas, & aliis multis Fagundez, *lib. 4. in 4. præceptum cap. 1. num. 9. &* 10. Et idem dicendum est quando publicantur bona Patris fisco ob crimen læsæ majestatis humanæ, non tamen in aliis delictis. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez, *suprà num. 9.*

An autem teneantur clerici filiis spuriis egenti- 38
bus alimenta ex naturali æquitate debita, etiam ex fructibus beneficij, si alios non habeant, relinquere? Respondeo affirmative: nam Pius V. in sua constitutione non prohibet clericis filiis suis alimenta etiam testamento ex fructibus beneficij relinquere, sed hæredes eos instituere. Unde potest clericus etiam ex fructibus beneficij filiam dotare, quia dos succedit alimentis. Ita cum Fillincio, Navarro, Villalobos, Trullenc. *suprà num. 9.* Secundò fit teneri parentes, etiam filio proscripto à Rege si non habet aliunde, item excommunicato, & expulso à religione; vel hæretico alimenta præbere saltem ea quæ sunt simpliciter ad vitam necessaria Trullenc. *suprà num. 10.* 39

Dico quintò: mater usque ad triennium exactum tenetur filium etiam spurium alere lac præbendo, cæteræ autem impensæ sunt à patre faciendæ. Quod mater lacte careat, vel lactare comode filium nequeat, tunc Patris etiam onus est lactis impensas solvere, quod si Pater non solvat, nec alere filium possit & mater dives sit, succedit mater in hac obligatione Patris ut supra diximus. Dicastillus *lib. 2. de justitia tract. 2. d. 9. dub. 11. num. 172.* Tambutinus, *lib. 5. Decalog. cap. 3. §. 2. num. 21.* 40

An autem mater possit repetere expensas factas in alendo filio usque ad 10. vel 18. annum, sive ab ipso filio, si hæres sit Patris, sive à Patre divite, vel tutore? Respondeo posse, si protestata est se alere animo repetendi impensas, secus si non protestata est, præsumitur enim id liberaliter feciisse amore filij. Excipe si mortuo Patre nulloque tutore existente animo se compensandi mater bona filij administravit: nam tunc potest alimenta repetere, secus reputatur amore filij id feciisse, maxime si bona filij & matris non erant divisa, secus si divisa jam erant: nam tunc præsumitur in matre fuisse animum repetendi; id enim ostendit illa rationum & liberorum distincta divisio, non tamen potest mater æstimationem sui laboris exposcere: nam id gratis impendere tenetur mater. Ita cum Azor, Sanchez, Tamburinus, *suprà num. 4. & 5.*

Dico

Digitized by Google

41 Dico sexto: Parentes in omnibus casibus in quibus possunt filios exhæredare, possunt eis negare alimenta, secluſa extrema necessitate. Ita cum communi sententia Fagundez, *in 4. præceptum Decalogi lib. 4. cap. 3. num. 1.* valet enim argumentum de dote ad alimenta, & de alimentis ad dotem, & consequenter de exhæredatione ad negationem alimentorum, & dotis. Dixi secluſa extrema necessitate, siquidem in extrema necessitate solum in duobus casibus possunt patres filiis alimenta negare, scilicet quando filius vellet patrem à fide avertere, & in crimine læsæ majestatis, proditionisve principis, & patriæ Fagundez *suprà n. 1.*

42 Dico septimo: Causæ ob quas parentes possunt filios exhæredare, & alimentis privare sunt quatuordecim, quæ enumerantur in Authentica ut *cum de appellat cognoſ. § causas; & in noſtra ordinatione lib. 4. tit. 88.* prima si filius, vel filia in patrem, vel matrem manus violentas injecerit, citra suam, vel patriæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. 2. Si eos contumeliis gravibus afficiat. 3. Si accuſet, extra casum proditionis patriæ, & principis. 4. Si cum maleficis se intermiſceat; 5. Si insidietur vitæ patris. 6. Si patris uxorem hoc est, novercam violet; 7. Si in judicium deferat patrem cum ejusdem gravi detrimento. 8. Si requisitus à patre carcerato filius, non autem filia, illum non adjuvet. 9. Si histrionicam, vel gladiatoriam artem exerceat, quando pater non est ejusdem artis. 10. Si altero parentum furioso filius neglexerit ejus curam. 11. Si filius patrem aut matrem captivam non redemerit; 12. Si discedat à fide, cum parentes catholici sint. 13. Si prohibeat alicui suorum parentum testamentum condere. 14. Si patre offerente dotem & nuptias filia minor 25. annis luxurioſe vixerit, & de jure Luſitano additur etiam si absque parentum consensu ante 25. annum nupserit, sive digno, sive indigno, vel peccaverit in corpus suum, vel turpem luxurioſamque vitam elegerit.

43 An autem de jure Luſitano filia ante 25. annum ætatis suæ nubens, vel luxurioſam vitam degens ipso jure maneat privata hæreditate paterna, & materna? Respondeo affirmative. Unde patribus eam non exhæredantibus possunt alij hæredes legitime succedentes illam exhæredare si voluerint, sicrimen fuerit in judicio comprobatum. Si tamen filia viro manifeste nobiliori nupserit, tunc solum

44 potest à patribus exhæredari in medietate suæ legitimæ; quod si eam expresse non exhæredaverint non manet ipso jure exhæredata. Ita habetur *lib. 4. noſtræ ordinationis tit. 88.* Hæc tamen lex non extenditur ad filios, comprehendit tamen filios naturales hominis mechanici, nam hæc de jure Luſitano succedunt patri in hæreditate, sicut filij legitimi. Ita & bene cum aliis Fagundez *in 4. præceptum Decalogi lib. 4. cap 3. num. 13.*

45 An autem de jure communi possint parentes filias absque voluntate parentum nubentes sive digno sive indigno exhæredare? Respondeo negative, sed tenentur eis dotem competentem, vel alimenta dare juxta suum statum si non habeant unde vivant, secus si habeant. Ita cum Sanchez Tamburinus *lib. 5. Decalogi cap. 2. § 3. num. 7.* & cum Fagundez, Molina, Henriquez, Escobar *lib. 31. Decalogi num. 89.* An autem filia vidua nubens etiam indigno contra voluntatem patris incurrat hanc pœnam exhæredationis jure Luſitano? Respondeo negative, quia jam est emancipata, & extra patriam potestatem. Ita Fagundez *lib. 4. in 4. præceptum Decalogi c. 3. n. 27.* contra Rebellum, & alios.

Dico octavo: Parentes qui sine gravi causa, v. 46
g. timoris infamiæ matris, vel alterius similis necessitatis filios exponent cum alias divites sint, peccant mortaliter, & tenentur impensas hoſpitali restituere, secus si prædictis causis id faciant, nam tunc prædicta necessitas eos tum à peccato, tum à restitutione excuſat, quia ita præsumitur de voluntate fundatoris hoſpitalium in quo tales infantes educantur, præsertim si hoſpitalis dives sit. Secus si pauper. Ita cum Layman, Tamburinus, *lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 5.*

An autem matres proprio lacte filios non lactentes peccent? Respondeo peccare venialiter si id sine 47
causa faciant, secus si detur justa causa, ut est imbecillitas, vel inopia, vel si mater adeo sit nobilis ut juxta morem patriæ id ei non deceat, quod hodie omnes divites etiam plebeias prava consuetudine introductum est, ut bene cum Azorio notat Trullenc. *lib. 4. Decalogi cap. 1. d 3. n. 24.* In casu tamen quod mater filios proprio lacte non alat tenetur sub mortali bonas nutrices quærere quæ non sint morbo infectæ, quia tenetur bono filij consulere. Ita cum Bonacina, Trullenc. *suprà n. 24.* & cum aliis Fagundez *lib. 4. in 4 præceptum Decalogi cap. 1. num. 12.*

Dico nono: Si pater dum vivit bona fide sua 48
bona dissipavit etiam cum præjudicio legitimæ filiorum, non tenetur integrare legitimas filiorum ex tertio, bene tamen si mala fide id fecit, ut filio legitimæ decresceret nam tunc peccavit contra jus debitum filiis, filij namque licet non habeant jus in re, habent tamen jus ad rem ad legitimam à quo jure non possunt dolose expelli: ita cum Azorio, Tamburinus *lib. 5. Decalogi cap. 4. §. 3. num. 2.* Immo si pater in vita filio poscenti dedit legitimam integram juxta facultates quibus tunc fruebatur, potest filius post mortem patris aliquid amplius petere, si forte postea amplificatum fuit patrimonium patris Tamburinus *ibi num. 3.* Excipe nisi filia, vel filius cum juramento absque vi, metu, vel dolo renuntiaverit futuræ patris successioni sua dote contenti, secus si sine juramento renuntiaverint. An autem possint hujusmodi juramenti petere relaxationem à superiore? Respondeo affirmative. Ita & bene cum aliis Tamburinus *suprà num. 4.*

DISPUTATIO II.

De obligatione inter virum & uxorem.

SECTIO I.

De obligatione virorum erga uxores.

SUMMARIUM.

49 *Maritus tenetur diligere uxorem.*

50 *Peccat si absque legitima causa ab impletione præceptorum Dei, & Ecclesiæ impediat.*

51 *Tenetur uxorem, ut sciam tractare.*

52 *Adulterium committente uxore, potest si vir propria authoritate debitum negare.*

53 *Conjux catholicus non tenetur admittere conjugem hæreticum de hæresi damnatum, si in sæculo maneat.*

54 *Potest in hoc casu ordinibus sacris initiari?*

Digitized by Google

55 *Idem potest facere post sententiam divortij ob adulterium carnale.*

56 *An conjux hæreticus post sententiam hæresis possit invito conjuge catholico transire ad sacros ordines?*

57 *An per copulam post sententiam hæresis innocens censeatur remittere conjugi hæretico?*

58 *An adulterium spirituale condemnetur cum adulterio spirituali?*

59 *Tenetur vir alimenta uxori præstare, etiamsi absque dote uxorem inopem duxerit.*

60 *Quid si pater uxoris dives esset, & dotem constituere nolit?*

61 *Maritus si non potest non tenetur uxorem alere, tenetur tamen quantum in se est laborare ut uxorem, & familiam alat.*

62 *Quid si dos uxoris fuerit fisco publicata sive ob crimen hæresis, vel læsæ majestatis?*

63 *Maritus dote promissa, & non soluta non tenetur uxorem alere?*

64 *Non potest maritus ob dotem non solutam non traducere in domum uxorem, nec potest eam è domo ejicere.*

65 *Si uxor ex propria levitate sine culpa viri discedat à domo mariti, non tenetur maritus ei alimenta præbere.*

49 DIco primo maritus tenetur diligere uxorem, ut Christus Ecclesiam, ad Ephesios 5. Peccat igitur primo si eam ab impletione præceptorum Dei & Ecclesiæ absque legitima,& justa causa impediat. Ita cum Toleto, Navarro, & aliis Fagundez *lib.* 4. *in* 4. *præceptum Decalogi cap.* 7. *num.* 2. Si
50 vero eam impediat ab operibus consilij, ut à frequenti confessione, communione &c. absque gravi causa tantum peccabit venialiter. Excipe nisi uxor magnam utilitatem caperet ex frequenti confessione, & communione, nam tunc eam sine causa impediens peccaret etiam mortaliter. Ita cum Sairo, Bonacina Trullenc. *lib.* 4. *Decalogi cap.* 1. *d.* 4. *num.* 2.

51 Dico secundo: Tenetur maritus uxorem, non ut servam,sed ut sociam tractare. Unde non potest eam graviter, & multo minus atrociter percutere, sed solum moderate castigare juxta culpam, habita ratione personæ, conditionis,& status matrimonij. Tenetur eam injuria minime afficere,sed potest moderate verbis corripere, non tamen contumeliosis. Tenetur domus gubernationem quantum ad rem, ac mores attendere; tenetur cum illa habitare,non solum in eadem domo, sed & eadem mensa, & toro accumbĕdo, per hoc tamen non tollitur quod possit aliquam brevem profectionem inire, & peregrinationem vovere absque consensu uxoris, non tamen poterit lōgam peregrinationem invita uxore promittere, & exequi, quia Deo non placent vota quæ sunt cum alterius damno implenda, quale esset hujusmodi votum, quod in debiti, ac cohabitationis præjudicium esset implendum. Ita cum Sylvestro, & aliis communiter Escobar *lib.* 31. *Decalogi num.* 113. multo etiam minus poterit absque justa causa longo tempore abesse; justa autem causa esset alicujus momenti negotium, superioris obedientia, inimicitiæ vitandæ, exilium, at si spes redeundi ad patriam sublata sit, tenetur uxorem suam, si commode potest ex illo loco extrahere, & secum adducere. Ita cum Sayro, Toleto, & aliis communiter Trullenc. *supra num.* 6. Escobar *lib.* 31. *Decalogi num.* 37. & 113. Fagundez *in* 4. *præceptum Decalogi lib.* 4. *cap.* 7. *à num.* 3. *usque ad* 6.

52 Dico tertio: Adulterium committente uxore potest maritus innocens conjugi propria authoritate debitum negare. Et idem potest facere conjux innocens respectu mariti, & hoc etsi adulterium sit occultum. Ita cum Sanchez, & aliis communiter Fagundez *supra num.* 17. Hæc enim conditio jure naturæ matrimonio inest; unde non tenetur innocens in foro conscientiæ obedire judici etiam sub censura præcipienti ut debitum reddat, in publico tamen ad tollendum scandalum tenetur observare censuram, dum non probat adulterium, immo in foro conscientiæ potest innocens divertere à conjuge adultera propria authoritate, etiamsi non possit probare adulterium, dummodo certum sit, & modo non detur scandalum. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *supra num.* 20. in foro tamen externo tenebitur adulterium probare ad faciendum divortium, & dum non probat cogetur cum uxore habitare,ita cum communi sententia Fagundez *supra num.* 20.

An autem conjux catholicus teneatur admittere 53
conjugem hæreticum conversum de hæresi damnatum, si in sæculo maneat? Respondeo negative. Ita cum Sanchez, Castro, Covarruvias, Barbosa, Matieneo, Simancas,& aliis Fagundez *supra cap.* 8. *num.* 10. & cum aliis Escobar *lib.* 31. *Decalogi n.* 120. nam Ecclesia in pœnam hæresis facit vim conjugi catholico in perpetuum divertendi ab hæretico, etiamsi resipiscat, nec ad hoc requiritur specialis sententia divortij, sed sufficit sententia condemnatoria hæresis. Ita cum communi sententia Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio d.* 15. *num.* 10. & cum aliis Fagundez *supra n.* 11. & cum aliis Escobar *lib.* 31. *Decalogi numero* 123. Unde vir catholicus potest 54
in hoc casu ordinibus sacris initiari, vel ingredi religionem,si velit: ita Sanchez *supra num.* 21. Fagundez *supra num.* 13. & cum aliis Escobar *supra num.* 126.

Et idem potest facere post sententiam divortij 55
ob adulterium carnale, etiam vivente, & reclamante uxore adultera, ita cum aliis Escobar *supra num.* 129. & cum aliis Fagundez *supra num.* 18. Immo id etiam in foro conscientiæ potest efficere vir ante sententiam judicis, si adulterium certum sit, etsi esset occultum, & non posset probari, sublato tamen scandalo, ut si esset in remotissimis tertis ubi periculum scientiæ matrimonij non esset, secus si tale periculum esset, nam cum adulterium non possit probari habet conjux jus repetendi suum virum in foro externo. Ita bene Sanchez *lib.* 10. *de matrim. d.* 11. *num.* 2.[& cum aliis Fagundez *supra num.* 20.

An autem conjux hæreticus conversus tamen 56
post sententiam hæresis, possit invito conjuge catholico transire ad sacros ordines vel Religionem? Respondeo negative, bene tamen de ejus licentia; Et idem dicendum est de adultera etiam post sententiam divortij; Si tamen lata sententia hæresis, vel divortij innocens monitus nolit reconciliari adulteræ, vel hæreticæ potest ad sacros ordines, vel religionem transire, nam conjux catholicus, vel innocens nolens admittere reconciliationem censetur licentiam concedere adultero vel hæretico. Poterunt tamen conjuges innocentes licentiam revocare, & revocare adulteros donec profiteantur. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *lib.* 4. *cap.* 8. *à num.* 23. *usque ad* 27.

An autem per copulam habitam post sententiam 57
hæresis innocens cēseatur remittere conjugi hæretico. Respondeo, In foro externo censeri sive habuerit animum remittendi, sive non; nam in foro externo præsumitur habuisse intentionem remittendi

tendi; secus in foro conscientiæ, nam in hoc si talem animum non habuit, vel ignorabat per dictam copulam illi reconciliari non censetur remittere, secus si habuerit talem animum, vel si nec habuit vel non habuit, nam tunc censetur, vel expresse, vel saltem virtualiter remittere. Ita cum Sanch. & aliis communiter Fagundez *suprà num.* 29. *usque ad* 33.

58 An autem adulterium virtuale condonetur cum adulterio spirituali? Respondeo negative, nam compensatio non potest dari nisi inter res omnino æquales, sed per adulterium carnale major injuria fit matrimonio quam per adulterium spirituale, ut late probat Surdus *de alimentis tit.* 7. *quæst.* 21. *num.* 8. ergo cum hæ injuriæ non sint æquales non possunt compensari, sed uterque potest divertere. Ita cum Sanchez & aliis Fagundez *suprà num.* 55. Secus dicendum existimo si uterque conjux per sententiam sint damnati de hæresi; nam tunc debet inter eos fieri compensatio velint, nolint conjuges, nam cum uterque habeat pœnam æqualem necessario admittenda est inter eos mutua compensatio, unde non possunt ab invicem separari absque peccato, ita contra Sanchez, Fagundez *suprà n.* 38.

59 Dico quartò: Tenetur vir alimenta uxori præstare, etiamsi absque dote uxorem inopem duxerit, sibi enim imputare debet quod nullam dotem postulaverit. Ita cum communi sententia Fagundez *lib.* 4. *in* 4. *præceptum cap.* 9. *num.* 2. Tamburinus *lib.* 5. *cap.* 3. §. 3. *num.* 1. Dixi uxorem *divitem*, nam si dives sit tacite jam ab illa dos censetur promissa. Ita cum Sanchez & aliis Fagundez *suprà num.* 4. Tamburinus *suprà num.* 1. Secus si pater ejus dives

60 esset, sed dotem constituere nollet, non tunc tenetur vir uxorem alere si potest, quia sibi imputet quod dotem in pactum non deduxerit. Ita cum Sanchez, Molina, Fagundez *suprà num.* 5.

61 Dixi si potest, nam si non potest non tenetur eam alere, cum nemo ad impossibile obligetur, tenetur tamen quantum in se est laborare ut uxorem & familiam alat, Fagundez *suprà num.* 6. Quod verum est etsi dos uxoris casu, & sine culpa uxoris perierit [dummodo dos non fuerit fisco publicata] quod etiam verum est etsi mulier propter suam culpam, non tendentem tamen directe ad separationem ab ipso viro, sit perpetuo carceri emancipata, vel in morbum contagiosum inciderit unde separatim à viro habitare cogatur, quod à fortiori dicendum est, si id sine culpa sua fiat propter contagium v. g. viri, quia totum id postulat reciprocus amor conjugum, & sicut conjux dives de suis etiam bonis paraphernalibus & propria industria acquisitis maritum exulem, vel in triremibus propter sua delicta alere tenetur sic vir uxorem ita Tamburinus *suprà num.* 2.

62 Dixi dummodo dos non fuerit fisco publicata, nam si dos fuerit fisco publicata sive ob crimen hæresis, vel læsæ majestatis, &c. non tenetur vir mulierem perpetuo carceri damnatam alere, quia tunc nec ratione dotis, nec ratione consortij conjugalis tenetur, cum per carcerem perpetuum ad quem damnata est à viro perpetuo separetur. Ita cum Simancas, Surdo, & aliis Fagundez *cap.* 13. *num.* 8. & 9. Sed quid si uxor non sit carceri emancipata tenebiturne vir illam alere si dos publicata fuit fisco ob hæresim, vel alia delicta? Respondeo quod vel parentes uxoris divites sunt, vel non, si divites sunt, ipsi tenentur illam alere, sive vir admittat uxorem hæreticam, sive non; si tamen parentes non possint eam alere, si maritus illam admisit tenetur eam ex charitate alere, amor enim conjugalis id postulat; secus si eam non admisit ad conjugale consortium. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 7. & 4. & cum aliis Escobar *lib.* 31. *Decalogi num.* 173. Tamburinus *suprà n.* 2. Et idem dicendum est quoties uxor sua culpa dissipavit dotem inscio marito Tamburinus, *suprà num.* 2.

Dico quintò: Maritus dote promissa, & non 63
soluta non tenetur alere uxorem; non potest tamen propter id ei debitum negare; obligatio enim reddendi debitum non oritur ex traditione dotis, sicut obligatio uxorem alendi. Ita cum Sanchez, Fagundez *suprà cap.* 10. *num.* 2. Quod si dos tempore promisso integra non solvatur, tenetur pro rata solutæ dotis alimenta præstare. Sed quid si non solvatur dos quia qui illam promisit non habet unde solvat? Respondeo quod si extranei dotem promiserunt, non tenetur vir uxorem alere, dote non soluta; Et idem dicendum est, separentes, vel ipsa uxor dolore promiserunt. Secus si non dolore, sed putantes se habere sufficientes opes ad illam solvendam, nam tunc gaudent privilegio quod non possint convenire pro dote solvenda, quo tamen curent quando id dolore fecerant, sicut etiam non gaudent extranei qui dotem promiserunt scientes se solvere non posse. Ita cum Sanchez & aliis Fagundez *suprà num.* 5. & 6.

An autem in casu quo vir non tenetur uxorem 64
alere ob dotem non solutam possit eam in domum non traducere, vel traductam expellere, & negare ei cohabitationem donec ei dos solvatur? Respondeo negative; jus enim cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex natura contractus matrimonij. Unde nec judicis authoritate ob hanc causam potest uxor expelli. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matrim. d.* 5. *n.* 17. & 18. & cum aliis Fagundez *suprà n.* 17. contra Sperill. quem refert Tamburinus *suprà n.* 4. & alios, quos citat Fagundez *suprà num.* 17.

Dico sextò: Si uxor discedat à marito sine culpa 65
viri, sed ex propria levitate, non tenetur vir ei alimenta præbere; quia uxor tenetur in obsequio viri esse. Ita cum communi sententia Fagundez *suprà cap.* 9. *num.* 16. Quod si non culpa sua, sed viri discedit, v. g. ob illius sævitiam, vel ob periculum imminentis mortis, vel veneni, tenetur vir eam alere, etiamsi eam absque dote duxerit. Ita cum Sanchez, & aliis Fagundez *ibi num.* 17. An autem vir teneatur uxori adulteræ alimenta præstare? Respondeo in foro conscientiæ, etsi adulterium sit occultum posse ei alimenta negare, nam sicut ei potest negare convictum, & habitationem ita & alimenta, quod verum est etsi à principio ipse maritus dederit causam adulterio eam è domo injuste expellendo, unde illa fuit in adulterium prolapsa; expulsio enim injusta non imputatur marito nisi ut causa remota, ac per consequens non excusat uxoris adulterium. Ita cum Sanchez, Fagundez, & aliis Escobar *lib.* 31. *Decalogi n.* 148. In foro tamen externo in utroque casu cogitur vir uxorem alere, & cum ea habitare, donec sententia divortij feratur; in quo etiam foro durante lite cogetur vir litis expensas uxori ministrare, etiamsi in foro interiori eas denegare possit, si adulterium certum sit; ita cum Sanchez, & aliis Trullench. *lib.* 4. *Decalogi cap.* 1. *d.* 4. *n.* 14. Fagundez *suprà cap.* 9. *num.* 16.

pit titulo oneroso, nam cum illarum absolutum dominium adepta sit, potest de eis ad libitum disponere; Ita cum multis Bonacina *tom. 2. d. 6. quæst. unic. cap. 7. n. 15.* Sanchez *lib. 6. de matrim. d. 40. & 41.* Hinc fit patrem teneri relinquere filiis prioris matrimonij ea, quæ ex bonis primæ conjugis ad ipsum pervenerunt, sicut tenetur uxor; quia ea bona debentur hæredibus uxoris, & sic usu receptum est, teste Bonac. *sup.* Saa *verbo parentes n. 12. & alius.*

DISPUTATIO III.

De mutua obligatione domini, servi, ac famuli.

SECTIO I.

De obligatione servorum erga dominos.

SUMMARIUM.

73 *Quid per servos intelligatur?*
74 *Servi tenentur deferre honorem dominis.*
75 *Servi non tenentur dominis obedire in eis, quæ sunt mala.*
76 *Servi tenentur obedire dominis, non solum probis, sed etiam improbis.*
77 *Servi qui capti sunt in bello injusto licite possunt fugere ad suos.*
78 *Secus dicendum est de servis qui seipsos vendiderunt, vel à parentibus ob egestatem venundati sunt.*
79 *An servis licite fugientibus licitum sit dare consilium, ut fugiant?*
80 *An servus magis obligetur servire domino, quam uxori?*

73 SUppono servos esse quos mancipia vocamus, & emi solent, aut justo bello capiuntur. Famuli vero qui pro mercede locant se ipsos in obsequium dominorum, hi autem differunt ab operariis, nam operarij solum locant operas suas ad certum genus operis. His suppositis,

74 Dico primo: Servi tenentur deferre honorem dominis; unde si eos irrideant, contemnant, vel negligant, peccant mortaliter, tenentur eis obedientiam exhibere in rebus quibus dominis subjiciuntur; tenentur eorum res conservare pro viribus, & in ægritudine dominorum procurare ut eis Sacramenta administrentur, si alij desint, & illos in periculo vitæ defendere quando sunt mancipia, & famuli specialiter tamen conducti ut dominum tueantur si casus inopinatus evenerit. Ita Filliucius *tract. 28 p. 2. cap. 3. quæst. n. 40.* & alij communiter.

75 Dico secundo: Servi non tenentur dominis obedire in his, quæ sunt mala, ut quæ sunt contra jus naturale, vel jus gentium, vel contra præcepta divina. In illis vero, quæ sunt legibus Ecclesiæ, & civilium principum contraria, videndum est an fortius sit Ecclesiæ, vel principis præceptum, quam domini, & tunc obediendum est præcepto fortiori. Quod si res sit indifferens, obediendum est domino, & multo magis quando opera præcepta à domino essent conformia legibus. Azor *quæst. 10. cap. 38.* Filliuc. *sup. quæst. 10. num. 64.*

76 Dic otertio: Servi tenentur obedire, non solum dominis probis, sed etiam improbis, ut patet *ex 1. Petri: servi subditi estote dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Tenentur etiam superioribus suis indigentibus necessaria subministrare ad victum, si possunt, & eis deficientes in re magni momenti, aut eis grave damnum inferentes, vel impedientes peccant mortaliter Clavis Regia *cap. 7. lib. 7. num. 12.*

77 Dico quarto: Servi qui capti sunt in bello injusto, licite possunt ad suos fugere. Ita communiter DD. Et idem dicendum est, quando esset dubium de legitima servitute, nam tunc stat possessio pro libertate. Ita communiter DD. An autem servi, qui justo bello capti sunt possint fugere? Respondeo non posse fugere ut libere vagentur, bene tamen ad suos, vel ad amicam civitatem ubi publico nomine tuti sint, si alias fides data ab eis non est de non fugiendo, quia cum hi jure gentium servi facti sint, idem jus gentium & consuetudo populorum interpretatur, ut liceat eis fugere ad suos quando commode possunt; Ita Covarruuias, Soto, Bañes, Salon, & alij Trullenc. *lib. 4. Decalog. c. 1. d. n. 5.*

78 Secus dicendum est de servis qui seipsos vendiderunt, vel à parentibus ob egestatem venundati sunt, nam cum per contractum servi facti sint, tenentur stare cõtractui. Et idem dicendum est de his, qui ex ancilla sic juste empta procreati sunt, vel servi pœnæ effecti. Ita & bene Trullenc *suprà n. 5. & lib. 5. Decalog. cap. 2. d. 6. n. 3.* Excipe, nisi à dominis ad aliquod peccatum inducantur, vel si inhumaniter tractentur, cessantibus tamen causis, tenentur revertere, nisi forte injuria tanta sit, ut merito libertate sint compensandi, vel nisi dominus sit Iudæus, aut paganus jurisdictioni principis Christiani subjectus, vel si sit hæreticus: nam in his casibus servus Christianus eo ipso fit liber, & potest dominum deserere, ut patet *ex l. Deo nobis, Cod. de Episcopis & clericis.* Immo horum servi infideles possunt fugere ad Ecclesiam, ut Christiani fiant, & facti Christiani sunt liberi Lessius *lib. 2. c. 5. d. 5.* & cum aliis Trullenc. *lib. 5. Decalog. cap. 2. d. 6. n. 2.*

79 An autem servis licite fugientibus licitum etiam sit dare consilium ut fugiant? Respondeo affirmative. Immo ipsi si non habeant necessaria ad fugiendum possunt sibi surripere à dominis necessaria ad iter, vel loco compensationis injuriæ vel servitij præstiti, si servitus fuit injusta, vel si servitus fuit justa, possunt sumere ratione gravis, vel extremæ necessitatis ea, quæ sibi ad aliquos dies sufficerent. Et deinde licebit in locis per quæ fugiendo transeunt ea sibi capere, quibus provideant suæ gravi, vel extremæ necessitati: Filliucius *suprà num. 55. & 56.* An autem servi aliquarum rerum dominium habeant, vel possint habere vide quæ infra dicemus in 7. præcepto agentes de servis.

80 An autem servus magis obligetur servire domino, quam propriæ uxori? Respondeo quod si servus uxorem dixit invito, aut inscio domino, magis debere servire domino quam uxori D. Th. *quæst. 52. art. 2. ad 3.* Azor *cap. 38. quæst. 5.* Si vero servus domini consensu uxorem duxit tenetur magis uxori reddere jus suum quam domino, nam eo ipso quod dominus consensum præbuit, implicite voluit, ut servus uxori suæ debitum redderet. Unde si eodem tempore dominus aliquid servo præcipiat, & uxor debitum petat, si servus utrumque præstare potest, ad utrumque tenetur, alias potius conjugi parere debet, quam domino, quamvis in praxi id vix possit contingere Filliuc. *tract. 28. q 9.* & cum aliis Fagundez *lib. 4. in 4. precept. Decalog. cap. 14. num. 8. & 13.*

SECTIO II.

De obligatione dominorum erga ſervos.

SUMMARIUM.

81 *Domini ex juſtitia tenentur curare ne ſervi prave vivant.*
82 *Quædam corollaria ponuntur.*
83 *An licitum ſit dominis vendere ſervos conjugatos?*
84 *Dominus non obligatur de contractu, & delicto ſervi, niſi in certis caſibus, qui ibi explicantur.*
85 *An inter dominum, & ſervum poſſit eſſe civilis actio.*

81 DIco primo: Domini non ſolum ex charitate, ſed ex juſtitia tenentur curare ne ſervi, ſeu mancipia ſua prave vivant, Dei & Eccleſiæ præcepta non cuſtodiendo; unde tenentur eos monere, ut in die feſto miſſam audiant, Sacramenta confeſſionis, communionis, & extremæ unctionis ſuo tempore ſuſcipiant, & domini, qui in hac re notabiliter deficiunt, peccant mortaliter; ita cum communi ſententia Fagundez *in 4. præcept. Decalog. lib. 4. cap. 14. num. 1.* Ratio eſt quia ſicut ſervus ex juſtitia tenetur domino ſervire, ſic dominus ei alimenta dare, ſed nomine alimentorum, non ſolum venit alimentum temporale, ſed etiam ſpirituale doctrinæ: ergo &c.

82 Hinc ſit peccare graviter Dominos qui habent ſervos neophytos, & non curant eos in fide chriſtiana inſtruere. Et idem dicendum eſt de dominis, qui non corrigunt peccata publica ſervorum, moderate eos etiam verberando, ſi opus fuerit, non tamen occidendo, vel mutilando, nam ſi hoc aliquando oporteat fieri, debet fieri à magiſtratu, & non à domino *l. 1. ff. de iis qui ſunt ſui, vel alieni juris, & l. dominus eodem titulo.* Tenentur etiam eos è domo ejicere, ſi id ſine magno detrimento poſſunt efficere, vel ſi non timeatur ut ipſi pejores fiant; Fagundez *ſuprà num. 2.* Trullenc. *lib. 4. cap. 1. d. 6. num. 2.* Peccant etiamſi matrimonia ſuorum ſervorum impediant, vel ob id eos puniant, ſunt namque in hoc ſervi ſui juris, non tenentur tamen eis dare conſenſum ad matrimonium, immo ſi ſervus adhuc ſponſalia non contraxit poſſunt eum vendere, vel alio vendendum mittere: ſecus ſi ſponſalia jam contraxerit, nam cum jam ſit jus tertio acquiſitum, non poteſt dominus jus tertij impedire, ante ſponſalia vero, cum jus nulli tertio ſit acquiſitum non amittit dominus, nec ei interdictum manet jus quod antea habebat ad vendendum ſervum, nec directè impedit matrimonium, ſed utitur jure ſuo, ut ſuæ indemnitati conſulat, nec poteſt dici fraudem in matrimonium committere qui jure ſuo utitur ut probat Sanch. *lib. 5. de matrim. d. 18. numero 29.* Quamvis Eccleſia in hoc caſu defendat ſervum ob præſumptionem violentiæ in domino. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib. 4. cap. 15. num. 7.*

83 An autem licitum ſit dominis vendere ſervos conjugatos ad longinquas partes ſeparatim? Reſpondeo quod ſi alter conjux ſit liber, alter ſervus, poteſt dominus ſervum vendere, quia liber tenetur ſequi ſervum, niſi forte liber commode ſequi ſervum non poſſit ob aliquam gravem cauſam, & duxerit ſervum de conſenſu domini, nam tunc, qui conceſſit principale conceſſit acceſſorium. Excipe ſi ſervus fuerit latro, fur aut fugitivus, nam tunc licite poteſt eum vendere, etſi conjux liber eum ſequi non poſſit. Et idem dicendum ſi uterque conjux ſit ſervus ejuſdem Domini & de ejus licentia contraxerint, ſi unus alterum commodè ſequi non poſſit. Quod ſi ſervi ſint diverſorum dominorum, ſive dominus conſenſerit matrimonio, ſive non, ſecluſa gravi neceſſitate nunquam dominus poteſt vendere ſervum ad locum uti uſus matrimonij impediatur; ſi tamen domini urgeret neceſſitas, nec in eodem loco inveniret emptorem poſſet eum ad alium locum vendere: in hoc tamen caſu poteſt Eccleſia cogere alterum dominum ut vendat alteri volenti emere, ut conjuges in eodem loco habiteht, etſi neuter dominus emere velit, ſit tamen extraneus, qui ambos ſervos velit emere, poteſt cogere utrumque dominum ut ei ſervos vendant, etſi nullus inveniatur emptor tunc emit Eccleſia argum. deducto *ex cap. Fraternitatem, diſt. 54. ne uſus matrimonij impediatur.* Ita Sanctius *lib. 7. de matrim. d. 22. num. 8. & ſequentibus* Fagund. *ſup. à num. 16.* Eſcobar *lib. 31. num. 186.*

84 Dico ſecundò: Dominus non obligatur de contractu, & delicto ſervi, niſi in his caſibus. Primo ſi juſſu Domini contractus eſt celebratus, 2. Si quod habuit ex contractu verſum eſt in rem domini; 3. Si delictum juſſu, vel imperio domini commiſſum eſt, nam in hoc caſu Dominus in cauſa fuit; in aliis vero non tenetur cominus civiliter, in conſcientia tamen teneri poteſt, ſi ſervi peccata impedire potuit, & non egit; at ſi dominus ſervum ad peccatum inducat, ſi peccatum non ſit contra juſtitiam, ad nihil tenetur dominus; poteſt tamen ſervus dominum in judicium vocare, *l. ſi lenones. ff. de epiſcopis, & l. 1. ff. de offic. prat.* Quod ſi non admittatur in judicio querela contra dominum, tunc jure naturæ fas eſt ſervo fugere, ut ſe liberet à peccato, potius enim Deo ſerviendum eſt, quam domino. Azor. *cap. 38. queſt. 3.* Filliuc. *tract. 28. cap. 4. queſt. 7.*

85 An autem inter dominum & ſervum poſſit eſſe civilis actio? Reſpondeo poſſe in his caſibus. Primo ſi ad ſtatuas confugerunt ut manumitterentur, & non ſunt manumiſſi. Secundo ſi pecunia ſua ſe redemerunt, & domini non manumiſerunt, *l. 1. ff. de offic. prat.* Tertio ſi dominus ſuppreſſit tabulas teſtamentiſ quibus libertas eis dabatur *l. vix certis de judic.* Quarto ſi annonæ arctioris populi Romani. & cenſus ac falſæ monetæ dominos reos detegere velint. Quinto ſi publicæ utilitatis cauſa, vel ſalutis contra dominos agant ut quia rei majeſtatis, patriæ proditores, vel hoſtes ſint, ita Azor *lib. 2. c. 38. q. 15.*

SECTIO III.

De obligatione famulorum erga dominos.

SUMMARIUM.

86 *Famuli tenentur dominis honorem, reverentiam, & obedientiam exhibere, dum famuli ſunt.*
87 *Famulus qui promiſit ſervire integro anno, ſi tranſactis aliquibus menſibus recedit à data fide de jure Luſitano nihil ei ſolvendum eſt, ſecus in foro conſcientiæ.*
88 *Famulus qui in triennio ſalarium non petivit ſui ſervitij non poteſt illud petere finito triennio de jure Luſitano, ſecus in foro conſcientiæ.*

89 *Famulus*

89 *Famulus qui ex metu, vel ex aliqua causa servivit minori quàm consueto stipendio, potest se compensare de bonis domini.*

90 *Famulus qui minori pretio infimo, domino servivit sperans à domino aliquod beneficium, si illud postea minime accepit non potest se compensare de bonis domini.*

86 DIco primo: Famuli tenentur dominis honorem, reverentiam, & obedientiam, & operas suas exhibere dum inter domini familiares habentur, eodem modo, ac dictum est de servis: ita cum communi sententia Bonacina *tom. 2. d.6. q. unica p.8.n.14.* Adverte tamen quod si famulus promisit operas suas ad annum & ægrotet per aliquot menses, non teneri supplere operas illorum mensium, quia in promissione operarum censetur exceptus casus fortuitus; dominus tamen non tenetur ei integrum solvere salarium, nisi infirmitas fuerit ad breve tempus, v.g. ad unam, vel alteram hebdomadam, sed debet pro rata diminui, nisi aliud deductum sit in pactum, vel detur contraria consuetudo. Ita cum Navarro, Sylvest. Filliucio, Bonacina, Trullench *suprà lib.4 c.1. d.5. num.10. & 11.* Fagundez *cap.15. lib.4. n.16.*

87 Dico secundò: Si famulus promisit servire anno integro pro assignato stipendio, si primis tantum sex mensibus servivit, & recedat à data fide de jure Lusitano *in nostra ordinatione lib.4. tit.34. & 35.* nihil omnino ei solvendum esse decernitur; & ita etiam cum multis tenet Trullench. *lib.4. Decalogi cap.1. d.5. n.10.* Molina *tom.2. d.506.* Sed hæc in foro exteriori procedunt, in foro tamen conscientiæ tenetur dominus ei medietatem stipendij pro rata solvere; quia in rei veritate dimidium temporis servivit, & jus Lusitanum fundatur in malitia servorum, & in damno quod ob malitiam eorum præsumitur dominus obvenire, suppono autem hic, nec damnum, nec malitiam intervenisse, nam si famuli malitia damno herus afficeretur, tunc posset herus tantumdem à mercede extrahere, non tam in pœnam malitiæ, sed in damni satisfactionem. Ita Fagundez *lib.4. Decalogi c.15. n.15.* cum aliis Escobar *lib.31. Decalogi n.176.*

88 Dico tertiò: Famulus qui in triennio postquam servivit à domino salarium non petiit, non potest illud petere finito triennio, actio enim petendi salarium conventum, & statutum pro servitio, triennio expirat. Ita cum Caldas Pereira, Valasco, & aliis communiter Fagundez *lib. 4. Decalogi c.15. n.17.* & patet *ex jure Lusitano lib. 4. ordinationis tit.32.* & Romæ triennio præscribit famuli salarium *ex bulla 33. Pij V.* ut refert Gratianus *decis.53.* Hæc tamen procedunt in foro externo, nam in foro interno existimo salarium eis deberi Fagundez *suprà num.17.* Unde famulus si dominus nolit ei salarium solvere, etiam post triennium, potest sibi occulte compensare, nam hæc præscriptio sola est actionis ad petendum debitum salarium in judicio, ubi autem solum datur præscriptio actionis nunquam in foro conscientiæ amittitur jus rei, ut docet cum Sanchez, Gutierrez, Pereira, Fagundez *suprà num.19.* Molina *tom.1 de justitia d.67.n.3.* Immo etiam in foro externo triennium non currit famulo impedito, vel absenti, & ad interrumpendum prædictam præscriptionem sufficit petitio salarij, etiam extrajudicialis. Ita cum Gutierrez Sanchez & aliis Fagundez *suprà n.19.*

89 Dico quartò: Famulus si minus infimo consueto stipendio domino servivit vel quia ignorabat consuetum stipendium cùm se locavit, vel quia coactus fuit invitus à ministris regiis, vel à quocunque alio pro eo stipendio inservire, vel quia necessitate compulsus, non inveniens majus, pro eo se locavit, nec detur aliqua circumstantia cur minus valeat suum obsequium, quam aliorum famulorum, potest de bonis domini se occulte compensare usque ad limites justi stipendij infimi, si dominus ei justum stipendium infimum non solverit. Ita Molina *tom.2. d.506.* Fagundez *lib.4. Decalogi c.15. n.31.* Quod si famulus nulla mercede constituta pro solo victu, & vestitu gratis domino inserviat, si dominus hæc ei non ministret, sicut solent ministrari famulis similis conditionis, & aliàs ea absque rubore, vel damno non potest à domino petere, potest de bonis domini se occulte compensare, & ea occulte surripere quæ sufficiant ad hæc comparanda, quin ea à dominis petat, Molina *d.506.* Fagundez *suprà n.32.*

Dico quinto: Famulus qui minori pretio infimo servivit domino sperans à domino aliquod beneficium, si illud postea minime accepit non potest sibi licite occulte compensare. Ratio est quia spes promerendæ gratiæ aut beneficij consequendi non fuit simpliciter conditio sub qua ea facta est condonatio, qua non secuta reddatur ea condonatio nulla, sed fuit causa motiva, & finalis donandi, unde si fructus spei desit, sibi famulus, non domino imputet, & parum refert quod si id scirent nullo modo ita servirent, non enim obligatio domini oritur erga servos ex eis quæ fierent, sed ex his quæ facta sunt. Ita Fagundez *lib.4. Decalogi cap.15. num.33.* Escobar *lib.31. Decalogi num.180.* contra alios quos refert Molina *tom.1. d.210.* 90

SECTIO IV.

De obligatione dominorum erga famulos.

SUMMARIUM.

91 *Herus tenetur prospicere saluti, tam spirituali, quam corporali famuli.*

92 *Quid si famulus ægrotet.*

93 *Tenetur herus famulos pravis moribus corruptos è domo ejicere si credat hoc supplicio meliores evasuros.*

94 *Quid si ejectione pejores fiant.*

95 *Si dominus accepit famulos sine assignatione stipendij, debet eis solvere spectata qualitate servorum, & obsequiorum.*

96 *Quid dicendum de capellanis, & famulis Episcoporum, & dynastarum, qui gratis illis inserviunt.*

97 *Domini qui famulis ad furta propensis non auferunt occasionem furandi, ut in furto comprehensi corrigantur, non peccant mortaliter.*

98 *Famulo locato ad solicitanda negotia non tenetur dominus augere salarium ad augmentum causarum.*

99 *Quid dicendum de famulis, qui inserviunt mechanicis magistris suis, ut eos suas artes doceant.*

DIco primò: Tenetur herus prospicere saluti, ac vitæ famuli, tum corporis, tum animæ, dum est in ejus famulatu. Azor *tomo 2. lib.2. c.39. quæst.20.* Unde debet eis alimenta ad ejus famulatum congruentia, vel pretium conventum loco alimento 91

92 alimentorum dare. Quod ſi famulus ægrotet non tenetur dominus pro tempore infirmitatis dare ei ſalarium, ſed ſolum tenetur per octo, vel decem ei expenſas tenues facere, non tamen immodicas, unde ſi infirmitas magnis ſumptibus indigeat, & famulus bona aliunde non habeat, poteſt dominus eum mittere ad hoſpitale, vel ſi expenſis domini forte curetur, famulus tenetur eas ei ſolvere utpote non debitas. Ita cum Filliucio, Trullench. *lib.3. Decalogi cap.1.d.6. num.9.* & cum Azor, Molina, Farinacio, Fagundez *lib.4. Decalogi cap.15. numero 13.*

93 Dico ſecundo: Tenetur herus famulos pravis moribus corruptos, ſi verbis, objurgationibus, & verberibus moderatis corrigere non poſſit, è domo ejicere ſi probabiliter credat hoc ſupplicio meliores
94 evaſuros. Quod ſi pejores timet reddendos, vel apud ſe retentos meliores eſſe evaſuros, non tenetur eos ejicere Azor *ſuprà cap. 39. queſt. 13.* Nec obligatur dominus ex contractu, aut delicto famuli, niſi quando juſſu, aut authoritate domini generali vel ſpeciali, expreſſa vel tacita contraxit, vel deliquit, vel niſi aliqua actione cooperatus ſit illius delicto, Filliucius *cap.4. queſt.12.*

95 Dico tertiò: Si dominus famulos accepit ſine aſſignatione ſalarij quod Luſitane vocant, *ſervir à merce*, tunc debet eis ſolvere mercedem ſuam ſpectato tempore quo inſervierunt, ſpectata qualitate ſervorum, & obſequiorum. Molina *tom. 2. d.506.* Pueris vero quos Luſitane dicimus, *pagens* in Luſitania non debetur eis ſalarium ob præſtitum obſequium, niſi poſt quatuordecim annos expletos, puellis vero, niſi poſt duodecim; ita habetur *in ordinatione lib.4. tit.31. §.8.* Intra enim hanc ætatem contenti eſſe debent alimento, veſtitu, & bona educatione domini. Ita cum Cabedo, Mena, & aliis Fagundez *lib.4. Decalogi cap.15. num.27.* Et idem dicendum eſt de famulo, quo dominus non indigebat, ſed ob ejus amicitiam, vel ob preces parentum eum in domo ſua recipit, nulla mercede conſtituta quo uſque aliud commodum quærat, nam huic etſi major ſit viginti annorum nullum ei ſalarium debetur in utroque foro. Ita cum Molina, Mena, & aliis Fagundez *ſuprà num.28.*

96 Dico quartò: Famuli & capellani Epiſcoporum, & nobilium virorum, ſeu dynaſtarum, qui gratis illis inſerviunt ob ſperata beneficiorum aut officiorum præmia, ſi aliquod beneficium, aut officium ab eis conſequantur non poſſunt petere ſalaria; ſi vero non conſequantur poſſunt, & tenentur ea illis ſolvere domini in utroque foro, modo non ob ſuam indignitatem ea illis non conferant patet *ex l. Luſitana lib.4. tit.31. §.10.* tenet cum Mena, Fagundez *ſuprà num.29.*

97 Dico quintò: Domini vel parentes, qui filiis vel famulis quos propenſos vident ad furtum non auferunt aliquam occaſionem furandi, ut ſi eis arcam, vel ſcrinium apertum relinquant eo fine, ut furto comprehenſi eos reprehendant, caſtigent, ut ipſi reſipiſcant, non peccant, mortaliter; nam permittere, & non auferre occaſionem peccati, ut quis cautior fiat, & veritatem deprehendat non eſt cooperari ad peccatum. Secus ſi eo fine id faciant, ut ipſi peccent, & furentur, nam id tunc eſt non ſolum permittere, ſed cooperari ad furtum. Ita Sanchez *lib.10. matrim d.12. num.52.* & cum aliis Fagundez *lib.4. cap.15. n.34.* Eſcobar *lib.31. Decalogi n.190.*

98 Dico ſextò: Si famulus operas ſuas domino locavit, ad peragendas cauſas, & ſolicitanda negotia, non tenetur dominus illi augere ſalarium ad augmentum cauſarum, ſicut nec etiam augetur ſalarium advocati, aut medici, actis cauſis, aut infirmis, niſi à principio id ſit conventum. Ita habetur *de jure Luſitano lib.4. ordinationis tit.31. §.1.* & tenet cum Gutierrez & aliis Fagundez *ſuprà n.36.* Eſcobar *lib.31. Decalogi n.19.* contra Azevedum, & Menochium.

99 Dico ſeptimò: Famulis, qui inſerviunt mechanicis magiſtris ſuis, ut eos ſuas artes edoceant, non tenentur magiſtri, & domini ſolvere ſalaria, immo ipſi famuli ex conſuetudine ſalarium ſolvunt magiſtris, ut eos doceant. Ita Molina, *tom. 2. d.56.* & cum Azor, Rebello, Fagundez *ſuprà num.37.* Eſcobar *lib.31. Decalogi. num.190.* Quod tamen intellige ſi magiſtri eos vere edoceant, nam ſi in aliis rebus eos occupent, & eos parum, aut nihil edoceant, tunc exiſtimo teneri eis damnum, quod inferunt non eos docendo eis recompenſare.

DISPUTATIO IV.

De obligatione fratrum ad invicem.

SECTIO I.

De obligatione fratrum in fratres & ſoroores quoad alimenta & dotem.

SUMMARIUM.

100 *Frater tenetur fratribus extreme, vel graviter indigentibus alimenta præſtare.*

101 *Frater tenetur ſororem pauperem alere, & dotare convenienter ad genus ſuum.*

102 *An frater ſolum habens majoratum teneatur ex fructibus illius ſorores pauperes alere, & dotare?*

103 *Non tenetur frater dotare ſororem quando pater eam legitime exhæredavit.*

104 *Filius non tenetur dotare matrem inopem, ſi velit nubere.*

105 *An frater religioſus poſſit exire à religione pro ſubveniendo ſorore graviter, vel extreme indigente?*

100 Dico primò: Frater tenetur fratribus indigentibus extreme, vel quaſi extreme, vel in neceſſitate gravi conſtitutis alimenta præſtare, quibus honeſte ſuſtententur, quamvis ſit ex parte tantum frater, & quamvis frater indigens amiſerit, vel diſſipaverit bona à patre relicta, ex quibus commode ſuſtentari poterat, vel ſi pater ſororem vel fratrem hæreditate ſpoliavit, quia revera indigent, & non habent unde ſuſtententur, id enim poſtulat charitas & pietas in parentes. Ita ex communi ſententia Azor *tom.2. lib.2. cap.40.* quod procedit etſi pater in teſtamento reliquerit filiæ aliquantulam dotem, nam tunc adhuc frater tenetur eam alere, ſi alia bona ipſa non habeat, nam cum hoc legatum ei non ſit præſtandum niſi poſt contractas nuptias, interim alenda eſt ſoror pauper à fratre divite; quod procedit etſi lis mota ſit inter fratrem & ſororem ſuper dotem conſtituendam, nam interim ſoror alenda eſt à fratre. Ita cum aliis Fagundez *ſuprà num. 10. & 11.*

Dico

Digitized by Google

101 Dico secundò: non solùm in extrema & gravi necessitate, sed si soror ex utroque Patre, vel ex solo Patre pauper fit, tenetur frater dives illam alere, & dotare convenienter ad genus suum in utroque foro soli & poli. Ita cum communi sententia Barbosa, *tom. 1. p. 4. lib. 1. ff. soluto matrimonio n. 125.* Molina, *de primogeniis cap. 15. n. 60.* Nam cum deficiant ascendentes succedit frater loco ascendentium. Quod verum est etsi frater minor sit: nam ex causa dotandi prædictas sorores poterit alienare etiam bona immobilia. Ita cum multis Fagundez, *lib. 4. c. 16. n. 9.* An autem idem dicendum sit de sororibus solum ex parte matris, non vero patris? Respondeo negative, sed solum tenetur frater dives illam alere, nisi sit hæres bonorum matris; Et ratio est quia non nobis sunt de jure jura cognitionis cum illis communia. Vnde non tenetur illam dotare loco alimentorum, quia alimenta præstantur dietim, vel ad summum annuatim, at dos præstatur simul, & sic in illo agitur de majori præjudicio, ut colligitur, *ex l. tutor. 14. §. final. ff. de administr. tutorum.* Dixi nisi sit hæres bonorum matris, quia si sit illius hæres certum est teneri eam dotare & alere, ea enim obligatio transit cum bonis matris ad fratrem hæredem.

102 An autem frater solum majoratum possidens teneatur ex fructibus illius sorores pauperes ex utroque Patre natas alere, & dotare ad genus suum? Respondeo affirmative. Ita cum Barbosa, Suario, Tiraquello, Fagundez, *suprà num. 12.* Molina, *lib. 3. de primogeniis c. 15. n. 59.* asserens id sæpe fuisse judicatum: nam quamvis bona majoratus non sint obnoxia huic oneri, id tamen postulat charitas & jus sanguinis. Et idem dicendum est de clerico, potest namque ex fructibus beneficij dotem sorori præstare ut nubat, vel ut religionem ingrediatur, quia dos succedit alimentis; quod procedit quamvis sit soror ex concubitu damnato procreata, præsertim si alimenta sint omninò necessaria. Ita Trullench. *lib. 4. Decalog. cap. 1. d. 9. num. 2.* An autem ad id teneatur? Respondeo non teneri eam dotare, bene tamen alimenta præbere: nam alimenta dietim dantur, dos vero tota simul. Ita cum multis Fagundez, *lib. 4. cap. 17. n. 5. & 9.* An autem in his casibus in quibus fratres tenentur dotare sorores possint apponere pactum, quod si filios non habeant revertatur dos ad illos? Respondeo posse pro ea parte, qua ex bonis propriis illam dotarunt, non tamen si bona erant communia pro parte correspondente sorori: nam hæc succedit loco legitimæ. Ita cum Barbosa, & aliis Fagundez *suprà num. 13.*

103 Dico tertiò: non tenetur frater dotare sororem. Primo quando Pater eam rite exheredavit: nam sicut Pater ob injuriam filiæ ab onere illam dotandi liberatur, ita & frater. Ita cum Barbosa, Fagundez, *suprà num. 16.* tenetur tamen eam alere, Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 4. quæst. 4.* Secundò non tenetur frater sororem dotare quando ipse administrat bona sororis: nam soror tunc bona habet; unde si frater eam dotaverit, censetur dotare de bonis ipsius sororis. Barbosa, *tom. 1. p. 4. lib. 1. ff. soluto matrimonio n. 138.* Fagundez *suprà num. 18.* Tertiò non tenetur iterum dotare sororem viduam, si eam jam primo dotavit, si casu perdidit primam dotem, tenetur tamen ei alimenta præstare Barbosa *suprà n. 415.* & cum Solina, & aliis Fagundez, *suprà n. 20.* Quod si soror etiam alimenta dissipavit, non tenetur amplius ei alimenta præstare, nisi quatenus tenetur alteri proximo in extremis constituto, Salicetus, *lib. 2. in fine C. de alendis lib.* & Lara, *l. si quis à liberis §. idem rescripsit num. 101.* quia frater non tenetur sororem alere nisi in subsidium patris, & ascendentium, & juxta regulas extraordinarias juris, & ita sufficit si semel ei alimenta convenientia assignaverit, sicut diximus de dote. Ita cum Barbosa, Fagundez, *suprà n. 22.*

Dico quartò: filius non tenetur dotare matrem 104
inopem si velit nubere: nam quamvis ei debeat alimenta, nec pro ratione alimentorum tenetur eam dotare: nam per novum matrimonium filius quodammodo injuria afficitur: ergo non est cogendus eam dotare. Ita Barbosa, *suprà num. 413.* Fagundez, *suprà n. 23.* An autem soror dives teneatur fratres pauperes alere, & dotare, ut diximus de fratribus respectu sororum? Respondeo affirmative ex regula correlativorum. Ita Barbosa, *suprà num. 411.* Fagundez, *lib. 4. Decalog. cap. 16. n. 14.* An autem patruus teneatur dotare filiam fratris sui? Respondeo negative, quia id in jure expressum non est, tum quia sororem uterinam non tenetur frater dotare ut suprà diximus: ergo à fortiori neque consobrinam quæ ei remanet in remotiori gradu. An autem teneatur saltem alimenta ei præstare? Respondeo negative; quia id etiam jure dispositum non invenitur. Ita cum Garcia, Galleco, Barbosa, Molina, *de primogeniis c. 15. n. 667.* Fagundez, *suprà n. 21.* contra Azorium, quem refert, & sequitur Trullenc. *lib. 4. Decalog. cap. 1. d. 9. n. 2.*

An autem frater, soror, vel fratre extremè, vel 105
quasi extreme indigentibus possit exire à Religione licentia petita, sed non obtenta ad eis præstanda alimenta quoad vitam simpliciter necessaria? Affirmat Trullenc. *suprà num. 2.* secus si tantum egeant secundum suum statum. Ego tamen existimo non posse à Religione exire ad eis succurrendum cum tanto detrimento status Religiosi, quia hoc vinculum solum obligat ex charitate, & non cum tanto rigore; unde solum in Religione juxta leges illius manebit obligatio charitatis eis succurrendi major quam ad alios proximos, quantum est major conjunctio. Ita Suarez, *tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 9. num. 30.*

SECTIO II.

De obligatione fratrum in fratres quoad portionem bonorum, & quæ bona teneantur, vel non teneantur adducere in divisionem.

SUMMARIUM.

106 *Frater volens ingredi collationem cum aliis fratribus, quæ bona de jure Lusitano teneatur adducere ad divisionem?*

107 *Quid si filia dotata noluerit esse hæres, & renuntiaverit successioni paternæ?*

108 *An ad hanc collationem adducendæ sint donationes modicæ, quas pater minutatim fecit alicui filio in casu, quo excedant legitimam?*

109 *Filius ingrediens collationem non tenetur adducere sumptus pro convivio nuptiarum, bene tamen alios sumptus.*

110 *Filius, & filia de jure Lusitano, tenentur adducere vestes, & ornamenta data sibi à parentibus pro tempore nuptiarum.*

111 *Si filius, vel filia nupsit per communicationem bonorum, tenentur adducere ad collationem mortuo utroque parente totam dotem, vel illius meditatem, si uno tantum fuerint orbati.*

Digitized by Google

106 DIco primò: si frater voluerit ingredi collationem cum aliis fratribus, tenetur de jure Lusitano, adducere ad prædictam collationem tam bona immobilia quam mobilia sibi à parentibus donata, sive causa dotis, vel ex alio quocunque titulo, sive illorum valorem cum omnibus fructibus si fructifera sint perceptis à tempore mortis patris, vel matris donantis usque ad tempus partitionum, modo ea bona fructifera sint in potestate filij, vel filiæ dotatæ. Ita habetur, *in nostra ordinatione lib. 4. tit. 97. & 98.* Per rem autem mobilem, vel immobilem in hac materia partitionum intelliguntur etiam debita quorum jus Pater ipse, vel mater in filios, aut filiam causa dotis, vel cujuscunq; alterius finis transtulit Valascus, *de partitionibus cap. 13.* Emanuël, Barbosa, *in remissionibus ad ordin. lib. 4. tit. 97. n. 1.*

107 Dico secundò: si filia dotata noluerit esse hæres, & renunciaverit successioni parentum, si requiratur ab aliis fratribus læsionem suam, & inofficiositatem prædictæ dotis, vel donationis allegantibus, tenetur de jure Lusitano, afferre in divisionem id solum, quod excedit suam propriam legitimam, & tertiam bonorum patris, vel matris dotâtis, utriusq; simul, si uterque dotem constituit, cum fructibus huic excessui correspondentibus, cum hac differentia, quod si excessus fuit donatus causa dotis habet electionem æstimationis, & valoris bonorum tempore, quo facta fuit dos, vel mortis patris, vel matris dotantis, prout dotata voluerit, quæ electio sæpe utilis sibi erit; Si vero res non fuit dotata, sed extra dotem, inspiciendum est tantum tempus mortis parentis defuncti, ut habetur, *in eadem ordinatione lib. 4. tit. 97. §. 4.* Ita Valascus, *de partitionibus cap. 15. num. 83. & cap. 19. num. 5. & cap. 24. n. 20. & tom. 2. consul. 188. num. 4.* Caldas Pereira, *in l. si curator, verbo læsis num 96.* Molina, *tom. 1. d. 23. 8.* Dixi de jure Lusitano: nam de jure communi tenetur afferre ad collationem id in quo excedit legitimas aliorum filiorum, ut habetur, *in rubrica C. de inofficiosa donat. & inofficios. dote.* Et de jure Regni Castellæ, tenetur adducere id, in quo excedit legitimam filiæ recipientis & tertiam & quintam partem bonorũ ipsius patris, vel matris dotantis, ac donantis vita functi ut patet, *ex l. 29. Taur.* Valasc. *tom. 1. cõsul. 88. n. 1.*

108 An autem ad hanc collationem adducendæ etiam sint donationes modicæ quas Pater minutatim fecit alicui filio, in casu quo excedant legitimam, & Pater, vel mater id de sua tertia non minuant? Respondeo excessum harũ donationum super legitimam in quo offendũt legitimas aliorum fratrũ deducẽdum esse ex tertia patris donantis, quod si excessus excedat etiam tertiam parentis donantis adducendũ esse cũ fructibus à tempore mortis parentis donantis ad collationẽ, ut legitimę aliorum fratrum integrẽtur. Ita Gutierres, *practicar. lib. 2. q. 68* Fagundez, *lib. 4. Decalog. c. 9. n. 8.* Valasc. *tom. 2. conf. 19. n. 27.* Quod si donatio extraneis à parentibus facta sit cum præjudicio legitimæ filiorum, tunc addcenda est prædicta donatio ad collationem quoad excessum super tertiam parentum donantium cum fructibus à tempore donationis, & non à morte donatoris, & ratio est quia lex Lusitana, cùm dicit inspiciendum esse tempus mortis donantis, loquitur de donatione facta filio cum præjudicio legitimæ aliorum, unde cum non loquatur de extraneis, non est recedendum à jure communi secundum quod inspiciendum est tempus donationis, ut patet *ex Authentica, C. de inofficioso testamento & Authentica, de nonnullis donat. col. 7.* Ita Valasc. *ibi n. 29.* Fulgosius, *consil. 69.* Berepg. *in l. 4. n. 139. ff. ad legem Falcidiam.*

109 Dico tertiò: cum filij, vel filiæ dotatæ ingrediuntur collationem cum aliis patribus non tenẽtur adducere ad collationem sumptus factos à parentibus pro convivio, & festivitate nuptiarum, bene tamen alios sumptus in ludis, & taurorum agitatione &c. nam cum Lusitanum, *lib. 4. ordinationis tit. 97. §. 2.* se restrinxerit ad prandium, vel cœnam, alias expensas necessario excludit. Ita Garcia, *de expensis cap. 4. num. 10.* Molina, *de justitia tom. 1. n. 238.* Valascus, *de partitionibus cap. 15, n. 55.* & alij; unde hi sumptus pro prandio deducendi sunt ex tertio patris, vel matris, Fagundez, *lib. 4. Decalog. cap. 19. num. 20.* Quod adeo verum est, ut etiamsi filius, vel filia habeat bona propria ex quibus possint fieri hujusmodi sumptus convivij, & illa bona sint in potestate patris, adhuc Pater censetur illos de suo efficere, ut notat Valascus, *de part. c. 13. num. 57.* Baldus, *in authen. res que num. 5. commen. de leg.*

110 Dico quartò: filius, vel filia de jure Lusitano, tenetur adducere ad collationem vestes, & ornamenta data sibi à parentibus pro tempore nuptiarum, sive sint pretiosæ, sive non, & sive sit inter personas nobiles, sive ignobiles, & hoc etiamsi constet ea parentes illis liberè donasse, & non excedere quantitatem, quam parentes donare possunt absque insinuatione, sic enim præcipit ordinatio Lusitana, *l. 4. tit. 98. se o pai, ou mai ou ambos juntamente do rem alguna causa mouel, ou de rais ou filho, ou filha em casamento, ou per outra qualquer maneira fora obrigado à trafer tudo à collasaon.* Unde cum non excludat has donationes liberales, adducendæ sunt ad collationẽ; quod tamen non erat dicendum de jure communi: nam secundum jus commune non sunt adducendæ, quando non excedunt quantitatem quam parentes donare possunt absque insinuatione juxta, *l. penultimam C. de collat.* Ita Valascus, *de part. cap. 13. n. 54.* Fagundez, *lib. 4. Decalog. cap. 19. num. 12.*

111 Dico quintò: si filius vel filia dotata voluerit venire ad collationem cum aliis fratribus, tunc videndum est an contraxerit matrimonium per communicationem bonorum, Lusitane, *per carta de ametade ou per dote è arrhas.* Si contractum fuit per chartam medietatis, tunc filius, vel filia dotata, mortuo uno ex parentibus, qui eam dotarunt tenetur adducere ad collationem medietatem dotis, mortuo autem utroque parẽte tenetur adducere totam dotem ut patet, *ex ordin. lib. 4. tit. 97. §. 1.* Si vero matrimonium contractum fuit per dotem, & arrhas, si Pater solus dotavit filium, vel filiam, sine interventu uxoris, mortuo illo tenetur filius, vel filia dotata afferre ad collationem totam dotem, & idem dicendum est si mater sola dotaverit ex bonis suis dotalibus. Quod si ambo dotarunt, mortuo uno parente, solum tenetur afferre medietatem dotis in divisionem. Ita Valascus, *de part. cap. 13. num. 58. & 59.* Fagundez, *lib. 4. Decalog. cap. 19. num. 18.*

SECTIO III.

An dos data filiæ ut sit religiosa vel patrimonium filio pro sacris constituto sit conferendum ad collationem.

SUMMARIUM.

112 *Filia religiosa si conventus velit ingredi collationem tenetur adducere totam dotem.*

113 *Non tenetur afferre propinas.*

114 *Filius ordinatus in sacris tenetur adducere ad collationem patrimonium.*

Dico

Digitized by Google

112 Dico primò: ſi filia ingrediatur religionem capacem ſucceſſionis,& conventus voluerit ingredi ad collationẽ cum aliis fratribus ſpe majoris legitimæ, in primis tenetur adducere ad collationẽ dotem ipſam, & omnem ſupellectilem Luſitane, *Enxovat*, v. g. valor veſtium monialium,lectus,culcitræ, Syndones,Linteamina,&c.ita habetur *ordin.*
113 *lib.5.tit.97.*& tenent Valaſcus, *de partit. cap.* 13.*n.* 36.Fagundez, *ſup.n.* 12.Non tenetur tamen afferre popinas: nam hæ dantur loco convivij, quod ſi ultra convivium dentur aliæ popinæ monialibus, cum hæ dentur in augmentum dotis,ſunt etiam adducendæ ad collationem. Ita Molina,*tom.*1.*d.*238. Valaſcus, *ſup. n.* 37. & cum aliis Fagundez, *ſup.n.* 10. Penſa autem, & redditus annuales, qui dantur pro vita religioſa non ſunt adducendi, quia hæc dantur loco alimentorum annuatim Valaſcus, *ſup. n.* 39. Fagundez, *ſup.n.*23.Et idem dicendum eſt de donationibus remuneratoriis factis filiis à parentibus in ratione ſalarij pro ſervitio ſibi impenſo, pro ea quantitate in qua valerent ſi aliis extraneis pro eodem ſervitio donarentur. Ita Navarrus,*in ſumma cap.* 17. *num.* 145. Fagundez, *ſuprà num.* 14.

114 Dico ſecundò: filius ſacris inſtitutus poteſt ſpe conſequendi majorem portionem, quam ſibi à parentibus fuerit donata conferre cum aliis patribus ſuum patrimonium cum fructibus præceptis à tempore mortis patris,vel matris donãtis uſque ad tempus partitionum, non tamen ad id tenetur niſi in caſu quo attingat legitimas aliorum fratrum ſupra portionem illam de qua Pater, vel mater illud conſtituens libere diſponere poteſt, quæ in Luſitania, eſt tertia, & in Caſtella, tertia & quinta: nam ſi attingat legitimas,& à fratribus requiratur ut veniat ad collationem ſuam læſionem allegantibus tenetur reſtituere id, in quo excedit legitimam cujuſcunq; fratris,& ratio eſt quia quamvis hæc bona data in patrimonium reputãtur caſtrenſia,etiam bona caſtrenſia quãdo fuere data cum præjudicio tertij conferenda ſunt ad collationem, ſed hæc fuere data cum præjudicio aliorum fratrum:ergo,ita cum Azor,Salzedo, Ledeſma,Molina,Garcia, Eſcobar, *lib.*31. *Decalog.num.*318. Fagundez,*lib.*4. *cap.*20.*n.* 4.contra Caldas,Perciram, Royas,Ripam,& alios.

SECTIO IV.

Vtrum donatio à Patre facta pro militia, pro aſſiſtentia in curia regia, pro ſtudio literarum, & gradu doctoratus, pro libris emendis, & aliis ad ſtudium neceſſariis, adducenda ſint ad collationem.

SUMMARIUM.

115 *Mobilia quæ Pater,vel mater dedit filio ſub ſua poteſtate conſtituto pro bello, militia, vel aſſiſtentia in aula regia, non tenetur filius adducere ad collationem.*

116 *Quid ſi quid mobile dedit filio conjugato ad bellum proficiſcenti.*

117 *Filius non tenetur adducere ad collationem ſumptus cum eo factos in ſtudiis literarum Grammaticæ, Theologiæ, &c.*

118 *Pater non tenetur filios alere in ſtudiis cœptis uſque ad gradum doctoratus, vel formaturam.*

119 *Libri dati à parentibus filiis ſub patria poteſtate conſtitutis ad ſtudendum non ſunt adducendi ad collationem.*

Dico primò: de jure Luſitano, ſi Pater,vel mater aliquid mobile dedit filio ſub ſua poteſtate conſtituto,pro bello, militia,aut aſſiſtentia in curia Regia, hoc eſt Regis aula, vel Reginæ, vel cujuſcunque filij eorum, etiam baſtardi, ut bene Valaſcus, *de part. cap.* 13.*num.* 169 & 170. pertinent ad peculium caſtréſe, & non tenetur illud adducere ad collationem, nec valorem illius, ſi jam conſumptum ſit, ſi tamen adhuc extet, licet etiam de jure communi pertineat ad peculium caſtrenſe,& ſecundum illud ſit exemplum à collatione,*l. mul. l. miles præcipuè & ſi l.caſtrenſe,ff.de peculio caſtrenſi*,de jure tamen Luſitano,non pertinet ad peculium caſtrenſe, ſed tenetur filius adducere ad collationem id, quod tempore mortis parentis fuerit repertum, vel pretium illius,ſi id tunc vendidit, vel alienavit. Ita haberur *lib.*4.*ordinationis tit.*96 §.9 & docet Valaſcus, *de part.cap.* 13.*num.*167. Molina, *tom.* 1.*d.*230. 115

Dixi ſi aliquid dedit filio ſub ſua poteſtate conſtituto:nam ſi quid mobile dedit filio conjugato in bellum proficiſcenti, aut cauſa militiæ id non pertinet ad peculium caſtrenſe, ſed totum tenetur poſtea adducere ad collationem cum ceteris fratribus. Excipe ſi quando ad bellum proficiſcebatur adhuc non erat eques, Luſitane, *cavaleiro*: nam tunc ſi nondum eques erat, quod accepit cauſa belli,& militando inſumpſit non tenetur ad collationem afferre.Et idem dicendum eſt de eo quod inſumpſit dum ſe parabat ad bellum, etſi poſtea ex caſu aliquo fortuito non profectus eſt, quia per illum non ſtetit. Ita habetur *lib.*4.*ordinationis tit.*97 § 9.& tenet Gamma, *deciſ.*140.*n.*1. Si quid tamen adhuc tempore mortis patris,vel matris donantis extet,id tenetur adducere ad collationem, vel affirmationem illius, ſi poſt mortem parentum illud vendidit, & conſumpſit. Molina, *tom.* 1. *d.* 23. Valaſcus, *ſuprà num.* 168. Fagundez, *ſuprà num.* 9. 116

Dico ſecundò: filius non tenetur adducere ad collationem expenſas factas, tam in ſtudiis Grammaticæ quas Pater cum eo fecit ſicut ſolent efficere alij parentes ejuſdem qualitatis cum filiis ſuis,quam sũptus,quos cum eo fecit in ſtudiis Theologiæ, vel aliarum ſententiarũ,nec hujuſmodi ſumptus,computãdi ſunt in tertio patris,aut in bonis caſtrẽſibus, aut quaſi caſtrenſibus,aut adventitiis ipſius filij quæ Pater habet, niſi forte detur dubium de voluntate patris:nam quamvis Pater apud ſe habeat bona caſtréſia,vel quaſi caſtrenſia ipſius filij, poteſt ſi velit illũ alere in ſtudiis de ſuo, quin ſumptus prædictos teneantur ſumere in ſuo tertio,nec computentur in legitimam filij ut ſupra hoc eodem *tract. d.*1.*ſect.*5. *dicto* 2. latius explicavimus, & *patet ex ordinatione lib.*4. *tit.* 97. §. 5. & tenet cum Bartolo, Molina, Valaſco, & aliis Fagundez, *lib.*4 *cap.*2. *num.*14. 117

Dico tertiò:Pater non tenetur filium alere in ſtudiis cœptis uſque ad gradum doctoratus,aut formaturam, etſi filius inceperit ſtudia de licentia patris, niſi inter patrem & filios reliquoſque hæredes pactum intercedat, quod prædicta alimenta in legitimam filiorum imputentur. Et ratio eſt quia id in reliquorum fratrum cederet præjudicium Et idem dicendum eſt de aliis cohæredibus,mortuo Patre. Ita cum Antonio. Gomez,Molina,Eſcobar,*lib.*31.*Decalog.n.*220. Fagundez *lib.*4 *cap.*20.*num.*19.contra Menochium *de præſumpt. lib.* 3. *queſt.* 25. *num.* 86. Rebellum, *de juſtitia p.* 2.*queſt.*8. *ſect.*3.*num.*33. 118

Dico quartò: libri à parente ad ſtudendum dati filiis ſub patria poteſtate exiſtentibus non ſunt conferẽdi ad collationem,nec Pater tenetur eos objicere in tertia de qua libere poteſt diſponere:nam libri prædicti fuere dati ut ſuppono filio, & ab eo ac- 119

ceptati in vita Patris; ſed Pater tradens filiis ſtudentibus libros ad ſtudendum cenſetur eos abſolute impertire, non ſolùm ad uſum, ſed etiam ad dominium, & huic abſolutæ donationi cẽſentur reliqui fratres annuere ob honorem literarum, quo cupiunt fratrem frui: ergo non tenetur illos adducere ad collationem Gomez, *ad l. 29. Tauri num. 17.* & cum Navarro, Menochio, Mantica, & aliis communiter Eſcobar, *lib. 31. Decalog. num. 224.* Secus dicendum exiſtimo ſi tempore mortis patris, libri nondum erant filio traditi, nec illorum donatio, & promiſſio erat à Patre facta filio, & ab eo acceptata, ſive filius ſtudia jam abſolverit, & eſſet in procinctu ad exercendas literas, quas didicerat, aut illas jam exercuerat, ſive non; quia nondum erat perfecta donatio. Ita cum multis Fagundez, *ſuprà n. 20.* & cum aliis Eſcobar, *lib. 31. Decalog. num. 224.*

SECTIO V.

Vtrum expenſæ à Patre factæ cum filio pro doctoratu, pro militia, pro redemptione à captivitate, pro liberatione à crimine, pro beneficio obtinendo, ſint adducendæ ad collationem.

SUMMARIUM.

120 *Expenſa facta à Patre cum filiis ſub patria poteſtate conſtitutis pro doctoratu, aut pro gradu aliquo; vel commenda militari, vel pro militia ingredienda, vel pro aliqua arte addiſcenda non ſunt conferendæ ad collationem.*

121 *Idem dicendum eſt de expenſis factis pro conſequendo beneficio Eccleſiaſtico.*

122 *Quid dicendum ſit de expenſis pro expediendis bullis?*

123 *Expenſa facta à Patre pro redimendo filio à captivitate, vel pro eo à delicto aliquo eruendo, aut pœna illius ſolvenda, non ſunt adducenda ad collationem.*

120 DIco primo: expenſæ factæ à Patre cum filiis ſub patria poteſtate conſtitutis pro doctoratu, aut pro eis decorandis gradu aliquo literatum, laureave, aut pro gradu aliquo, vel dignitate, aut commenda militari, vel pro militia ingredienda, vel pro arte aliqua etiam mechanica addiſcenda non ſunt conferendæ ad collationem nec Pater tenetur illas accipere in tertia. Et ratio eſt quia hæc omnia in bonum commune cedunt, nec ad hæredes ſunt tranſmiſſibilia, aut vendibilia, & ita patet, *ex jure Luſitano lib. 4. ordinationis tit. 97. §. 7. & ex l. omnimodo, §. imputari C. de inofficioſo teſtamento, & l. 1. §. ſed an id, ff. de coll. bonorum*, & tenent Molina, *tom. 1. de juſtitia d. 241.* Garcia, *de expenſis cap. 4. à num. 13.* Valaſcus, *de part. cap. 13 num. 10.* Fagundez, *lib. 4.*
121 *cap. 21. à num. 1. uſque ad 5.* Et idem de expenſis factis cum filio ſub patria poteſtate conſtituto ad conſequendum beneficium Eccleſiaſticum affirmant communiter DD. quos refert Fagundez, *ſupra num. 5.* Sed ſtando in jure Luſitano, de expenſis factis pro expediendis bullis contrarium exiſtimat Valaſcus *lib. 13. num. 174.* & colligit, *ex ordinatione lib. 4. tit. 97.* quam opinionem probabilem putat Fagundez, *ſupra num. 5.* & in judicio forenſi ſequendam, & ita fuiſſe judicatum de expenſis cujuſdam bullæ, quam Pater conſequutus fuit à Pontifice in favorem filij majoratus, teſtatur Gamma, *deciſione 318. num. 15.*

Dico ſecundò: expenſæ factæ à Patre pro redi- 123
mẽdo filio à captivitate, vel pro eo à delicto aliquo eruendo, aut pœna illius ſolvenda, neque expenſæ litis, neque pecuniæ de quibus pro delicto filij cum partibus illius Pater convenit non ſunt adducendæ ad collationem, nec Pater tenetur illas accipere in ſua tertia ut conſtat, *ex noſtra ordinatione l. 4 tit 97. §. 8.* ex pietate namque paterna præſumitur patrem has expenſas feciſſe animo donandi, & non computandi illas in legitimam filij. Vnde ſi non conſtat de contraria voluntate patris, ut ſi Pater proteſtatus eſt coram filio, ſe ei in ſuam legitimam computaturum illos ſumptus, non tenetur filius adducere illos ad collationem, bene tamen ſi conſtet de contraria voluntate patris. Et idem dicendum eſt ſi filij ſint incorrigibiles, & delictis committendis aſſueti: nam ſi Pater hos ſumptus in illorum legitimam non deduceret, in brevi tempore aliorum filiorum legitimas diſſiparet, ita Molina, *tom. 1. d. 240.* Valaſcus, *c. 13. de partit.* & cum aliis communiter Fagundez, *ſuprà num. 7.* Et idem dicendum eſt de ſumptibus in honeſta aliqua recreatione, venatione, haſtiludio, ſeu pia peregrinatione à filio factis, quia pertinent ad alimenta competentia, niſi ut diximus Pater aliter expreſſe cum filio convenerit; ita habetur *in ordinatione, lib. 4. tit. 97.* & tenet cum communi ſententia Fagundez, *ſuprà num. 8.*

SECTIO VI.

An Pater poſſit remittere filio ſub patria poteſtate conſtituto uſum fructum bonorum adventitiorum, & profectitiorum, quin filius teneatur æſtimationem illius adducere ad collationem.

SUMMARIUM.

124 *Si Pater jam habeat collectos fructus bonorum adventitiorum non poteſt eos donare filio ſub patria poteſtate conſtituto, quin teneatur eos adducere ad collationem.*

125 *Si antequam Pater illos recipiat, remittat illos filio, non tenetur eos adducere ad collationem.*

126 *Bona profectitia remiſſa à Patre filio ſub patria poteſtate conſtituto adducenda ſunt ad collationem.*

127 *Idem dicendum eſt, ſi Pater in vita ſua remiſit emphyteuſim, vel fructus illius.*

DIco primò: ſi Pater jam habet collectos fructus 124
bonorum adventitiorum non poteſt eos donare filio ſub patria poteſtate conſtituto, quia jam ſunt in ſubſtantia patris incorporati, unde tenetur eos accipere in tertia, vel ſunt conferendi ad collationem: Valaſcus, *ſuprà cap. 13. num. 139.* & conſtat *ex ordinatione lib. 4. tit. 97.* Si tamen Pater antequam perciperet fructus, remittat illos filio, tunc non ſunt adducendi ad collationem, nec Pater tenetur eos aſ- 125
ſumere in tertio. Et ratio eſt quia collatio non ſit niſi de his, quæ de ſubſtãtia patris exierunt, ſed hæc remiſſio nihil minuit de ſubſtantia patris: nam bona adventitia quoad dominum ſunt ipſius filij, & quamvis fructus ſtatim Patri acquirantur, hæc acquiſitio ſemper intelligitur cum tacita conditione, niſi Pater nolit acquirere, & ideo ſi noluerit acquirere, ſed tacite remittat, non tenetur filius id

adducere

adducere ad collationem, nisi Pater ante mortem eam donationem revocaverit: ergo si filio pro sua vita ab initio usum fructum remisit, nec ante mortem revocavit, censetur nunquam acquisitum, & morte patris consummatum. Ita Valascus, *de part. cap.* 13. *n.* 144. Fagundez *supra n.* 12. Quamvis alij addant talem remissionem esse statim firmam, & non posse à Patre in vita sua revocari: ita Accursius, *in lib.* 2. *lib. de inofficiosa donatione*, & fatetur communem, & tenendum Tellus, *lib.* 17. *Tauri n.* 63. Et ratio est, quia illa remissio censetur renuntiatio, magis quam donatio, sed ususfructus renuntiatus statim periit & consolidatur cum proprietate: ergo.

126 Dico secundò: bona profectitia remissa, vel tacite, aut expresse donata à Patre filio sub patria potestate constituto adducenda sunt ad collationem; Et ratio est quia tunc non datur, vel remittitur à Patre jus quærendum, sed jus jam quæsitum: nam sicut Pater jam in actu est dominus bonorum profectitiorum, quoad usum, & quoad proprietatem, ita etiam est jam in actu dominus fructuum, & redditum ipsorum bonorum profectitiorum, saltem illorum qui
127 non fuerunt industriales. Ita Valascus, *sup. n.* 148. Gamma, *decis.* 118. Et idem dicendum est de Patre, qui filio sub sua potestate constituto in vita sua remisit emphyteusim vel fructus illius, tenetur namque filius illum adducere ad collationem, & in legitimam suam computare licet à Patre non fuerit empta, vel meliorata, quia tantundem Pater diminuit de propria substantia, & tantundem reperitur minus dividendum inter alios fratres cum notabili illorum præjudicio. Ita Valascus, *sup.* 13. *n.* 126. ubi ait esse commune, & patet *ex ordinatione lib.* 4. *tit.* 97. §. 22. Sed de hoc *infrà*, redibit sermo ubi hæc materia de emphyteusi latius explicabitur.

SECTIO VII.

An bona quæ filius sub patria potestate constitutus sua industria, vel labore acquisivit teneatur ea adducere ad collationem.

SUMMARIUM.

128 *Filius qui bonis parentum sustentatur, & cum eis commoratur, si quid lucretur, totum ad parentes pertinet, & ad collationem adducendum est.*

129 *Si filius sub patria potestate constitutus in re patris aliquid laboravit, & Pater pro eo servitio aliquid ei dedit in vita, aut in morte reliquit, tenetur filius id ad collationem adducere, nisi Pater illud in tertio recipiat.*

130 *Quid si filius sub patria potestate constitutus aliis servivit, tenebiturne adducere salaria parta ad collationem?*

128 Dico primò: filius qui cum altero, vel utroque parente commoratur, & de illorum bonis sustentatur quidquam sua industria suoque labore bonis parentum lucratur, id totum ad parentes pertinet, & post mortem illorum adducendum est ad collationem cum aliis fratribus patet ex ordinatione, *lib.* 4. *tit.* 97. §. 16. & tenet Molina, *d.* 234. Caldas, *in l. si curatorem verbo lasit n.* 118. Secus dicendum est de filio qui bonis patris negotiando aliquid sua industria acquisivit, si non sustentetur bonis patris: nam cum medietas hujus lucri sit quid adventitium & solum acquiratur Patri, quoad usum fructum, & filio quoad proprietatem, mortuo Patre consolidatus usus fructus cum proprietate, ac per consequens non tenetur filius illud adducere ad collationem, ita Surdus, *de alimentis tit.* 9. *quæst.* 20. *num.* 9. & cum Azevedo, & aliis Fagundez, *sup. n.* 17. & constat *ex ordinatione lib.* 4. *tit.* 97.

Dico secundò: si filius sub patria potestate con- 129
stitutus in re patris aliquid laboravit, & Pater pro eo servitio aliquid ei dedit in vita, aut in morte relinquit, etiamsi servitium fuisset dignum salario, filius tenetur totum id adducere ad collationem, nisi Pater velit illud accipere in suo tertio, nec alij hæredes pro eo servitio ei tenentur salarium dare. Ita Flores, *lib.* 1. *quæst.* 8. §. 2. *n.* 14. censetur enim filium illud fecisse amore filiali. Excipe nisi filius protestatus esset Patri, se nolle laborare, nisi tantum ei daretur, sicut extraneo, in hoc enim casu, quo tacite, vel expresse protestaretur se eo animo servire, tenetur Pater tantum pro suo labore ei dare, quantum daret alteri extraneo, & ita id non imputabitur ei in legitimam, nec tenetur adducere ad collationem, nisi Pater adeo pauper esset, ut filius eum teneretur alere. Ita cum Navarro, Fagundez. *sup. n.* 18.

Dico tertiò, si filius sub patria potestate consti- 130
tutus ex voluntate patris aliis extraneis servivit, & plura salaria lucratus fuit, licet Pater pro tempore vitæ suæ habeat in eis usumfructum, post mortem tamen patris debent ex acervo bonorum prædicta salaria reddi ipsi filio ante partitionem, tanquam bona adventitia, nec sunt ei computanda in legitimam. Ita habetur *de jure Lusitano lib.* 4. *ordinationis tit.* 97 §. 7. Barbosa, *in remiss. n.* 2. *lib.* 4. *tit.* 97. *n.* 4 & alij.

SECTIO VIII.

Utrum officia donata à Rege Patri, vel empta pecuniis paternis adducenda sint quoad valorem ad collationem inter fratres, & alios cohæredes.

SUMMARIUM.

131 *Officia donata à Rege Patri pro filiofamilias pro meritis paternis non sunt adducenda ad collationem.*

132 *Quid si officia sint pecunia paterna empta?*

133 *Quid si Pater pro se officia emit, & transacto aliquo tempore, quo ea servivit de licentia regis dedit ea in dotem filio.*

Dico primò: officia à Rege, vel Regina, vel ab 131
aliquo principe, vel dynasta, vel etiam ab aliqua camara, seu conventu regiminis alicujus civitatis donata Patri, vel filiofamilias pro meritis paternis non sunt adducenda ad collationem quoad æstimationem. Probatur a parte, *ex lege Lusitana lib.* 4. *tit.* 97. §. 10. *ordinationis*, ubi statuit has donationes rationem adventitiorum habere; sed bona adventitia post mortem patris tota sunt filiorum, & non veniunt ad partitionem: ergo ita Valascus, *de partit. cap.* 13. *n.* 27. Fagundez, *lib.* 4. *in* 4. *præceptum Decalog. cap.* 22. *n.* 2.

Dico secundò: officia à parentibus sibi ipsis, & 132
pro filiis ex propria pecunia paterna, aut à filiis eadem pecunia paterna pro se ipsis empta, sive emptio facta sit cum expressa licentia Regis ad vendendum, sive tacita ad renuntiandum, sive facile, sive difficile talis licentia concedatur, quoad æstimationem semper sunt de jure Lusitano, adducenda ad collatio-

nem Ita contra Vbald. Covarruvias, Aretin. Craver. Iason, & alios Valascus, *de part. cap.* 13. *num.* 64. Fagundez, *supra num.* 7. Ratio est quia *in lege Lusitana lib.* 4 *tit.* 97. generaliter discernitur ut omnia bona quocunque modo à Patre, vel matre acquisita, vel utroque simul adducantur ad collationem; sed talia officia veniunt nomine bonorum, & fuere pecuniis paternis acquisita, ergo adducenda sunt ad collationem. Tum quia si illa officia ad collationē non adducerentur jam alij filij paterentur damnum, & inæqualitatem in pecunia qua fuerunt empta quæ è bonis patris exivit, quod tamen iniquum videtur. Et idem dicendum est de officiis publicis emptis à viro matrimonio constanti, & de emphyteusi empta pecuniis communibus mariti & uxoris; hæc enim etiam quoad æstimationem pro valore quo æstimabantur tempore mortis viri, seu collationis, & non emptionis, ut statuit, *lib.* 4. *ordinationis tit.* 97 §. 23. & 24. adducenda sunt ad collationē cum uxore ab hæredibus mariti post mortem viri vel uxoris propter eādem rationem, ita Covaruvias *lib.* 3. *variarum c.* 19. *n.* 45. & 46. Advendaño, *responso* 9. *num* 2. & *responso* 38. Fagundez, *sup. cap.* 22. *num.* 9.

133 Dico tertiò: si prædicta officia à parentibus pro se tantum emantur, & post emptionem transacto aliquo tempore, Pater licentiam à rege, vel à principe obtineat, ut illa possit post mortem, vel in vita renuntiare filio, vel filiæ, aut genero pro dote, ut plesūq; fit in Lusitania, non tenetur recipiēs adducere illa, etiam quoad æstimationem ad collationē. Ratio est quia, quæ donātur à Rege, vel principe alicui in dotem filij, vel filiæ vel in adjumentum dotis, vel causa nuptiarum, eximuntur ab onere collationis, ut patet *ex l.* 4 *ordin. Lusitan. tit.* 97. §. 10. 11. & 12. Sed hæc officia fuere donata à Rege filio, vel genero pro dote &c. ergo eximuntur à collatione. Ita Fagund. *lib.* 4. *in* 4 *præceptum Decalog. c.* 22, *n.* 11. & 12. contra Gammam, Valascum, & ex parte contra Molinā, *de justitia tom.* 1. *d.* 241. qui ait, quod quando officiū de licentia Regis renuntiatur à Patre in filium in vita patris, teneri filium afferre ad collationem æstimationem illius pro tempore quo Pater victurus erat, sicut de emphyteusi empta à Patre statuitur, *jure Lusitano lib.* 4 *ordinationis tit.* 92. §. 22. in quo etiam convenit cum Molina, Valascus, *de part. c.* 13. *n.* 76. Gamma *dec.* 92. *n.* 4. 5. Sed sententia Fagundez, id etiam negans certior est, & in praxi sic fuit judicatum in senatu regio, ut testatur ibi Fagundez, & datur diversa ratio de emphyteusi: nam emphyteusis simpliciter, & ex natura sua est transferibilis ad hæredes emptoris, & non indiget nova gratia, vel facultate regis, vel principis ad emptionem, vel translationem, etsi indiget facile impetratur talis gratia, & facultas quod non est ita in officiis, in quibus rarò talis facultas solet in hoc Lusitaniæ Regno concedi.

SECTIO IX.

Vtrum filius teneatur adducere ad collationem cum aliis fratribus, & cohæredibus ea, quæ malè consumpsit.

SUMMARIUM.

134 *Qua filius à parentibus subripuit ut ludo, vel luxuriæ indulgeret, si excedat alimentorum fines, tenetur ea adducere ad collationem.*

135 *Si peracta divisione bonorum hæredes conveniant ut nullus amplius de evictione teneatur in posterum, nullus de evictione tenetur.*

136 *Facta partitione coram cohæredibus, & ab omnibus subscripta; non potest deinceps revocari, etiamsi aliquis vellet opponere.*

134 Dico primò: si filius aliqua à parentibus subripuit ut ludo, vel luxuriæ indulgeret, si hæc sic illicite & prodige consūpta non excedant illa, quæ Pater solet filiis concedere ad insumēda in aliquam honestam recreationem & sui sustentationem, non tenetur filius illa sic male consumpta adducere ad collationem. Secus si bona quæ dissipavit tanta essent, ut attentis divitiis & facultatibus, & qualitate parentum, & filij omnino excederet alimentorum fines: nam tunc tenetur filius adducere ad collationem, etsi constet patrem ea velle illi remittere, nisi ea assumat in suo tertio, aut nisi alij cohæredes tantundem inordinate insumpserit: nam tunc locus est compensationi. Ita Molina, *tom.* 1. *de justitia d.* 242. & cum Soto, Fagund. *lib.* 4 *in* 4. *præceptum Decalog. cap.* 24. *num.* 2. & 6. Escobar *lib.* 31. *Decalog n.* 227. Ratio est quia in primo casu cum res consumpta non sit adeo excedens præsumitur patrem nolle filium eam adducere ad collationem etli illicite fuerit consumpta. Secus in secundo casu ob grave aliorum fratrum præjudicium. Ita & bene Escobar, *ibi n.* 227.

135 Dico secundò: peracta bonorum divisione, si hæredes conveniant ut nullus de evictione teneatur, tunc cum pactum, & commodum, vel incommodum omnibus sit commune in posterum de evictione non tenentur: ita habetur, *l. si familia C. famil. erciscund.* & Glossa, ibi Molina, *tom.* 1. *de justitia d.* 145. & alij communiter.

136 Dico tertiò: facta partitione coram cohæredibus, & ab omnibus subscripta non potest deinceps revocari, etiamsi aliquis eorum adversus illam vellet opponere nisi aliquis opponat, & probat fuisse deceptam ultra dimidium justi pretij, vel nisi aliquis intra annum opponat, & probet se læsum fuisse in sexta parte quantitatis: nam tunc revocatur partitio *l. si soror C. de collat.* Potest etiam revocari partitio facta, quando aliquis erat minor tempore, quo partitio fuit absoluta, & se læsum invenerit, & hoc privilegium illi competit usque ad 20. ætatis sūæ annum per beneficium restitutionis in integrum. Ita cum communi sententia Fagundez, *lib.* 4 *in* 4 *præceptum Decalog. cap.* 24. *num.* 78. & 9.

DISPUTATIO V.

De obligatione subditorum, & discipulorum erga suos superiores, & magistros.

SECTIO I.

De obligatione subditorum sæcularium erga principem laicum, & è contra.

SUMMARIUM.

137 *Quibus obligationibus teneatur vassalus erga principem secularem, declaratur.*

138 *Quæ obligationes dentur erga vassalos ex parte principis proponuntur.*

139 *In quibus peccent mortaliter principes seculares erga subditos?*

Dico

137 Dico primò: quinque præcipuæ sunt obligationes quæ in vasallis ex subjectione erga suum principem oriuntur. Prima ut in rebus justis & honestis eis subjiciantur. Unde non acceptantes leges justas, & honestas peccant mortaliter, & idem dicendum est si eos contemnant, vel debitum honorem eis negent D. Th. 2. 2. *quæst.* 105 *art.* 1. Secundò cogi possunt à principe, vel republica ad aliquid agendum, vel vitandum, etiam cum periculo vitæ, vel cum pœna mortis, quia princeps habet jus conservandi bonum commune, ad quod prædicta aliquando sunt necessaria. Tertiò tenentur legibus, etiam civilibus aliquando sub mortali obedire, quæ autem hæ sint vide apud DD. in materia de legibus. Quartò tenentur suum principem defendere ab hostibus, etiam cum periculo vitæ, si opus fuerit. Quintò tenentur in conscientia solvere gabellas justas, etiam novas à principe impositas, & in dubio an sint justæ pro principe est præsumendum, & solvendæ etiam infideli. Hæ tamen gabellæ si non petantur secluſa fraude non debentur. Et idem dicendum est si certo sciatur non impendi gabellam in rem ob quam est imposita, item solventes pœnam non tenentur ad gabellam, tenentur tamen quando id eorum conscientiæ relinquitur. Filliucius, *tract.* 28. *p.* 2. *num.* 113. & alij communiter apud Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 31.

138 Dico secundò: ex parte principis dantur etiam plurimæ obligationes. Prima, tenentur administrare justitiam, sine personarum acceptione 2. tenentur integritatem morum, ac modestiam servare, ut exemplo subditis præluceant 3. tenentur Deum, & ejus Ecclesiam revereri, & Dei, & Ecclesiæ præcepta observare, debet enim in principe reducere Religio in Deum, clementia, & manſuetudo in vasallos, liberalitas, & justitia, & fortitudo, præsertim bellica prudentia rerum gerendarum, magnificentia in templis extruendis, erigendis academiis, magnanimitas. Navar. *sum. cap.* 25. *num.* 1. Filliucius, *tract.* 28. *p.* 2. *num.* 125. Azor, *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 6.

139 Dico tertiò: sicut sunt multæ principum secularium obligationes, ita in multis possunt mortaliter peccare. Primò in immodica regnandi libidine, unde alieni principatus invasio, retentio, & cupiditas dilatandi imperium oriri solent. 2. in indicendo bello injusto. 3. in negligentia circa artium munitiones unde populi securitas, & pax pendet, 4. in non reficiendo, ac custodiendo publicas vias unde salus viatorum periclitatur 5. in non subveniendis pauperibus, & miserabilibus personis gravia incommoda ex inopia patientibus 6. in non tollendis pravis, ac nocivis consuetudinibus usurarum, contractuum lege Ecclesiastica, vel naturali prohibitorum, ludorum ac spectaculorum cum delictorum lethalium morali periculo: 7. imponendo tributa iniqua, vel antiqua, sine causa augendo, vel agendo subditos ad extruendas proprias domos mercede non adhibita 8. si iniquas leges condant, si Ecclesiastica jura sibi arrogent Ecclesiasticam jurisdictionem interturbando, & falcem in messem alienam immittendo 9. si cogant per vim vel fraudem subditos sibi facere donationes, in quo casu etiam tenentur ad restitutionem 10. si leges condant in suum commodum 11. si cogant subditos ad certa matrimonia contrahenda, vel à contrahendis impediant 12. si assumant ad gubernium viros ineptos, vel minus aptos, in quo casu tenentur etiam ad damna secuta 13. si in regno suo libertatem conscientiæ permittant. Ita Filliucius, *tract.* 28 *p* 2. *n.* 125. Azor, *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 6. Navar. *cap.* 25. *num.* 1. Escobar, *lib.* 31. *Decalog. num.* 33. Trullenc. *lib.* 4. *Decalog* c. 1. *d.* 10. *num.* 3. Fagundez, *lib.* 4. *in* 4. *præceptum Decalog. cap.* 15. *num.* 1. *& sequentibus.*

SECTIO II.

De obligatione subditorum Ecclesiasticorum erga suos prælatos.

SUMMARIUM.

140 *Quibus obligationibus tenantur subditi erga suos prælatos Ecclesiasticos declaratur.*

141 *Quæ clerici subditi teneantur suis prælatis exhibere.*

142 *Quam obligationem habeant beneficiarij simplices.*

143 *Quam obligationem habeant curati.*

Dico primò: loquendo de subditis in communi, tenentur subditi erga prælatos eis præstare primo amorem, tanquam filij erga patres suos spirituales 2. reverentiam propter dignitatem in qua sunt 3. tenentur eos defendere, & necessaria ministrare; 4. tenentur eis in rebus licitis & honestis obedire, unde si res præcepta sit peccatum etiam veniale, vel si sit licita, non potest tamen exequi sine scandalo, non tenetur subditus obedire, bene tamen in dubio, an sit licitum id quod præcipitur quia tunc stat possessio pro prælato. An autem si præcipiantur actus mere interni teneatur subditus obedire? Respondeo negative, etiamsi cum censura præcipiantur. Excipe nisi actus internus indirecte præcipiatur quando omnino necessarius ad exercendos aliquos actus externos, ut habere intentionem recitandi, imò dum voluntas superioris non est subdito expresse notificata non tenetur subditus sub præcepto ei obedire, quamvis majoris perfectionis erit sectator, si superioris voluntati, etiam sibi solum tacitæ notæ obediat. Ita cum communi sententia Filliucius, *tract.* 28. *cap.* 5. *q.* 3. Trullenc. *lib.* 3. *c.* 1. *d.* 7. *à n.* 1. *usque ad* 4. 140

Dico secundò: loquendo in particulari de subditis, Clerici tenentur suis prælatis obedire. Primò in his quæ pertinent ad statum clericalem, in quibus si noluerint obedire, si materia sit gravis est peccatum mortale. Unde si Episcopus alicui præcipiat aliquem excommunicare, tenetur ei obedire, nisi certo ei, constet esse innocentem: nam tunc debet recurrere ad superiorem, & coram eo probare innocentiam, si potest, aliàs tenetur prælato præcipienti obedire, tenetur etiam Romam petere si ab Episcopo pro negotiis suæ Ecclesiæ percipiatur; non tenetur tamen renuntiare suum beneficium, etsi ab Episcopo præcipiatur, nisi esset aliqua causa, ut quia esset ineptus, &c. ita Filliucius, *suprà num.* 94. 141

Dico tertiò: beneficiarij simplices eandem habent quam clerici obligationem respectu suorum prælatorum. Insuper tamen tenentur dare charitativum subsidium in casibus in quibus prælati illud exigere possunt. Excipe nisi clerici beneficiarij inopes sint, & tantum honestum victum ex beneficio recipiant, vel si nullos fructus ex beneficio capiant, à quo etiam clerici non beneficiarij, etsi divites sint liberi sint. Pensionarij tamen tenentur illud solvere, nisi habeant clausulam, ut sint ab illo immunes. Filliucius, *sup. cap.* 5. *quæst.* 6. Barbosa, *de potestate Episcopi alleg.* 87. ubi de hoc latè. 142

Dico quartò: curati tenentur interesse Synodo Diœcesanæ, & quæ in ea salubriter decreta sunt observare; procurationem visitationis solitam cum Episcopus, vel alius ejus loco visitat, solvere Graviores, 143

viores caſus cum Epiſcopo, vel Prælato conferre, ipſum juvare in ſubſidio charitativo. Ita Filliucius, *ſuprà q.* 7. Quoad obligationem autem Religioſorum erga ſuos prælatos vide quæ dixi, *in noſtro directorio regularium p.* 2. *tract.* 3. *d.* 6. *ſect.* 1. §. 3. *à n.* 30.

SECTIO III.

De obligatione Prælatorum Eccleſiaſticorum erga ſuos ſubditos.

SUMMARIUM.

144 *Epiſcopi etiam Cardinales, tenentur reſidere in ſuis Eccleſiis de jure divino.*
145 *Quando, & quomodo poſſint ab illis abeſſe?*
146 *An rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione regni, vel conſilij?*
147 *Epiſcopus debet habere ſufficientem ſcientiam, Theologicam, vel Sacrorum Canonum.*
148 *Epiſcopus tenetur ſingulis annis Synodum convocare, & quolibet triennio Provinciale, ſi Archiepiſcopus fuerit.*
149 *Curatus tenetur de jure divino reſidere.*
150 *Parochus tenetur ſuis ovibus ſacramenta miniſtrare.*
151 *Parochus tenetur per ſe, vel per alium populum doctrinam Chriſtianam docere.*

IN hac ſectione aliqua breviter dicemus de obligationibus Epiſcoporum, & parochorum: nam cætera quæ ad eorum, & aliorum ſuperiorum prælatorum ſpectant conſulto ad aliud ſpeciale opus Deo dante reſervamus.

144 Dico igitur primò: Epiſcopi etiam Cardinales, tenentur reſidere ſuæ Eccleſiæ ſub mortali. Ita habetur, *in Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformatione.* Hæc autem obligatio eſt de jure divino & non tantum Eccleſiaſtico. Ita cum communi ſententia Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. & favet Trid. *ibi*, & non reſidentes abſque legitima cauſa non faciunt fructus ſuos in conſcientia pro rata abſentiæ, & tenentur illos reſtituere ſtatim ante omnem ſententiam, ut habetur in Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformatione.* Poſſunt tamen ex juſta cauſa per duos, aut tres menſes
145 abeſſe: cauſa autem juſta erit primo, Proximorum utilitas ut ſi ſua præſentia poſſet graves inimicitias inter duos magnates componere &c. Secunda eſt urgens neceſſitas vitæ corporalis, morbi periculoſi. Tertia eſt debita obedientia, ut ſi Pontifex vocaret Epiſcopum. Quarta eſt propriæ, vel univerſalis Eccleſiæ utilitas, ut ſi addat ad Concilium Generale, Quinta eſt reipublicæ utilitas. Quæ cauſæ quando concurrant à Romano Pontifice, vel à metropolitano ſunt examinandæ, ut docet Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reformatione*, & ex prædictis cauſis, etiam ſi dubiæ ſint poteſt Pontifex, vel metropolitanus diſpenſare. Trullenc. *lib.* 4. *Decalog. cap.* 1. *d.* 8. *num.* 2.

146 An autem rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione Regni, ſeu conſilij? Affirmant Selva, Cevallos, Gregorius, Rebuffus, quos refert Diana, 3. *p. tract.* 1. *reſol.* 5. dicunt enim Reges, & principes habere privilegium à ſede Apoſtolica, ut Epiſcopi, & alij clerici, qui eis inſerviunt alicui officio, ſeu ſervitio non teneantur reſidere, & poſſint percipere fructus beneficiorum. Sed hæc ſententia ſolum exiſtimo procedere quando non dantur alij viri ſatis idonei, qui hæc obſequia æque commode præſtare poſſint: nam ſi dentur alij homines ſæculares qui æquè commode hæc officia adminiſtrari poſſint, tunc non poſſunt Reges prædicto privilegio Romani Pontificis uti, cum reſidentia ſit de jure divino, & deſit neceſſitas, & bonum commune, ob quæ ſolum Pontifex poteſt diſpenſare. Ita & bene cum Azorio, Soto, Diana, Rebuffo, Baſæus, *in ſupplemento verbo reſidentia n.* 4. Joannes Sanctius, *in ſelectis d.* 47. *num.* 26.

Dico ſecundò: Epiſcopus debet habere ſufficien- 147
tem ſciẽtiam, vel Theologicam, vel ſacrorum canonum, tum ut verbi Dei prædicationi inſiſtat, tum ut in conſiliis recte ſuam ſententiam in rebus fidei, & morum dicat. Filliucius, *tract.* 28. *cap.* 6. *q.* 6. *n.* 109. non eſt tamen opus ut Epiſcopus ita doctus ſit, ut ex tempore poſſit omnes difficultates adverſus fidem, & circa mores inſurgentes diſſolvere; ſufficit ſi adhibito conſilio peritorum id facere poſſit Suarez, *de fide d.* 13. *in fine.*

Dico tertiò: Epiſcopus tenetur ſingulis annis Sy- 148
nodum convocare, & quolibet triennio provinciale, ſi Archiepiſcopali munere fungatur. Tenetur ſingulis annis per ſe, vel per diœceſim viſitare. Debet pro ſua diœceſi inſtituere miniſtros idoneos, & bonæ famæ, debet inquirere circa peccata populi ſui, & corrigere ſubditos verbo, & exẽplo, vel facto ſicuti opus fuerit. Debet pauperibus reddituſ ſuos diſtribuere, iis tantum ſubtractis, quæ neceſſaria ſunt ad decentem victum, & veſtitum, & ornatum domus ſuæ. Debet cauſas Eccleſiaſticas indicare, cõfeſſores & prædicatores, etiam ex regulatibus approbare, intra territorium aliquas irregularitates, vota, & matrimonij impedimenta, & alia hujuſmodi diſpenſare. Ordines per ſe ipſum conferre, vel demiſſorias ad alios Epiſcopos concedere. Confirmationem ſuo tempore miniſtrare, Beneficia dignis conferre ſine ullo conſanguinitatis reſpectu. Procurare ut fidelium teſtamẽta adimpleantur, Permutare beneficia, dividere pinguia, vel unire tenuia, dare coadjutorẽ parocho inſufficienti. Denique tenetur bonum præbere exemplum, & alia hujuſmodi, de quibus vide Henriq. *l.* 10. *de ordine, c.* 35. *n.* 5. *&* 6. Baſæum, *in ſupplem. verbo Epiſcopus, n.* 19. Toletum, *lib.* 5. *c.* 4.

Dico quartò: curatus tenetur ſicut Epiſcopus de 149
jure divino reſidere. Poteſt tamen ex juſta cauſa abeſſe dummodo vicarium ſubſtituat, qui vicarius ſi abſentia excedat octo, vel novem dies debet ab Epiſcopo ſubſtitui, ſi tamen abeſſet per ſeptem aut octo dies poſſet ipſe curatus talem ſubſtituere ſine Epiſcopo, ita conſuetudine approbante, niſi aliud conſtitutio diœceſana determinet, nec ad talem abſentiã requiritur licentia Epiſcopi, ſed ſufficit juſta cauſa & quod ſuæ Eccleſiæ provideat. Si tamen abſentia ſit temporis longioris, v. g. duorum menſium, aliqui volunt requiri ſuperioris licentiam. Probabilius tamen eſt non requiri Epiſcopi licentia. Ita Navar. *cap.* 23. *n.* 121. Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 10. probabile putat Trullenc. *lib.* 4. *Decalog. c.* 1. *d.* 8. *n.* 9. cauſæ autem juſtæ cenſentur omnes illæ, quæ juſtificãt Epiſcopi abſentiam, ſed de his vide latius Barboſam, *de officio Parochi, cap.* 8. *per totum.*

Dico quintò: Parochus tenetur ſuis ovibus ſa- 150
cramẽta adminiſtrare, ut latius in materia ſacramentorum diximus. Tenetur pro populo orare, & Miſſam, ut illam audiant ſaltem diebus feſtis celebrare, non tamen eam tenetur pro populo applicare, niſi ex fũdatione Eccleſiæ hæc obligatio illi ſit impoſita Suarez, *to.* 3. *d.* 86. *ſ.* 1. Conine. *in* 3. *p.* 83. *a.* 1. *d.* 11. & nos cũ aliis latius diximus in tractatu de ſacrificio.

Dico ſextò: Parochus per ſe, vel per alium tenetur populum doctrinam Chriſtianam docere. Imò tenetur per ſe, vel per alium docere populum prædicando;

prædicando; Ab hac tamen obligatione excuſatur ſi adſint alij, qui hoc faciant. Ita cum Toleto, Poſſevino, Trullenc. *ſuprà num.* 12. Diana *p.* 6. *tract* 7. *reſol.* 13. contra Bonacinam. Tenetur audire confeſſiones ſubditorum, vel per ſe, vel per alium, quoties id rationabiliter petunt, ſive ratione feſti occurrentis, aut indulgentiarum, ſive quia habent peccata, quæ conſcientiam gravant, ſive ob aliam cauſam. Ita Vaſquius, & aliquos refert & ſequitur Diana *p.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 2. etſi etiam probabile ſit non teneri, niſi quando ipſi obligantur ad confeſſionem. Ita Reginaldus, & alij quos refert Diana *ſuprà & p.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 90. Tandem tenetur parochus infirmos ſuæ parochiæ viſitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, de quibus, & aliis vide Reginaldum *tomo* 2. *lib.* 20. *cap.* 3. *ſect.* 3. *num.* 68. Barboſam *de officio parochi cap.* 7.

SECTIO IV.

De obligatione magiſtrorum erga diſcipulos & è contra.

SUMMARIUM.

152 *Quæ teneantur exhibere diſcipuli erga magiſtros?*
153 *Magiſtri tenentur non diſſimulare diſcipulorum crimina.*
154 *Cavere debent ne animæ noxia documenta tradant.*
155 *Tenentur ſtipendia juſto majora non exigere.*

152 DIco primo: Diſcipuli erga magiſtros honorem, & reverentiam in rebus pertinentibus ad bonos mores eis tenentur exhibere. Tenentur eis ſicut parentibus obedire, debent diligenter ſtudiis vacare. Pecuniam à parentibus traditam in rebus licitis & honeſtis expendere. Non debent ob finem malum ſtudere. Tenentur ſtatuta Academiæ ad mortale obligantia obſervare. Tenentur digno ſuffragari, unde ſi indigno ſuffragentur, vel curent, ut alij ſuffragentur peccant mortaliter. Idem dicendum eſt ſi ſcientias veritas, aut ſuperſtitioſas addiſcant, ſi contra veritatem à ſe cognitam altercationes, non diſputandi gratia excitent, maximè ſi id cum ſcandalo fiat, ſi ſtipendium cum poſſint magiſtro non ſolvunt, ſi tempore lectionum, & quo magiſtros debent audire occupentur in ludis computationibus, & huc, illucque vagentur, inſumendo patrimonium parentum in rebus vanis, & profanis. Ita Filliuc. *tract.* 28. *p.* 2. *c.* 10. *q.* 1. Navar. *ſum. cap.* 25. *num.* 59.

Dico ſecundo: Magiſtri erga diſcipulos tenen- 153
tur non diſſimulare diſcipulorum crimina, ſed corripere ubi fuerit opus. Debent adhibere ſtudium ut diſcipuli in litteris promoveantur, & curam eorum gerere in rebus ad mores attinentibus & hone- 154
ſtam educationem. Unde cavere debent ne animæ noxia documenta tradant, quæ eſſent contra fidem, aut bonos mores, aut ne falſa, ut vera doceant ex induſtria, quia hoc eſſet proculdubio mortale, ſicut etiamſi averteret ſcolaſticos auditores ab aliis doctoribus cauſa eorum injuria, aut auditorum damno. Tenentur præterea ſtipendia juſto majora non exigere, nec ſe ad docendum exponere, 155
ſi ſe idoneos non cognoſcant. Debent item ſe diſcipulorum captui accommodare, & non negare dignis doctoratus inſignia, aut indigno concedere, peccaret enim mortaliter præſertim in Theologia, jure canonico, civili, vel medicina. Filliuceius *tract.* 28. *p.* 2. *à num.* 151. Navar. *ſum. cap.* 25. *num.* 55. Caietanus *ſum. verbo magiſtrorum peccata.*

TRACTATUS OCTAVUS,

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO

Non occides.

IN hoc tractatu primo de homicidio juſto tam publica authoritate facto quam privata diſputabimus. Deinde de injuſto ſui ipſius & de injuſto proximi dicemus, ubi etiam plura de duello explicabimus: ſit igitur,

DISPUTATIO I.

De Homicidio publica authoritate facto.

SECTIO I.

Utrum liceat occidere malefactores.

SUMMARIUM.

1 *Homicidium eſt hominis occiſio.*
2 *Authoritas publica licite poteſt per juſtitiam punitivam malefactores occidere.*
3 *An princeps non agnoſcens ſuperiorem poſſit malefactorem occidere ſine ullo ſummario?*
4 *Poteſtas publica poſt latam ſententiam poteſt concedere privatis ut occidant bannitum.*
5 *Ut hæc occiſio banniti licita ſit debet fieri in territorio proſcribentis.*
6 *Qui per ſententiam non ſunt banniti non poſſunt occidi.*
7 *Maritus non poteſt licite occidere uxorem deprehenſam in adulterio, nec pater filiam deprehenſam in carnali actu.*
8 *Quid ſi poſt datam ſententiam judicis authoritate, uxor marito tradatur occidenda?*
9 *Qui clericum inventum cum uxore occidit, licet peccet non incurrit excommunicationem.*

1 SVppono primo homicidium nihil aliud esse quam hominis occisionem; quæ descriptio ad omnia homicidia superior est. Secundo suppono, homicidium esse prohibitum secundum quod habet rationem indebiti ut explicat D. Th. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. hoc est, ea sola hominis occisio, quæ indebita est, & à vera ratione aliena prohibita est, unde quando homicidium debitum est, & secundum rationem, non est prohibitum; in hoc conspirant universi Th. contra Manichæos: His suppositis,

4 Dico primo: Authoritas publica per justitiam punitivam licite potest malefactores occidere. Est de fide; & patet *Exod.* 22. *maleficos non patieris vivere.* Tum quia aliàs nulla pax, nulla quies, nec securitas in republica regnaret, sed sicut pisces maris majores devorarent minores. Debet tamen servari juris ordo, nimirum quod hi citentur, audiantur ac factum probetur. Excipe principem supremum qui in aliquo casu poterit sine his solemnitatibus, urgente causa, ne temere agat, condemnare. Primo si delictum sit notorium. 2. Quando grave reipublicæ imminet periculum, si statim non fiat. 3. Quando apparet periculū fugæ. Sed in his casibus debet princeps certus esse de delicto, & summarium instituere processum, aptumque defensorem constituere reo, etiamsi absens sit, & tunc posset condemnare, immo & occulte laqueo, vel veneno interficere post percepta Sacramenta præsertim confessionis. Ita cum Lessio, Aragonio & aliis Decastillus *lib. 2. tract. 1. d. 4. d. 6. q. 2. n. 109.* Tambu. *lib. 6. cap. 5. §. 4. num. 7.*

3 An autem princeps non agnoscens superiorem id etiam efficere possit sine ullo summario? Negat Lugo *tom. 1. de justit. d. 37. n. 32.* Affirmat in aliquo casu raro, [ut si occidendus esset filius principis, qui publicè absque gravi scandalo occidi nequeat, vel si quis ingressus esset Reginam] Lessius *lib. 2. c. 29. n. 9.* cui favet Fagund. *in præcept. 8. Decalog. c. 20. n. 18.* Decastillus *de justitia lib. 2. tr. 1. d. 4. d. 5. q. 2.* Bosius apud Dianam *p. 10. tr. 15. res. 34.* Tambur. *sup. n. 7.* Non enim tunc expedit bono publico ut delictum in judicio probetur, & alias ut supponimus probari potest. Debet tamen in hoc casu Princeps audire reum, si præsens sit, vel debet curare ut allegentur pro absenti quæcunque allegari possunt, ne jus defensionis reo ulla ratione adimat, ita Decastillus *supra num. 9.* Tamburinus *supra.*

4 Dico Secundo: Potest publica potestas post latam sententiam concedere privatis facultatem occidendi bannitos vel proscriptos, etiam proposito præmio, & etiam ut se ipsos adinvicem, etiam proditorie occidant, etiamsi tunc occisus præter voluntatem occidentis confessione careat, tunc enim ipsi proscripto imputatur confessionis carentia, tum quia secus nullus bannitus posset [cum semper fere ipsis confessio desit] interfici. Tunc tamen privati quicunque ut ministri publici occidunt. Ita Trullenc. *lib. 5. Decalog. c. 1. d. 2. n. 8.* Decastillus *lib. 2. tract. 1. disp. 10. d. 1. n. 7.* Tamburin. *lib. 6. c. 2. §. 4 n. 2.* contra Bonac. quem refert Trullenc. *sup.* Excipe tamen filios & uxores, nam his non licet parentes, & maritos bannitos occidere. Dicastillus *sup. n. 15.* & cum Layman, Tamburin. *lib. 5. c. 2. §. 2. n. 16.* contra Gomez, Clarum, & alios. Excipe nisi pater nulla via posset averti ab armis contra patriam, nam tunc posset eum filius licite occidere ob bonum universale, Dicastillus *sup.* Tambu. *sup.* Diana *p. 8 tr. 7. resol. 42.*

5 Dico tertio: Ut hæc occisio banniti sit licita debet fieri in territorio proscribentis non vero in alieno nisi ex tacito vel rationabiliter præsumpto principis consensu; qui tamen consensus fere semper adest ut multidicunt apud Dianā *p. 5. tr. 4. res. 24* at si princeps dissentiret, posset ab eo banniti homicida justè puniri, & occidendo graviter peccaret Trullenc. *sup. n. 10.* Tamburin. *sup. num. 2.* An autem ipse bannitus posset armis resistere volenti eum interficere? Respondeo negative, si quidem occisor in hoc casu habet se ut minister justitiæ, potest tamen fugere, sicut licet aliis reis comprehensis si possunt fugere. Ita cum Sayro, Salon, Trullenc. *suprà num. 10.*

6 Dico quarto: Qui non sunt legitime per sententiam proscripti, vel banniti, sed solum rei, etiamsi sint grassatores viarum, regulariter non possunt occidi, nec à satellitibus quidem eos capere volentibus, solum ex eo qnod ipsis resistant, nec possunt tunc judices satellitibus facultatem concedere, ut occidant; siquidem nondum sunt convicti de crimine capituli; dixi regulariter, quia positis aliquibus circunstantiis, quas refert Diana 8. *p. tract. 7. resol. 44.* licite possunt.

7 Dico quinto: Maritus non potest licite occidere uxorem deprehensam in adulterio, nec pater filiam deprehensam in carnali actu; siquidem non sunt publici ministri; Quando enim leges eis concedunt ut eos impune possint occidere, non est quia eos ministros cædium illorum constituant, sed solum ad illum vehementem dolorem temperandum. Ita ex communi sententia Tamburinus *lib. 5. c. 1. §. 4. n. 3.* Lugo *de justitia, d. 10. n. 90.* licet contrarium teneat ut probabile Lessius Fagund. Sa cum aliquibus juristis, quos refert, & merito impugnat Lugo *suprà n. 85.* Excipe nisi maritus vel pater eos motu primo occidant vel nisi post sententiam latam, judicis authoritate uxor marito tradatur occidenda, nam tunc esset merus executor, quamvis hoc non sit concedendum propter periculum vindictæ Tamb. *sup. n. 5.* 8

9 Dico sexto: Qui clericum cum uxore, matre, vel sorore, vel filia turpiter inventum occidit, peccat ut dixi, sed non incidit in excommunicationem cap. si vero. Ita cum Layman, & aliis communiter Tamb. *sup. n. 3.* Lugo *sup. n. 84.* erit tamen occidens irregularis ex delicto, quia injuste occidit Tambur. *sup. n. 33.*

SECTIO II.

Utrum liceat aliquando directe interficere innocentem.

SUMMARIUM.

10 *Nunquam licet directe innocentem occidere.*
11 *Quid si tyrannus minetur excidium civitati, nisi innocentem ei tradant?*
12 *Quid si tyrannus à gubernatoribus peteret, ut caput innocentis ei traderent, alioquin civitatem combusturum?*
13 *An in hoc casu innocens teneatur se tradere tyranno?*
14 *Quid si traditio istius civis traheret in consequentiam vitam aliorum civium?*
15 *An virgo teneatur se tradere violandam ad rempublicam ab incendio liberandam?*

DIco primo: Nunquam licet directe occidere innocentem; nemo enim habet dominium vitæ alterius. In hoc conveniunt omnes DD. Hinc fit non posse occidi pueros Sarracenorum in bello captos, etiamsi timeatur futuros esse noxios reipublicæ Christianæ, nullus enim pro peccato futuro puniri potest, præsertim cum possit occurri damno eos captivando; Secundo fit non posse occidi obsides,

Digitized by Google

occides,etſi non ſtetur promiſſis, eſt enim intrinſecè malum interficere directe innocentem : Decaſtillus *ſuprà n.* 135. Tertio fit quod filius innocens non poteſt occidi pro patre,nec aliquis pro peccato alieno.In hoc omnes conveniunt, teſte Tamburin. *lib.*6.*cap.*4.§.4.*num.*10.

11 Dico ſecundò : Si tyrannus v.g. proſequatur innocentem, & minetur excidium civitatis niſi illum ei tradant ; Reſpublica in hoc caſu non tenetur illum defendere cum tanto damno , niſi alias ſine prædicto damno eum poſſet defendere , etiamſi anceps eſſet defenſionis eventus & etiamſi multi in illius defenſionem ex utraque parte perituri eſſent, quia hujuſmodi defenſio debetur civi à Republica & principe;at ſi clare videat eum non poſſe ſine prædicto excidio defendere, poteſt portas aperire,& concedere,ut à Tyranno comprehendatur,& occidatur,nam particularis cum ſuo damno non tenetur alium defendere : ergo minus reſpublica. Ita cum Soto, Bonacina, Trullench. *in Decalog. lib.*4. *cap.*1.*d.*3.*num.*4.& cum aliis Lugo *de juſtitia d.*10. *ſect.*4.*num.*116.

12 Dico tertiò : Si tyrannus à gubernatoribus peteret ut innocentem occiderent & caput ipſi tradderent, alioquin civitatem combuſturus, non licet eis innocentem occidere etiamſi civitas tota peritura eſſet;eſt enim hæc occiſio intrinſece mala. Ita cum multis Trullench.*in Decalog. lib.*5. *cap.*1.*d.*3. *n.*5. Lugo *de juſtitia d.*10. *n.*103. non enim reſpublica habet dominium ſupra vitam ſuorum civium , nec vitas ſuorum ſubditorum poteſt in ſuam utilitatem conſumere,ſicut corpus poteſt ſeu membra in ſuam utilitatem inſumere,quia non cives propter rempublicam ut membra propter corpus ſunt , ſed reſpublica propter cives eſt , & ad eorum bona & utilitatem ordinatur.

13 Dico quartò : In hoc caſu innocens ex charitate, & juſtitia legali bonum commune reſpiciente tenetur ſe tradere tyranno , ut liberet ſuam rempublicam,quia bonum commune præferendum eſt particulari , ſicut dixit Jonas *cap.*1.*tollite me , & mittite in mare* ; Ita cum Petro Navarro,Salon,Soto,Trullench.*ſuprà n.*6.Lugo *ſuprà n.*113. Hinc fit in hoc caſu poſſe rempublicam legem condere ut hujuſmodi innocentes ſe tradant ad rempublicam liberandam impoſita eis pœna capitis quod ſi innocens poſita lege vel præcepto reipublicæ ſe tradere recuſaverit, tunc in pœnam poteſt tradi, jam enim non innocens, ſed nocens eſt.

14 Excipe niſi traditio illius civis traheret in conſequentiam vicam aliorum civium,eo quod Tyrannus traditione illius audacior factus alium,& alium poſtularet ; nam tunc jam non agitur de vitando damno unius,ſed totius communitatis,ac per conſequens pro tali damno communi vitando debet exponi periculo tota reſpublica : Secus quando unus ſolum peteretur ob ſpecialem inimicitiam,vel ob aliquam rationem quæ in eo tantum invenitur & non in aliis.Lugo *ſuprà n.*118. Secundo excipe niſi innocens poſtulatus à tyranno eſſet princeps aliquis,cujus vita tanti,vel pluris æſtimaretur,quam ſalus alicujus communitatis, & poſſet aliàs ſe liberare à periculo,fugiendo , nam tunc non poſſet eum civitas tyranno tradere Lugo *ſuprà n.*115.

15 Dices hinc ſequi virginem teneri ſe tradere violandam,clericum tradere ſacra vaſa profananda , ad rempublicam ab incendio liberandam,immo teneri innocentem ſe tradere occidendum ſi tyrannus ſub hac conditione promittat ſe,& totam ſuam rempublicam ad fidem converttendam. Reſpondetur negandò illationem ; & ad primum illatam de virgine Reſpondetur virginem ob periculum animæ non teneri ſe tradere , ac per conſequens rempublicam non poſſe eam cogere,non tenetur tamen illam defendere cum tanto ſuo periculo,quare poſſet eam à civitate excludere, & eam ſuo periculo relinquere; Lugo *ſup.n.*120.Trull.*ſup.n.*9. Ad ſecundum Reſpondetur in his rebus nullam inveniri obligationem ſe tradendi ſicut in homine , nec Deus tenetur illam injuriam ſuſtinere , ut homines non occidantur. Ad tertium Reſpondetur Tyrannum tunc non eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali,nec rempublicam tunc periclitari,ſuppetuntque alia remedia converſionis , quod ſi per impoſſibile nullum aliud remedium eſſet converſionis, tunc obligaret charitas innocentem ad ſe tradendum,& tunc compelli poſſet etiam pro unius ſalute ſpirituali,ſicut tenetur paratus extreme indigenti baptiſmum conferre vitæ periculo Trullench.*ſup.n.*10.

SECTIO III.

Utrum judex poſſit condemnare ad mortem Petrum reum , qui revera innocens eſt, probatur tamen in judicio nocens per allegata, & probata.

SUMMARIUM.

16 *Princeps non poteſt talem innocentem condemnare, ſed tenetur eum liberare.*

17 *Judex inferior tenetur omnem viam tentare ut talem innocentem liberet.*

18 *Si nihil proficiat judex inferior in judicando , ſi alia via non ſuppetat , tenetur judicare ſecundum allegata & probata.*

19 *Idem dicendum eſt de carnifice,& aliis miniſtris, qui exequuntur ſententiam.*

SVppono principem non poſſe talem innocẽtem condemnare,ſed teneri eum liberare , nam cum princeps poſſit diſpenſare in lege , qua jubetur ut judex procedat ſecundum allegata,& probata, tenetur id facere, etſi inde ſequatur ſcandalum ; tenetur etiam cum juramento ſi hoc neceſſarium fuerit coram populo pronunciare ſibi notam eſſe illius hominis innocentiam in hoc conveniunt DD.apud Lugum *de juſtitia d.*37.*ſect.*4.*n.*4. Secundo ſuppono teneri judicem inferiorem omnem viam poſſibilem tentare ut talem innocentem liberet,vel excogitando cauſas ſufficientes ad expetendam accuſationem, vel maxima dexteritate teſtes examinãdo, vel diſſimulando in carceris cuſtodia,ita ut innocens fugere poſſet,vel ſi nulla alia via ſuppetat tenetur ſi ſperat profuturam cauſam remittere ad judicem ſuperiorem,depoſita judicis perſona aſſumere apud ſuperiorem officium teſtis,tenetur enim vitæ innocentis conſulere quantum commode fieri poteſt. Dixi quantum commode fieri poteſt ; nam ſi cogatur ab authore,vel à parte læſa,vel populo ſententiam ferre non tenetur remittere ad ſuperiorem. Ita cum Sayro,Souſa,Trullenc.*ſup.n.*13. His ſuppoſitis. 16 17

Dico primò:Si nihil horum proficiat , nec aliud remedium ſuppetat tenetur judex inferior in judicando , judicare ſecundum allegata,& probata non ſolum in rebus civilibus ut plerique exiſtimãt apud Lugum *d.*37*n.*42.Sed etiam in criminalibus,etiamſi ſit in pœna capitali. Ita D. Th.2.2. *q.*64. *art.*2. & cum Azor,Salas,& aliis Trullenc.*ſup.n.*14.Decaſtillus *lib.*2.*tr.*1.*d.*4.*dub.*5.*n.*86.& ut probabiliorem cum multis docet Fagund.*in* 5.*præcep.Decalog. lib.*5. *c.*13.*n.*9. eam valde probabilem putat Lugo 18

*suprà n.*43. contra Angelum, Petrum Navarram,& alios quos refert Trullenc.*sup.*14. Tamburin.*lib 6. Decalog.c.*1. §.4. *n.*13. Lugum *sup.*ubi hanc probabiliorem existimat. Ratio est quia judex procedit ut persona publica,& publica authoritate:ergo scientia qua utitur debet esse publica,& juridica,quæ constet ex testibus, & instrumentis productis; in ore enim duorum vel trium peribit omnis qui interficietur Deuteronomij 17. *&* 6.19. *in ore duorum,vel trium testium stat omne verbum.*

Dices impossibile est quod aliquis faciat scienter injustum materiale, quin etiam formale injustum committat,& peccet. Respondetur distinguendo antecedens,si fiat scienter illa scientia qua regulari debet tale negotium concedo,sed nihil contra nos; ea enim est scientia publica;si fiat scientia impertinenti ad tale negotium nego antecedens: talis autem est scientia privata respectu judicij publici, & hac ratione Sacerdos qui scientia privata confessionis cognoscit innocentiam Petri, non potest eum in judicio publico à pœna etiam mortis liberare.

Dices occidere innocentem directe tam intrinsece est malum, quam cognoscere non suam sciendo esse non suam etiam si millies probetur esse suam; ergo sicut judex non potest accedere ad non suam etiam si millies probetur esse suam, ita non poterit interficere innocentem, etiam si millies probetur esse nocentem. Respondetur negando majorem,nam quando innocens probatur nocens,non est intrinsecè malum condemnare innocentem siquidem jus naturale dictat quod privatum bonum, vel vitæ, vel pecuniæ innocentis non esse illæsum observandum cum publico scandalo, & damno reipublicæ, quale esset si secundum allegata, & probata non judicaretur. Vnde judex directe,& positive non intendit occisionem innocentis sed tantum intendit servare juris ordinem, quamvis per accidens sequatur damnatio innocentis. Vnde exemplum de non sua, non venit ad rem, quia judex cum eam cognoscit, non agit personam publicam judicis,sed personam hominis privati,ac proinde secundum notitiam hominis privati debet procedere. Sed de his vide latius Fagund.*sup.* Dicastillum *sup.*

19 Dico 2. Id quod diximus de judice habet etiam locum in carnifice,& aliis ministris,qui exequuntur sententiam,possunt enim illam exequi contra reum, quem sciunt scientia privata esse innocentem, si tamen reus secundum allegata, & probata sit legitime condemnatus; secus si reus non esset legitime condemnatus,sed per sententiam manifeste injustam, & continentem errorem intolerabilem,quomodo peccabant carnifices martyres interficiendo, quia sententia continebat errorem intolerabilem contra bonum publicum religionis, vel contra justitiam, quia sententia illa, non erat solum injusta, sed etiam invalida. Ità cum Lugo,Decastillo,Tambur.*sup.n.*16.

SECTIO IV.

Utrùm judex qui privata scientia novit Petrum esse reum dignum morte,sed in judicio probatur innocens,possit eum morte damnare.

SUMMARIUM.

20 *Judex inferior non potest probatum innocentem occidere, etiamsi privata scientia eum sciat morte dignum.*

21 *Princeps in nullo casu potest ex privata scientia occidere delinquentem, & multo à fortiori, si in judicio probetur innocens.*

22 *Quid si delictum in judicio probari posset, ex citatione tamen delinquentis gravia timerentur scandala.*

SVppono judicem inferiorem id non posse efficere: is enim non potest dispensare in lege superioris, maxime in re tanti momenti. In hoc conveniunt DD. Secundo suppono principem ex privata scientia posse aliquem occidere, quando non agitur de puniendo delicto, sed de impediendo malo reipublicæ, vel sibi imminente, per aliquam personam, tunc enim princeps utitur defensione naturali reipublicæ sibi commissæ. In hoc etiam conveniunt DD. ut videre est apud Lugum *tomo* 2. *de justitia d.*37.*n.*50. Tamburinum *lib.*6.*cap.*1.§.4.*n.*18. Tota igitur difficultas est, An possit princeps punire delinquentem probatum innocentem in judicio, ex privata scientia? 20

Dico primò: Princeps in nullo casu potest ex privata scientia punire delinquentem, & multo à fortiori, si in judicio probetur innocens. Ita cum communi sententia Lugo *suprà num.* 50. & cum Decastillo, Aragonio & aliis Tamburinus *suprà num.*18. Fagundez *in* 5. *præceptum Decalog. lib.*5. *cap.*15. *num.*5. contra Felinum, Lessium, Matiençum, Covarruviam, & alios quos refert Lugo *suprà num.*50. Ratio nostræ resolutionis est; quia princeps jurisdictionem habet fori externi, sed ad forum externum non pertinent occulta, quæ probatione externa carent: ergo: Tum quia de jure naturæ est, ut reus audiatur in sui defensionem; sed id fieri non potest,nisi citetur,& audiantur probationes quas ipse velit adducere:ergo. Hinc fit non excusari principes quando reum sibi notum, secreto faciant occidi, ut ipsius & posterorum honori consulatur, magis enim debent consulere totius reipublicæ, quàm illi delinquentis. 21

Dico secundò: Si crimen in judicio facile probari posset, & ex citatione delinquentis sequerentur gravia scandala in republica,timerenturque probabiliter seditiones, ut si delinquens esset dux generalis exercitus, & militibus charissimus, tunc liceret ejus causam secreto tractare,assignando convenientem patronum, qui ageret causam rei, & eum diligenter defenderet, & quantum possibile foret observaretur ordo judicialis, ac denique tunc posset princeps occidere convictum reum per legitimam probationem, quæ semper debet fieri per testes sufficientes, & exceptione majores ad convincendum reum, servato etiam quantum fieri posset ordine charitatis ad salutem animæ occidendi. Ratio est quia factum publicum & notorium habetur loco accusatoris, & testium, publice enim accusat, & testificatur contra reum publicum, nec relinquit reo jus ullum se defendendi; sed quando delictum facile in judicio probari potest, est publicum & notorium: ergo. Immo hanc potestatem quam habet princeps potest alicui judici, cui multum fidat committere, requiritur tamen expressa commissio, & non sufficit tacita. Ita Lugo *suprà num.* 52. *&* 53. & cum multis Fagundez *suprà numero* 6. *&* 7. 22

SEC

SECTIO V.

Utrùm liceat aliquando indirectè interficere innocentem.

SUMMARIUM.

23 *In aliquibus caſibus poteſt indirectè occidi innocens, qui numerantur.*

24 *Mulier licitè poteſt ſumere pharmacum, vel ſectionem venæ tendens directè ad ſanitatem, licet per accidens ſequatur mors fœtus.*

25 *Quando medicamenta æque tendunt ad ſanitatem matris, & in mortem fœtus, non licet ea ſumere, ſi eſt ſpes quod mortua matre filius extrahatur, & baptizetur.*

26 *Quid ſi talis ſpes non ſit?*

27 *Nunquam licet ſumere medicamentum tendens directè ad occiſionem fœtus animati, licet per accidens ſequatur ſalus matris.*

28 *Quid ſi certum ſit fœtum non eſſe animatum?*

29 *An mulier poſſit abortum procurare, ſi fœtus non eſt animatus ad evadendum periculum vitæ ex partus manifeſtatione?*

30 *Virum liceat ad evadendum periculum vitæ ſumere potionem directè tendentem ad effuſionem ſeminis?*

23 Dico primò: In aliquibus caſibus poteſt licitè indirectè occidi innocens. Primo concomitanter cum aliis malefactoribus, qui juſtè interficiuntur, & non poſſunt ſeparari ab innocente, qui cum illis occiditur: verbi gratia, quando in bello juſto ictibus bombardarum occidnntur. 2. Quando in bello juſto turres evertuntur, quibus multi innocentes opprimuntur. 3. Quando in bello juſto interficitur ille, qui ex ignorantia invincibili pugnabat, & erat innocens. 4. Quando interficitur infans, qui pro ſcuto inſervit hoſti, quando non poteſt aliter occidi injuſtus hoſtis aggreſſor, neque poteſt aliter vita propria defendi, & aliàs non occiditur prius infans, ut poſtea occidatur hoſtis, ſed impeditur hoſtis per ipſum infantem. Lugo *de juſtitia d.* 20. *num.* 125. Quinto quando fugiens inimicum per angustum locum non poteſt mortem evadere, niſi opprimendo infantem jam baptizatum, immo etſi non ſit baptizatus, quando opprimens probabiliter credit ſe eſſe in gratia, vel non credit probabiliter ante mortem poſſe in illa conſtitui, nam tunc interficiens ſolum intendit directè nocentes evertere, vel mortem evadere & indirectè & per accidens occidere innocentem, occidere autem per accidens dando operam rei licitæ & neceſſariæ non eſt contra ullum jus. Dixi & neceſſariæ ut ſignificem nunquam, etiam indirectè poſſe occidi innocentem, niſi ad impedienda futura mala. Ita cum D. Thom. Cajetano, & aliis communiter Decaſtillus *lib.* 1. *de juſtitia d.* 10. *dub.* 11. *à num.* 127.

24 Dico ſecundò: Mulier licitè poteſt ſumere pharmacum vel ſectionem venæ tendens directè ad ſanitatem, licet per accidens inferat mortem fœtui, ſive inanimato, ſive animato, & tunc abortum indirectum procurare ex proportionata cauſa. Et idem poſſunt efficere alij ex eadem cauſa. Ratio eſt quia mulier tunc utitur jure ſuo ſanitatem conquirendi, & ſolum per accidens & præter intentionem permittit abortum. Ita Sanchez *de matrim. d.* 20 *lib.* 9. & cum Grafio, Palao, Decaſtillo, Tamburino, *lib.* 6. *c.* 2. §. 4. *n.* 1. & cum communi Lugo *de juſtitia d.* 10. *n.* 132.

25 Dico tertiò: Quando medicamenta æque tendunt in ſanitatem matris, & in mortem fœtus non licet illud ſumere ſi eſt ſpes probabilis quod mortua matre fœtus extrahetur è ventre vivus, & baptizetur, nam tunc ex charitate tenebitur mater pati mortem corporalem propter ſalutem ſpiritualem fœtus, qui caſus quamvis Sanchez dicat eſſe rariſſimum ſæpe ſæpius accidit, ut teſtatur cum multis Decaſtillus *ib.* 2. *tract.* 1. *d.* 10. *num.* 168. Secus dicendum eſt ſi non detur talis ſpes quod fœtus vivus evadat, nam tunc licebit matri ſumere pharmacum æque tendens in mortem fœtus, & ſalutem matris, tunc enim mater utitur jure ſuo, nec tenetur vitam exponere, ſi non eſt ſpes ſalutis proximi. Dixi ſi remedium ſit æque ſanativum matris, & mortiferum proli, nam ſi remedium ſit ex ſua natura mortiferum fœtui, & ſolum hac ratione ſanativum matris, quatenus eſt fœtui mortiferum, non poteſt licite adhiberi. Ita & bene cum aliis Decaſtillus *ſuprà num.* 170. 26

27 Dico quartò: Nunquam licet ſumere medicamentum tendens directè ad occiſionem fœtus animati, licet per accidens ſequatur ſalus matris. Ratio eſt, quia non ſunt facienda mala, ut veniant bona, malum autem intrinſecè eſt occidere innocentem. Animatur autem fœtus maſculinus poſt quadraginta dies, & fœmineus poſt octoginta, & in dubio cenſetur quoad hunc caſum fœmineum ut quo minus poteſt aggravetur delinquens. Ita cum communi ſententia Tamburin. *ſuprà num.* 3. Decaſtillus *ſup. num.* 165.

28 Dico quintò: Si certum ſit fœtum eſſe inanimatum poteſt fœmina licite ſumere medicamentum directè tendens ad occiſionem fœtus, ſi inde ejus ſalus probabiliter ſperatur. Ita cum S. Antonino Sylveſtro, Lopez, Navarro, & aliis Decaſtillus *ſup. num.* 164. & cum Sanch. Saa, Grafio, Layman, Tamburin. *ſup. n.* 4. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 11. contra Leſſium, & alios apud Dianam ibi, & contra Lugum, *d.* 10. *n.* 131. Ratio eſt quia in hoc caſu fœtus eſt aggreſſor, ſeu cauſa efficiens mortis matris, ergo licebit eum expellere, ſi nondum eſt animatus.

Dices: ergo idem dicendum eſt ſi ſit animatus, nam ego poſſum occidere directè aggreſſorem vitæ meæ, ſi aliter evadere non poſſem: ergo ſi fœtus eſt aggreſſor vitæ matris, in utroque caſu poterit eum expellere. Reſpondeo fœtum in hoc caſu eſſe aggreſſorem involuntarium, & cum alias ſit in peccato originali, tenetur mater mortem corporalem potius pati, quam animam illius perdere, quod tamen non accidit, quando fœtus eſt inanimatus.

29 Dices: ergo ſi fœtus non eſt animatus poſſet fœmina procurare aborſum, ad evadendum periculum vitæ ex partus manifeſtatione imminens, vel ad vitandam infamiam inde ortam. Reſpondeo negando illationem: nam in hoc caſu fœtus inanimatus non eſt aggreſſor, ſicut in priori, ſed id ſuo peccato tribuat mater ita cum communi ſententia. Reſpondet Trullenc. *lib.* 5. *Decal. c.* 1. *dub.* 4. *n.* 1. Quamvis non deſint aliqui DD. qui id etiam admittant ad vitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis quando fœtus eſt inanimatus. Ita Zanard. Pont. Torreblan. quos refert, & probabile putat Trullenc. *ſup. n.* 1. Bord. Leſan. quos refert Tamb. *ſup. n.* 6. Sed hæc opinio ut ait Diana 6. *p. tr.* 8. *reſ.* 17. damnata fuit in congregatione S. Officij. Tum quia periculum eſt diſtans, aliiſque modis vitari poteſt, & fœtus non eſt aggreſſor. Tum quia aperiretur via ad multa ſcelera perpetranda cum gravi reipublicæ pernicie ſi hæc licentia concederetur ut etiam notat Tamb. *ſup. n.* 6.

30 Dices : ergo licet ad evadendum periculum vitæ aliquando directè intendere pollutionem, ut si ob abundantiam seminis homo, vel mulier periret; patet consequentia quia proximior est generationi fœtus ipse quàm semen; ergo sic licet fœtus inanimati intendere expulsionem, ita & expulsionem seminis. Respondetur negando illationem. Ad probationem Respondetur esse diversam rationem propter periculum apertissimum incontinentiæ, si hujusmodi licentia indulgeretur, & quia si ea pollutio consideretur, impediretur usus conjugalis contentis jam hominibus illa voluptate pollutionis licitè percepta; quæ inconvenientia non inveniuntur in casu nostro; sed de his vide Borgium contra Caramuel. *quæst.* 3. *num.* 30.

DISPUTATIO II.

De Homicidio justo privata authoritate facto; ubi etiam de Duello.

SECTIO I.

Vtrùm liceat occidere invasorem injustum pro tuenda propria vita, vel aliena.

SVMMARIVM.

31 *Quilibet potest cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere suum invasorem quicunque ille sit.*

32 *In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ?*

33 *An clericus vel religiosus teneatur fugere, ne occidat suum injustum invasorem?*

34 *An plebei teneantur fugere ne occidant nobilem suum invasorem?*

35 *Invasus potest se licitè defendere contra Regem & Papam, & principem injustè eum aggredientem, etsi sit persona vilis.*

36 *Injustè invasus potest occidere invasorem, non solum ad vitandam mortem, sed & mutilationem, vel grave vulnus, alapam, &c.*

37 *Injustè invasus non tenetur regulariter occidere invasorem.*

38 *Quando invasor actu non invadit, sed est in procinctu ad invadendum, potest cum innocens occidere.*

39 *Potest quis occidere illam qui solvit leonem, vel canem ut eum laceret.*

40 *Quid si aliquis decrevit alterum occidere, & id amico manifestavit, à quo occidendus id deprehendit, poteritne occidere?*

41 *An si Petrus Antonium falsis calumniis, & testibus contendat per judicem interficere, & de facto condemnandus sit ad mortem, possit Antonius Petrum, & ipsos falsos testes præveniendo occidere?*

42 *Licitè potest quis occidere aggressorem proximi injustum, ut defendat ejus vitam.*

43 *An teneatur quis defendere vitam injustè aggressi cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

31 DIco primò : Omnis homo ut vitam suam defendat, non verò ut vindictam sumat potest occidere injustum invasorem, licèt invasor sit suus Pater, Filius, Frater, dominus, conjux, sacerdos, Religiosus, &c. sine ullo peccato, nec periculo excommunicationis, vel irregularitatis, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ; Et ratio est, quia omne jus naturale, & divinum proclamat vim vi repellere licere, vitam, & membra quoad posse defendendo. Ita communiter DD. quos lata manu refert Leander *tract.* 2. *de irregularitate d.* 12. *quæst.* 1. & 8. Et hoc verum est, etsi invasus sit clericus, vel Religiosus, ita Lugo *de justitia tomo* 1. *d.* 10. *n.* 138. & cum Barbosa, Fagundez, Molina, Navarro, Leander *suprà quæst.* 2.

Sed quæres in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ? Respondeo consistere in hoc quod aggressus constitutus sit in ea necessitate ut aliter vitam suam, vel mutilationem, aut etiam alapam vitare non possit, etiamsi possit evadere fugiendo; cuilibet enim, sive nobili sive plebeio, sive etiam clerico, vel regulari dedecus, & maximè periculosum est fugere aggressorem. Unde quod nobilis non teneatur fugere tenent cum Suario, Bonacina, Filliucio, Diana, Hurtado, Cornejo, Præposito, Tannero, Gibalino, & aliis Leander *suprà quæst.* 34. contra Sayrum, Medinam, Valentiam, & alios. Et idem dicendum est de milite, magnum enim ei esset fugere dedecus. Ita cum Fagundez Farinacio & aliis Leander *suprà quæst.* 35. Quod verum est, etiam si aggressio fiat in loco deserto, per accidens enim est, quòd locus sit desertus. Ita cum Farinacio, Fagundez, Leander *suprà q.* 36. 32 33

Quod autem nec plebei nec mechanici teneantur fugere tenent cum Balde, Belon. Carer. Mascardo, Aisret, Cæpol, Julio Claro, & aliis Leander *suprà quæst.* 37. contra Suarium, Toletum, Dianam, Gibalinum, Lugum & alios, omni enim generi personarum est de se infamia fuga, ergo omnes tenentur illam vitare. Tum quia omnibus est fuga maximè periculosa cum reddatur invasor animosior contra fugientem. Et tandem quod clericus vel regularis non teneatur fugere, sed posse sistere occidendo aggressorem non solùm quando fuga est infamis statui Ecclesiastico, ut si fugiendo detegeretur scelus occultum clerici, vel religiosi; ut tenet cum Felino, Filliucio, Lugo, Diana, Gibalino, Leander *suprà quæst.* 38. sed etiam absolutè tenet cum communi Juristarum Leander *suprà q.* 38. contra Suarium, Avilam, & alios multos quos ibi congerit quorum doctrina semper consulenda est & tenenda ante factum, post factum tamen non debent sic se tuentes de peccato damnari : Ita & bene Leander *ibi.* 34

Dico secundò : Invasus potest se licitè defendere cum prædicto moderamine contra Regem, & Papam, & Principem injustè eum aggredientem, etsi sit persona vilis. Ita & bene cum Sylvestro, Decastillo & aliis Leander *tract.* 2. *de irregularitate, d.* 12. *quæst.* 5. Idem dicendum est si aggressor sit in peccato mortali; ipse enim in tali necessitate se ponit & ab ea potest se eripere desistendo ab aggressione. Ita cum communi sententia Decastillus *de justitia tomo* 1. *tract.* 1. *lib.* 2. *d.* 10. *num.* 38. Lugo *ibi, d.* 10. *num.* 142. Leander *suprà quæst.* 6. Tamburinus *l.* 6. *cap.* 1. *num.* 4. Immò idem dicendum est si invasor sit innocens, ut si amens, infans, vel ebrius invadat, nam tunc invasio est injusta ex parte causæ, licèt talis non sit ex parte subjecti, ita cum Sayro, Soto, Petro Navarro, Gibalino, Decastillo, Lugo Leander *suprà, quæst.* 14. Excipe nisi invaso constet invadentem esse in mortali, & ipsum invasum esse in gratia, nam tunc tenetur invasus exponere vitam pro salute spirituali proximi, non illam 35

occi

occidendo in eo ſtatu, in quo non poteſt à mortali reſurgere. Sed hic caſus metaphyſicus eſt cum raro poſſit alicui conſtare probabiliter ſe eſſe in gratia; ita cum Lugo & aliis Leander *ſuprà quæſt.* 16.

36 Dico tertio: Injuſte invaſus poteſt occidere invaſorem non ſolùm ad vitandam mortem, ſed etiam mutilationem, vel grave vulnus, vel ne ab illo turpiter deformetur. Ita cum Gibalino, Bonacin. Pelizario, Diana, & aliis multis Leander *ſup.q.*10.&11. Quæ omnia vera ſunt etſi directè invaſor intendat occiſionem invaſoris, ſi alias aliter mortem, vulnus, alapam, vel mutilationem non poſſit vitare; nam ſicut licitum eſt in executione occidere invaſorem injuſtum, ita & licitum eſt illum directe velle, & intendere occidere, ita Decaſtillus *ſup.d.*10.*num.*41. Lugo *d.n.*10.149.& cum Gibalino, & aliis Leãder *ſup.quæſt.*9 contra Bañes, & alios. Quæ omnia vera ſunt, etſi invaſus potentioribus armis occidat ſuum injuſtum invaſorem, ſi aliter non poteſt ſuam vitam aut honorem defendere. Ita Lugo *d.*10.*n.*151. & cum communi ſententia Leander *ſup.q.*17.contra Buttrium, Ancharranum, & alios. Immo addo poſſe licite invaſum occidere invaſorem ad ſe venientem ſine armis ad impingendum ei alapam, ſi aliter illam non poſſit evadere. Ita Trullenc. *lib.*1.*Decalog.c.*4. *d.*4.*n.*2. Lugo & cum aliis Leander *ſup.q.*18. Decaſtillus *ſup. n.* 37. Diana. *p.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 48.

37 Dico quarto: Injuſte invaſus non tenetur regulariter occidere invaſorem, ad tuendam ſuam vitam vel honorem; unuſquiſque namque poteſt exponere ſuam vitam, pro vita temporali proximi, ergo & à fortiori non tenebitur occidere invaſorem. Ita cum multis Fagund. *lib.*5.*Decalog.c.*6.*n.*10.& cum Molin. Tolet. Saa. Rodrig. Decaſtillo, Lugo, Leander *ſup.q.*7. contra Farin. Salon. & contra Tamburin. *lib.c.*1.§.1.*n.*5. qui id tantum putat licere invaſo, niſi aliud major virtutis actus præmittat, quam communis charitas, ut pietas in patrem, fides in martyribus, &c. ſed noſtra ſententia communior, & probabilior eſt. Excipe, ſi invaſus putet ſe eſſe in mortali, vel ſi ſit perſona valde utilis reipublicæ; nam tunc ob bonum commune, vel ob bonum animæ tenetur ſub mortali vitam ſuam defendere. Et idem dicendum eſt, ſi morte invaſi ſequatur maximum detrimentum familiæ, ut uxori, & filiis, quos alere tenetur. Ita cum Lugo, Molina, Decaſtillo, Leander *ſuprà quæſt.* 8.

38 Dico quinto: Quando invaſor actu non invadit, ſed eſt proximè, & in procinctu ad invadendum, licite poteſt eum invaſus occidere. Ratio eſt quia nemo tenetur expectare actum poſitivum invaſionis; defenſio enim non eſt in ordine ad offenſam factam; ſed ad impediendam facturam, ne fiat. Ita cum communi ſententia Leander *tract.*2.*de irregularitate d.*12.19. Tamburin. *lib.*6.*c.*1.§.2.*n.*15. Et hinc plures deducuntur caſus. Primum poſſe quempiam alium occidere, qui parat ſcopletum ut eum occidat illum præveniendo. Ita cum Decaſtillo, Lugo. Gibalino, & aliis communiter Leander *ſup.quæſt.*19.2. Poteſt uxor maritum morte prævenire, ſi pugionem ſub cervicali abſcondat, vel ſicarium domum abduxerit ad eam noctu occidendam. Ita cum Bauni, Navarr. Leſſio, & aliis Tambur. *lib.*6.*c.*3.§ 2.*n.*15.

39 Tertio poteſt quis occidere illum, qui ſolvit canem vel leonem, ut eum dilacerent. Ita cum præcitatis Tambur. *ſup.n.*15.4. Si famulus tentet occidere Petrum, præſente & imperante domino, poteſt Petrus famulum, vel dominum prius occidere. Ita cum Decaſtillo, Leſſio, Lugo, Fagundez, & aliis, Leander *ſup. q.*22.5. Si Petrus paravit venenum ad Paulum occidendum, poteſt Paulus eum prius occidere, ſi aliter mortem evadere non poteſt. Ita cum Decaſtillo, Lugo, & aliis Leander *ſup.q.*21.6. Si Petrus cum armis veniat contra Franciſcum cauſa eum offendendi, poteſt Franciſcus ejus mortem prævenire. Ita cum Gomezio, Leander, *ſup.q.*20.7. Poteſt quis morte prævenire illum, qui conjuravit in necem ipſius, vel cum ſicariis egit, ut opportunitatem quæterent occidendi, quando aliter non apparet via grave periculum mortis evadendi, quod illi ex illo decreto imminet. Ita cum Lugo, Decaſtillo, Leander *ſuprà quæſt.* 23.

Et idem dicendum eſt, ſi aliquis decrevit alterum occidere, & hoc alicui manifeſtavit; nam hic conſcius illius decreti, poteſt licite interficere eum, qui firmiter, & efficaciter illum interficere decrevit, idque aliquot amicis confidenter manifeſtavit, ex quibus occidendus decretum illud certo agnovit. Ita cum Molina, Lugo, & aliis Leander *ſup.q.*24. Diana *p.*5.*tr.*4.*reſ.*5. 8. Si Petrus Franciſco minatus fuerit mortem, & alias ſolitus ſit minas exequi, Franciſcus poteſt eum licite morte prævenire. Ita Suarez *in Enchiridio caſuum lib.*7. *verbo homicidium n.*33.& *cum aliis Leander ſup.q.* 26. 9. Qui recluſus in aliqua domo, videt inimicum ei inſidias parantem, ut eum occidat, poteſt eum licite morte prævenire, & interimere, ſi aliud remedium evadendi non habeat. Ita cum Lugo, Molina, Azor, Diana, Leſſio, & aliis Leander *ſuprà quæſt.* 26. 40

An autem ſi Petrus Antonium falſis calumniis, & teſtibus contendat per judicem interficere, imponendo illi aliquod flagitium, ob quod ad mortem ab ipſo judice ſit damnandus, poſſit Antonius licite prius Petrum occidere, imo & ipſos falſos teſtes euntes ad teſtificandum in judicio aliquod crimen falſum, vel occultum, ob quod Antonius occidendus eſt, vel infamandus, vel omnibus ſuis bonis privandus? Affirmant cum Molina, Sanch. Lugo, Decaſtillo, Diana, & aliis Leander *ſup.quæſt.*27.& 28. Eſcobar *lib.*32.*Decalog.n.*70. Immo idem alij affirmant de eo, qui alterum infamat apud principem vel viros nobiles, gravia crimina de eo ſpargente, ſi monitus nolit deſiſtere, & nulla alia via talis famæ læſio vitari poſſit. Ita cũ Bañes, Navarr. Eſcob. *ſup.n.*155. 41

Verum ego in utroque caſu exiſtimo contrarium dicendum. In primo, quia teſtis, vel judex falſum aſſerendo, vel judicando, non poſſunt dici honoris invaſores; nam de ratione aggreſſionis eſt, ut contra ordinem juris injuria inferatur, id eſt propria authoritate; ſed in præſenti teſtis, vel judex ſervato ordine juris occidunt, licet inique, & contra ipſum jus; ergo non ſunt propriè aggreſſores; ac per conſequens licite non poſſunt occidi. Ita Turrianus 22. *d.*27.*q.*2.*n.*10. Salon 22.*q.*64.*art.*7.*con.*1.*cencl.* 2. Cor. *lib.* 1.*q.*38. *dub.* 1. Sotus *lib.*1.*de juſtitia q.* 1. *art.*8. Silu. 22.*q.*64.*art.*7. *queſito* 5. Malde. *ibi tr.*5. *c.* 1. *dub.* 7. Quo ad ſecundum caſum vero, etiam liquet, quia vel per illas detractiones infamia eſt jam illata, vel non; ſi eſt illata, jam non delctur per mortem infamantis; ſi vero non eſt illata, aliis viis poteſt impediri; unde injuſta plane erit omnino occiſio. Ita Fagundez *lib.* 5. *Decalogi cap.* 6. *num.*8. Leſſius *lib.* 2.*cap.*9.*d.*11.*n.*82. & cum Iulio Claro probabilius judicat, Eſcobar *ſup.n.*155. & cõtrariam ſententiam merito rejicit Alexander VII. *in ſuo decreto anno* 1665. *propoſitione* 17. ex quo fit multò minùs poſſe quempiam licite occidere accuſatorem, vel teſtem, qui bona fide de crimine morte dignum illum accuſat, aut falſo teſtificatur, etiamſi non ſit illi alius modus evadendi, quia in hoc caſu teſtis, vel accuſator, non ſunt injuſtus aggreſſor. Ita cum communi ſentẽtia Leand. *ſup.q.*29.& *patet ex prad. De.*

Dico

42 Dico ſexto: Licite poteſt quis occidere aggreſſorem proximi injuſtum ut defendat proximi Innocentis vitam cum dicto moderamine inculpatæ tutelæ quando illum aliter defendere non poteſt; licitum eſt enim aliis facere quod quiſque pro ſeipſo poteſt: ita cum communi ſententia Leander *tract. 2. de irregularitate d. 2. quæſt. 41.* & cum aliis Tamburinus *lib. 6. Decalogi cap. 1. §. 2. num. 10.* Nec ad hoc neceſſe eſt ut aggreſſus clamet, ita cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 41.* Nec eſt neceſſe quod iniuſte aggreſſus ſit præſens, ſi mors aggreſſoris neceſſaria eſt ad defenſionem vitæ injuſte agreſſi. Ita cum Molina, Lugo, & aliis Leander *ſuprà quæſt. 43.* Quod verum eſt, etſi injuſte aggreſſus nolit defendi; cum enim invaſus non ſit dominus vitæ ſuæ, non poteſt eam alteri donare, nec poteſt tollere obligationem, quam quis habet illam defendendi: ita cum Leſſio, Lugo, Bonacina, Leander *ſuprà quæſt. 44.* Quod verum eſt, etſi aggreſſus injuſte non ſit Chriſtianus. Ita cum Lugo, Barboſa, Fulgoſ. & aliis Leander *ſuprà quæſt. 45.*

43 An autem teneatur quis defendere vitam injuſte aggreſſi cum prædicto moderamine? Reſpondeo teneri, ſi invaſus eſt pater, mater, filius, uxor, princeps, ſubditus, vel vaſallus, vel ſimili modo illi conjunctus, nec illi ex defenſione imminet grave periculum; ita cum Molina, Decaſtillo, Tamburinus *ſuprà num. 11.* Secus dicendum eſt, ſi aggreſſus eſt unus ex communi populo. Ita cum Suario, Tamburinus *ſuprà num. 11.* Quod à fortiori dicendum eſt, ſi invaſor ſit pater, filius vel ſimilis; quia tunc excuſat, immo prohibet tanta conjunctio, etſi injuſte aliquem invadant; ita Tamburin. *ſuprà*, ſicuti nec ſimiliter obligatur quis morte invaſoris defendere eum qui licite v. g. ob martyrium, vel aliam cauſam honeſtam, ſuam mortem permittit, ita cum Decaſtillo, Tamburin. *ſuprà num. 11.*

SECTIO IV.

Vtrum liceat interficere injuſtum invaſorem, ob defenſionem bonorum temporalium?

SUMMARIUM.

44 *Quilibet etiam clericus, vel regularis licite poteſt interficere volentem ſua bona magni momenti injuſte accipere.*

45 *Quæ res dicatur magni momenti?*

46 *Poteſt quis inſequi latronem, qui res ſuas magni momenti defert, & ſi eas nolit relinquere, poteſt eum occidere, ut eas recipiat.*

47 *Pro tuendis bonis proximi magni momenti poteſt quis licite interficere invaſorem.*

44 Dico primo: Licite poteſt quis, ſive laicus, ſive clericus, vel regularis, etiam abſque irregularitate, interficere volentem ſua bona magni momenti injuſtè occupare, ſi aliter ea defendere nequit; quia alias improbis daretur occaſio bonos, & innocentes ſuis bonis ſpoliandi. Ita cum communi ſententia Tamburinus *lib. 6. cap. 1. §. 2. num. 1.* & cum aliis Leander *tract. 2. de irregularitate d. 13. quæſt. 1. & 3. & 4.*

45 Dico ſecundo: Vt res dicatur magni momenti dependet ex circunſtantiis; nam ſi à paupere auferatur aureus, poteſt invaſorem occidere, ſi aliter defendere res ſuas non poſſit. Secus ſi à divite, vel à Rege; nam tunc nec quatuor, quinque, vel decem aurei ſufficiunt: debet igitur attendi perſona à qua res furatur, an afferat illi magnum detrimentum; debet igitur res ablata eſſe magna, vel ex ſe ut ſi ſint viginti aurei reſpectu hominis ditiſſimi, vel unius aut duorum aureorum reſpectu pauperis cujus integrum patrimonium in eo aureo, vel duobus aureis reſidet. Ita cum multis Tamburinus *ſuprà num. 2.* Leander *ſuprà quæſt. 5.* Excipe niſi res auferatur, reſiſtente domino, nam tunc ſufficit res valoris unius aurei reſpectu cujuſcunque perſonæ propter violentiam & injuriam, quæ infertur domino, ita cum Fagundez, Leander *ſuprà quæſt. 5.* & cum Molina, & aliis Tamburinus *ſuprà numero 2.*

46 Dico tertio: Poteſt quis inſequi latronem qui res ſuas magni momenti defert, & ſi eas nolit relinquere poteſt eum interficere, ut eas recuperet; fure enim adhuc fugiente cum re non cenſetur invaſus privatus poſſeſſione rei ſublatæ. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt. 7.* & cum aliis Tamburin. *ſuprà num. 5.* Secus dicendum eſt ſi fur habeat jam res domi pacifice. Tamburin. *ſuprà.* Excipe niſi dominus non poſſit aliter rem ſuam recuperare, & poſtulet rem ſuam, & fur nolit illam ei tradere, nam tunc licite poteſt ejus domum ingredi, & illam auferre, & reſiſtente fure, licite poteſt eum interficere, nam tunc injuſte fur illum impedit, & moraliter, ſeu æquivalenter eum aggreditur. Ita cum Vaſquio, Diana, Leſſio, Reginaldo, Tamburin. *ſuprà num. 6.* & cum Lugo, Decaſtillo, & aliis Leander *ſuprà quæſt. 9.*

47 Dico quarto: Pro tuendis bonis proximi magni momenti poteſt quis licite interficere invaſorem. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt. 11.* Excipe niſi invaſus nolit defendi, quia poteſt cedere juri ſuo ſi res ad eum ſolum pertinent. Secus ſi ad defendentem aliquo modo pertineant, ut ſi bona ab eo ablata eſſent debita defendenti. Ita cum Leſſio, Tamburin. *ſuprà num. 8.*

SECTIO V.

De Homicidio ob defenſionem honoris & pudicitiæ tam propriæ quàm alienæ.

SUMMARIUM.

48 *Ob defenſionem honoris poteſt quis licite interficere injuſtum invaſorem.*

49 *An poſſit quis inſequi eum qui ei alapam impegit incontinenti ut eum occidendo ſuum honorem recuperet?*

50 *Quid ſi poſt tranſactum congreſſum alibi jam quietus exiſtat?*

51 *Si quis ab alio atroci contumelia afficiatur, ſi ſimili verbo poſſit honorem ſuum recuperare non poteſt eum occidere.*

52 *Quid ſi niſi occidendo poſſit honorem recuperare?*

53 *Ob defenſionem honoris proximi poteſt quis licite occidere injuſtum invaſorem.*

54 *Ob tuendam pudicitiam poteſt quis licite occidere invaſorem.*

48 Dico primo: licite poteſt quis ob defenſionem proprij honoris occidere invaſorem illius cum

moderamine inculpatæ tutelæ ; honor enim vitæ comparatur, & amiſſio illius vitæ omiſſioni. Ita cum communi ſententia Leander *de irregularitate tract. 2. d. 14. quæſt. 1.* & cum aliis Tamburin. *lib. 6. c. 1. §. 3. n. 1.* contra Avilam & alios, quos refert Leander. Hinc ſit non peccare illum qui hominem ſibi arripientem ba bam, & nolentem deſiſtere occidit; ut cum Gibalino notavit Leander *ſup. q. 2.*

49 Dico ſecundo in multorum doctorum ſententia, non ſolum ſpeculative, ſed etiam practice, probabile eſt poſſe quempiam inſequi eum, qui ei alapam impegit, in continenti, ut ſuum honorem nondum plene amiſſum recuperet ; dicunt enim hi doctores, non cenſeri honorem plene amiſſum moraliter, ſed tantum eſſe in fieri, ut amittatur dum percutiens fugit. Ita Hurtadus, Navarrus, Petrus Navarra, Henriquez, Victoria, Antoninus, Armilla, Gomez, Plaza, Fernandez, Marcantius, Faber, Diana, Layman, Decaſtillus, Gibalinus, quos refert, & ſequitur Leander *tract. 2. de irregularitate d. 14. quæſt. 3.* Verum ego contrarium dicendum exiſtimo. Et ratio eſt quia injuria jam eſt illata, nec repercuſſione tollitur, etiam in æſtimatione prudentum, ſed tantum in æſtimatione hominum imprudentum : ergo nullo modo licet invaſorem injuriantem fugientem inſequi, & occidere Ita Sotus, Molina, Vaſquius, Rodriguez, Turrianus, Bañes, Malderus, quos refert, & ſequitur Lugo *tom. 1. d. 10. n. 190.* Tamburin. *lib. 6. cap. 3 §. 3. n. 3.*

50 Dico tertiò : Quando honoris invaſor poſt tranſactam congreſſionem alibi jam quietus exiſtit, non poteſt invaſus licite eum repercutere ad recuperandum ſuum honorem ; quia jam honor amiſſus eſt. In hoc conveniunt DD. apud Leandrum *ſuprà quæſt. 6.* Et idem dicendum eſt, quando invaſor offert inſequenti cum, etiam in continenti poſt injuriam acceptam, ſatisfactionem veniam poſtulando, pœnitentia ductus ; ita cum Layman, Decaſtillo, Gibalino, & aliis Leander *ſup. quæſt. 5.*

51 Dico quarto : Si quis ab aliquo atroci contumelia afficiatur, ut ſi ab eo vocetur infamis, Judæus, Leno, & his ſimilia, ſi ſimilibus verbis, vel verbo mentiris, vel pugnis, vel alapa, vel fuſte ſufficienter honorem ſuum recuperet, non poteſt injuriantem occidere, quia cum injuria verbalis alio ſimili verbo, vel fuſte, vel alapa ſufficienter repellatur, ultra moderamen inculpatum erit injuriantem occidere.

52 Sed quid ſi aliter niſi occidendo non poſſit ſuum honorem amiſſum recuperare, poteritne tunc aggreſſorem licite occidere ? affirmant Navarrus, Henriquez, Struvendorf ; Baldelo, apud Dianam *p. 5. tract. 4. reſol. 12.* Bonacina, Hurtado, & alij, quos refert, & ſequitur Leander *tract. 2. de irregularitate d. 14. quæſt. 8.* Malletus *in præceptis Decalog. malleatione 27. Bracteæ 22.* Et idem affirmant plures, ſi alicui homini honorato publice dicatur, mentiris, ſi ſimili verbo, vel alapa non poſſit injuriam repellere. Ita cum aliis Leander *ſuprà quæſt. 7.* Et idem dicendum alij exiſtimant, ſi alicui contumelia graviſſima, imperfecte proferatur, ut ſi aliquis incipiat proferre, tu es Judæ, vel Sodomi, &c. ſi aliter evertere talem injuriam non poſſit. Ita Leander *ſuprà quæſt. 9.*

Verum in omnibus his caſibus contrarium dicendum exiſtimo. Ita Filliuc. Sylveſter, Caietanus, Binſeldius, Leſſius, Azorius, & alij quos refert, & ſequitur Diana *p. 5. tract. 4. reſ. 12. & 13.* Trullenc. *lib. 5. in Decalogum cap. 1. dub. 5. n. 3.* Decaſtillus, quem refert, & ſequitur Tamburin. *lib. 5. Decalog. c. 1. §. 3. n. 6.* Eſcobar *lib. 32. Decalog. n. 206.* Ratio eſt quia verbales injuriæ verbis repelli poſſunt. Tum quia ſic aſſolent repelli, etiam apud viros honoratos, etſi occaſione repellerentur, jam fieret in detentione exceſſus, cum aliter, & ſoleant, & poſſint repelli.

Dico quintò : Ob defenſionem honoris proximi 53
licet cuipiam occidere injuſtum illius invaſorem, ſervatis ſervandis, ut hucuſque diximus. Ita cum Sayro, Salon, Lopez, Saa, Leſſio, Navarro, Fagundez, *lib. 5. Decalog. cap. 4. n. 6.* & cum Suario, Molina, Lugo, Vaſquio, Bonacina, Trullenc. Villalobos, Leander *ſup. quæſt. 10.* Diana *p. 5. tract. 4. reſol. 20.* contra Sylvium, Binsfeldium, Baldum, Git, quos refert ibi Leander. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia honor æquiparatur vitæ ; ſed licitum eſt cuipiam defendere vitam proximi ſervatis ſervandis, cum occiſione invaſoris ; ergo idem dicendum eſt de honore, & fama proximi.

Dico ſextò : Licitum cuipiam eſt, ſive fœminæ, 52
ſive etiam adoleſcenti, ob tuendam ſuam pudicitiam, & caſtitatem invaſorem occidere, ſi aliter evadere nequeat, etiamſi invaſor ſit clericus, vel religioſus. In hoc conveniunt univerſi DD. quos refert, & ſequitur Leander *ſuprà quæſt. 12.* Et idem dicendum eſt pro defenſione pudicitiæ proximi. In hoc etiam conveniunt DD. Ratio utriuſque eſt ; quia æſtimabilius eſt bonum pudicitiæ, & caſtitatis, quam honoris, & opum ; ſed pro harum rerum defenſione, tam ſuarum, quam proximi, poteſt occidi licite injuſtus invaſor ; ergo & pro defenſione pudicitiæ tam propriæ, quam alienæ. Tum quia cum dedecore ſimul eſt conjunctum periculum conſenſus in delectationem, & peccatum. Hinc ſit quod puella, vel juvenis, quando ſollicitatur, vel tangitur, vel per vim oſculatur, poſſe non ſolum verbis, ſed pugno, alapa, vel etiam fuſte ſic tangentem repercutere, id enim non eſt vindictam ſumere ; ſed puritatem animi, vel conſtantiam oſtendere, niſi enim quis talem hominem ſic repellat, facile redibit, ut experientia oſtendit. Ita cum Lugo, Tamburin. *lib. 6. c. 3. §. 2. n. 7.*

SECTIO IV.

An ad tuendam vitam, honorem, vel divitias liceat alicui aliquando, offerre, ſeu acceptare Duellum ?

SUMMARIUM.

55 *Quid ſit duellum explicatur.*

56 *Duellum prohibitum eſt ſub excommunicatione Papæ reſervata, & aliis pœnis.*

57 *An provocatus ad duellum, ſi pugna non ſequatur incurrat prædictas cenſuras, & pœnas ?*

58 *Offerre, ſeu acceptare duellum ad vanam oſtenſionem virium, ad veritatem indagandam, ad vindictam, ſeu recuperandam injuriam eſt omnino illicitum.*

59 *Vir nobilis non poteſt licite duellum acceptare ne vilis, vel timidus, vel puſillanimis, eo quod non acceptat duellum, videatur.*

60 *Aliqui dantur caſus, in quibus licitum eſt acceptare duellum, qui explicantur.*

PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono, Duellum eſſe ſingulare, & grave, atque ex privatis cauſis certamen inter duos vel plures ex condicto, deſignato tempore, & loco. Ita cum Sanchez, 55

41 Dico ſexto: Licite poteſt quis occidere aggreſſorem proximi injuſtum ut defendat proximi Innocentis vitam cum dicto moderamine inculpatæ tutelæ quando illum aliter defendere non poteſt; licitum eſt enim aliis facere quod quiſque pro ſeipſo poteſt: ita cum communi ſententia Leander *tract. 2. de irregularitate d. 2. quæſt.* 41. & cum aliis Tamburinus *lib. 6. Decalogi cap. 1. §. 2. num.* 10. Nec ad hoc neceſſe eſt ut aggreſſus clamet, ita cum aliis Leander *ſuprà quæſt.* 41. Nec eſt neceſſe quod iniuſte aggreſſus ſit præſens, ſi mors aggreſſoris neceſſaria eſt ad defenſionem vitæ injuſte agreſſi. Ita cum Molina, Lugo, & aliis Leander *ſuprà quæſt.* 43. Quod verum eſt, etſi injuſte aggreſſus nolit defendi; cum enim invaſus non ſit dominus vitæ ſuæ, non poteſt eam alteri donare, nec poteſt tollere obligationem, quam quis habet illam defendendi: ita cum Leſſio, Lugo, Bonacina, Leander *ſuprà quæſt.* 44. Quod verum eſt, etſi aggreſſus injuſte non ſit Chriſtianus. Ita cum Lugo, Barboſa, Fulgoſ. & aliis Leander *ſuprà quæſt.* 45.

43 An autem teneatur quis defendere vitam injuſte aggreſſi cum prædicto moderamine? Reſpondeo teneri, ſi invaſus eſt pater, mater, filius, uxor, princeps, ſubditus, vel vaſallus, vel ſimili modo illi conjunctus, nec illi ex defenſione imminet grave periculum; ita cum Molina, Decaſtillo, Tamburinus *ſuprà num.* 11. Secus dicendum eſt, ſi aggreſſus eſt unus ex communi populo. Ita cum Suario, Tamburinus *ſuprà num.* 11. Quod à fortiori dicendum eſt, ſi invaſor ſit pater, filius vel ſimilis; quia tunc excuſat, immo prohibet tanta conjunctio, etſi injuſte aliquem invadant; ita Tamburin. *ſuprà*, ſicuti nec ſimiliter obligatur quis morte invaſoris defendere eum qui licite v. g. ob martyrium, vel aliam cauſam honeſtam, ſuam mortem permittit, ita cum Decaſtillo, Tamburin. *ſuprà num.* 11.

SECTIO IV.

Vtrum liceat interficere injuſtum invaſorem, ob defenſionem bonorum temporalium?

SUMMARIUM.

44 *Quilibet etiam clericus, vel regularis licite poteſt interficere volentem ſua bona magni momenti injuſte accipere.*
45 *Quæ res dicatur magni momenti?*
46 *Poteſt quis inſequi latronem, qui res ſuas magni momenti defert, & ſi eas nolit relinquere, poteſt eum occidere, ut eas recipiat.*
47 *Pro tuendis bonis proximi magni momenti poteſt quis licite interficere invaſorem.*

44 Dico primo: Licite poteſt quis, ſive laicus, ſive clericus, vel regularis, etiam abſque irregularitate, interficere volentem ſua bona magni momenti injuſtè occupare, ſi aliter ea defendere nequit; quia alias improbis daretur occaſio bonos, & innocentes ſuis bonis ſpoliandi. Ita cum communi ſententia Tamburinus *lib. 6. cap. 1. §. 2. num. 1.* & cum aliis Leander *tract. 2. de irregularitate d. 13. quæſt. 1. & 3. & 4.*

45 Dico ſecundo: Vt res dicatur magni momenti dependet ex circumſtantiis; nam ſi à paupere auferatur aureus, poteſt invaſorem occidere, ſi aliter defendere res ſuas non poſſit. Secus ſi à divite, vel à Rege; nam tunc nec quatuor, quinque, vel decem aurei ſufficiunt: debet igitur attendi perſona à qua res furatur, an afferat illi magnum detrimentum; debet igitur res ablata eſſe magna, vel ex ſe ut ſi ſint viginti aurei reſpectu hominis ditiſſimi, vel unius aut duorum aureorum reſpectu pauperis cujus integrum patrimonium in eo aureo, vel duobus aureis reſidet. Ita cum multis Tamburinus *ſuprà num.* 2. Leander *ſuprà quæſt.* 5. Excipe niſi res auferatur, reſiſtente domino, nam tunc ſufficit res valoris unius aurei reſpectu cujuſcunque perſonæ propter violentiam & injuriam, quæ infertur domino, ita cum Fagundez, Leander *ſuprà quæſt.* 5. & cum Molina, & aliis Tamburinus *ſuprà numero* 2.

46 Dico tertio: Poteſt quis inſequi latronem qui res ſuas magni momenti defert, & ſi eas nolit relinquere poteſt eum interficere, ut eas recuperet; fure enim adhuc fugiente cum re non cenſetur invaſus privatus poſſeſſione rei ſublatæ. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt.* 7. & cum aliis Tamburin. *ſuprà num.* 5. Secus dicendum eſt ſi fur habeat jam res domi pacifice. Tamburin. *ſuprà.* Excipe niſi dominus non poſſit aliter rem ſuam recuperare, & poſtulet rem ſuam, & fur nolit illam ei tradere, nam tunc licite poteſt ejus domum ingredi, & illam auferre, & reſiſtente fure, licite poteſt eum interficere, nam tunc injuſte fur illum impedit, & moraliter, ſeu æquivalenter eum aggreditur. Ita cum Vaſquio, Diana, Leſſio, Reginaldo, Tamburin. *ſuprà num. 6.* & cum Lugo, Decaſtillo, & aliis Leander *ſuprà quæſt. 9.*

47 Dico quarto: Pro tuendis bonis proximi magni momenti poteſt quis licite interficere invaſorem. Ita cum communi ſententia Leander *ſuprà quæſt.* 11. Excipe niſi invaſus nolit defendi, quia poteſt cedere juri ſuo ſi res ad eum ſolum pertinent. Secus ſi ad defendentem aliquo modo pertineant, ut ſi bona ab eo ablata eſſent debita defendenti. Ita cum Leſſio, Tamburin. *ſuprà num.* 8.

SECTIO V.

De Homicidio ob defenſionem honoris & pudicitiæ tam propriæ quàm alienæ.

SUMMARIUM.

48 *Ob defenſionem honoris poteſt quis licite interficere injuſtum invaſorem.*
49 *An poſſit quis inſequi eum qui ei alapam impegit incontinenti ut eum occidendo ſuum honorem recuperet?*
50 *Quid ſi poſt tranſactum congreſſum alibi jam quietus exiſtas?*
51 *Si quis ab alio atroci contumelia afficiatur, ſi ſimili verbo poſſit honorem ſuum recuperare non poteſt eum occidere.*
52 *Quid ſi niſi occidendo poſſit honorem recuperare?*
53 *Ob defenſionem honoris proximi poteſt quis licite occidere injuſtum invaſorem.*
54 *Ob tuendam pudicitiam poteſt quis licite occidere invaſorem.*

48 Dico primo: licite poteſt quis ob defenſionem proprij honoris occidere invaſorem illius cum

moderamine inculpatæ tutelæ ; honor enim vitæ comparatur, & amissio illius vitæ omissioni. Ita cum communi sententia Leander *de irregularitate tract. 2. d. 14. quæst. 1.* & cum aliis Tamburin. *lib. 6. c. 1. §. 3. n. 1.* contra Avilam & alios, quos refert Leander. Hinc fit non peccare illum qui hominem sibi arripientem ba bam, & nolentem desistere occidit; ut cum Gibalino notavit Leander *sup. q. 2.*

49 Dico secundo in multorum doctorum sententia, non solum speculative, sed etiam practice, probabile est posse quempiam insequi eum, qui ei alapam impegit, in continenti, ut suum honorem nondum plene amissum recuperet ; dicunt enim hi doctores, non cenferi honorem plene amissum moraliter, sed tantum esse in fieri, ut amittatur dum percutiens fugit. Ita Hurtadus, Navarrus, Petrus Navarra, Henriquez, Victoria, Antoninus, Armilla, Gomez, Plaza, Fernandez, Marcantius, Faber, Diana, Layman, Decastillus, Gibalinus, quos refert, & sequitur Leander *tract. 2. de irregularitate d. 14. quæst. 3.* Verum ego contrarium dicendum existimo. Et ratio est quia injuria jam est illata, nec reperc ssione tollitur, etiam in æstimatione prudentum, sed tantum in æstimatione hominum imprudentum : ergo nullo modo licet invasorem injuriantem fugientem insequi, & occidere Ita Sotus, Molina, Vasquius, Rodriguez, Turrianus, Bañes, Malderus, quos refert, & sequitur Lugo *tom. 1. d. 10. n. 190.* Tamburin. *lib. 6. cap. 3 §. 3. n. 3.*

50 Dico tertiò : Quando honoris invasor post transactam congressionem alibi jam quietus existit, non potest invasus licite eum repercutere ad recuperandum suum honorem ; quia jam honor amissus est. In hoc conveniunt DD. apud Leandrum *suprà quæst. 6.* Et idem dicendum est, quando invasor offert insequenti eum, etiam in continenti post injuriam acceptam, satisfactionem veniam postulando, pœnitentia ductus ; ita cum Layman, Decastillo, Gibalino, & aliis Leander *sup. quæst. 5.*

51 Dico quarto : Si quis ab aliquo atroci contumelia afficiatur, ut si ab eo vocetur infamis, Judæus, Leno, & his similia, si similibus verbis, vel verbo mentiris, vel pugnis, vel alapa, vel fuste sufficienter honorem suum recuperet, non potest injuriantem occidere, quia cum injuria verbalis alio simili verbo, vel fuste, vel alapa sufficienter repellatur, ultra moderamen inculpatum erit injuriantem occidere.

52 Sed quid si aliter nisi occidendo non possit suum honorem amissum recuperare, poteritne tunc aggressorem licite occidere ? affirmant Navarrus, Henriquez, Stroverdof ; Baldelo, apud Dianam *p. 5. tract. 4. resol. 12.* Bonacina, Hurtado, & alij, quos refert, & sequitur Leander *tract. 2. de irregularitate d. 14. quæst. 8.* Malletus *in præceptis Decalog. malleatione 27. Bractea 22.* Et idem affirmant plures, si alicui homini honorato publice dicatur, mentiris, si simili verbo, vel alapa non possit injuriam repellere. Ita cum aliis Leander *suprà quæst. 7.* Et idem dicendum alij existimant, si alicui contumelia gravissima, imperfecte proferatur, ut si aliquis incipiat proferre, tu es Judæ, vel Sodomi, &c. si aliter evertere talem injuriam non possit. Ita Leander *suprà quæst. 9.*

Verum in omnibus his casibus contrarium dicendum existimo. Ita Filliuc. Sylvester, Caietanus, Binsfeldius, Lessius, Azorius, & alij quos refert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 4. res. 12. & 13.* Trullenc. *lib. 5. in Decalogum cap. 1. dub. 5. n. 3.* Decastillus, quem refert, & sequitur Tamburin. *lib. 5. Decalog. c. 1. §. 3. n. 6.* Escobar *lib. 32. Decalog. n. 206.* Ratio est quia verbales injuriæ verbis repelli possunt. Tum quia sic assolent repelli, etiam apud viros honoratos, etsi occisione repellerentur, jam fieret in defensione excessus, cum aliter, & soleant, & possint repelli.

Dico quintò : Ob defensionem honoris proximi 53
licet cuipiam occidere vitam illius invasoris, servatis servandis, ut hucusque diximus. Ita cum Sayro, Salon, Lopez, Saa, Lessio, Navarro, Fagundez, *lib. 5. Decalog. cap. 4. n. 6.* & cum Suario, Molina, Lugo, Vasquio, Bonacina, Trullenc. Villalobos, Leander *sup. quæst. 10.* Diana *p. 5. tract. 4. resol. 20.* contra Sylvium, Binsfeldium, Baldum, Git, quos refert ibi Leander. Ratio nostræ resolutionis est, quia honor æquiparatur vitæ ; sed licitum est cuipiam defendere vitam proximi servatis servandis, cum occisione invasoris ; ergo idem dicendum est de honore, & fama proximi.

Dico sextò : Licitum cuipiam est, sive fœminæ, 52
sive etiam adolescenti, ob tuendam suam pudicitiam, & castitatem invasorem occidere, si aliter evadere nequeat, etiamsi invasor sit clericus, vel religiosus. In hoc conveniunt universi DD. quos refert, & sequitur Leander *supra quæst. 12.* Et idem dicendum est pro defensione pudicitiæ proximi. In hoc etiam conveniunt DD. Ratio utriusque est ; quia æstimabilius est bonum pudicitiæ, & castitatis, quam honoris, & opum ; sed pro harum rerum defensione, tam suarum, quam proximi, potest occidi licite injustus invasor ; ergo & pro defensione pudicitiæ tam propriæ, quam alienæ. Tum quia cum dedecore simul est conjunctum periculum consensus in delectationem, & peccatum. Hinc fit quod puella, vel juvenis, quando sollicitatur, vel tangitur, vel per vim osculatur, posse non solum verbis, sed pugno, alapa, vel etiam fuste sic tangentem repercutere, id enim non est vindictam sumere ; sed puritatem animi, vel constantiam ostendere, nisi enim quis talem hominem sic repellat, facile redibit, ut experientia ostendit. Ita cum Lugo, Tamburin. *lib. 6. c. 3. §. 2. n. 7.*

SECTIO IV.

An ad tuendam vitam, honorem, vel divitias liceat alicui aliquando, offerre, seu acceptare Duellum?

SUMMARIUM.

55 *Quid sit duellum explicatur.*

56 *Duellum prohibitum est sub excommunicatione Papæ reservata, & aliis pœnis.*

57 *An provocatus ad duellum, si pugna non sequatur incurrat præfatas censuras, & pœnas ?*

58 *Offerre, seu acceptare duellum ad vanam ostensionem virium, ad veritatem indagandam, ad vindictam, seu recuperandam injuriam est omnino illicitum.*

59 *Vir nobilis non potest licite duellum acceptare ne vilis, vel timidus, vel pusillanimis, eo quod non acceptat duellum, videatur.*

60 *Aliqui dantur casus, in quibus licitum est acceptare duellum, qui explicantur.*

PRo hujus sectionis intelligentia suppono, Duel- 55
lum esse singulare, & grave, atque ex privatis causis certamen inter duos vel plures ex condicto, designato tempore, & loco. Ita cum Sanchez,

Digitized by Google

Filliucio, Bonacina, & aliis Baſæus verbo duellum, in qua deſcriptione illa particula, &, habetur ſe copulative, ita ut, ſi condicatur locus dumtaxat, vel dumtaxat tempus, non eſt duellum, prout ſumitur in prohibitione Pontificum, quæ cum ſit odiota ſtrictè eſt interpretanda pro rigoroſo duello. Ita cum Bonacina, Hurtado, Tamburin. *lib.6.cap.1.§.3. num.8.* dicitur autem grave certamen, ut oſtendatur debere fieri armis aptis ad interficiendum, vel vulnerandum. Vnde ſi fiat pugnis, virga, vel levi baculo, avulſione capillorum non eſt duellum; dicitur inter duos, vel plures ex condicto certamen, ut oſtendatur bellum non eſſe duellum, eo quod in bello non ſervatur pugna ex condicto, nec bellum ſit ex privatis cauſis ſed propter bonum publicum. Ita cum Reginaldo, Baſæo. Tamb. *ſup.n.10.*

Dicitur autem ex condicto ut oſtendatur pugnam quæ ex ſubito iræ conflictu, vel ex altercatione naſcitur non eſſe duellum, eo quod non fiat ex condicto. Vnde ſi dum duo rixantur alter dicat, exere gladium, vel ſi ſit in Eccleſia, Navi, Aula principis, vel domi, & ob reverentiam, vel periculum, vel ut liberius pugnæ vacet, alij dicat, excamus, expecta donec veniam, huc expecto, invito te ad pugnam, quocunque in loco mihi occurreris, tecum pugnabo prima vice qua per urbem obviam tibi fuero, non eſt duellum. Ita cum aliis Tamburin. *ſupr. n.12.* Vidal. *de duello inquiſitione 4. n.6.* contra Malletum *Malleatione 29. Bractea 1.* Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia quando conventio, & pugna fiunt in illo calore, non ſunt duæ, ſed una moraliter actio, quare conventio tunc non eſt dicenda duellum, ſed pugna exorta in rixa, cum hujuſmodi actionibus principium potius attendatur, quam finis.

56 Secundo ſuppono: Duellum eſſe prohibitum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſervatæ, & ſub aliis pœnis, præſertim ſub pœna privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi moriatur in ipſo actuali conflictu; ut patet ex Trid. *ſeſſ.25. c.19. de reformatione, & ex Bulla Pij V. Julij II. Leonis X. Clementis VII. Gregorij XIII. Clementis VIII.* Quæ cenſuræ non ſolum comprehendunt committentes duellum, verum etiam inſtigantes, conſilium, arma, favoremque dantes, Patrinos, & Dominos loci. Et idem dicendum eſt de ſpectatoribus ex compoſito, ut animoſiores reddant duellantes. Secus ſi caſu itinerantes per locum duelli ſiſtant, ut videant, vel ſi curioſitatis gratia accedant, vel ob finem advocandi confeſſarium, vel medicum accedant; ſolum enim qui aſſiſtunt ut dantes animum, vel authoritatem, vel ut teſtes, vel judices, vel arbitri incurrunt prædictas pœnas, id enim ſignificant illa verba, ex compoſito, & ſoli ſpectatores. Ita cum Florono, Tamburinus *ſuprà num. 14.*

57 An autem provocantes ad duellum, ſi pugna non ſequatur incurrant has cenſuras; affirmant cũ Filliuc. Tamb. *ſup.n.15.* Malletus, *Malleatione 27. Bractea 2.* Verum contrarium tenendum exiſtimo, etiã ſtando in terminis Conſtitutionis Clementis VIII. Ita Hurtadus de Mendoza *in 2.2. D.Th. d.107. ſect.1.§.190.* Diana *p.5.tr.14. reſ.102.* & cum Sanch. Delrio, Sayro, Fagund. Vidal *de duello inquiſitione 3. n.6.* Ratio eſt quia ſtatutum pœnale debet reſtringi; unde ſi extenditur ad inſtigantes ad duellum, non debet extendi ad provocantes & ſtatutum puniens delictũ, non debet extendi ad attentantes tantum delictum. Tum quia Clem. VIII. ſolum vult punire duellum formale, ut patet ex illis verbis, duellum ex compoſito incuntes, quod manifeſte pugnam realem exegit, ſed tale dici non poteſt, pugna non ſecuta; ergo provocantes ad duellum, ſi pugna non ſequatur, etiamſi ambo ad determinatum locum perveniſſent, & ad actum propinquum pugna, ſi aliàs de facto pugna non fuit ſecuta, ſed impedita quacunque ex cauſa, tales cenſuras non incurrunt. His ſuppoſitis,

Dico primò: offerre, ſeu acceptare duellum ad 58
vanam oſtentationem virium, ad veritatem indagandam, ad vindictam, ſeu recuperandam injuriam, eſt omnino illicitum. In hoc conveniunt DD. apud Leandrum, *tract.2. de irregularitate d.15.q.2.3. &* 4. Ratio eſt, quia contra rationem eligitur atrox medium, & periculum vitæ ob vanum finem. Tum quia hoc eſt formaliſſimum duellum, tot bullis pontificiis prohibitum; ergo ſic acceptantes, vel offerentes duellum peccant, & incurrunt pœnas prædictorum motuum Pontificum.

Dico ſecundò: vir nobilis non poteſt licite duel- 59
lum acceptare ne vilis, vel timidus, vel puſillanimis, eo quod non acceptat duellum videatur. Ita communiter DD. quos larga manu refert Leander, *tract.2. de irregularitate d.15.q.5.* Tamburin. *lib.6.cap.1. §.3. num. 16.* Ratio eſt quia barbarum, & irrationale videtur, ut quis ſe vitæ periculo exponat, eo præcisè quia alius eum velit ad pugnam provocare, nulla alia cauſa juſte interveniente: ergo non poteſt licite certamen hoc admittere, etiamſi ob id ab aliquibus timidus, ignavus, aut infamis exiſtimetur. Tum quia ex non acceptato duello non oritur hæc infamia, niſi apud improbos, & viles homines. Et dato quod apud aliquos nobiles oriatur, id eſt, per accidens ex malitia prædictorum hominum leviſſimorum, qui quod virtuti, & laudi tribuere debebant, tribuunt ignominiæ. Non deſunt tamen DD. contrarium immerito tenentes. Hi ſunt Hurtadus de Mendoza, 2.2. D. Th. *d.107. ſeſſ.13.§.106.* probabile putat Filliucius, *in 5. præcepto decal. tract.29. cap.8.n.145.* Diana, *5.p.tract.14. reſol.95.* Vidal *de duello, inquiſitione 2. num. 17.* Baſæus, *verbo duellum, num.6.* quorum ſententia an ſit probabilis; ipſi viderint: ego enim à contraria ſententia non diſcedo. Imò contraria ſententia modo rejicitur ab Alexandro VII. in ſuo decreto anno domini 1661. propoſitione 2. & doceri prohibetur ſub anathemate.

Dico tertiò: aliqui dantur caſus in quibus licitum 60
eſt acceptare, imò offerre duellum 1. ſi non acceptando duellum amittat quis honores, aut publica munera, quæ poſſidet. Ratio eſt quia ſic acceptans duellum conjectus eſt in eas anguſtias, ut vel pugnandus ſit cum provocante injuſto, vel amiſſurus ſit nobilitatem, vel munera; ſed non tenetur amittere honores, & munera, ſeu dignitatem, quam poſſidet: ergo licitè poteſt acceptare duellum. Ita Malletus, *malleatione 19. bractea 3.* & cum Hurtado, Leander, *ſuprà quæſt. 6.* Auſonius in ſumma Dianæ, verbo duellum, *num.2.* contra Dianam, *p.2. tract.6. reſol.1.*

Secundò: ſi quis aliquem aggrediatur, & velit occidere, niſi duellum acceptet, & aliter necem vitare non poſſit. Ita Tamburinus, *ſuprà num. 17.* & cum aliis Leander, *ſuprà quæſt.9.* Tertiò ſi quis alterius domum ingrediatur, & omnia pretioſa diripiat, niſi duellum acceptet, & aliter res ſuas defendere non poſſit. Ita Tamburinus, *ſuprà num. 17.* & cum Palao, Diana, Hurtado, Leander, *ſuprà quæſt.9.* Ratio eſt, quia in tanto periculo humana jura non obligant, & alias hæc eſt ipſiſſima defenſio vitæ, & bonorum contra injuſtum aggreſſorem.

Quartò licitum eſt acceptare duellum in defenſionem divini honoris, ut ſi quis nolit deſiſtere à peccatis, quæ cedunt in injuriam gravem proximi, & boni communis, & Religionis, [non vero à peccatis quæ tantum nocent peccanti] niſi

cum

Digitized by Google

cum eo acceptet duellum; tunc enim licitum est offerentem duellum occidere, & duellum acceptare. Ita cum Palao, Leander *suprà num.* 6. Quinto potest quis acceptare duellum sine incursu censuraram, quando certo scit pugnam non secuturam, & multo magis, si sciat quod duellum impediendum est. Ita cum aliis Antonius *sup. n.* 4. Tamburin. *sup. num.* 16.

Sexto licet offerre, & acceptare duellum in bello ofensivo, & defensivo, ut si hostis duellum offerat, & illud acceptare necessarium videatur ad evertendam ignominiam, & animos hostium debilitandos, & suorum confirmandos, ut fecit David contra Philistæum, si id ad finiendum bellum, securitatemque Reipublicæ ducibus videatur necessarium. Ita cum Caietano, Navarro, Toleto, Valentia, Sanch. Layman, Decastillus *lib.* 2. *de justitia tract.* 1 *d.* 10. *d.* 15. *num.* 228. Sed de his consule prædictos DD.

DISPUTATIO III.

De Homicidio sui ipsius & Proximi injusto.

SECTIO I.

Utrum liceat se ipsum occidere directe vel indirecte.

SUMMARIUM.

61 *Nemini licet se ipsum directe occidere.*
62 *Cuilibet licitum est cum justa causa se ipsum indirecte occidere.*
63 *Quædam corollaria ponuntur.*
64 *Qui contra regulas prudentiæ suam carnem macerat, peccat mortaliter.*
65 *Alia corollaria ponuntur.*

61 Dico primo: Nemini unquam licet se ipsum directe occidere, nisi ex divina inspiratione: in hoc conveniunt omnes TT. ut videre est apud Lugum *de justitia d.* 10. *num.* 1. Ratio est quia homo non est dominus suæ vitæ, sed Deus; dominus enim semper dicit superioritatem respectu illius cujus est dominus, quam homo super se ipsum habere non potest; bene vero respectu suarum operationum. Vnde potest se ipsum vendere; nam tunc non dat dominium sui simpliciter, sed solum in aliquas suas operationes; unde dominus non potest disponere de vita servi, sed de ejus operationibus. Dixi nisi ex divina revelatione, nam sic multi sancti hoc fecerunt, ut refertur de Samsone, de S. Apollonia, & aliis, qui Zelo Dei accensi in flammas se injecerunt, ut explicant communiter DD.

62 Dico secundo: Vnicuique licitum est aliquando se ipsum indirecte occidere; tunc autem se ipsum quis indirecte occidit, quando ex justa causa aliquid agit, vel omittit ex quo certo scit mortem secuturam, non mortem intendendo, sed illum honestum finem. Ratio autem est, quia non semper obligatur homo ad cavenda ea, quæ per accidens eveniunt, & ex alia parte causa justa illum urgere potest, ad aliquid agendum, vel omittendum, quamvis ad illud per accidens malum aliquod sequatur. Ita cum D. Th. Clavi Regia, Malletus, *Malleatione* 27. *Bractea* 12. Tamburin. *lib.* 6. *cap.* 2. §. 3. *num.* 2. & alij communiter. Et hinc plures deducuntur casus.

Primus: Posse filium exponere vitam pro salvanda vita patris & quemlibet pro patria, & pro Religione. Immo idem potest facere amicus pro amico æqualis conditionis. Dixi æqualis conditionis, nam si exponens vitam fuerit magis necessarius Reipublicæ, vel familiæ suæ, non potest vitam pro amico exponere. Ita cum D. Th. Clavi Regia, Malletus, *Malleatione* 27. *Bractea* 13. An vero pro bonis, vel honore amici, possit quis vitam exponere? negant communiter DD. est enim vita longe superioris ordinis. Et quamvis liceat occidere alium pro defensione facultatum, & honoris, tum propriorum, tum proximi, non licet tamen pro eis mortem subire; quamvis ei bona sint notabilis quantitatis, satis probabile, posse quempiam vitam in periculo ponere, eo casu quo pro defensione illorum potest alium occidere. Ita cum Villalobos, Soto, Trullenc. *in Decaleg. lib.* 5. *cap.* 3. *d.* 3. *n.* 2. 63

Secundo miles etiam si certo sciat occidendum non tenetur deserere stationem, sed obligatur illam defendere cum vitæ periculo, Trullenc. *suprà n.* 5. Potest etiam scalas ad mœnia positas primus ascendere, & ignem in pulverem tormentarium injicere, ad evertendos hostes, etsi prævideat mortem in momento secuturam. Tamburin. *sup. num.* 4 Malletus *suprà*. Tertio juste capite plectendus, carcerique inclusus potest ob honestatem justitiæ, & obedientiæ non fugere, etsi possit. Et juste damnatus ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere. Immo malefactori licet se ipsum judici offerre interficiendum Injuste tamen damnati, [nisi aliud motivum adsit, ut adfuit in Sanctis Martyribus, motivum fidei. & Religionis] tenentur fugere &, comedere; quia tunc justa causa non adest vitam prodigendi.

Quarto: Positus in extrema necessitate famis, tenetur abstinere à cibis idolothytis, ob bonum Religionis, præcipuè quando comedendo honor Religionis periclitatur. Quando duo sunt positi in extrema necessitate, potest alter alteri cibum præbere, quem habet, quo vitam tueri poterat. Tempore belli, potest quis se injicere sclopo, vel telo, ut defendat vitam Principis. Et tempore naufragij potest alteri relinquere tabulam à se occupatam, & committere secundis. An autem possit quis pro amico ad mortem damnato, se prædictæ morti offerre ad eum liberandum? Respondeo quod si mors fuerit injusta posse, dummodo ejus vita non sit Reipublicæ, vel familiæ magis utilis, & necessaria. Secus si mors fuerit justa; nam tunc esset allicere judicem ad occidendum innocentem. Ita cum Lessio, Trullenc. *lib.* 5. *cap.* 3. *d.* 3. *num.* 9.

Quinto: Grassante incendio in aliqua domo potest quis è fenestra se ejicere, ut fugiat illam mortem ignis. Et idem potest efficere ad fugiendum leonem eum imperentem. Fœmina potest mortem pati, potius quam in turpitudinem consentire Si tamen certa sit non esse consentiendum, potest permittere se violari mere passive se habendo, quod tamen non potest efficere vir, cum active se habeat ad coitum fornicationis Bassæus verbo Homicidium *n.* 9. Iuste dānatus ad mortē potest, & tenetur omnes actiones efficere, quæ sunt dispositiones remotæ ad necē, ut ascendere scalā, funē collo appendere, manum, & collum secuti feriēdum offerre; Non potest tamen se à scala ejicere, potest tamen venenum sibi oblatum

oblatum in pœnam delicti aperto ore bibere; Non potest tamen illud ante tempus bibere, nec venam sibi aperire, vel manum abscindere, nec se ipsum perimere; nam hæc illi non præcipiuntur, nec legitime præcipi possunt; sunt enim actiones per se mortem afferentes.

Sexto: Potest quis peste infectis inservire sive sint uxor marito, sive cuilibet extraneo; semper enim hoc est laudabile, & opus charitatis. Immo ob bonum publicum possunt milites injicere ignem Navi, ne veniat in manus inimicorum, & ne injusti hostes potentiores fiant ex tam pingui præda, & ne fiant animosiores ex parta victoria. Ita cum Lessio, Decastillo, Tambu *sup. num.* 8. Potest etiam quis subfodere turres, vel mœnia in bello justo etiamsi sciat fore opprimendum simul cum hostibus. Diana *p.6.tra.7.resol.48 & p.5.tra.4.resol.27. & 31.* Tamburin. *sup. num.* 8.

Septimo: Licet corpus jejuniis moderate macerare ob mortificationem, etiamsi vita sit citius finienda. Unde non tenetur quis mutare locum habitationis ad salutem recuperandam, nec uti cibis, nisi ordinariis, per se ordinatis ad vitam conservandam, non vero extraordinariis, & delicatis, nec etiam tenetur medicamenta exquisita quærere, sed solum tenetur medicinis ordinariis uti. Imo nec ipsos ordinarios cibos, vel medicinas tenetur infirmus sumere, si multum laborem censeat in eis assumendis; cum tanto namque labore charitas propria nequaquam obstringit, sed potest aliis cõmodioribus uti. Hinc fit neminem teneri uti carne hominis jam occisi, etiamsi pro medicamento jubeatur à medicis assumi; nemo enim tam extraordinaria medicina, vel cibo uti tenetur, etiam in opinione illorum, qui dicunt, in extrema necessitate licitum esse uti tali cibo.

64 Adverte tamen quod si quis contra regulas prudentiæ supra vires suas se jejuniis maceraret, peccare mortaliter. Hinc fit Carthusianos recte facere non comedendo carnes, etiam in periculo mortis, quia alij sunt cibi sufficientes ad vitam, quantum sat est secundum regulas prudentiæ, sustentandam. Ita cum Fagundez, Sayro, Azor, & aliis multis Tamburin. *sup.* § 1. per totum Malletus, Malleatione 27. Bractea 13. & 14. Secus dicendum est si quis herbis crudis in cibum uteretur, vel aliis cibis noxiis, sine speciali Dei instinctu, vel nisi ex inadvertentia ad solum profectum spiritualem attendens. Ita cum Bonacina, Malletus supra Bractea 14. Basæus verbo homicidium *num.* 8.

Octavo excusantur, qui sui corporis agilitate ambulant super funem, aut sumunt venenum adhibito statim remedio; quia quamvis hæc sint periculosa, nihilominus purgatur periculum per applicationem remedij. Ita Basæus *sup. num.* 7. Diana *p. 5. tract.4.resol.26.28. & 42. & p.6.tract.7. resol.48.*

Nonò potest quis à latrone invasus permittere se ab eo occidi, e si eum occidere possit ne eũ in peccato mortali occidat, dummodo sic permittens probabiliter credat se esse in gratia, & dummodo non sit persona publica, & Reipublicæ vel aliis multum utilis, vel necessaria. Ita cum Sayro, & aliis Trullenc. *supra num.* 12. Basæus *sup. num.* 7.

65 Decimo. Potest quis navigare, etiam cum vitæ periculo, & bellum ingredi; hæ enim res sunt publico bono maximè necessariæ, & semper spes remanet evadendi. Ita cum Salon, Lopez, & aliis Trullenc. *supra num.* 15. An autem possit quis sibi mortem exoptare ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, paupertatem, internam afflictionem &c. Respondeo affirmative; potest enim quis talem ægritudinem &c. majus malum reputare, quam mortem, & tunc prudenter mortem desiderat. Secus sine causa magnæ calamitatis tale desiderium habeat; nam tunc mortaliter peccaret. Ita cum Sanctio, Soto, Granado, Basæus *supra n.* 8.

SECTIO II.

Vtrum liceat se ipsum mutilare.

SUMMARIUM.

66 *Nemo potest sibi sine gravi causa membrum amputare.*

67 *Pater de consensu filij potest citra periculum mortis ei testiculos amputare ad conservandam egregiam vocem.*

68 *An miles in bello possit dentes amputare ut loco glandium se ab hostibus defendat?*

Dico primo. Nemo potest sine gravi causa sibi membrum aliquod amputare. Ita communiter DD. homo enim non est dominus membrorum suorum. Dixi sine gravi causa, nam pro bono totius corporis, ad vitandum majus malum, sive hoc ab intrinseco, sive ab extrinseco procedat, potest quis imputare sibi membrum aliquod, ut si Tyrannus alicui præciperet, ut amputaret sibi membrum, alias illum occidisset, posset talis sibi manum, vel pedem amputare. Et eadem ratione posset quis manum, vel brachium veneno, vel tabe infectum, ex quo probabiliter timet mortem amputare. Et ferro alligatus potest manum amputare, ut mortem evadat. In his tamen, & similibus casibus, non tenetur quis membra ista secare ad fugiendam mortem, quia cum tanto dolore non urget charitas, etiam propria, etiamsi quis videatur minus utilis Reipublicæ; quia regulariter potest prudenter existimare sibi mordenti alterum non minus aptum successurum. An autem Prælatus posset cogere Religiosum, vel Pater Filium, ut patiatur membrum amputari ad mortem evadendam? Respondeo negative; est enim actio valde heroïca excedens imperium prælati, & patris. Ita Decastillus *lib. 2. tract. 1. d. 10. d. 17. n. 554.* 66

Dico secundo: Pater de consensu filij, non tamen eo invito, potest citra periculum mortis, manu solertis medici testiculos ei amputare ad conservandam egregiam, & sonoram vocem, est enim justa causa ad hanc abscissionem, quod in Ecclesia Dei non deficiant sonori cantores ad divinas laudes modulandas. Ita cum Salon, Pascaligo, Tannero, Tamburin. *lib.6.cap.2.§ 4.n.4.* & cum Sayro, Trullenc. *lib. 5. Decalogi cap. 3. d. 4. num.4.* contra alios, quos refert, & sequitur Diana *p. 3. tract. 5. resol.38. & p.6.tract.8 resol. 31. & eadem p. tract. 6. ref. 35.* Nec in hoc casu talis puer manet irregularis, ut bene advertit cum Palao, Tamburin. *sup n. 5* non enim ex indignatione sibi testiculos amputavit, sed ex justa causa. 67

An autem miles in bello possit licite amputare sibi dentes, si non habeat glandes plumbeas, ut se ab hostibus defendat, & illis pro glandibus uti? Respondeo affirmative; factumque hoc reperimus apud nostros Lusitanos, quorum unus sibi dentes amputavit, ut se ab hoste defenderet, teste Mapheo in sua historia Indica, quod refert Lessius *lib. 2. cap. 9. d. 14. num. 10* & cum eo approbat Decastillus *sup. num. 558.* Non erit tamen licitum virilia 68

lis ſibi quiſque amputare, etiam ad ſervandam caſtitatem; quia alia ſuppetunt ad hoc remedia. Unde factum originis ab omnibus condemnatur; & quod alij Sancti fecerunt ſibi naſum, linguam, digitos computando, id ex ſpeciali Dei inſtinctu, vel ignorantia invincibili fecerunt: prout cum communi ſententia teſtatur Decaſtillus *ſup. n. 560.* Dictum enim Chriſti. Matthæi IV. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; non de abciſſione corporali, ſed de ſpirituali intelligendum eſt, ut communiter explicant DD.

SECTIO III.

De Homicidio Proximi injuſto.

SUMMARIUM.

69 *Homicidium voluntarium proximo intentum ab agente privato eſt peccatum mortale.*

70 *Quid ſi dante aliquo operam rei licitæ, mors ex ejus actione licita ſequatur, præter ejus intentionem?*

71 *Quid ſi dante operam rei illicitæ mors alterius indirecte ſequatur?*

72 *Quoties quis omiſit aliquid ad quod tenebatur ex juſtitia, ſi ex ejus omiſſione ſequitur mors, vel damnum alterius, tantum peccat quanta eſt omiſſionis malitia.*

73 *Quid ſi quis Paulum occidat, & homicidium non occidenti, ſed alteri imputetur.*

74 *Qui occidit Paulum putans eſſe Antonium peccavit, ſi tamen Paulus erat clericus non incurrit excommunicationem.*

75 *Quid ſi Antonius quem intendebat occidere eſſet etiam clericus?*

69 PRo explicatione hujus ſectionis notandum eſt, homicidium aliud eſſe voluntarium, hoc eſt intentum ab agente, ſive in ſe, ſive in cauſa, aliud eſſe caſuale, hoc eſt, præter intentionem agentis. Si fuerit intentum ab agente privato, extra caſus ſupra enumeratos certum eſt apud omnes eſſe peccatum mortale, & inducere irregularitatem ex delicto. Si vero fuerit caſualis, erit, vel non erit peccatum, ſecundum cauſam quam quis illi dedit, & in his cauſis explicandis eſt difficultas hujus ſectionis. His igitur ſuppoſitis,

70 Dico primo. Si dante aliquo operam rei licitæ mors ex ejus actione licita præter ſuam intentionem ſequatur, ſi nulla adfuit culpabilis negligentia in evitanda alterius morte, ſic occidens nullum peccatum committit; ſi vero adfuit negligentia levis, peccatum veniale commiſit, ſi gravis peccatum grave commiſit; ex ſufficienti ergo diligentia, vel non ſufficienti, dependet peccatum homicidij, v. g. in hoc caſu, Faber qui lapides jacit de turri, ſi clamavit, & fecit diligentiam, ut nemnem lapidibus obrueret, attamen ex aliquo accidenti tranſeuntem interfecit, nullum peccatum commiſit; ſi levis negligentia interfuit, peccavit venialiter, ſi non curavit an homines tranſirent per plateam, necne, peccatum mortale commiſit, cum deberet advertere poſſe homines tranſire, & quod poſſet eos lapidibus interficere; ſi ergo de facto interfecit, reus fuit culpæ mortalis. Ita cum Clavi Regia, Leſſio, Bonacina, Baſæus *verbo homicidium 2. n. 1.* & cum Toleto, Tamburin. *lib. 6. cap. 3. §. 1. num. 4.*

Dico ſecundo: Dante aliquo operam rei illicitæ, ſi actio per ſe non eſt ordinata ad homicidium, & adhibuit ſufficientem diligentiam ne mors ex ejus actione illicita ſequeretur, & de facto præter ſuam intentionem evenit, nullum peccatum commiſit, ſi levem negligentiam habuit in morte evitanda peccatum veniale, ſi vero gravem peccatum mortale commiſit; v. g. inebriavit ſe quis, non advertens ſe in ebrietate hominem interfecturum, vel ſi advertit clauſit ſe domi, vel aliud remedium ſufficiens adhibuit, ſi forte poſtea occidat, mors illi ad culpam non imputabitur; ſecus ſi ſufficientem diligentiam non adhibuit; nam tunc ſecundum negligentiam commiſſam, regulandum eſt peccatum. Dixi ſi actio ex ſe non eſt ordinata ad homicidium, nam ſi talis fuerit, ut ſi quis fortiter pugno, vel calce mulierem gravidam percuſſerit, ex quo ictu ſequitur abortus, abſque dubio peccavit mortaliter, etſi abortum non intervenerit; debebat enim advertere talem actionem ex ſe eſſe cauſativam abortus. Secus dicendum eſt quando ictus fuit levis; nam tunc per accidens ſequeretur abortus. Ita Tambur. *lib. 6. cap. 3. §. 1. num. 3.* & cum Leſſio, Filliuc. Sayro, & aliis, Trullenc. *lib. 5. cap. 4. dub. 1. n. 3.* 71

Dico tertio: Quoties quis omiſit aliquid ad quod tenebatur ex juſtitia, ſi ex ejus omiſſione ſequitur mors, vel damnum alterius, tantum peccat, quantum eſt omiſſionis malitia. v. g. ſi infirmus moriatur ex gravi negligentia medici, ſi homines occidantur ex gravi negligentia prætoris, vel judicis, ſi innocens condemnetur ad mortem ex gravi injuria advocati; Et idem dicendum eſt, ſi omittat aliquid ad quod tenebatur ex charitate, ſi ex hac omiſſione ſequatur mors, vel damnum; nam tunc eodem modo ex gravitate omiſſionis metiendum eſt peccatum, cum hac ſola differentia, quod ſi quis omiſit ad quod tenebatur ex juſtitia, non ſolum eſt reus homicidij, ſed tenetur ad reſtitutionem damnorum, & incurrit irregularitatem. Secus ſi omiſit illud ad quod tenebatur ex charitate, nam tunc licet homicidium ſibi imputetur, non tenetur tamen ad reſtitutionem, nec incurrit irregularitatem; Cujus ratio eſt quia homicidium propriè eſt peccatum contra juſtitiam; ergo quando non eſt contra juſtitiam non poteſt ſecum ducere pœnam, quæ ex juſtitia debetur, qualis eſt reſtitutio, & irregularitas, quæ cum ſit odioſa ſolum convenit dicto homicidio injuſto. Ita cum Vaſquio, Hurtado, Tamburin. *lib. 6. cap. 3. §. 1. num. 11.* & cum Navarro, Molina, Decaſtillus, *lib. 2. de juſtitia tract. 1. d. 10. dub. 14.* contra Covarruviam, Suarium, & alios, quos refert Tamburin. *ſuprà.* 72

Dico quarto: Si quis Paulum, v. g. occidat, & homicidium non occidenti, ſed Franciſco imputetur, præter intentionem occidentis, & abſque eo quod ille tale quid prævideat, certum eſt non teneri de damno illato Franciſco, ſed de ſolis expenſis factis in curatione occiſi, eſt de pœna pecuniaria illata Franciſco pro homicidio; ita cum Soto, Leſſio, Navarro, & aliis communiter Baſæus *ſuprà num. 2.* Trullenc. *lib. 5. cap. 4. d. 2. num. 2.* Et idem dicendum eſt ſi prævidit ex ſua actione damnum tertio eventurum, illud tamen non intentavit, hoc enim damnum, non ex natura actionis, ſed ex malitia aliorum provenit. Ita cum Soto, Lopez, Navarro, Baſæus *ſup. num. 2.* & cum Leſſio, Trullenc. *ſup.* peccabit tamen ſic occidens contra charitatem; ſiquidem ex charitate tenebatur tale damnum impedire; Baſæus *ſuprà.* Et idem dicendum eſt, ſi non ſolum prævidit, ſed etiam intentavit, quod homicidium Franciſco imponeretur; nam animus & intentio non 73

facit quod opus ſit injuſtum, niſi ex natura ſua tale ſit; unde cum tale opus ſit tantum injuſtum contra occiſum, & non contra Franciſcum ſolum peccabit contra charitatem, propter damnum illatum Franciſco, & non contra juſtitiam. Ita cum Navarro, Leſſio, Balæus *ſup. num.* 2. & cum Bonacina, Trullenc. *ſup. num.* 3. contra Sotum, Molinam, Cordubam, & alios, quos refert Baſæus *ſup.*

74 Dico quinto: Qui occidit Paulum putans eſſe Antonium, abſque dubio peccavit, cum ſemper hominem occiderit, ut cum communi ſententia docet Trullenc. *ſup. num.* 4. Si tamen occidit Paulum laïcum, quem putabat eſſe Antonium clericum, non incurrit excommunicationem. Et idem dicendum eſt, ſi occidit Franciſcum clericum, quem putabat eſſe Antonium laïcum. Secus ſi occidit Franciſcum clericum, quem putabat eſſe Antonium clericum, niſi forte adhibuit ſpecialem diligentiam, ut non occideret Franciſcum clericum, ſed Antonium clericum. Quorum omnium ratio eſt, quia tunc illa actio circa perſonam clerici, vel talis clerici fuit involuntaria, ac mere caſualis, & per accidens cum aut non clericum, aut talem clericum nollet percutere. Ita cum Suario, Filliuc. & aliis, Trullenc. *ſup. num.* 4.

75

SECTIO IV.

De circunſtantiis homicidij in confeſſione explicandis.

SUMMARIUM.

76 *Homicida debet explicare in confeſſione, an occiſus eſſet ei perſona conjuncta, ſaltem primo gradu, an eſſet clericus, vel dignitas Eccleſiaſtica, an eſſet perſona, quam ſpecialiter protegit ſedes apoſtolica?*

77 *Tenetur explicare circunſtantiam loci, an fuerit in Eccleſia?*

78 *An alios convocaverit?*

79 *An per multum temporis duraverit in illo propoſito occidendi.*

Dico primo: Homicida in ordine ad confeſſionem quinque debet reſpicere. Primo ſi occidit perſonam ſibi in primo ſaltem gradu conjunctam, ut ſi occidit patrem, & matrem, uxorem, filium, fratrem; eſt enim ultra peccatum homicidij impietas. 2. An occiſus fuerit clericus, vel religioſus, nam ultra homicidium eſt ſacrilegium, & incurrit excommunicationem. 3. Utrum fuerit dignitas Eccleſiaſtica, ut Epiſcopus, Cardinalis, Legatus, aut Nuncius, incurrunt enim prædictos percutientes excommunicationem bullæ cœnæ, & alias pœnas temporales. 4. An ſint perſonæ, quas ſpecialiter protegit ſedes Apoſtolica, ut Romipetas, advehentes victualia ad Romanam curiam, vel recurrentes ad ſedem Apoſtolicam ob lites, & negotia; nam has perſonas occidentes, vel mutilantes, vel percutientes incurrunt excommunicationem bullæ cœnæ. 5. Si occiderit perſonam ex cujus occiſione alteri damnum ſequatur, ut ſi occidit ſervum propter reſtitutionem. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib. 5. c. 5. d. 4.* Tamburin. *lib. 6. c. 3. §. 2. n. 3.* 76

Dico ſecundo: Homicida alias tres circunſtantias in confeſſione debet explicare. Primò Circunſtantiam loci, nam ſi fuit in Eccleſia ultra homicidium eſt ſacrilegium. 2. An alios convocaverit ad homicidium propter ſcandalum, quod illis dedit, illos ad tale peccatum invitando; unde numerum ſociorum debet explicare. 3. An per multum temporis duraverit in illo propoſito occidendi, ut inde colligatur numerus peccatorum, & multiplicatio actuum abſque morali conjunctione primæ illius voluntatis, prout latius explicuimus in noſtro tractatu de pœnitentia in prima parte hujus Directorij. Ita cum communi ſententia Tamburin. *ſup. n. 6.* Trullenc. *ſup. num. 6.* 77 78 79

TRACTATUS NONUS,

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO, ubi etiam de nono: Non adulterabis.

IN hoc ſexto præcepto certum eſt non ſolum prohiberi adulterium, quod propriè Mœchia dicitur, ſed omnes alij actus illiciti, ad rem veneream, & voluptatem libidinis ſpectantes. Immo ad hoc præceptum reducitur nonum præceptum de non concupiſcenda muliere, & marito alieno. Omnes autem actus libidinoſos uno nomine generico luxuriam appellamus; luxurioſus namque dicitur, quaſi luxatus in voluptates venereas. Eſt autem luxuria ex genere ſuo peccatum mortiferum, & vitium capitale, ut conſtat ex Apoſtolo ad Galatas. 5. Dicitur autem luxuria vitium capitale, quia ex ea octo vitia naſcuntur, ſcilicet cæcitas mentis, Præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſæculi, Horror futuri ſæculi, & alia multa, quæ recenſent, & explicant hic communiter DD. communiter autem à Doctoribus dividitur hoc luxuriæ vitium in ſex ſpecies, vel quaſi ſpecies morales, ſcilicet fornicationem, Adulterium; inceſtum, ſtuprum, Raptum, & vitium contra naturam, de quibus in præſenti ſpecialiter à nobis agendum eſt: ſit igitur

DISPUTATIO I.

De Fornicatione.

SECTIO I.

Quid ſit fornicatio ſimplex.

SUMMARIUM.

1 *Ponitur fornicationis definitio.*

2 *Fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale.*

3 *Non*

Digitized by Google

3 *Non est majus peccatum peccatis quæ sunt contra Deum, vel proximum.*
4 *Fornicatio prout opponitur bono prolis non solùm opponitur castitati, sed etiam justitiæ.*

1 DIco primò: fornicatio simplex est concubitus soluti cum soluta. Solutos autem voco eos, qui à vinculo matrimonij, consanguinitatis, affinitatis, voti, vel ordinis sacri sunt liberi. Inter hos igitur solutos naturalis concubitus dicitur fornicatio simplex, ita cum communi sententia Trullenc. *lib.6.c.1.d.2.num.1.* Fagundez *lib.6.cap.1.n.3.*

2 Dico secundò: fornicatio simplex est peccatum mortale. Hæc est de fide ut patet ex Clement. ad nostrum de hæreticis, & habetur 1. ad Corinthios 6. Neque fornicarij Regnum Dei possidebunt. Nec obstat Principes aliquando meretrices in aliquo civitatis loco permittere: nam etiam Deus aliqua mala permittit, ut majora vitentur. D. Th. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 2. Lessius, *l.4.cap.3.dub.7.num.* 47. Layman, *l.3.sect.4.num.*10. & alij communiter.

3 Dico tertiò: fornicatio simplex non est majus peccatum peccatis, quæ sunt contra Deum, vel proximum; majus enim bonum est divinum, quam humanum, & inter ea quæ humano bono repugnant, gravius est quod infert nocumentum vitæ hominis, quam fortunis ejusdem; Et inter ea quæ vitam auferunt, graviora sunt, quæ violant vitam hominis jam nati, quam nascituri. Vnde fornicatio minus peccatum est homicidio, majus vero furto. Ita cum D. Thom. Filliucio, Trullenc. *lib.6. cap.1. d.2.num.3.* contra Martinum, *De magistris*, cujus sententiam valde probabilem putat Decastillus, *lib.1.d.3.num.* 251. In nostra tamen sententia fornicatio, prout opponitur bono prolis, non solùm opponitur castitati, sed etiam justitiæ, & est peccatum contra justitiam. Ita Fagundez, *in præceptis Decalog.lib.6.cap.1.num.19.in fine.*

4

SECTIO II.

Utrum Fornicatio simplex sit intrinsecè mala vel solum mala, quia prohibita.

SVMMARIVM.

5 *Fornicatio simplex est intrinsecè mala.*
6 *Probatur conclusio multiplici ratione.*
7 *Quædam objectiones proponuntur.*
8 *Castitas perfecta, & virginitas sunt virtutes morales.*

5 DIco primò: fornicatio simplex non solùm jure positivo divino, sed etiam jure naturali est prohibita, & illicita, & non solùm est mala quia à Deo prohibita, sed ideo prohibita quia mala. In hoc conveniunt fere universi DD. quos refert, & sequitur Tamburinus, *lib.7.cap.2.§.2.num.*1. contra Durandum, & Caramuëlem, *in Theologia morali à n.*1603. Ratio à priori est; quia illud quod opponitur intrinsecè bono, est intrinsecè malum, Sed actus fornicationis opponitur virtuti castitatis, quæ secundum communem rationem virtutis est intrinsecè bona: ergo actus fornicationis est intrinsecè malus. Major est certa, neque enim odium Dei est alia ratione intrinsecè malum, nisi quia opponitur divinæ Bonitati, quæ est essentialissimè bona; neque mendacium, nisi quia opponitur veritati.

Minor vero probatur, quia castitas secundum communem rationem virtutis consistit, non in carentia totius actus venerei, sed in moderata abstinentia totius actus venerei secundum præscriptum rationis; sed moderatæ abstinentiæ totius actus venerei secundum præscriptum rationis opponitur omnis actus fornicationis: ergo omnis actus fornicationis est intrinsecè malus. Major est certa: nam virtus castitatis secundum communem rationem virtutis moralis debet consistere in mediocri abstinentia à voluptatibus carnalibus, si enim omnem voluptatem carnalem prohiberet esset mala, quia jam opponeretur propagationi humanæ; Et si omnem coïtum carnalem admitteret, jam deficeret à ratione virtutis, siquidem jam non esset moderata abstinentia ab actu venereo, in quo consistit virtus castitatis: ergo debet habere medium in quo aliquem actum venereum admittat, & cæteros excludat; sed hoc medium est solum matrimonium à natura præscriptum ad propagationem speciei: ergo omnis actus venereus extra matrimonium opponitur virtuti castitatis, ac per consequens est intrinsecè malus, quod autem hoc medium, solum consistit in matrimonio evidenter probatur.

6 Quia natura intendens per coïtum propagationem speciei, non intendit qualemcunque propagationem, sed rectam, necessariam, & justam, sed extra matrimonium non potest dari propagatio speciei recta, necessaria, & justa: ergo natura solum matrimonium præscribit, ut medium ad propagationem speciei. Major est certa, minor patet, quia omnis propagatio prolis extra matrimonium caret rectitudine morali, necessitate, & justitia; caret rectitudine morali, quia proles caret recta educatione, cum enim patres sint incerti, non erit à quo bene educetur proles; caret necessitate, quia jam provisum est propagationi speciei per matrimonium: ergo coïtus extra matrimonium non est necessarius ad propagationem speciei, aliàs pauci essent homines, qui vellent uxorem ducere, & religio, & jura matrimonij violarentur; caret justitia, quia proles caret securitate, siquidem ejus vita in maximo periculo esset, ante & post nativitatem, solent enim matres præcipuè nobiles, non solùm generationem impedire, sed etiam aliquando abortum procurare; imò & filios exponere, fœminæ essent infelicissimæ: nam in juventute vexarentur à multis, & in senectute ab omnibus despicerentur; viri etiam non essent securi: nam inter eos plurimæ essent rixæ, si fœminæ omnibus essent communes, siquidem unusquisque vellet hac, vel illa uti, & quod ab altero non cognosceretur, ut experientia constat, etiam nunc, quando vagi concubitus sunt illiciti: ergo omnis coïtus extra matrimonium ex omnibus his capitibus est contra ordinem præscriptum à natura, ac per consequens peccatum, & intrinsecè malum.

7 Dices cessante fine legis in aliquo casu particulari cessat lex, ut est satis probabilis opinio; sed hæc omnia recensita in aliquo casu particulari cessare possunt, siquidem posset quis providere recta educatione, & securitate prolis, posset postea velle inire matrimonium, & mulierem, cum qua coïtum habuit fornicarium in juventute, in senectute sustentare, & fovere, & rixas omnes circa talem fœminam vitare: ergo in tali casu fornicatio cum tali fœmina non esset contra ordinem præscriptum à natura, ac per consequens esset licita; nisi esset à Deo prohibita. Respondeo concedendo majorem, & negando minorem; est enim minor de subjecto non supponente, est enim impossibilis casus, in quo cesset finis adæquatus hujus prohibitionis factæ à natura, nunquam enim dari potest casus, in quo cessent

ceſſent adæquare omnes prædicti fines intenti à natura, vel ſaltem ceſſet periculum prædictos fines intentos a natura non obſervandi; atqui natura non ſolùm intendit prædicta vitare, ſed omne periculum illa vitandi removere: ergo omnis virtus extra matrimonium eſt contra ordinem naturæ, ac per conſequens prohibitus, quia malus, & non malus, quia prohibitus.

Dices: ſi virtus caſtitatis ſecundum communem rationem virtutis conſiſtit in mediocri abſtinentia ab omni actu venereo: ergo totalis abſtinentia ab omni actu venereo eſt mala, ac per conſequens caſtitas perfecta, & virginitas erunt malæ; patet conſequentia, quia in virtutibus moralibus, tam exceſſus, quàm receſſus à virtute eſt malus, & ſolum mediocritas in virtute eſt bona, ſed moderatus uſus carnalis voluptatis eſt actus virtutis caſtitatis ſecundum communem rationem virtutis: ergo abſtinentia illorum non poteſt eſſe opus virtutis, cum virtus virtuti non ſit contraria. Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: ergo totalis abſtinentia ab omni actu venereo eſt mala, pro hoc ſtatu nego, pro ſtatu in quo erat neceſſitas propagationis ſpeciei, ut in principio mundi, & poſt diluvium concedo; deinde ergo caſtitas perfecta, & virginitas erunt malæ, diſtinguo pro illo ſtatu, in quo eſſet neceſſaria propagatio ſpeciei, concedo, pro hoc ſtatu, nego, ſed nunc ſunt ſublimiores virtutes, non communes pro omnibus, ſed pro aliquibus, qui volunt ſequi conſilia Chriſti.

8 Nec inde fit quod hæc perfectiſſima caſtitas, & virginitas non ſint virtutes morales, cum opponantur caſtitati conjugali. Reſpondetur namque caſtitatem perfectam, & virginitatem non opponi per defectum actui carnali, qui ſumitur in matrimonio, ſed opponi per exceſſum, in quo exceſſu habent etiam mediocritatem, non rei, ſed rationis: nam pro hoc ſtatu, cum jam ſit multiplicatum ſufficienter genus humanum, recta ratio dictat totalem caſtitatem, & virginitatem eſſe optimas, eo quod privant cura hujus ſæculi, ut ait D. Paulus, quæ autem nupta eſt cogitat, quæ ſunt mundi, quæ autem innupta, cogitat quæ ſunt Dei. Unde matrimonium opponitur perfectæ caſtitati non poſitivè, ſed tantum privativè, quatenus dicit carentiam majoris perfectionis; fornicatio vero opponitur caſtitati ſecundum communem rationem virtutis poſitivè, & contrariè, ac per conſequens matrimonium eſt bonum: nam minor perfectio non eſt vitium, ſed virtus, ſicut minor calor non definit eſſe calorem; è contra verò coïtus extra matrimonium eſt vitium, quia opponitur poſitivè, & contrariè virtuti caſtitatis; omne enim illud, quod poſitivè, & contrariè opponitur virtuti ſecundum rationem virtutis eſt vitium, ſicut quod opponitur poſitivè, & contrariè calori eſt frigus: ergo coïtus extra matrimonium eſt intrinſecè malus, utpote vitium poſitivè contrarium caſtitati, & hæc de hac intricata quæſtione ſufficiant.

SECTIO III.

Utrum de peccato fornicationis dari poſſit ignorantia invincibilis.

SUMMARIUM.

9 *De peccato fornicationis non poteſt dari ignorantia invincibilis inter Chriſtianos in civitatibus educatos.*

10 *Quid dicendum ſit de nationibus barbaris?*

11 *Si ruſticus neget fornicationem eſſe peccatum debet inſtrui, & non ſtatim denuntiandus, niſi inſtructus perſiſtat in ſuo errore.*

Dico primò: de hoc peccato fornicationis dari 9
non poteſt ignorantia invincibilis apud Chriſtianos in civitatibus educatos, bene tamen apud nationes barbaras, vel apud Chriſtianos doctoribus deſtitutos, & ſcientiam rerum moralium ignorantes, 10
ut ſunt multi ſilveſtres homines, qui vix ſciunt eſſe Chriſtianos: nam etſi præcepta Decalogi deducantur ex principiis per ſe notis, ut bonum amplectendum, & malum fugiendum, tamen quia evidenter non deducuntur aliqua, ut quod fornicatio inferat damnum proli, & quod opponatur virtuti caſtitatis, inde eſt quod apud indoctos, & magiſtro deſtitutos 11
de hoc dari poteſt ignorantia probabilis. Unde ſi ruſticus neget fornicationem eſſe peccatum, debet inſtrui; & non ſtatim denuntiandus, quod ſi inſtructus perſiſtat, tunc debet denuntiari. Ita cum Filliucio, & aliis communiter Trullenc. *ſuprà num.* 5. & 6. Fagundez, *ſuprà n.* 12.

SECTIO IV.

De circunſtantiis fornicationis quas pœnitens tenetur explicare in confeſſione.

SUMMARIUM.

12 *Qui committit fornicationem cum tribus fœminis ſufficit ſi dicat in confeſſione, ter fornicavi.*

13 *Vir, vel fœmina qui primum actum fornicationis commiſit, non tenetur id explicare.*

14 *Si quis non ſervet debitum modum in copula, ſi non ſit periculum extra vas legitimum effundendi ſemen, non tenetur id explicare.*

Dico primò: qui committit tria peccata forni- 12
cationis cum tribus fœminis ejuſdem rationis, ſufficit ſi in confeſſione dicat ſe ter fornicaſſe; eadem enim eſt malitia, ſive cum una, ſive cum tribus. Ita cum Bonacina, Tamburinus, *lib.* 7. *cap.* 1. §. 1. *num.* 4. Excipe niſi confeſſor interroget, an tres copulæ fuerint cum eadem, ut occaſio proxima tollatur, quæ inde timeri poteſt. Tamburinus *ibi.* An autem, qui peccavit cum filia confeſſionis ſufficiat in confeſſione dicere ſe fornicaſſe? Reſpondeo affirmative, ſi præſcindamus à ſolicitatione, vel niſi ſacramentum ſumatur, ut medium ad peccandum: nam tunc eſſet contra reverentiam ſacramenti. Ita cum Filliucio, Tamburinus, *ſuprà num.* 4.

Dico ſecundò: vir, vel fœmina, qui primum 13
fornicationis actum commiſit, non tenetur id explicare in confeſſione. Etidem dicendum eſt, ſi ſe polluat. Nec fidelis, qui cum infideli peccavit quantum eſt ex hoc capite. Ita cum Sanchez, Lugo, Tamburinus, *ſuprà num.* 5. & 6. prohibitio enim ab Eccleſia facta de non contrahendo matrimonium, non prohibet fornicationem. Item qui copulam habuit cum vidua, vel ſponſa alterius, non tenetur hanc circunſtantiam in confeſſione explicare; non commiſit enim, niſi tantum ſimplicem fornicationem, & jura quæ viduæ negant legata à marito relicta, ſi caſtè non vivat, non intelliguntur de copula occulta. Ita cum Palao, & aliis Tamburinus, *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 6. Item qui aliquam ſollicitavit ad actum venereum, & cum ea peccavit, ſufficit ſi

explicet

Digitized by Google

explicet se peccasse, & non est necesse explicare, se eam induxisse. Ita cum Joanne Sanctio, Lugo, Vasquio, Tamburinus, *suprà num.* 10. contra Bonacinam Sanchez, & alios.

14 Dico tertiò: si quis non servet debitum modum in copula, dummodo semen in vase effundatur, nec sit periculum extra effundendi, non tenetur id explicare, sed sufficit, si copulam explicet. Item qui carnaliter peccavit, non tenetur explicare se exposuisse periculo peccandi domum talem ingrediendo; Nec qui idem peccatum continuat tenetur recidivum explicare. Ita cum multis Tamburin. *sup. à n.* 10. Frigidus tamen, & Eunuchus, tenentur suum defectum aperire, siquidem peccarunt contra naturam. Ita cum Sanc. Tamburinus, *suprà num.* 9. Et idem dicendum est de eo, qui incepit, & non absolvit copulam; nam hic proprie non fornicavit, sed tantum habuit tactus impudicos. Et idem dicendum est de eo, qui incepit copulam, & deinde resiluit, semenque extra vas expulit: nam hic commisit duplex peccatum, & fornicationem in affectu, & molitiem in executione. Ita cum Sanchez, Tamburin. *suprà num.* 12.

SECTIO V.

De concubinatu.

SUMMARIUM.

15 *Quid sit concubinatus explicatur.*
16 *In quibus casibus hic sit absolvendus.*
17 *Si ter ab Episcopo admonitus nolit concubinam ejicere, potest excommunicari.*
18 *Quid si quis non habeat domi concubinam, habet tamen illam in loco ubi quando vult tendit.*

15 Dico primò: concubinatus est quando quis concubinam domi retinet, & cum possit, nolit eam dimittere. In quibus autem casibus hic est absolvendus, late diximus, *in prima parte hujus directorij*, 16 cum de occasione proxima disseruimus. Solum hic adverto, concubinarium si ter ab Episcopo admoneatur, & nolit concubinam ejicere, debere ab 17 Episcopo excommunicari, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 8. De aliis autem illius pœnis, vide Azorium, *p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. Si autem concubinarius fuerit clericus, subjacet suspensionis pœnæ, ut patet ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 14. Sed talis pœna solum incurritur post judicis sententiam. Ita Saïron, & aliis, Tamburinus, *suprà num.* 2.

18 An autem ille, qui non domi habet concubinam, sed extra domum. Ad illam tamen potest accedere quoties vult, & de facto sæpe sæpius quotidie accedit, sit in concubinatu? Respondeo proprie non esse in concubinatu, cum ipse, nec domi retineat fœminam, nec illi tribuat domum. Unde si talis proponat firmiter amplius non accedere ad talem fœminam, potest absolvi toties quoties, dummodo aliquam ostendat emendam ad arbitrium confessoris, aliàs arguetur non habuisse firmum propositum. Tamburinus, *suprà num.* 3. An autem melius sit illum semper absolvere quam dimittere sine absolutione aliquando; vide quæ diximus in præcitato loco cum Decastil. *de pœnitentia d.* 10. *num.* 573. & cum Sanctio, *in selectis d.* 9. *num.* 11. & aliis.

DISPUTATIO II.

De sacrilegio in materia luxuriæ.

SECTIO I.

Quid sit sacrilegium in materia luxuriæ.

SUMMARIUM.

19 *Ponitur sacrilegij in materia luxuriæ definitio.*
20 *Qui habens votum castitatis aliquem actum luxuriæ commisit, sacrilegium commisit.*
21 *Quid si habens votum castitatis inducat alios tale votum non habentes ad aliquem actum turpem?*

Dico primò: sacrilegium in materia luxuriæ est 19 peccatum luxuriæ, quo persona Deo dicata, vel locus sacer, vel alia res sacra per venereum actum fœdatur, quinque autem modis potest fieri. Primò si persona sacra turpi actu, vel etiam desiderio illius fœdetur. Secundò si persona non sacra cum persona sacra, in opus turpe consentiat. Tertiò si utraque sit sacra. Quartò cum fit actus venereus circa rem sacram. Quintò si venereus actus fiat in loco sacro, illicite, D. Th. 2. 2. *quæstion.* 154. *articul.* 10. Azor., *p.* 3. *cap.* 24. *quæst.* 8. & alij communiter.

Dico secundò: qui habens votum castitatis aliquem actum venereum commisit, peccavit peccato sacrilegij, non tenetur tamen explicare, an votum fuerit simplex, vel solemne, nec an sit clericus, Episcopus, vel Religiosus, vel prælatus, nisi forte ratione scandali, sed sufficit explicare suum votum, & qui cum tali persona peccavit, sufficit dicere peccavi cum habente votum castitatis, ut latè diximus, *in prima parte hujus directorij in tractatu de pœnitentia*, vide etiam cumaliis Tamburinum, *lib.* 7. *cap.* 2. §. 2. *num.* 3. Non tenetur tamen quis explicare, an peccaverit cum novitio, quia novitius nondum habet votum, Tamburinus *suprà*. 20

An autem si habens votum castitatis inducat 21 alios tale votum non habentes ad aliquem actum turpem, vel illum consulat, teneatur inducens suum votum in confessione explicare? Negat Tamburinus, *suprà num.* 4. Verum contrarium ego dixi, cum Perez, *in prima parte hujus directorij, loco citato*, quibus adde Lugum, *de pœnitentia d.* 16. *numero* 152. Ad utrumque namque obligat votum castitatis, & ad observandam in se castitatem, & ad non procurandum quod violetur in aliis. Vide quæ ibi diximus.

SECTIO II.

Quomodo ratione loci sacri detur sacrilegium in materia luxuriæ.

SUMMARIUM.

22 *Copula illicita, vel voluntaria pollutio in Eccle-*

Digitized by Google

ſia, ſi notoria ſint, eſt ſacrilegium & per eam polluitur Eccleſia.

23 *An cæteri actus turpes facti in Eccleſia ſint ſacrilegium.*

24 *Per locum ſacrum in ordine ad hunc effectum quid intelligatur?*

22 DIco primò: copula illicita, vel voluntaria pollutio in Eccleſia, ſi notoriæ ſint eſt ſacrilegium, & per eas polluitur Eccleſia. Ita communiter DD. quod ſi copula, vel pollutio fuerit occulta, licet aliqui negent dari ſacrilegium, probabilius eſt dari, licet per illud non polluatur Eccleſia, ut latius dixi, *in prima parte hujus directorij in tractatu de pœnitentia*, cum Decaſtillo, *d. 9. de pœnitentia num. 649.* copula tamen licita inter conjuges in Eccleſia habita non polluitur Eccleſia, nec committitur ſacrilegium, etiamſi ſine cauſa talis copula habeatur. Ita cum multis Diana, *11. p. tractatu 8. reſol. 34.* nullo enim jure talis actus prohibitus eſt.

23 An autem cæteri actus turpes, ut oſcula, amplexus, tactus, etiam verendorum &c. facti in Eccleſia ſint ſacrilegium, & per eos polluatur Eccleſia? Reſpondeo nunquam per eos, etiamſi fiant publicè, pollui Eccleſiam, aliquando tamen erunt ſacrilegi, ut ſi quis publicè in Eccleſia virilia oſtendat, fœminas deoſculetur in verendis; ita Lugo, *d. 16. de pœnitentia num. 464.* ſi comœdias laſcivas in Eccleſia repræſentet. Tamburinus, *ſuprà numero 11.* Per locum autem ſacrum in ordine ad hunc effectum intelligitur ſola Eccleſia, & cæmeterium. Vide quæ dixi loco citato, & Tamburinum, 24 *ſuprà num 11.*

SECTIO III.

Utrum ratione circunſtantiæ temporis dari poſſit ſacrilegium in materia luxuriæ.

SUMMARIUM.

25 *Circunſtantia temporis numquam eſt ſacrilegium in materia luxuriæ.*

26 *Quid ſi ſacerdos deferens Euchariſtiam conſentiat in turpi deſiderio?*

27 *Quid ſi intra quadrantem poſt acceptam Euchariſtiam habeat copulam, vel pollutionem?*

25 DIco primò: circunſtantia temporis non addit peccato turpi circunſtantiam ſacrilegij ſive tale peccatum committatur die feſto ſive die Veneris Sancti. Nec ex eo quod quis geſtet reliquias 26 peccando: Excipe niſi ſacerdos deferens Euchariſtiam habeat aliquod deſiderium turpe in quo conſenſit: nam hic commiſit ſacrilegium ut bene dixi, *in prima parte hujus directorij*, cum Tancred. *tra. 1. d. 6. q. 4.*

27 Et idem dicendum eſt, ſi ſtatim poſt ſumptam Euchariſtiam, intra quadrantem horæ, non vero ultra, habeat copulam, vel pollutionem, vel ſi cum veſtibus ſacris indutus copulam haberet, ante, vel poſt Miſſam. Ita Diana, *p. 10. tractatu 22. reſolut. 54.* Non erit tamen ſacrilegium, ſi ſolum ſtola indutus tale quid agat, Tancred. *ſuprà d. 6. quæſt. 36.* Non tamen in his caſibus veſtes polluuntur, ut bene loco citato diximus, cum Tancred. *de pœnitentia tractatu 1. d. 6. quæſtion. 37.*

DISPUTATIO III.

De Adulterio.

SECTIO I.

Quid ſit Adulterium.

SUMMARIUM.

28 *Ponitur definitio adulterij.*

29 *Adulterium eſt graviſſimum peccatum contra juſtitiam, etiamſi alter conjux in illud conſentiat.*

30 *Quibus modis poſſit hoc peccatum committi?*

31 *Adulterium committens, tenetur hanc circunſtantiam in confeſſione explicare.*

DIco primò: Adulterium eſt alieni tori violatio: 28
Ita D. Thom. 2. 2. *quæſtion. 154. articul. 8.* Eſt autem hoc peccatum adulterij graviſſimum contra juſtitiam, etiamſi alter unius in illo conſentiat, 29
ſemper enim fit injuria ſtatui matrimoniali. Poteſt autem committi hoc peccatum tribus modis, ſcilicet ex parte viri cum ſoluta, vel ex parte uxoris 30
cum ſoluto, vel ex parte utriuſque: ſi fiat ex parte viri cum ſoluta, minus peccatum eſt, majus ſi fiat ex parte fœminæ cum ſoluto propter periculum prolis alienæ, maximum ſi fiat ex parte utriuſque ſiquidem in hoc caſu jura duorum matrimoniorum violantur. Unde tenetur ſic peccans hanc circunſtantiam in confeſſione explicare; aliud enim eſt 31
peccatum quo quis peccat in ſuam perſonam, aliud quo cooperatur peccato alterius. Ita cum Lugo, Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 3. §. 1. num. 2.*

SECTIO II.

Utrum conjux committens ſodomiam cum uxore, vel cum altero committat adulterium?

SUMMARIUM.

32 *Conjux qui ſodomiam, vel mollitiem commiſit cum mare, vel fœmina committit adulterium.*

33 *Quid ſi hæc habeat cum propria uxore?*

34 *An adulterium ſit gravius peccatum inceſto?*

DIco primò: ſi conjux ſodomitice jungatur cum 32
mare, vel fœmina committit adulterium. Et idem dicendum eſt, ſi cum alio, etiam ſoluto habeat mollitiem. Imò ſi hæc omnia habeat cum 33
ſua propria uxore, ſemper enim in his fit injuria matrimonio, & conjugi. Ita cum Sanch. Tamburinus, *ſuprà numero 3.* Trullenc. *lib. 6. cap. 1. d. 5. num. 6.*

Si tamen quæres an adulterium ſit gravius 34
peccatum

Digitized by Google

peccatum incestu? Respondeo incestum inter consanguineos, & in primo gradu affinitatis, gravius esse adulterio, in aliis vero gradibus affinitatis, gravius esse adulterium: nam in eis respectus pietatis minor est, injustitia autem in adulterio est evidens; ita Malleus, *Malleatione* 35. *Bractea* 3. Trullenc. *lib.* 6. *cap.* 1. *d.* 5. *num.* 7.

SECTIO III.

Quas pœnas incurrant adulteri.

SUMMARIUM.

35 *Referuntur pœnæ quas adulteri incurrunt.*
36 *Adulter amittit jus petendi debitum.*
37 *Quamdiu à conjuge innocente non est privatus debito, potest illud exigere.*

35 Dico primò: adulteri multas pœnas incurrunt in jure, 1 est ut uxor adultera amittat dotem, quæ propter adulterium post sententiam judicis adjudicatur marito, *cap. plerunque de donatione, inter virum, & conjugem* 2. amittit etiam arrhas, & donationes propter nuptias, non tamen amittit paraphernalia, sicut neque amittit dotem, vel arrhas, aut donationes dictas propter solos amplexus, vel oscula impudica. Ita cum communi sententia Trullenc. *supra num.* 8. Tertiò potest fieri divortium à conjuge adultero. 4. adulter amittit jus petendi de-
36 bitum; potest tamen amice petere, extra executionem, imò licet etiam exigere, quando nec à conjuge innocente privatus est eo jure, nec à judice, vel quando innocens fornicatus etiam est, vel post cognitum adulterium toleravit, vel voluntarie reddi-
37 dit; imò licet etiam exigere, quando adulterium occultum est conjugi innocenti, aut solum de illo suspicatur levibus indiciis, dum adulterium latet. Ita cum Sanchez, & aliis Trullenc. *supra numero* 8.

Et hæc de adultero satis sint, cætera quæ hic desiderari poterunt, ut de restitutione damnorum ex adulterio, de conjugatorum peccatis, in materia luxuriæ, vide quæ late diximus in prima parte hujus directorij, in tractatu de matrimonio, & quæ *infrà*, dicemus de restitutione, ne eadem sæpe repetamus.

DISPVTATIO IV.

De incestu.

SECTIO I.

Quid sit incestus.

SUMMARIUM.

38 *Ponitur diffinitio incestus.*
39 *Copula inter cognatos cognatione legali reducitur ad incestum.*
40 *Idem dicendum est de copula inter cognatos cognatione spirituali.*
41 *An in confessione explicandus sit gradus consanguinitatis, vel affinitatis?*
42 *An confessor peccans cum filia, vel filio confessionis committat incestum, vel sacrilegium?*

38 Dico primò: incestus est congressus cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, quales sunt omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis usque ad quartum gradum, affinitas oritur ex copula licita, & ex copula illicita usque ad secundum, ut patet ex Trident. *sess* 24. *cap.* 4. Co-
39 pula autem inter cognatos cognatione legali, quamvis propriè incestus non sit, reducitur ad illũ, siquidem inter illos est impedimentum dirimens. Et idem dicẽdum est de copula inter cognatos co-
40 gnatione spirituali ex baptismo, & confirmatione, quamvis aliqui eam ad sacrilegium referant.

An autem in confessione explicandus sit gradus affinitatis, vel consanguinitatis, vel cognationis le-
41 galis, vel spiritualis: Vide quæ fusè diximus, *in prima parte hujus directorij*, cum de circunstantiis in materia, & tractatu pœnitentiæ egerimus, ne eadem repetamus, *ibi* enim diximus debere explicari, non propter diversitatem specificam, quæ detur inter tales gradus; sed propter multiplicationem numericam & individuationem, peccati; quamvis satis probabile sit, non debere tales gradus explicari, sed sufficere dicere, commisi toties peccatum incestus, sine eo quod dicat, an fuerit cum consanguinea, vel affine, vel cognata cognatione legali, ut cum multis Diana, *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 31. & 4. *p. tract.* 4. *resol.* 234. Remigius *tract.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 7. Tenetur tamen explicare, si copula fuit cum cognata spirituali, hoc est orta ex baptismo, vel confirmatione, reducitur enim prædicta copula, etiam ad sacrilegium, ut bene Tamburinus, *lib.* 7. *cap.* 3. §. 3. *num* 3. Remigius, *supra num.* 6.

An autem confessor peccans cum filia, vel filio 42
confessionis committat incestum, vel sacrilegium? Respondeo negative, unde non tenetur id in confessione explicare, nisi forte assumpserit sacramentum, ut medium ad peccatum, ut supra diximus: tunc commisit sacrilegium. Ita cum Vasquio, & aliis, Remigius, *supra num.* 10.

SECTIO II.

Vtrum conjux committens incestum cum consanguinea suæ uxoris incurrat impedimentum non petendi debitum?

SUMMARIUM.

43 *Conjux qui habuit copulam completam cum suæ consanguinea, non vero affine suæ uxoris usque ad secundum gradum privatur jure petendi debitum, etiam ante judicis sententiam.*
44 *Quid si semen non fuit deciſum intra vas?*
45 *Quid si uterque non consummavit?*
46 *Quædam corollaria ponuntur.*
47 *Quis possit dispensare cum incestuoso ad petendum debitum?*
48 *Si incestus sit casus reservatus in aliquo loco, si unus seminavit, & alter non, ille qui seminavit incurrit casum reservatum.*

43 Dico primò: conjux qui habuit copulam completam hoc est cũ seminatione intra vas cum consanguinea non vero affine suæ uxoris usque ad secundum gradum privatur jure petendi debitum

Digitized by Google

etiam ante judicis ſententiam. Ita cum aliis Tamburinus, *ſuprà §. 2. num. 1.* Remigius, *ſuprà*
44 *num. 2.* Dixi copulam completam: nam ſi ſemen non fuit emiſſum intra vas non contraxit prædictam affinitatem etiam ſi haberet oſcula, tactus; imò & copulam citra ſeminationem intra vas, per ſolam enim ſeminationem intra vas contrahitur prædi-
45 cta affinitas Remigius, *ſuprà num. 7.* An autem requiratur ad contrahendam prædictam pœnam vel impedimentum quod uterque ſeminat, affirmat cum Sanchez, Propoſito, Diana, Baſæus, *verbo inceſtus numero 6.*

46 Hinc fit eum qui copulam non perfectam, hoc eſt, abſque ſeminatione intra vas ex parte utriuſque habuit cum Maria, v. g. poſſe inire matrimonium cum ejus matre, vel ſorore, vel conſobrina, quia per tales tactus, & copulam ſine ſeminatione non contraxit impedimentum dirimens; Remigius, *ſuprà num. 9.* Secus ſi uterque ſeminavit intra vas: nam tunc contraxit impedimentum dirimens, hoc tamen impedimentum ſolum extenditur ad ſecundum gradum; & non contrahitur peccando cum propria conſanguinea, vel affine, ſed peccando ſolum cum conſanguineâ, non vero affine, in primo, & ſecundo gradu illius fœminæ, vel viri, cum qua vult contrahere matrimonium Tamburinus, *ſuprà num. 1.* & aliis communiter.

47 Si tamen quæres, quis poſſit diſpenſare cum prædicto inceſtuoſo, ad petendum debitum? Reſpondeo poſſe Epiſcopum, Commiſſarium Cruciatæ, & regulares, prout latè dixi in prima parte hujus directorij, in tractatu de matrimonio, tum in noſtro directorio regularium, *p. 1. d. 1. à nu. 106.* & ſequentibus, ubi etiam dixi, talem pœnam non incurri ab ignorante illam, etiamſi ſciret prohibitum eſſe accedere ad conſanguineam ſuæ uxoris, vel viri, & ita etiam tenet cum Portel, & aliis, Baſæus, *verbo inceſtus, num. 6.*

48 An autem ſi inceſtus ſit caſus reſervatus in aliquo loco ſi unus ſeminavit, & alter non, ille qui ſeminavit incurrit caſum reſervatum? Reſpondeo affirmative: nam ex parte ejus datur inceſtus, quod autem ex utraque parte ſit completus, id non petit reſervator, ſed ſolum abſolutè reſervat inceſtum, ita & bene Tamburinus, *ſuprà num. 5.* contra Verſeh. *tract. 4. queſt. 27. à num. 78.* cujus ſententiam reputo probabilem. Quòmodo autem conjux privatus jure petendi debitum per inceſtum commiſſum ſe debeat habere cum conjuge innocente. Vide quæ dixi, *in prima parte hujus directorij, loco citato.*

SECTIO III.

Utrum ex copula ſodomitica oriatur inceſtus.

SUMMARIUM.

49 *Ex copula ſodomitica inter conſanguineos ejuſdem ſexus uſque ad 4. gradum oritur inceſtus.*
50 *In confeſſione non neceſſarium explicare gradum conſanguinitatis, niſi primum, & ſecundum.*
51 *An eadem malitia inceſtus detur in ſodomia commiſſa inter affines, ſaltem in primo gradu.*
52 *Quid ſi quis copulam ſodomiticam habeat cum aliquo, & poſtea cum ejus Patre?*
53 *Quid ſi eam habeat cum perſona à ſe baptizata, vel cognata cognatione legali?*

DIco primò: ex copula ſodomitica inter conſan- 49
guineos ejuſdem ſexus uſque ad quartum gradum oritur inceſtus; actus enim illi ſodomitici præter malitiam ſodomiæ habent ſpecialem deformitatem. Ita cum Sylvio, Baſæus, *verbo inceſtus, nu. 1.* In confeſſione tamen non eſt neceſſarium explicare 50
gradum conſanguinitatis, ut ſupra diximus, niſi forte primum, & ſecundum in noſtra ſententia, non quia gradus differant ſpecie, ſed propter malitiam individualem. An autem eadem malitia inceſtus detur in ſodomia commiſſa inter affines ſaltem in primo gradu? Reſpondeo negativè; nullibi enim re- 51
peritur ſpecialis prohibitio acceſſus ad affines, niſi quando inter eos interdicitur matrimonium, quod tamen dari non poteſt inter affines ejuſdem ſexus. Ita cum Sanchez, Baſæus, *ſuprà num. 1.* Tamburinus, *ſuprà §. 1. num. 7.*

Et idem dicendum eſt ſi quis copulam ſodomiti- 52
cam habeat cum aliquo, & poſtea cum ejus fratre, vel cum perſona ſibi cognata cognatione ſpirituali, ut ſi fuit cum perſona à ſe baptizata, vel cum ea, quam levavit ex baptiſmo, vel cum perſona cogna- 53
ta cognatione legali, ut ſi peccavit cum ſibi filio adoptato; in nullo enim ex his caſibus datur inceſtus; neque qui tale peccatum commiſit tenetur in confeſſione explicare hanc circunſtantiam affinitatis, ſed ſufficit ſi dicat, toties commiſi ſodomiam cum viro, vel fœmina, Ita Candidus, *diſquiſitione 24. tom. 2. art. 23. dub. 24.* & cum aliis Diana, *7. p. tract. 11. reſol. 17.* contra Decaſtillum, *de juſtitia lib. 1. d. 3. num. 300.*

SECTIO IV.

Utrum inceſtus ſit crimen mixti fori?

SUMMARIUM.

54 *Inceſtus eſt crimen mixti fori.*
55 *Si perſona punienda fuerit Eccleſiaſtica ad judicem Eccleſiaſticum tantum pertinet ejus punitio.*
56 *Si fuerit ſecularis ad judicem Eccleſiaſticum, ſive ſæcularem pertinet.*
57 *Quid inceſtus fuit commiſſus cum adulterio?*

DIco primò: inceſtus eſt crimen mixti fori. 54
Unde ſi agatur de punitione, ſi perſona punienda ſit Eccleſiaſtica, ad judicem Eccleſiaſticum 55
tantum, ejus pertinet punitio, ſi fuerit ſæcularis, 56
ad utrumque judicem, ſive ſæcularem, ſive Eccleſiaſticum pertinet, niſi forte inceſtus fuerit commiſſus in figura matrimonij, vel agatur de peccato emendando in futurum: nam tunc hoc ad ſolum judicem Eccleſiaſticum pertinet; E contra vero ſi 57
inceſtus fuit commiſſus cum adulterio, ad ſolum judicem ſæcularem pertinet punitio illius. Ita cum multis Fagundez, *in 6. præcepto Decalog. lib. 6. cap. 6. num. 36.*

SECTIO V.

Quas pœnas incurrant inceſtuoſi.

SUMMARIUM.

58 *Explicantur pœnæ quas incurrunt ſecundum jus canonicum inceſtuoſi.*

59 *Quid*

Digitized by Google

59 *Quid si incestus fuit conjunctus cum adulterio?*
60 *De jure Lusitano, quas pœnas incurrunt incestuosi declaratur.*

58 Dico primò: præter pœnam non petendi debitum, quam incurrit, qui incestum commisit cum consanguinea in primo, & secundo gradu suæ uxoris, aliæ etiam dantur pœnæ pro incestuosis in jure: nam qui scienter incestuosas nuptias contraxit in gradibus prohibitis, ipso facto excommunicatur *in Clementina 1. de consangu. & affin.* Hæc tamen excommunicatio non est reservata. Unde à proprio parocho absolvi potest Fagundez, *in 6. præcepto Decalog. lib. 6. cap. 6. num. 37.* Incurrunt etiam quia qui prædictas nuptias scienter contraxerunt in gradibus prohibitis amissionem omnium bonorum suorum, quæ ipso jure appliçantur fisco, ut patet ex Authentica, de incestuosis nuptiis, C. de nuptiis, semper tamen requiritur sententia declaratoria judicis Fagundez, *suprà num. 41.* Item Clericus, qui incestum commisit, potest deponi. Ita cum Julio Claro, & aliis Fagundez, *suprà num. 37.* Et sæcularis, qui incestum commisit, de jure civili punitur
59 pœna arbitraria Fagundez, *ibi num. 39.* Excipe nisi incestum fuerit conjunctum cum adulterio: nam tunc incurrit pœnam mortis. Ita cum aliis, Fagundez, *suprà num. 40.*

60 Dico secundò: de jure Lusitano, qui incestum commisit cum filia, nepte, vel alia descendente, vel cum matre, avia, vel alia ascendente, etiam sine adulterio, jubentur simul comburi, qui vero commisit incestum cum propria nuru, vel noverca, quamvis viduæ sint, vel cum privigna, quamvis mortua sit mater illius, vel cum socru sua, quamvis uxor jam sit mortua, si illæ sponte consenserint, puniuntur ambo pœna mortis naturalis; ut patet ex ordinatione Lusitana, *lib. 5. tit. 19. per totum.* Vide etiam Fagundez, *suprà num. 41.*

DISPUTATIO V.

De stupro.

SECTIO I.

Quid sit stuprum.

SUMMARIUM.

61 *Ponitur stupri definitio.*
62 *Consentiente virgine non datur stuprum.*
63 *Omnes actus veneri, quos virgo libenter in se patitur non habent malitiam stupri.*
64 *Idem dicendum est de viro.*

61 Dico primò: stuprum est concubitus viri, cum fœmina virgine, eadem repugnante. Quare ea
62 consentiente est simplex fornicatio. Ita cum Lessio, Sanch. Conincho, & aliis Diana, *p. 2. tract. 3. resol. 2.* Basæus, *verbo stuprum n. 1.* Tambur. *lib. 7. c. 5. §. 1. n. 1.* contra Suarium, Azorium, Bonacinam, & alios, quos refert Basæus, *suprà.* Quod verum est, etsi patres, & curator dissentiant Trullenc. *lib. 6. c. 5. dub. 3. num. 2.* Volenti enim, & consentienti non fit injuria, quæ semper ad stuprum requiritur.

Hinc fit omnes actus venereos, quos virgo in se ipsa efficit, vel patitur fieri ab aliis, sine sint mollitiei, sive sodomiæ, sive fornicationis, non habere circunstantiam stupri, nec ipsa virgo tenetur in confessione dicere, se esse, vel non esse virginem Tamburinus, *sup. num. 2.* Trullenc. *sup. n. 3.* Quod eodem 64
modo dicendum est de viro, qui cogitavit de virgine, sive cum ea haberet copulam, sive tactus, mollities, vel delectationes morosas, aut consensus; si enim non cogitavit de illi inferenda vi, sufficit si dicat in confessione, habui copulam, mollitiem, &c. cum soluta. Ita cum Lessio, Sanchez, Marchantio & aliis Remigius, *tract. 2. cap. 6. §. 7. num. 1.*

SECTIO II.

Quomodo amittatur Virginitas.

SUMMARIUM.

65 *Virginitas prout est virtus quomodo sive à viro, sive à fœmina perdatur?*
66 *Virginitas prout est status, quomodo amittatur?*
67 *Virginitas quoad existimationem humanam quomodo amittatur in fœmina?*
68 *Monialis potest velum, & consecrationem virginum accipere, dum conservat signaculum virginale.*

Dico 1. Virginitas prout est virtus perditur sive 65
à viro sive à fœmina quocunque desiderio turpi vel delectatione vel etiam voluptate nubendi vel per quemcunque actum turpem voluntarie in se passum etiam citra pollutionem. Ita cum D. Th. & aliis Basæus, *verbo virginitas num. 4.* Virginitas vero 66
prout est status coram Deo amittitur non solùm per copulam voluntariam vel involuntariam, sed etiam per voluntariam seminis effusionem; imò per quemcunque actum vel contactum turpem & peccaminosum etiamsi non adsit pollutio, ut bene Decastillus, *de justitia d. 3. lib. 1. dub. 14. num. 180.*

Dico secundò: virginitas, quoad existimationem 67
humanam in viro amitti non potest, cum in eo virginale claustrum non detur, Basæus, *suprà n. 3.* In fœmina vero, amittitur per ruptibnem claustri virginalis. Imò Remigius, *tract. 2. cap. 6. q. singulari num. 1.* cum Antonino, existimat amitti, etiam per receptionem seminis virilis intra matricem, sine violatione claustri virginalis, ut posset accidere, si vir in ore vasis fœminæ seminaret, & matrix attraheret semen, ut sæpe accidisse fertur, ex quo aliquando concepisse virginem asserunt prædicti DD. sed ego existimo per talem receptionem seminis solum dependi virginitatem, quoad existimationem humanam, quando de facto virgo conciperet, & pareret: nam tunc per partum signaculum perderetur, per solam autem receptionem seminis non existimo violari signaculum, cum matrix attrahat illud, sine ruptione aliqua.

Hinc fit Monialem posse velum, & consecratio- 68
nem virginum accipere, dum conservat signaculum virginale, etsi apud Deum virgo jam non sit, & posse recipere legatum solis virginibus relictum. Ita cum aliis Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 5. §. 2. num. 2.* Imò si occulte fuerit in claustro virginali violata, ad vitandam infamiam, potest petere prædictum velum virginitatis, & legatum solis virginibus relictum recipere; quia talis conditio intelligenda est, de violatione publica, non vero occulta, ut bene cum Laïman, Diana, Bardi, & aliis tenet Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 1. §. 2. n. 6. in fine, & eodem lib. c. 5. §. 2. n. 4.* De restitutione autem

Digitized by Google

tem ſtupri dicemus, *infrà in 7. præcepto*, interim vide Tamburinum, *lib 7. Decalog. cap. 5. § 3.*

DISPUTATIO VI.

De Raptu.

SECTIO I.

Quid ſit Raptus.

SUMMARIUM.

69 *Ponitur raptus diffinitio.*
70 *Raptus metaphyſicè loquendo non eſt propria ſpecies luxuriæ, ſed injuſtitiæ, & tantum includit circunſtantiam generalem luxuriæ.*
71 *Ad raptum requiritur abductio cum violentia de loco in locum, & quomodo id intelligatur?*
72 *An abductio ſponſæ de futuro, vel ſponſæ de præſenti in duobus menſibus, qui illi conceduntur ad deliberandum ſit raptus?*

69 Dico primò: raptus eſt cum aliqua perſona abducitur, cum violentia ad actum turpem, cum ea exercendum. Dicitur cum aliqua perſona; quia ſive vir, ſive virgo, ſive nupta, vel corrupta, vel alia mulier, vi abducatur ad actum turpem raptus
70 dicitur; Hinc fit raptum metaphyſicè loquendo, non eſſe propriam ſpeciem luxuriæ, ſed injuſtitiæ, & tantum includere circunſtantiam generalem luxuriæ, quæ major, vel minor erit ſecundum perſonam, circa quam exercetur. Unde ſi rapiatur virgo erit ſtuprum cum raptu, ſi nupta erit adulterium, ſi religioſa ſacrilegium, ſi meretrix erit ſimplex fornicatio, ſi puer erit ſodomia, vel mollities juncta cum raptu, & ſic de reliquis, ut bene advertit cum Filliucio, Caietano, Trullenc. *lib. 6. in Decalogum c. 11. dub. 4. num. 2.*

71 Dicitur, abducitur cum violentia, quia ad raptum requiritur, ut fiat violentia, dolus, aut preces adeo importunæ, quæ violentiæ æquiparentur, vel perſonæ, quæ rapitur, vel illis ſub cujus poteſtate eſt; unde ſi illa libere conſentiat, non erit raptus; ſi tamen illi ſub cujus poteſtate eſt reſiſtunt, erit raptus. Requiritur etiam, quod perſona rapta abducatur de loco, in locum moraliter. Unde non ſufficit, quod ex uno cubiculo, ad aliud abducatur in eadem domo, vel in agro de uno ad alium locum in eodem agro, ſed debet abduci de una, ad aliam domum, vel locum moraliter diſtinctum. Dicitur ad turpem actum cum ea exercendum, quia ſi abducatur ad alium finem, non erit raptus, ſed plagium. Ad raptum tandem non requiritur quod copula re ipſa ſequatur, ſed ſufficit, quod ad hunc finem abducatur.

72 Dico ſecundò: abductio ſponſæ de futuro, vel ſponſæ de præſenti, in ſpatio duorum menſium, quod illi conceditur ad deliberandum ante eo ſummationem matrimonij, ſi eſt ad finem rite complendi matrimonium, non eſt raptus, ſiquidem non eſt abductio ad id, quod eſt prohibitum, ſed ſi eſt ad illicitum finem, explendæ ſcilicet libidinis, eſt raptus ſpecialiter in confeſſione explicandus. An autem copula cum fœmina dormiente ſit proprie raptus? Reſpondeo negativè, etiamſi ante ſomnum illa non conſenſerit, erit tamen injuſtitia in confeſſione explicanda, non erit tamen raptus, quia non abducitur fœmina de loco in locum, & idem dic de puero dormiente.

SECTIO II.

Quas pœnas incurrunt raptores.

SUMMARIUM.

73 *Ponuntur pœnæ quas de jure civili incurrunt.*
74 *Ponuntur quas incurrunt jure Luſitano.*
75 *Ponuntur quas incurrunt ex Tridentino.*
76 *Quædam corollaria ponuntur.*
77 *Qui fœminam non pro ſe, ſed pro alio rapuit poteſt cum ea nubere.*

Dico primò: jure civili pœna mortis raptoribus, & eis adjuvantibus, auxilium, & conſilium præbentibus conſtituitur, & illorum bona raptæ adjudicantur, *ex l. 1. de raptu virginis*, ſed hæc pœna contrahitur poſt ſententiam judicis. Ita cum multis Fagundez, *in 6. præcepto Decalog. lib. 6. cap. 10. n. 10.* Jure vero canonico, prædicti raptores, & eis adjuvantes, auxilium, conſilium, vel favorem dantes excommunicantur, *in cap. ſi quis virginem 22.* hæc tamen excommunicatio non eſt ipſo facto, ſed inferenda, nec eſt reſervata Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 6. §. 2. num. 13.* 73

Dico ſecundò: de jure Luſitano, Raptores, & eis conſilium, auxilium favoremve ferentes pœna capitis puniuntur, ſive raptus ſit cauſa libidinis, ſive ad contrahendum matrimonium, ut patet, *ex ordinatione lib. 5. tit. 18. num. 3.* ſed hoc intelligitur, niſi raptor ſit nobiliſſimus, & rapta infimæ ſortis: nam tunc raptor punitur pœna exilij, & amittit bona, quæ de gratia, & liberalitate regia poſſidet, ut tenſam, &c. Fagundez, *ſuprà nn. 12.* Ex Trid. verò, *ſeſſ. 24. de reformatione cap. 6.* puniuntur raptores, & illorum fautores, &c. excommunicatione ipſo facto, & infamia perpetua, & inhabilitantur ad contrahendum cum rapta, quandiu illa ſub illorum fuerit poteſtate, & in loco libero non fuerit conſtituta, & inſuper tenetur raptor raptam dotare, ſive eam ducat, ſive non, etſi clericus ſit de proprio gradu dejicitur. 74 75

Hinc fit: Primo quod ſi rapta ponatur in ſua libertate, matrimonium poſtea contractum cum ea, eſſe validum, non tamen evadet raptor excommunicationem, quæ non eſt inferenda ipſo facto, ſed non eſt tamen reſervata. Secundò fit, quod quandiu rapta eſt in poteſtate raptoris, dari inter eos impedimentum dirimēs ad matrimonium contrahendum, etiamſi rapta ſub poteſtate raptoris libere conſentiat. Et idem dic de pœna infamiæ, at poſt ſententiam judicis liberatur raptor ab hac infamiæ pœna, ſi raptam ducat. Quartò fit has pœnas Tridentini non incurri, niſi ab eo, qui rapuit mulierem ad contrahendum cum ea matrimonium, non vero ſi ad libidinem explendam rapuit, etſi ſimul cum eodem fine matrimonij fieret, è contra vero ſi raptus fuit ad contrahendum matrimonium, & non cauſa libidinis, non contrahitur pœna capitis in jure conſtituta, ſed ſolum arbitraria. Quintò fit non eſſe raptum pœnis conſilij obnoxium, quando ex proprio motu aliquis fœminam rapuit, ut nubat alteri tertio, illo neſciente, & minimè mandante, & valere matrimonium cum illo tertio celebratum, ſi fœmina etiam ſub poteſtate raptoris libere conſentiat; ita cum Sanch. & aliis bene Fagundez, *ſuprà, à n. 16. uſque ad finem.* 76

Imò, ipſe raptor poteſt cum rapta inire matrimonium, quia non pro ſe, ſed pro alio rapuit. Et idem dicendum eſt, quando quis ex alterius juſſu rapuit 77

Digitized by Google

rapuit: nam cum pro se non rapuerit, potest cum ea inire matrimonium. Tamburinus, *sup. num.* 16. Sextò nota ad contrahendas has pœnas Tridentini, non esse necesse ut sequatur copula, sed sufficit quod mulier ad finem matrimonij rapiatur. Tandem adverte; quod si fœmina consentiat in raptu, etiamsi parentes, vel illi sub quorum potestate est, resistant, non habere locum pœnas Tridentini, Tamburinus, *suprà num* 11.

DISPUTATIO VII.

De peccatis contra naturam.

SUPPONO peccatum contrà naturam esse actum luxuriæ, quo prævertitur ordo, quo prolis conceptio fieri nequit, ita sumitur ex D. Th. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 11. *num.* 12. Hoc autem peccatum in tres dividitur species morales in melioti sententia, quam tenet Decastil. *de justitia lib.* 1. *d.* 3. *dub.* 8. *num.* 182. Borgia, *quæst.* 5. *per totum*, scilicet mollitiem, sodomiam, bestialitatem, ad quam reducitur congressus cum dæmone, quidquid dicat Caramuël, *in Theologia fundamentali num.* 1707. cujus sententiam modo rejicit Alexander VII. *in suo decreto anno* 1665. *propositione* 23. His suppositis, sit

SECTIO I.

Quid sit mollities.

SUMMARIUM.

78 *Ponitur mollitiei diffinitio.*
79 *Mollities potest procurari animato, sive inanimato instrumento.*
80 *Si fuit procurata instrumento inanimato non facit diversitatem specificam.*
81 *Quid si fuit instrumento animato?*
82 *Qui suis manibus polluit uxoratum, vel sacerdotem, debet id explicare in confessione.*
83 *Motus, seu contactus impudicus inter pueros, qui non possunt præ ætate seminare, est peccatum mortale.*
84 *Pollutio voluntaria ex nulla causa est licita, etiam ad tuendam vitam, etiamsi fiat tantum medicamentis tendentibus ad ipsam.*
85 *Quid dicendum de pollutione accidente in somno, quando sit peccatum.*
86 *Quoties quis sine necessitate dat operam alicui causæ per se notabiliter influenti in pollutionem, si illam previderit, licet eam non intenderit peccat mortaliter.*
87 *Quæ sint causæ notabiliter in pollutionem influentes?*
88 *Quæ sint causæ leviter influentes in pollutionem?*
89 *Quæ necessitas, vel utilitas excuset ponentem hujusmodi causas?*
90 *Procurare distillationem, quæ fit cum voluptate est peccatum mortale.*
91 *Tenetur homo vitare causas per se influentes in distillatione, non tamen influentes per accidens.*
92 *Quid si motus carnis accidat in somno, & decisio seminis in vigilia?*
93 *Quid si quis patiatur in vigilia pollutionem ex aliqua infirmitate, vel ex lectione, vel auditione turpium?*

DICO primò: mollities est peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur extra concubitum causa explendæ delectationis venereæ. Ita D. Th. 2.2. *quæst.* 52. *art.* 11. Advertè tamen, quod si quis dum se polluit, cogitet morosè, vel consentiat in aliquam aliam speciem, v. g. adulterium, incestum, sacrilegium &c. eandem malitiam contrahere, & eam tenere confiteri. 78

Dico 2. hæc mollities potest procurari animato, 79
sive inanimato instrumento, si procuretur inanimato instrumento; non facit diversitatem specificam. Unde qui cum statua, eam amplexando, vel cogitando, se polluit, sufficit dicere in confessione, habui pollutionem inanimato instrumento. Excipe 80
nisi haberet simul affectum ad virginem, vel nuptam, vel masculum: nam tunc etiam affectus secundum speciem declarandus est in confessione. Et idem dicendum est si pollutionem habeat cum muliere, vel viro mortuo. Tamburinus, *lib.* 7. *Decalog. cap.* 7. §. 2. *num.* 10.

Dico tertiò: si mollities fuit procurata instru- 81
mento animato, ut tactibus bestiæ, pueri, vel mulieris; si fiat cum affectu ad indebitum sexum, reducitur ad Sodomiam; si cum affectu ad bestiam, reducitur ad bestialitatem, si cum affectu ad fœminam, reducitur ad fornicationem, tunc enim non est mera pollutio, sed copula inchoata. Non sunt tamen explicandæ partes corporis, circa quas habita fuit pollutio ut si fuit inter manus, brachia, crura, ora. Excipe nisi fiat ad partes præposteras, ob sodomiam, aliæ enim partes materialiter se habent, & illa major delectatio, quæ oritur ex hac, vel illa parte, per accidens se habet ad speciem malitiæ, quæ est in alia. Ita cum Filliuc. Tamburinus, *sup. n.* 3.

Dico quartò: qui suis manibus polluit uxoratum, 82
vel sacerdotem, &c. debet id explicare in confessione; quia cooperatus fuit adulterio, & sacrilegio alterius. Ita cum Filliucio, Tamburinus, *suprà num.* 5. Et idem dicendum est si alius te suis manibus polluat: nam debes explicare in confessione, an fuerit sacerdos, vel uxoratus, aut si fuerit vir, vel fœmina, etiamsi, ex parte ipsius te polluentis non detur pollutio, nec delectatio ulla, votum enim castitatis, & præceptum non fornicandi, non solùm prohibent, ne quis delectetur, vel polluatur, sed nec aliis sit causa polluendi, vel delectandi. Ita Tamburinus, *lib.* 7. *Decalog. cap.* 3. §. 5. *n.* 7. & 19. Tanced. *tomo* 4. *de religione tract.* 2. *d.* 2. *quæst.* 115. & cum Diana, Decastillus, *d.* 9. *num.* 153. quidquid dicat Llamas, & Caramuël, *in Theologia fundamentali num.* 1065.

Dico quintò: contactum, motumque impudi- 83
cum virilium in pueris, sive in puellis, qui non possunt propter ætatem seminare, est peccatum mortale; est enim pravus affectus ad pollutionem; differt tamen specie à pollutione. Unde iste actus reducitur ad tactum impudicum, ac per consequens debet specialiter in confessione explicari. Ita Tamburinus, *lib.* 7. *Decalog. cap.* 7. §. 2. *num.* 2.

Dico sextò: pollutio voluntaria numquam est 84
licita, nec sanitatis procurandæ, nec tentationis vitandæ causa; est enim pollutio intrinsecè mala. Unde peccant mortaliter medici propinantes medicamenta directè tendentia ad semen verum, & proficuum expellendum. Ita cum Lessio, Bonacina, & aliis, Trullenc. *lib.* 6. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 3. An autem liceat pollutio ad emittendum semen corruptum, sive fiat medicamentis, sive fricationibus partium verendarum? si semen peccet in quantitate omnes negant licere, ut testatur Tamburinus, *lib.* 7. *Decalog. cap.* 7. §. 2. *n.* 4. tunc enim est verum semen,

quod

quod nullo modo poteſt conſulto effundi; ſi tamen peccet in qualitate, multi affirmant poſſe expelli medicamẽtis, imò & fricationibus, ut ſi cauſet ſymptomata venenoſa, tunc enim dicunt non eſſe verum ſemen, ſed qualitatem venenoſam. Ita cum Sanch. Villalobos, Diana, Trullenc. *lib. 6. cap. 1. d. 7. n. 14.* & cum Bonacina, probabile putat, Baſæus, *verbo luxuria n. 16.* & in caſu quod mulier ſit deſtituta ſenſibus poſſe fieri, etiam fricationibus, Tamburinus, *ſuprà num. 6.*

Verum ego exiſtimo in nullo caſu poſſe talem expulſionem ſeminis procurari, ſine medicamentis directè tendentibus ad ipſam, ſive multo minus fricationibus, numquam enim pollutio ex cauſa ſalutis eſt licita; alias leproſis qui ſemen corruptum habent, & aliis ſimilibus licitæ fuiſſent pollutiones, quod nemo hucuſque dixit. Vnde qualiſcunque ſeminis effuſio ex intentione extra legitimum vas, intrinſecè mala eſt, & mortifera; non ſunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Ita cum Rebello, Baſæus, *ſuprà num. 16.* & cum aliis Fagundez, *lib. 6. cap. 9. num. 32.* Et hinc fit à fortiori non poſſe fœminam, quæ ex viro ſuo concepit ſemen gallicatum, illud poſtea mingendo emittere, ob ſanitatem; eſt enim hoc nocivum generationi, quod numquam licet Tamburinus, *ſuprà num. 9.*

85 Dico ſeptimò: Pollutio quæ in ſomno accidit, aliquando eſt peccaminoſa, aliquando non; ſi antecedenter in vigilia deſideretur in ſomno ob delectationem veneream, vel ſi poſt ſomnum, ſub quo ſecuta eſt pollutio, quis deliberate de ea habita complaceret, ob delectationem ſenſualem, proculdubio peccaret mortaliter. Ita communiter omnes; ſecus ſi in vigilia deſideraret illam habere in ſomno, ob ſanitatem, ad levandam naturam, ad ſedandas tentationes, vel de ea habita gauderet ob has rationes. Ratio autem eſt, quia id quod die deſideratur, & de quo gaudetur, non eſt peccatum, ſed per ſe indifferens; deſideratur namque, ut pollutio fiat via naturali, per cauſas à natura conſtitutas, ſine omni libera cooperatione; ſed quoties non datur libertas in operatione, non eſt peccatum; ergo: ita cum Diana, Tannero, & aliis, Baſæus, *verbo luxuria num. 13.*

86 Dico octavò: quoties quis ſine neceſſitate vel rationabili utilitate, vel commodo, dat operam alicui cauſæ per ſe notabiliter influenti in pollutionem, ſive in vigilia, ſive in ſomno contingentem, ſi illam prævidit, licèt expreſsè non intenderit, toties peccat mortaliter; qui enim deliberatè vult cauſam, neceſſariò vult effectum ab illa provenientem, ita ex Sanchez, Vaſquio, Leſſio, Filliucio, Diana, Tamburinus *lib. 7. cap. 3. §. 5. num. 49.* Quoties verò quis ſine neceſſitate, vel rationabili utilitate, dat operam cauſæ leviter, & per accidens influenti in pollutionem, etiamſi illam prævideat, toties ſolùm peccat venialiter; cùm enim cauſam ſolùm leviter influentem apponat, pollutio per accidens ſequitur, unde nunquam ad mortale imputari poteſt.

87 Sed quæres quæ ſint cauſæ notabiliter, quæ verò tantùm leviter influentes in pollutionem? Reſpondeo cauſam notabiliter influentem, ſolùm eſſe illam, quæ eſt peccaminoſa mortaliter in genere luxuriæ contra ſextum præceptum, cæteras autem eſſe tantùm leviter influentes. Ita cum Sanchez, Leſſio, & aliis, Tamburinus *ſup. num. 50.* Hinc fit cogitationes, deſideria, aſpectus, tactus, oſcula, &c. mortalia in genere luxuriæ, ſi ex illis prævideatur pollutio, ſive in vigilia, ſive in ſomno, quamvis non intendatur, eſſe non ſolùm in ſe peccata, ſed eſſe peccata, prout ſunt cauſa pollutionis; unde adoleſcens cui hoc accidit, & peccavit deſiderio fornicationis, & peccavit contra naturam ſe polluendo in ſomno, vel in vigilia, ſiquidẽ pollutioni dedit liberè cauſã.

E contra verò cogitationes, deſideria, lectio vana, & aliæ actiones quæ ſunt venialia, ſive ex inde- 88
liberatione, ſive parvitate materiæ, ut aliqui volunt, quod ego non admitto, etiamſi in illis prævideatur pollutio, dummodo non intendatur, & ceſſante periculo conſenſus, ſunt tantùm cauſæ leviter influentes, ac per conſequens pollutio ex illis ſecuta tantùm erit peccatum veniale. Et idem dicendum eſt de aliis cauſis, quæ non ſunt mortaliã in genere luxuriæ, licèt in ſuo genere ſint mortalia, ut conceſtio calidorum, potus vini, & ſimilia, etiamſi excedat uſque ad culpam mortalem; ſiquidem hæ cauſæ, licèt in ſuo genere mortales ſint, leviter tamen influunt in pollutionem. Ita cum Diana, Tamburinus, *ſuprà num. 5.*

Imò Thomas Sanchez, *lib. 9. de matr. d. 45. n. 20.* exiſtimat, aliquando etiam mortale peccatum in genere luxuriæ, propter ejus brevem durationem, non eſſe cauſam notabiliter influentem in pollutionem, ſive in vigilia, ſive in ſomno, ut deliberata cogitatio de habenda puella, quæ in momento tranſit, vel levis tactus cum eadem deliberatione, rariſſimè enim ex tam brevi pravo affectu, vel tactu ſequitur, vel nocturna, vel diurna pollutio. Imò Joannes Sanctius, quem refert, & ſequitur Baſæus *verbo Luxuria, num. 15.* exiſtimat nullam dari cauſam intra genus luxuriæ, quæ efficax ſit ad pollutionem ſequutam in ſomno: nam ſi dum præſens eſt cauſa influxum efficacem non habet, multò minùs illum habebit, dum abſens reperitur; unde aſſerit nunquam eſſe confitendum pollutionem præviſam in cauſa, etiamſi cauſa ſit mortalis in genere luxuriæ, niſi quando cauſa fuiſſet appoſita ea intentione, quod ſequeretur in ſomno pollutio.

Si tandem quæras, quæ neceſſitas, vel utilitas 89
excuſet ponentem hujuſmodi cauſas, ſive efficaciter, ſive leviter influentes in pollutionem à peccato mortali, vel veniali, etiamſi prævideatur, non tamen intendatur pollutio? Reſpondeo excuſare cauſam notabiliter influentem in pollutionem à peccato, neceſſitatem te medendi in pudendis, & illas alias cauſas, quæ bonâ fide apparent neceſſariæ, & utiles, & commodæ animæ, vel corpori. Ita cum Joanne Sanctio, Diana, Tamburinus *l. b. 7. cap. 3. §. 5. n. 52.* Hinc potus, cibus, etiam ad eos guſtandos, ſtudere; audire confeſſiones, cubare tali latu, ob tuum commodum, equitare ad negotiandum, vel ad recreationem, complexus, & oſcula juxta morem Patriæ, mederi verenda alicui jus, & ſimilia, habentur cauſæ ad excuſandum non ſolùm à mortali, ſed etiam à veniali. Et idem dicendum eſt de ſedatione pruritus, vel de eo qui pudenda lavat ad tollendam ſcabiem, ad purgandum fœtorem, ſine intentione tamen impuræ libidinis, ut bene cum utroque Sanctio notat Tamburinus *ſuprà, num. 52.*

Dico nonò: ſicut deliberate procurare pollutio- 90
nem, deque ea complacere, eſt peccatum mortale, ita procurare diſtillationem, quæ fit cum voluptate, & commotione ſpirituum deſervientium generationi: nam tunc ſemper eſt conjuncta cum voluptate libidinoſa. Dixi quæ fit cum voluptate & commotione ſpirituum: nã hæc diſtillatio, aliquando fit cum illa voluptate libidinoſa, aliquando ſine illa, eſt enim hæc diſtillatio, effuſio cujuſdam humoris, qui minus mordax eſt, & aquoſior quam ſemen, paucioris quantitatis, minorisque voluptatis, & aliquando nullius, ut bene cum Gerſon, notavit Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 3. §. 5. num. 53.*

Digitized by Google

91 Dico decimo: Sicut obligatur homo removere causas per se notabiliter influentes in genere luxuriæ, non vero per accidens in pollutionem, ita obligatur easdem removere per se influentes, non vero per accidens in distillationem, quæ fit cum prædicta libidinosa voluptate. Ratio est, quia semper tenemur vitare causas per se influentes in delectationes illicitas; sed illa delectatio, quæ habetur in distillatione est illicita, si deliberate sumatur, ergo. Ita cum Sanch. Tamburin. *sup. n.* 33. Dixi influentes in distillationem, quæ fit cum libidinosa voluptate; nam si talis distillatio accidat, sine tali voluptate libidinosa, quamvis adsit erectio levis genitalium, ea non est peccatum, nec est obligatio tollendi ejus causas, siquidem illa distillatio non nocet generationi, nec est conjuncta cum delectatione venerea, ut suppono; ergo non est unde possit esse peccatum. Ita cum Caietano, Layman, Reginaldo, Tamburin. *sup. num.* 53.

92 Dico undecimo: Quando motus carnis, seu spirituum inservientium generationi, & ipsa desitio seminis accidit in somno, & emissio in vigilia, nullum est peccatum, saltem mortale; quia non adest plenum voluntarium; accidit enim emissio in illo confinio somni, & vigiliæ, quando imperfecta est deliberatio. Tum quia difficile est cohibere, ne semen jam ex lumbis decisum non emittatur foras; quod si partim emissio seminis sit in somno, partim in vigilia, multo minus habebit rationem peccati, sublata voluntate non consentiendi in illa, ut semper suppono. Hinc fit illum, qui à somno excitatur, non teneri reprimere pollutionem, quæ in somno cœpit. Et idem dicendum est de pollutione, quæ in vigilia involuntariè accidit. Ita cum Sanchez, Saa, Tambur. in *lib. 7. cap. 7. §. 2 n. 17.* Basæus, *verbo luxuria num. 17.* Adverte tamen, quod licet quis non teneatur reprimere pollutionem jam inceptam, non posse tamen illam adjuvare active, aliquo motu ad abstergenda, seu deoneranda virilia, quamvis retentio saluti corporis grave detrimentum allatura sit, ut faciebat quidam sacerdos, de quo meminit Tamburin. *ibi. num.* 18. talis enim activa cooperatio, seu conatus, est peccatum mortale, si fiat à rationis compote, ut bene ibi advertit Tamb. Basæus *verbo luxuria n.* 17.

93 Dico duodecimo: Qui in vigilia patitur involuntarie pollutionem, vel distillationem, ut aliquibus accidit, vel ex infirmitate, quæ dicitur fluxus seminis, aut ex lectione, aut auditione turpium, vel ex equitatu, aut contactu &c. tunc videndum, est, an causa pollutionis, seu distillationis sit necessaria ex natura, ut infirmitas, vel complexio particularis, vel ex officio, ut auditio confessionum in parocho, vel an sit utilis, vel commoda patienti, etsi causa est, vel necessaria, vel utilis, vel commoda, si voluntas deliberate non consentiat, non est culpa mortalis, nec venialis; quia hi sunt actus naturales, immo si quis patienter hos ferat, materiam habet magni meriti, propter humilitatem. Secus dicendum est, si talis pollutio, vel distillatio accidat ex causa mortali in genere luxuriæ, vel ex causa veniali, nam tunc eandem habebit malitiam, ac ejus causa, ita cum Toleto, Tamburin. *lib. 7. cap. 7. §. 2. num. 21.*

SECTIO II.

De Sodomia, & ejus pœnis.

SUMMARIUM.

94 *Ponitur definitio sodomiæ.*

95 *Ad malitiam sodomiæ sufficit quod duo mares, vel fœminæ procurent quocunque modo inter se pollutionem cum affectu ad indebitum sexum.*

96 *Ponitur contraria opinio.*

97 *An committens sodomiam teneatur explicare in confessione an fuerit agens, vel patiens?*

98 *Sodomia imperfecta est peccatum contra naturam.*

99 *An si quis se polluat inter brachia, vel crura fœminæ, sit sodomia imperfecta.*

100 *An fœmina coiens cum fœmina incidat in casum reservatum sodomiæ?*

DIco primo: Sodomia perfecta est concubitus ad sexum non debitum, ut vir cum viro, & fœmina cum fœmina. An autem requiratur ad veram sodomiam, quod concubitus viri cum viro sit in vase præpostero? Respondeo, aliud esse copulam sodomiticam, aliud actum sodomiticum, copula namque sodomitica, sit masculino coïtu jaculando semen intra vas præposterum, actus vero sodomiticus, etiam sit polluendo se ipsum cum secunda persona, quæ non solum inter viros, sed inter fœminas esse potest, ut notat cum Benedicto, & Clavi Regia, Basæus *verbo luxuria num. 22.* Unde ad veram sodomiam, quoad pœnas, & reservationem existimo requiri effusionem seminis intra vas præposterum, pœnæ enim, & reservatio cum sint odiosæ restringuntur ad sodomiam principalem, & maximè notam. 94

Ad malitiam tamen sodomiæ, sufficit quod duo mares, vel duæ fœminæ procurent inter se pollutionem, quocunque modo se tangant, dummodo habeant affectum ad indebitum sexum; essentia namque sodomiæ consistit in concubitu cum affectu ad indebitum sexum, locus autem præposterus, habet se de materiali, ut patet in duabus fœminis, quæ non alio modo commiscentur nisi per prædictum concubitum cum effusione seminis, & non intra vas præposterum. Dixi ex affectu ad indebitum sexum, nam si duo mares, vel fœminæ commiscent corpora ex affectu solum se polluendi, sine affectu ad indebitum sexum, erit sola mollities. Ita Tamburin. *lib. 7. Decalog. cap. 7. §. 3. n. 1.* Trullenc. *lib. 6. Decalog. cap. 1. dub. 8. §. 2. num. 1.* 95

Non desunt tamen aliqui affirmantes, ad perfectam sodomiam requiri, quod semen intra vas præposterum effundatur, & non sufficere solum prædictum affectum ad indebitum sexum, sine tali emissione seminis intra vas præposterum. Ita Graffius *cap. 90. num. 11.* Navar. *cap. 23. num. 249.* Unde Diana *p. 1. tract. 7. resol. 52.* existimat coëuntem cum puero, & supercubantem sicuti super mulierem, non teneri hanc circunstantiam in confessione explicare, si tantum se polluit, sed sufficere si dicat tactibus alterius pollui; siquidem illa non mutat speciem. Et idem de una fœmina cum altera existimat Masuchelus *de casibus reservatis disp. 2. cap. 22.* Nam licet prædicti DD. possent explicari de eo, qui supercubuit, sine affectu ad indebitum sexum, pos- 96

ſunt tamen etiam intelligi juxta opinionem Graſij, qui non concedit ſodomiæ malitiam, niſi ſemen intra vas præpoſterum effundatur.

97 An autem committens ſodomiam, teneatur explicare in confeſſione, an fuerit agens, vel patiens, vel an fuerit cum ſibi conjuncto ſanguine, vel affine, vel cum infideli, vel cum viro, vel fœmina? vide quæ dixi in prima parte hujus Directorij, in tractatu de pœnitentia, ne eadem repetamus. An autem hoc ſcelus ſit mixti fori, & quas pœnas habeat in jure, & de jure Luſitano? vide quæ dixi *in noſtro Directorio Regularium p. 2 tract. 3. d. 5. n. 69. & ſequentibus, & eodem tract. d. 2. n. 49.*

98 Dico ſecundo: Sodomia imperfecta, eſt peccatum contra naturam, per quod vir, cum fœmina connubit extra vas naturale; eſt autem peccatum ſpecie diſtinctum à ſodomia perfecta, adeoque in confeſſione declarandum, perfecta enim ſodomia procedit ex affectu ad indebitum ſexum; hæc vero non procedit ex affectu ad indebitum ſexum, ſed ad partem innaturalem, ſcilicet præpoſteram. Ita Baſæus *verbo luxuria num.* 21. Azor *tom. 3. lib. 3. cap. 20. quæſt.* 1. Filliuc. *tract. 30. cap. 8. num.* 158. Bonacina *quæſt. 4. de matrim. p. 11. n.* 1. Tambur. *lib. 7. Decalog. cap. 7. §. 4. num.* 1. contra Trullenc. *lib. 6. Decalog. cap. 1. dub. 8. §. 2. n.* 1. ubi alios refert.

99 An autem ſi quis ſe polluat inter cæteras partes fœminæ; v. g. brachia, crura &c. ſit ſodomia imperfecta? Reſpondeo negative; ſed tantum erit copula inchoata, quæ habebit ultra malitiam contra naturam, ſpeciem fornicationis, ſi fœmina fuerit ſoluta, vel adulterij, ſi fuerit nupta, vel ſacrilegij, ſi fuerit religioſa, vel inceſtus, ſi fuerit conſanguinea vel ſodomiæ, ſi fuerit cum affectu ad vas præpoſterum, ita & bene Tamburin. *lib. 7. Decalog. cap. 7. §. 4. num.* 1.

100 An autem in caſum reſervatum ſodomiæ incidat fœmina cum fœmina congrediens? ſi effuſio ſeminis intra vas naturale ſequatur, negat Diana *p. 7. tr. 12. reſol.* 13. Baſæus *verbo luxuria num.* 21. quia licet non ſervetur ſexus, ſervatur tamen vas. Secus dicendum, ſi fœmina intra vas præpoſterum alterius, ſemen aliquo inſtrumento emitteret, ita cum Mazuchelo, Diana *ibi.* Baſæus *ibi.* Auzonius *verbo ſodomia num.* 4. An autem patientes includantur in reſervatione? multi negant. Ita Bordonus, in conſiliis regularibus *reſol.* 48. *quæſt.* 5. *n.* 2. & cum Alphonſo à Leone, Auzonius *verbo ſodomia num.* 5. An autem agens, ſi non ſeminet intra vas includatur in reſervatione? exiſtimo negative, nam reſervatio intelligitur de actu completo. Auzonius *ibi. num.* 6. Baſæus *verbo luxuria num.* 21. Et idem dicendum eſt de impuberibus, quia hi ordinariè non ſeminant. Ita cum Lupo, Bordono, Auzonius, *ſuprà num.* 7. Baſæus *ſuprà num.* 21. Et idem dicendum eſt de exercente ſodomiam cum fœmina, quia reſervatio cum ſit odioſa debet reſtringi ad ſodomiam perfectam. Ita cum Lugo, Auzonius *ſuprà num.* 8. Baſæus *ſuprà num.* 21. An autem vir conjugatus, qui præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuam uxorem, ſed actum perfecit, & ſeminat in vaſe naturali, peccet mortaliter? Reſpondeo affirmative; ita cum Sanchez, Baſæus, *ſuprà n.* 22. & ego fuſius dixi in prima parte hujus Directorij, in tractatu de pœnitentia. Et hæc de hoc horrendo ſcelere ſufficiant, hæc enim maximè religioſas aures ſurdeſcunt; cætera quæ hic deſiderare potes, vide in noſtro directorio regularium loco citato, & in prima parte hujus Directorij loco citato.

SECTIO III.

De beſtialitate, & ejus pœnis.

SUMMARIUM.

101 *Ponitur beſtialitatis definitio.*

102 *Ad beſtialitatem reducitur concubitus cum dæmone.*

103 *Non eſt neceſſe explicare in peccato genus animalis, bene tamen ſi ſit concubitus cum dæmone.*

104 *In peccatis contra naturam quod gravius ſit explicatur.*

Dico primo: Beſtialitatis eſt concubitus cum re 101
animata, non ejuſdem ſpeciei cum homine; Huc reducitur concubitus cum dæmone, quia adhuc
ille non eſt ejuſdem ſpeciei cum homine, etiamſi 102
aſſumat formam hominis. In hoc autem crimine
non eſt neceſſe explicare in confeſſione genus ani-
malis, ſive ſit equus, ſive equa, ſive avis, ſive 103
gallina; ſemper enim eſt eadem moralis deformitas. At ſi ſit concubitus cum dæmone, debet id explicari; quia ſuperadditur peccatum contra Religionem, id eſt, commercium cum Dei, omnium que inimico. Debet etiam explicari an dæmonem fuerit ſub forma fœminæ uxoratæ, viti, vel Religioſæ; quia tunc præter beſtialitatem, & ſuperſtitionem, additur affectus ad talem ſpeciem. v. g. adulterij, ſodomiæ, &c. Ita cum Filliuc. Tamburin. *lib. 7. c. 7. §. 5. n.* 1. & 2. Baſæus *verbo luxuria n.* 23.

Dico ſecundo: In peccatis contra naturam, pri- 104
mum, & graviſſimum eſt beſtialitas, & congreſſus cum Dæmone. 2. Sodomia perfecta cum eodem ſexu. 3. Cum diverſo ſexu. 4. Mollities cum altero. 5. Pollutio ſimplex, quæ in ſola omiſſione concubitus ad alterum conſiſtit. Ita Baſæus *verbo luxuria num.* 25. De remediis autem contra luxuriam, vide Baſæum, *ibi num.* 26.

TRACTATUS DECIMUS,

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI, ubi etiam de decimo: Ne furtum facias.

QVAM in hoc ſeptimo præcepto de dominio, de poſſeſſione, uſufructu, juſtitia, & jure agendum ſit, horumque intelligentia maximè conducat ad perfectam notitiam hujus præcepti, neceſſarium duxi de his, ante ſeptimum præceptum, explicationem agere, ut ſic meo muneri ſatisfaciam, ſit igitur

DISPVTA

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

De justitia, & jure.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit justitia?

SUMMARIUM.

1 *Ponitur justitiæ definitio.*
2 *Justitia est virtus ab aliis distincta.*
3 *Inter Deum, & hominem, patrem, & filium, maritum, & uxorem, dominum, & servum non reperitur propriè justitia.*
4 *Inter Patrem & filium, maritum & uxorem, servum & dominum, dari potest justitia secundum quid.*
5 *Quædam corollaria ponuntur.*
6 *Justitia propriè dicta dividitur in legalem, distributivam, & commutativam.*

1 DIco primo: Justitia prout est virtus specialis cardinalis, [non enim est sermo in præsenti de justitia sumpta pro complexione omnium virtutum, in quo sensu locutus est Christus Matthæi V. beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.] Justitia igitur definitur, est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Ita Vulpian. *in l. justitia, ff. de justitia & jure*, D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 1. & communiter DD. Sensus igitur definitionis est, justitia est habitus, quo voluntas libere, & firmiter, & in perpetuum intendit jus suum
2 unicuique debitum tribuere ad æqualitatem. Est autem justitia virtus ab aliis distincta; nam habet speciale objectum; licet enim Religio, pietas, & observantia spectent jus alterius, differunt in eo, quod justitia respicit jus alterius debitum absque ulla personarum restrictione, at vero Religio jus tantum Deo debitum, Pietas jus parentum, observantia jus superiorum. Tum quia hæ virtutes non respiciunt alterum, qui sit omnino distinctus, cum creaturæ sint Dei, & filij Patris, & servi domini, & uxor mariti.

3 Hinc fit inter Deum & hominem, patrem & filium, maritum & uxorem, dominum & servum, non reperiri propriè justitiam; sed tantum secundum quid; ut cum Aristotele notat D. Thom. 2. 2. *q.* 54. *art.* 4. Ad justitiam namque simpliciter dictam, tria requiruntur, primum ut sit ad alterum, secundum ut ratio debiti intercedat, tertium ut servetur æqualitas; sed primum, & tertium non possunt dari inter prædictas personas, cum hæ personæ sint ita inter se ipsas connexæ, & dependentes, ut commodum, & incommodum unius, in alteram cedat, nec inter eos æqualitas perfecta dari potest, Deo enim, & parentibus reddere æquale non possumus; ergo. Nec inde fit, quod si filius occidat patrem non peccare contra justitiam; peccat namque contra justitiam, & pietatem. Contra justitiam ratione substantiæ, quam interemit sine legitima authoritate, contra pietatem ratione circunstantiæ personæ. Ita Lessius *lib.* 1, *cap.* 1. *n.* 6. & statim ex dicendis clarius patebit.

4 Dixi inter filium, & patrem, maritum, & uxorem, servum, & dominum dari non posse propriè justitiam; nam inter eos dari potest justitia secundum quid; siquidem inter eos intercedit verum debitum, & aliqualis diversitas, scilicet suppositorum, potestque alter alteri reddere æquivalens, non simpliciter, sed aliquale, nimirum proportionis, & ideo invenitur inter eos quoddam justum, quod inter patrem, & filium vocatur paternum, inter servum, & dominum, herile, seu dominativum, inter virum, & uxorem, œconomicum, hoc autem justum paternum, herile, & œconomicum, propriè tantum se extendunt ad ea, quæ filius patri, servus domino, & uxor marito debet, qua tales personæ sunt, quoad contractus vero civiles, & bonorum distributionem, in quibus filius emancipatus, non dependet à patre, & servus à domino, & uxor à marito, multi existimant intercedere perfectam justitiam; nam in his rebus reputantur hæ personæ, ut extraneæ, illisque accidentaria est qualitas filiationis, dominij, vel conjugij.

Hinc fit, quod si filius à patre, & uxor à marito, 5
servus à Domino, aliquid subripuerit tenetur restituere. E contra vero, si pater à filio emancipato, vel à non emancipato, ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, vel maritus ab uxore, ex bonis paraphernalibus, vel dominus à servo, ex proprio pecu. lio aliquid usurpaverint, teneri restituere. Ita cum Molina, Layman, Lessio, Filliuc. & aliis Palaus *de justitia d. unica p.* 2. *n.* 4. Balæus *in supplemento verbo justitia n.* 16.

Dico secundo: Justitia propriè dicta dividitur in 6
legalem, distributivam, & commutativam; ita cum D. Th. *q.* 58. citata communiter DD. Ratio est, quia in Republica triplex reperitur habitudo, 1. partium ad totum, 2. totius ad partes, & 3. partium ad partes. Virtus quæ singulas partes disponit ad bonum totius Reipublicæ, dicitur justitia legalis; Quæ disponit totum nempe rempublicam ad partes, dicitur justitia distributiva. Quæ vero disponit partem ad partem, dicitur justitia commutativa; ex quibus constat, has tres virtutes esse tres distinctos habitus eo quod distincta objecta, munera, & officia inducant. Ita communiter DD.

SECTIO II.

De justitia legali.

SUMMARIUM.

7 *Ponitur justitia legalis definitio.*
8 *Justitia legalis est virtus distincta à pietate.*
9 *Homo tenetur vitam exponere pro bono communi.*
10 *Contra hanc virtutem peccant principes leges iniquas, & bono communi noxias condentes.*
11 *Civis particularis peccat, si rempublicam tradere instituat, si principem, &c. occidat.*
12 *Violatio hujus virtutis precisè sumpta non obligat ad restitutionem.*

DIco primo: Justitia legalis est virtus ordinans 7
civem ad bonum commune per observantiam legum, tam divinarum, quàm humanarum, secundum quas ordinat omnium virtutum operationes ad bonum commune. Hæc autem virtus in principe dicitur, Architectonica, quia imperat subditos, in subditis vero dicitur ministerialis, quia obe- 8
diunt. Est autem hæc virtus distincta à pietate, maximè enim differt debitum unius, ab alio;

Digitized by Google

9 fortius enim pars toti obligatur, quam effectus suæ causæ secundariæ ; Hinc fit hominem teneri propriam vitam exponere ob bonum commune, non tamen tenetur vitam exponere pro patre, ut recte cum Lessio, notat Villalobos *tract. 7. de justitia dif. 4. n. 3.*

10 Dico secundo : Contra hanc justitiam legalem peccat Princeps, leges iniquas, & bono communi noxias condens, tributa importabilia populo im-
11 ponens. Civis vero particularis peccat, si rem publicam tradere instituat, si principem, vel ducem maximè bono communi necessarium occidat, aut si
12 se non traderet tyranno, quando ex ipsius traditione totius reipublicæ salus pendet. Violatio tamen hujus virtutis, si præcisè sumatur, non obligat ad restitutionem, nisi simul justitia commutativa violetur. Ita cum communi sententia Lessius, *lib. 2. cap. 1. d. 3. n. 11.*

SECTIO III.

De justitia distributiva.

SUMMARIUM.

13 *Ponitur ejus definitio:*
14 *Hæc virtus principaliter residet in principe, & magistratibus.*
15 *Violatur per acceptionem personarum.*

13 DIco primo : Justitia distributiva est virtus ordinans communitatem in ordinem ad cives. Itaque sicut justitia legalis ordinat cives ad bonum commune, ita distributiva ordinat bonum commune ad cives ; dirigit enim totum ad partes, tribuendo inter cives officia, onera, & munia, secundum proportionem geometricam, juxta dignitatem meritorum cujuscunque. Vnde hæc virtus non distribuit civibus id, quod est illorum, sed id, quod futurum est illis.

14 Dico secundo : Hæc justitia distributiva principaliter residet in principe, & magistratibus, quibus competit hæc munia distribuere, & secundario in civibus, quatenus eos disponit, ut justam distributionem ament, atque legitime facta acquiescant.
15 Violatur autem, per acceptionem personarum, quando unus alteri, sine causa debita, & absque meritis præponitur. An autem violans hanc virtutem teneatur ad restitutionem ? *infrà* dicemus. Ita Lessius, *lib. 2. c. 1. d. 4. n. 10.* & alij communiter.

SECTIO IV.

De justitia commutativa.

SUMMARIUM.

16 *Ponitur ejus definitio.*
17 *Distinguitur à distributiva.*
18 *Violatio justitiæ commutativæ, nisi excuset parvitas materiæ, semper est peccatum mortale, & obligat ad restitutionem.*
19 *Quid dicendum de justitia vindicativa ?*

16 DIco primo : Justitia commutativa est virtus moralis dirigens partem ad partem, id est, constituens æquitatem rei ad rem inter privatas personas, & quia ordinariè in commutationibus reperitur, commutativa dicitur ; constituit namque æquitatem arithmeticam, id est, rei ad rem, inter privatos, ut tantum scilicet detur, quantum valet damnum illatum, distinguitur à distributiva, quia 17
hæc respicit debitum, non simpliciter, sed secundum quid ; quia adhuc non est applicatum personis, & possessum, sed applicandum pro meritis personæ ; & commutativa respicit debitum particulare simpliciter, cujus actualis possessio est apud ipsum particularem ; Hinc fit violationem hujus justitiæ, 18
nisi parvitas materiæ excuset, semper esse mortale, & violatorem teneri ad restitutionem. Vide Lessium *dub. 4. citato n. 12.* Trullenc. *lib. 7. in Decalog. cap. 1. d. 2. §. 3. n. 8.*

Dico secundo : Præter prædictas virtutes, alij 19
ponunt aliam justitiam, quam vocant vindicativam, eo quod servet æqualitatem in pœnis pro delictis infligendis. Sed revera hæc, non distinguitur à supradictis speciebus, sed potius in ipsis imbibitur ; cum justitia autem commutativa habet maximam similitudinem, quia secundum qualitatem delicti, decernit pœnam, juxta illud *Deuteronomij 15. pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Ita Layman *lib. 3. sect. 5. c. 4. n. 3.* Palaus *de justitia in genere d. unica p. 4. n. 5.*

DISPUTATIO II.

De jure & Dominio.

QUæ justitiæ perfecta declaratio pendeat ex suo objecto, & ejus objectum, ut supra diximus sit jus, quod dominium, usumfructum, usum, habitationem, emphyteusin, feudum, libellum, superficiem, servitutem, & possessionem, comprehendit, necesse est ad ejus objecti declarationem videre, quid hæc sint ; & qualiter inter se distinguantur ? sic igitur,

SECTIO I.

Quid sit jus objectum justitiæ.

SUMMARIUM.

20 *Ponitur juris definitio.*
21 *Jus quod est objectum justitiæ dividitur in jus in re, & jus in rem.*
22 *Ex jure ad rem tantum oritur actio personalis.*
23 *Ex jure in re oritur actio quæ rei vindicatio appellatur.*

DIco primo : Relictis variis acceptionibus juris, 10
de quibus late Decastillus *tr. 1. de justitia, d. 1. dub. 1. n. 5.* Jus, quod justitia tanquam objectum respicit, est justum alteri debitum per æqualitatem servandum Hæc autem æqualitas, alia est rerum, alia proportionum ; æqualitas rerum, quæque proportio arithmetica vocatur, est æqualitas rei ad rem, id est, pretij ad merces. Æqualitas proportionum, quæ geometrica nuncupatur, est æqualitas præmij ad meritum personæ, illa est objectum justitiæ commutativæ, hæc, distributivæ.

Dico secundo : Hoc jus, quod est objectum ju- 11
stitiæ dividitur in jus in re, & jus in rem, jus in re, est cum res alicui obligata est, & devincta,

ita

Digitized by Google

ita ut illam ubicunque sit vindicare possit, eaque pro libito uti, nisi ex contractu, lege, vel sententia, pro aliquo tempore sit impeditus. Jus ad rem, est cum res non est alicui devincta, nec eam potest vindicare, nec ea liberè uti, quia absolute non est sua, sed solum est illi concessa facultas, & potestas illam rem exigendi, vel ea utendi.

22 Dico tertio: Ex jure ad rem, actio tantum personalis oritur, non realis, cum res ad quam quis habet jus, non sit illi devincta. Ex jure autem
23 in re, actio nascitur, quæ rei vindicatio appellatur; quia ubicunque res sit, eam vindicare potest, utpote suam; sed quia res diversimode alicujus esse potest, diversæ sunt actiones reales, quæ illi competere possunt pro illius defensione, nam alia est actio realis ratione dominij directi, alia ratione dominij utilis, alia ratione possessionis, alia ratione servitutum, alia ratione pignoris, vel hypothecæ: de quibus instituta de actionibus.

SECTIO II.

Quid sit Dominium.

SUMMARIUM.

24 *Ponitur dominij definitio.*
25 *Dividitur in dominium jurisdictionis, & proprietatis.*
26 *Ponitur dominij jurisdictionis definitio.*
27 *Ponitur dominij proprietatis definitio.*
28 *Dominium proprietatis quomodo dividatur.*
29 *Jus & dominium causam habere debent, nempe donationem, emptionem, concessionem à lege, &c.*

24 Dico primo: Dominium, si generaliter sumatur, est jus, seu facultas disponendi de re aliqua tanquam sibi subjecta. Et secundum hanc
25 acceptionem dividitur in dominium jurisdictionis, & proprietatis. Dominium jurisdictionis, est jus gubernandi, judicandi, puniendi, protegendi subditos;
26 hoc autem dividitur in Ecclesiasticum, & sæculare. Ecclesiasticum ortum habuit à Christo Domino. Sæculare à Republica de quibus infra
27 agendum est. Dominium vero proprietatis definitur, est jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Ita Bartholus *ab omnibus receptus, l. si quis vi, §. differentia n. 4. ff. de acquirenda possessione.* Ponitur autem jus loco generis, jus enim complectitur sub se dominium, usumfructum, usum, &c. ut *suprà* diximus.

Dicitur perfecte disponendi, quia est facultas disponendi de re omnimodo, & propria authoritate, sive in proprium, sive in alienum commodum, sive eam destruendo, consumendo, aut reservando, sive ea abutendo; per quod excluduntur jura, quæ dicuntur dominia imperfecta, in quibus proprietas non conjungitur cum usufructu, vel cum pleno usu, quale est illud, quod vocatur directum, quod est dominium nudæ proprietatis, item dominium utile, quod est alius ususfructus, item pignus, &c.

Dicitur de re corporali, id est, quæ tangi potest, ut vestis, fundus, homo, &c. per quod excluduntur incorporales, quales sunt, jus eligendi, præsentandi, percipiendi fructus, succedendi in hæreditate; in his namque non datur dominium, sed quasi dominium, nec possessio, sed quasi possessio. Dicitur nisi lege prohibeatur; sæpe namque contingit dominium, lege sic disponente, impeditum esse alienare rem cujus habet dominium, ut patet in pupillo, qui non potest alienare res suas, usque ad tempus à patre, vel à jure præfinitum.

Dico secundo: Dominium proprietatis dividitur 28
in perfectum, & imperfectum. Perfectum dicitur, quod continet proprietatem rei, & commodum ejus. Imperfectum est, quod tantum habet, vel proprietatem rei, absque emolumentis, vel emolumenta absque proprietate. Vnde hoc dominium, aliud dicitur directum, aliud utile. Directum continet solum rei proprietatem, & tale dominium habet filius in peculio, quod dicitur adventitium, & qui dedit emphyteusim, vel feudum. Vtile continet solum rei commoditatem, & utilitatem, qualem habet usufructuarius, feudatarius, Emphyteuta.

Porro prædictum jus, & dominium, originem, 29
& causam habere debet, nempe emptionem, donationem, concessionem à lege, & similia, quod titulus juris, seu dominij nuncupatur, non dominium, sed quia aliquando evenit veram donationem, aut emptionem, aliquando vero fictam & simulatam intercedere, ideo titulus dominij, alius est verus, alius apparens; ex vero titulo dominium acquiritur, ex titulo vero apparenti, non nisi accedente possessione bona fide; & in his conveniunt communiter DD. vide Palaum *d. unica p. 5. num. 3.* Basæum *verbo dominium num. 1. & 2.*

SECTIO III.

Quid sit usufructus; & usus nudus.

SUMMARIUM.

30 *Ponitur ususfructus definitio.*
31 *Ponitur usus nudi definitio.*
32 *An in rebus quæ usu consumuntur usus distinguatur à dominio.*

Dico primo: Vsufructus, est jus utendi, & fruendi re aliena, salva illius substantia. Dicitur jus 30
utendi, & fruendi, ad excludendum nudum usum, qui non est ad fruendum, sed solum ad utendum. Vnde qui habet usumfructum, potest non solum uti fructibus rei, sed alteri utendos concedere; qui vero habet nudum usum, solum habet jus sumendi ex horto, v. g. poma, flores, olera, & ligna, ad usum quotidianum, & in illo ambulare, habitare, prout major, vel minor usus concessus est, non potest tamen hoc jus in alterum transferre, cum sit mere personale. Vsusfructuarius vero potest, siquidem habet plenum usum illius, salva illius substantia, habetque possessionem, & administrationem, & omnes fructus, non tamen illos facit suos, antequam ex arboribus decerptos possideat; unde si moriatur prius, vel alia de causa hortus redeat ad proprietarium, ad ipsum pertinebunt fructus non decerpti, vide Mol *lib. 7. Sanch. in sum. lib. 7. c. 13. n. 2.*

Dico secundo: Vsus nudus rei, est jus utẽdi re alie- 31
na ad proprium tantum, & non ad alienum commodum. Dicitur jus utendi, ut distinguatur ab usu facti, qui non est jus, sed usus, potest namque alicui concedi usus rei, dependenter à voluntate domini, sicut conceditur convivæ usus cibi, & potus, quo casu, non habet jus utendi re, etsi ejus usum habeat.

Digitized by Google

Additur utendi ad diſtinctionem pignoris, depoſiti, & hypothecæ quibus depoſitarius, & creditor, invito domino, uti non poteſt. additur illa particula, tantum, ad diſtinctionem uſusfructus, qui in fructuarij, & aliorum commodum eſſe poteſt. Tandem additur, rei alienæ, nam uſus, quem dominus rei habet, quemque caſualem appellant juriſtæ, quia ex dominio rei cauſatur, longe diverſus eſt, ab hujuſmodi uſu, ut de ſe conſtat. Vide Baſæum *verbo uſusfructus n.* 1. Decaſtillum *ſup. n.* 34.

32 An autem in his rebus, quæ uſu conſumuntur, ut in cibo, potu, &c. uſus diſtinguatur à dominio? Aliqui negant, quos congerit Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 1. *d.* 5 *n.* 41. Sed contraria ſententia eſt certa, & eam confirmavit Nicolaus 3. *in cap. exiit, qui ſeminat de verborum ſignificationib. in* 6. & ante ipſum Gregorius, & Clemens V. *in Clementina exivi de paradiſo.* & eam tradunt communiter DD. ut teſtatur Decaſtillus *ſup.* Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. cap.* 2. §. 1. *n.* 2. 7. & 8. Palaus *ſup. p.* 5. *n.* 6. Ratio eſt, quia qui habet dominium rei poteſt eam quocunque modo libere diſtribuere, vendere alteri donare, &c. ſed qui uſum duntaxat habet rei, ſolum poteſt uti re illa, juxta voluntatem domini, unde dominus à conviva poteſt eripere cibum, ſine injuſtitia, eſto non ſine magna inurbanitate, dum cibus non eſt conſumptus; ergo uſus ſeparari poteſt à dominio, & de facto ſeparatur in Religioſis omnibus particularibus, qui ſolum habent uſum facti dependenter à voluntate ſuorum ſuperiorum; in hoc enim conveniunt omnes Religioſi cum Fratribus Franciſcanis; differunt tamen, quia illorum monaſteria, & communitates habent dominium perfectum rerum ſibi quocunque modo donatarum, vel acquiſitarum, ſive hæ ſint uſu conſumptibiles, ſive non; at Franciſcana communitas, vel monaſterium, id non habet, quia ſuarum omnium rerum Pontifex dominium retinet. Vnde ſit Religioſos aliorum ordinum uti prædictis rebus dependenter immediate à ſuis ſuperioribus, qui ſunt legitimi adminiſtratores bonorum Religionis; ut Franciſcani dependenter immediate à Pontifice, qui eſt dominus bonorum Religionis Franciſcanæ.

SECTIO IV.

Quid ſit habitatio, Emphyteuſis, & Feudum.

SUMMARIUM.

33 *Ponitur habitationis definitio.*
34 *Ponitur emphyteuſis definitio.*
35 *In quo differat ab uſufructu, explicatur.*
36 *Quid ſit feudum, explicatur.*
37 *In quo differat ab emphyteuſi, explicatur.*

33 DIco primo: Habitatio eſt medium inter uſumfructum, & uſum nudum; cum enim alicui conceditur domus ad habitandum, non eſt ei tantum conceſſus perſonalis uſus domus, ſed & poteſtas ad locandum, non tamen inde ſit habitationem eſſe uſumfructum, ſiquidem habitatio finitur per ſolam mortem illius, cui conceſſa eſt; uſusfructus vero aliis multis modis finitur, ut infra dicemus. Ita Palaus *d. unica p.* 5. *n.* 8.

34 Dico ſecundo: Emphyteuſis eſt contractus, quo res immobilis alicui fruenda traditur in perpetuum vel ad vitam alicujus, vel ad tempus certum non minus decennio, ſub obligatione penſionis domino proprietatis reddendæ convenit cum uſufructu, quia ex re aliena fructus concedit, differt tamen ab 35
uſufructu communiter ſumpto, quia uſufructus cõſtituitur, etiam in rebus mobilibus, cum tamen emphyteuſis in rebus ſolis immobilibus conſtituatur; præterea uſusfructus morte uſufructuarij finitur, non tamen emphyteuſis. Item uſusfructus nequit in alium transferri, bene tamen emphyteuſis.

36 Dico tertio: Feudum eſt contractus, quo res immobilis, vel quæ pro immobili habetur, alicui fruenda traditur, pro fidelitate, obſequioq; perſonali exhibendo. Differt ab Emphyteuſi, eo quod emphyteuſis in recognitionem dominij directi conſtituit penſionem realem ſolvendam, ut feudum obſequiũ 37
perſonale, quamvis ſæpe loco obſequij perſonalis, realis penſio imponatur, & tunc parum differt ab Emphyteuſi. Duplicem autem modum dominus proprietatis ſervare ſolet in concedendo feudo; primus eſt ſi realem poſſeſſionem rei in feudum traditæ concedat, & tunc dicitur concedere feudi inveſtituram realem, & corporalem, alter eſt ſi annulum, enſem, pilum, aliamve rem concedat in ſignũ feudi ſibi traditi, & poteſtatis proprio authoritate accipiendi illius poſſeſſionem, quiq; appellatur inveſtitura abuſiva. Ita Mol. *tr.* 2. *d.* 10. poſt finẽ.

SECTIO V.

Quid ſit ſuperficies, ſervitus, libellus, & poſſeſſio?

SUMMARIUM.

38 *Quid ſit ſuperficies, exponitur.*
39 *Quid ſit ſervitus, declaratur.*
40 *Quid ſit libellus, exprimitur.*
41 *Quid ſit poſſeſſio, elucidatur.*

DIco primò: Superficies eſt contractus, quo 38
conceditur ſuperficiario alieni ſoli ſuperficies ad domum ædificandam, vineam, vel olivetum plãtandum. Vnde cum non concedatur ſolum, ſed ſuperficies ſoli deſtructa domo, vel vinea, finitur contractus, nec ſuperficiarius poteſt de novo ædificare, niſi denuo contrahat; immo finito cõtractu, domus, & vinea adhærens ſolo, pertinẽt ad dominum ſoli, debet tamen æſtimationem domus, vel vineæ ſuperficiario ſolvere; quia ſunt melioramẽta in re aliena. Dixi adhærens ſolo nam ſi domus ſit nobilis, ita ut non ſit adhærens ſolo; ſed conſtructa ad tẽpus, v. g. tempore nundinarum, tunc pertinet ad ſuperficiarium. Demum durante tempore contractus, poteſt ſuperficiarius domum, vel vineam plantatam alteri locari, irrequiſito domino ſoli, ſi abſque penſione ſolvenda, ſuperficies illi conceſſa eſt; ſecus vero ſi cum obligatione penſionis, quia tunc cenſetur verus ſuperficiei emphyteuta. Ita cum Molina, Rebellus *de oblig. juſtitiæ, lib.* 1. *q.* 7. *ſect.* 3. *n.* 30.

Dico ſecundo: Servitus eſt ſubjectio, qua res 40
aliena alicui, ejuſve rebus ſervire adſtringitur. Dicitur qua res aliena, quia licet quis rebus propriis utatur, utitur illis tanquam ſuis, & nemo ſibi ipſi obligari poteſt. Vnde obligatio quam habet mancipium obſequendi domino ſuo, propriè non eſt ſervitus, quia mancipium totum eſt domini, & dominus eo utitur tanquam re propria. Servitus igitur eſt triplex, alia mere perſonalis, quæ à perſona perſonæ debetur, ut ſi quis alicui concedat quod ſuus ſervus ei aliqua miniſteria exhibeat. Alia eſt ſervitus mixta, quia à re debetur perſonæ,

uti

uti est usufructus, feudum, emphyteusis, habitatio, nam usufructuario, habitatori, & emphyteutæ, res in usumfructum, habitationem, emphyteusim concessa, immediate subjicitur ad usum, & fruitionem: Alia est servitus realis, quæ rebus alicujus immediate, & mediantibus rebus personæ debetur. Hæc autem subdividitur in urbanam, & rusticam: urbana est, quæ ædificio cum horto suo, & nemore, causa habitandi confecto debetur. Rustica est quæ rusticano prædio debetur. Quælibet autem ex his servitutibus subdividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa positivum actum respicit, negativa illius negationem. Item subdividitur in continuam, & discretam; continua est, quæ continuo reipsa, vel animi præparatione servit, discreta, quæ per intervalla servit, juxta domini beneplacitum de quibus videri potest Molina *tr.* 2. *de justitia d.* 11. *per totum.*

40 Dico tertio: Libellus nihil aliud est, quam emphyteusis, seu feudum subalternum, est enim contractus, quo emphyteuta, seu feudatarius, rem in feudum, seu emphyteusim concessam in alterum transfert pro pensione sibi solvenda & ideo DD. passim feudum, & emphyteusim, libellum appellant, & è contra de quo vide Molin. *tr.* 2. *d.* 10. *per totum.*

41 Dico quarto: Possessio, quæ à pedum positione dicitur, est tentio vera, vel ficta rei corporalis corpore, & animo, jurisque adminiculo: dicitur tentio, quia ad acquirendam possessionem debet res possidenda, vel pedibus tangi, vel manibus teneri. Dicitur vera, vel ficta, quia aliquando possessio comparatur. Nulla reali apprehensione intercedente, sed solum ex interventu alicujus actus, qui ex juris dispositione reali apprehensioni æquivalet. Dicitur rei corporalis, quia illius propria est tentio, & apprehensio, nam incorporalia, scilicet beneficia, commendæ, jura, servitutes, & similia, cum non propriè apprehendantur, non propriè possidentur, sed quasi possidentur, quamvis jam frequens doctorum sententia, his etiam incorporalibus propriam possessionem concedat. Denique subjungitur ex juris adminiculo, hoc est, cui jus non obstet, nam si jus obstet, ut obstat, ne laïcus bona ecclesiastica possideat, apprehensio quantumvis continuata possessionem, nec juris, nec facti inducit. Vide Rebellum *lib.* 1. *q.* 8. *sect.* 1. Lessium *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 40.

DISPUTATIO III.

Penes quos possit esse dominium?

SECTIO I.

Utrum sola natura rationalis sit capax dominij?

SUMMARIUM.

42 *Sola natura rationalis est capax dominij.*
43 *Deus in omnes creaturas habet dominium; Angeli vero propriè non habent dominium?*
44 *Solum hominibus convenit dominium in res creatas.*
45 *Parvuli ante usum rationis, & amentes habent verum dominium.*

Dico primo: Sola natura rationalis est capax dominij, solus enim ille potest habere jus, qui est capax injuriæ patiendæ, sed sola natura rationalis est capax injuriæ patiendæ, siquidem ad injuriam requiritur involuntarium, quo carent irrationalia: ergo. Hinc fit dominium solum convenire Deo optimo maximo, angelis, & hominibus. Deus in omnes creaturas habet dominium absolutissimum, & prorsus independens. Angeli propriè non habent dominium, nisi suarum actionum, quamvis propter magnam authoritatem, quam habent administrandi res corporales, possint dici habere illorum dominium, licet tale non sit, quale est humanum. Unde solis hominibus convenit propriè hoc dominium in res externas, cum illis solis, res istæ concessæ sint, ut de illis libere disponant ad sua commoda. Ita communiter DD. 42 43 44

Dico secundo: Parvuli ante usum rationis habent verum dominium. Et idem de amentibus dicendum est, supplet enim respublica acceptationem illorum, acceptando dominium pro illis, sicut etiam acceptat, pro nondum nato, vel concepto, quando testator reliquit legatum filio, qui nasciturus est ex Maria, v. g. ut optime explicat Lugo *de justitia d.* 3. *num.* 16. & 17. 45

SECTIO II.

Utrum vere servi, & propriè mancipia habeant aliquarum rerum dominium?

SUMMARIUM.

46 *Vere servi non habent dominium perfectum, & independens à dominorum potestate.*
47 *Plures dantur casus in quibus servi dominio potiantur, etiam in foro conscientiæ.*
48 *Ponuntur casus, in quibus habent dominium.*
49 *An si dominus in prædictis casibus prædicta bona à servo auferat ei faciat injuriam?*
50 *Ponitur Authoris sententia.*
51 *Si servus moriatur ab intestato, hæc bona de quibus habet dominium cui acquirantur?*

Dico primo: Vere servi, & propriè mancipia, de jure gentium, & communi non habent dominium perfectum, & independens à dominorum potestate circa bona temporalia, nam vitæ, membrorum, honorisque; certum est habere dominium ut patet ex inst. per quas personas nobis aqui. §. *item vobis.* Quia tamen leges, quæ dominio temporalium servos privant sunt usu ipso mitigatæ, plures dantur casus, in quibus servi dominio temporalium, etiam in foro conscientiæ potiuntur, taliter ut si à domino eis priventur, invito servo, dominus teneatur restituere, vel possit servus occulte sibi compensare. 46 47

Primus casus est: si dominus tacite, vel expressè consentiat servum habere peculium. 2. Si aliquid servo donetur, vel legetur ea conditione, ut id ad dominum non perveniat, vel si ei detur aliquid, quo se possit redimere. 3. Si aliquid servo relinquatur absolutè, vel ob ejus amorem, vel si ejus consanguinei longè dissiti ipsi aliqua dona mittant. 4. Si servo aliquid donetur ob compensationem injuriæ sibi illatæ. 5. Si servus pecunia sui peculij aliquid ludo, vel sorte, vel negotiatione lucretur. 6. Si aliquid sibi subtrahat ex his, quæ sine domini in- 48

commodo

commodo poterat libere expendere. 7. Si quid acquirat faciendo alia opera præter illa, quæ dominus præscripsit. Ita & bene cum Lessio, Molina, Tamburinus, *lib.8.cap.1.§.1.à num.1.* Villalobos, *tom.2.tract.10.dif.5.num.4.* Basæus *verbo dominium 1. n.7.* contra Trullenc. *lib.7.cap.2.d.4.n.5.* qui licet concedat dominium imperfectum prædictis servis in prædictis casibus, non tamen perfectum, ac per
49 consequens asserit, nullam fieri injuriam servo, si à dominis prædicta bona eis auferantur, nec eos posse occulte sibi compensare, nec dominos teneri restituere.

50 Sed nostra sententia probabilior est, cum jam leges eos privantes dominio in prædictis casibus sint mitigatæ, & aliàs illi ex se non sunt incapaces dominij, ut sunt Religiosi ratione voti paupertatis, ut bene advertit Trullenc. *ibi num.1.* per quod solvitur argumentum Caramuel *in Theologia morali num.386.* Si enim Religiosorum paupertatis votum à Pontifice esset mitigatum, proculdubio essent capaces dominij, ut recte cum Sperel. notat Tamburinus *sup. num.14.*

51 An autem si servus moriatur ab intestato ejus bona, in quibus diximus habere perfectum dominium domino acquirantur, vel fisco, aut heredibus? Respondeo acquiri domino. Ita Tamburinus *sup. num.22.* Ratio est quia cum servus solum ex benigna legum interpretatione posset de eo peculio disponere, si de facto non disposuit, redit domini jus. Excipe nisi servus haberet filios indigentes alimentis, nam tunc censendus est disposuisse pro filiorum alimentis, quasi pro suo casu. Ita Tamburinus *ibi.*

SECTIO III.

Utrum filij familias habeant aliquarum rerum dominium?

SUMMARIUM.

52 *Explicatur quid sit peculium castrense, quasi castrense, adventitium, & profectitium.*

53 *Filius familias in peculio castrensi, & quasi castrensi habet plenum dominium.*

54 *In peculio adventitio habet dominium, non vero usum.*

55 *In peculio profectitio, tam dominium directum, quam utile est apud parentes.*

52 Dico primo: Filiis familias quadruplex genus peculij potest competere, castrense, quasi castrense, adventitium, profectitium: peculium castrense dicitur quod militiæ vel occasione militiæ partum est. Quasi castrense dicitur omne id, quod ex beneficio ecclesiastico acquiritur, immo quidquid acquiritur per clericatum, etiamsi alias esset adventitium, præterea quidquid acquiritur officio publico non mechanico, ut judicis, advocati, Tabellionis, medici, Lectoris, &c. vel per donationem principis. Adventitium est, quod filius aliunde, quam ex re patris, vel propter patrem consequitur; quare quod filius à matre, vel ab avis maternis, vel ab aliis extraneis accepit adventitium est. Profectitium vero est, quod ex bonis patris, ejusve causa, seu proxime propter ipsum ad filium profiscitur, modo castrense non sit, vel quasi castrense. Ita cum communi sententia Basæus *verbo dominium 1.n.6.* Tamb. *lib.1.c.3.§.7.n.3.4.& 5.*

53 Dico secundo: Filiusfamilias in peculio castrensi, & quasi castrensi habet plenum dominium, & de eo disponere potest, sive in vita, sive in morte per testamentum, prout voluerit, nec pater de his potest aliquid usurpare, nisi forte pro alimentis ipsius filij, alias volente filio tenebitur restituere.

54 In peculio vero adventitio habet filius dominium, non tamen usumfructum; nam hic pertinet ad patrem, nisi pater illud filio concedat, vel nisi aliquid donetur filio ea conditione, ut parens usumfructum non habeat, vel nisi ei donetur contradicente patre, vel nisi filio ususfructus relinquatur.

55 In peculio vero profectitio dominium, tam directum, quam utile est apud parentes. Vide Basæum *suprà*, Lugum *tomo 1. d.5. per totum* Trullenc. *lib.7.cap.2.d.3. per totum.*

SECTIO IV.

Utrum Religiosi habeant aliquarum rerum dominium.

SUMMARIUM.

56 *Religiosi professi solemniter sunt incapaces dominij, ususfructus possessionis, &c.*

57 *Qui tantum habent votum simplex paupertatis sunt capaces dominij, privantur tamen potestate utendi absque consensu superioris.*

58 *Religiosi beneficiati, etsi sint incapaces dominij possunt habere administrationem fructus suorum beneficiorum.*

59 *Eos possunt expendere in pias causas, & sui sustentationem.*

60 *Idem dicendum est de religiosis factis Episcopis.*

56 Dico primo: professi solemniter sunt in particulari incapaces cujuscunque dominij, ususfructus, possessionis, & similis juris rerum temporalium, tam mobilium, quam immobilium; quia per votum paupertatis ex ordinatione Ecclesiastica fit religiosus incapax omnis juris temporalis. Ita communiter DD. & patet *ex Trid. sess.25. cap.2. de regularibus, & ex cap. non dicatis. 12. quæst.1. cap.*
57 *cum ad monasterium de stat. reg.* Dixi religiosi solemniter professi, nam qui tantum habent votum simplex paupertatis, ut sunt Patres societatis primæ professionis, non sunt incapaces dominij, sed tantum privantur potestate utendi, vel disponendi absque consensu superioris.

58 Dico secundo: Religiosi beneficiati, etsi sint incapaces dominij possunt habere administrationem fructus suorum beneficiorum, & eos possunt
59 expendere in pias causas, ultra suam congruam sustentationem, tum ex voluntate superiorum, tum quia id jure, & consuetudine eis concessum est, non tamen eos possunt expendere in usus illicitos, nec ditare ex eis suos amicos, vel consanguineos. Et idem dicendum est de religiosis factis Epis-
60 copis. Ita cum Ledesma, Navarro, & aliis, Basæus *verbo dominium 1. num.9.* Quomodo autem Religiosi non obstante voto solemni paupertatis, possint dare, recipere, vel commutare, & alia plura efficere? vide quæ diximus in nostro Directorio regularium agentes de voto paupertatis, ibi enim hæc, & plura alia ut in proprio loco late discussa sunt.

SECTIO

SECTIO V.

Utrum Clerici habeant aliquarum rerum dominium?

SUMMARIUM.

61 *Clerici non religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium.*
62 *Idem dicendum est de bonis quasi patrimonialibus, quæ ut clerici acquirunt.*
63 *Idem dicendum est de parte fructuum beneficiorum, quæ eis datur pro eorum sustentatione.*
64 *An habeant dominium in ea parte fructuum, quæ est superflua sua sustentationi.*

61 DIco primo: Clerici non religiosi habent verum dominium suorum bonorum patrimonialium, & de illis, ut laïci possunt disponere. Et idem dicendum est de bonis quasi patrimonialibus, ut
62 sunt ea, quæ acquirunt ut clerici ministeriis clericorum absque beneficio, ut celebratione, concionibus, vicaria temporali, distributionibus quotidianis, stipendiis pro sociando funere, eleemosynis pro processione peragenda visitando Episcopatum, ferendis sententiis, causis peragendis, pro agendo
63 aliquo negotio Ecclesiæ, pro industria personali, pro labore, aut donatione, hereditate, contractu, pro organis pulsandis, insufflandis tibiis, audiendis confessionibus, &c. Et idem dicendum est de ea parte fructuum beneficiorum, quæ eis datur ad sustentationem; in hoc conveniunt omnes DD. ut testatur Basæus *sup. n.* 11.

64 An autem prædicti beneficiarij habeant dominium in ea parte fructuum, quæ est superflua suo statui, & decenti sustentationi, ita ut si eam expendant in usus profanos, non teneantur restituere? probabilior tenet sententia. Ita cum D.Th. Sylvio, Layman, Valentia, Bonacina, Basæus, *sup. num.* 12. Tamburin. *lib.* 8. *cap.* 2. § 4. *num.* 1. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 6. contra Navarr. & alios, quos ibi referunt. Ratio est, quia conducens bona beneficij, dominium habet fructuum, qui ex hujusmodi bonis præcipiuntur, ergo etiam dominium eorum habet beneficiatius, qui hujusmodi bona locat; alioquin plus juris in alium transferet, quam ipse habeat, contra textum *in cap. nemo potest de reg. juris in 6.* Peccaret tamen beneficiarius superflua in usus profanos, & non in opera pia expendendo, contra præceptum Ecclesiæ *in Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *de refor.* Ita cum citatis DD. Basæus *suprà num.* 12. Trullenc. *suprà num.* 9.

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi dominium.

SECTIO I.

Utrum omnia homine inferiora cadant sub hominis dominio?

SUMMARIUM.

65 *Omnes res externæ usibus humanis subjectæ cadunt jure naturæ sub dominio hominis.*
66 *Quomodo id sit intelligendum explicetur?*
67 *Rerum divisio, & privatum eorum dominium, non repugnat juri naturali.*
68 *Dominiorum divisio post Adæ peccatum licita fuit, & commoda generi humano,*
69 *Rerum divisio introducta est jure gentium.*

DIco primò: Res omnes externæ usibus humanis subjectæ cadunt sub dominio hominis jure naturæ, ut agri, montes, plantæ, bestiæ, metalla, & similia; cælorum autem, & astrorum propriè non est homo dominus, etsi enim pro hominibus condita sint, ut eorum usibus famulentur, non tamen de eis potest disponere, sicut de rebus inferioribus; est tamen homo dominus effectuum illorum, ut luminis, caloris, auræ, salubritatis; quia his utitur quodammodo, sicut aliis rebus externis; Potest etiam homo dici dominus cœlorum, & astrorum, quatenus in obsequium illius facta sunt. Vide D. Th. 1. *p. q.* 6. *art.* 2. 65

Quando autem dicimus hominem jure naturæ habere dominium in res inferiores, non est intelligendum, quasi singuli habeant completum dominium à natura, sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, & earum dominium completum comparandi, hoc enim jus est unicuique concessum à natura in quamlibet rem, ut eam occupare, sibique vindicare possit, si ab alio antea occupata non fuerit. Ita Lessius, *lib.* 2. *cap.* 4. *d.* 8. *n.* 1. & cum aliis Basæus, *verbo dominium* 2. *n.* 1. 66

Dico secundo: Rerum divisio, & privata earum dominia, non repugnant legi naturali, immo lex naturalis concedit potestatem dividendi bona, eaque propria efficienda. Hinc dominiorum divisio post Adæ peccatum, non solum fuit licitum, sed etiam commodum generi humano; quia magis solitus est quisque ad sua servanda, quam ea, quæ cæteris communia sunt, & sic pacificus hominum status melius conservatur. Hæc autem rerum divisio non est introducta jure naturali, nec divino positivo, nec civili, sed jure gentium, seu communi consensu populorum. Ita cum D. Th. & aliis communiter Basæus *sup. num.* 1. 67 68 69

SECTIO II.

Quibus modis acquiratur dominium.

SUMMARIUM.

70 *Ex legibus ad acquisitionem dominij requiritur titulus, & traditio.*
71 *Duplex est titulus, verus, & præsumptus, & quid uterque sit?*
72 *Dantur aliqui casus in quibus dominium datur sine traditione, qui referuntur.*
73 *Jure naturæ non est necessaria traditio.*

DIco primo: Duo regulariter ex legibus requiruntur ad acquirendum dominium, scilicet titulus, & traditio, ut patet ex §. per traditionem, & sequentibus *inst. de rer. divis. l. tradit. Cod. de pactis.* Titulus est principium, basis, radix, & veluti causa moralis, ex qua nascitur dominium. Duplex autem est titulus, scilicet verus, & præsumptus; verus est v.g. emptio, legitima donatio, hereditas, legatum, &c. & in rebus incorporeis electio, collectio officij, &c. Præsumptus est, cum 70 71

Digitized by Google

præsumitur venditionem, electionem, successionem adesse, quæ tamen revera non adest, sed sola venditionis, electionis, successionis, simulatio.

72 Dixi quod duo regulariter requiruntur, sunt namque plures casus, in quibus ex juris dispositione dominium ex titulo transfertur, tametsi traditio non intercedat; nam cum translatio dominij ex Principis voluntate pendeat, lege statui potest solo titulo transferri, nulla reali traditione intercedente. Primus est in beneficiis Ecclesiasticis, quæ sola collatione acceptata, absque traditione, seu possessione jus in re, & dominium comparari potest. Secundus Legatarius, & hæres rei determinatæ acquirunt dominium bonorum defuncti sola acceptatione hæreditatis, vel legati. Tertius Loca pia, & civitates acquirunt dominium rerum donatarum, vel venditarum ante rei traditionem, vel possessionem. Et denique, si Princeps det feudum explicando se velle transferre dominium ante possessionem feudatarij, sane transfert; in quibus casibus prædicti acquirunt, non solum jus ad rem, sed etiam jus in re. Ita cum multis Palaus *d. unica p. 9. per totum.* Tamb. *lib. 8. cap. 3. n. 2.*

73 Dixi ex legibus, nam jure naturæ non est necessaria ipsa traditio, est tamen rationi congruum, ut tunc transferatur, seu acquiratur dominium rei, quando res, quæ erat in manu, & possessione materiali unius, transit in manum alterius. Quomodo autem acquiratur dominium, seu hujusmodi titulus, & legitima possessio, tum in homines, tum in animalia, tum in bona mobilia, & immobilia? in sequentibus sectionibus explicabimus.

SECTIO III.

An & quomodo possit unus homo acquirere dominium alterius hominis.

SUMMARIUM.

74 *Licitum est homini dominium in alterum hominem tanquam in servum.*

75 *De jure Cæsareo quatuor dantur tituli, quibus acquiritur dominium in homines, qui ibi exponuntur.*

76 *Ut venditio libera hominis licita sit, aliquas requirit conditiones de jure Cæsareo.*

77 *Ubi jus Cæsareum non est receptum venditio hominis sine prædictis conditionibus valida est de jure naturæ.*

78 *Quædam corollaria ponuntur.*

79 *An apud barbaros fas sit emi in servum eum, qui extrema, vel gravi necessitate compellitur se vendere.*

80 *Quid dicendum sit de emptione Æthiopum, Brasilienſium, &c.*

74 Dico primo: Licitum est homini dominium in alium hominem, tanquam in verum servum. Constat ex multis locis sacræ scripturæ, & ex patribus, quos congerit Fagund. *de justitia lib. 2. cap. 1. num. 1. & 2.* Quatuor autem titulis dominium in
75 homines acquiritur, primo jure belli, quando quis in justo bello mancipium fit capientium, inter Christianos autem hoc jus non servatur ob consuetudinem contrariam jam præscriptam. Dixi in justo bello, nam si bellum fuerit injustum, inique contrahitur servitus; in casu autem dubij justitiæ belli, contrahitur servitus ex parte aggredientium, non vero se defendentium, ut optime notat Palaus *d. unica de justitia, p. 9. n. 3.* contra Lessium, & alios, qui putant contrahi etiam ex parte defendentium.

Secundus titulus est nativitatis, qui enim nascitur à matre ancilla, sive pater liber sit, sive non, fit servus; quia partus sequitur ventrem. Excipe nisi mater tempore conceptionis, vel partus, vel intermedio tempore, libera sit; proles namque inde nata assequitur libertatem, cui libertati servitus matris postea contingens, non præjudicat ut patet *ex §. sed ersi quis instit. de ingenuis.* Palaus *suprà num. 11.*

Tertius titulus est, justa condemnatio, sicut enim quis ob delicta ad mortem naturalem, ita ad servitutem, quæ mors civilis est, condemnari potest. Ita cum communi sententia Fagund. *lib. 2. de justitia cap. 1. num. 7.* Balæus *in supplemento, verbo servus, num. 8.* & patet *ex cap. eos quæst. 32. dist.* Delictum autem ob quod talis pœna imponi potest, debet esse dignum morte, vel mutilatione, ut colligitur *ex §. servi, de jure personarum.* Palaus *de justitia d. unica p. 9.* ubi aliqua crimina hac pœna digna refert. Immo non solum ob crimen proprium, sed etiam parentum possunt filij, etiam impuberes in servitutem redigi ut recte notat Fagundez *suprà num. 8.*

Quartus titulus est emptio, & venditio: homo 76
enim antea liber potest se ipsum vendere in servum, non enim est minus dominus suæ libertatis, quam honoris, & famæ, & pecuniæ. Ut tamen venditio libertatis valida sit, de jure Cæsareo quinque conditiones requiruntur. Prima ut quis non seipsum immediate vendat, sed per alterum. 2. Ut qui patitur se vendi sit major viginti annis. 3. Ut intendat esse particeps pretij, & quod reipsa sit particeps pretij. 4. Ut emptor credat illum esse servum. 5. ut qui venditur sciat se esse liberum, ante venditionem; quacunque autem harum conditionum deficiente venditio est nulla: conceditur que vendito proclamatio ad libertatem; & hæc omnia constant *ex l. 1. & 4. ff. quibus ad libert. l. si ministerium Cod. de libert. & l. homo liber, ff. de statu hominum.* Hoc tamen jus solum habet vim, ubi jus Cæsareum est receptum.

Loquendo tamen de jure naturali, ubi tale jus 77
Cæsareum non est receptum, certum est venditionem sine prædictis conditionibus esse validam, quia volenti, & consentienti non fit injuria. Ita cum communi sententia Balæus *supra num. 6.* Hinc fit jure naturæ fas esse parentibus vendere filios suos, & licet jus Cæsareum, ad hoc etiam requirat quatuor conditiones, scilicet ut hoc fiat in magna, & urgenti necessitate patris, & quod id soli patri liceat, & quod solum possit vendere filium non emancipatum, & quod filius sic venditus possit pretio oblato, vel alio mancipio recuperare libertatem; hæ tamen conditiones solum habent locum 78
ubi jus Cæsareum viget, ubi vero non viget standum est consuetudini, & juri positivo cujuscunque regni; vel provinciæ. Ita Molin. *tr. 2. d. 33.* Diana *p. 7. tract. 7. resol. 8.* Fagund. *de justitia l. 2. cap. 1. n. 9.* Balæus *sup. num. 10.* Immo apud Christianos talis venditio non est usu recepta, quia parentibus etiam extreme laborantibus, potest filius aliis remediis providere, ut si operas suas pretio debito locaret. Ita cum Fausto, Balæus *sup. n. 10.*

An autem apud Barbaros, & infideles fas sit emi 79
in servum eum, qui extrema vel gravi necessitate

compellitur

compellitur ſe vendere, An potius in tali caſu teneamur ei op tulari? Reſpondeo teneri, non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia pretium pro illis gratis exhibere, patienti enim extremam neceſſitatem tenetur quis ea illi donare, quæ ad illius remedium neceſſaria ſunt, non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia; quia in diviſione rerum jure gentium introducta, caſus extremæ neceſſitatis exceptus eſt, & ſub eo onere ſingulis applicata ſunt bona, ut proximo extreme indigenti concedatur; injuſtus ergo erit qui ob pretium alteri debitum, ab eo libertatem eripiat. Ita Palaus *diſp. unica de juſtitia, p. 9. num.* 8. contra Mol. Fagund. & alios. Poſſet tamen quis in hoc caſu à prædicto ſic erepto ab extrema neceſſitate obſequia exigere pretio adæquantia, dummodo talia obſequia non dedeceant ejus ſtatui, ut eſt ſervitus. Palaus *ibi num.* 9. Et idem dicendum eſt de filiis venditis à parentibus in extrema neceſſitate, ſolum enim eſt licitum à parentibus graviter indigentibus filios emere, maximè illis, qui ſuperflua non habent. Palaus *ſup. num.* 9.

80 Et ex his titulis infertur, qualiter emptio Æthiopum, Braſileenſium, Japoniorum, & Synarum, aliorumque ſimilium licita, vel illicita ſit? nullus enim in ſervitutem redigi poteſt, niſi bello juſto captus, vel alicujus gravis criminis reus, vel ob remedium famis, vel alterius neceſſitatis voluntarie venditus, aut ex ancilla natus. Qui tituli, an ſemper intercedant in horum Nigritarum venditionem, ipſi mercatores videant. Non tamen ſunt facile condemnandi, qui talem mercaturam exercent, ut ſunt noſtri Luſitani in Regnis Angelæ, Guineæ, Manoxengi, Æthiopiæ, in imperio Manamotapiæ, & Indiæ. & in Aſia, in Regnis Japonum, & in Regnis Synarum, & Braſilienſium, Lavenſium, Malacenſium, & in Inſula Sulena, & Maranhone, ut recte probat Fagund. *lib. 2. de juſtitia cap. 2. per totum*; raro enim in venditione horum Nigritarum aliquis expeditus titulus deſit; cum gentes illæ perpetuis bellis, vel cum ipſis Luſitanis, vel inter ſeipſos inficiantur. Mercatores tamen in illis partibus commorantes debent diligenter examinare jus, quo quiſque ex illis nationibus pro ſervo venditur.

Qui autem in Oliſipone illos emunt de navigiis, & gregibus, qui ad nos veniunt, non ſunt obligandi ad ſimilem inquiſitionem, ſed rationabiliter poſſunt credere, inde à Chriſtianis mercatoribus non aſportari, niſi ſervos, & mancipia boni tituli. Fagund. *ſup. num.* 12. & cum Mol. Rebello, Palaus *ſup. num.* 11. Hæc tamen præſumptio quoad Japones, & Synas, & Braſileenſes, & Maranhonios, intercedere non poteſt, cum inter illos nulla ſervitus introducta ſit, & quoad Braſilienſes, & Maranhonios, patet ex lege Regis Sebaſtiani, anno Domini 1570. Ideoque pro horum licita, & valida emptione, titulus manifeſtus eſſe debet, ut recte cum prædictis doctoribus notat Palaus *ſup. n.* 11. in fine.

SECTIO IV.

Quo uſque ſe extendat jus dominiorum in ſervos, & an illis fas ſit fugere ad ſuos?

SUMMARIUM.

81 *Domini debent tantum uti ſervis ad juſta, & rationabilia ſervitia.*

82 *Domini poſſunt ſervos corrigere, & eorum crimina moderate punire.*

83 *Si dominus hac poteſtate abutatur poſſunt ſervi implorare officium judicis.*

84 *Servus bello juſto captus poteſt licite fugere ad ſuos, non inferendo tamen vim domino.*

85 *Servus emptitius non poteſt licite fugere, niſi vel inducatur ad peccatum, vel inhumaniter tractetur.*

Dico primo: Licet Dominorum jus in ſervos ſit ſatis amplum, ſiquidem complectitur omnes eorum operas, & fructus; Nihilominus Domini debent tantum ſervis uti ad juſta, & rationabilia ſervitia; Unde non poſſunt eos cogere ſubire periculum vitæ, vel laborare in tritemibus, aliudve ſimile munus præſtare; quia hæ non ſunt actiones, quæ ſervis communiter imperantur. Ita cum Rebello, Palaus, *de juſtitia diſp. unica p. 12. num.* 12. Nec poſſunt eorum impedire matrimonia, illiuſque moderatum uſum, nec quod alia Sacramenta Euchariſtiæ, & pœnitentiæ frequentent, juxta arbitrium prudentis viri, ut cum Rebello, ex Auguſtino, notavit Palaus *ſup. num.* 1. 81

Dico ſecundo: Domini poſſunt ſervos corrigere, & eorum crimina punire; debet tamen punitio eſſe moderata, ut uno, vel altero die cibo auſteriore ad jejunium cogere, per aliquot dies recludere, compedibus ligare, verberibus moderatis afficere, raro tamen lagimine ardenti impingere; quod ſi ſervorum exceſſus, gravius ſupplicium exigat, adiri debet poteſtas publica *juxta l. unicam, §. ult. Cod. de emendat. propinquor.* Palaus *ſuprà numero* 2. 82

Dico tertio: Si Dominus poteſtate abutatur durius ſervos puniens quam par eſt; poſſunt ſervi judicis officium implorare & judex ſi ita inveniat poteſt ſervum alteri vendere & Dominum punire: Immo tantus poteſt eſſe exceſſus injuriæ factæ ſervo ut ſola libertatis conceſſione poſſit recuperari ut colligetur ex *ex §. ult. inſt. & de his qui ſunt ſui vel alieni juris & l. 1. §. ſervos & §. quod autem ff. de officio præfecti urbis*, quod efficacius procedit cum dominus ſervos ad peccandum compellit ut patet *ex l. lenones, Cod. de Epiſcopis audient.* Palaus *ſuprà num.* 3. 83

Dico quarto: Servus bello juſto captus, poteſt licite fugere ad ſuos, non inferendo tamen vim domino, & hac fuga libertatem conſequitur eo ipſo, quoad ſuos pervenit, vel ad amicam Civitatem, in qua publice tutus ſit; hac enim conditione introducta fuit hæc ſervitus de jure gentium. Dixi vel ad amicam civitatem, in qua publice tutus ſit; nam ſi fugiat ut vagetur per regnum cui ejus dominus ſubditus eſt, vel per aliud etiam hoſtile ſuæ patriæ, peccat mortaliter, & non conſequitur libertatem; ut recte cum Leſſio, notat Lugo *de juſtitia d. 6. num.* 27. 84

Dico: quinto Servus emptitius non poteſt licite fugere, niſi vel ad peccatum inducatur, vel inhumaniter tractetur, neque ei ſuppetat alia via evadendi periculum, quo eventu libertatem non conſequitur, ſed ceſſante periculo redire tenetur, niſi forte tantus fuerit exceſſus, ut merito libertate ſit compenſandus. Palaus *ſup. num.* 4. 85

SECTIO V.

Quibus modis servi à servitute contracta liberentur?

SUMMARIUM.

86 *Servi liberantur à servitute, si dominus eos manumittat, exponat, vel ægrotos deserat.*
87 *Si sacris ordinibus initiantur, si dominus servum adoptet in filium, si servum hæredem, vel suorum filiorum tutorem relinquat.*
88 *Si dominus servum ad aliquod peccatum mortale compellat, sed hoc post sententiam judicis.*
89 *Si dominus paganus, vel Judæus, vel hæreticus servum Christianum emat ad sibi serviendum.*
90 *Si dominus ancillam usque ad mortem habuit concubinam.*
91 *Si servus contraxit matrimonium cum libera servitutis ignara, sciente domino, & qualitatem servitutis non detegente.*

86 DIco primo: Præter fugam, & reditum ad suos, de quo jam sectione præcedenti diximus; sunt alij modi acquirendi libertatem: primus per domini manumissionem; sive dominus gratis, sive ex pretio, & conventione servum manumittat. Secundo, si dominus servos exponat, vel expositionem ab alio factam approbet, vel ægrotos deserat, vel alimenta necessaria perseverantes neget, ut patet ex cap. unico de infantib. & languidis expositis
87 *l. 2. & 3. l.* de Latina libertate tollenda. Tertio si sacris initietur domino sciente, & non contradicente. Quarto si dominus servum adoptet in filium. Quinto si suum hæredem, vel suorum filiorum tutorem relinquat. Sexto si servus à domino compellatur, ut se circumcidat, vel Judaïcos ritus sequatur,
88 vel ad aliquod peccatum mortale compellatur, sed hoc post sententiam judicis debet intelligi. Palaus *d. unica, p.* 11. *num.* 9.

89 Septimo: Si dominus Judæus, vel paganus, vel hæreticus servum emat ad sibi serviendum, qui Christianus sit, vel talis efficiatur, domino in infidelitate perseverante, eo ipso libertatem assequitur, nullo pretio postulato, quam non amittit tametsi postea dominus convertatur ad fidem. Ita habetur *l. Deo nobis,* §. 11. *ita Cod. de episcop. & cleric.* Quod si ipsi infideles Christiano principi subjecti mercimonij causa servum infidelem emant, ipseque servus suscipere baptismum velit, tenetur dominus intra tres menses eum venalem exponere, ut ipse, vel per se, vel per alium se redimat. Ita habetur *in cap. fraternitatem* 54. *dist.* Fagund. *de justitia lib. 2. cap. 6. num.* 2. Octavo si dominus an-
90 cillam habuit concubinam, & in concubinatu usque ad mortem perseveravit, si eam, & filios ejus relinquit servos consequitur libertatem *l. ult. Cod. communia de manumissione.*

91 Nono: Si servus contrahat matrimonium cum persona libera servitutis ignara, sciente domino, & qualitatem servitutis non detegente, consequitur libertatem, ut dicitur *Authentica de nuptiis, §. si vero ab initio.* Eandem libertatem consequitur ancilla, cui dominus dotem constituit, tametsi ille cui nubit servitutem agnoscat, quia dotis constitutione, utpote propria liberorum hominum, censetur eam manumittere. Ita cum Mol. Rebell. Palaus *suprà num.* 1. Decimo domino in hæresi incidente, tametsi postmodum Ecclesiæ reconcilietur, ejus servi ex multorum Doctorum sententia, quos refert Fagund. *sup. n.* 5. libertatem consequuntur, quamvis in hoc Lusitaniæ Regno, in praxi tribunalis S. Inquisitionis, contraria opinio, ut probabilior observetur, ut testatur Fagundez *suprà num.* 8.

SECTIO VI.

Qualiter dominium animalium acquiratur & acquisitum deperdatur.

SUMMARIUM.

92 *Animalia alia sunt natura mansueta, alia fera.*
93 *Animalia natura sua mansueta non licet alicui capere, etsi longe aberrent.*
94 *Quid si hominum industria mansueta sint, & dominum fugiant?*
95 *Quædam corollaria ponuntur.*
96 *Quando aves natura sua feræ, quæ alicujus industria mansuetæ sunt, censeantur recipere priorem libertatem?*
97 *Dominium fera percussa est penes ferientem si eam insequebatur, & moraliter esset capturus.*
98 *Quid si fera quam unus prosequitur incidat in laqueum alterius?*
99 *Quid si quis nassam in flumine positam à piscatore elevet, & pisces in ea inclusos extrahat, & nassam eodem loco reponat?*

SUppono: Animalia alia esse naturâ suâ mansueta, ut sunt oves, boves, porci, gallinæ, anseres domesticæ; alia naturâ suâ fera, ut sunt lepores, cervi, perdices, & omnes pisces; alia partim fera, partim domestica, tametsi sint ejusdem speciei, ut anseres, cuniculi, columbæ, hominum tamen industria, quæ sunt fera mansuescunt, quæve mansueta sunt sibi relicta fera redduntur: His suppositis, 92

Dico primo: Animalia natura sua mansueta non licet cuipiam capere, neque capienti cedunt, tametsi longe aberrent, quia intelliguntur habere dominum. Unde quocunque loco reperiantur, domino restituenda sunt; animalia vero fera fas est cuique prosequi, & capere, & capientis fiunt, sive ea capiat in proprio, sive in alieno agro; Excipe nisi in aliquo vasto loco ab aliquo teneantur inclusæ, nam dum terminum reclusionis non evadunt, non possunt ab alio aucupari. Secus si locum reclusionis evadant, quia tunc sub nullius sunt dominio. Ita cum Molina, Layman, Palaus, *d. unica de justitia, p.* 12. *num.* 5. 93

Animalia vero quæ hominum industria mansueta sunt, si ita dominum fugiant, ut neque ad ipsum revertantur, ut antea, neque facilè Dominus ea possidere possit, censenda sunt fera reddita, & nativam libertatem oblita fuisse, & fiunt primi capientis; naturalem autem libertatem recuperare intelliguntur, cum vel oculos dominorum fugerint, vel ita sint in conspectu illorum, ut difficilis sit illarum persecutio, nam si facilè comprehendi possent, vel aves cavea elapsæ alas habeant præscissas, in illorum dominio perseverabunt. 94

Hinc fit: Examen apum ex alicujus alveario procedens, illius esse dum comprehendere illud potest. Secus si dispareat, & difficile valeat comprehendere, quia tunc erit primi occupantis, esto in fundo 95

ipsius

ipſius proprij domini capiatur; Poterit tamen dominus fundi impedire, ne quis ſuum agrum ingrediatur ad examen capiendum; quod ſi non obſtãte prohibitione ceperit, illius erit, obligabitur tamen reſtituere quantum domino agri intereſt, ne illum ingrederetur, ut conſtat *ex cap. apum. §. pavonum inſtit. de rerum diviſione.* Ita cum Navarr. Mol. Leſſio, Rebell. Palaus *d. unica p. 12. n. 4.* Fagund. *de juſtitia lib. 1. cap. 9. n. 4.*

Hinc etiam fit quid dicendum ſit de columbis columbarij, nam ſi prædictæ columbæ columbarium deſerant fiunt primi capientis; cenſentur autem columbarium deſerere, ſi extra leucam à ſuo columbario decedant, etiamſi ibi detur aliud columbarium magis vicinum ut recte cum alijs notat Lugo *d. 6. de juſtitia num. 46.* In dubio tamen an ſint hujus vel illius columbarij præſumuntur eſſe vicinioris columbarij Lugo *ſup. n. 48.* Quod ſi columbæ unius columbarij columbis alterius columbarij aggregentur fiunt illius domini cujus columbis aggregantur, modo dominus columbarij illecebras in ſuo columbario non apponat veluti thuris aut aniſij quibus alienos attrahat ad ſuum columbarium, ſecus ſi id ſine fraude accidat; quia melius eas in ſuo columbario alit vel commodiorem ſtationem illis aptavit: ita cum Leſſio, Mol. Lugo *ſup. num. 43.* Fagund. *lib. 2. cap. 9. num. 5.*

96 Sed quæres quid dicendum ſit de aliquibus avibus ex natura ſua feris, quæ alicujus induſtria ſolent ire, & redire ad ejus manum, quando cenſeantur antiquam libertatem recuperare? Reſpondeo id relinqui arbitrio prudentis viri, ſi enim multoties, vel per multum tempus non redeant tempore conſueto, cenſentur libertatem recuperaſſe. Ita cum Leſſio, Fagund. *ſup. num. 7.* Excipe Falcones, & alias aves aucupio aſſuefactas, nam licet de eis idem ſecundum jus commune dicendum ſit, ac diximus de aliis, ut bene notat Fagund. *ſup. num. 9.* de jure tamen Luſitano, quocunque tempore, & ubicunque tales aves inveniantur dominis reſtituendæ ſunt. Ita jubetur *in Ordinatione lib. 5. tit. 41. §. 1.*

97 Dico ſecundo: Dominium feræ percuſſæ eſt penes percutientem, ſi eam inſequebatur, ut moraliter eſſet capturus. Quod ſi percutiens eſt tantum cauſa, ut alius capiat, dividenda eſt præda quamvis dominium ſit ſolum penes capientem. Fera autem à laqueo alterius extracta, de jure Luſitano eſt illius, qui laqueum tetendit. Ita habetur *lib. 5. ordinationis, tit. 48. §. penult.* quod verum eſt, etiamſi fera reluctando probabiliter à laqueo evaderet, antequam dominus laquei eam occupaſſet; nam ſua eſt felicitas, quod feram ſuo laqueo ligatam alius capiat, antequam ipſa elabatur. Ita cum Leſſio, Mol. Fagund. *lib. 2. cap. 11. n. 9.* Et idem dicendum eſt, ſi lupus rapuit agnum alicujus, & alius è dentibus illius eripiat, eſt enim reſtituendus domino, propter eandem rationem. Fagundez *ſuprà numero 15.*

98 Sed quid ſi fera, quam unus proſequitur, incidat in laqueum alterius? Reſpondeo quod ſi qui proſequitur ſciebat de laqueo, & de induſtria operam dedit, ut fera in illud incideret, illius eſſe prædictam feram, debet tamen rurſus aptare laqueum, ut antea erat, & aliquid ſolvere domino pro illius uſu; ſi tamen forte incidit in laqueum, & perſecutio erat dubiæ ſpei, pertinet ad eum, qui laqueum tetendit. Fagundez *ſuprà num. 12.*

99 Sed quid? ſi quis naſſam in flumine poſitam à piſcatore elevet, & piſces in ea incluſos extrahat, & iterum naſſam eodem loco reponat, illaque tantumdem rurſus piſcium colligat? Reſpondeo priorem prædam eſſe domini naſſæ, at ſi elevans naſſam piſcibus extractis eam iterum tendat, & totidem piſces æque bonos colligat, poterit eos relinquere loco priorum, ſoluto etiam pretio uſus naſſæ, ſi ſit conſiderabilis, & primos ſibi colligere. Ita Fagundez *lib. 2. cap. 11. num. 13.* Ratio autem eſt quia cum elevans naſſam nullum damnum domino naſſæ intuliſſet, ſi uſum naſſæ ſolvat, non eſt unde ad aliud adſtringatur.

SECTIO VII.

Utrum venatio, piſcatio, & aucupium prohiberi poſſit, & qualiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, piſcationem, venationem, & aucupium prohibitum exercentes?

SUMMARIUM.

100 *Venatio tribus titulis à principe prohiberi poteſt, ſcilicet ratione perſonæ, temporis, & loci.*

101 *Ratione perſonæ prohibetur aliquando clericis, & religioſis.*

102 *Ratione temporis prohibetur, ſi diebus feſtis, vel jejunij inſtituatur.*

103 *Ratione loci prohibetur ſi in lacu, vel prædio alieno, ſine conſenſu domini fiat.*

104 *An princeps poſſit piſcationem, vel venationem prohibere in aliquibus locis ſui regni?*

105 *Præter Regem, nullus de jure Luſitano poteſt habere defenſas, hoc eſt contadas.*

106 *Quod peccatum committant piſcatores, vel venatores venantes tempore, loco, vel inſtrumentis prohibitis?*

107 *Piſcantes, vel venantes in alieno fundo, vel palude, quod peccatum committant, & an ad reſtitutionem teneantur?*

108 *Quid ſi quis furetur cuniculos ex cuniculario alicujus?*

DIco primo: Venatio, piſcatio, & aucupium, prohiberi poteſt à Principe tribus titulis, 100
Primò ratione perſonæ venantis, ſecundo ratione temporis, quo fit, tertio ratione loci. Ita cum communi ſententia Fagundez *lib. 2. de juſtitia cap. 10. num. 3.* Quoad primum, certum eſt in jure clericis prohiberi venationem clamoroſam, 101
& ſylvaticam vagationem, cum canibus cap. omnes de clerico venatore quod à fortiori locum habet in Religioſis, ut obſervatur *in Clement. 1.* porro de ſtatu monachorum. Hæ tamen prohibitiones, & aliæ ſimiles pro Epiſcopis, intelliguntur de venatione clamoroſa, & cum ſtrepitu ſtatum clericalem dedecente, cauſa voluptatis frequenter inſtituta; quare ſi venatio, ratione honeſtæ recreationis, vel raro inſtituatur, & ſine ſtrepitu, proculdubio non erit mortale, non ſolis clericis, ſed nec religioſis, ſalvis illorum inſtitutis, & multo minus, ſi ipſi non per ſe venentur, ſed venatores aſpiciant. Ita cum Rebello, Molina, & aliis multis, notavit Palaus *de juſtitia d. unica, p. 14. num. 1.*

Digitized by Google

102 Dico ſecundo: Ratione temporis prohibetur venatio, ſi diebus feſtis, & jejunij inſtituatur. Ita habetur *cap. an putatis* 86. *diſt.* Sed hoc debet intelligi, ita ut venatio occaſio ſit, ne miſſa audiatur, vel jejunium obſervetur; per ſe enim ſpectata, cum opus ſervile non ſit, in diebus feſtis, vel jejunij non prohibetur. Ita Fagund. *lib. 2. cap. 10. num. 9.* Secundo prohibetur venatio ſi fiat tempore nivis vel cum feræ gravidæ ſunt vel retibus minutiſſimis propter detrimentum boni communis. Et idem dicendum eſt ſi venenum fluminibus ejiciatur quo omnes piſces interficiantur; ita habetur *in ordinatione Luſitana lib. 5. titulo* 88.

103 Dico tertio: Ratione loci prohibetur venatio, ſeu piſcatio, ſi in lacu, prædiove alieno, contra domini voluntatem fiat. Ita habetur *l. feræ inſtit. de rerum diviſione & l. 3. ff. de acquirendo dominio.* Ratio autem eſt, quia quilibet habet jus ſuo prædio utendi, & illius uſum omnibus aliis impediendi. Debet tamen hoc intelligi de prædio, vel lacu circumſepto, ita ut paſtus in illo non ſit omnibus communis, ut bene advertit Fagund. *lib. 2. de juſtitia cap. 10. n. 14.* Et idem dicendum eſt de locis, quæ princeps ſibi, vel alteri ad venandum reſervavit, quæ Luſitane dicimus, *Contadas*, nam ea lege juſta, omnibus aliis à principe, vel cui princeps privilegium conceſſit, interdictus eſt in illis locis, venationis uſus.

104 Quod autem princeps poſſit venationem, & piſcationem intercidere in aliquibus locis ſui regni, non ſolum in illis locis, & prædiis, quorum proprietatem, & dominium habet, ſed etiam in prædiis, quorum dominium ad aliquam communitatem, vel privatam perſonam ſpectat, certum eſt; Regium enim ſtatum decet, ne loca regiæ venationi, & piſcationi deſtinata, aliis pateant, communiave ſint. Tum quia id etiam aliquando ei reſervatur ad ejus ſuſtentationem, ut reſervatur in Caſtella piſcatio Tunnorum. Cavendum tamen eſt, ne feræ locis circumvicinis damna inferant, & quæ intulerint compenſare, niſi forte tales defenſæ, vulgo *contadas*, hoc onere à principe facta ſint, & à vicinis toleratæ; ſæpe enim principes terras, quas ab hoſtibus recuperarunt, hoc onere aliis diviſerunt, ut ſibi, vel alteri de ejus licentia, illæ defenſæ, Luſitane *contadas*, illo onere præmitterentur, ut bene advertit Fagund. *ſup. n. 14.* & cum communi ſententia Palaus *de juſtitia d. unica p. 13. à num. 4.*

105 Præter autem Regem, de jure Luſitano, nemo habere poteſt defenſas, Luſitane *contadas*, niſi de licentia ipſius Regis, ut notat Fagund. *ſup. num. 14.* Poteſt tamen quis ſua prædia ſepire, & poſt ſepimentum ab ingreſſu alios prohibere, niſi paſtus ſit omnibus communis, quia tunc non poterit niſi de conſenſu omnium. Fagund. *ſup. num. 14.* Hinc fit prohibentem alterum injuſte à venatione, piſcatione, vel aucupio, in ſaltu, agro, mari, vel fluvio, ubi ei licitum erat tale exercitium, peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem æſtimationis boni eventus venationis, vel piſcationis, deductis expenſis retium, temporis, & laboris, quas piſcatur, vel venatur eſſet facturus. Ita cum Covarruvias, & aliis Fagund. *ſup. num. 14.*

106 Dico quarto: Piſcantes, vel venantes tempore, vel loco, vel inſtrumentis lege prohibitis, regulariter tantum peccant venialiter, & non tenentur ad reſtitutionem, niſi forte ratione alicujus damni illati, vel bono communi, ſi venenum fluminibus ejiceret, vel bono privato, ut ſi alicujus ſegetes conculcaſſet, vel muros everteret. Ratio autem eſt, quia in his locis feræ utuntur ſua nativa libertate, & fiunt primo capientis; non enim ibi fit ſepimentum, ut feræ vel piſces, ibi facilius capiantur, ſed ne inde ad alia loca fugiant, & ut major copia ſuppetat venationis; nec prohibitio principis obligat ex juſtitia, ſed tantum ex obedientia ſicut quando princeps prohibet, ne quis ex India aſportet piper, vel gemmas, vel quando, prohibet, ne quis faciat ſaponem, vel vendat tabacum, nam his, & ſimilibus prohibitionibus non intendit obligare ex juſtitia, ſed tantū ex obedientia. Vnde aliter facientes, ſolum pœnæ legis ſubjacent, non vero culpæ, vel ad ſummum culpæ veniali contra obedientiam, ut recte explicat Lugo *de juſtitia d. 6. num. 68.*

Dico quinto: Venantes, & piſcantes in alieno 107
fundo, vel magna palude, invito domino, non tenentur ad reſtitutionem ejus, quod ceperunt, peccant tamen pro ratione injuriæ, & damni illati, ſi quod intulerunt. Ita cum Medina, Leſſio, Covarruvias, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 3. d. 5. n. 6.* Ratio prioris partis eſt, quia animal erat in ſua nativa libertate, & dominus fundi ſolū habebat jus venandi, vel piſcandi in tali loco; ergo ſi ab alio venetur, vel piſcetur, erit primi occupantis. Secunda vero pars probatur, quia dominus fundi habebat jus, ut nemo ibi ſe nolente venaretur; ergo ſi venari volebat, & probabiliter erat capturus, ſpectanda eſt æſtimatio illius ſpei, vel ſi jus venandi ſtatuerat alteri vendere, & quis crebra venatione efficeret, ut parvi æſtimetur; at ſi dominus nec ſtatuerat venari, nec vendere tale jus, vel damnum conſiderabile non intulit, ad nihilum tenetur reſtituere; tenebitur tamen de damno dato, ſi forte ſegetes conculcavit, vel parietes evertit.

Aliter dicendum eſt de eo, qui habet aliqua ani- 108
malia, etiam ferinæ conditionis, in aliquo loco ſepto incluſa, ut cuniculos in cuniculario, vel piſces in ſtagno, vel vivario; nam hæc ſunt jam illi per illam incluſionem appropriata; incluſit enim in illo loco, ea intentione, ut ea facilius caperet; quod quidem facere facillime poteſt, ſi ſtagnū exhauriret, quo caſu omnes piſces ſimul caperet, vel ſi rete cuniculario emitteret, qua omnes cuniculos comprehenderet; quod tamen quis efficere non poteſt, quando cunniculi in ſuo prædio, etiam ſepto in ſua naturali libertate vagantur; ergo ſurripiens illa ex prædicto loco, in quo retinentur incluſa, proculdubio peccabit contra juſtitiam, & tenebitur ea ſuo domino reſtituere. Fagund. *ſup. num. 5.* Lugo *ſup. num. 74.*

SECTIO VIII.

Qualiter in mari, & fluminibus dominium acquiratur, ubi de ambaro invento in littore, & de piſcibus grandibus, an regales ſint?

SUMMARIUM.

109 *Mare adiacens terræ, quæ proprium dominium habet illius eſt, cujus eſt terra, cui adjacet.*

110 *Quo uſque extendatur hæc juriſdictio maris adjacentis.*

111 *Mare in nullius principis dominio eſt, quoad uſum piſcandi, & navigandi, ſed à ſolo ſummo pontifice poteſt hæc juriſdictio, ſeu uſus alicui concedi.*

112 *De facto Pontifex diviſit commercium,*

&

Digitized by Google

& navigationem totius orbis Orientalis, & Occidentalis, inter Reges Luſitaniæ, & Caſtellæ.

113 *Reges Luſitaniæ poſſunt hanc navigationem, & maris uſum cauſa commercij aliis prohibere, vi, & armis.*

114 *Piſcatio in mari adjacenti terræ alicujus principis, libera eſt ſubditis illius.*

115 *Poteſt quis præſcribere jus piſcandi in certo loco fluminis, vel maris.*

116 *Quid dicendum ſit de receptaculis, quæ in littore maris ſiunt, quas dicimus* Camboas.

117 *Alia corollaria ponuntur.*

118 *Quid dicendum ſit de piſcibus grandibus, ſi expiſcentur?*

119 *Quid de Ambare in littore invento?*

109 DIco primo: Mare adjacens terræ, quæ proprium dominium habet; illius eſt cujus eſt terra, cui adjacet. Ita habetur *cap. ubi periculum*, §. *porro de elect. lib.* 6. & tenet cum communi ſententia Fagund. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. Extenditur autem
110 hæc juriſdictio maris adjacentis terris alicujus principis uſque ad centum milliaria, hoc eſt, 33. Leucas. Ita cum Bartolo, Cæpola, Fagund. *ſup. n.* 4. & in hoc diſtrictu poteſt princeps piratas licite capere, & punire; immo tenetur ſuos vaſallos ſuis expenſis per hoc ſpatium a piratis defendere, ut recte obſervat Fagund. *ſup. num.* 3. & 5. Et idem dicendum eſt de inſulis in medio maris repertis, pertinent enim ad inventorem, & illorum cultorem, & ſimiliter mare adjacens in circuitu per 33. Leucas, ut diximus de mari terræ adjacenti. Ita Fagund. *ibi num.* 6.

111 Dico ſecundo: Certum eſt mare in nullius principis dominio eſſe, quia ſicut propter ſuam feritatem eſt incapax habitationis, ita eſt incapax dominij, & retentionis; proprietas ergo maris a nemine ullo temporis ſpatio, conſuetudine, aut uſucaptione acquiri, aut præſcribi poteſt; immo nec quoad utilitatem piſcationis, uſumque navigandi, cauſa commercij ab aliquo præſcribi poteſt, vel uſucaptione acquiri, ut late probat Fagund. *ſup. num.* 8. quidquid alij non improbabiliter dicant, quos refert Fagund. *ſup. num.* 18. in probabiliori tamen ſententia ſolum conceſſione ſupremi Principis, qualis
112 eſt ſummus Pontifex ex poteſtate ad id faciendum à Deo data talis uſus, juriſdictio, & utilitas navigationis, & commercij acquiri poteſt, prout de facto conceſſit Regibus Luſitaniæ, & Caſtellæ, inter quos diviſit commercium, & navigationem totius Indiæ, & orbis Orientalis, & Occidentalis, cum jure debellandi eas provincias, quæ per injuriam prædicatorum, rerumque factarum, & ipſius Chriſti fidem ſuſcipere nolunt, quod nos *conquiſtas* vocamus, quo titulo Reges Luſitaniæ mare Oceanum, quoad uſum, juriſdictionem, & utilitatem navigationis, commercij Indiæ Orientalis, Braſiliæ, & utriuſque Guineæ, juſte poſſident à Promontorio Boiatorio, Luſitane, *Bojador*, uſque ad ultimos Orientis fines, ut conſtat ex bullis Pontificum, quæ in archivis hujus Regni habentur, quas ſe teſtatur vidiſſe Cabedo 2. *p. deciſ.* 47. *n.* 1. & 5.

113 Hinc fit Reges Luſitaniæ poſſe hanc navigationem, & maris uſum, cauſa commercij aliis prohibere vi, & armis, & leges facere, & condere, quibus illud prohibeant, vel concedant exteris nationibus, vel gratis, vel ſub aliqua recognitione dominij; poſtquam enim poſſeſſionem illius acceperunt, duplici titulo acquiſierunt in illud jus: primo in noſtra ſententia conceſſione Pontificis; ſecundo in probabili aliorum ſententia, præſcriptione, & uſucaptione; ſiquidem fuere primi, qui hoc mare navigarunt, & ipſi ſoli à longiſſimo tempore ſoliti ſunt hujuſmodi maria navigare, quo jure à nemine, niſi per injuriam privari poſſunt; ut recte notat cum multis Fagund. *ſup. n.* 11.

Dico tertio: Piſcatio in mari adjacenti terræ ali- 114
cujus principis, vel Regis, & piſcatio in fluminibus publicis libera, & communis eſt omnibus illius ſubditis *l.* 2. & *l. nemo ff. de rerum diviſione.* Unde nemo prohiberi poteſt, ut in communi fluvio piſcationem faciat, etiam ante ædes alterius in litore ædificatas, niſi forte habens in litore ædes per ſpatium triginta annorum utilitatem piſcandi ibi præſcripſerit, cum poteſtate alios prohibendi. Poteſt enim quis non ſolum conceſſione principis, vel conſenſu populi, ſed etiam præſcriptione acqui- 115
rere jus piſcandi in certo loco fluminis, vel maris prohibendo alios, ne ibi piſcationem efficiant. Ita cum Caietano, Medina, & aliis Fagund. *ſup. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 26. & favent leges *ſane ſi maris ff. de injuriis & l. ſi quiſquam ff. de diverſ. & tempore præſcript.*

Hinc deducitur, quid dicendum ſit de recepta- 116
culis, quæ in litore maris fiunt, quas Luſitane dicimus *Camboas*, in quibus piſces cum mare tumet ingrediuntur, & cum deſcendit non poſſunt exire; hæc enim receptacula ſi ab aliquo privato per triginta, vel quadraginta annos pacifice poſſideantur, ſua ſunt, & piſces inibi ingredientes ſub ejus dominio ſunt; ita ut ſi ab alio furentur teneatur ad reſtitutionem. Ita in ſimili caſu Lugo, *de juſtitia d.* 16. *num.* 75. Fagund. *lib.* 2. *de juſtitia cap.* 8. *num.* 16. habet enim præſcriptum uſum piſcationis in illo maris diverticulo privative ad alios, vel conceſſione Principis, vel conſenſu populi, vel præſcriptione. Ita cum Bartolo, Cæpola, Fagundez *ſuprà num.* 25.

Hinc etiam deducitur, quid dicendum ſit de jure, 117
quo Luſitaniæ, & Hiſpaniæ reges uſurparunt ſibi Thinaria, & Cubaria, & Hiſpanie, *Almadravas*, in quibus ingens jus Thinorum piſcium capitur ſingulis annis. Et quid dicendum ſit de diverticulis, quæ in mari adjacenti, & fluminibus habent, ad ſolam anni recreationem, in quibus nemini licitum eſt piſcari. Dicimus enim id reges ſibi uſurpaſſe de conſenſu populi; vel per aliquem contractum inter regem, & populum, vel etiam authoritate propria, id enim ſæpe decet authoritatem principum; tum ad ejus menſam, & ſuſtentationem; tum ad ejus honeſtam recreationem, ut deducitur *ex l. ſi quis à liberis* §. *non tantum alimenta*, & cum Angelo, Imola, Sylveſtro, Fagundez *ſuprà num.* 24.

Et idem dicendum eſt de piſcibus grandibus, ſi 118
expiſcentur, aut ad litus ejiciantur, ut ſunt Balænæ, Cottæ, Cirenes, aut alij extremæ magnitudinis; hi enim ſunt regij, & ad regem pertinent in Luſitania, ex antiqua conſuetudine Regni, quæ conſuetudo originem duxit ex pacto inter Regem, & populum, ut patet *ex forali Regni Algarbiorum, & Cetubalenſis oppidi.* Ita Cabedo 2. *p. deciſ.* 48. *num.* 4. & 5. Fagund. *ſup. num.* 29. Nec obſtat quod inventa in littore de jure Luſitano non ſint regalia, ſed primo occupantis, ut patet *ex ordinatione lib.* 2. *tit.* 26. Reſpondetur namque hoc jus in has belluas maritimas acquiſiviſſe Regem per contractum cum populis, ut patet *ex prædictis foralibus*, vel per præſcriptionem, ut diximus de perſonis privatis circa diverticula in littore maris.

An autem Ambarum inventum in litore perti- 119
nent

neat ad Regem, vel ſit primi occupantis? Reſpondeo quod ſi in ventre, vel ore ceti reperiatur pertinere ad Regem, ad quem pertinet ipſa Balæna, ſi vero in litore ſeparatum à cete inveniatur, eſſe primi occupantis, ſive inveniatur in litore regni, ſive in litore Minæ, aut Braſilicæ Regionis; nullibi enim in legibus hujus Regni ambatum in litore inventum regi reſervatur, quare ſine dubio primi inventoris erit. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 5. alias 6. dub.* 12. Fagund. *ſup. n.* 28.

SECTIO IX.

Qualiter dominium ſilvarum, & paſcuorum acquiratur?

SUMMARIUM.

120 *Sylvarum, & paſcuorum dominium competit populo cui vicina ſunt.*

121 *Si opidani ex ſilva communi ligna cadant, vel paſcuis utantur contra prohibitionem non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem, niſi forte inde notabile damnum adveniat.*

122 *Quilibet in ſuo agro poteſt interdicere paſtum, & lignationem de jure communi.*

123 *Quid dicendum ſit de jure Caſtellæ & Luſitaniæ?*

124 *Ex eo quod aliquis juriſdictionem civilem, & criminalem in populo habeat, non inde infertur habere dominium ſylvarum, & paſcuorum illius territorij.*

120 Dico primo: ſylvarum, & paſcuorum dominium populo, cujus ſunt vicina jure gentiũ attributum eſt. Unde quando aliquis lignum cædit in ſylva, vel paſcit pecora ſua in agro communi illius populi, cujus ipſe eſt pars, & juxta præſcriptum communitatis, utitur jure ſuo, nec ad aliquid tenetur. Poteſt tamen Reſpublica lege ſua præſcribere modum in lignorum cæſione, & in paſcuis tenendum; quia id bono communi expedit ad conſervationem ſylvarum, & paſtus. Non poteſt tamen Reſpublica cæſionem lignorum, & paſtum omnino ſuis oppidanis prohibere, quando aliter non poſſunt provideri ad neceſſaria; quia ſinguli jus habent inde neceſſaria ſumendi. Si tamen populus jubeat alia loca, unde ſibi provideat, poterit Reſpublica paſtum, & lignationem oppidanis in tali agro, vel ſylva prohibere. Immo poteſt illa alteri populo locare, vel vendere; quo caſu non poterunt oppidani in tali ſylva ſic vendita, vel locata ligna cædere, vel paſcuis uti, ſiquidem vendente, vel locante Republica talem locum, cenſentur oppidani ſe obligari illis non uti ementibus, vel locantibus invitis. Ita Lugo *d. 6. de juſtitia, n.* 88.

121 Dico ſecundo: Quando oppidani cædunt ligna, vel paſcuis utuntur contra prohibitionem ex ſylva communi, non peccant mortaliter, nec tenentur ad ullam reſtitutionem, niſi forte inde notabile damnum populo, aliiſve convicinis proveniat. Ita cum Soto, Molina, Lopez, Leſſio, Rebello, & aliis communiter, Palaus *d. unica de juſtitia p.* 16. *n.* 2. Lugo, *d. 6. num.* 86. Ratio autem eſt, quia Reſpublica per ſuam prohibitionem, tantum intendit ſuos oppidanos ad pœnam ſtatutam obligare, niſi in caſu, quo notabile damnum populo, aliisve concivibus tauſent; ſic enim ſatis bono publico providetur. Et idem dicendum exiſtimo, ſi quis in ſylvis, vel paſcuis communibus alterius populi vicini ligna cædat, vel pecora ſua paſcatur, eo quod populi illi ſcientes mutua damna fieri à ſuis oppidanis contenti ſunt pœnis, quas exigunt à delinquentibus comprehenſis, nec aliam reſtitutionem ſolent exigere Lugo *ſuprà num.* 91. Quæ vera ſunt non ſolum, ſi quis ligna, vel herbam colligat ad proprium uſum, ſed etiam ad vendendum, abſque damno notabili, ut recte advertit Lugo *ſup. num.* 89. Et idem dicendum eſt de fructibus earundem arborum; ut recte obſervat Baſæus, *verbo cæſio lignorum num.* 4.

Dico tertio: Quilibet privatus de jure communi 122
poteſt in ſuo agro interdicere paſtum, & lignationem, ſiquidem herba, & ligna ibi naſcentia, utpote prædiorum fructus, ſibi competunt, quæque locare, & vendere poteſt. De jure tamen Caſtellæ, & de conſuetudine hujus Luſitaniæ Regni, collectis frugibus manent agri, quoad paſtus omnino 123
liberi, nec illorum domini poſſunt hujuſmodi communem uſum prohibere, niſi forte agri ſint muro circundati, ut bene cum Sanchez, Lugo, *ſuprà num.* 92. Immo ſi quis in ſylva non circundata alicujus privati, vel communitatis, contra domini voluntatem ligna ſcindat, abſque magna ſtrage, vel damno, non tenetur ad reſtitutionem. Ita Sanchez *lib. 1. conciliorum cap. 5 dub. 6. num.* 31. Lugo *ſuprà num* 91. Domini enim non curant de hujuſmodi reſtitutione, quando damnum non eſt notabile, ſed ſolum de ſolutione pœnæ, quam ſi quis evadit, liber manet. Palaus *ſup. num.* 4. nec pœna unquam contrahitur, niſi poſt ſententiam judicis Baſæus *ſup. num.* 1. & alij communiter.

Dico quarto: Ex eo, quod aliquis juriſdictio- 124
nem civilem, & criminalem in populum habeat, illiuſque dominus ſit, non inde infertur dominium ſylvarum, & paſcuorum illius territorij habere, quia hæc ſub dominio populi eſſe cenſentur. *l. in tantum § univerſitatis ff. de rerum diviſione.* Palaus *diſp. unica de juſtitia, p. 16. num.* 1. Unde quando Rex aliquibus magnatibus aliqua oppida cum ſuis nemoribus, & montibus elargitur, non eis tribuit plus juris, quam res habet in eis; unde ſi montes, & nemora erant communia, non poſſunt magnates incolis illorum populorum interdicere lignationem, & paſtum, & quoad noſtros Luſitanos patet *ex ordinatione lib. 5. tit.* 1. & 2. ubi Rex prohibet, ne quis in montibus, & terris, paſcuis, aut ſaltibus incultis, quos *mator manichos*, & *charnequos* dicimus, inſtituat contadus, hoc eſt, loca immunia à libera lignatione, & paſtione & *lib. 3. tit. 67. §. 12 ejuſdem ordinationis* prohibet Rex, ne ſaltus inculti, & communes concedantur privatis perſonis, ut colantur eo jure, quo ſexmaria, ſi id probetur afferre incommodum incolis ad uſus prædictos. Imo ſi aliqua ſint jam data in damnum incolarum determinat quod licet eis proſequi ſuum jus, & fore eis ſervandum ut bene notat Fagund. *lib. 2. de juſtitia cap. 12. num.* 13.

SECTIO X.

Quomodo acquiratur dominium in lapillos, corallium, gemmas, in metallorum venas inventas, & in theſauros?

SUMMARIUM.

125 *Lapilli, gemmæ, ambarum, ſi inveniantur in litore maris, ſunt primi occupantis.*

126 *Metalla*

Digitized by Google

126 *Metallorum vena sub nullius dominio sunt.*
127 *Quomodo principes illorum jus sibi reservarunt.*
128 *Quid sit thesaurus explicatur.*
129 *Thesaurus impropriè dictus totus est illius qui illum deposuit, vel ejus hæredis.*
130 *Thesaurus propriè dictus jure naturæ est inventoris illum occupantis.*
131 *Quid si dominus conduxit Petrum ut foveam aperiret, & hic ollam auri plenam invenit, cujus erit inventoris, an conductoris?*
132 *Qui emit locum ubi scit esse thesaurum fit dominus illius.*
133 *De jure speciali, quibus competant thesauri inventi, explicatur.*

125 DIco primò: lapilli, gemmæ, ambarum, & corallium, si inveniãtur in littore maris, vel promontorij, vel fluminibus, fiunt primi capientis; sed ad hoc dominium comparandum, non satis est aspectus solus, & inventio, sed requiritur etiam apprehensio, vel alia exterior actio, qua quis ostendat, se velle acquirere ejus dominium. *Instit. de rerum divisione §. lapillorum.* Ita cum communi sententia Fagundez *lib. 2. cap. 12.* estque consuetudine receptũ.

126 Dico secundò: metallorum venæ sub nullius dominio sunt. Ita cum communi sententia Fagundez, *suprà num. 5.* Basæus, *verbo dominium, num. 7.* quidquid cum alijs dicat Lugo, *de justitia d. 6. num. 107.* Sunt namque res nobilissimæ, & maximæ æstimationis, & videntur à Deo, & natura creatæ ad publicos usus, quapropter licet jus effodiendi eas de jure naturæ competat domino loci, sicut jus venandi
127 in agro suo, de facto tamen Principes specialibus legibus hoc jus sibi reservarunt ad sustinenda onera reipublicæ, concedendo tamen unicuique, ut prædictas venas quærere, & effodere possent, ubicunque extiterint, etiam in agro alieno, invito domino, dummodo quintam partem, liberam ab omnibus sumptibus reddant regi, & damnum datum solvant agri domino, ut patet, *ex l. unica extravagantium lib. 6. par. 5.* cui juri concors est ordinatio hujus Lusitaniæ Regni, *lib. 2. tit. 16. §. 16.* ubi statuitur, quod soluta quinta parte Regi, cæteras partes inventores metallorum sibi acquirant, in alijs tamen Regnis videndæ sunt illorum leges: nam in Castella, omnia mineralia rex sibi reservat, & nemini sine licentia Regis ea effodere licitum est; ut bene notat Trullenc. *lib. 7. cap. 3. d. 7. num 3.*

128 Dico tertiò: Thesaurus duplex est, alius propriè, & alius impropriè, & largo modo. Thesaurus proprie dictus, est vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Ita habetur, *l. numquam ff. de acquirendo rer. domin.* nomine autem pecuniæ intelliguntur cæteræ opes nobilis, ut catena, gemmæ, vasa, nummi, auri, & argenti. Ita communiter DD. Thesaurus vero impropriè dictus, est depositio alicujus pecuniæ, vel divitiarum, in aliquo certo loco, vel lucri faciendi gratia, vel metus, vel custodiæ, vel honoris, ut in sepulchris defunctorum, vel alia de causa.

129 Dico quartò: Thesaurus impropriè dictus, totus est ejus, qui illum deposuit, vel ejus hæredis: nam adhuc est in bonis alicujus, cum habeat dominum, qui illum deposuit, vel abscondit, nec omnino periit memoria ejus. Unde non habetur pro derelicto. Si tamen dominus, vel ejus hæredes ignorentur, ad inventorem spectabit, juxta infra dicenda, & si bellum justum contra incolas loci ubi Thesaurus invenitur, inferatur, pertinebit ad militem inventorem, prædæ instar, ut recte notat Basæus, *verbo dominium num. 11.*

Dico quintò, Thesaurus propriè dictus, de jure 130
naturæ, & gentium est inventoris illum occupantis. Ita cum communi sententia, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 3. dub. 8. num. 3.* Basæus, *verbo dominium numero 11.* Quæ enim nullius sunt, fiunt primi occupantis. Communi tamen jure, §. *Thesaurus instit. de rer. divis. & l. unica C. de Thesauris*, statutum est ut si in proprio fundo Thesaurus, inventus fuerit totus sit inventoris; in alieno autem & fortuito repertus dimidium sit inventoris & dimidium domini fundi; si autem de industria quæsitus sine consensu domini, totus sit domini, intellige post sententiam judicis, si vero ex consensu domini quæsitus fuerit, pacto standum est si quod initum; alioquin totus Thesaurus sit inventoris.

Quod si dominus conduxit Petrum, ut puteum in 131
sua domo effoderet, & hic effodiens ollã auro plenã invenit: cuinam invenit, sibi aut conductori? Respondeo de jure naturæ sibi invenisse; ita cum Caramuële, & alijs Tamburinus, *lib. 8. Decalog. tract. 4. c. 1. §. 3. n. 8.* De jure tamen Cæsareo, & communi dividendũ esse inter conductorẽ, & conductũ; siquidem in alieno loco fortuito illum invemt, juxta superius dicta, quod si fundus duos dominos habuerit nimirũ directũ, & utilẽ, dimidium sit inventoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo dividatur, conductoris autem, usuarij, pigneratoris, aut usufructuarij, nulla habetur ratio, quia non sunt domini loci, ac proinde Thesaurus, non ad illos, sed ad dominum pertinet; sic vir inveniens Thesaurum in fundo dotali mulieris, non ille, sed mulier illum acquirit, thesaurus enim non est fructus fundi. Item si filius sub patria potestate, vel servus inveniat thesaurum acquirunt illum patri, & domino, quantum scilicet inventori jure conceditur.

Qui autem emit locum sciens in eo latere thesau- 132
rum, efficitur dominus totius thesauri; quia dominus loci nó censetur dominus Thesauri in eo latentis, cum nó sit pars loci, nec fructus, & ideo tanquam carens domino erit primi occupantis. Si Thesaurus in loco publico inveniatur, v. g. in flumine, in platea effossa, in via publica, totus est inventoris, licet probabile sit dimidium esse principis. Quando autẽ in loco sacro thesaurus invenitur, dimidium est inventoris, & dimidium est prælati, vel Ecclesiæ, cujus fuerit talis locus sacer, licet quidam velint, totum esse inventoris. Quod si per magiam in alieno fundo thesaurus inventus sit, post sententiam judicis, pars inventoris pertinet ad fiscum, & altera pars pertinet ad dominum loci. Hæc secundum jus commune, in quo etiam conveniunt fere omnes DD. ut videre est apud Fagundez, *lib. 2. cap. 14. à n. 1. usque 23.* Trullenc. *lib. 7. cap. 2. d. 8.* Basæum, *suprà*, Tamburinum, *lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 33.* Caramuëlem, *in Theologia morali lib. 2. num. 291.* Decastillũ, *lib. 2. de justitia tract. 2. d. 9. num. 407.*

De jure tamen speciali, videndæ sunt leges, & 133
consuetudines justæ cuiuscunque Regni, vel Provinciæ. In hoc tamen nostræ Lusitaniæ Regno, nulla lex, vel consuetudo circa thesauros invenitur, ut recte notat Fagundez, *suprà num. 24.* Vnde in omnibus standum est juri communi, excepto si thesaurus inveniatur in loco publico: nam cum omnia loca publica pertineant in hoc Regno, quoad proprietatem ad Regem, ut patet, *ex ordinatione lib. 2. tit. 26. n. 8.* dimidia pars thesauri, quæ secũdùm jus commune pertinet ad dominum loci, danda est regi, ut pote domino loci publici, sed hoc debet intelligi post sententiam judicis, ut bene advertit Fagundez, *sup. n. 2.* cum enim hæc lex multum deviet à jure cõmuni, sic debet intelligi, & non aliter.

SECTIO IX.

Qualiter acquiratur dominium bonorum, quæ nullius fuerunt, vel quæ pro derelictis habentur, vel quæ inventa sunt, ubi etiam de bonis incertis, & vacantibus.

SUMMARIUM.

134 *Bona quæ nullius fuere, ut sunt gemmæ, margaritæ, &c. sunt primi occupantis, nisi lege humana alteri acquirantur.*

135 *Bona quæ à domino pro derelictis habentur sunt primi occupantis.*

136 *Quæ bona dicantur pro derelictis?*

137 *Quid dicendum de rebus, quæ tempore naufragij mittantur in mare?*

138 *Quid de rebus quæ ab incendio, vel à faucibus feræ eripiuntur?*

139 *Quid de lignis, quæ vi fluminum inundantium asportantur?*

140 *Quid de rebus in platea inventis?*

141 *Quid faciendum si dominus consumpta re inveniatur.*

142 *Quam diligentiam debeat facere inventor?*

143 *Quæ bona dicantur incerta & cui applicanda sint?*

144 *Cui restituenda est res, quando dominus ignoratur, si res restituenda venit ex radice injustæ acceptionis?*

145 *Cui restituenda est quando venit restituenda ex contractu justo, vel ex re bona fide accepta, si dominus ignoratur?*

146 *Cui pertineant bona quæ dicantur vacantia?*

134 Dico primò: bona, quæ nullius fuerunt, ut sunt gemmæ, margaritæ, capilli, & alia similia, sunt primi occupantis, nisi lege aliqua humana illorum dominium alteri applicetur, ut diximus, *sectione antecedenti*. Ita cum communi sententia Lugo, *de justitia d. 6. num. 97.*

135 Dico secundò: bona illa, quæ à proprio domino pro derelictis habentur, sunt primi occupantis. In hoc conveniunt DD. Quæ autem bona dicantur pro derelictis? est tota controversia inter DD. Et in primis quando de domini intentione non constat, id ex conjecturis colligendum est, ut bene advertit

136 Lugo, *suprà num. 99.* Si enim dominus potest rem facile recuperare, eamque negligit, & tacet, videtur pro derelicto habere. Vnde ea quæ in tempestate projiciuntur causa levandæ navis, vel navis ipsa relicta in medio fluctuum fracta, & allisa, non habentur pro derelicto, cum dominus nec vult illa projicere, & projecta optat ad se revertij unde hæc si ab aliquo eripiantur, sunt sui domini deductis expensis, & pretio laboris in eis extrahendis restituenda.

137 Excipe nisi res, quæ projicitur in mare tempore naufragij, vel relinquitur in navi fracta, & allisa sit statim peritura: nam si res sit statim peritura, ita ut quod nulla spes sit domino ea bona iterum recuperandi, quia nullus est qui etiam pecunia oblata vellet ea propter periculum vitæ eripere, tunc habentur pro derelictis, & ideo fiunt primi occupantis, non tamen, si erat spes domino ea recuperandi. Ita Decastillus, *lib. 2. tra. 2. disp 9 dub. 15. num. 405.* Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 2 dub. 9. num. 2. in fine.* Petrus, Navarra, Mercado, Sylvester, quos refert Fagundez *de justitia lib. 2 cap. 16. num. 14.* Hinc fit quod si quis ad alleviandam navim tempore naufragij projiciat in mare res compositas in arca, vel fardis, non haberi pro derelictis, siquidem spes esse potest ea iterum recuperandi transacto naufragio, secus dicendum est, si projiciat sacchari arcam, vel farinam, vel papyrum: nam hæc statim pereunt, ac per consequens non est spes ea iterum recuperandi. Ita Glossa, *ad l. si. quis ff. pro derelicto*, & à fortiori DD. pro nostra sententia.

138 Quibus adde quod licet hæc omnia, sicut quæ ab incendio, vel à faucibus feræ eripiuntur, etiam cum periculo vitæ, pertineant ad dominum, ut cum multis vult Palaus, *disp. unica p. 18. de justitia num 3.* id debet intelligi, deductis expensis, & æstimatione laboris, & periculi, quod in liberanda re, quis apposuit. Hæc autem in simili eventu, tanti sæpe valent, quantum valet res ipsa, aut pluris. Vnde quamvis prior dominus jus habeat vendicandi rem solutis illis operibus, & expensis, potest tamen credi remittere eam recuperanti pro pretio, ac labore posito in recuperatione illius. Vnde si dominus nihil dicat, poterit quis rem quam è fluctibus eripuit retinere, tanquam ratione periculi concessam, ut probat Lessius, *lib. 2. cap. 5. dub. 17. num. 67.* Fagundez, *de justitia lib. 2. cap. 16. n. 7.* Trullenc. *suprà n. 1.*

139 Et idem dicendum est de lignis, quæ vi fluminis, & inundatione asportantur, si enim exigui sint, & dominus longe absit, & habenda sunt pro derelictis, si vero sint talia, quæ prudentis arbitrio judicatum fuerit velle dominum, ut sibi restituantur, ei reddenda sunt, dummodo solvat quanti industria, & labor in illis eripiendis æstimatur, dominus verò agri potest judicio contendere, ut domino, lignorum tempus designetur, intra quod ligna à prædio extrahat, sin minus tanquam derelicta habeantur. Palaus, *suprà num. 5.*

140 Dico tertiò: qui aliqua bona forte in platea, vel alio loco invenit, si facta sufficienti diligentia domi. num non venerit, tuta conscientia ea sibi potest retinere, & non tenetur ea in pauperes distribuere, etiamsi dives sit. Ita Sotus, Ledesma, Sarmiento, quos refert, & probabile putat cum Vasquio, Decastillus, *lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15. num. 422. & 431.* Megala, quem refert, & sequitur Diana, *p 2. tract. 3. resol. 5.* Lopez, Lessius, Aragonius, Malderas, & alij, *quos refert*, Lugo, *de justitia d. 6. n. 138.* Caramuël, *in Theologia morali lib. 2. num. 322.* Balæus, *verbo bona incerta num. 2.* contra multos, quos refert, & sequitur Lugo, *suprà.*

Ratio autem est; quia quoties dominus non habet spem rem suam recuperandi, cedit juri suo, & secundum humanam æstimationem non vult de illa disponere; ergo fit primi occupantis, patet consequentia, quia licet illa bona adhuc physice habeant dominum, statim atque facta diligentia dominus non compareat, moraliter iudicantur sub nullius dominio propter voluntatem præsumptam domini nolentis amplius de re illa disponere; sed quando res est moraliter sub nullius dominio fit primi occupantis, producit enim illam inventor de non esse humanitus ad esse humanitus ut bene advertit Caramuël, *suprà*: ergo fit primo occupantis ac per consequens non tenetur eam in pauperes dividere.

141 Sed quæres, quid faciendum si dominus consumpta omnino re inveniatur? Respondeo quod si res bona fide fuit consumpta, quia inventor fecit si ficientem diligentiam pro domino, nec ex illa re inventor factus sit ditior, ad nihilum teneri, bona enim fide, & titulo D. providentiæ consumpsit, ut bene cum Soto, notat Decastillus, *suprà num. 424.* Quod si res extet,

vel

vel aliquid in quo inventor factus sit ditior, tenetur rem, vel illud in quo factus est ditior, suo domino comparenti reddere, quia nemo debet alienis rebus ditescere. Ita cum Lessio, Decastillo, Tamburinus, *tract. 4. lib. 8. cap. 1. §. 9. num. 28.*

142 Quam autem diligentiam debeat adhibere inventor pro domino, ut eo non invento possit rem sibi retinere? Mirum est quàm variè loquantur DD. ut videre est apud Caramuelem, *suprà n. 330.* Dicendum tamen existimo, id ex loco ubi res invenitur, & ex gravitate rei inventæ, & ex aliis circunstantiis pendere, major enim diligentia requiritur pro graviori, quam pro minori re. Unde id ex prudentis arbitrio discernendum est, si enim res inventa minus valeat, quam expensæ in inquisitione domini faciendæ, proculdubio censetur pro derelicta, ut bene advertit Caramuel, *suprà*: vide etiam Basæum, *verbo bona incerta num. 1.*

143 Dico quartò: bona incerta dicuntur, quæ dominum creduntur habere, sed ignotus est, non enim dicitur dominus ignotus, quando scitur rem pertinere ad unum ex duobus, vel tribus; in hoc enim casu dominus non ignotus, sed incertus est. Et idem dicendum est quando damnum infertur pluribus de una civitate, ut si civitas bello injusto deprædetur; in his ergo casibus, si dubium solum sit ad quem ex tribus res pertineat, dividenda est inter illos, juxta ipsorum voluntatem, & pro rata majoris probabilitatis, & dubij, si vero damnum datum fuit pluribus ex una civitate, & nescitur quibus illatum est, debet restitutio fieri viro probo, vel Episcopo, aut magistratui, ut dividat inter singulos cives pro damno accepto, quantum fieri potest Lugo, *de justitia d. 6. num. 148.* Decastillus, *lib. 2. tract. 2. disp. 9. n. 365.* Tamburin. *lib. 8. cap. 1. §. 3. n. 19.* Quod si hoc idem non potest, ut accidit, quando quis defraudavit in pretio, vel mensura eos, qui emunt minutiores cibos, non enim potest scire, quos in particulari læsit, scit tamen læsisse hanc viciniam, hanc civitatem, hunc populum, tunc judicio prudentis viri, aliquod bonum commune his defraudatis faciat, quo quantum fieri potest damnum compensetur; Tamburinus, *lib. 8. cap. 1. §. 3. n. 19.* Decastillus, *suprà num 366.* Quod si damnum non civibus particularibus, sed bonis communitatis, v. g. ejus redditibus, vel fundo illatum est, non civibus particularibus, sed communitati ipsi facienda est restitutio; in his enim casibus, vel non ignoratur dominus, ut quando quis læsit bona communitatis, vel tantum est incertus dominus, non tamen ignoratur, cum inferens damnum sciat rem pertinere ad cives illius civitatis, vel ad unum ex tribus, nescit tamen, quibus in particulari. Ita Tamburinus, *suprà num. 9.* Decastillus, *suprà num. 365.*

144 Dico quintò: quando nulla humana industria cognosci potest, cui, vel quibus res debetur, quo casu proprie dicimus dominum ignorari, si res restituenda venit ex radice injustæ acceptionis, vel similis injustitiæ, tunc si facta diligentia dominus inveniri non potest, res pauperibus; vel loco pio restituenda est. Ita statuit Alexander III. *cap. cum te de usuris*, quod doctores extendunt ad incerta ex aliis delictis debita, ut ex furto, rapina, damno, dato, & iniquis contractibus, ne hominibus iniquis integrum sit, ex usuris, iniquitate, & injuriis ditescere, ut bene cum communi sententia docet Decastillus, *suprà num. 168.* Non tamen hæ res debentur pauperibus, vel loco pio de jure naturæ, sed solum ex jure positivo, ut bene observat Basæus, *verbo bona incerta n. 4.* & cum multis Decastillus, *sup. n. 371.* Poterit tamen habens talia bona incerta, etiam injuste acquisita, ea sibi retinere, si vere pauper sit, non enim deterioris conditionis aliis pauperibus esse debet. Ita Tamburinus, *sup. n. 20.* & cum Petro, Nav. Filliucio, Lessio, Molina, Diana, *p. 4. tract. 4. resol. 46. & 113.* Basæus, *verbo bona incerta num. 3.* Imò poterit, etiamsi dives fuerit uti bulla compositionis, ut cum Joanne à Cruce, notat Tamburinus, *suprà numero 19.* Applicata autem re pauperibus, vel per bullam compositionis, post factam debitam diligentiam, si postea dominus comparuerit, is cui res applicata fuit ad nihilum tenetur, si res jam non extat, & in hoc nihilo factus sit ditior, quod si extet, vel in aliquo factus sit ditior, debet rem, vel id in quo factus est ditior restituere, ut cum multis docet Tamburinus, *suprà num. 28.* quamvis satis probabile sit, neque pauperem, nec illum, qui per bullam compositionis rem accepit, ad aliquid teneri, etiam si res extet, vel in aliquo factus sit ditior, ut cum Vasquio, Azorio, Henriquez, tenet Basæus, *suprà num. 8.*

Dico sextò: quando res incerta restituenda fuerit, 145
ex contractu justo, vel ex re, quocunque modo bona fide accepta, licitum est unicuique illam habenti eam sibi retinere, si facta diligentia dominus non comparear, hæc enim cum rebus inventis compari possunt, & tanquam adespota fiant primo occupantis, ut cum Palao, Navarro, docet Tamburinus, *suprà n. 31.* & cum Lessio, Basæus, *sup. n. 4.*

Dico septimò: bona vacantia, ea scilicet, quæ 146
domino vacant, eo quod dominus illorum decesserit hærede non relicto, qui ab intestato succedat; hæc igitur bona spectato jure communi Fisco, adjudicata sunt in regis sumptus, *l. unica C. de bonis vacantib. lib. 10.* Et idem est de jure Regni Castellæ, *l. 12. tit. 8. lib. 5.* Et de jure Lusitano, *lib 2. ord. tit. 15. §. 16.* tametsi ex Regia liberalitate captivis redimendis applicata sunt, *lib. 1. ordin. tit. 89 §. 1.* Ex hac tamen regula excipitur peregrinus, cujus bona vacantia authoritate Episcopi illius loci, in quo decessit distribui debent juxta, *Authent. omnes peregrini C. immunia de successionib.* nisi forte hospitale, in quo decessit privilegium succedendi habeat, uti regulariter habent omnia hospitalia Hispaniæ. Vide Molinam, *tract. 2. d. 53.* Palaum, *d. unica de justitia p. 19.* Decastillum, *lib. 2. tract. 2. d. 9. à num. 436.*

SECTIO XII.

De modo acquirendi dominium per alluvionem, accessionem, formationem, confusionem, & mixtionem.

SUMMARIUM.

147 *Alluvione acquiritur dominiũ, & cui acquiratur*
148 *Quando res aliena adjungitur rei alicujus, ita ut non possit, salva re, ab ea separari, cui pertineat dominium?*
149 *Quid si possit salva re separari?*
150 *Quid dicendũ sit de plantis in solo alieno positis?*
151 *Quid si quis ex aliena materia speciem fingat?*
152 *Quid si ex diversorum materiis per confusionem fiat unum tertium?*
153 *Quid si duæ res duorum dominorum inter se misceantur?*
154 *Fur si immisceat rem furatam cum sua, ita ut discerni nequeat, efficitur dominus illius cum obligatione restituendi æquivalens.*
155 *Si eam alicui dedit an recipiens fiat illius dñs?*
156 *Quid si fur rem furatam cum sua non immiscuit, sed solum alicui dedit, an is teneatur ad restitutionem, sive bona sive mala fide acceperit.*

147 Dico primò: Alluvione acquiritur dominium, *l.adeo §. 1.ff.de acquirend. rer. domin.* Est autem alluvio, incrementum vel decrementum, quod flumen decursu temporis prædio alicui præstat. Hoc autem incrementum, aliud est latens, aliud patens; latens est quod paulatim, & quasi latenter flumen adjicit, hoc autem incrementum, vel decrementum ejus est, cujus est prædium, cui adjungitur, quia vix à prædio distinguitur, patens vero est quod palam, & patenter fit, ut quando ex fluminis vi detrahitur aliqua pars fundi alicujus, & transfertur in fundum alterius; & hoc incrementum pertinet ad dominum agri, à quo sublatum est. Si vero alluvione in medio fluvij fiat insula, dividitur inter vicinos illius, qui sunt è regione oppositos. Si insula sit magis vicina uni, quam alteri, ad illum pertinet, cui vicinior reperitur, quod si fluvius divertat per alium alveum ab antiquo, novus alveus fit publicus, vel ejus cujus est fluvius, antiquus vero alveus accrescit illis, qui agros utrinque habent. Quod si fluvius ex agro alicujus insulam faciat, nemo dubitat insulam esse illius, cujus erat ager, insula tamen in medio maris est primi occupantis. Ita ex variis testibus probat Palaus, *disp. unica p.21.num.6.* Molina, *tom.1.d.57. Lugo de justitia d.6.num. 157.* ubi etiam inveniens, an hæc accrescant usufructuario, an domino, an feudatario? quæ sunt quæstiones pertinentes ad jurisperitos.

148 Dico secundò: quando res aliena adjungitur rei alicujus, ita ut non possit ab illa separari salva re, ut si fila purpurea aliena fuerint intexta cum aliis filis alterius domini, vestemque composuerint, tunc fila purpurea cadunt sub dominio illius, cujus est vestis, ipse tamen tenetur reddere domino æstimationem suorum filorum purpureorum. Et idem dicendum est de pictore pingente in tabula aliena: nã si pictura pretiosior sit tabula, totum erit pictoris cum obligatione solvendi pretium tabulæ, secus si tabula pretiosior sit pictura: nam tunc totum erit domini tabulæ, cum obligatione solvendi æstimationem picturæ. Ita Tamburinus, *lib. 8. Decalog. cap. 3.*

149 *§. 4.num. 13. & §. 5. n.6.* Quod si res adjuncta separari possit salva re, ut si tuo annulo inseratur adamans alterius, utrumque permaneat sub dominio illius, cujus antea erat; cum enim utrunque separari possit, non est cur non separentur, & unumquodque detur domino suo. Ita Lugo, *supra n.160.* Decastillus, *lib. 2. de justitia tract. 2. d. 5. num. 184* Sed quid si in solo alieno domum ædifices? Respondeo, quod si bona fide ædificasti, domum esse illius, cujus est solum, ipse tamen tenetur tibi expensas solvere, si commodum ex eo ædificio accepit, secus si mala fide ædificasti: nam tunc nihil dominus soli tenetur solvere, neque diruto ædificio vindicatio ejus materiæ tibi competit, quia præsumeris donare, vel temere fecisse, ut constat, *ex §. certe instit. de rer. divisi.*

150 Et idem dicendum est de plantis, & arboribus, quæ domino soli, in quo sunt positæ cedunt. Quare si alienas plantas tuo solo posueris tuæ sunt, teneris tamen illarum æstimationem reddere. E contra vero si alienum solum seminaveris ad dominum soli pertinet totum, tu vero ab eo æstimationem seminis exigere potest, si bona fide seminasti, secus si mala

151 fide. Planta vero æque in tuo, & in alieno fundo radices mittens, tibi & alteri communis erit. Sed quid si juxta tuum molendinum in eodem flumine aliud ædificetur? Respondeo, quod si fluvius sit navigabilis neminem ibi absque licentia reipublicæ posse molendinum aliquod ædificare, si vero fluvius sit innavigabilis, vel in casu quod sit navigabilis, si detur licentia reipublicæ, potest quilibet, sive infrà, sive supra aliud molendinum ædificare, dummodo aquam priori non detrahat, nec diminuat ullo tempore, nec impediat usum aquæ, sicut antea habebat. Sed de his vide latius Palaum, *suprà, p. 20. per totum*, ubi plures textus citat, & authores.

Dico tertiò: si quis ex aliena materia speciem 152
fingat, ejus erit species, cujus est materia, si species in antiquam materiam reverti potest, ut si quis ex auro faceret sciphum, sive faciens sciphum bona, sive mala fide processerit; species enim accessoria est materiæ. Ita Palaus, *supra, p. 21. num. 2.* At si species in antiquam materiam reverti nequeat, ut si ex uvis, quis faceret vinum, si bona fide processit existimans uvas esse suas, dominium vini acquirit, cum obligatione reddendi domino uvarum æstimationem; secus si mala fide processit, uti præsumi debet, dum non probat contrarium: nam tunc dominium vini pertinet ad dominum uvarum; quia præsumitur facientem vinum illud donasse, vel temere fecisse. Ita habetur, *l. de eo. ff. si quis ff. ad exhibendum*, Palaus, *sup. num. 3.* & alij communiter.

Dico quarto: si ex diversorum materiis per con- 153
fusionem fiat unum tertium ut si ex vino unius & melle alterius fiat mulsum si ex utriusque consensu vel casu fiat, dominium mulsi eis pro indiviso competit & ad judicem pertinet dividere pro rata partium, si vero altero solo sic volente nesciente vel nolente altero ad illum pertinet dominium mulsi qui operam & majorem partem materiæ apposuit quibus tertium illud corpus conflatum est cum obligatione tamen reddendi æstimationem partis alienæ. Ratio autem est quia accessorium sequitur principale sed ex his principalior est opera & pars materiæ quam sola altera pars materiæ: ergo. Dixi qui majorem partem materiæ apposuit: nam si quis parvam mensuram sui mellis cum magno dolio vini alterius misceret, dominium pertineret ad dominum vini cum obligatione reddendi æstimationem mellis propter eandem rationem. Ita cum Palao, & aliis Tamburinus, *lib. 8. cap. 3. §. 4. num. 11.*

Dico quintò: si duæ res duorum dominorum, ita 154
inter se misceantur, ut ex eis non resultet aliud tertium, ut fit quando ex confessione mellis, & vini resultat mulsum, sed solum in se sint indistinguibiles, propter similitudinem, quo casu dicimus dari mixtionem, sive res mixtæ sint frumentum, gallinæ, pecora, pecunia, &c. si ex consensu utriusque domini, vel casu misceantur, utrique competit dominium mixti, & ad judicem pertinet dividere pro rata partium, si vero ex sola voluntate miscentis fiat mixtio, tunc si pars, quæ miscetur propriis rebus est minor, vel æqualis, vel non multum excedens, & miscens habuit animum acquirendi dominium expressum, vel implicitum, proculdubio totius cumuli dominium acquisivit, sive cumulus fuisset hordei, frumenti, pecuniæ, pecoris, &c. siquidem ex una parte datur voluntas acquirendi dominium, & ex alia perinde se habet miscens, ac si frumentum, vel pecuniam expenderet; id enim æquivalenter facit illa confusa mixtio, qua partes utriusque minimè discerni possunt. Secus dicendum est, si in miscente defuit animus acquirendi dominium, sine enim voluntate non acquiritur dominium rei, vel quando res aliena multum excedit propriam, ut si quis modico frumenti cui adjungeret horreum frumenti alieni; tunc enim non judicatur facta ulla admixtio, cum parum pro nihilo reputetur. Ita cum aliis Tamburinus, *lib. 8. tract. 5. cap. 3. §. 4 à num. 15. usque 19.* Palaus, *disp. unica, p. 21. n. 5.* quidquid in aliquibus contradicat Lugo, *d. 6. de justitia n. 362.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc fit Religiosum miscentem pecuniam alienam, frumentum, vel quodcunque mixtibile cum suo, non facere contra paupertatem; quia cum non habuerit voluntatem acquirendi dominium, res mixta adhuc est sub dominio prioris domini, licet propter similitudinem discerni nequeat. Unde si pereat cumulus, utrique pro sua parte periit. E contra
154 vero fur, si rem furtivam cum sua misceat, ita ut discerni nequeat, efficitur dominus illius cum obligatione restituendi æquivalens; per actionem namque furandi clare expressit voluntatem acquirendi dominium. Unde si postquam rem furatam cum sua
155 miscuit, & partem illius cumuli, vel totum alicui dedit, sive recipiens bona, sive mala fide receperit, ad nihilum tenetur, si fur potens est per alia bona restituere, licet nolit, siquidem à vero domino, & sine damno creditorum accepit, cum per alia bona possit eis restituere.

Secus si fur impotens remanet ad restitutionem: nam tunc recipiens mala fide, hoc est, conscius furti, cooperatur injustitiæ furis, complendo per acceptationem donationem injustam, quæ efficax esse non potest sine acceptatione, ut bene cum communi sententia notat Palaus, *de justitia d. unica p.* 14. *numero* 7. quamvis etiam in hoc casu, si accipiens rem non induxit furem ad dandum, sed solum rem accepit, etiam cum mala fide, non teneri recipientem ad restitutionem docet etiam probabiliter Molina, *tract.* 2. *de justitia d.* 328. *concl.* 3. & Petrus Navar. Lessius, Salas, quos refert, & probabile putat *ibi num.* 6. Tamburinus, *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *cap.* 3. §. 4. *num.* 26. & cum Laïman, Lugo, *disp.* 17. *de justitia num.* 17. Diana, *p.* 2. *tract.* 5. *resol.* 59.

156 Quod si fur prædictam pecuniam furatam non immiscuit cum sua, sed solum illam alicui dedit, sive recipiens bona, sive mala fide receperit, tenetur illam suo domino restituere eo ipso quod cognoscit esse furatam: quod si cum alia sua immiscuit, adhuc tenetur in æquivalenti restituere, sive bona, sive mala fide susceperit; quia in tota illa quantitate, quam cum sua immiscuit, factus est ditior quod si illa bona fide à fure recepit, in totum consumpsit, ad nihilum tenetur, si in aliquo non est factus ditior, ut suppono, Tamburinus, *suprà num.* 15. & cum Sanchez, Petr. Navarra, Decastillus, *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 5. *num.* 190.

DISPUTATIO V.

De modo acquirendi dominium in rem alterius absque ejus consensu, quod fit per præscriptionem, vel usucaptionem.

SECTIO I.

Quid sit præscriptio, & usucaptio.

SUMMARIUM.

157 *Quid sit præscriptio, explicatur.*
158 *Usucaptio explicatur, & diffinitur.*
159 *Præscriptionis, & usucaptionis beneficium ob bonum publicum introductum est.*
160 *Beneficium præscriptionis, tam in foro externo, quam interno locum habet.*

157 Dico primò: relictis variis acceptionibus, præscriptionis, de quibus Decastillus, *lib.* 2. *tract.* 1. *d.* 1. *num.* 152. Præscriptio proprie accipitur pro dominij acquisitione, vel juris alieni elisione ex tempore legibus diffinito proveniente. Unde in hoc sensu accepta diffinitur, est acquisitio dominij, & juris per possessionem legitimo tempore ex legis
158 præscripto constitutam. Ita communiter DD. Usucaptio vero diffinitur, est acquisitio dominij per continuationem temporis lege diffiniti. Differt autem usucaptio, à præscriptione, quod usucaptio est acquisitio dominij per usum rei captæ, præscriptio vero sæpe extenditur ad extinctionem juris realis, seu personalis alterius, absque ulla dominij acquisitione & juris alieni usu, ideoque præscriptio latius patet, quam usucaptio, cum tamen omnis usucaptio, sit præscriptio, ut bene notat Palaus, *disp. unica de justitia p.* 22. *num.* 4. Sumpto igitur nomine dominij, pro acquisitione cujuscunque juris, tunc utraque vox præscriptio, & usucaptio idem significant, ut bene cum Molina advertit Decastillus, *lib.* 2. *tract.* 1. *d.* 1. *num.* 164.

159 Dico secundò: hoc beneficium præscriptionis, vel usucaptionis ob bonum publicum introductum est. Primò ne lites protraherentur, & ne possessores immortali timore teneantur. Secundò ne longo tempore dominia rerum confusa, & incerta essent. Tertiò ne homines in rebus, & juribus suis conservandis segnes, & negligentes essent. Ita habetur, *l.* 1. *de usucaptionib. & l. ult. ff. pro socio, & l. ut perfectius Cod. de annali. except. & cap. vigilanti de præscript.* Possunt tamen homines renuntiare huic beneficio præscriptionis, si velint; præscriptio enim primò spectat privatorum commodum, & secundario bonum publicum; sed quando lex bonum privatum primo respicit, quam publicum, renunciari potest, *l. si quis in conscribendo C. de pactis*: ergo, Ita cum Alciato, Ripa, Jason, & aliis Palaus, *suprà num.* 6. contra Lopez, Rebellum, & alios.

160 Dico tertiò: beneficium præscriptionis, tam in foro externo, quam interno, locum habet. Ita ut præscribens rem alienam nulla obligatione teneatur eam pristino domino restituere. Ita cum communi sententia Palaus, *d. unica p.* 22. §. 2. *num.* 3. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 15. *n.* 1. Ratio autem est, quia respublica potest quemvis dominio suarum rerum privare, & alteri applicare, quando id bono communi, rectæque justitiæ administrationi convenit, sed id convenit bono communi, ad vitandas lites, & dominorum incertitudinem: ergo præscriptio non solùm in foro externo, sed etiam interno, locum habet. Hæc autem præscriptio non solùm transfert dominium utile, sed etiam directum in rebus mobilibus, & immobilibus, ut notat cum aliis Palaus, *suprà num.* 6. Trullenc. *suprà num.* 2.

SECTIO II.

Declarantur conditiones requisitæ ad præscriptionem, specialiter prima, quæ est possessio.

SUMMARIUM.

161 *Quid sit possessio, & unde dicatur?*
162 *Non est necesse quod possessio semper reali apprehensione acquiratur.*
163 *Ut possessio sit civilis requiritur ut nomine proprio fiat, & non sufficit possessio naturalis, & nomine alieno.*

164 *Quoddam corollarium ponitur.*
165 *Quomodo probetur hujuſmodi poſſeſſio?*

SUppono ad præſcriptionem quatuor requiri conditiones, ſcilicet poſſeſſionem, bonam fidem, titulum probabiliter præſumptum, continuationem poſſeſſionis cum prædicto titulo, & bona fide per tempus à lege præſcriptum. Ita communiter DD. his ſuppoſitis,

161 Dico primò: prima conditio ſine qua non poteſt dari præſcriptio eſt poſſeſſio, quæ talis à poſitione pedum appellatur. Eſt autem poſſeſſio inſiſtentia actualis, ac quaſi habitualis in re aliqua ex apprehenſione corpore, & animo juris adminiculo pro-
162 veniens; ut cum Molina, notat Decaſtillus, *lib. 2. tract. 1. d. 1. num. 62.* Non eſt tamen neceſſarium, ut ſemper reali apprehenſione acquiratur poſſeſſio, ſed
163 ſatis eſt, ſi fictione juris aliquo actu apprehenſioni æquivalenti comparetur, requiritur tamen ut poſſeſſio ſit civilis, & juridica nomine proprio, & non ſufficit poſſeſſio naturalis, & nomine alieno.

164 Hinc fit excipientem veſtem alienam venditam à fure, etiam bona fide, non fieri illius dominum, quia licet naturaliter illam poſſideat, non tamen civiliter; civilis enim poſſeſſio eſt apud priſtinum dominum, dum ipſe ignarus eſt rem ſuam alteri eſſe tranſlatam; ab eo tamen puncto, quo id cognoſcit, & non curat recuperare ſuam veſtem, incipit alter poſſidere illam civiliter juxta, *l. clam. poſſidere §. qui ad nundinas*, ut cum communi ſententia notat Palaus, *diſp. unica p. 22. §. 4. num. 3.* Et eadem ratione, neque colonus, conductor, commodatarius, pignoratitius, tutor, curator, procurator, ſervus, filius familias, in his quæ domino, & patribus acquirunt emphyteuta, feudatarius, uſufructuarius, & omnes incapaces poſſidendi, ut ſunt laïci reſpectu rei ſacræ, & Eccleſiaſticæ, & regulares præſcribere poſſunt; quia omnes iſti vel non poſſident civiliter, & nomine proprio, vel ſunt incapaces poſſidendi; poterit tamen uſufructuarius, feudatarius, & emphyteuta fructus præſcribere, quia hos nomine proprio poſſidet. Ita cum communi ſententia Palaus, *ſuprà num. 5.*

165 Dico ſecundò: hujuſmodi poſſeſſio probatur, ſi quis probet ſe antiquitus poſſediſſe, & de præſenti poſſidere: nam tunc præſumitur intermedio tempore poſſeſſionem continuaſſe, ſiquidem à poſſeſſione nemo cadit, niſi animum poſſidendi mutet, quæ mutatio non præſumitur, *cap. majores §. ultimo de Baptiſmo*, Ita cum multis Palaus, *ſuprà numero 7.*

SECTIO III.

Explicatur ſecunda conditio, quæ eſt titulus.

SUMMARIUM.

166 *Titulus eſt cauſa ex ſe ad transferendum dominium.*
167 *Non eſt neceſſe ut titulus ſit verus, ſufficit ſi probabiliter verus putetur.*
168 *Ad præſcriptionem triginta, quadraginta, vel centum annorum, nullus titulus requiritur, ſed ſufficit illius præſumptio, dummodo jus ei non reſiſtat.*
169 *Poſſeſſio immemorialis non ſufficit ad præſcribendum, ſi conſtet de mala fide poſſeſſoris.*

DIco primò: ſecunda conditio ad præſcribendum eſt titulus, ut conſtat *ex cap. ſi diligenti de præſcript.* Titulus autem eſt cauſa ex ſe habilis ad transferendum dominium, uti eſt donatio, hæreditas, legatum, emptio, venditio, tranſactio, adjudicatio. Non eſt autem neceſſe ut talis titulus ſit verus; nam hic ſine præſcriptione ſufficit ad transferendum dominium; ſed ſatis eſt ut probabiliter putetur verus, quamvis re vera ſit invalidus. Imò non eſt neceſſarium ut re ipſa ſemper adſit titulus: nam licet ad præſcriptionem decem, vel viginti annorum, neceſſario titulus adeſſe debeat, ad præſcriptionem tamen triginta, quadraginta, vel centum annorum, nullus titulus requiritur ſed ſufficit præſumptio illius, dummodo jus ei non reſiſtat prohibendo ſcilicet poſitivè talem poſſeſſionem: nam tunc requiritur poſſeſſio immemorialis, quæ etiam non ſufficit, ſi conſtet de mala fide poſſeſſoris, vel de ignorantia etiam invincibili juris non dubij, quæ malæ fidei æquivalet, & bene notat Lugo, *de juſtitia diſp. 7. n. 15.* vide etiam Palaum, *d. unica p. 22. §. 5. num. 4.* Trullenc. *ſuprà num. 4.* Decaſtillum *ſuprà n. 220.* Malleum, *malleatione 19. Decal. Bracton 3*

166 167 168 169

SECTIO V.

Explicatur tertia conditio præſcriptionis, quæ eſt bona fides.

SUMMARIUM.

170 *Quid ſit bona fides explicatur.*
171 *Si quis antequam rem incipiat poſſidere dubitet, an res ſit aliena, non ei ſuffragatur bona fides.*
172 *Quid dicendum ſi dubium ſit in principio poſſeſſionis, ut ſi quis inveniat in monte gemmam & dubitet an habeat dominum.*
173 *Qui bona fide cœpit poſſidere, poſtea adveniente dubio, poteſt proſequi poſſeſſionem.*
174 *Quid ſi per errorem putet ſe non poſſe continuare poſſeſſionem?*

DIco primò: tertia conditio ad præſcribendum eſt bona fides poſſeſſoris, *ex regul. poſſeſſor. de regul. juris in 6. & ex cap. ultimo de præſcript.* Eſt autem bona fides credulitas, qua quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit eſſe alienam. Hinc fit, quod ſi quis antequam rem incipiat poſſidere dubitet eſſe alienam, non illi ſuffragari bonam fidem, ſiquidem cum faciat vicem authoris, debebat probare rem ad alterum non pertinere, & authore non probante reus abſolvitur. Secus dicendum eſt, ſi poſtquam rem incepit bona fide poſſidere, dubitaret an res eſſet aliena: nam tunc ſi poſſeſſor faciat diligentiam ad inveſtigandum, an res ſit aliena, poteſt rem poſſidere, à quo poſſeſſione non poteſt expelli, niſi poſitive illi probetur rem eſſe alienam: nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Quod ſi dubium ſit in principio poſſeſſionis, non ſolùm an res ſit aliena, ſed etiam an poſſideatur ab alio? ut ſi quis inveniat in monte gemmam, & dubitet an ſit ſine domino, vel ad aliquem pertineat? tunc exiſtimo poſſe inventorem illam accipere ſub conditione, ſi non ſit alienæ, & ſi facta diligentia non repetiat eſſe alienam, acquirere in eam dominium, non ex vi præſcriptionis, cum eam ſub conditione poſſederit, quod non ſufficit ad præſcribendum, ſed quia eam per occupationem fecit ſuam; cum enim dominus facta diligentia non compare-

170 171 172

rit,

Digitized by Google

rit, fuit primi occupantis, ut bene notat Lugo, *de justitia d. 7. num. 22.*

173 Advertè tamen quod licet de facto, qui bona fide cœpit possidere, possit postea adveniente dubio prosequi possessionem, absque alicujus injuria, si tamen per errorem putet se non posse licitè continuare possessionem absque alicujus injuria, eo ipso amittat bonam fidem, ac per consequens interrupit possessionem spectato tam jure naturali, quam civili, & canonico; siquidem illud judicium, etsi erroneam reddit conscientiam peccaminosam, cum qua non potest stare bona fides, ut recte docet Palaus, *disp. unica p. 22. §. 7. num. 3.* Lugo, *suprà n. 7.*

174 contra Molinam. Aliter dicendum est si habens rem titulo, v. g. emptionis putet se esse in mala fide, si alias ex alio titulo, v. g. successionis putet se esse in bona fide: nam hic simpliciter est in bona fide, & potest rem præscribere, ut cum Molina, Filliucio, Trullenc. *lib. 7. cap. 4. dub. 3. num. 2.* Lugo, *sup. n. 28.*

SECTIO V.

An ignorantia invincibilis juris, vel facti faciat aliquem bonæ fidei possessorem.

SUMMARIUM.

175 *Ignorantia crassa non facit bonæ fidei possessorem.*
176 *Ignorantia facti causat bonam fidem in possessore ad præscribendum.*
177 *Ignorantia invincibilis juris clari in foro conscientiæ facit bonæ fidei possessorem.*
178 *Quid dicendum sit in foro externo?*

175 SUppono ignorantiam crassam, & affectatam, non facere bonæ fidei possessorem: in hoc conveniunt DD. difficultas igitur solum est de ignorantia invincibili. Hoc supposito,

176 Dico primò: ignorantia, & error facti, ut si quis rem à fure, vel à pupillo acciperet, ignorans esse furem, vel pupillum, causat bonam fidem in possessore ad præscribendum; siquidem possessor credit rem sibi competere, titulumque legitimum ad eam præscribendum habere, etiamsi re vera non habeat. Et idem dicendum est de ignorantia juris non clari, sed ambigui, quia ipsa ambiguitas juris facit probabilem utramque partem; posita autem opinione probabili pro utraque parte, potest quis quamcunque probabilem partem sequendo rem præscribere, ut cum Lessio, Filliucio, Bonacina, & aliis communiter Trullenc. *sup. dub. 4. num. 4.* Lugo, *suprà num. 29.*

177 Dico secundò: ignorantia invincibilis juris clari, ut si quis aliqua comparuerit per contractum usurarium, existimando usuras esse licitas, in foro conscientiæ facit bonæ fidei possessorem ad præscribendum. Ita Medina, *Cod. de restitutione quæst. 17. §. antepenultimo*, probabile putat cum Lessio, Lugo, *d. 7. num. 32.* Palaus, *d. unica p. 22. §. 7. num. 2.* quidquid dicat cum communi sententia Fagundez, *de justitia lib. 2. cap. 15. num. 15.* Trullenc. *suprà num. 3.* Ratio nostræ resolutionis est; quia ex eo leges dicunt cum ignorantia juris dati non præscribi, quia cum tali ignorantia non præsumitur bona fides: atqui in foro conscientiæ constat de bona fide, ut suppono; ergo in foro conscientiæ, in quo de hac veritate constat, cum tali ignorantia datur præscriptio. Confirmatur quia etiam in contraria sententia sufficit ignorantia invincibilis juris clari ad præscribendum fructus ex tali re ut tenet cum multis Trullenc. *suprà num. 3.* & ut miles, mulier, minor, & rusticus, & alij similes, præscribant, quia hi præsumuntur bonæ fidei possessores, ut docet Lessius, *lib. 2. cap. 6. dub. 5. n. 15.* Sed etiam alij in foro conscientiæ sunt bonæ fidei possessores: ergo.

178 Imò addo, Quod si in foro externo constet ignorantiam fuisse inculpabilem valere præscriptionem, non solùm in foro interno, sed etiam externo. Fateor tamen in foro externo difficilem esse hujus ignorantiæ inculpabilis probationem; quia adversus præsumptionem juris, & de jure non admittitur regulariter probatio nisi ex causa extraordinaria, ex judicis benignitate, vel restitutione in integrum, si qua mihi justa causa esse videbitur, *juxta l. 1. in fine ff. ex quibus causis majores*; at missa hac probatione, & constituto, vel ex confessione partis adversæ, vel aliunde, præscribentem omnem in perscrutanda veritate diligentiam adhibuisse, præscripto in utroque foro effectum haberet. Ita Palaus, *suprà num. 6.*

SECTIO VI.

An mala fides authoris noceat bonæ fidei successoris?

SUMMARIUM.

179 *Mala fides authoris nocet successori universali.*
180 *Successor in particulari valide præscribit, modo bonam fidem habeat.*
181 *Idem dicendum est in successore in officio, vel beneficio.*
182 *Potest quis habere bonam fidem respectu unius partis fundi, & non respectu alterius.*
183 *Bona fides antecessoris prodest successori ad præscribendum?*

DIco primò: mala fides authoris nocet successori universali, hoc est, qui accepit rem, ut hæres immediatus, qualis est filius, nullo tempore potest eam præscribere, etiamsi eam bona fide acceperit; quia hæres defuncti, ita repræsentat personam defuncti, ut succedat in omnes ejus obligationes, & onera; cum ergo prædecessor ob malam fidem, & injustam rei acceptionem, & retentionem contraxerit obligationem restituendi, & impediendi præscriptionem illius rei, & refaciendi omnia damna, hæres in hac ipsa obligatione succedit, & ideo non potest cooperari præscriptioni, quam ipse tenetur impedire. Ita cum multis Lugo, *d. 6. num. 60.* Basæus, *verbo præscriptio n. 7.* Non est tamen improbabile hæredem posse præscribere spatio triginta annorum Basæus, *sup. n. 7.* Palaus *d. unica p. 22. §. 9. n. 3.* Hæres tamen mediatus, id est, hæres hujus hæredis, potest eam tempore ordinario præscribere, si bona fide hæres prior possederit. Basæus, *suprà num 7.* 179

Dico secundò: successor in re particulari, ut donatarius, emptor, & legatarius, &c. valide præscribit, modo bonam fidem habeat, non enim personam authoris repræsentat, sed tempus computandum est à die obitus defuncti, & non ante. Ita cum communi sententia, Basæus, *suprà n. 7.* Et idem dicendum est de successore in officio, vel beneficio, aut dignitate Ecclesiastica: nam licet ejus prædecessor ob malam fidem non possit præscribere, bene tamen successor; quia hic non possidet à defuncto, nec ejus personam repræsentat, sed ex concessione, vel collatione ejus, ad quem pertinet beneficium aut dignitatem conferre Basæus, *suprà num. 7.* & cum Molina, Felino, & aliis Lugo, *suprà n. 6.* Et idem dicendum est de eo, qui bona fide accepit rem alio titulo, ut legati, donati, empti, ab authore malæ fidei, hic namque potest præscribere tempore ordinario, præ- 180

terquam

Digitized by Google

terquam in duobus caſibus, primus eſt ſi res ſit immobilis, & is contra quem præſcribitur ignoret eam ab alio poſſideri. Secundus eſt ſi illa res ſit furtiva, vel vi poſſeſſa, tunc enim requiruntur triginta anni. Ita cum Leſſio, Baſæus, *ſuprà num.* 8.

182 Tandem poteſt quis habere bonam fidem reſpectu unius partis fundi, & non reſpectu alterius, reſpectu uſusfructus, & non proprietatis rei; Secus dicendum eſt de mala fide ejuſdem rei, reſpectu diverſarum perſonarum v. g. poſſidet quis fundum, quem putat eſſe, v.g. Petri, cum tamen re vera non ſit, ſed Pauli: non poteſt præſcribere contra Paulū, quia licet credat rem eſſe Petri, conſcientiam habet rem eſſe alienam, cum tali autem conſcientia ſtare non poteſt præſcriptio. Ita cum communi ſententia Lugo, *d.* 7. *n.*16. Palaus, *ſup.* § 10. *n.* 3. contra Molinam, Egidium, Felinum, & alios, quos ibi refert Palaus, *n.* 1. An autem bona fides prædeceſſoris proſit ſucceſſori ad præ-

183 ſcribendum? Reſpondeo affirmativè. Unde ſi ſucceſſor dubitet an res relicta ſit aliena, ſi facta diligentia, non comperiat certo eſſe alienam, poteſt rem accipere, & poſſidere bona fide, non obſtante tali dubio, ob bonam fidem ſui prædeceſſoris, in cujus jure, & poſſeſſione ipſe ſuccedit, quæ poſſeſſio nō minus deſerviet ad præſcriptionē, quam ſi abſq; ullo dubio incepiſſet poſſidere. Ita cū Sanc. Molina, Lugo, *ſup. n.* 64.

SECTIO VII.

An in aliquo ſpeciali caſu poſſit cum mala fide præſcribi.

SŪMMARIUM.

184 *In nullo caſu dari poteſt præſcriptio cū mala fide.*

185 *Poteſt dari lex quæ præcipiat quod aliquis ſine poſſeſſione bonæ fidei poſitivæ, ſed tantum abſque mala fide aliquid præſcribat.*

186 *Damnatus ad pœnam, vel ad amiſſionem ſuorum bonorum poteſt certo tempore præſcribere contra fiſcum.*

187 *Poteſt quis extinguere jus quod alter habet ratione ſervitutis in re ſua, & præſcribere paſſivè libertatem.*

184 Dico primò: in nullo caſu dari poteſt præſcriptio cum mala fide, ut patet *ex c. ult. de præſcriptionib.* Nec dari poteſt lex quæ inducat præſcriptionem in favorem poſſeſſoris malæ fidei; hoc enim eſſet favere injuriis propoſito illis præmio præſcriptionis, poteſt tamen dari lex quæ ob bonum publicum præ-

185 cipiat quod aliquis ſine poſſeſſione bonæ fidei poſitivæ, ſed tamen abſque mala fide aliquid præſcribat vel quaſi præſcribat; & ita videtur lege ſancitum ut ſervitutes, v. g. viæ, aquæductus &c. præſcribantur per hoc ſolum quod is cui debentur certo quodam tempore eis non utatur: ad quem effectum nō eſt neceſſe quod is, qui præſcribit habeat bonam fidem poſitivam qua credat ſe non debere talem ſervitutem: nam etſi ſciat ſe illam debere dum tamen non reſiſtit nec impedit habentem illud jus ne illo utatur id ſufficit ad præſcribendum. Ita Lugo *de juſtit. d.* 7. *n.* 48.

186 Hinc ſit damnatum ad aliquam pœnam, vel amiſſionem ſuorum bonorum, poſſe determinato tempore præſcribere debitum pœnæ, vel bonorum, applicatum fiſco; quia ipſe non tenetur in ſe ipſum pœnam applicare, ſed tantum pati illius executionem, ſine reſiſtentia, excepto caſu hæreſis, in quo, nec per quadraginta annorum ſpatium præſcribit reus, vel ejus hæredes bona confiſcata, ut patet, *ex c. accuſatus §. de hæreticis lib. 6. & cap. præſcriptionibus eodem titulo*, in odium namque hæreſis impeditur in hoc caſu præſcriptio, Lugo, *ſuprà num.* 50.

Secundò ſit, poſſe quemlibet extinguere jus, quod 187
alter habet ratione ſervitutis in re ſua acquiſitum, & præſcribere paſſivè libertatem, ut ita dicam, rerum ſuarum, ſi tempore debito ad præſcribendum ille non utatur jure ſuo, ut ſi Petrus habeat jus tranſeundi per meum hortum, extrahendi aquam à meo puteo, paſcendi oves, vel venandi in meo agro, ſi per tempus ſufficiens ad præſcribendum is ſervitutibus non utatur, & ſi ego ſciam illum per eum non uſum ſervitutem illam paulatim amittere, nihil facio illicitum, nec aliunde teneor illum monere, etſi ego ſciam illum hoc jus vere, & legitime acquiſitum contra me habere. Et licet ego non poſſideam illam negationem tranſitus, & libertatem à ſervitute, ut quid meum, quod requiritur ad bonam fidem poſitivam, non tamen illam poſſideo mala fide, ſed tantum illam poſſideo naturaliter, quæ poſſeſſio naturalis, licet non ſufficiat ad præſcribendum in his, quæ requirunt actionem ex parte præſcribentis, ut ſi quis vellet ædificium altius protrahere, feneſtras aperire, piſcari, vel venari, vel paſcere oves in alterius agro, contra jus quod alter habet, ne tale ædificium altius protrahatur, vel feneſtræ aperiantur &c. ſufficit tamen, ad præſcribendum libertatem à ſervitute, ne quis per meum hortum tranſeat, vel ex puteo meo aquam aſportet &c. ſi per ſufficiens tempus hi, qui tale jus habent eo non utantur; quia ad hoc nulla requiritur actio ex parte præſcribentis, ſed tantum non uſus ex parte habentis tale jus. Ita & bene Lugo, *ſuprà num.* 51. & cum Leſſio, Medina, Fagundez, *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. & 23.

SECTIO VIII.

De quarta conditione ad præſcribendum, quæ eſt continuatio poſſeſſionis per tempus à lege præſcriptum.

SŪMMARIUM.

188 *Res mobilis de jure communi præſcribitur triennio, & bona fide.*

189 *Res immobiles privatorum quo tempore præſcribantur.*

190 *Quod tempus requiratur ad præſcribendum contra Eccleſiam Romanam, vel contra alios.*

191 *Bona principis quomodo præſcribantur.*

192 *Servitus perſonalis, quæ debetur perſonæ à perſona numquam præſcribitur.*

193 *Servitus mixta quæ debetur àre perſonæ, quomodo præſcribatur?*

194 *Initium poſſeſſionis quomodo accipiatur in ſervitutibus affirmativis, & quomodo in negativis, ut detur præſcriptio?*

195 *Servitus realis quomodo extinguatur?*

196 *Jus patronatus Eccleſiæ quomodo à laico præſcribi poſſit?*

197 *Beneficium Eccleſiaſticū quomodo præſcribatur?*

198 *Debita, & actiones æris alieni, & rerum mobilium, & immobilium quomodo præſcribantur?*

199 *Bona prohibita alienari, ut ſunt majoratus, an & quomodo præſcribi poſſint?*

200 *Contra leges civiles an præſcribi poſſit?*

Dico primò: res mobiles de jure communi novo 188
præſcribuntur triennio, & bona fide, & hoc ſive ſit hominis privati, ſive Eccleſiæ Romanæ, exceptis rebus furtivis, & iniqua violentia acceptis: nam hæc ut præſcribantur à quocunque triginta annos requirunt. Et idem tempus triginta annorum requirunt res mobiles, ut ſine titulo præſcribantur. Ita cum communi ſententia Lugo, *d.* 7. *num.* 69. Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 1. *d.* 1. *à num.* 22.

Dico

Digitized by Google

189 Dico secundò: Res immobiles privatorum cum titulo usucapiuntur inter præsentes decennio, inter absentes vero spatio viginti annorum. Dicuntur autem præsentes qui sunt in eodem regimine, Lusitane, *os que moraon na mesma comarca*, absentes vero dicuntur qui in alio regimine, Lusitane, *en outra comarca* habent domicilium; excipitur tamen ab hac regula res immobilis, ad aliquem pacto, vel contractu translato, à malæ fidei possessore, quam qui accipit non potest usucapere vero domino ignorante, ante triginta annorum spatium. Decastillus *sup. num.* 226.

190 Dico tertiò: Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni, contra vero alias Ecclesias, monasteria, & hospitalia, vel pias causas quadraginta anni. Regularium bona ampliora habent privilegia, de quibus late dixi *in nostro Directorio Regularium*. Mobilia, & immobilia fisco jam incorporata, & acquisita tantum tempore triginta, vel quadraginta annorum usucapiuntur, nondum vero fisco incorporata, sed vacantia, quia sine hærede aliquis mortuus est, si sint denuntiata fisco, tempus quadriennij sufficit ad præscriptionem, si non sint denuntiata, præscribuntur tempore ordinario, si vero talia bona ob crimen pertineant ad fiscum, scilicet ob non solutum vectigal, ob hæresim, aut læsam majestatem, in fisco sæculari post quinquennium omnis actio fisci expirat; in Ecclesiastico vero, contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni, contra alias vero Ecclesias quadraginta anni. Decastillus *sup. num.* 224. Adverte tamen ea, quæ ad fiscum sæcularem pertinent ex privilegio Pontificio; ut sunt bona hæreticorum, non præscribi, nisi juxta juris canonici dispositionem, & ita in hoc Lusitaniæ Regno à sacro tribunali inquisitionis practicatur. Fagundez, *lib.* 2. *justitiæ c.* 15. *n.* 66.

191 Dico quartò: Bona Principis, tanquam privati eodem tempore, quo privati bona præscribuntur: collectæ pro publica necessitate quadraginta annis. Jus imponendi vectigalia, creandi officia, & tabelliones, legitimandi, quadraginta annis cum titulo, sine titulo vero tempore immemoriali. Quæ vero debentur principi in recognitionem supremæ dignitatis, nullo tempore præscribi possunt. Basæus *verbo præscriptio, num.* 12. Fagund. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 44. Bona regiæ Coronæ, ut sunt urbes, Castra, Prata, Sylvæ, Saltus, & similia de jure communi præscribuntur spatio triginta annorum, de jure tamen hujus Regni Lusitaniæ, *ex ordinatione lib.* 2. *tit.* 26. §. 54. *& tit.* 45. §. 10. Sine titulo sunt impræscriptibilia, ut cum Cabedo, Valasco, Reynoto, Fagund. *sup. num.* 72. Tandem bona donata, vendita, legata, vel relicta, civitatibus non præscribuntur nisi per præscriptionem contrariam. Fagundez *sup. num.* 71. Lugo *sup. num.* 87. Decastillus *sup. n.* 234.

192 Dico quintò: Servitus personalis, quæ debetur personæ à persona, nullo tempore præscribi potest, etiamsi quis servum bona fide possideret. Servus tamen præscribit libertatem contra dominum, si per viginti annos putaverit se esse liberum, etiamsi titulum libertatis non habeat. Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 1. Servitus mixta, quæ debetur è re personæ, ut est ususfructus, præscribitur cum titulo decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes; sine titulo vero triginta annis, *l. fin. Cod. longi temporis*. Et idem dicendum est de Emphyteusi, & feudo; nam præscribuntur ut fructus. Trullenc *sup. num.* 2. Servitus mere realis, sive sit continua, sive quasi continua, aut discontinua, quæcunque illa sit, inter præsentes cum titulo præscribitur decem annis, inter absentes viginti; sine titulo vero discontinua inter absentes non præscribitur, nisi possessione immemorabili, continua præscribitur triginta annis. Fagundez *suprà numero* 43.

Initium autem possessionis in qua fundatur tota 194
præscriptio, aliter accipitur in servitutibus affirmativis, aliter in negativis. In affirmativis, ut sunt illæ, in quibus tribuitur jus ad aliquid agendum, ut sunt aquæ ductus, & rivuli ad rigandos campos, incipit possessio à die, quo quis cœpit id bona fide facere, in negativis, ut sunt illæ, in quibus datur jus ad impediendum, ne quis aliquid agat in sua domo, vel agro, v. g. ne altius domum erigat, ne fenestras in ea aperiat, ne propius ædificet, ne personaliter præsens sit tali electioni, ne vallo quis sepiat agrum suum, incepit possessio à die, quo quis prohibet, & impedit alterum, qui id agere intendit Fagundez *sup. num.* 44.

Extinguitur vero servitus realis per non usum. 195
Itaque in servitutibus rusticanis, v.g. ducendi plaustra per agrum alienum, pascendi pecora, arenam effodiendi in campo alieno, &c. amittitur solo non usu per decennium inter præsentes, inter absentes per vicennium. Servitutes vero urbanæ, non extinguntur solo non usu; sed requiritur insuper, ut possessor loci obnoxij servituti aliquid bona fide faciat, quo incipiat libertatem suam usucapere, & vindicare, v. g. habet quis jus immittendi tigna in murũ alterius, si eximat tignum, & possessor nihil faciat, quo impediat ne rursus immittat, non perdit unquam jus suum, bene tamen si possessor foramen obstruat, & alter non utatur decem annis jure suo. Excipitur tamen quando servitus, tam urbana, quam rusticana, est ad utendum illa per longiora spatia, quam certarum horarum, aut dierum, ut si sit ad utendum aquæductu singulis, vel alternis mensibus, aut hebdomadibus, vel majoribus spatiis, nam tunc tempus duplicatum requiritur, ita ut inter præsentes requirantur viginti anni non usus, & inter absentes quadraginta. Ita cum Molina, Fagund. *sup. num.* 45.

Dico sexto: Si constet Ecclesiam fuisse aliquando 196
liberam, jus patronatus illius à laïco nullo unquam tempore præscribi potest contra Episcopum. Si est dubium, an fuerit aliquando collationis liberæ? potest præscribi à parochianis, vel à quocunque laïco contra Episcopum spatio quadraginta annorum cum titulo, tempore immemorabili sine titulo Fagundez *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 47. Trullenc. *sup. dub.* 9. *n.* 1. Et eodem modo præscribitur à laïco jus præsentandi rectorem in Ecclesia collegiata, & jus præsentandi ad simplicia beneficia. Trullenc. *ibi n.* 2. In Ecclesia vero non libera, illa scilicet, quæ à prima sua institutione patronum habuit, jus patronatus à laïco contra verum patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis. Inter præsentes, viginti inter absentes, sine titulo annis triginta. Ita cum communi sententia Trullenc. *sup. n.* 3. Jus patronatus regium à nemine præscribi potest in hoc Lusitaniæ regno. Ita cum Cabed. Fagund. *sup. n.* 51. Potest tamen rex jus patronatus contra vasallos præscribere tempore ordinario requisito in præscriptione patronatuum privatarum personarum. Ita cum Cabed. Fagund. *sup. num.* 52. Ad probationem autem juris præsentandi, sufficit unica præsentatio, secuta institutione, seu collatione cum effectu. Ita cum communi sententia Fag. *sup. n.* 50.

Beneficium ecclesiasticum cum titulo colorato 197
præscribi potest contra alium ad quem vere pertinebat decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, sine titulo non potest præscribi; quia non po-

teſt ſine canonica inſtitutione acquiri ejus poſſeſſio. Immo qui pacifice aliquod beneficiũ abiq; ſimoniaco ingreſſu triẽnio poſſidet præſcribit cõtra actionẽ cujuſcunque impetitoris; unde poſtea non tenetur reſignare etiam in foro conſcientiæ. Hinc fit quod ſi aliquis ſimoniace inſtitutus fuit per ignorantiam, quia v.g. pater pro filio ignorante pecuniam numeravit, prodeſſe regulam triennalem poſſeſſori cum bona fide, & hujuſmodi titulo colorato, ita ut alia tituli habilitatione, aut diſpenſatione opus non ſit. Ita cum Sanchez, Garcia, & aliis, Trullenc. *ſup. n.* 4.

198 Dico ſeptimo: Debita, & actiones æris alieni, & rerum mobilium, & immobilium de jure communi, & Luſitano regulariter præſcribuntur cum bona fide ſpatio triginta annorum contra creditores, & excluditur actio ad ea petenda. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib.* 2. *c.* 15. *num.* 54. Trullenc. *ſup. dub.* 10. *n.* 1. Legata, & fidei commiſſa præſcribuntur contra legatarium, & fideicommiſſarium ſpatio triginta annorum. Ita cum communi ſententia Fagund. *ſup. n.* 56. Trullenc. *ſup. n.* 4 Res hypothecata ſi poſſideatur a debitore, vel hæredibus illius, non extinguitur, nec præſcribitur actio hypothecaria, quam creditor habet adverſus rem hypothecatã, niſi quadraginta annis, requiritur tamen bona fides in ipſo debitore, ſi vero poſſideatur ab eo qui non eſt debitor, nec hæres illius, ut ſi fuit vendita ei, qui ignorabat hypothecam, præſcribit, & extinguitur, decẽnio inter præſentes, & vicennio inter abſentes. Ita cum communi ſententia Fag. *ſup. n.* 55. Trullenc. *ſup. n.* 3.

199 Dico octavo: Bona prohibita alienari, ut ſunt majoratus, & fideicommiſſum non poſſunt præſcribi contra eos quibus erat tradendum tempore ordinario; poſſunt tamen præſcribi adverſus omnes ſucceſſores, etiamſi nati non ſint tempore triginta, vel quadraginta annorum. Ita cum Covarr. Lugo *d.* 7. *n.* 14. probabile putat Mol. *de primog lib.* 2. *c.* 6. *n.* 51. & cum Leſſio, Trullenc. *lib.* 7. *c.* 4. *d.* 1. *n.* 4. contra multos, quos refert, & ſequitur Fagund. *ſup. n.* 58. & cum aliis Palaus *diſp. unica p.* 22. §. 15. *n.* 3. Ratio noſtræ reſolutionis eſt, quia tota prohibitio alienationis in his bonis oritur ex voluntate fundatoris, vel teſtatoris prohibentis alienationem, & ex lege prohibente præſcriptionem; ſed his non obſtantibus, poteſt præſcribi contra actualem poſſeſſorem, ut adverſarij etiam admittunt; ergo & contra ſucceſſores; nam tunc non præſcribitur contra ſucceſſores nondum natos, cum ipſi nondum ſint domini bonorum illorum, ſed contra familiam, penes quam videtur eſſe eorum dominium completum, & quæ non eſt pupilla, ſed perſona ficta, quam repræſentat poſſeſſor actualis, qui non eſt pupillus.

200 Dico nono: Contra leges civiles præſcribitur conſuetudine decem annorum, quando alias non putatur princeps conſenſiſſe in eam conſuetudinem, adverſus autem legem canonicam requiruntur quadraginta, ſi conſuetudo ſit aliquo modo contra jus Eccleſiæ; probabile tamen eſt ſufficere etiam decennium ut in civili, quando obligatio ſubditorum ad ſervandam legem non cenſetur præjudicare alicui juri Eccleſiæ. Ita cum Filliuc. Leſſio, & aliis Baſæus, *verbo præſcriptio num.* 13.

SECTIO IX.

Quænam præſcribi non poſſint.

SUMMARIUM.

201 *Senſus quæſtionis explicatur.*
202 *Homo liber non poteſt præſcriptione fieri ſervus.*
203 *Ea quæ principi competunt in recognitionem ſuprema poteſtatis præſcribi non poſſunt.*
204 *Exemptio à ſuperiore præſcribi non poteſt.*
205 *Ponuntur alia quæ præſcribi non poſſunt, & explicantur.*

SUppono: Hic non eſſe ſermonem de his, quæ tempore ordinario, ut decennio, vel vicennio non præſcribuntur, ſed indigent tempore longiſſimo triginta, quadraginta, vel centum annorum, ad ſui præſcriptionem; nam licet hæc in jure cenſeantur non poſſe præſcribi, ut cum dicitur, quod res furtiva non poteſt præſcribi, etiam à recipiente illam bona fide à latrone, id de præſcriptione ordinaria intelligitur, & non de extraordinaria: ſed ſermo in præſenti eſt de his, quæ nulla ratione, vel tempore poſſunt præſcribi: His ſuppoſitis, 201

Dico primo: Homo liber non poteſt præſcriptione fieri ſervus. Secundo ea, quæ principi competunt in recognitionem ſupremæ dignitatis præſcribi nequeunt. Tertio non poteſt præſcribi exemptio ab obedientia ſuperioris. Quarto nulla Eccleſia tempore generalis interdicti præſcribere poteſt, ut divina officia celebret alta voce, & pulſatis campanis, quia hæc præſcriptio derogat nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quinto res uſibus publicis deputatæ non poſſunt præſcribi, ut fons, via publica, pons, &c. Septimo, limites Regnorum, Provinciarum, Epiſcopatuum, Parochiarum, ſi de his conſtet, ſi autem non conſtet præſcribi poſſunt. Octavo res indiviſa communis pluribus nullo tempore, ab aliquo illorum præſcribi poteſt. Nono res pupilli durante pupillari ætate nequaquam præſcribi poſſunt, ita ut durante pupillari ætate, nec præſcriptio incipiat, nec antea cepta continuetur. Ita ex multis textibus, & Doctoribus Palaus, *diſp. unica p.* 12. § 15. *n.* 1. Baſæus, *verbo præſcriptio n.* 16. & alij communiter. 202 203 204 205

SECTIO X.

Qualiter præſcriptio currat, dormiat, interrumpatur, vel continuetur?

SUMMARIUM.

206 *Quando currat præſcriptio explicatur.*
207 *Quando dicatur dormire?*
208 *Quando dicatur interrumpi?*

DIco primo: Præſcriptio currit, & procedit, quando poſt inchoationem ejus, bona fide legitime continuatur. Tunc autem non procedit, quando non incepit, vel quia deeſt poſſeſſio civilis, vel bona fides, vel quia res non poteſt alienari, lege reſiſtente, ut fundus dotalis, bona adventitia filiifamilias. &c. Baſæus, *verbo præſcriptio num.* 17. 206

Dico ſecundo: Præſcriptio dicitur dormire, cum ob aliquod impedimentum ſuperveniens ſuſpenditur, & ſopitur, tametſi poſtea reviviſcat, illud autem impedimentum, quod eſt ſufficiens, ne præſcriptio progrediatur, eſt ſufficiens ne primo incipiat; ſed non è contra: quia regulariter plura generationi rei, quam illius conſervationi requiruntur. Hinc licet adverſus bona adventitia filij, dum eſt ſub patrui poteſtate, non poſſit incipere præſcriptio, at ſi antea cepta erat poteſt continuari. Ita Palaus *ſup. num.* 1. 207

Dico tertio: Præſcriptio interrumpitur, vel naturaliter, vel civiliter, naturaliter quando incepit deeſſe bona fides, titulus, vel poſſeſſio; civiliter vero quando per aliquem actum juridicum interpellatur, ut per litis conteſtationem, citationem, &c. Baſæus *ſup. num.* 17. Sed de his vide latius Palaum *ſup.* §. 16. *per totum.* 208

SECTIO

SECTIO IX.

Quibus concedatur restitutio in integrum adversus præscriptionem peractam?

SUMMARIUM.

209 *Contra præscriptionem datur restitutio in integrum, & in quo consistat?*
210 *Hoc remedium conceditur minoribus, & piis locis.*
211 *Majoribus ætate conceditur in præscriptionem decem, & viginti annorum, dummodo probent præscriptionem ex ignorantia sua fuisse peractam.*
212 *An majoribus concedatur contra præscriptionem longissimi temporis?*

209 Dico primo: contra præscriptionem datur restitutio in integrum, quæ nihil aliud est, quam quoddam remedium, quod finita præscriptione relinquitur priori domino, qui rem suam amisit, ut authoritate judicis possit restitui in dominium, & possessionem rei amissæ.

210 Dico secundo: Hoc remedium conceditur primo minoribus ætate, id est, qui nondum viginti quinque annos compleverunt. Secundo piis locis, & Ecclesiis, etiamsi præscriptio sit quadraginta annorum; Ecclesiæ namque concessum est privilegium minorum, estque ipsa instar minoris, & pupilli. Tertio minoribus ætate conceditur in præscriptione

211 decem, & viginti annorum, modo tamen probent cum justa, & probabili ignorantia sua, aut omnino sine negligentia præscriptionem fuisse peractam, & habent hi quatuor annos à notitia completæ præscriptionis. Ita Mol. *d.* 80. & cum aliis Lugo, *disp.* 7. *num.* 155.

212 An autem majoribus concedatur etiam restitutio contra præscriptionem longissimi temporis. v. g. triginta, vel quadraginta annorum ex prædictis causis? Affirmat Lugo *ibi*, cui consentit Palaus *disp. unica p.* 22. §. 17. *num.* 3. quoad alias causas extrinsecas, non tamen quoad causam ignorantiæ invincibilis, & in hoc sensu explicat textum *l.* 1. *ff. quibus ex causis majores*, ubi ait jurisconsultus si qua alia justa causa mihi esse videbitur in integrum restituam; sed de his vide prædictos DD. ubi late tractant hanc materiam; hæc enim sufficiant de præscriptione dixisse, quæ magis ad juristas, quam ad Theologos pertinet, & ideo omisi plures textus referre, quos si velis consule Palaum, Lugum, Fagundez, & alios citatos.

DISPUTATIO VI.

De Furto.

SECTIO I.

Quid sit Furtum?

SUMMARIUM.

213 *Ponitur & explicatur furti definitio.*
214 *Quando furtum reservatur, quid per furtum intelligatur?*
215 *Furtum, & rapina differunt specie.*
216 *Furtum ex genere suo est peccatum mortale, & solum ex indeliberatione, vel parvitate materiæ potest esse veniale.*

Dico primo: Furtum est acceptio injusta boni 213
externi, absque vi, & absque ullo consensu ejus, cujus, saltem quoad legitimam tentionem. Ita Mol. *tom.* 3. *d.* 68. *num.* 26. Per particulam, acceptio, excluditur injusta damni illatio, ut si quis segetem alienam combureret, quod non est propriè furtum. Per particulam, injusta, excluditur acceptio, qua quis compensat sibi occulte, quod à debitore recuperare non potest. Per particulam, boni externi, excluditur à furto usurpatio injusta personæ liberæ, ut si quis hominem liberum in servitutem redigeret, nam hæc injuria non est in bona fortunæ, sed contra bona corporis. Per particulam, absque vi, condistinguitur furtum à rapina, in qua intervenit jus contra dominum. Per particulam, Absque ullo consensu ejus cujus est, excluditur à furto usura, quæ licet sit acceptio lucri externi, non tamen fit absque ullo consensu solventis. Denique per particulam, saltem quoad legitimam tentionem; significatur furtum etiam dari, quando res accipitur clam à non domino, qui tamen eam juste possidet, ut si quis furetur pignus à creditore illud habente.

Dico secundo: Si peccatum furti reservetur, no- 214
mine furti intelligitur furtum, prout accipitur à Theologis, pro usurpatione, vel contractatione rei alienæ, sive sit mobilis, vel immobilis. Hinc qui expilant hæreditatem defuncti, antequam hæres hæreditatem adeat, & tutores qui usurpant pupilli bona, & qui rem alienam injuste retinent, in reservationem incidunt. Secus dicendum est de eo, qui damnificat, vel qui personam liberam, vel filium à suo patre surripit, vel qui censum non solvit, vel qui rem alienam bona fide consumpsit, & non solvit illud in quo factus est ditior, hi enim in sensu Theologico non sunt veri fures, licet tales in jure civili appellentur, quamvis contra justitiam peccent. Ita Lugo *de justitia d.* 16. *n.* 5. Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. cap.* 1. *à n.* 6.

Dico tertio: Furtum, & rapina differunt specie 215
in ratione injuriæ; quia rapina includit violentiam, quæ fit domino scienti, quam furtum excludit ab injuria autem, quæ fit per iniquos contractus, furtum, & rapina differunt, quod furto, & rapina patitur dominus damnum omnino involuntariè, nempe per ignorantiam, vel per vim; in contractibus autem patitur damnum involuntarie mixtum, si sciat iniquitatem contractus. Ita cum Clavi Regia, Sylvio, & aliis, Basæus *verbo furtum num.* 2.

Dico quarto: Furtum ex genere suo est pecca- 216
tum mortale, quia infert proximo nocumentum, quod est contra charitatem; fieri tamen potest ut sit tantum veniale, ex indeliberatione, vel ex parvitate materiæ, & quando dominus non est invitus, quoad substantiam rei acceptæ, sed quoad modum. Ita cum communi sententia Basæus *verbo furtum numero* 3.

SECTIO II.

Quæ quantitas requiratur in furto, vel in damno dato ad conſtituendum peccatum mortale?

SUMMARIUM.

217 *Qualitas perſonæ à qua furatur attendenda eſt, an ſcilicet ſit dives, pauper, &c.*

218 *Proponitur ſententia authoris circa quantitatem furti, ut ſit materia gravis.*

219 *Circunſtantia loci, & temporis attendenda eſt in furto, ut cognoſcatur an materia ſit gravis.*

220 *Debet attendi circunſtantia lucri ceſſantis, & damni emergentis.*

221 *Major quantitas requiritur ad mortale quando ab eodem furatur magna ſumma paulatim, quam cum ſurripitur gravis quantitas tota ſimul.*

IN hac quæſtione tot dantur capita, quot ſententiæ, quas ſi videre cupis conſule, quæ dixi *in noſtro Directorio Regularium, p... tract. d... n...* Vide etiam Decaſtillum *de juſtitia tract. 2. d. 9. à num. 18.* quibus relictis; ut meam ſententiam aperiam ſuppono, quod cum furti malitia eſſentialiter conſiſtat in acceptione involuntaria rei externæ alienæ, quam dominus patitur, ut ex furti definitione con-
217 ſtat, neceſſario attendendam eſſe conditionem perſonæ, à qua res auferitur, ut inde ſciamus, quæ ſit quantitas ſufficiens ad mortale, quæ vero non; major enim quantitas requiritur in Rege, vel homine ditiſſimo, ut rationabiliter ſit involuntarius, ſi ab eo auferatur, quàm ſi à mediocriter divite, vel pauperе auferatur. Vnde reſpectu omnium illam quantitatem cenſeo gravem, & ſufficientem ad mortale, quæ ſemel ablata, vel ſæpius repetita, ſi non eſſet mortale afferret grave damnum proximo; ſecus ſi non afferret, ut accidit in furtis rei modicæ, ſine continuatione, nec intentione diteſcendi, ut late explicat Lugo *d. 16. num. 29.* His ſuppoſitis,

218 Dico primo: Reſpectu Regum, Principum, & Prælatorum locupletiſſimorum, & ditiſſimorum hominum, duorum, aut trium aureorum ſumma, Luſitane, *dois ou tres cruſados*, ex objecto ſuo, & ſecluſis aliis circunſtantiis, eſt quantitas mortalis; Reſpectu verò hominum mediocriter divitum, furtum quatuor argenteorum, Luſitane, *oito vinteis*, reſpectu vero pauperum, furtum duorum regalium cum dimidio, Luſitane, *hum teſtaon*. Ita cum Roderico, Soto, Leſſio, Medina, & aliis, Fagundez *in 7. præcepto Decalog. lib. 7. cap. 1. num. 18.* Ratio autem eſt, quia reſpectu prædictæ quantitatis tales perſonæ ſemper cenſentur rationabiliter graviter invitæ; quia licet talis quantitas reſpectu illarum perſonarum, ex ſe non ſemper afferat grave damnum, conſequenter tamen illud ſemper affert, ſi tales perſonæ non eſſent rationabiliter graviter invitæ ſi quidem ſi cuilibet abſque gravi culpa liceret furari à rege tres aureos, tot eſſent hujuſmodi furta, ut ex illis maximum detrimentum Regi proveniret in rebus fortunæ, quod periculum vitari non potuit, niſi prohibendo graviter furtum in prædicta quantitate reſpectu prædictarū perſonarum. Adverte tamen prædictam quantitatem non debere ſumi metaphyſice, ſed moraliter. Unde per hoc quod deſit unum, vel alterum as, à prædicta quantitate, non proinde tale furtum deſinet eſſe mortale, ut cum aliis notat Baſæus *verbo furtum num. 4.*

Dixi ſecluſis circunſtantiis, nam materia quæ 219
hoc tempore, & loco cenſetur gravis, in alio tempore, & loco non erit talis reſpectu cujuſlibet dictarum perſonarum. In Braſilica namque regione, id quod Vliſipone quatuor argenteis emitur, octo argenteis non comparatur, & id quod Conimbricæ uno argenteo emitur, in Vliſipone duobus argenteis æſtimatur, & quod hodie viginti argenteis non comparatur, abhinc centum annis uno argenteo comparabatur, ut bene advertit Decaſtillus *lib. 2. de juſtitia, tract. 2. d. 9. n. 32.* Quare ultra conditionem perſonæ debet circunſtantia loci, & temporis conſiderari. Unde Vliſipone, Hiſpali, Venetiis, Mattiti, Lugduni, Romæ, & aliis locis valde pecunioſis, quantitas quinque regalium, Luſitane, *dois toſtois*, erit materia gravis reſpectu hominum mediocriter divitum, reſpectu vero aliorum, tres regales, Luſitane, *ſeis vinteis*, In Braſilia vero, vel Indiis Occidentalibus, ubi abundant pecuniæ, & res magno conſtant quantitas vigenatum quindecim, Luſitane, *tres toſtois*, erit materia gravis pro hominibus mediocriter pecunioſis, pro aliis vero, quatuor regales cum dimidio, Luſitane, *nove vinteis*; ita cum aliis Fagund. *ſup. num. 19.* conſentit, Tamburin. *lib. 8. Decalog. cap. 2. num. 2.* Baſæus *verbo furtum 1. num. 4.* licet varient in aſſignando numerum argenteorum, quod ex circunſtantia loci, in quo ſcripſerunt procedit.

Debet etiam attendi circunſtantia lucri ceſſantis, 220
& damni emergentis, & hac ratione furtum acus à ſartore, cui ob id ceſſat grave lucrum, vel grave damnum emerſit, eſt mortale, non in ratione furti, ſed in ratione damnificationis injuſtæ, vel ob ſcandalum, quia qui ſic acum furatus fuit, ſi rem prævidit ſine neceſſitate, fuit cauſa, quod alter blaſphemaret, vel tale damnum pateretur. Vnde ſi fuiſſet impoſita excommunicatio, vel reſervatio contra furtum, illas non incurriſſet, quia propriè furtum grave, dum ſolum acum furatus eſt, non commiſit. Lugo *ſup. num. 32.* Tamburin. *ſup. num. 3.* Et idem dicendum eſt de eo, qui ſciens ex furto rei parvæ dominio ſecuturam magnam moleſtiam, quia v.g valde ad eam afficiebatur, nec ſimilis recuperari poteſt, & hoc non obſtante illam furatus eſt, hic namque licet non peccaverit in ratione furti, peccavit graviter contra charitatem, vel peccato ſcandali, ſi res erat alicujus momenti. Lugo *ſuprà num. 34.* Bonacina *d. 2. quæſt. 8. p. 1.* Baſæus *ſuprà num 5.*

Dico ſecundo: Major quantitas requiritur ad 221
mortale, quando ab eodem furatur magna ſumma paulatim cum intentione diteſcendi, vel ex induſtria, vel brevi tempore, quam cum ſurripitur gravis quantitas tota ſimul. Similiter major quantitas requiritur, quando à pluribus aliquod furatur, quam quando ab eodem. Item major quantitas requiritur in furtis filiorum, quam famulorum, & major in furtis famulorum, quam extraneorum; in his enim cenſetur dominus minus invitus. Ita cum aliis Vidal. *titulo de furtor. 57.* Tamburin. *lib. 8. cap. 3. §. 1. n. 4. & cap. 3. n. 1.* Quanto autem major quantitas requiratur in unis, quam in aliis? Reſpondeo requiri dimidio majorem, vel prudentis arbitrio decernendum. Tamburin. *ſup. num. 5. & cap. 3. n. 1.*

SECTIO

SECTIO III.

Quando peccet mortaliter, qui multa minuta furta committit?

SUMMARIUM.

212 *Ille qui per minuta furta habet intentionem diteſcendi, vel inferendi grave damnum, peccat mortaliter, & cum devenis ad materiam gravem tenetur ad reſtitutionem.*

213 *Qui per minuta furta non intendit ſurripere alienum in magna quantitate, non peccat graviter antequam pertingat ad gravem quantitatem.*

214 *Qui repetitis vicibus modicum furatur abſque intentione diteſcendi, ſed caſu, non peccat graviter, quando pertingit ad gravem quantitatem, & quomodo id ſit intelligendum?*

215 *Probatur aſſertio & explicatur.*

216 *Ponuntur quædam corollaria.*

212 Dico primo: Ille qui per minuta furta uni, vel pluribus facta, habet intentionem paulatim diteſcendi, vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentione; jam enim intentio refertur ad faciendum grave damnum; obligatio tamen reſtitutionis, donec cum effectu ad grave damnum perveniatur, erit ſub levi culpa, ſicut leve eſt damnum te ipſa illatum. Hinc emptores nobilium, hinc venditores vini, vel caupones, hinc ſartores, hinc quicunque per modica fraudant rerum menſuras, non poſſunt à mortali excuſari, ſi parva furentur animo continuandi; graviter enim nocent Reipublicæ, & praxis illa valde pernicioſa eſt ſocietati humanæ. Ita cum communi ſententia Vidal, *titulo de furto à num.* 10. Excipe quando domini non ſunt rationabiliter inviti, ut quando tempore meſſis pauperes colligunt ſpicas à ſingulis, quibus congregant magnam tritici quantitatem ut cum Bonacina, tenet Tamburin. *lib.* 8. *c.* 3. §. 2. *n.* 3.

213 Dico ſecundo: Qui per minuta furta non intendit ſurripere alienum in magna quantitate, antequam pertingat ad notabilem quantitatem non peccat mortaliter: modicum enim pro nihilo reputatur, nec dominus cenſetur rationabiliter invitus quoad ſubſtantiam illius rei furatæ, cum nocumentum ſit in re minima. Ita cum communi ſententia Vidal *ſuprà num.* 13.

214 Dico tertio: Qui repetitis vicibus modica furatur, vel ab eodem, vel à diverſis, abſque tamen prava intentione diteſcendi, ſed caſu, & occaſione ſibi oblata, non peccat mortaliter, quando pertingit ad notabilem quantitatem, neque in ſpecie furti, neque in ſpecie injuſtæ damnificationis, etiamſi ille talis advertat ſe caſu habere alienum in notabili quantitate, & nullo modo proponat illud reſtituere, neque quoad totum, neque quoad partem, quæ reddita ceſſat notabilis quantitas, & habetur tantum modicum furtum, dummodo tamen hujuſmodi minima furta procedant à voluntate interciſa, & detur aliquod intervallum temporis, ſaltem quindecim dierum inter unum, & aliud furtum. Hoc aſſertum duas habet partes. Prima quod ſcilicet non detur peccatum grave, quando pertingit ad materiam gravem, ſecluſa prava intentione perveniendi ad illam, tenet cum Navarro, Leſſio, Toleto, Graſio, Molpheſio, Sayro, Vidal, *ſuprà num.* 14. probabile putat Baſæus *verbo furtum* 2, *num.* 8.

Ratio autem eſt, quia illud ultimum furtum, quo pertingitur ad notabilem quantitatem, ſecundum ſe ſolum ſumptum, cum non ſit in magna quantitate, eſt tantum peccatum veniale; ergo etiam ſimul unitum cum præcedentibus ſumatur; patet conſequentia, quia non attingit notabilem quantitatem virtute præcedentium per continuationem moralem ejuſdem actus, cum per voluntatem interciſam varientur, & multiplicentur; ergo quantumcunque multiplicentur repetitis civibus furta minima, nunquam erunt mortalia per ſe in ſpecie furti, etiamſi perveniant ad notabilem quantitatem, nec illa quantitas dicitur formaliter notabilis, ſed tantum materialiter, per quandam extrinſecam denominationem.

Secunda vero pars aſſerti, ſcilicet non eſſe reſti- 215
tuendum illud ſublatum pluribus furtis paulatim repetitis ſub peccato mortali, etiamſi ſit in notabili quantitate, etiam quoad ultimum furtum attingens notabilem quantitatem, tenet cum Toleto, Berarducio, Navarro, Fernandez, Vidal, *titulo de furto num.* 23. probabile putat cum Filliucio, & Salas, Diana *tractatu de paupertate reſol.* 34. & alij. Ratio eſt, quia ſurripere alienum uſque ad notabilem quantitatem, modo explicato, non eſt mortale; ergo neque illud retinere ſine intentione reſtituendi; patet conſequentia, quia gravius eſt ſurripere alienum, quam illud retinere; ergo ſi primum non eſt peccatum grave; neque ſecundum. Per quod rejicitur illud, quod ait Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. §. 5. *num.* 7.

Hinc fit eum, qui ſurripit aliquid in parva quan- 216
titate ab eo, à quo alij prius abſtulerunt in notabili quantitate, non eſſe reum peccati mortalis, nec teneri ſub mortali ad reſtitutionem, etiam ſi ſciret furtum præcedens aliorum, ſiquidem non fuit cauſa damni notabilis, ſed levis, cum ejus furtum non continuetur cum præcedentibus, nec cum illis cooperavit, ut ſuppono ad notabilem quantitatem. Vidal *ſup. num.* 44. Buſembau *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 3. & cum aliis Tamburin. *lib.* 8. *cap.* 3. §. 3. *num.* 3. Unde ſi furto eſſet impoſita excommunicatio, vel eſſet caſus reſervatus, hi nec inciderent in excommunicationem, nec caſum reſervatum committerent, Tamburin. *ibi.* Secus dicendum eſt, quando ſurripiendo rem levem advertenter alios induxit ad inferendum grave damnum, ſecus ſi non advertit, nec advertere tenebatur. Vidal *ſuprà num.* 44. Tamburin. *ſuprà.*

SECTIO IV.

De quantitate ſufficienti ad mortale in furto domeſticorum.

SUMMARIUM.

217 *Major quantitas requiritur in furto uxoris, filij &c. ut ſi peccatum mortale.*

218 *Uxor graviter peccat, ſi notabilem quantitatem accipiat invito marito, etiam ex dote, & bonis communibus.*

219 *Idem dicendum eſt de marito, ſi aliquid ſine conſenſu uxoris accipiat ex bonis paraphernalibus & aliis propriis ipſius.*

230 *Mulier poteſt dare eleemoſynas, & munera ſecundum conſuetudinem aliarum mulierum ſui ſtatus, etſi maritus id ei prohibeat.*

231 *Filius peccat graviter invitis parentibus notabilem ſummam accipiens.*

232 *Quæ cenſeatur quantitas gravis pro filiis?*
233 *Filius ſi gravem quantitatem accipiat, ex quibus bonis debeat reſtituere?*
234 *Famuli accipientes eſculenta quando peccent?*
235 *Quando peccent ſi accipiant pecuniam, vel alia bona?*
236 *Quid ſi aliquid accipiant in compenſationem, & quando illam facere poſſint?*

227 Dico primo: Licet vere furtum ſit, ſi uxor, liberi, amici, ſervi, à patrefamilias invito quid auferant; plerumque tamen major quantitas requiritur, ut ſit mortale, ut ſupra diximus, quia hic dominus, vel non eſt rationabiliter invitus, vel ſaltem eſt minus invitus, ut ab his quam ab aliis res ſua auferatur, vel ſi eſt invitus, ſæpe id facit, non ratione rei acceptæ, ſed ratione modi accipiendi, dum vel ratione finis, ob quem accipitur v. g. ad ludendum, luxuriandum, potandum, &c. ut cum communi ſententia notat Baſæus, *verbo furtum* 2. *num.* 1. Tamburin. *lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 1.

228 Dico ſecundo: Uxor graviter peccat, ſi notabilem quantitatem accipiat invito marito, etiam ex dote, & bonis communibus; quia licet media pars ad eam ſpectet, maritus tamen habet uſumfructum illius partis, ideoque tenetur ad reſtitutionem, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 6. *d.* 8. *n.* 7. Baſæus *verbo furtum* 2. *num.* 4. Similiter peccat graviter maritus contra
229 juſtitiam, cum obligatione reſtituendi, ſi aliquid notabile ab uxore furripiat abſque ejus conſenſu, ex bonis ipſius paraphernalibus, vel aliis propriis, ſiquidem libera eorum adminiſtratio ipſimet uxori competit, quia par eſt ratio mariti, & uxoris quoad bona propria. Ita cum Villalobos, & aliis Trullenc. *lib.* 6. *cap.* 1. *d.* 9.

230 Dico tertio: Uxor poteſt dare eleemoſynas, munera, ſecundum conſuetudinem aliarum mulierum ejuſdem loci, & conditionis, etiamſi maritus eleemoſynas ei prohibeat; quia conſuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare non poteſt. Ita cum multis Diana *p.* 2. *tract.* 3. *reſol.* 22. *& p.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 34. Baſæus, *ſup. num.* 5. Immo poteſt bona expendere, marito abſente, vel fatuo, vel diſſipatore, vel ad impediendum damnum mariti. Baſæus *ſup. num.* 5. Poteſt aliqua bona abſcondere, vel compenſationis cauſa, ſi vir prodigus ſit, vel pro victu, veſtitu, cæteriſque ſibi, vel familiæ neceſſariis, quæ mariti ſæpe non intelligunt, & fruſtra ab illis peterentur. Immo ſi ejus pater, mater, vel frater, vel proles, ex alio matrimonio ſit pauper, ita ut miſere ſecundum ſuum ſtatum vivat, & maritus eis nolit ſuccurrere, poteſt ex bonis ſuis propriis, vel etiam ex communibus eis ſubvenire; quia jure naturæ tenetur eos alere, & maritus in id conſentire; poſt mortem tamen mariti tenetur conferre in ſuam partem, quæ tradidit parentibus. In dictis caſibus. Ita cum Leſſio, Palao, Navarra, Diana *p.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 34. Baſæus *ſup. num.* 5. Et hanc poteſtatem extendit etiam ad fratres, & ſorores Diana *ibi* & probabile putat cum Leſſio, Trullenc. *lib.* 6. *cap.* 1. *d.* 9. Buſembau *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 5. Tandem poteſt uxor inſcio marito dare vigeſimam partem annui ſenſus, vel lucri; hoc enim pertinet ad decentiam ſtatus, & maritus aliud volens eſt irrationabiliter invitus. Ita cum Vaſquio, Bonacina, & aliis, Diana *p.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 25. *& p.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 34. Buſembau *ſup. num.* 2. Bañes 2. 2. *queſt.* 32. *art.* 8. quidquid dicat in contrarium cum Lugo, Tamb. *lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 2.

231 Dico quarto: Filius peccat graviter invitis parentibus notabilem ſummam accipiens. In hoc conveniunt Authores. Quæ autem cenſeatur quantitas notabilis in pecunia, & aliis rebus? magna eſt diſſenſio inter DD. alij dicunt, quod non erit notabilis quantitas, ſi filius à patre prædivite duos, vel tres, quinque, vel ſex aureos furetur. Ita cum Sanchez, Buſembau *ſup. num.* 6. Immo alij dicunt 231
non ſufficere ad culpam gravem minus, quam quinquaginta aurei; ita Bañes *hic queſt.* 66. *art.* 6. quod in filio principis admittit etiam Lugo *de juſtitia tract.* 1. *d.* 16. *n.* 76. Immo Salas, quem refert Lugo *ibi n.* 76. interrogatus de hoc dixit filium unicum parentis habentis 1500. aureos annuos, poſſe abſque peccato mortali accipere, 20. vel 30. in anno, quod in filio non puero, ſed adoleſcente, admittit etiam Lugo *ibi*, ſi non eſſet ad uſus turpes, ſed honeſtos, & decentes, & pater non eſſet tenacioris naturæ, quas opiniones omnes judico probabiles; meam tamen videre poteris *in noſtro Directorio Regularium tract.* 3. *d.* 4. *num.* 187.

Dico quinto; Si filius excederit quantitatem, 233
quam abſque mortali accipere poterat, tenetur reſtituere, ſi poteſt ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; quæ ſi non habeat, tenebitur in partitione hæreditatis cum fratribus computare, quod furripuit in ſuam partem, niſi forte conſtet alios fratres tantum expendiſſe, vel patrem condonaſſe, aut veroſimiliter credatur patrem condonaturum, & ſumma non excedebat id, de quo pater diſponere poterat, ſine injuria aliorum filiorum; tunc enim pater non videtur invitus, quoad ſubſtantiam, ſed ſolum circa modum. Ita cum Molin. Leſſio, Baſæus, *ſup. num.* 2. Lugo *d.* 16. *num.* 77. Excuſabitur etiam filius mercatoris, vel cauponis, qui bona patris adminiſtravit, ſi clam accepit quantum pater daturus erat extraneo, deductis expenſis, quas pater fecit alendo illum, pro ſuo labore, & induſtria, niſi alias intenderit facere gratis, quod tamen non intendit, quando tacite ſaltem filius oſtendit, ſe velle lucrari. Ita cum aliis Baſæus, *ſup. num.* 3. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 66. Buſembau *ſup. n.* 8.

Dico ſexto: Famuli accipientes eſculenta, & po- 234
culenta in gravi quantitate ad ea vendenda certum eſt peccare mortaliter. Malletus *Malleatione* 40. *Bracteæ* 19. Secus ſi modica paulatim, cum intervallo temporis, ſaltem quindecim dierum accipiant, ſine animo perveniendi ad gravem quantitatem, etiamſi de facto forte præveniant, ut ſupra diximus, & expreſsè tenet Vidal *ſup. num.* 46. Baſæus *ſup. num.* 8. Quod ſi famulus prædicta eſculenta accipiat ad proprios uſus, etiamſi paulatim pertingat ad gravem quantitatem, non peccabit mortaliter, nec tenebitur ad reſtitutionem; quia in his non eſt dominus invitus, quoad ſubſtantiam. Ita Vidal *ſup. n.* 46. Buſembau *ſup. num.* 9. Baſæus *ſup. num.* 8. Quod à fortiori dicendum eſt de mancipiis. Quo vero ad pe- 235
cuniam, & alia bona, majus eſt dubium, conveniunt tamen DD. famulos peccare mortaliter, ſi ultra ſuum ſtipendium gravem ſummam furripiant; major tamen quantitas in eis requiritur, quam in extraneis. Unde famuli, qui res vendunt, vel emunt, ſi paulatim repetitis vicibus furentur duos, vel tres aureos, non peccant mortaliter, nec tenentur ad reſtitutionem, dummodo inter unum, & aliud furtum detur ſpatium, ſaltem quindecim dierum, & unum furtum non continuetur cum alio, nec detur intentio diteſcendi. Secus quando quotidie furripiunt unum, vel duos pondios, uſque ad magnam quantitatem; nam tunc ob breve tempus inter unum, & alterum furtum continuantur, & ſaltem implicite datur animus diteſcendi. Ita Vidal *ſuprà num.* 45.

Excuſa

236 Excusabuntur tamen prædicti famuli, tum à peccato, tum à restitutione, primo si aliquid surripiant in compensationem, eo quod obligantur ad obsequium ultra id quod debebant, vel si mercedem justam infra pretium infimum accipiant, cum dominus illorum opera indigeret. Secus si famulus dominum, ut eum acciperet rogaret, nam merces ultroneæ vilescunt. Lugo *d.* 16. *n.* 59. Secundo excusantur si aliquid dent in eleemosynam ex consensu interpretativo domini, vel quando speratur ratihabitio, vel quando ex portione assignata ad victum detrahunt aliquid per abstinentiam, vel si dent aliquid extreme indigenti: Mallerus *sup. Bracteæ* 20. An autem famulus principis, cui ultra mercedem diurnam dabatur hordeum pro uno equo, vel stipédium pro uno famulo, posset accipere hordeum, vel stipendium non habendo equum, nec famulum? Respondeo affirmative; nam ex hoc non resultat damnum principi, sed ipsi famulo, qui se privat commoditate equi, & famuli: ita Lugo *sup. n.* 82. Et idem existimo de milite, cui datur stipendium pro tot famulis propter eandem rationem. De furtis Religiosorum vide quæ dixi in nostro Directorio Regularium agens de paupertate religiosa, ne eadem repetamus.

DISPUTATIO VII.

De restitutione in genere.

SECTIO I.

Quid sit restitutio? & unde oriatur obligatio restituendi? & an sit necessaria?

SUMMARIUM.

237 *Ponitur restitutionis definitio.*
238 *In quo differat à satisfactione.*
239 *Ex quib⁹ capitib⁹ oriatur restitutio, declaratur?*
240 *Restitutio est necessaria non necessitate medij, sed præcepti, si est facultas restituendi.*
241 *Ex solo delicto contra justitiam oritur obligatio restituendi.*
242 *Obligatio restitutionis solum oritur ex actione externè injustâ.*
243 *Quid si actio externe fuit injusta venialiter?*

237 Dico primo: Restitutio in præsenti sumitur à Theologis, ut generaliter significat omnem damni illati compensationem; in hac ergo acceptione definitur, est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio. Ita cum D. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. communiter DD. Differt autem restitutio à satisfactione, quia restitutio, est pro damno illato; satisfactio vero, pro compensatione illatæ injuriæ. Vnde omnis restitutio est satisfactio, non tamen è contra. Differt verò à solutione, quia restitutio postulat, ut res quæ restituitur sit quodammodo eadem, vel in se, vel in æquivalenti; solutio vero ut sit diversa; ut cum fit solutio pro voto, pro juramento, &c. vide Basæum *verbo restitutio* 1. *num.* 2.

239 Dico secundo: Si Restitutio generatim sumatur pro omni redditione, qua res ex justitia debita redditur in seipsa, vel in æquivalenti, obligatio restituendi ex triplici capite seu radice nascitur, scilicet ex injusta acceptione, seu damnificatione, ut quando quis rem alterius abstulit, vel alteri damnum intulit; Secunda ex re accepta, ut quando quis apud se invenit rem alienam, sine ulla prævia injusta acceptione. Tertia ex contractu, ut quando inter aliquas personas celebratus fuit contractus; de quibus *infrà*. Ita Decastillus *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 2. *num.* 6. Basæus *sup. num.* 5.

240 Dico tertio: Restitutio est necessaria, non necessitate medij, sed præcepti. Hæc est de fide ut patet ex 8 *ad Romanos & Tobiæ* 2. Sed hoc debet intelligi si facultas suppetat restituendi, alias sufficit propositum restituendi. Ita communiter DD. Est autem hoc præceptum affirmativum; præcipit enim actum positivum, nempe debitum reddere; tum quia non obligat omni tempore, sed solum quando est opportunitas restituendi. Includit tamen præceptum negativum non detinendi alienum; nam eo ipso quod præcipit restituere, prohibet retinere. Vnde quatenus est negativum obligat semper, & pro semper. Ita cum multis Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 12. Basæus *sup. n.* 4. & cum aliis Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *c.* 1. *n.* 5. contra Lugum *de justitia d.* 8. *n.* 18. Reducitur autem hoc præceptum restituendi ad septimum præceptum non furandi, nam idem est alienum detinere, ac si alienum furetur. Ita cum communi sententia Trullenc. *sup. num.* 15.

241 Dico quarto: Ex solo delicto contra justitiam oritur obligatio restituendi. Ita communiter DD. Ratio est, quia sola illa inducit æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compensationem; Hinc fit eum, qui tantum læsit charitatem, vel aliam virtutem, non teneri ad restitutionem, siquidem non quævis læsio proximi est radix restitutionis, sed tantum illa, in qua læditur jus proximi, quod ille habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur, quod variis modis fieri potest, v. g. furando, defraudando, destruendo, occidendo, mutilando, detrahendum honorem, conviciando, & similibus, de quibus suo ordine nobis dicendum est. Ita cum communi sententia Basæus *sup. n.* 6. Tamb. *sup* §. 2. *n.* 2. Trullenc. *sup. n.* 16. Busembau. *lib.* 3. *c.* 2. *tract.* 3. *dub.* 1. *num.* 1.

242 Dico quinto: Obligatio restitutionis solum oritur, ex actione externe injusta. Ita cum Sanchez, Lugo, & aliis communiter Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. §. 3. *num.* 1. Ratio est quia, ut quis obligetur ad restitutionem, debet facere re ipsa inæqualitatem in altero; sed hæc non fit per actionem tantum internam, sed per actionem externam, & realem; actus enim mere sistens in mente nihil operatur, ergo. Hinc quando quis gaudet de damno illato proximo, quando judex gaudet de sententia justa contra Reum suum inimicum, quando quis occidit feram putàs esse suum inimicum, quem occidere intendebat, non tenetur ad restitutionem, quia re ipsa nullum damnum proximo intulit per actionem externam, licet re vera in prava intentione peccaverit.

243 Sed quid si actio externa fuit injusta venialiter animus vero nocendi fuit gravis? ut si quis venando faceret diligentiam sufficientem ad evitandum peccatum mortale homicidij, non tamen illam quam diligentiores ponere solent, in quo peccavit venialiter, an si huic levi omissione adderet animum occidendi hominem, si ibi forte esset, & de facto occidit, teneatur ad restitutionem ex homicidio? affirmat cum Molina, & aliis multis, Lugo *d.* 8. *num.* 82. Verum contrariam sententiam probabiliorem existimo. Ita Cum Lessio, Sanchez, Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 2. §. 5. *num.* 10. Ratio est quia jus naturale non obligat ad restitutionem nisi quando quis per suam actionem physice, vel mortaliter

Digitized by Google

moraliter eſt abſoluta & ſufficiens cauſa homicidij, ſeu damni, ſed illa actio levis ex ſe talis non fuit, etiamſi adeſſet illa prava intentio, quia intentio nihil ponit in actione externa quoad effectum, licet poneret quoad malitiam gravem internam; ergo: ſed de his redibit ſermo infra agentes de homicidio.

SECTIO II.

An requiratur ſemper culpa ut ſit obligatio reſtituendi pro damno illato.

SUMMARIUM.

244 *Quomodo ſumatur culpa in præſenti explicatur.*

245 *Nemo tenetur ad reſtitutionem ex damno alteri illato, niſi ex culpa Theologica ſaltem veniali.*

246 *Nemo tenetur ſub mortali ad reſtitutionem in conſcientia ex damno alteri illato, niſi ex culpa mortali Theologica.*

247 *Negligentia quæ in uno genere actionis eſt leviter culpabilis, in alio aliquando eſt gravis.*

248 *An hæc doctrina intelligatur de eo, qui damnum cauſavit alteri ex culpa Theologica veniali circa ſuum officium exequendum, vel conſilium dandum?*

249 *Quid ſi quis ſine culpa mortali, bona fide, dedit conſilium, ex quo damnum petenti conſilium, vel aliis ſequitur?*

250 *Quid ſi conſilium non fuit de re alteri debita ex juſtitia, ſed ex liberalitate, donatione, & cætera.*

244 PRo explicatione hujus ſectionis notandum eſt, culpam non eodem modo ſumi à Theologis, & Juriſtis, nam apud Theologos culpa ſumitur pro peccato mortali, vel veniali, apud Juriſtas vero, culpa dicitur quælibet omiſſio alicujus diligentiæ: unde diviſerunt culpam in latam, latiorem, latiſſimam, levem, & leviſſimam; culpa latiſſima eſt dolus apertus, latior eſt dolus præſumptus, lata eſt omiſſio alicujus diligentiæ, quam paſſim homines adhibere ſolent in tali re, levis eſt omiſſio alicujus diligentiæ, quam diligentiſſimi adhibere ſolent, v. g. aperuit quis puteum, & caſu oblitus eſt tegere, ne quis incidat, unde, & caſus factus eſt, dicitur commiſiſſe culpam latam; commiſiſſe culpam levem ſi clauſit, ſed non ita ut difficulter poſſet aperiri, commiſit leviſſimam ſi claudere quidem putavit, ſed non tentavit an fuerit clauſum; culpa latiſſima eſt cum quis omittit, vel aliquid agit animo ut damnum quod prævidit alicui ſequatur, quod ſi prævidit ſed non intendit, dicitur culpa latior, hæc eſt præſumpta. Ita Azor *p. 3. lib. 6. cap. 4.* & alij communiter: His ſuppoſitis,

245 Dico primo: Nemo tenetur ad reſtitutionem in conſcientia ex damno alteri dato, niſi ex culpa Theologica ſaltem veniali. Ratio eſt quia obligatio reſtitutionis ex hac radice, oritur ex delicto, quod committitur in injuſta rei alienæ uſurpatione, vel ex injuſta damnificatione, ergo uti tale delictum non eſt, non erit obligatio reſtituendi. Ita cum Molina, Vaſquio, Leſſio, & aliis communiter Lugo, *d. 8. num. 46.* contra Angelum, Adrianum, & alios. Hinc fit ſe defendentem cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam alterum occidendo, militem pugnantem in bello putato à ſe juſto ex principis obedientia, conſumentem rem alienam quam putabat eſſe ſuam, non teneri ad reſtitutionem, niſi forte in aliquo facti ſint ditiores; ſiquidem prædicti in conſcientia non peccarunt.

Dico ſecundo: Nemo tenetur in conſcientia ſub mortali ad reſtitutionem ex damno alteri dato, niſi ex culpa mortali Theologica. Ita cum Soto, Henriquez, Leſſio, Salas, Rodriguez, & aliis communiter Lugo *ſup. num. 56.* Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 6. dub. 4. num. 6.* Ratio eſt quia culpa venialis non eſt ſimpliciter delictum, & injuria; ergo non debet parere obligationem gravem reſtituendi. Quod verum eſt etiamſi quis det operam rei illicitæ, quia licet opus ſit illicitum, non eſt tamen injuſtum; Vnde damnum ſecutum eſt involuntarium. Ita cum Navarr. Trullenc. *ſup. num. 7.* Hinc fit occidentem hominem ex ſubita ira percitus per actionem tantum venialiter malam, vel comburentem ſegetes alienas per negligentiam venialem, vel occidentem hominem, quem ex levi omiſſione diligentiæ putabat eſſe ferum &c. non teneri ad ullam reſtitutionem. Ita cum Leſſio, Tamburin. *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 2. §. 5. num. 4.* 246

Adverte tamen negligentiam, quæ in uno genere actionis eſt leviter culpabilis, aliquando eſſe gravem in alio; v. g. illa quæ levis culpa forte judicatur in conſervando depoſito, quod eſt ſolum in utilitatem deponentis, erit gravis in commodato, quod eſt in utilitatem ſolius commodatarij, ut recte cum Lugo, explicat Tamburin. *lib. 1. Decalog. cap. 3. §. 7. verbo depoſitum*; Unde quando Doctores docent latam culpam inducere obligationem reſtitutionis, ideo eſt quia communiter lata culpa difficulter invenitur ſine culpa mortali Theologica, ſi tamen hæc revera abſit, obligatio non inducitur. Dixi obligationem gravem reſtitutionis, nam aliquando ex culpa veniali oritur obligatio levis reſtitutionis, ut ſi quis furetur rem levem ſub veniali tenebitur reſtituere, ut bene notat cum Vaſquio, Sanch. Tamburin. *ſup. num. 1.* 247

An autem hæc doctrina intelligatur etiam de eo, qui damnum cauſavit alteri ex culpa Theologica veniali circa ſuum officium exequendum, vel conſilium dandum, ut judex, advocatus, medicus, architectus, prætor, magiſtratus, princeps, & alij officium, vel artem exercentes? Reſpondeo affirmative. Ita cum communi ſententia Lugo *de juſtitia d. 8. num. 93.* Ratio eſt quia quilibet tantum tenetur diligens eſſe in ſuo officio, & non diligentior, aut diligentiſſimus, niſi forte promitteret talem eſſe, nam tunc teneretur etiam de culpa levi, juxta exiſtimationem quam habet apud illos, qui eos vocarunt, ut bene advertit Leſſius *cap. 7. num. 31. & 32.* Hinc fit confeſſarium, parochum, conſultorem, Theologum, juriſconſultum, qui ex officio, vel profeſſione tenebatur conſulere, non teneri ad reſtitutionem ex culpa veniali, bene tamen ſi ex ignorantia craſſa, & ex culpa mortali. Ita cum communi ſententia Lugo *d 8. n. 93.* Trullen. *lib. 7. cap. 6. dub. 5. n. 3.* Ratio eſt quia qui alicui ſuadet, ut aliquid faciat, vel omittat abſolute docens illud poſſe facere, tenetur habere evidentiam moralem, vel ſaltem opinionem probabilem illud eſſe licitum; ſed qui ex ignorantia craſſa, & culpa mortali falſum docuit, ex quo ſecutum eſt damnum proximo, nec evidentiam moralem, nec opinionem probabilem habebat rem eſſe licitam; ergo tenetur de damno illato. 248

Sed quid ſi quis bona fide, & ſine culpa mortali dedit conſilium, ex quo damnum petenti conſilium, 249

lium, vel aliis ſequitur, tenebiturne hic reſtituere damnum, ſi cum poſſit noluit illud impedire retractando conſilium? Reſpondeo affirmative, quia licet conſilium à principio fuerit tantum cauſa materialis damni, cognita tamen veritate jam incepit eſſe cauſa formalis; unde ſi poteſt adhuc damnum impedire, etiamſi officium ſuum jam expleverit, tenebitur illud non ſolùm ex charitate ut vult Sanchez, *in conſiliis p.1.lib.3.cap.4 dub.5.* ſed etiam ex juſtitia impedire. Ita cum aliis Trullenc, *ſuprà num.4.* Lugo, *ſuprà num.95.*

250 Sed quæres, quid dicendum ſit, ſi conſilium non fuit de re alteri debita ex juſtitia, ſed ex liberalitate, donatione, miſericordia, vel ex voto, &c. Reſpondeo quod ſi quis ex culpa gravi falſum conſilium dedit, quo alteri impedivit eleemoſynam, officium, vel aliud quodcunque bonum, teneri ad reſtitutionem damni illati. Ita Lugo, *de juſtitia d.8.num.96.* quidquid dicat cum Sanc. Trullenc. *lib.7.c.6.dub.5.n.6.* Ratio eſt: quia qui per vim, vel fraudem aliquem impedit à conſecutione boni, quod alius illi conferre volebat, tenetur ad reſtitutionem pro qualitate ſpei, quam habebat, ut tenet cum communi ſententia ipſe Trullenc. *ibi num.6.* ſed qui per falſum conſilium ex ignorantia craſſa, qualis requiritur ad peccatum mortale impedit pauperē ab eleemoſyna, vel aliquem à legato, vel hæreditate, &c. quam alias ei dare, vel relinquere volebat, jam illum per fraudem à conſecutione boni impedivit; peccatum enim ex ignorantia craſſa commiſſum, ejuſdem ſpeciei eſt cum peccato ſcienter commiſſo; ergo ſi fraus ſcienter commiſſa contra juſtitiam obligat ad reſtitutionem, idem dicendum eſt de fraude per ignorantiam culpabilem admiſſam.

SECTIO III.

Qualis culpa requiratur ut ſit obligatio reſtituendi ex contractu.

SUMMARIUM.

251 *Explicatur ſenſus quæſtionis.*

252 *Nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiam ſi apud ipſum ſit ex contractu in gratiā ipſius, niſi ob dolum, & culpam mortalem.*

253 *Ponitur quoddam corollarium.*

251 SVppono non eſſe ſermonem in præſenti de reſtitutione rei illius, quam tradendam ſe obligavit contrahens, v.g. dandi librum, quem vendidit, vel pretium quod promiſit, ſed quæſtio eſt de reſtitutione damni, quod ex culpa contrahentis paritur res aliena, ut ſi liber commodatus pereat culpa commodatarij, teneatur ex omni culpa ad damnum: Secundo ſuppono contrahentes poſſe convenire, ut teneantur etiam ex levi culpa, poſſunt enim obligari ad aſſecurationem rei acceptæ, quocunque modo pereat, ergo à fortiori poſſunt obligari, ſi detur culpa juridica. Tertiò ſuppono culpam, quæ in aliquo caſu eſſet levis, in alio poſſe eſſe gravē, propter majorem obligationem, quam res ex ſe affert; majorem enim obligationem cuſtodiendi rem commodatam ex natura rei habet commodatarius, quam depoſitarius, ut *ſuprà* diximus. Quartò ſuppono leges obligantes de culpa levi, & leviſſima, ut eſt *c. ultimum de commodato & l. contractum de reg. juris in 6.* non obligare in conſcientia, ſed tantum in foro externo, & poſt ſententiam judicis: nam cum fraudentur in præſumptione culpæ, ſi hæc in conſcientia non detur, leges non procedunt. Decaſtillus, *lib.2.tract.2. d.3.num.64.* licet de poſſibili ob bonum publicum dari etiam poſſet lex obligans in conſcientia ex culpa levi, & leviſſima tantum juridica, ut bene notat Lugo, *de juſtitia d.8.num.101.* Tota igitur difficultas eſt an in foro conſcientiæ de jure naturæ teneatur quis de damno illato ſine culpa mortali, ſed tantum veniali?

Dico primò: de jure naturæ nemo tenetur de 252
damno dato in re alterius, etiamſi apud ipſum ſit ex contractu in gratiam ipſius, niſi ob dolum, & culpam mortalem. Ita cum Leſſio, Molina, & aliis, Lugo, *de juſtitia d.8.n.103.* Tamburinus, *lib.8.tract.1. cap.4.§.1.num.5.* Trullenc. *lib.7.cap.6. dub.4.n.4.* Ratio eſt quia nemo tenetur majorem diligentiam præſtare in cuſtodia rei commodatæ, conductæ &c. quam in re propria, & quā ipſe dominus adhibuiſſet, ſi apud ipſū manſiſſet; ergo ſi hæc diligentia, ſit præſtita & res pereat, ſine culpa periit, & omnino fortuito; ſed ad caſum fortuitū nemo tenetur, niſi ex pacto, vel lege, ſi forte ſit; ergo dixi ſi lex forte ſit: nā leges, quæ circunferuntur à doctoribus, in quibus diſcernitur, ut quando res cedit in gratiam illius, qui illa utitur teneri de culpa levi, & leviſſima cum ſint pœnales, tantum ſunt pro foro externo, & ſolum obligant etiam pro foro externo, poſt ſententiam judicis, non vero in foro interno, niſi detur culpa gravis, ut bene notat Soto, *de reſtitutione q.7.art.2.* & probabile putat Leſſius, *lib.2.cap.7.dub.8.n.44.* & cum Vaſquio, Rebuffo, Lugo, *ſuprà num.106.* Ianuarius, *p.1.ſect.10.* quidquid cum aliis dicat Trullenc. *ſuprà num.6.*

Hinc fit eum qui petit equum commodatum in 253
gratiam ſui, non teneri de damno, niſi interſit culpa gravis; hæc autem culpa facilius accidit in commodatario, quam in locatore, ſiquidem cum commodatarius illum habeat commodatum gratis, major diligentia illi incumbit de illo ſervando, unde ſi ad hanc majorem obligationem advertat peccabit mortaliter per negligentiam, quæ circa equum conductum, vel habitum in depoſito non eſſet gravis: unde non eſt mirum quod teneatur ad reſtitutionē, quia hæc obligatio non oritur ex culpa levi, ſed mortali propter majorem obligationem. Et idem dicendū eſt de depoſitario, quando ſolū in gratiam ſui fit depoſitū, vel fit ex ſtipendio in gratiam utriuſq; non vero quando ſolū fit in gratiam deponentis. Et idem dicendum eſt de creditore apud quem pignus eſt, cum ſit in gratiam utriuſque. Et idem dicendum eſt de artifice, qui reputatur in ſignis, nam hic tenetur majorem curam adhibere, ſiquidem ob majorem præſtantiam artis quæritur, unde majorem diligentiam tenetur, quam artifex ordinarius. Et idem dicendum eſt de debitore ſi non fuit in mora ſolvendi more debito, ſecus ſi aliter, vel ad alterum uſum re accommodata uſus fuit, & ideo res periit, vel ſi fuit in mora reſtituendi tempore debito, niſi fortè res eodem modo peritura eſſet apud dominum: nam tunc tenebitur debitor non ad ejus reſtitutionem, ſed ad æſtimationem uſus temporis longioris. Excipe niſi commodatarius putaverit dominum contentum fore, ut res non ſtatim reſtitueretur, vel ad alium uſum haberetur, & re vera ita erat, licet ea occaſione periiſſet; ſecus ſi debitor deceptus fuit, & domino diſplicuit illa mora, vel diverſus uſus: nam licet bona fides commodatarij per accidens poſſet tollere obligationem reſtitutionis, per ſe tamen non tollit, quia, ſecluſa ignorantia invincibili, debebat nolle re illa uti, niſi ſub conditione reſtituendi damnum, ſi domino diſpliceret.

DISPUTATIO VIII.

De obligatione restituendi ex injusta acceptione seu damnificatione.

SECTIO I.

De obligatione restituendi ratione damni spiritualis.

§. I.

An teneatur restituere qui privat aliquem per injuriam v.g. philtro, veneno, vel alio modo ab aliquo censu vel usu rationis.

SUMMARIUM.

254 *Pro sensu, vel usu rationis præcisè nulla est restitutio facienda.*
255 *Facienda est restitutio pro damno temporali, seu lucro cessante, quod inde sequitur.*
256 *Qui alteri suasit errores speculativos quando peccet mortaliter?*
257 *Quid si errorem practicum suasit?*

254 Dico primò: pro sensu vel usu rationis præcisè, nulla est restitutio facienda, quia hæc pertinent ad bona supremi ordinis, inter naturalia, quibus non datur æquivalens pretium, quidquid dicat
255 Soto, *lib. 4. quæst. 6. art. 3.* Est tamen facienda restitutio pro damno temporali, seu lucro cessante, quod inde sequitur, dum lædens non procurat suis expensis, ut læsus habeat pristinam sanitatem, & cum effectu illam obtineat. Ita cum Lessio, Sanchez, & aliis communiter Trullenc. *lib. 7. cap. 7. dub. 1. n. 1.* Lugo, *d. 9. num. 1.* Busembau, *lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 6. art. 6. num. 6.* Ratio autem est, quia fuit efficax causa damni. Hinc si sensu, vel ratione privatus erat lector, vel artifex, medicus &c. qui per artem victum quærebat, est ei secundum æstimationem lucri cessantis restituendum, eo modo quo est restitutio facienda ab homicida, ut *infrà*, dicemus Trullenc. *ibi.*
256 Dico secundò: qui alteri suasit errores mere speculativos regulariter non peccat contra justitiam: nam licet quilibet error positivus sit aliquod malum intellectuale, est tamen parvi momenti, ut si quis rustico persuaderet sydera esse paria. Ita cum Navarro, Sanchez, & aliis, Lugo, *d. 9. num. 4.* contra Ledesmam, & alios. Dixi regulariter, quia aliquando
257 potest esse in hac materia gravis injuria, ut si quis persuaderet errorem mere speculativum circa dogmata fidei, vel si componeret libros amatorios, quibus mores corrumperentur; secus si tantum essent fabulosi, non tamen corrumpentes mores. Trullenc. *lib. 9. Decalog. cap. 6. dub. 2. num. 2.* Et idem dicendū est de eo qui tenetur docere veritatem ex officio, ut magister: nam tunc si errores doceret graviter peccaret; faceret enim gravem injuriam discipulis; secus si doctrinam probabilem docuit. Ita cum Sanc. Lugo, *suprà num. 6.* Dixi qui suasit alicui errores mere speculativos: nam si quis errorem practicum suasit, ut ex eo sequatur aliud malum præter ipsum errorem, certum est talem inductionem ratione damni secuti esse injuriosam, & tenere lædentem ad restitutionem damni illati tum decepto, tum illi cui damnum irrogat ur Lugo, *suprà num. 2.* Trullenc. *suprà num. 2*

§. II.

Vtrum teneatur restituere qui alterum ad peccandum induxit.

SUMMARIUM.

258 *Qui vi, metu, vel fraude ad peccandum induxit, tenetur, ex justitia ipsū suæ libertati restituere.*
259 *Qui alterum sola suasione, vel malo induxit ad peccatum tenetur ex charitate eum revocare, quoad potuerit ad meliorem statum.*
260 *Regulariter non est peccatum mortale desiderare, vel causare per fraudem, vel vim malum leve spirituale proximo.*

Dico primò: qui alterum vi, vel metu, vel fraude ad peccandum inducit, tenetur ex justitia 258
ipsum suæ libertati restituere vim, vel fraudem tollendo, ne in posterum simili modo peccet; quisque enim habet jus ne injuste lædatur in bonis spiritualibus: quare si inductus in errorem fraude facit opus malum priusquam veritatem cognoverit, imputatur consultori, qui decepit, quamvis quis fecit per ignorantiam inculpabilem non peccaverit, secus si deceptus aliunde cognoscat errorem, & adhuc persistit in illo: nam tunc jam non imputabitur consulenti, sed suæ malitiæ, cum error jam sit ablatus. Ita cum Sylvestro, Navarro, Bonacina, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 6. dub. 2. num. 1.* Busembau, *lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 6. art. 7. num. 2.* & cum communi sententia Lugo, *d. sp. 9. num. 9.*

Dico secundò: qui alterum induxit ad peccatum 259
sine vi, vel fraude, sed suasione, vel exemplo suo, tenetur ex charitate quoad potest eum revocare ad meliorem statum, non tamen ex justitia, nisi forte peccatum ipsum erat in materia justitiæ. Ita cum Lessio, Laïman, Busembau, *suprà num. 2.* & cum aliis Trullenc. *suprà num. 1.* & cum communi sententia Lugo, *suprà.* Ratio est quia cum hic sine vi vel fraude induxerit, non fecit injuriam, cum nihil auferat ab invito: nam inductus sciens & prudens peccavit. Quod autem hic ex charitate teneatur præ cæteris inductionem auferre patet, quia ratio postulat ut ille, qui author fuit mali præ ceteris laboret, ut emendetur. Hæc tamen major obligatio charitatis non obligat ad mortale, nisi in necessitate, quando etiam alij obligantur. Ita cum Lessio, Navarro, Trullenc. *suprà num. 1.* Et idem asserit de eo, qui metu reverentiali alterum induxit ad peccatum, si abfuit vis, vel fraus, nisi forte ex circunstantiis metus vi æquiparetur. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ibi.* Dixi nisi peccatum fuerit in materia justitiæ: nam si induxit alterum ad furandum, vel infamandum, peccavit etiam contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, Lugo, *suprà numero 9.* Hinc fit qui puellam induxit ad libidinem, dicendo ei non peccatum, si sine dolo, vel vi fecerit non teneri ex justitia, sed tantum ex charitate auferre errorem, secus si vi, vel dolo id fecerit; An autem propter ipsam amissionem virginitatis sit aliqua obligatio restituendi: affirmat Lugo, *sup. n. 14.* est enim magnum detrimētum corporale, & infamia commissio illius. Sed de his *infrà*, redibit sermo.

Dico tertiò: Regulariter nō est peccatū mortale 260
desiderare, vel causare, etiā per fraudem, vel vim malum leve spirituale proximo. Ita cū Sanchez, & aliis communiter Lugo, *d. 9. n. 18.* Ratio est quia ut plurimum non tanti æstimat proximus illam coactionem, quanti æstimat coactionem ad alia mala, à quibus non potest se liberare, ut potest faciliter à peccato veniali. Dixi regulariter: nam respectu alicujus

persona

perſonæ erit peccatũ grave inducere illam per fraudem, vel vim ad aliquod veniale, ut ſi perſonam religioſam magnæ opinionis, quis induceret ad peccatum veniale mendacij, vanitatis, vel alterius rei, quo ejus fama ſanctitatis illideretur, vel ſi religioſum carmelitam excalceatum induceret per fraudem, vel vim ad comedendas carnes, etiam intra conventum. Vnde ejus bona opinio apud alios religioſos periret, vel ſi eſſet prælatus regulatis, & permitteret in ſubditis peccata venialia, vel inobſervantiam circa regulas, ut late diximus, *in noſtro directorio regularium*, ſed de his vide, quæ ibi diximus, interim conſule Lugum, *ſuprà num.* 21.

§. III.

An qui avertit aliquem à Religione, quam volebat ingredi, vel ingreſſum extraxit teneatur ad aliquam reſtitutionem?

SUMMARIUM.

261 *Qui novitium extraxit à religione, ſive vi, ſive fraude, tenetur ex charitate ei ſuadere ingreſſum, non tamen ex juſtitia.*

262 *Qui novitium à religione extraxit vi, vel fraude tenetur religioni reſtituere quanti ſpes illa temporalis, commodi ex ingreſſu, vel perſeverantia novitij valebat.*

263 *Idem dicendum eſt de extrahente profeſſum à religione.*

261 DIco primò: qui aliquem etiam novitium abduxit ab ingreſſu religionis, etiam malo animo, ſine tamen vi, vel fraude, etſi graviter peccaverit id ſine juſta cauſa, & debito modo faciendo, ac proinde teneatur ei rurſus ſuadere ingreſſum ex charitate, non tamen ex juſtitia, vel illi, vel religioni tenetur, ſiquidem adhuc nullum jus in eum religio acquiſierat, nec aliquid dicto novitio fuit actum cõtra juſtitiam, ſed tantum contra charitatem. Ita cum communi ſententia Lugo, *de juſtitia d. 9. num.* 27. Buſembau, *lib. 3. tract. 5. cap. 2. art. 6. num.* 4. & cum aliis Trullenc. *lib. 7. cap. 7. dub. 3. num.* 1.

262 Dico ſecundò: qui vi, vel fraude volentem ingredi religionem, vel novitium à religione extraxit, licet ex juſtitia non teneatur ipſe religionem ingredi, tenetur tamen ex juſtitia religioni, ſeu monaſterio compenſare, quanti ſpes illa temporalis commodi, quod ex dicti novitij hæreditate, donatione, vel induſtria, expectabatur valebat deductis expenſis, & conſiderata incertitudine, & mutabilitate novitij, fecit enim monaſterio injuriã, ſicut qui vi, vel fraude impedit ne detur legatum Petro, at ſi reſtituit novitium ſuæ libertati, fraudemque aperuit, vel novitius fraudem alia via agnovit, ſi eſt adhuc illi integrum redire, probabile eſt non amplius teneri, quia jam non cenſetur cauſa damni monaſterij; ſecus ſi jam non poſſit ingredi, quia v. g. contraxit matrimonium. Ita cum Leſſio, Sanc. Trullenc. *ſuprà num.* 1. Si autem fuerit fœmina, quam quis à monaſterio retraxit vi, vel fraude, ultra prædicta erit excommunicatus ex Trid. *ſeſſ. 26. c. 18. de reformatione.*

263 An autem idem dicendum ſit de extrahente profeſſum à religione? Reſpondeo affirmative, ſed non ſolùm tenetur ad reſtitutionem religioni, ſed etiam ipſi profeſſo, de omni damno illato, quia erga utrumque contra juſtitiam actum eſt, quod intellige uſquequo profeſſus, vel novitius poſitus ſit in ſua libertate, & poſſit utrumque libere eligere, & hæc eſt principalis reſtitutio, ad quam quis tenetur. Ita cum communi ſententia Leſſius, *lib. 2. cap. 8. dub. 3. n. 16.* Trullenc. *ſuprà num.* 2. Buſembau, *ſuprà num.* 5.

SECTIO II.

De inferente damnum in bonis corpori intrinſecis ut in vita & membris.

§. I.

Quinam homicida ad reſtitutionem teneatur

SUMMARIUM.

264 *Homicida qui occidendo non peccavit mortaliter contra juſtitiam, non tenetur ad reſtitutionem.*

265 *Qui occidit hominem liberum volentẽ, & ſcientem, non tenetur ad reſtitutionem.*

266 *Quid ſi affectus injuria injuriantem velit occidere, & injurians illum de facto ad ſe defendendum occidat?*

267 *An pugnante Petro, & Paulo, ſi ſoci) alterutrius aliquem occidant, Petrus, vel Paulus, teneantur ad reſtitutionem?*

268 *Qui omnino caſualiter occidit, non peccavit, nec tenetur ad reſtitutionem.*

269 *An qui confecit venenum ad occidendum inimicum, ſi vidente illo, amicus bibat ex eo, & non contradicat, ne ſe prodat teneatur ad reſtitutionem?*

270 *An occidens alium injuſte teneatur compenſare damnum alteri, cui per errorem homicidium fuit imputatum, maximè ſi id prævidit?*

271 *Quædam corollaria ponuntur.*

272 *Occidens Petrum putans eſſe Joannem tenetur ad reſtitutionem.*

IN quinto præcepto agimus de homicidio voluntario, & de ejus circunſtantiis in quantũ eſt peccatum, nunc vero agimus de eo prout inducit obligationem reſtitutionis, quod ad hoc præceptum pertinet.

Dico igitur primò: homicida qui occidendo non peccavit mortaliter contra juſtitiam, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi peccaverit venialiter contra juſtitiam, vel mortaliter contra aliam virtutem. Ita cum communi ſententia Tamburinus, *lib. 6. Decalog. cap. 4. §. 5.* Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 8. dub. 1. num.* 3. Hinc judex, & qui ſe defendit cum moderatione inculpatæ tutelæ, etiamſi ex odio occidat, non tenetur ad reſtitutionem, quia ſolum peccavit contra charitatem, & non contra juſtitiam, & ubi non datur violatio juſtitiæ non datur obligatio reſtitutionis. Trullenc. *ſuprà num.* 3. 264

Dico ſecundò: qui occidit hominem liberum volentem & ſcientem non tenetur ad reſtitutionem. Ita cum communi ſententia Tamburinus *ſuprà n.* 2. volenti enim, & ſcienti non fit injuria, & occiſus cenſetur remittere, quam remiſſionem dum vivus erat poterat efficere, etiam contra voluntatem hæredum; dixi hominem liberum, quia qui occidit ſervum, domino invito, tenetur valorem illius domino reſtituere. Hinc fit 1. ſponte convenientes in duellum, niſi occiſus fuerit deceptus in aliquo, vel ad duellum coactus, non obligari ad illam reſtitutionem; quia ſibi ad invicem remittere præſumuntur 2. fit occiſorem provocatum nõ teneri ad reſtitutionem, etiamſi ſe defendendo modum excedat: nam provocãs cenſetur illi remittere. Ita cum Bañes, Leſſio, Azorio, Laïman, Bonac. Fauſto, Diana, *p. 2. tra. 6.* 265

Digitized by Google

*reſ.*5.3.& cum Sanc.Trul. *ſup.n.* 4. Tertiò ſit invaſum ab altero,etiamſi poſſit fugere,vel aliò declinare,etiamſi id non faciat,ſed invaſorem ſe defendendo occidat, etiamſi invaſus ſit Eccleſiaſticus, & excedat moderamen inculpatæ tutelæ, non teneri ad reſtitutionem, propter eandem rationem. Ita cum Leſſio, Trullenc. *ſuprà num.*6. Tamburinus, *lib.*6. *cap.*6.§.3.*num.*15.Et idem dicendum eſt de aggreſſo ab alio ſine provocatione, etiamſi ſe defendendo moderamen excedens aggredientem occidat, propter eandem rationem.Ita & bene cum Leſſio,Tamburinus,*ſuprà num* 15. Quartò ſit occidentem rixæ authorem non teneri ad reſtitutionẽ,ſi dans cauſam rixæ gladio inſurrexit; ſecus ſi ſolum verbis cauſam rixæ dedit, etiamſi verba fuerint nimis contumelioſa,ut ſi eũ furem,Sodomitam, Judæum vocaret:nam ſimiles verbales contumeliæ aliis ſimilibus repelli poſſunt, vel verbo mentiris, ut ſuprà diximus. Ita cum Filliucio,Sylveſtro,Caietano, Binsfeldio, Leſſio,Azorio, Diana,*p.*5.*tract.*4.*reſol.*12.&.13.Trullenc.*lib.*5.*cap.*1.*d.*5. *n.* 5. & cum Decaſtillo,Tamburinus,*ſuprà num.* 17.*&cap.*3.§.2.*num.*6.contra Navarrum, Henriquez.& alios, quos refert Diana, *ſuprà*,*reſol.*12.& contra Bonacinam, Hurtadum, & alios, quos refert, & ſequitur Leander, *tract.*2.*de irregularitate d.*14.*queſt.* 8. Malletus, *malleatione* 17. *Decaleg. Bractea* 22.

266 Sed quid dicendum, ſi affectus injuria injuriantem gladio velit occidere, & injurians illum de facto ſe defendens occidat?Reſpondeo non teneri reſtituere, nam licet cauſam dederit rixæ, poſtquam tamen alter gladio in eum inſurrexit, poteſt ſe licite defendere.Ita & bene Tamburinus,*lib.*6.*cap.*6.§.3. *num.*17. Et idem dicendum eſt de adultero,ſi maritum adulteræ eum volentem occidere, ſe defendendo,occidat propter eandem rationem. Ita cum Mercado, Leſſio, Molina, & aliis,Decaſtillus, *lib.*2. *tract.*2.*d.*7.*num.* 93.

267 An autem ſi pugnantibus Petro cum Paulo, ſocij alterius occidant aliquem, teneatur Petrus, vel Paulus, ad reſtitutionem occiſi? Reſpondeo teneri, ſi ſocios excitarent: nam jam fuere cauſa homicidij. At ſi ſponte hi ſocij ſe immiſcuerũt, ipſiſmet imputatur, cum rixa tantum fuerit cauſa remota. Tamburinus, *ſuprà num.* 18. Sed quid ſi ex ſociis, quos Petrus excitavit; unus periit, tenebiturne Petrus qui ſuaſit huic ſocio reſtitutionem facere? Reſpondeo negativè, non enim ſuadens peccavit contra juſtitiam,ſed tantum contra charitatem,cum id fecerit ſine dolo,vi,vel fraude,ſcienti enim,& volenti non fit injuria,Tamburinus, *ſuprà num.* 19.

268 Dico tertiò: quando homicidium à Petro, v.g. factum fuit omnino caſuale, non peccavit, nec tenetur ad reſtitutionem.Quando autem homicidium ſit caſuale diximus ſuprà. Ita cum communi ſententia Decaſtillus,*lib.*2.*tract.*2.*d.*7.*n.*98. Quod verum eſt,etſi quis det operam rei illicitæ,ſi adhibuit ſufficientem diligentiam,ut inde aliquod incommodi nõ ſequeretur. Ita cum Cajet.Bonac.Filliuc.& aliis Decaſtillus,*ſ.n.*100.Hinc fit ſi quis aliquẽ in ebrietate occidit, niſi prævidit homicidiũ ſecuturũ, vel ſi prævidit, adhibuit ſufficientẽ diligentiã ne ſequeretur, non teneri ad reſtitutionem, etſi voluntarie ſe inebriaverit; ſecus ſi prævidit, vel non adhibuit ſufficientem diligentiam. Ita cum Rebello, Navarro, Suario,Molina,& aliis Decaſtillus, *ſuprà num.*102. Et idem dicendum eſt de immittente ſagittam adhibita ſufficienti diligentia, ne aliquem occideret, & caſu perimit hoſtem, quem necare optabat,& ſi ſciret,necaret, ſola enim iniqua voluntas non obligat ad reſtitutionem, ſi alioquin opus externum non erat ex ſe ordinatum ad homicidium. Ita cum Sanc. Trullenc.*lib.*7.*cap.*8.*dub.*1.*num.*8.

Sed quæres quid dicendum, ſi Petrus, v.g. confecit vinum veneno ad occidendum inimicum, & forte venit amicus,& bibit ex prædicto vino,vidente ipſo Petro, & non revelante eſſe venenatum, ne crimen proderet, tenebiturne Petrus ad reſtitutionem? Reſpondeo negativè;quia talis mors fuit omnino caſualis, & præter intentionem Petri, & ipſe cum tanto onere non tenebatur illum monere de veneno. Et idem dicendum eſt, ſi idem Petrus à ſicariis metu mortis coactus fuit oſtendere Pauli domum, ut eum occiderent, & de facto occiderunt; non enim tenebatur cum tanto periculo abſtinere ab oſtenſione domus. Ita cum Lugo, Tamburinus, *lib.*7.*cap.*4.§.4.*num.*2.*&* 3. 269

Sed quæres an occidens alium injuſte teneatur compenſare damnum alicui tertio, cui per errorem crimen homicidij imputatum fuit, maxime quandò homicida id prævidit? Reſpondeo non teneri, etiamſi id prævideat, & intendat, dummodo ne ſua aliqua actione externa, v.g.utendo enſe, vel ſervis alienis, cauſam falſæ ſuſpicionis prætuleris, ita cum Leſſio,Decaſtillus,*lib.*2.*tract.*2.*d.*7.*num.*106.Tamburinus,*lib.*6.*cap.*2.§.1.*num.*3.Ratio eſt quia damnificatio tunc ſolum eſt radix obligationis reſtituendi, quando eſt cauſa externa phyſica, vel moralis damni conſecuti;ſed in hoc caſu occiſio non eſt cauſa phyſica, vel moralis, quia nullum influxum phyſicum, nec moralem exercet occiſio Petri, quam commiſit Joannes,in imputatione Franciſci,& alias præviſio, & prava intentio occidentis, tantum eſt contra charitatem; ergo ſi ultra hanc pravam intentionem non datur actio externa, quæ ex natura ſua ſit cauſa moralis talis damni,non poteſt inde colligi onus reſtituendi. Ad dignoſcendum vero an adſit hujuſmodi moralis influxus, videndum eſt an ex tali actione ut plurimum ſequatur imputatio, vel damnum tertij, ſi enim ut plurimum ſequitur, ſignum eſt mortaliter influere in illud.Ita cum Leſſio, Tamburinus, *ſuprà num.*4. 270

Hinc fit,eum qui furatur theſaurum avaro, unde avarus mœrore confectus, moritur; eum qui occulte aliquem occidit, unde talis occiſio alteri, v.g.inimico imputatur; eum qui alteri alapam impegit, unde ob dedecoris apprehenſionem moritur; eum qui vendit militi arma, unde is homicidia injuſta committat, eum qui ſolo ſuo exemplo extraneis eſt offendiculum ad male agendum, & ſimiles non teneri ad reſtitutionem ex homicidio, etiamſi id à dictis intentum fuerit; quia licet peccaverint contra charitatem, non tamen contra juſtitiam per actionem externam, quæ ſit cauſa phyſica, vel moralis homicidij. Et idem dicendum eſt de eo, qui Petrum occidit, & collocat cadaver in platea ad portã Franciſci,ea intentione, ut Franciſcus à judice condemnetur, vel infantem ante ſuam januam inventum collocat ad januam alterius, ut ab eo nuntiatur; ſiquidem ex his actionibus,nõ ſequitur ut plurimum imputatio homicidij, vel damni,quia caſu ibi mori potuit alibi vulneratus, vel caſu ibi poſitus fuit infans. Secus dicendum eſt de eo, qui alium occidit in domo vel agro alterius, unde patiter is alter condemnetur; præſumitur namque domino domus, vel agri conſentiente,homicidium fuiſſe commiſſum.Ita Tamburinus, *ſuprà num.* 5. 271

Secundò ſit damnum illatum à ſervo, mancipio, vel filio,non teneri dominum, vel patrem reſtituere ante judicis ſententiam,ſi tale damnum fuit irrogatum abſque ipſius culpa mortali, ſiquidem nec tenetur ex re accepta, res enim ſupponitur periiſſe,

nec

Digitized by Google

nec ex injusta acceptione, quia nullam gravem culpam, ut suppono commisit. Post sententiam tamen judicis tenetur refarcire damnum vere datum à servo, vel animali, vel animal, aut servum tradere pro noxa, siquidem jura ita pro foro externo ob bonum commune sanxerunt, secus dicendum est de filio: nam si absque culpa patris homicidium commisit, Pater ad nihil tenetur, etiam pro foro externo; quia ubi non est culpa, nec pœna, nec est obligatio dandi illum pro noxa, quia id leges non discernunt. Ita & bene Tamburinus, *sup. n. 5.* Cum quo etiam adverte, quod si servus, vel animal tuum, verum damnum non commisit, in conscientia non teneri restituere, etiam post sententiam judicis, cum talis sententia supponat verum damnum, quod cum non detur, nec datur obligatio restituendi in conscientia; unde posset sic invitus restituens compensari; quod tamen non admitto in dubio, an tuum animal commiserit, vel non, tale damnum: nam tunc debes stare sententiæ, quia possessio stat ex parte judicis, donec appareat manifestè injustitia. Tamburinus, *ibi num. 6.*

272 Dico quartò: occidens Petrum putans esse Joannem, tenetur ad restitutionem, si quidem illa actio est injusta contra hunc hominem Petrum, licet falsò existimetur Joannes, semper enim hominem occidit. Ita cum aliis Decastillus, *lib. 2. tract. 2. d. 7. n. 107.* sed de his vide, quæ *suprà*, diximus, agentes de homicidio.

§. II.

Quod damnum homicida injustus restituere teneatur.

SUMMARIUM.

273 *Homicida pro ipsa vita, mutilatione, cicatrice hominis liberi nihil tenetur restituere.*

274 *Quid si occisus, vel mutilatus sit servus?*

275 *Quomodo debeat lucrum cessans, & damnum emergens in hoc casu computari?*

276 *Quando homicidium fuit indirectum, vel casuale, in quo per actionem injustam externam contra justitiam non peccavit mortaliter homicida, quid teneatur restituere?*

273 LOquimur de injuste vulnerante, vel occidente in casu, quo juxta dicta paragrapho antecedenti restituere teneatur. Hoc supposito,

Dico primò: homicida pro ipsa vita, mutilatione, percussione, vel cicatrice relicta, præscindendo à damno temporali, nihil tenetur restituere, nec spirituale, nec temporale, si occisus, vel mutilatus sit homo liber. Ita cum Navarro, Lessio, & aliis Diana, *p. 2. tract. 6. resol. 53.* & cum Sanchez, Trullenc. *lib. 7. cap. 8. dub. 2. num. 3.* & cum aliis Tamburinus, *lib. 6. cap. 4. §. 3. num. 22.* Ratio est quia cum vita hominis, vel membrum illius ulla pecunia, seu ullo bono inferiori æquari possit, sequitur justitiam non se extendere ad præcipiendum dari pecuniam, seu aliud bonum inferius pro vita, vel membri amputatione, vel cicatrice.

274 Dixi hominis liberi, quia si occisus, mutilatus, seu cicatrizatus fuerit servus, vel animal, pro vitæ, vel membri privatione, vel cicatrice tantum restituendum est, quanti æstimatur damnum, quod inde dominus recepit, ob vitæ privationem, vel cicatricem vel membri amputationem relictam, ob quæ servus minus valet Ita cum Laïman, Sancha Trull. *sup. n. 3.* Dixi præscindendo à damno temporali, quia damnum temporale secutum ex homicidio, mutilatione, &c. absque dubio restituendum est, scilicet omnes legitimas, non vero superfluas expensas factas in curatione occisi, si statim non mortuus fuit, extracta ea pecunia, quam alioquin eodem tempore ad sui sustentationem expendisset, tum omne damnum reale in honore, sive in fama, sive in pecunia per se secutum ex injusta occisione, vel mutilatione, ut si puella ex cicatrice facta sit deformis, ratione cujus indigeat majori dote ad nubendum, tunc hoc augmentum restituendum est, quod si nullum hujusmodi damnum secutum sit, quia occisus rei familiaris destructor erat, vel homo nobilis, qui lucrum per artem, vel negotiationem non quærebat, non est unde restitutio debeatur.

Hoc autem lucrum cessans, vel damnum emergens debet mensurari attenta ætate, salute, modo vivendi, ac negotiandi, quo utebatur, vel uti probabiliter poterat occisus, dempto semper aliquo, pro periculis, & incertitudine, & pro utilitate hæreditatis, quam citius assecuti sunt hæredes; non tamen pro labore, quem artifex occisus impendisset, nec pro expensis funeris occisi, nec pro re, quam occisus acquisiturus erat, si occisus non fuisset, quando nulli sunt legitimi hæredes, ut infra dicemus; quæ judicia cum difficulter haberi exacte possint, optimum consilium est, ut totum id compensatione inter eos, ad quos res pertinet peragatur. Ita cum communi sententia Tamburinus, *lib. 6. cap. 4. §. 3. à n. 3.* Hinc fit eum, qui proximum læsit in libertate, cum injuste conjiciens in servitutem, teneri ad eum pecunia, vel alia via liberandum, & si non sit alia via eum liberandi, tenetur ad se reddendum in servum pro eo, si id sufficiat. Ita Filliucius, *tract. 32. cap. 8. quæst. 8. num. 217.* Trullenc. *suprà num. 6.* 275

Dico secundò: quando homicidium fuit indirectum, vel casuale, in quo homicida non peccavit mortaliter per actionem externam contra justitiam, licet alias peccaverit venialiter vel ex prava intentione ut *suprà*, diximus tantum tenetur restituere expensas factas in curatione occisi, vel mutilati, in hoc enim conveniunt DD. quod si homicidium alij tertio imputatum fuit, tenetur restituere illi, cui imputatum fuit, illud quod judex illi præcepit restituere hæredibus occisis, vel mutilato, non tamen alia damna, quæ inde recepit ille cui homicidium imputatum fuit, ut si conjectus fuit in carcerem, si pecuniam suam in sua liberatione consumpsit: nam hæc omnia damna fuere per accidens secuta ad mortem, vel mutilationem, secus vero priora, quæ per se ad mortem secuta sunt. Ita cum Lugo, Rebello, & aliis, Tamburinus, *lib. 6. cap. 2. §. 1. num. 2.* & cum aliis Trullenc. *lib. 1. Decalog. cap. 4. dub. 2. num. 2. & 3.* sed de his vide, quæ §. *præcedenti*, diximus. 276

§. III.

Cui teneatur restituere homicida?

SUMMARIUM.

277 *Si læsus mortuus non est, cui expensa sint restituenda explicatur.*

278 *Si mortuus est, cui restitutio facienda sit declaratur.*

279 *Homicida non tenetur restituere alimenta fratribus, vel hæredibus extraneis occisi.*

280 *Homicida non tenetur restituere creditoribus occisi.*

281 *Quid si homicida damnatus fuit ad mortem, qua teneatur restituere?*

282 *Si homicida non tenetur restituere, non tenetur pro occiso preces fundere.*

283 *Non restituente prædicta damna homicida, ejus hæredes ad restitutionem tenentur.*

184 *Quid si occisor non solum prævidit damna uxori, vel filiis occisi ex occisione sequi, sed invincibiliter judicavit nulla sequi eis damna?*

277 Dico primò: si læsus mortuus non est, expensæ curationis restituendæ sunt ipsi læso, vel si mortuus est, expensæ factæ in ejus curatione dum vixit, & lucrum cessans pro illo tempore restituendum est ejus hæredibus, etiam extraneis, & si nulli sint hæredes debent expendi in usus pios. Ratio est quia ipsi læso facta est injuria, & ipse est verus dominus illius pecuniæ expensæ, & lucri cessantis, & hæres succedit in omnia jura realia defuncti, & si desit hæres censetur velle defunctum illa debita ex delicto in usus pios pro illius anima expendi. Ita & bene Tamburinus, *lib. 6. cap. 3. §. 2. num. 6. & 9.* & cum communi sententia Trullenc. *lib. 7. cap. 8. dub. 4. num. 1.*

278 Dico secundò: si læsus mortuus est, occisor tenetur alimenta præbere solum hæredibus legitimis, & necessario succedentibus, illis scilicet, quibus defunctus ex justitia tenebatur alimenta præbere quandiu viveret, secundum damnum, quod eis datum est. Ratio est quia Pater, maritus, & filius, censentur eadem persona cum defuncto, unde qui Petrum occidit, uxori, filiis, & parentibus Petri damnum infert, eosque in re sua læsit. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib. 2. tra. 2. d. 7. n. 76.* hinc fit quod si mulier æque commode nubere potest, nihil illi deberi, similiter si parens occisi hæres non erat, quia occisus habebat filios, neq; filius occisus illum alere tenebatur, quia ipse abunde habebat alimenta, nihil illi deberi Decastillus ibi, Trullenc. *suprà num. 2.*

279 Dico tertiò: homicida non tenetur restituere alimenta fratribus, vel hæredibus extraneis occisi, quia hi non censentur una persona cum defuncto, nec eos ex justitia, sed tantum ex charitate, vel liberalitate alebat; quod verum est, etsi homicida advertat per id impediri bonum, & alimenta quæ ex liberalitate, vel charitate aliquibus præstabat occisus. Ita cum multis Diana, *p. 2. tra. 5. resol. 22.* Trullenc. *suprà n. 3.* & cum aliis Decastillus, *suprà num. 79.* contra multos, quos ibi refert Decastillus.

280 Dico quartò: homicida non tenetur restituere creditoribus occisi illa, quæ illis debebat, etiamsi depravata intentione occideret, ne creditoribus solveret occisus. Ita cum Bonacina, Molina, tenet ut probabile Trullenc. *sup. num. 6.* Decastillus, *sup, n. 83.* contra multos, quos ibi refert, & contra Tamburinum, *lib. 6. cap. 3. §. 2. num. 13.* Ratio autem nostræ sententiæ est, quia ex prava intentione non oritur obligatio restituendi, & aliàs damnum creditorum censetur per accidens secutum ex morte. Et idem dicendum est de eo, qui voverat dare aliquid loco pio, etiamsi ea intentione eum occideret, ne voto satisfaceret, Trullenc. *ibi.*

281 Dico quintò: si homicida damnatus fuerit ad mortem propter homicidium ejus hæredes non tenentur solvere prædicta damna ex morte secuta, si hæredes defuncti sola morte occisoris contenti sunt, ut habet fere usus, præsertim quando homicida morte plectitur ad instantiam partis. secus si ultra mortem postulent prædicta damna. Ratio est quia quando prædicta damna non postulant, censentur contenti sola morte occisoris, si autem ea postulent in conscientia eis debentur, quia per mortem occisoris, solum satisfactum fuit reipublicæ, non tamen hæredibus occisi. Ita & bene cum Salon, Bonacina, Trullenc. *lib. 7. cap. 8. dub. 3. num. 8.*

Dico sexto: Si homicida non potest restituere, 282
quia, v. g. ex morte non fuerunt secuta prædicta damna, quia occisus erat persona nobilis, ex cujus morte nullum damnum secutum fuit, non tenetur occisor pro eo preces fundere, nec sacrificia offerre, bona enim spiritualia non sunt pretium vitæ, sunt enim bonum superioris ordinis. Ita cum Azor, Frater Stephanus à Sancto Gregor. *lib. 1. de restitutione cap. 10. num. 13.* contra Sot. Roderic. & alios.

Dico septimo: Homicida adhuc tenetur ad restitutionem, quamvis percussus dicat antequam decedat se remittere delictum homicidij, quia dicta remissio intelligitur, quoad injuriam, & quoad actionem criminalem tantum, sed non quoad damna illata, nisi etiam id percussus explicaverit, quia si explicavit ad nihilum tenebitur homicida. Molina *tom. 4. d. 83.* Bonacina *quæst. 6 2. art. 2.* Gomez *lib. 3. variarum, cap. 3. num. 54.* & communiter omnes.

Dico octavo: Non restituente prædicta damna 283
homicida, ejus hæredes ad prædictam restitutionem tenentur, nam sicut in bonis, ita & in malis succedere debent, & ad idem tenetur fiscus, si bona sint confiscata; hæc tamen intelligenda sunt, si defunctus reliquit bona libera, in quibus hæredes successerunt, aliàs enim non tenerentur; unde qui solum jure successionis primogenium acquisivit, ad nihil tenetur. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib. 7. cap. 8. dub. 4. n. 4.* Ad restitutionem autem per veniæ petitionem, vel famæ restitutionem hæredes non tenentur, quia hoc est debitum personale, quod non transit ad hæredes, nisi forte occisor cum creditoribus ante mortem conveniret, ut aliquam pecuniam pro his solveret: nam tunc talem pecuniam ejus hæredes tenerentur solvere, ut bene cum Salon. notavit Trullenc. *suprà num. 4.*

Dico nono: si occisor non solùm non prævidit 284
damna uxoris, filiorum, aut parentum occisi, sed etiam positive invincibiliter judicavit, & credit ex occisione nullum sequi damnum, non tenetur damna prædicta compensare, licet re vera damnum aliquod illis sequeretur. Ita Lugo, *d. 11. num. 89.* Ratio est quia non potest esse obligatio restituendi ex injusta læsione, nisi præcedat aliqua injuria in illum, cui facienda est restitutio, sed in prædicto casu licet fiat injuria occiso, non fit ejus hæredibus necessariis, quia occisor non solùm eam ignoravit, sed positive credit non adesse, & ideo occidit, quia credit talia damna non sequi, aliàs non occidendus, ergo talia damna fuerunt secuta per accidens præter intentionem occisoris.

SECTIO III.

De restitutione ex stupro & adulterio.

§. I.

Utrum stuprator teneatur restituere aliquid pro solo damno naturali.

SUMMARIUM.

285 *Stuprator solum tenetur pro damno pecuniario in ordine ad matrimonium.*

286 *Si stuprata nupsit æque bene, quia vir non cognovit violationẽ, violator nihil tenetur restituere.*

287 *Quid si ante matrimonium violata aliquam accepit recompensationem?*

288 *Quid si violata monialis fiat, vel statum continentiæ sit amplexa.*

PRo hujus sectionis notitia suppono stupratorem duplex damnũ posse inferre, naturale scilicet, & pecuniarium,

pecuniarium, naturale est violatio claustri virginalis secundum se considerata, temporale vero, & pecuniarium est damnum, quod patitur stuprata, quoad matrimonium, eo quod violata majorem requirit dotem, ut æque ac antea nubat: his suppositis,

285 Dico primò: stuprator solum tenetur pro damno temporali, seu pecuniario in ordine ad matrimonium, violatio enim claustri virginalis non est pretio æstimabilis. Ita cum Navarro, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 9. dub. 1. num. 2.* Hinc fit quod si stu-
286 prum mansit clam, aut vi, vel metu violata nupsit æque beuè, eo quod vir non cognovit defectum non esse ei aliquid restituendum. Ita cum Lessio, Bonacina, Villalobos, Trullenc. *suprà num. 3.* Busembau, *lib. 3. tract. 5. cap. 2. art. 4. num. 1.* Tamburinus, *lib. 7. c. 3. §. 3. n. 2.* At si antequam nuberet
287 pacta fuit cum violatore, & ab eo recepit recompensationem, illam retinere potest, quia licite potuit accipere pro periculo imminenti, cui erat exposita. Secundò fit quod si vi, vel metu violata monialis fiat, aut statum continentiæ amplexa sit, aut si obierit, violatorem ad nihil teneri, cum nullum
288 damnum in ordine ad matrimonium sit illatum, & tempus necessitatis sit elapsum. Ita cum Villalobos, Saïro, & aliis, Trullenc. *suprà num. 4.*

§. II.

Ad quid teneatur corruptor virginis, quando matrimonium ei non promisit?

SUMMARIUM.

289 *Qui virginem consentientem defloravit absque vi vel fraude, vel promissione, nihil ei tenetur restituere.*

290 *Qui vi, vel metu, aut fraude absque promissione matrimonij virginem defloravit, quid teneatur ei restituere?*

291 *Qui muneribus, aut importunis precibus virginem defloravit non tenetur ad restitutionem.*

292 *Si fœmina vi oppressa concepit, tenetur qui eam oppressit ex justitia alere fœtum, & solvere fœminæ omnes expensas, & damna quæ passa est.*

293 *Dominus qui suam ancillam vi, vel fraude oppressit ad quid teneatur?*

289 Dico primo: Qui virginem consentientem defloravit absque vi, vel fraude, vel promissione matrimonij, ad nullam restitutionem tenetur in foro conscientiæ, quia volenti, & consentienti nulla fit injuria, quod verum est, & si virgo sit sub cura parentum, vel tutoris. Ita cum Soto, Veracruz, Grasio, Vasquio, Sanchez, Salas, Molena, Laïman, & aliis Decastillus, *lib. 2. tract. 2. d. 7. num. 111.* & cum aliis, Trullenc. *lib. 7. cap. 9. dub. 2. num. 1.* Tamburinus, *lib. 7. Decalog. cap. 5. §. 3. num. 5.* Dixi in foro conscientiæ: nam in foro externo cogitur à judice eam dotare, lege sic statuente, propter bonum commune. Ita cum Lessio, Tamburinus, *suprà num. 7.*

290 Dico secundò: qui vi, vel metu, aut fraude absque promissione matrimonij virginem defloravit, tenetur tantum rependere damnum, quantum ei per injuriam est secutum, idque vel matrimonio, vel damni æstimatione ad arbitrium prudentis viri; ut talem nimirum inveniat virum, qualem manens virgo inveniisset, non tamen tenetur ad eam necessario ducendam; leges enim quæ ad hoc obligant, solum habent locum in foro externo. Ita cum multis Decastillus, *lib. 2. tra. 2. d. 7. n. 115.* & cum aliis Trullenc. *suprà n. 2.* Tamburinus *sup. n. 26.* Busembau, *suprà n. 1.* quod si stuprator non habeat cum quo resarciat damnum, si sit nobilior illa non tenetur eam ducere, sed expectare meliorem fortunam ad satisfaciendum, si vero sit æqualis conditionis, tenebitur eam ducere, nisi aliquid adsit, ratione cujus sponsalia dissolverentur, si essent contracta. Ita & bene Tamburinus, *suprà num. 27.* quod si deflorator velit violatam ducere, & illa noluerit, tenetur eam dotare. Ita cum multis, Trullenc. *sup. n. 3.* Tamburinus, *suprà n. 29.*

Dico tertiò: qui muneribus, aut importunis pre- 291
cibus virginem defloravit, non tenetur ad restitutionem. Ita cum multis Decastillus, *suprà num. 117.* Trullenc. *suprà num. 4.* Busembau, *suprà num. 4.* Adhuc enim virgo consensit libere. Excipe nisi preces conjunctæ fuissent cum minis, vel metu reverentiali, ut si fuerit illius dominus, vel vir magnæ authoritatis. Trullenc. *suprà num. 4.* Busembau, *suprà n. 3.* Decastillus, *suprà n. 117.* Tamburinus, *suprà n. 26.*

Dico quartò: qui per vim cognovit puellam, si eam invenit non virginem, si culpa fœminæ id accidit, quia v.g. in judicio petivit virũ, qui eam oppressit, vel qui vere, vel hetè ei promisit matrimonium, ad nihil tenetur vir: nam licet vim vi repellere, & potest dicere non esse virginem, at si culpa viri id accidit, ut si se jactaret rem cum illa habuisse, tenetur eam dotare, vel dotem augere ut nubat, ac si haberet famam virginitatis, non tenetur tamen eam ducere. Ita cum Vasquio, Tamburinus, *supra n. 31. & dub. 3. num. 9.* Et idem dicendum est quando puella libere consensit in defloration em, si defloror, eam infamavit propter eandem rationem, casu quo defloratio fuerit occulta Trullenc. *suprà num. 1.* Quod si copula vi cognitæ publica non fuit ad nihil tenetur qui eam cognovit, in dubio autem an sit, vel non virgo, si illo asserit esse virginem, standum est pro ejus dicto, nisi defloror dare, & certo inveniat non fuisse virginem, Tamburinus, *suprà num. 31.*

Dico quintò: si fœmina vi oppressa concepit qui 292
eam oppressit ex justitia alere fœtum, & solvere fœminæ omnes expensas, quas fecit, & damna, quæ passa est, & quæ secuta sunt ratione conceptionis, & partus propter injuriam illi illatam, si autem illa libere consensit; solum tenetur defloror alere filium, sicut alios legitimos, si habet, non ex justitia commutativa, sed ex pietate, & jure naturali. Ita cum Villalobos, Trullenc. *suprà num. 6.*

Dico sextò: dominus qui vi, vel fraude suam an- 293
cillam violavit tenetur damnum resarcire, manumittendo illam, aut concedendo ut nubat honeste secundum suum statum, aut constituendo illam in statu viduitatis, aut alio modo ad arbitrium prudentis viri: nam licet ancilla non habeat jus ad pecuniam, habet jus ad suam integritatem, & passa est injuriam. Ita cum Villalobos, Molina, Trullenc. *lib. 7. cap. 9. d. 3. num. 10.*

§. III.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si eam defloravit promissione conjugij?

SUMMARIUM.

294 *Qui virginem defloravit, si ei vere promisit matrimonium, obligatur ad nuptias.*

295 *Quid si promissio matrimonij fuit ficta?*

296 *Plures datur casus, in quibus fictum promissor non tenetur defloratam ducere, qui numerantur.*

297 *Si fictus promissor velit defloratam ducere, & illa nolit, ad nihil amplius tenetur.*

298 *Qui corruptæ pro copula promisit matrimonium, sciens esse corruptam, tenetur eam ducere.*

299 *An qui habens morbũ gallicum, si habuit rem cũ aliqua teneatur ei pro damno illato restituere?*

Dico

294 Dico primò: ſi defloratus virginem ipſi vere, & ex animo promiſit matrimonium, obligatur ad nuptias celebrandas, & matrimoniũ conſummandũ niſi legitima accedat excuſatio, & hoc, etſi illa ſit pauper, ignobilis, & ille dives, & nobilis, ſi id nõ tum eis erat, ratione enim contractus manet vir obligatus. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 1. Tamburinus, *ſuprà num.* 34. Decaſtillus, *ſuprà num.* 128. Dixi niſi legitima accedat excuſatio: nam ſi ex adimpletione promiſſionis ſequatur grave malum, vel ſcandalum, vel rixæ, vel ſi ſtuprator eſſet dives, & potens, & puella pauperrima, & perſona vilis, cum qua non convenit tale matrimonium, ſufficit quod ſtuprator ei det quantum ſufficit, ut æque benè nubat ſuo æquali. Ita cum Fauſto, Saïro, Trullenc. *ſuprà num.* 1. excuſabitur etiam defloretor, ſi illa fornicetur poſtea cum alio, vel quid ſimile divortio dignum committat. Tamburinus, *ſuprà num.* 38. Tertiò excuſabitur, ſi illa ſe virginem finxit, nec in hoc caſu ei tenetur aliquid reſtituere, ſi copula manſit occulta. Tamburinus, *ſuprà num.* 40. Quod ſi copula fuit cognita, & mulier diffamata culpa viri, tenebitur ei quantum damni dedit reſarcire, ſecus ſi culpa fœminæ, ut *ſup.* diximus. Et idem dicendum eſt, ſi eam deoſculavit cum infamia fœminæ, etiamſi eam non defloraverit, niſi forte ob oſculum tantum promitteret matrimonium: nam tunc eodem modo philoſophandum eſt, ac ſi eam defloraſſet cum promiſſione matrimonij. Tamburinus, *ſuprà num.* 42.

295 Dico ſecundò: quando promiſſio matrimonij fuit ficta, & ſine animo ſe obligandi, & ea de cauſa corrupta eſt virgo, communis ſententia docet injuſtum defloratem teneri eam ducere, ſi ipſa velit. Ita cum communi ſententia Lugo *de juſtitia d.* 12. *num.* 20. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 9. *dub.* 3. *num.* 2. Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 7. *num.* 128. Buſembau, *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 4. Tamburin. *lib.* 7. *c.* 5. §. 3. *n.* 44. contra Præpoſitum relatum à Diana, *p.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 32. ratio eſt quia illa promiſſio licet ficta, fuit perſonalis de ſua ſcilicet danda perſona: ergo in hac perſonali obligatione jus obtinuit decepta: ergo cum hæc ſervari poſſit, injuſtitia fieret mulieri, ſi poneretur in æquivalẽti; ſicut ſi tibi jus eſt in hoc numero equo; nõ fit juſta ſatisfactio in pecunia, vel in æquivalẽti.

296 Dico tertiò: plures dantur caſus in quibus fictus promiſſor non tenetur defloratam ducere 1. ſi puellam valde notabiliter conditione excederet, vel verbis uſus eſſet facile fictionem indicantibus 2. ſi ſtuprator habuiſſet votum religionis, & ipſa conſcia eſſet prædicti voti, quia tunc ipſa contraxiſſet mala fide. 3. ſi ipſe putavit eam eſſe virginem, cum tamen non eſſet. 4. ſi ex matrimonio grave damnum, vel ſcandalum timeretur. 5. ſi ipſe jam ſacris inſtitutus eſt, aut alteri matrimonio copulatus, vel ſupervenit aliud impedimentum irreparabile. 6. ſi mulier cum alio fornicata eſt. 7. quando habentur ſoli tactus, nec matrimonium pro ſolo tactu, ſed pro copula fuit promiſſum. Quibus in caſibus ſolum tenetur ſtuprator curare, ut æque commode nubat, dando ſcilicet dotem, vel aliter. Ita cum Sanchez, Trullenc. & aliis Buſembau, *ſuprà num.* 5. Imò ſi virgo ex verbis promittentis facile poterat cognoſcere fictionem, probabile eſt non teneri fictum promiſſorem aliquid reſtituere, quia non præſumitur decepta, ſed fingere deceptionem, & ſponteneè conſenſiſſe. Ita cum Leſſio, Sanchez, Decaſtillus, *ſuprà num.* 131. Et idem dicendum eſt, quando præceſſit ſola ficta promiſſio, ſine violatione fœminæ, deceptio enim illa, & injuſtitia manſit in intentione. Ita cum multis, Decaſtillus, *ſuprà num.* 136.

Dico quartò: ſi fictus promiſſor velit defloratam 297
ducere, & illa, vel ejus parentes nolint, ad nihil amplius tenetur, quia vir conjugium promiſit, non aliud. Et idem dicendum eſt ſi promiſſio fuit vera, & ex animo propter eandem rationem. Ita cum Lugo Tamburinus, *ſuprà num.* 48. & cum aliis Trullenc. *ſuprà num.* 6.

Dico quintò: promittens ficte matrimonium 298
corruptę, ſciens eſſe corruptam, ſi cui copiam fecerit, ea facta, & ſi ſint æquales non tenetur eam ducere, ſed alio modo injuriam compenſare pecunia ad arbitrium boni viri. Excipe niſi corrupta ſit multo ſuperioris conditionis, vel vidua bonæ famæ, quæ talem infamiam culpa viri contraxit, ita ut non poſſit aliter, niſi eam ducendo reſarciri infamia: nam tunc tenebitur eam ducere, Ita cum Leſſio, Trul. *ſup. n.* 10.

Sed quæres an teneatur ſatisfacere ille qui habens 299
morbum contagioſum habuit rem cum aliqua? Reſpondeo non teneri, ſi illa publicè erat expoſita, & de hoc non interrogavit; ſecus ſi non eſſet mulier publica, & ignorabat dictum morbum, vel ſi erat publica, de illo interrogavit, & fuit decepta: nam tunc tenebitur decipiens reſtituere expenſas curationis, damna, & lucra ceſſantia ad arbitrium prudentis, ſi deceptus talem reſtitutionem poſtulet, aliter enim condonare videtur, Ita cum Villalobos, Trullenc. *ſuprà num.* 11.

§. IV.

Vtrum qui ante voverat ingredi religionem, poſſit ingredi, ſi poſtea puellam ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonij deceperit.

SUMMARIUM.

300 *Quoties verum, vel fictus promiſſor matrimonij, qui virginem defloravit tenetur eam ducere ex vi promiſſionis, quando non præceſſit tale votũ tenetur eam ducere, etſi præceſſerit votum, ſi virgo illud ignoravit.*

301 *Quid ſi virgo illud ſciebat?*

302 *Quid ſi vir defloravit puellam ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonij, & poſtea vovit religionem?*

Dico primò: ſi habens votum religionis defloravit virginem ſub promiſſione vera, vel falſa matrimonij, tenetur eam ducere in omnibus illis caſibus, in quibus diximus fictum, vel verum promiſſorem teneri ad matrimonium, quando non præceſſit tale votum, dummodo fœmina tale votum ignoraverit. Ratio eſt quia ingreſſus religionis, jam factus, eſt illicitus, cum non poſſit ingredi niſi gravem injuriam irrogando puellæ. Dixi dummodo ipſa votum ignoraverit: nam ſi illud ſciebat, non poteſt puella petere nuptias, quia non bona fide contraxit, nec tenetur alter compenſare, quia non fuit ab ipſo decepta, ſcivit enim quod promiſſum eſt non poſſe licite ab ipſo præſtari, niſi forte perſuaſerit puellæ ſe facile obtenturum diſpenſationem, tunc enim tenetur damnum arbitrio boni viri compenſare. Trullenc. *ſuprà num.* 1. 300

Et idem dicendum eſt à fortiori, ſi vir defloravit 302
puellam ſub promiſſione vera, vel falſa matrimonij, & poſtea vovit ingredi religionem. Trullenc. *ſuprà num.* 1. An autem in his caſibus debeat impetrari diſpenſatio voti? Reſpondeo negative, ſiquidem executio voti facta eſt illicita; quia tamen vir ratione voti petere non poteſt debitum, conſulendum eſt peti diſpenſationem, ut vir poſſit 303
petere, quod certum abſque dubio eſt, quando

vir

vir puellæ promisit se impetraturum dispensationem voti, quo casu tenetur mediis ordinariis eam petere. Ita cum Lessio, Trullenc. *sup. n.* 2.

§. V.

Quid sit restituendum ratione adulterij commissi.

SUMMARIUM.

304 *Si partus non sit secutus, non tenetur adulter aliquid restituere.*
305 *Si partus sit secutus non tenetur adulter restituere si moraliter certũ sit partũ nõ esse adulteri.*
306 *Quid teneatur restituere quando certus est prolem esse suam?*
307 *An teneatur ex parte restituere damna hæreditatis?*
308 *Adultera tenetur ad restitutionem omnium damnorum per se filiis legitimis provenientium.*
309 *Quid si res non sit debita filiis tanquam filiis?*
310 *Ex sex capitibus excusatur adultera ab hac restitutione, quæ proponuntur.*
311 *An teneatur adulter, vel adultera restituere alimenta hospitali, si filium exposuere?*

304 Dico primò: Si partus non sit secutus ex adulterio, non tenetur adulter aliquid pro hac injuria restituere, etiamsi maritus sciens adulterium postulet aliquid occulte pro injuria, est enim incompensabilis pecunia. Ita cum Lessio, & aliis Decastillus, *l. 2. tr. 2. d. 7. n. 153.* Quamvis si adulter aliquid ei det in compensationem, nec ille peccat accipiendo, nec tenetur ad restitutionem, est enim compensatio sine lenocinio, ut suppono. Ita & bene cum Lessio, Decastillus, *ibi n.* 153. Tamb. *lib. 7. cap. 3. §. 4. n. 2.*

305 Dico secundo: Etiamsi partus fuerit secutus non tenetur adulter ad ullam compensationem, si ei moraliter certum non sit esse suam prolem. Unde si pro utraque parte sint rationes probabiles ad nihilum tenetur. Ita cum Scoto, Navarr. Soto, Gabriel, Caietan. Medina, & aliis Decastillus, *sup. n.* 155. Idem dicendum est, si sit dubium an proles sit sua, vel mariti, vel alterius adulteri, in dubio enim semper præsumendum est filium esse mariti, stat enim præsumptio pro matrimonio. Ita cũ Lessio, Navar. Soto, & aliis, Decastillus, *sup. n.* 16. Quod si dubiũ sit inter duos adulteros, quia maritus tempore conceptus erat absens, & æqua conditio dubij, existimo utrunque teneri ad alimenta prolis, & damna prosua parte, & altero nolente tenetur alter in integrum restituere, nam sicut in dubio utrum res sit hujus, vel alterius, antequam ullus eorum illam possideat, est inter eos æqualiter dividenda, eodem modo dicendũ est debitum, quod dubium est ad quem illorum pertineat, inter ipsos dividendum esse. Ita & bene cum communi sententia Basæus, *verbo adulterium n.* 4. & cum aliis Decastillus *sup. num.* 161. contra Lugum *d.* 13. *num.* 24.

306 Dico tertio: Si adulter moraliter est certus prolem esse suam, si suasit adulteræ supponere illam marito certum est teneri non solum ad alimenta ministranda filio, saltem à tertio anno, ex quo tempore patet debet alere filium, sed omnia damna hæreditatis, &c. secuta marito, & hæredibus legitimis per se primo loco simul cum adultera restituere; siquidem fuit causa illorum damnorum, & quando consilium est in commodum consultoris, & executoris uterque primo loco tenetur pro rata, & singuli in solidum ex defectu alterius restituere, ut cum Lessio notavit Lugo *d.* 13. *n.* 9. At si adulter non suasit adulteræ, ut supponeret filium marito, certum est teneri per se alimenta filio præstare. Ita cum communi sententia Tamburin. *lib. 7. c. 3. §. 4. n. 6.* Ratio est quia ipse est verus pater illius, & illi incumbit alere filium. Dixi per se nam aliquando ex multis causis, quas infra referemus agentes de adultera excusabitur.

An autem adulter saltem ex parte teneatur etiam 307
damna hæreditatis &c. filiis legitimis restituere? Respondeo teneri. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib. 2. tr. 2. d. 7. n.* 166. Lugo *d.* 13. *n.* 9. Tamb. *lib. 7. c. 3. §. 4. n. 6.* Ratio est quia adulter ipso adulterio dedit causam toti illi damno, quod ex suppositione filij illegitimi pro legitimo aliis subsecutum fuit. Nec obstat si dicas adulterum solum fuisse causam per se adulterij, suppositionis tamen filij solum fuisse per accidens, sicut si mater procurasset abortum, adulter solum esset causa aborsus per accidens. Respondetur dari diversam rationem, nam abortus non sequitur ordinariè ad conceptionem, sed raro ex malitia fœminæ, at vero damnum hæreditatis sequi ordinariè & non potest vitari tamen humano modo. Fateor sententiam contrariam non carere sua probabilitate, & ut probabilem eam tenent cum Soto, Henriquez, Diana, Tamburin. *sup. n.* 6. Lessius, Fausto, quos refert, Lugo *sup. n.* 10.

Dico quarto: Adultera tenetur ad restitutionem 308
omnium damnorum per se filiis legitimis provenientium. Ita cum communi sententia Lugo *de justitia d.* 13. *sect.* 3. Tamb. *sup. n.* 7. Ratio est quia ipsa est immediata causa cur maritus, & filij legitimi credant illum esse verum filium, atque adeo ea damna patiantur; teneturque juxta regulas universales, vel ex suo peculio moderate expendendo, vel filium ad religionem inclinando, vel simili quopiam modo procurare, ut quantum potest damnum arceatur, vel resarciatur.

Dixi per se provenientium, nam debet restituere 309
veris filiis ea omnia; quæ ipsis tanquam filiis debentur, tale est fidei commissum, majoratus, hæreditas avi, avunculi, consanguinearum, si forte hæc collata fuerint filio spurio. E contra vero non tenetur restituere, quæ filiis veris non debentur, si quis enim putans illum spurium esse verum filium, aliquid ei donet liberaliter, quod forte non dedisset, imo dedisset veris filiis, non obligatur mater id veris filiis restituere, quia id non est damnum per se, sed multum per accidens proveniens ipsis, qui jus in eam donationem liberalem non habebant.

Ex sex autem capitibus excusabitur adultera ab 310
hac restitutione. Primo si non sit certa de prole adulterina. 2. Si maritus, & filij legitimi remittant obligationem. 3. Si mater suis bonis, vel alio modo posset, velletque compensare sufficienter pro omnibus damnis, quia hoc modo jam haberent filij æquivalenter id, quod accepit spurius. 4. Si sit periculum vitæ, vel similis mali, hoc enim existente nemo obligabit adulteram, ut se prodat. 5. Si sit periculum infamiæ, quia fama est superioris ordinis. 6. Si non sit certa moraliter se posse spurio persuadere, ut dimittat hæreditatem, vel ingrediatur religionem; filius enim non tenetur matri id asserenti, etiam cum juramento in articulo mortis,, nisi id testibus, vel alio modo probet, credere; in hoc tamen casu tenebitur mater alia via, si potest prædicta damna restituere; ex quibus capitibus raro accidere potest casus, in quo adultera suum scelus prodere cogatur. Quod idem de adultero dicendum est propter eandem rationem. Ita cum aliis communiter Tamburin. *sup. n.* 10.

311 An autem teneatur adulter, vel adultera reſtituere alimenta hoſpitali, ſi filius expoſitus fuit, & in hoſpitali educatus. Reſpondeo negative, ſi ex rationabili cauſa illum expoſuere. Ita cum aliis Decaſtillus *ſup.n.* 177. Ratio eſt quia mens fundatorum hoſpitalis fuit ſuccurrere his parvulis, & eorum periculo, ſine tali obligatione parentum. Si tamen Quæres quando liceat exponere filium? Reſpondeo licere quoties id neceſſe eſt ad occultandum crimen, vel gravem vitandam infamiam, vel ob nimiam paupertatem, adhibita tamen cautione ne proles frigore, vel alio incommodo periclitetur, conſultum etiam erit ut proles prius baptizetur, baptiſmum teſtante ſchedula appoſita. Ita cum Molina, Layman & aliis Decaſtillus *ſup.n.* 175. & 177.

Hic nobis agendum erat de obligatione, & modo reſtituendi pro damnis injuſte illatis in honore, & fama; ſed quia in octavo præcepto *tract. d.* 2. 3. & 4. nobis agendum eſt de detractione, & contumelia; ideo, hæc ad ipſum locum remittimus, ne eadem ſæpe repetamus.

SECTIO IV.

De obligatione reſtituendi ex quacunque acceptione, vel læſione injuſta.

§. I.

Qualiter ſit obligatio reſtituendi ob fidem dubiam debitoris?

SUMMARIUM.

312 *An quando quis accepit rem cum dubio, an ille, qui dabat, vel vendebat eſſet verus dominus, teneatur reſtituere?*

313 *Quid ſi debitor dubitet an ſolverit debitum, quod debebat?*

314 *Quid quando commodatarius, vel depoſitarius dubitant, an ſua culpa res commodata perierit?*

315 *Quid ſi miles dubitet de juſtitia belli?*

312 Dico primo: Quando quis accepit rem cum dubio, an ille qui dabat, vel vendebat, eſſet verus dominus, vel bonæ fidei poſſeſſor, ſi dubium erat, an res pertineret ad aliquem, vel aliquos in particulari, ſi facta diligenti inquiſitione pro vero domino, adhuc maneat dubium, pro qualitate dubij debet dividere rem inter illos, inter quos eſt tale dubium. Ita cum Mol. Lugo *de juſtitia d.* 18. *n.* 2. & cum aliis Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 2. Ratio eſt quia poſſeſſio in dubio non poteſt juvare poſſidentem contra eos, inter quos datur dubium, an ad illos pertineat, nam licet illi non habeant certum jus ad illam, habent tamen certum jus, ne quis in dubio rem illam incipiat poſſidere. Et idem dicendum eſt, quando abſque dubio formali, ſed cum ignorantia craſſa culpabili circa ipſum dubium rem incipit poſſidere, ut recte cum Molina, ait Lugo *ſup. n.* 6. ignorantia namque culpabilis reddit actum ejuſdem malitiæ in ſpecie cum actu ſcienter facto; ergo ejuſdem rationis erit injuſta poſſeſſio cum dubio formali, ac cum ignorantia culpabili circa ipſum dubium.

Secus dicendum eſt quando dubium, vel ignorantia culpabilis dubij non verſatur circa aliquem, vel aliquos in particulari, ſed circa aliquem in communi, qui inveniri non poteſt, nam ſi facta diligentia bono animo reſtituendi, adhuc maneat dubium, poteſt qui rem in dubio incipit poſſidere illam retinere, nec aliquid tenetur reſtituere, ſive bono, ſive malo animo rem cum illo dubio emerit, quamvis peccaverit in illa emptione, quia ex parte ſua difficiliorem reddit reſtitutionem, ſi res erat aliena, quã ſi res eſſet apud venditorem, niſi forte venditor, ex eo quod ille rem emerit adhuc maneat potens reſtituere. Ita cum Vaſquio, Lugo, *ſup.n.* 4. cum enim non appareat, cui res reſtituenda ſit, nemine allegante injuriam, non debet aliquis condemnari injuria non probata, quia obligatio reſtitutionis ex injuria non oritur, niſi injuria probetur. Ita Lugo *ſup.n.* 5.

313 Dico ſecundo: Si debitor dubitet, an ſolverit debitum, quod debebat, debet illud integre ſolvere, etſi creditor etiam dubitet de ſolutione. Ratio eſt quia creditor poſſidet contra debitorem actionem debiti, qua illam in dubio privare non poteſt, dubia enim exceptio non poteſt excuſare excipientem, *l. Titia textores ff. de legat.* 1. Ita cum Sanchez, Vaſq. Salas, Suar. Lugo, *ſup.n.* 7. contra Diana, Tanner. Laym. quos refert, & ſequitur Trullenc. *lib.* 7. *c.* 11. *n.* 6. Qui dicunt dubitante etiam creditore, non debere ſolvere integre debitum, ſed pro qualitate dubij; ſed noſtra opinio probabilior eſt, dubitante namque utroque conjuge de valore matrimonij, conjux petens non poteſt ab alio privari ſolutione debiti, & tamen uterq; dubitat; ergo idem in noſtro caſu dicendũ eſt.

314 Dico tertio: Quando commodatarius, vel depoſitarius dubitant, an ſua culpa perierit res commodata, vel depoſita, non tenentur ad aliquam reſtitutionem. Ita cum Sanchez, Leſſio, Salas, Palao, Villalob. Henriq. Diana, Lugo, *ſup.n.* 14. contra Merolam, & alios, quos ibi refert. Ratio autem eſt, quia in dubio delictum non præſumitur, atque adeo ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentię. Excipe niſi pro altera parte dentur conjecturæ, vel indicia, quæ delicti præſumptionem merito generare poſſent. Et idem dicendum eſt de conductore rei alienæ, qui etiam dubius eſt an ſua culpa res conducta perierit; ac denique id verum eſt non ſolum in omnibus contractibus, ſed etiam in omni debito ex officio, vel injuſta acceptione, aut læſione; in his enim omnibus, quoties dubitatur an præceſſerit culpa mortalis, non videtur debitor obligari, in dubio namque delicta non ſunt præſumenda, niſi in contrarium dentur præſumptiones, & indicia ſufficientia. Ita Lugo *ſup. num.* 15.

315 Dico quarto: Miles dubitans de juſtitia belli, ſive ſit ſubditus, ſive voluntarius, non poteſt bellare, niſi deponat dubium, & faciat aſſenſum probabilem, quo probabiliter credat juſtam, vel probabilem eſſe cauſam ſuæ partis. Ratio eſt, quia exponere ſe periculo injuſte occidendi eſt intrinſecè malum; ſed qui bello ſe ingerit in tali dubio, non deponendo dubium, exponit ſe periculo occidendi, vel damnificandi injuſte; ergo ut licite operetur, debet dubium ſpeculativum practice deponere; Ad dubium autem deponendum ſufficit authoritas principis Chriſtiani bellum gerentis, niſi aliqua ſint indicia, vel gravis rumor inter prudentes, ipſum injuſte procedere: nam tunc tenentur milites cauſam juſtitiæ inquirere, ſed hoc raro accidit, niſi forte bellum fiat contra ſedem Apoſtolicã, vel alios Chriſtianos principes ex odio, frequentius tamen inter hæreticos, nam hi ſæpe bellum injuſtum ferunt, & multo magis principes Turcarum, nam horum bellum contra Chriſtianos fere ſemper eſt injuſtiſſimum, ſive ſit aggreſſivum, ſive defenſivum, quo caſu milites ſemper debent inquirere de juſtitia belli, & ſi fuerit injuſtum abſtinere ab illo; ita cum Vaſq. Lorca, & aliis, Lugo *ſup. n.* 20. à quo etiam alij DD. non videntur recedere, ut recte notat Lugo *ſup. num.* 20.

SECTIO

§. II.

Quomodo ex mora culpabili oriatur obligatio restitutionis?

SUMMARIUM.

316 *Is qui injuste detinet id, quod alteri debet ex delicto, tenetur restituere rem debitam, & lucrum cessans, & damnum emergens.*
317 *Possessor iniquus rei alienæ tenetur statim eam suo domino restituere, si absque periculo infamiæ vel gravis damni potest, & non satisfacit dando æquivalens.*
318 *Quid si effecta sit melior, & majoris pretij?*
319 *Quid si sit effecta deterior, & minoris pretij?*
320 *Quid si rem vendit, & alienavit juxta quem valorem teneatur eam restituere?*
321 *Quid si res facta est melior apud iniquum possessorem, deinde facta est deterior, vel periit, quæ si suo tempore reddita fuisset id incommodum apud dominum non accepisset?*
322 *Quid si res apud dominum eodem casu fortuito ita peritura erat?*
323 *Quid si res peritura erat apud dominum per injustitiam alterius?*
324 *Quid si fur tripiat rem à domino ante incendium, in quo apud dominum certo erat peritura?*
325 *Iniquus professor morosus tenetur restituere fructus rei naturales, & mixtos, non tamen fructus meræ industriæ?*
326 *An teneatur restituere pretium locationis rei, quæ locari non solet, ut torquis aurei &c.*
327 *Debitor ex contractu advenientè termino præfixo in contractu, tenetur solvere quod alteri debet, nisi adsit legitima excusatio.*
328 *Quid si non fuit terminus præfixus?*
329 *Si debitor termino præfixo non solvat tenetur non solum rem, sed interesse restituere.*
330 *In quibus casibus excusetur debitor à solvendo interesse?*

316 Dico primo: Is qui injuste detinet id, quod alteri debet, sive ex injusta acceptione, sive ex damno dato, & universim ex delicto, tenetur restituere ultra rem debitam, totum lucrum cessans, & damnum emergens. Ratio est quia ille, qui alteri est causa damni tenetur ex justitia ad totum illud damnum resarciendum; sed morosus debitor per moram injustam fuit creditori causa totius illius damni emergentis, & lucri cessantis; ergo ad totum id resarciendum tenetur. Ita cum communi sententia Lugo *disp.* 18. *n.* 16. Tamburin. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 2. §. 6. *num.* 1.

317 Hinc fit Possessorem iniquum rei alienæ, si res extet teneri statim eam suo domino restituere, si absque periculo infamiæ, vel gravis damni eam restituere potest. Nec satisfacit restituendo pretium duplum; ita cum Diana, Auxonius *verbo restituere, n.* 1. Quod verum est, etsi res effecta sit melior, & majoris pretij, nam totum hoc incrementum accrescit domino, deducendæ sunt tamen expensæ, si quæ factæ sunt in foro interno, ut bene cum aliis Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 11. *n.* 1. Immo si ratione detentionis iniquæ cessavit aliquod lucrum domino, vel damnum emergit, totius restituendum est, ut si res industria domini futura erat melior, hoc æstimandum est, & restituendum est deductis expensis, nam hoc ad lucrum cessans pertinet. Ita cum Lessio, Trullenc. *sup. num.* 2.

318 Quod si res effecta est deterior, vel minoris pretij, quam antea erat, si idem eventurum erat apud dominum, qui eam hucusque ad hoc tempus erat servaturus, satis est eam restituere, uti modo est; secus si ea utendum erat tempore quo plus valebat, ut si quis furatus est modium tritici à Paulo, qui eum venditurus erat tempore maij, sufficit si eo mense det eundem modium tritici, etiamsi eo tempore minus valeat, quam tempore, quo illum furatus est; Secus si Paulus triticum erat venditurus tempore quo plus valeret, nam tunc tenetur præter rem, restituere æstimationem illius incrementi, vel pretium rei quo dominus eam vendidisset, quia per iniquam detentionem fuit causa hujus damni. Ita cum Navar. Trullenc. *sup. n.* 5. & cum Layman, Diana, & aliis Auzonius, *verbo restituere num.* 6.

319 Secundò fit possessorem iniquum rei alienæ si eam consumpsit, vel vendidit, aut quocumque modo alienavit, teneri restituere valorem intrinsecum summum, quem habuit res aliquando apud se, & apud dominum habuisset, detractis expensis, nec non fructus cum lucro cessante, & damno emergente. Quod si dominus rem non erat venditurus summo valore, attendendus est valor, quo dominus rem erat venditurus, minime vero eum, quem res habuit in receptione, vel consumptione, sive valor extrinsecus sit, sive intrinsecus, quia iniquus possessor solum tenetur servare dominum rei indemnem; sed id sufficiè ter facit restituendo pretium quod ille alias accepisset, ita cum communi sententia Auzonius, *suprà n.* 5. Quod si dubium sit, an dominus vendidisset rem tempore valoris summi, medij vel infimi, tunc restituendum est ei pretium medium, quia æqualiter ei contingere potuisset vendere illam infimo, & summo pretio. Ita cum Tannero, Diana, Auzonius, *suprà num.* 7. Trullenc. *suprà num.* 7.

320 Sed quid si res intrinsecè melior effecta apud iniquum possessorem, deinde facta est deterior, vel periit, quæ si tuo tempore reddita fuisset id incommodum apud Dominum non accepisset? Respondeo teneri iniquum possessorem restituere illam secundum meliorem statum, quem apud se habuit, siquidem totum incrementum erat domini, si ergo non restituit fuit in mora, & consequenter tenetur ex casu fortuito. Ita cum Lessio, Bonacina, Trullenc. *sup. n.* 5. Diana, *p.* 1. *tr.* 3. *ref.* 51 Quod si res eodem casu fortuito eodem modo peritura certo erat apud dominum, si apud eum esset, tunc iniquus possessor nihil tenetur restituere, quia detrimentum illud erat in sua causa inevitabiliter præparatum, ac proinde secundum æstimationem mortalem perinde erat ac si jam illatum foret; ita cum Lessio, Molin. Vasq. Decastillo, Sylvest. Rebell. Tamb. *lib.* 3. *tr.* 3. *cap.* 2. §. 3. *n.* 2. Solū ergo tenebitur iniquus detentor restituere lucrum cessans, vel damnum emergens, quod dominus accepit eo tempore, quo fuit in mora, antequam res periret, vel aliquod lucrum, si quod ex tali re reportavit. Tamb. *sup. n.* 3.

321

322

323 Dixi si res periit eodem casu fortuito, nam si res peritura erat apud dominum per injustitiam alterius, non propterea excusabitur iniquus detentor à restituendo, nam ille, qui per injustitiam abstulisset, obligatus fuisset domino restituere; ergo si iniquus possessor prævenit, similiter tenebitur restituere, quia obligatio, quam alius subiisset, in eum translata est ratione damni, quod alterum prævenien s præintulit. Ita cum Decastillo, Vasquio, Molina,

Tamburin. *ſup. num.* 4. Dixi certo peritura apud dominum, nam ſi dubium eſſet, an res apud dominum peritura eſſet? tenebitur iniquus detentor ad reſtitutionem rei oblatæ, quia in dubio melior eſt conditio domini. Ita cum Leſſio Rebello Tamburin. *ſup. n.* 5.

324 Sed quid ſi fur eripiat rem à domino ante incendium, in quo apud dominum certo erat peritura? Reſpondeo teneri eam ſuo domino reſtituere, niſi ex circunſtantiis appareat, rem à domino jam fuiſſe verè, & ex animo, non verò ex neceſſitate, derelictam. Ita cum aliis, Tamburin. *ſup. num.* 11. res enim dum extat, domino ſuo extat. Sed quid, ſi talem rem vendat, vel conſumat ante incendium, v. g. in quo erat apud dominum peritura? Reſpondeo, quod ſi non prævidit rem eſſe certo perituram, teneri pretium reſtituere, quia cum periculum non prævideretur, res idem valebat, ac ſi tale periculum non eſſet; ſi ergo fur inique conſumpſit, contraxit obligationem reſtitutionis. Si tamen quando rem abſtulit, & conſumpſit, certo cognovit ſtatim fore perituram apud dominum, nihil tenetur reſtituere, quia tunc res ratione periculi certi, nihil valebat, & dominus tacite videtur conſentire, quod potius quis panem conſumpſerit, quam abſumi ab imminenti domus incendio. Tamburin. *ſup. n.* 10.

325 Tertio fit, Iniquum poſſeſſorem moroſum teneri reſtituere fructus rei naturales, hoc eſt, quos res parit, ut fructus arboris, ovis, &c. Et mixtos, hoc eſt, qui procedunt ex natura rei, cooperante hominis induſtria, ut fructus fundi, in quo fur ſeminaſſet, detractis expenſis, tam neceſſariis, quam utilibus in foro conſcientiæ. Non tamen tenetur reſtituere fructus meræ induſtriæ, illos ſcilicet, quos res ex natura ſua non eſt apta producere, ut fructus pecuniæ per mercaturam. Ratio eſt quia fructus primi, & ſecundi generis, ſunt fructus rei, & res dum fructificat, domino fructificat, at vero fructus tertij generis, non ſunt fructus rei alienæ, ſed tantum debentur induſtriæ lucrantis, Tenebitur tamen reſtituere in hoc caſu lucrum ceſſans, & damnum emergens, nam in hoc vero domino damnum intulit. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 5. dub. 12. n. 2.*

326 An autem pretium locationis rei, quæ locari non ſolet, ut torquis, vel pecuniæ in oſtentationem, vel animalis, cujus dominus, dives eſſet, & aliàs non locaturus, cenſeri debeat fructus meræ induſtriæ, vel mixtus; eſſe meræ induſtriæ fructus, tenet cum Maldero, Navar. Diana, Auzonius *verbo, reſtituere qui debeat num.* 7. Licet Trullenc. *ſuprà num.* 5. cum aliis exiſtimet eſſe fructus rei, & ſpectare ad dominum, niſi præſumatur illum nolle illud in bonis ſuis computare. Adverte tamen iniquum poſſeſſorem, non ſolum teneri reſtituere fructus rei perceptos, ſed etiam non perceptos, quos tamen dominus ſingulari ſua diligentia percepiſſet, quia ſua iniqua detentione eſt cauſa illius lucri ceſſantis; Et hoc ſive fructus ſint primi, ſecundi, vel tertij generis, nam totius iſtius lucri ceſſantis cenſetur cauſa injuſta. Ita cum Leſſio, Bonacina, & aliis, communiter Trullenc. *ſup. n.* 8. & cum Diana, Auzonius, *ſup. n.* 9.

327 Dico ſecundo: Debitor ex contractu, v. g. ex mutuo, emptione, venditione, emphyteuſi, &c. ſtatim atque advenit terminus in contractu præfixus, tenetur ſolvere, quod alteri debet, niſi adſit legitima excuſatio, de qua infra; & hoc etiamſi à creditore non admoneatur, nam petit ipſe terminus. Quod ſi terminus nullus præfixus ſint, tempus ſolutionis erit, quando creditor non impeditus 328
petit, vel ſi impeditus eſt, terminus erit, qui prudenter judicabitur de intentione creditoris rationabili; Quod ſi dicto termino non ſolvat tenebitur non ſolum rem principalem, ſed etiam omne intereſſe reſtituere, quia id inducit mora culpabilis de- 329
bitoris, ut cum Lugo, & aliis communiter tenet Tamburin. *lib. 8. tract. 1. cap. 4. §. 1. num.* 6. Immo ſi ſolutio differatur per multos annos, ſolvenda ſunt intereſſe omnium annorum, & ipſius intereſſe. Ita Filliucius *tract.* 34. *cap.* 2. *num.* 72. etiamſi creditor id non indicaverit. Ita cum Maldero, Diana, Auzonius, *verbo debitor num.* 1. Quod verum eſt in omnibus contractibus, quidquid aliter leges in venditione, & emptione diſponant, ſiquidem hæ leges in foro conſcientiæ non obligant, de quibus vide Lugum *d.* 18. *de juſtitia, n.* 28.

Excuſabitur tamen debitor à reſtituendo intereſſe 330
creditori, primo ſi dilatio ſolutionis non fuit peccatum mortale contra juſtitiam, ſive ob impotentiam ſolvendi, ſive ob inadvertentiam, vel oblivionem. Secundo ſi dilatio ſolutionis fuit per unum, vel duos, aut tres dies, ſi domino damnum grave non emerſit, ſiquidem tempus præfixus non debet ſumi metaphyſice, ſed moraliter, Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 6. *num.* 1. Tertio ſi bona fide putavit non eſſe graviter invitum creditorem pro modica aliqua dilatione, quoties enim creditor ſcit, & poteſt exigere debitum, & non exigit, non cenſetur graviter invitus ad prædictam dilationem; ut recte cum Lugo, & aliis docet, Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 3.

§. III.

An ex acceptione ob turpem cauſam oriatur obligatio reſtituendi.

SUMMARIUM.

331 *Acceptum ob turpem cauſam, ſi receptio, vel traditio ex parte dantis, vel recipientis, vel utriuſque non eſt contra juſtitiam, non datur obligatio reſtituendi.*

332 *Quid ſi aliunde ſit contra juſtitiam?*

333 *Quid ſi ſit contra alias virtutes?*

Dico primo: Acceptum ob turpem cauſam quo- 331
ties pretij traditio ex parte dantis, vel receptio ex parte recipientis, vel utraque ex parte utriuſque, ratione ſui non eſt contra juſtitiam, etſi aliàs ſit contra alias virtutes, & etiam contra juſtitiam, opere impleto, non eſt neceſſario reſtituendum, nec jure naturæ, nec poſitivo. Ita cum Caietano, Leſſio, Sanch. Villalobos, Bonac. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 6. *num.* 2. & cum multis Tambur. *lib.* 7. *cap.* 5. §. 3. *num.* 9. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi non oritur niſi ex peccato contra juſtitiam, ſed hujuſmodi datio, vel acceptio, non eſt contra juſtitiam quantum eſt ex ſe; ergo. Tum quia etſi peccatum ſecundum ſe non ſit pretio æſtimabile, eſt tamen tale, qua delectabile, vel utile, vel periculoſum; ergo: leges autem in contrarium, ſolum obligant in foro externo poſt ſententiam judicis, ut cum multis docet Trullenc. *ſup. num.* 5.

Dixi: Quoties traditio ex parte dantis, vel receptio ex parte recipientis, vel utraque ex parte utriuſque, ratione ſui non eſt contra juſtitiam, nam aliquando ex parte dantis, datur injuſtitia, ut ſi quis det alienum, & ex parte recipientis, ut ſi uſurarius lucrum reportet, & ex parte utriuſque, ut ſi Epiſcopus pecuniam ab ordinando recipiat.

Dixi

332 Dixi ratione ſui, nam ſi aliunde fuerit contra juſtitiam, non erit obligatio reſtituendi, ut v. g. ſi quis ob homicidium patrandum pecuniam recipiat, ubi homicidium contra juſtitiam eſt, receptio tamen pecuniæ, ratione ſui non eſt contra juſtitiam; unde poſt patratum homicidium accipi poteſt.

333 Et idem dicendum eſt ſi ſit contra alias virtutes, ut ſi quis recipiat pecuniam, ut ſe inebriet, ut faciat idolum, ut peccet contra fidem, vel meretrix pro uſu corporis. Dixi opere impleto, nam ante, ſemper adeſt obligatio reſtituendi, quia promiſſio, vel donatio ob rem illicitam eſt nulla, & reſcindi debet, poſita autem reſciſſione jam non eſt titulus acceptum, vel promiſſum retinendi. An autem opere impleto, ille qui promiſit teneatur rem promiſſam ob turpem finem dare, quamvis promiſſarius conditionem plene poſuerit, idque in omnibus caſibus, tam ſcilicet in iis, qui per leges puniuntur, qualis eſt fornicatio, mulieris honeſtæ, homicidium, adulterium, &c. tum in quibuſcunque aliis: Negat ſecluſo juramento Navar. Covar. Gutierrez, probabile putant Saa, Leſſius, quos refert Palaus *de juſtitia d. 2. p. 9. num. 2.* & probabile putat etiam Tamburin. *ſup. num. 20.* Contrarium tamen aſſerendum eſt cum communi ſententia, quam refert, & ſequitur Palaus *ſup. n. 4.* & ut probabiliorem docet ibi Tamburin. *num. 19.* Alias adoleſcens, qui fœminæ matrimonium promiſit pro uſu ſui corporis vel defloratione, non teneretur eam ducere, quod tamen omnes communiter negant.

§. IV.

Vtrum acceptum ob cauſam honeſtam quam quis facere vel omittere tenebatur ſit reſtituendum?

SUMMARIUM.

334 *Si opus, vel omiſſio bona debita ſit gratis proximo, ex juſtitia non poteſt pro illa quidquam exigi, & acceptum debet reſtitui.*

335 *Judex tenetur reſtituere quod accepit ut juſtam ſententiam ferret.*

336 *Quid ſi aliquid accipiatur pro opere, vel omiſſione illius, quæ ſolum cadit in commodum accipientis, vel Dei, & non debetur ex juſtitia?*

337 *Quædam corollaria ponuntur.*

334 DIco primo: Si opus, vel omiſſio bona debita ſit gratis proximo ex juſtitia, non poteſt quidquam pro illa exigi, & acceptum debet reſtitui ante omnem judicis ſententiam. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib. 7. cap. 14. dub. 6. num. 1.* Ratio eſt quia eſt manifeſta inæqualitas, ſi pro eo quod jam eſt debitum ex juſtitia, aliquid amplius exigatur. Dixi gratis, quia aliquando tenetur aliquis aliquid præſtare ex juſtitia, ſoluto tamen aliquo ſtipendio, ut contigit in notariis circa traditionem ſcripturarum, quo caſu, certum eſt licite eis ſtipendium accipere. Ita cum Villalobos, Trullenc. *ſup. num. 1.* An autem aliquid recipi poſſit pro opere debito ex juſtitia ab alio tertio, cui non eſt ex juſtitia debitum, multi affirmant probabiliter, nam accipiens pretium nihil debet extraneo illi ex juſtitia; ergo ut illud faciat in gratiam ipſius extranei, aliquod pretium reportare poterit. Ita cum Lugo, Soto, Vaſquio, & aliis, Tambur. *lib. 7. c. 5. §. 3. n. 14.*

Hinc fit, Iudicem teneri reſtituere id, quod accepit ut juſtam ſententiam ferat, teſtis ut veritatem dicat. Excipe ſi aliquod eis detur liberaliter, vel ob majorem diligentiam, & brevitatem, vel pro damno, vel periculo, labore, vel moleſtia conjuncta, ſecluſo ſcandalo. Ita cum Diana, Leſſio, & aliis Trullenc. *ſup. num. 3.* An autem dans aliquid judici, ut ſententiam juſtam ferat, peccet mortaliter? Reſpondeo negative, ſi prudenter timet judicis iniquitatem, nam poteſt vexationem ſuam redimere. Et idem dicendum eſt de teſte, ſi velit verum injuſte tacere, vel falſum teſtificari, aut poſtquam falſum depoſuit non vult veritatem in judicio detegere. Trullenc. *ſup. num. 4.* Secus ſi dubitet de judicis, vel teſtis iniquitate, quia videtur dari animo corrumpendi. Et idem dicendum eſt, quando judex ob opinionum probabilitatem, poterat & volebat pro aliquo ferre ſententiam. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſup. n. 4.* 335

Dico ſecundo: Quando aliquid datur pro opere, vel omiſſione, quæ ſolum cadit in commodum accipientis, vel in Dei honorem, & non debetur proximo ex juſtitia, tunc acceptum in conſcientia retineri poteſt, quia quod ſic datur cenſetur dari ex cauſa, & omnino liberaliter, & voluntariè. Ita cum Leſſio, Bonacina, Villalobos, & aliis communiter Trullenc. *ſup. num. 6.* Hinc fit non teneri reſtituere illum, qui aliquid accepit, ut fiat Chriſtianus, ut non jurer, ut confiteatur in Paſchate, ut non adulteretur, non occidat, non blaſphemet. An autem idem dicendum ſit, quando opus eſt debitum proximo ex charitate, ut ſi detur pecunia alicui, ut deponat odium fratris? affirmat cum Bannez, Bonacina, Diana, *p. 2. tract. 5. reſol. 55.* & probabile putat Trullenc. *ſup. num. 5.* contra Leſſium, Sayrum, Villalobos, & alios. Ratio eſt, quia tunc dans cenſetur voluntarie dare. Excipe niſi lex poſitiva aliquem in aliquo caſu inhabilem faciat ad dominium ejus rei capeſſendum, ut videntur inhabilitari judices aliquid præter juſtum ſtipendium accipientes, ut habetur *l. plebiſcito ff. de officio proconſul.* niſi forte dentur liberaliter, & ex conſuetudine, vel ſint eſculenta, ut recte cum Sayro, & aliis Trullenc. *ſup. num. 8.* 336

337

§. V.

De obligatione reſtituendi ex læſione injuſta abſque uſurpatione rei alienæ.

SUMMARIUM.

338 *Qui per culpam gravem injuſtitia directe rem alienam deſtruxit, tenetur reſtituere non ſolum rem, & ejus fructus, ſed omne damnum emergens, & lucrum ceſſans.*

339 *Quid ſi damnificatio fuit indirecta?*

340 *An teneatur reſtituere valorem, quem res haberet in futurum ſi non deſtrueretur?*

341 *Quid dicendum ſit de reſtituente ſegetes antequam maturefcant?*

338 DIco primo: Qui per culpam gravem injuſtitiæ directe rem alienam deſtruxit, vel deteriorem reddit, non ſolum debet reſtituere valorem rei, ejuſque fructus, ſed etiam omne damnum emergens, & lucrum ceſſans domino, ex hujuſmodi læſione. Ratio eſt quia alio modo non induceretur æqualitas, quæ per injuſtam actionem à damnificante inducta eſt. Ita cum communi ſententia Lugo,

de juſtitia d. 18. *num.* 75. Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4 §. 1. *num.* 1. Dixi directe, quia ex damnificatione indirecte, ſive damnum non fuerit prævisum, nec intentum, ſive prævisum, non tamen intentum, ſive prævisum, & intentum, non oritur obligatio reſtitutionis, & cum aliis docet Tamburin.
339 *lib.* 6. *cap.* 4. §. 1. *num.* 3. & nos *ſuprà* diximus. Dixi debere reſtituere valorem rei, quanti ſcilicet valebat in re, non tamen tenetur reſtituere valorem, quem res haberet pro tempore futuro, ſi non de-
340 ſtrueretur; v. g. occidit quis pullum equi, qui tempore quo occiditur valet decem aureis, ſi tamen expectetur tempus futurum, valeret quinquaginta, non tenetur occiſor reſtituere, niſi tantum decem aureos, quia juſtitia ſolum exigit, ut reſtituatur quantum ablatum eſt; ſed pullus equi quando occiſus eſt tantum valebat decem, ergo hos dumtaxat reſtituere debet occiſor. Ita cum Sayro, Salon, & aliis, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 7. *numero* 4.

Et idem dicendum eſt de deſtruente ſegetes antequam maturæ eſſent, ut cum communi ſententia tenet Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *cap.* 4. §. 1. *num.* 9. & cum Leſſio, probabile putat Trullenc. *ſup. num.* 3. Tenebitur tamen inſuper deſtructor reſtituere lucrum ceſſans, vel damnum emergens, ſi quod evaſit ex tali occiſione, vel deſtructione, ut ſi triticum ob id plus valeret, & cogeretur dominus ſegetis deſtructæ illud carius emere, quam ſi ſegetes non eſſent deſtructæ. Ita cum communi ſententia Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4. §. 1. *num.* 9. Nec inde fit occiſorem equi debere reſtituere quinquaginta, ſi quidem occidendo fuit cauſa, cur dominus non habuerit ſuo tempore equum valentem
341 quinquaginta aureos. Reſpondetur namque occiſorem equi non fuiſſe cauſam talis damni emergentis, ſed ipſe dominus equi fuit illius cauſa, qui decem illis aureis poterat alium ſibi pullum emere, qui tempore futuro valeret eoſdem quinquaginta, quod ſi non emit ſibi imputet. Lugo *d.* 18. *num.* 18.

§. VI.

De impediente bonum alteri, ejusque reſtitutione, quoad ea, quæ pertinent ad juſtitiam commutativam.

SUMMARIUM.

342 *Qui bono zelo ſine vi, vel fraude impedit aliquem, aſſequatur juſtam hæreditatem, legatum, &c. nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem?*

343 *Quid ſi id ex odio faciat?*

344 *Quid ſi vi vel fraude, vel ſine illis impediat aliquem à bono, quod ei ex juſtitia commutativa debetur?*

345 *Quid ſi vi, vel fraude impediat bonum alteri, quod tantum ex liberalitate ei debebatur.*

346 *Quid ſi propalet peccata occulta, quibus motu teſtator abſtinet ab hæreditate, vel legato?*

347 *Ponitur quoddam corollarium.*

Dico primo: Qui bono zelo, ſine vi, vel fraude impedit aliquem ne aſſequatur injuſtam
342 hæreditatem, legatum, &c. nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem. Si tamen id faciat odio, vi, vel fraude, peccabit quidem contra charitatem, vel alio peccato, non tamen contra juſtitiam, ac per conſequens non tenetur ad reſtitutionem. Ita communiter DD. Et idem dicendum eſt, ſi quis impediat donationem peccaminoſam, quando peccatum eſt tam ex parte dantis, quam recipientis, ut ſi quis alicui donaret non ſua, vel neceſſaria ſuæ familiæ. Si tamen donatio ſolum ſit peccaminoſa ex 343
parte dantis, quia v. g. dat ob adulterium, vanam gloriam, &c. tunc ſi quis ſine vi, vel fraude, talem donationem impediſſet, non peccaret, nec teneretur ad reſtitutionem, at ſi vi, vel fraude illam impediret, & peccaret, tenetur ad reſtitutionem; quilibet enim habet jus, ne impediatur malis artibus à conſecutione ejus, quod ſine peccato ipſe conſequi poteſt. Ita cum Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4. §. 2. *num.* 10.

Dico ſecundo: Qui vi, vel fraude, vel ſine illis, 344
quomodocunque impedit aliquem à conſecutione boni, quod ipſi ex juſtitia commutativa debetur, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. Ita cum communi ſententia Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. 345
cap. 4. §. 2. *num.* 2. An autem id dicendum ſit, ſi quis impediat aliquem à conſecutione boni, quod liberaliter illi donatur. v. g. legati hæreditatis, Eleemoſynæ, &c. Reſpondeo quod ſi id fiat fraudibus, vi, vel falſis informationibus, proculdubio & erit peccatum contra juſtitiam, & obligatio reſtituendi; Quilibet enim habet jus, ne per vim & malis artibus arceatur à bonorum conſecutione; ſi tamen ſine vi, vel fraude, ſed precibus, & conſilio, quamvis ex affectu odij, & animo lædendi id fiat, non erit peccatum contra juſtitiam, nec obligatio reſtituendi, bene tamen contra charitatem. Et idem dicendum eſt, ſi vera crimina occulta propalet, quibus motus teſtator abſtineat à legato, vel hæreditate. Quod ſi prædicta fiant bono zelo, 346
ſeu prudenti conſilio, nec crimina occulta aperiendo, non erit contra charitatem: Vnde religioſi perſuadentes teſtatoribus, ut ſua his potius, quam illis relinquant, non ex malo animo, ſed ſecundum prudentiam, non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem. Ita cum communi ſententia Tamburin. *ſup. n.* 34. & 35.

Hinc fit, quod ſi quis aperit litteras miſſas Fran- 347
ciſco, in quibus certior fiebat de ſupervenienti frumenti extractione, v. g. à Regno, ut ingentem copiam frumenti aggregaret vili pretio, venditurus poſtea pretio magno, ſi id prius denuntiet Antonio, ut ipſe prædictam copiam frumenti vili pretio emat, poſtea magno pretio venditurus, ſi tempeſtive conſignavit literas Franciſco, licet peccaret in apertione literarum, non tamen tenetur ad ullam reſtitutionem; ſiquidem non impedivit Franciſcum à prædicta congregatione frumenti, nec à lucro majori inde proveniente, cum tempore debito literas dederit, & lucrum Antonij ex ſimili aggregatione frumenti orta indirecte, & remote ſe habet ad apertionem litterarum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 131. Bard. *lib.* 1 *ſelect. queſt.* 15. quidquid dicat Tamburin. *ſup. num.* 5.

§. VII.

De impediente bonum alteri quoad ea quæ pertinent ad juſtitiam diſtributivam.

SUMMARIUM.

348 *Supponuntur aliqua pro explicatione ſectionis?*

349 *Qui à conſecutione alicujus rei impeditur, vel poteſt habere jus in re, vel ad rem, vel tantum jus remotum.*

350 *Qui impedit indignum à conſecutione alicujus rei, quomodocunque impediat, non tenetur ad reſtitutionem, ſecus ſi dignum impediat.*

351 *Quid ſi ex duobus jus ad rem habentibus impedit dignum, ut detur digniori, vel æque digno, ſecluſa vi, vel fraude?*

352 *Qui impedit alterum non habentem jus in re, nec ad rem, ſed tantum jus remotum, ut beneficium conferatur indigno, etiam abſque vi, vel fraude peccat contra juſtitiam, & tenetur reſtituere reipublicæ, vel Eccleſiæ.*

353 *Quid ſi quis ut facilius ſibi impetret beneficium impedit procuratorem prætendentis idem beneficium.*

348 SVppono eligendos ad aliquem officium, vel beneficium, alios eſſe indignos, alios dignos, alios digniores, de quibus omnibus late dixi *in noſtro Directorio Regularium p. 3. tract. 5. per totū diſp. 4.* ubi latè egi de electione canonica, & quomodo indigni arcendi eſſent ab electione, & quomodo digniores ſemper eſſent ſub mortali dignis præferendi, non ſolum in omnibus beneficiis curatis, & ſimplicibus eccleſiaſticis, ſed etiam in prælaturis regularibus, quamvis non deſint DD. qui ſatis probabiliter aſſerant, electionem digni prætermiſſo digniore ad quodcunque beneficium, ſive Cardinalatum, Epiſcopatum, curatum beneficium, ſimplicem capellaniam, vel etiam prælaturam regularem, ſive ſuperiorem, ſive inferiorem, ſecluſo ſtatuto, vel juramento in contrarium, vel niſi beneficia conferantur per concurſum, non eſſe peccaminoſam mortaliter, nec dari illam obligationem reſtituendi, ut cum Filliuc. docet Tamburin. *lib. 8. de juſtitia tract. 3. cap. 4. §. 4. num. 5.* His igitur prætermiſſis, & prædicto modo videnda, vbi ex profeſſo de eis egimus quæſtio, in præſenti ſolum eſt de impediente alterum à conſecutione alicujus beneficij, officij, cathedræ, vel alterius rei.

349 Secundo ſuppono illum, qui à conſecutione alicujus beneficij, vel officij, vel alterius rei impeditur, vel habere poſſe jus in re, vel ad rem, vel tantum jus remotum ad talem rem; jus autem in re acquiritur per diſpoſitionem inter vivos, aut ultimam voluntatem, vel per collationem, confirmationem, aut alium modum legitimum. Ius vero ad rem acquiritur per juſtam promiſſionem, emptionem, ſtipulationem, electionem, præſentationem, oppoſitionem, concurſum, expectativam, regreſſum, acceſſum ad coadjutoriam, primogenium, vel alium titulum, qui det jus imperfectum, ex quo poſſit aliquis petere à judice, ut conſervetur, & fiat ſibi libera facultas progrediendi uſque ad acquiſitionem juris perfecti in re, atque adeo etiam realis poſſeſſionis. Ius vero remotum; tum datur, quando quis licite petere poteſt, vel aliis ſe opponere, ut late explicat cum Navarr. Decaſtillus *lib. 2. de juſtitia tract. 2. d. 8. num. 20.* His ſuppoſitis,

350 Dico primo: Qui impedit indignum à conſecutione officij, vel beneficij, vel alterius rei, etiam per vim, vel fraudem, non tenetur ad reſtitutionem: indignus enim nullum jus habet, nec etiam remotum ad talem rem. Ita cum Rebello, Decaſtillus *lib. 2. tract. 2. d. 8. n. 22.*

Dico ſecundo: Qui impedit dignum habentem aliquod jus in re, vel ad rem, ut beneficium detur indigno, vel digno non habenti ullum jus adquiſitum, tenetur ad reſtitutionem illi exhibendum, etiamſi citra vim, vel fraudem impediat, quia violando jus ab altero adquiſitum, contra juſtitiam commutativam deliquit. Ita cum Rebello, Decaſtillus, *ſup. n. 24.* Lugo *d. 18. n. 90.*

Dico tertio: Qui ex duobus jus ad rem habentibus impedit dignum, ut detur digniori, vel æque digno, ſecluſa vi, vel fraude, non tenetur reſtituere; quia in primo caſu non violavit juſtitiam, ſed potius fecit, ut ea ſervaretur, in ſecundo vero, datur locus gratiæ, cum non ſit major unius, quam alterius dignitas. Si vero adſit vis, vel fraus, tunc ſi vis, vel fraus fiat, ut beneficium conferatur æque digno, tenetur ad reſtitutionem illis, quos vi, vel fraude impedivit, quantum æſtimabitur cujuſcunque ſpes judicio prudentis; ſi vero vis, vel fraus fiat ut beneficium detur digniori, ad nihil tenetur reſtituere; quia contra intentionem, Eccleſiæ, & Reipublicæ eſt, ut beneficia, & officia dentur dignis, omiſſis dignioribus. Ita cum aliis Decaſtillus *ſup. num. 27.* Tamburin. *lib. 8. tract. 3. cap. 4. §. 3. num. 3.* Si tamen è contra impediat digniorem habentem jus ad rem, ut beneficium detur digno habenti etiam jus ad rem, etiam ſemota vi vel fraude, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, quia dignior habet majus jus adquiſitum, ac per conſequens, non ſolum peccat contra juſtitiam diſtributivam, ſed etiam commutativam. Ita cum Leſſio, Navarro, Decaſtillus *ſup. n. 31.* 351

Dico quarto: Qui impedit alterum non habentem jus in re, nec ad rem, ſed tantum jus remotum petendi, ne petat, ut beneficium conferatur indigno, etiam abſque vi, vel fraude, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, non ipſi digno, vel digniori, ſed reipublicæ, vel Eccleſiæ; quia ſolum reipublicæ, vel Eccleſiæ, non vero illis dignis vel dignioribus injuriam fecit, ſiquidem illi non habebant jus in re, vel ad rem ad tale officium, vel beneficium; quod ſi nullum damnum ſecutum fuit Eccleſiæ, vel reipublicæ, adhuc fructuum perceptorum reſtitutio facienda eſt ipſi Reipublicæ, vel Eccleſiæ, ad quam pertinet beneficium, quia illud, quod eſt propria ſuſtentatio miniſtri idonei, datur contra voluntatem Eccleſiæ indigno. At ſi ſine fraude quis procuravit ut beneficium daretur digno, relictis dignioribus, ad nihilum ulli teneretur; non enim tenetur dignioribus, hi enim non habent jus juſtitiæ ſupra dignos, non reipublicæ, vel Eccleſiæ, quia non eſt illis facta injuria, dum dignum habent; ergo &c. ita Tamb. *ſup. num. 4.* Decaſtillus *ſup. num. 34.* Et idem dicendum eſt de eo, qui impedit etiam vi, vel fraude, ne officium detur indigno, quia ad hujuſmodi officia, vel beneficia nullum jus habent indigni. Tamburinus *ſup. num. 6.* 352

Dico quinto: Qui ut facilius ſibi impetret beneficium impedit procuratorem prætendentis idem beneficium eum orando, vel cogendo, vel per alium prætextum in aliis negotiis detinendo, vel ſi impediat tabularios afferentes literas ad ſuum competitorem, vel literas aperiat, quo facilius illum à beneficio excludat; & peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. Ita cum Bonacina, Vaſquio, & aliis, Lugo *d. 18. num. 102.* Sed de his vide latius Lugum *loco citato.* 353

Digitized by Google

§. VIII.

De restitutione falsificantis monetam, fingentis pauperatem, & vectigalia seu gabellas defraudantis.

SUMMARIUM.

354 *Qui propriè dicatur falsarius?*
355 *Falsarius ex parte materiæ, vel ponderis diminuens monetam tenetur illud damnum restituere.*
356 *Cui hoc damnum sit restituendum?*
357 *Extenuans materiam, relinquens tamen illam in legitimo valore, an peccet, & teneatur restituere, & quibus?*
358 *An qui monetam cudit sub regio nomine propria authoritate peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?*
359 *Qui mala fide accepit monetam adulteratam non potest eam expendere, & si illam expendat, tenetur ad restitutionem.*
360 *Quid si bona fide accepit, & expendit?*
361 *Qui ficta paupertate, consanguinitate, &c. eleemosynas acquirit, peccat mortaliter, si materia gravis sit.*
362 *An peccet contra justitiam, & teneatur restituere?*
363 *Pauperes qui exaggerant necessitatem, non tenentur restituere?*
364 *Cui teneatur fictus pauper sic accepta restituere?*
365 *An defraudantes gabellas, vectigalia, & tributa justa peccent mortaliter?*
366 *Utrum neganda sit absolutio pœnitenti, qui defraudavit gabellas, & vectigalia si non restituat?*

354 PRo hujus §. intelligentia suppono, Illum propriè dici falsarium, qui signum, materiam, vel pondus monetæ falsificat, ille autem dicitur falsificare signum, qui imprimit in moneta signum illius, qui eam cudi non facit. Vnde qui veram monetam sigillat novo signo Regis, quo antiquus valor monetæ accreseit, proculdubio dicetur falsarius, siquidem falsum signum Regis in ea propria authoritate apponit. Ille vero dicitur falsificare materiam, qui auro, vel argento aliud metallum admiscet, vel qui nummos stanneos tingit, ut appareant aurei, vel argentei, vel qui falsas monetas, puta stanneas, pro argenteis scienter expendit, non obstante, quod antea etiam ab aliis deceptus sit. Ille vero dicitur falsificare pondus, qui de pondere monetæ detrahit, abscindendo, radendo, ita cum communi sententia, Trullenc. *lib.7.cap.12.dub.1.* Moronius *responso 96. num. 6.* Basæus *verbo Falsarius num. 2.* His suppositis,

355 Dico primo: Fallificans monetam ex parte materiæ, vel de justo pondere deminuens, tenetur damnum illatum restituere, primo Principi, vel Rei-
356 publicæ, secundo iis, quibus damnum illatum est, in quibus falsa moneta reperitur, quod si ignorentur, pauperibus restituendum est; ita cum Navarro, Trullenc. *lib.7.cap.12.dub.2.num.3.*

357 Dico secundo: Extenuans materiam monetæ, relinquens tamen illam in suo legitimo valore, si id faciat propria authoritate peccat mortaliter, eo quod sibi jus alienum usurpat, & tenetur restituere principi, vel Reipublicæ illud, quod attenuavit, eo quod fuit per errorem appositum, est enim fur tum alienam illam materiam sibi retinere. Ita Villalobos *tom.2.tract.15.dif.14.num.5.* Trullenc. *suprà num. 4.* Licet oppositum teneat cum Angelo, Moronius *resp.96.num.66.* cujus sententiam probabilem existimo. Vnde sic extenuans monetam propriè non est falsarius, siquidem monetam in suo legitimo pondere relinquit, ut etiam advertit, cum aliis Trullenc. *sup.n.4.*

Dico tertio: Si quis monetam cudat sub regio 358
nomine, privata tamen Authoritate, etsi sit integra, & perfecta, solumque dicatur falsa in signo, peccat mortaliter, eo quod falsificat publicum signum. An autem teneatur ad restitutionem? Affirmat cum Navar. Trullenc. *sup.num.5.* quia illud lucrum fecisset sibi princeps cudendo monetam, quam faciant ipsi, quæ ratio vera est, sed raro accidit, quod princeps hoc damnum patiantur, quia ex eo quod alij cudant monetam non impediuntur ipsi, quin possint cudere, & expendere quantum velint. Ita Moronius *responso 96.num.70.* Aliter dicendum existimo de eo, qui propria authoritate veram monetam regiam sigillat novo Regis signo significante majorem valorem, quam antea talis moneta habebat, nam hic tenetur restituere principi, vel reipublicæ illum valorem supradictum, quo regem privavit, detracta ad summum ea parte, quæ à Rege solet privatis personis prædictas monetas sigillandas offerentibus concedere. Ita existimo, & in facti contingentia consului.

Dico quarto: Qui mala fide accepit monetam 359
adulterinam non potest eam expendere, & si illam expendat tenetur ad restitutionem, quod si bona fide accepit, & bona fide expendit illam, durante bona fide, excusatur ob ignorantiam à restitutione, comperta tamen veritate restituere tenetur illi, cui damnum intulit, vel pauperibus, nec excusatur eo quod ab alio acceperit, nam error meus alteri nocere non debet. Ita cum Villalob. Trullenc. *sup.n.6.* Quamvis Diana *p.2.tract.5.resol.3.* cum Sylvestro 360
probabile existimet expendentem bona fide monetam falsam, non teneri, etiam comperta veritate ad restitutionem, sed tu ne à nostra sententia decedas, de pœnis autem falsificantibus monetam impositis, vide Trullenc. *sup.n.d.1.n.7.*

Dico quinto: Qui ficta paupertate, vel consan- 361
guinitate, [ut si sanctum, devotum pauperem, infirmum, Religiosum, vel consanguineum, cum non sit simulat] eleemosynas acquirit, peccat mortaliter pro materiæ gravitate, in quo omnes conve- 362
niunt; illudit enim, ac decipit proximum. An autem peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem? negat Cajetanus in summa, verbo restitutio, Medina *lib.5.cap.4.§.35.fol.1.89.* Pascaligus *cent.4.quæst. 392.* probabile putat Trullenc. *lib.7. c.12.dub.3.n.3.* Tamburin. *lib.8.tract.4.c.1.§.1.n.3.* & de pauperibus mendicantibus. hostiatim, etiam negat Granadus *22.contr.3.tract.11.d.7.num.7.* Dicunt etiam finem principalem eleemosynæ, nempe amorem Dei, semper existere. Verum contraria sententia tutior est, & in praxi consulenda. Ita Trullenc. *sup.num.2.* & cum aliis Tamburin. *suprà num.3.* Defecit enim finis, quo dominus movetur ad dandum, nempe miseria, & sublevatio illius. Excipe si miseria pauperis tantum fuit causa impulsiva, ut quando, scilicet quis, esset daturus, sed non tam prompte huic daret, nisi fingeret pauperatem.

Hinc pauperes, qui exaggerant necessitatem non 363
tenentur restituere propter eandem rationem. Tamburin. *sup.num.1.* Et idem dicendum est de paupere,

qui

Digitized by

qui pigritiæ, vel etiam cupiditatis cauſa, eleemoſynas poſcit, ſi vere eſt pauper. Ita cum Bart. Diana, Tamburin. *ſup. num.* 4. Et idem dicendum eſt de Eremita inſerviente alicui Eccleſiæ, ex eleemoſynis namque Eccleſiæ poteſt juxta ſuum ſtatum vivere, & quod ſupereſt ex ſuo victu, cultuque Eccleſiæ, poteſt dare ſuis cognatis, vel etiam extraneis, modo ſint pauperes, & modo ex circunſtantiis non appareat donaria fidelium Eccleſiæ ornatui aplicati. Tamburin. *ſup. num.* 4.

364 Sed Quæres, cuinam injuſte ſic forte accepta ſint reſtituendum, domino, an pauperibus, an locis piis? Reſpondeo, utrumque eſſe probabile. Ita Vaſq. Palaus, Diana, quos refert, & ſequitur Tamb. *ſup. num.* 5. & cum aliis Trullenc. *ſup. num.* 4. Excipe ſi quis fingat ſe eſſe filium alicujus principis, & ob id accipiat aliquid, ut ſi hoſpitio magnifico exciperetur, nam his obligabitur domino, non verò pauperibus reſtituere, quia hunc motivum, nec in genere attingit paupertatem. Idem dicendum eſt de eo, qui ſe fingit conſanguineum, eo quod magnam eleemoſynam accipiat, nam is domino, vel pauperibus conſanguineis dantis, non vero aliis reſtituturus eſt. Trullenc. *ſup. num.* 4.

365 Dico ſexto: Etſi probabilius ſit, & in praxi communiter tenendum defraudantes vectigalia, gabellas, & tributa juſta, in materia gravi peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem, ut cum communi ſententia docet Trullenc. *lib. 7. cap. 11. dub. 9. num. 7.* Malletus *in ſeptimum præceptum Decalog. Malleatione 40. Bractea 22. reſponſo 1.* & alij communiter; ſatis tamen probabile eſt oppoſitum, eo quod conſuetudo interpretetur non eſſe mentem legiſlatorum ad aliud obligare, quam ut deprehenſi mulctentur. Ita Navar. *cap. 23.* Sà Verbo Gabella, Bonacina *quæſt. 9. part. 1. num. 5.* Filliucius *tract. 28. num. 114.* & cum Leſſio, Molina, Diana *tract. de legibus reſol. 19.* Layman *lib. 3. p. 1. c. 3. n. 4.* & 5. Buſembau *lib. 3. tract. 5. cap. 2. artic. 2. num. 5.* Trullenc. *ſup. num* 7 & cum Caſtro, Henriquez, Fr. Stephanus à Sancto Gregorio *lib. 1. cap. 15. num. 19.* etſi gabella impoſita ſit in rebus uſualibus neceſſariis ad uſum proprium, aut familiæ, ut in vino, oleo, pane, ſale, piſce, carnibus, &c. ut probabilius tenet cum multis Trullenc. *ſup. num. 9.* defraudantes gabellas non peccare, nec teneri ad reſtitutionem, quam ſententiam approbat etiam Baſæus *verbo gabella num. 3.* & cum Leſſio, Molina, & aliis Malleto, *ſup. Malleatione 40. Bractea. 21. reſponſo 2.*

366 Vnde non eſſe negandum abſolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, ſeu vectigalia impoſita in his rebus ad uſus proprios, vel familiæ neceſſarios, docet cum Cajetan. Medin. Soto, Diana, *p. 1. tract. 11. reſol. 38. & p. 2. tract. 17. reſol. 28.* Buſembau *ſup. num. 5.* Et idem dicendum eſt de decimis à Regno impoſitis, tam in prædialibus, quam utenſilibus, ſunt enim novum quoddam vectigal, ſeu tributum à comitiis Regni conceſſum ad ſumptus bellorum in hoc Luſitaniæ Regno. Vnde de eis eodem modo philoſophandum eſt, ac de aliis gabellis, ſeu tributis; Baſæus *in ſupplemento, verbo gabella num. 14.* Quis autem, & in quibus caſibus, & ex qua cauſa poſſit imponere gabellas, & quando peccent eas defraudantes, & qui ab eis eximantur, etiam ſtando in communi opinione aſſerente dari obligationem eas ſolvendi in conſcientia ſuo loco fuſius Deo dante dicemus, interim conſule Baſæum primo tomo, & in ſuplemento, verbo *gabella*, ubi hanc materiam dilucide exponit, vide etiam Trullenc. *ſup.*

DISPUTATIO IX.

De obligatione reſtituendi, quæ oritur ex re accepta.

SECTIO I.

An poſſeſſor bonæ fidei cum agnoſcit rem quam poſſidet eſſe alienam, teneatur aliquid reſtituere?

SUMMARIUM.

367 *Quis dicatur poſſeſſor bonæ fidei?*

368 *Qui rem alienam bona fide poſſidet ſtatim, ac certo cognoſcit eſſe alienam tenetur eam, ſi extet ſuo domino reſtituere.*

369 *An ſi res extet, poſſit aliquando unum pro alio reſtitui, ſalvem propter aliquod inconveniens?*

370 *Qui rem bona fide accepit, & bona fide conſumpſit, ſi in nihilo factus eſt ditior, nihil tenetur reſtituere.*

371 *Si in aliquo factus eſt ditior, id tenetur reſtituere.*

372 *Quædam corollaria ponuntur.*

373 *Qui rem bona fide emit, & eodem, vel minori pretio vendit, nihil tenetur reſtituere.*

374 *Qui lautiſſimis cibis alienis uſus eſt bona fide, qui alia communibus uſurus erat ſolum id, in quo factus eſt ditior tenetur reſtituere.*

SUppono: Poſſeſſorem bonæ fidei eſſe illum, qui rem alienam poſſidet prudenti, vel probabili judicio credens eſſe ſuam; Poſſeſſorem vero malæ fidei dici illum, qui ſcit rem eſſe alienam, vel ignorantia craſſa, aut culpabili putat eſſe ſuam. Quod ſi non conſtet rem eſſe poſſidentis, nec conſtet eſſe alienam, dicetur poſſeſſor dubiæ fidei. Ita Decaſtillus *lib. 2. tract. 2. d. 5. n. 2.* & 3. Tamb. *lib. 8. tract. 3. cap. 3. §. 1. num. 1.* His ſuppoſitis, 367

Dico primo: Qui rem alienam bona fide ut ſuam, quocunque titulo accepit, ſtatim ac certo cognovit eſſe alienam, tenetur eandem, ſi extat reſtituere. Immo dominus poteſt ſibi eam ubicunque illam invenerit vindicare; res enim ubicunque eſt domini eſt, quare qui eam habet, ſi ſtatim non reddat, incepit eſſe poſſeſſor malæ fidei, & tenetur deinceps, non ſolum ratione ſolius rei acceptæ, ſed ratione injuſtæ acceptionis ad reſtituendum fructus, damnaque inde ſecuta vero domino ex illo tempore, quo fuit in mora. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib. 2. tract. 2. d. 5. num. 4.* 368

Dixi; tenetur eandem rem ſi extat reſtituere, ſiquidem numquam licet reddere unum pro alio in eadem ſpecie, niſi vel in rebus uſu conſumptibilibus vel quando dominus non habet ſpecialem affectum ad rem in individuo, vel niſi ex reſtituenda re ipſa numero peccator occultus manifeſtaretur, vel aliud magnum incommodum ſequeretur. Ita cum Sylveſtro, Navarro, Valentia, Antonino, Decaſtillus *l. 2. tract. 2. d. 1. dub. 2. n. 15.* Tunc enim creditor nõ cenſetur rationabiliter invitus. Immo Petrus Navarra, *lib. 4. cap. 1. dub. 3.* Clavis Regia *l. 10. tract. 2. c. 3. n. 11.* docent non eſſe contra juſtitiam, ſed tantum contra charitatem, reddere rem æquivalentem, etiam quando poteſt reddi eam numero, etiamſi dominus 369

nus, habeat ad illam ſpecialem affectum, & ægre ferat non reddi eandem, ſed contrarium tenendum eſt. Quæ omnia eodem modo locum habent, etiam in poſſeſſore malæ fidei, quando res eſt reſtituenda ex injuſta acceptione. Tamburinus, *lib.8.tract.3.cap.3. §.1.num.4.*

370 Dico ſecundò: qui rem alienam bona fide acceptam, bona item fide in totum conſumpſit, vel deſtruxit, etiam ludendo, vel laſciviendo, ſi nihil remanſit, in quo factus ſit ditior, ſive res ex ſe fuerit uſu conſumptibilis, ut vinum, triticum, &c. ſive non, ut equus, veſtis, &c. nihil tenetur reſtituere; cum enim ſine culpa contra juſtitiam talem rem conſumpſerit, etiamſi eam contra alias virtutes conſumpſerit, non eſt caput, unde oriatur obligatio reſtitutionis. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib.2.de juſtitia tract.2.d.5.n.6. & 8.*

371 Dico tertiò: ſi res non eſt in totum deſtructa, ſed remanet in aliquo, quo quis redditus eſt locupletior, hoc in quo factus eſt locupletior tenetur reſtituere, ut primo advertit id ſibi per ſe proveniſſe ex re aliena. Ratio eſt, quia illud cenſetur manere apud poſſeſſorem ex illa re, non quod aliquid illius in ſe maneat, ſed quia re vera in valore, & in effectu illud manet, quatenus id ſuccedit loco rei. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſuprà num.6.* excipe niſi diuturna poſſeſſio rei tranſtulerit dominium in poſſeſſorem bonæ fidei. Et idem dicendum eſt de uſucaptione, ut recte cum communi ſententia docet Decaſtillus, *ſuprà num.* 22.

372 Hinc fit poſſeſſorem bonæ fidei poſt legitimam præſcriptionem non teneri rem, aut fructus ejus reſtituere, etiamſi tunc cognoſcat rem fuiſſe alienam. Ita cum communi Decaſtillus, *lib.2.tract.1.d.5.dub.2.num.21.* Trullenc. *lib.7.cap.11.dub.1.n.2.* Et idem dicendum eſt quando res aliena publicè in publico foro emitur, ſi dominus intra certum tempus non comparuerit: nam dominus non comparens intra tempus à lege ſtatutum cenſetur tacite rem pro derelicta habere. Ita cum Azor, Gabriele, Decaſtillus, *ſup.num.22.* Hinc etiam excuſantur à reſtitutione, qui emunt res mobiles, quas piratæ acceperunt in injuſto bello, & eas habent in loco tuto, vel quæ ſaltem ab hoſtibus ereptæ cum ipſis pernoctarunt per viginti quatuor horas, id enim ubique gentium conſuetudo approbavit, ad puniendum militum ignaviam, & ad accendendos eorum animos contra hoſtes, ne ſe patiantur facilè vinci, & armis, ac veſtibus ſpoliari. Quod ſi mane Turcæ certos Chriſtianos ſpolient, & ſero eadem die deprehendantur ab aliis, hi non poterunt illorum Chriſtianorum bona ſibi appropriare, ſed debent ea ſuis dominis reddere, poſſunt tamen illa à quocunque vili pretio emere, ea intentione, ut domino comparenti reſtituantur. Ita cum Valentia, Covarruvia, Saa, probabile putat Decaſtillus, *lib.2.tract.1.d.10.dub.17 §.8.num.24. & 427.* & cum Roſella, Sylveſtro, idem Decaſtillus, *lib.2.tract.2.d.5.dub.2.num.23.* & cum Mendoza, Diana, *p.6.tract.4.reſol.23.* Azonius, *verbo pugna num.33.* Quidquid in contrarium dicat Molina, & alij, quos refert, & ut probabilius docet Decaſtillus, *lib.2.tract.1.d.10.dub.17.§.8.num.424.* Duvalius, *queſt.16.art.5.*

373 Secundò fit, quod ſi quis rem alienam bona fide emit, & eodem, vel minori pretio vendit, ad nihilum teneri, quia in nihilo factus eſt ditior ſi vero pluris vendit, illum exceſſum, ſi remanet in ſe, vel in æquivalenti tenetur reſtituere. Et idem dicendum eſt, ſi quis rem dono accepit, & vendidit, tenetur enim reſtituere pretium, quia in eo factus eſt ditior, quod ſi pretium etiam donavit durante bona fide, tunc reſtituturus eſt rem, qui eam emit, & qui vendit tenetur ei pretium datum reſtituere, non quia in eo factus ſit ditior, cum illud alteri dederit, aliàs non donaturus, ſed ratione contractus venditionis, ſecundum quem tenetur indemnem reddere emptorem, quoad rem venditam, ut bene advertit Tamburinus, *lib.8.tract.3.Decalog.cap.3.§.1.n.13.& 14.* Qui tamen rē dono accepit, & eā donavit, alias non donaturus ſimilē, ad nihil tenetur, quia in nihilo factus eſt ditior, ſecus ſi aliam ex ſuis donaturus erat, quia jam tum ſuis rebus pepercit, & factus eſt ditior.

Idem dicendum eſt de eo, qui lautiſſimis cibis 374
uſus eſt, qui alias communibus uſurus erat, & de eo qui ratione illius rei majorē dedit eleemoſynam, quam eſſet daturus, vel qui luſit, & perdidit, aliàs non luſurus, & de eo, qui pedeſtri itinere iturus, equo ivit alieno, quem bona fide putabat eſſe ſuum: nam hi omnes ſolum illud, quod alias erant conſumpturi, tenentur reſtituere. Quod ſi res periit durante bona fide, ſive fortuito, ſive etiam parva, ſive magna culpa poſſidentis ad nihil tenetur, quia in nihilo factus eſt ditior; tunc autem cenſetur fieri locupletior talis poſſeſſor, quando occaſione illius rei conſumptæ excuſavit alios ſumptus, aut patrimonium crevit, dummodo id, in quo factus eſt ditior non excedat valorem rei bona fide conſumptæ, quia ſi excedat, ille exceſſus non debet reſtitui, quia in illo exceſſu, non tam eſt factus ditior per ſe, ex re ipſa, quam per accidens occaſione illius, unde ſi invitatus comediſti libram arietis alienam, & domi tuæ eras cœnaturus gallinam, cui pepercisti, non teneris reſtituere valorem gallinæ, ſed libræ arietinæ, quam cœnaſti. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſuprà num.10.* Trullenc. *lib.8.cap.11.dub.1. per totum.*

SECTIO II.

Vtrum poſſeſſor bonæ fidei teneatur ſimul cum re fructus perceptos reſtituere?

SUMMARIUM.

375 *Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere ſimul cū re fructus extantes, deductis expenſis ſive naturales ſint, ſive ſimul induſtriales, ſive mixti.*

376 *Si fructus percepti non extent poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior.*

377 *Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus mere induſtriales.*

378 *Ponuntur quædam corollaria.*

379 *An ſi poſſeſſor bonæ fidei locet rem, quæ non ſolet locari, faciat ſuum pretium locationis?*

380 *Poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, quas expenſas poſſit petere factas in melioramentis rei poſſeſſæ.*

DIco primò: poſſeſſor bonæ fidei tenetur ſimul 375
cum re reſtituere omnes fructus rei extantes deductis expenſis, ſive hi ſint merè naturales, hoc eſt, qui vix ullo hominum labore egent, ut fœtus animalium, arborum, herbæ, & gramina, ſive ſint ſimul induſtriales, ſive mixti, hoc eſt, ad quos æque, aut magis hominum labor cum natura concurrit, ut v.g. ſegetes, & quæ ſerendo gignuntur, item vinum, oleum, &c. quo etiam referuntur pretia locationis domorum &c. qui fructus civiles appellantur, quod verum eſt etiamſi dominus non eſſet locaturus. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib.7. cap.11.num.2.* quamvis contrarium, quoad fructus

mixtos

mixtos teneat, ut probabile cum Lessio, Sanchez, Decastillus, *lib. 2. tract. 2. d. 5. dub. 3. num. 59.* Sed nostra sententia probabilior est. Excipe nisi tales fructus bona fide possessi fuerint tempore à lege præscripto ad usucapiendum illos, quod si adsit titulus est biennium inter præsentes, & quadriennium inter absentes, at si non adsit titulus sunt anni 30. Ita cum Salon, Trullenc. *sup. num.* 4.

376 Dico secundò: Si fructus percepti non extent, solum tenetur possessor bonæ fidei restituere in quo factus est ditior; quod si fructus non percepit ex prædicta re ratione negligentiæ suæ, non tenetur ad restitutionem, bene tamen possessor malæ fidei, quia cum non sit factus ditior, nec fructus extent, non tenetur ratione rei acceptæ, & cum non fuerit causa damni injusta domino obvenientis, sicut est possessor malæ fidei, non tenetur restituere ratione injustæ acceptionis. Ita cum Lessio, Trullenc. *sup. n.* 3.

377 Dico tertiò: Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus mere industriales, ut si aliena pecunia est negotiatus, nam hi fructus non proveniunt per se ex re aliena; pecunia enim ex se est sterilis, sed sunt fructus industriæ. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib. 7. cap. 5. dub. 12. num. 2. & cap. 11. dub. 2. n. 2.* Et idem dicendum est de possessore malæ fidei, quamvis hic teneatur de lucro cessante, & de damno emergente, si quod interfuit, ad quod tamen non tenetur possessor bonæ fidei, nam possessor malæ fidei ex sua injusta actione fuit causa hujus damni, à quo possessor bonæ fidei fuit exemptus propter bonam fidem. Trullenc. *lib. 7. c. 5. dub. 12. n. 2.*

378 Hinc fit quod si rem, quam bona fide quis possidet vendidit pretio summo, si hoc provenit ex sua industria, quia rem in alium locum transtulit, vel similem non vulgarem diligentiam adhibuit, non teneri restituere pretium summum, sed medium; Secus si res, vel ex se, vel ex circumstantiis crevit in pretio, sive quia ex se melior effecta est, ut si pullus equi crevit in ætate, sive quia ex penuria talis rei crevit in pretio, nam tunc totum pretium dandum est domino, siquidem hic excessus non provenit ex industria, sed ex ipsa re, quæ dum extat domino valet, quantum valet. Ita cum Lugo, Tamb. *lib. 8. tract. 3. d. 3. §. 1. n. 11.* Diana *p. 3. tract. 3. resol. 41.* Quamvis Mol. *tr. 4. d. 7 21. n. 10.* doceat enim in hoc casu satis esse, si valorem medium reddat domino, quia sufficit reddere domino, quantum possit rem æqualem sibi comparare, at potest emere facile, ut suppono, secus enim non haberet locum hæc doctrina, per illud pretium medium; ergo sufficit si illud dumtaxat restituatur, quam opinionem putat probabilem cum Decastillo, Tamb. *sup. n.* 11.

379 An autem si possessor bonæ, vel malæ fidei locet torquem aureum alienum ad ostentationem, qui non solet locari, faciat suum pretium locationis, utpote fructum industriæ suæ? Respondeo negative, quia illud lucrum datur pro usu rei, & non est lucrum industriæ locantis. Excipe nisi forte credatur dominum torquis nolle tale pretium. Ita cum Diana, Tamb. *lib. 8. tr. 3. c. 3. §. 11. n. 8.* Secus dicendum est de eo, qui domum alienã, sive bona, sive mala fide pluris locaverit, ratione alicujus portæ à se affixæ, vel cancelli, nam ille excessus, qui datur propter melioramentum, est furis, & non domini, non sic, si fuisset melioratio per arbores plantatas in horto domus, quia tunc excessus locationis ob fructus arborum, domini essent. Ita Tamb. *sup. n.* 9. An autem famulus, vel depositarius negotiationi subdens pecuniam domini, vel deponentis, eo inscio, faciat suum lucrum ex tali negotiatione ortum? Respondeo affirmative, est enim fructus industriæ suæ, tenebitur tamen de lucro cessante, vel damno emergente, si forte negotiatione illius pecuniæ causa fuit, quod dominus illius tale damnum pateretur, quia in promptu non habebat suam pecuniam. Ita cum Molina, Beia, Diana, Tamb. *sup. num.* 10.

Dico quartò: Possessor bonæ, vel etiam malæ fi- 380
dei potest petere expensas factas ad melioramenta utilia, & necessaria in re aliena à domino, non tamen expensas factas in melioramenta voluntaria; poterunt tamen illa asportare, si possint separari, ut si sint portæ, statuæ, &c. quod si separari nequeant, tunc possessor bonæ fidei potest petere, quod in his melioramentis expendit, vel cogere dominum ad vendendam rem ipsi possessori justo pretio, deductis expensis; ita cum communi sententia Tamb. *lib. 8. c. 3. tr. 3. §. 5. n. 14.* Adverte tamen dominum non debere solvere pro melioramentis, etiam utilibus, & necessariis quantum crevit valor rei cum illis, sed quantum valuerunt expensæ in melioramentis factæ, dummodo expensæ minus valeant, quam melioramenta; nam si, v. g. quis in cultura arboris consumpsit decem aureos, si arbor non valet nisi unum aureum, unum aureum, & non decem tenetur solvere dominus, quia pro uno aureo utilis est domino arbor, non vero pro decem, nam tunc cogeretur emere rem pluris, quam ipsa valet. Ita cum Sanchez, Tamb. *sup. n.* 15.

SECTIO III.

Utrum qui rem furtivam bona fide emit, ubi novit esse furtivam, teneatur eam domino reddere? an vero possit dissolvere contractum, & eam furi reddere suo pretio recepto?

SUMMARIUM.

381 *Si possessor bonæ fidei potest pretium, à fure recuperare, tenetur rem domino tradere.*

382 *Qui bona fide rem à fure emit, potest rescindere contractum, & rem reddere furi, ut suum pretium reddat, si aliter non potest pretium à fure obtinere.*

383 *Quædam corollaria ponuntur.*

384 *Qui rem dono à fure accepit, tenetur eam vero domino restituere, & non donatori.*

385 *Licitum est rem alienam parvo pretio à fure emere, ut reddatur domino suo.*

386 *Multo qui bona fide accepit rem à fure transportandam, potest illam tradere illi, cui portandam accepit, ne amittat suam mercedem?*

Dico primo: Si possessor bonæ fidei, sine gravi 381
incommodo, potest pretium suum recuperare à fure, sive per judicem, sive alio modo, tenetur rem domino tradere. Et idem dicendum est, quando tradens rem furi non sperat pretium recuperare, nec aliquod grave malum à fure timet, si illi non reddat. Ita cum communi sententia Tamb. *lib. 8. tract. 3. c. 3. §. 2. n. 1.* conveniunt etiam Doctores quod bona fide emens rem à fure, non possit pretium exigere à domino, ut eam illi tradat, cum in dominum nullum jus habeat; Decastillus *lib. 2. tract. 2. d. 5. dub. 4. num. 97.*

Dico secundo: Qui bona fide emit rem à fure, co- 382
gnito errore, potest rescindere contractum, & rem reddere furi, ut ei suum pretium reddat, etiamsi certo sciat furem non esse eam domino restituturam,

ſi aliter modo dicto non poteſt pretium ſuum recuperare. Ita cum Navar. Vaſquio, Sylveſtro, Rebello, Arag. Alenſis; Gabriel, Altiſiodorenſis, Lopez, Antonino, Bannez, Victoria, Salon, Valentia Decaſtillus *ſup.num.*95. & cum Lugo, Tamburinus, *ſup. num.*2. & cum Leſſio, Suyro, Villalobos, Bonacina, Trullenc. *lib.*7.*cap.*11 *dub.*3.*n.*2. Diana *p.*1.*tract.*8.*reſol.*69.*& tract.*3.*reſol.*4.contra Molinam, Azorium, Caietanum, Medinam, Ledeſmam, & alios, quos refert Decaſtillus *ſup.n.*94. Ratio eſt, quia iſte contractus eſt natura ſua irritus, vel ſaltem irritandus, ad arbitrium emptoris decepti, per errorem dantem cauſa contractui, & in pari cauſa innocentiæ, potius tenetur emptor ſibi conſulere, quam domino rei, ſicut enim dominus habet jus ad ſuam rem, ita etiam emptor ad ſuum pretium, & ambo fuerunt innocentes.

383 Hinc fit emptorem reddentem rem furi, etiamſi ſciat illum nunquam reſtituturum, non cooperari ejus retentioni injuſtæ, quia id facit ex rationabili cauſa, & per accidens ex malitia furis ſequitur damnum, quod tamen non intendit emptor. 2. Fit quod ſi fur erat mortuus, vel diſparuit, vel nolit pretium reſtituere, non poſſe emptorem rem ſibi pro pretio retinere, nec alteri vendere, ut pretium recuperet, nec impedire dominum, ſi illam velit accipere; poterit tamen eam domino per aliquod tempus non manifeſtare, ſi ſpes eſſet probabilis recuperandi pretium à fure, etiamſi per aliquod tempus reſtitutio rei differatur. Ita Decaſtillus *ſuprà num.*88. Quod ſi dominus rei non compareat, vel mortuus ſit ſine hæredibus, poteſt emptor rem furi tradere, ut pretium ſuum recuperet; ſi vero nec dominus rei, nec latro compareant, tum qui emit tenetur rem pro anima defuncti in pios uſus convertere. Trullenc. *ſup. num.* 2.

384 Tertio fit: Quod ſi quis dono, tituloque gratuito, rem alienam bona fide accepit, teneri reſtituere eam domino, non vero donatori, aut furi, niſi alias certus moraliter ſit, rem reſtituendam eſſe à fure vero domino. Ita cum communi ſententia
385 Decaſtillus *ſup.num.*104.Quarto fit licere rem alienam parvo pretio emere à fure, ut vero domino reſtituatur, quo caſu cogetur dominus, ſi rem velit, ad ſolvendum pretium illud. Decaſtillus *ſuprà num.*105.Quinto fit Mulionem, vel alium,qui
386 rem à fure accepit bona fide tranſportandam, & alteri tradendam, poſſe rem tradere illi, cui tradendam accepit à fure, ne amittat ſuam mercedem, & ſtipendium tranſportationis, non enim tenetur tantum detrimentum ſubire, ut alteri conſulat. Ita cum Bonacina, Decaſtillus, *ſup.n.*17.

SECTIO VI.

An is qui mala fide à fure emit rem, poſſit eam tradere furi, ut pretium ſuum recuperet?

SUMMARIUM.

387 *Qui mala fide emit rem à fure, ſi alia via non poteſt pretium recuperare, poteſt rem tradere furi, ut pretium ſuum recuperet.*

388 *Si emptor retinuit rem diu cum gravi damno domini, tenetur tale damnum reſarcire.*

389 *Quid ſi ſolum retinuit rem per tempus neceſſarium ad ſuum pretium recuperandum?*

387 Dico primo: Qui mala fide rem emit à fure, & non poteſt alia via ſuum pretium recuperare, poteſt licite reſcindere contractum, & rem iterum tradere furi, ut ſuum pretium recuperet, & ſi certo ſciat furem non eam eſſe domino reſtituturum? Ratio eſt quia: Sicuti ille, qui debet reſtituere ex injuſta acceptione, vel retentione, ſatisfacit tollendo injuſtam acceptionem, vel retentionem; ita qui debet reſtituere ex injuſta emptione, ſatisfaciet quantum eſt ex hoc capite, ſi tollat injuſtam emptionem, tollit autem emptor, ſi reſcindat contractum cum venditore, & ex alia parte emptor non cooperatur ſic cum malitia venditoris, quia ſuum damnum, ne ſcilicet ſuum pretium amittat, ſatis ipſum excuſat à tali cooperatione; ergo.

Dixi quantum eſt ex hoc capite, nam ſi emptor 388
retinuit rem diu cum gravi damno domini, tenebitur tale damnum reſarcire; ſecus ſi rem per tempus arbitrio prudentis neceſſarium, & ſi ſufficiens, attentis circunſtantiis ad ſuum pretium recuperan- 389
dum. Ita cum Alexandro Alenſe, Sylveſtro, Læſio Maldero, Angelo, Gabriele, Lugo *d.*17.*de juſtitia num.*37. Diana 1.*p.tract.*3.*reſol.*4.*& p.*5.*tract.*14. *reſol.*87.Tamburin. *lib.*8.*tract.*3.*cap.*3.§.3.*num.*2. contra Molinam Rebellum, Leſſium & alios quos refert & ſequitur Decaſtillus *lib.*2.*tr.*2.*d.*5.*n.*113. & Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 3. *n.*4.

SECTIO V.

Utrum Poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, qui ex mixto rei furatæ cum propria, aliquid à fure accepit, teneatur illud reſtituere?

SUMMARIUM.

390 *Proponuntur aliqua ad intelligentiam queſtionis.*

391 *Qui accepit bona fide res uſu conſumptibiles quas fur habebat jam permixtas cum ſuis, non tenetur reſtituere, dummodo fur non maneat impotens ad reſtituendum.*

392 *Qui bona fide accepit res uſu conſumptibiles, ut pecuniam, vinum, oleum, &c. & eas immiſcuit cum propriis, ſi poſtea intelligat fuiſſe alienas, non tenetur eas domino reſtituere.*

SVppono in præſenti tantum eſſe ſermonem de 390
re furata mixta cum re propria latronis, ita ut diſcerni nequeat in quantitate ſufficienti admixtum, ſi enim res etiamſi ſit mixtibilis extet immixta, tunc qui eam accipit à fure, etiam bona fide, tenetur eam ut cognoſcit eſſe furatam tradere domino, ſicut alias res non uſu conſumptibiles, ut cum communi ſententia tenet Decaſtillus *lib.* 2. *tract.*2.*d.*5.*num.*183.Lugo *d.*17.*num.*11. Quamvis non deſint DD. qui probabiliter afferant, illum qui rem uſu conſumptibilem, ut pecuniam, panem, vinum, oleum, &c. bona fide à fure accepit, & conſumpſit, etiamſi numquam fuiſſet permixta cum rebus fûit, non teneri reſtituere, etiam id in quo factus eſt ditior, ſi alias fur maneat potens ad reſtituendum, quia habet alia bona unde reſtituat. Ita Medina *cod.de reſt.queſt.*10.Bañez 2.2.*queſt* 62. *art.*6.*dub.*3.*concl.*4. Salon. *ibid.contron.*3. *concl.*4. Petrus de Ledeſma 2.*tom.tract.*8.*cap.*24.*dub.*3. *dicto* 4.probabile putat Rodriguez *in ſumma cap.*42. *num.*2.Saa *verbo reſtitutio*, quorum ratio eſt, quia fur non habet obligationem reddendi domino eandem numero rem, cum jam ſit conſumpta, ſed aliam ſimilem ejuſmodi pretij; hujuſmodi autem res

ſimilis

ſimilis manet adhuc apud furem, qui non eſt redditus impotens, ergo qui illam aliam à fure accepit, & conſumpſit non tenetur reſtituere, licet locupletior ſit factus, quam ſententiam debent notare confeſſarij, ut plures excuſent à reſtitutione. His ſuppoſitis,

391 Dico primo: Qui bona fide accepit à fure res uſu conſumptibiles, quas fur habebat cum ſuis jam permixtas, non manet obligatus ad reſtitutionem, quia cum fur per mixtionem acquiſierit dominium illorum, tranſtulit dominium in acceptantem, non tantum ſi bona, ſed etiamſi mala fide acceperit, ac proinde hic accipiens, quippe qui rem alienam non poſſidet, non tenetur reſtituere, dummodo fur non maneat impotens ad reſtituendum. Ita cum Vaſquio, & aliis multis, Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 5. *num.* 185. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 4. Buſembau *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 6. *art.* 1. *num.* 10. Sed de his vide, quæ ſupra dixi de acquirendo dominio per mixtionem hoc eodem *tr.* 4. *ſect.* 12. *dicto* 5.

391 Dico ſecundo: Qui bona fide accepit à latrone res uſu conſumptibiles, ut pecuniam, vinum, oleum, triticum, &c. & eas emiſcuit cum propriis, ita ut diſcerni nequeant, etſi poſtea deprehendat res donatas, vel à fure acceptas eſſe furtivas, non tenetur eas reſtituere, ſiquidem per mixtionem bona fide factam acquiſivit illarum dominium, atque adeo periit obligatio realis, & tantum manet perſonalis in venditore, vel donatore. Ita cum Sylvio, & aliis Trullenc. *ſup. num.* 7. & cum Navar. Sayro, Leſſio, Bonacina, Buſembau, *lib.* 3. *tract.* 5. *in* 7. *præceptum cap.* 2. *dub.* 6. *Bracea* 1. *num.* 1. & cum Sanchez, & aliis, Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 5. *num.* 290.

SECTIO VI.

An dubitans an res ſit aliena poſſit eam accipere; retinere, vel alienare?

SUMMARIUM.

393 *Incipiens bona fide poſſidere, ſuperveniente dubio, tenetur facere diligentiam, ut veritatem aſſequatur, quod ſi veritas non detegatur, poteſt rem retinere, non obſtante dubio ſpeculativo.*

394 *Si facta diligentia inveniat dari opinionem rem eſſe Antonij, non tenetur ei rem reſtituere.*

395 *Si res vacet morte alicujus, & dubitetur ad quem pertineat, nemo ex illis inter quos eſt tale dubium poteſt eam ſibi occupare, ſed omnes debent ſtare ſententiæ judicis.*

396 *Quid ſi quis rem accepit ab eo, qui bona fide cœpit poſſidere, vel ei ſucceſſit titulo hæreditatis, accepit tamen dubitando, an ad illum à quo accepit pertineat?*

397 *Si poſſeſſor bonæ fidei neglexit inveſtigare veritatem, conſtituitur poſſeſſor malæ fidei.*

398 *Ponuntur quædam corollaria.*

399 *An qui primo habuit bonam fidem, deinde malam, & fructus conſumpſit, ſit injuſtus acceptor.*

400 *An ſi quis mala fide rem conſumpſit, putans eſſe Petri, cum illa vere ſit Pauli, ſit obligatus reſtituere ex injuſta acceptione, vel tantum ex re accepta?*

401 *An ſi poſſeſſor mala fide laboraverit, ſucceſſor vero bona, teneatur ſucceſſor reſtituere ob malam fidem prædeceſſoris?*

393 Dico primo: Incipiens bona fide poſſidere, ſi dubium ſuperveniat, an res ſit aliena, tenetur diligentiam adhibere, ut veritatem aſſequatur, eaque præmiſſa, nec veritate detecta, poteſt ratione poſſeſſionis rem retinere, & practice non dubitare, non obſtanti dubio ſpeculativo; in pari namque cauſa melior eſt conditio poſſidentis; *Regul. in pari.* 65. *de reg. juris in* 6. & 17. *ff. de reg. juris.* Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib.* 2. *tr.* 2. *d.* 5. *num.* 194. & cum aliis Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 2. Vnde niſi incipiat moraliter certus eſſe rem eſſe alienam, non tenetur ſe illa privare. Ita cum aliis Trullenc. *ſupra num.* 2. & cum Leſſio, Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 5. *n.* 200.

394 Hinc fit quod ſi facta diligentia inveniat dari opinionem probabilem rem eſſe Antonij, non teneri eam illi reſtituere, quia ut diximus requiritur moralis certitudo, & non ſufficit probabilis opinio ad dejiciendum eum à poſſeſſione. Ita cum Leſſio, & aliis Decaſtillus *ſup. num.* 206. Vnde etiamſi poſſeſſor bonæ fidei facta diligentia inclinet in eam partem, quod res non ſit ſua, adhuc non tenetur reſtituere, quia poſſeſſor contrariis rationibus non convincentibus præponderat. Ita cum Vaſquio, Eſcobar, Buſembau, *lib.* 3. *tract.* 5 *in ſeptimum præceptum dub.* 6. *cap.* 2. *art.* 1. *num.* 4. Diana *p.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 26. Secundo fit, quod ſi ſint opiniones probabiles, an res ſit Petri, vel Pauli, non poſſe illum, qui non poſſidet poſſidentem dejicere à poſſeſſione, nec pro illa occulte compensari. Ita cum Sanch. Decaſtillus, *ſup. n.* 204.

395 Tertio fit, Quod ſi res, quæ vacat morte alicujus, & dubitetur ad quem ex multis pertineat, nemo ex illis poſſe eam ſibi occupare, ſed omnes debere ſtare ſententiæ judicis, aut ſuperioris; quod ſi prætermiſſo judicio aliquis rem ſibi occupet, erit poſſeſſor malæ fidei. Quod ſi facto examine a judice, vel à partibus, adhuc ſupererit dubium, res eſt dividenda. Ita cum Sanchez, Rebello & aliis; Decaſtillus, *ſup. num.* 204. & 205. Quarto fit Quod ſi quis dubius an res ſit ſua præoccupavit illam à nemine occupatam, teneri adhibere diligentiam, ut dubium vincat, quod ſi ea adhibita non poſſit vincere dubium, partem poteſt retinere, & partem reſtituere pro qualitate dubij, quare in æquali dubio poterit retinere dimidiam partem, ſi vero inclinet magis in partem alterius, vel è contra, juxta eam proportionem erit dividenda, quia poſſeſſio incepta cum dubia fide ſuffragari ei non poteſt. Ita cum Sanchez, Leſſio, & aliis, Decaſtillus, *ſup. num.* 210.

396 Quinto fit, Eum qui emit, vel dono accepit rem ab eo, qui bona fide cœperat poſſidere, vel ei ſucceſſit titulo hæreditatis, accipit tamen dubitando, an ad illum, à quo accepit pertineat, vel non, interim dum facit diligentiam, bene poſſe eam integram retinere, at ſi facta morali diligentia adhuc dubium maneat, non teneri eam reſtituere, quia poſſeſſio bonæ fidei anteceſſoris ei ſuffragatur. Ita cum Molina, Vaſquio, Sanchez, Decaſtillus, *ſupra num.* 206. Sexto fit, Quod ſi certum ſit aliquem legaſſe, aut debere nummos, aut triticum, dubitatur tamen, an id de majoribus, aut pluribus, nummis, aut menſuris, intelligi debeat, ad minores, & pauciorem eſſe debitorem obligandum, quia de minoribus eſt certitudo, de aliis vero æquale dubium. Ita cum Rebell. Decaſtillus *ſup. num.* 209.

403 sationis plures conditiones requiruntur. Prima ut sit de liquido ad liquidum, hoc est, quod moraliter certum sit, rem esse creditori se compensanti debitam ex justitia, in dubio namque melior est conditio possidentis, & nemo re sua in dubio spoliandus est. An autem si dubium sit probabile, possit dari licita compensatio? Aliqui affirmant, si probabilitas sit quoad jus, & non tantum quoad factum. Ita Joan. Sanch. *d.* 43. *n.* 9. Lugo. *d.* 16. *n.* 106. Sed contrarium existimo dicendum, sive probabilitas versetur circa factum, hoc est, quando dantur rationes probabiles deductæ ex ipsa positione facti, seu conjecturis factum testificantibus, sive versetur circa jus, hoc est, quando rationes deducuntur ex legum, & statutorum interpretationibus, eorúmque interpretibus. Et ratio est quia in pari causa melior est conditio possidentis; par autem moraliter semper est causa utriusque litigantis, donec utriusque causa in jure probabilis perieveret, & alterutra non transit in certam. Ita cum Sanch. Palao, Tamb. *lib.* 1. *Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 14. & 15. & *lib.* 8. *tract.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 1. Dixi quod debitum sit certum ex justitia; nam si res tantum esset debita ex gratitudine, vel debito antidotali, vel ex debito religionis, vel ex voto, vel charitate, non est licita compensatio. Ita cum Fausto, Navarro, & aliis communiter, Trullenc. *sup. n.* 4.

404 Secunda conditio est ut vitetur periculum spirituale, vel temporale debitoris, spirituale quatenus credens se nondum solvisse debitum manet adhuc in mala fide, & peccato; temporale verò, quatenus ob eandem ignorantiam fortasse ipse, vel ejus hæredes solvent iterum illud debitum, cum constet de debito, non verò de solutione; quare ad utrumque vitandum debet creditor, vel condonare debitum, vel uti aliqua æquivocatione; quod si non appareat modus commodè vitandi tale periculum, non tenetur creditor illud cum gravi incommodo, etiam ex charitate vitare, benè tamen si sine gravi incommodo potest, nam tunc charitas obligat ad vitandum malum spirituale proximi; numquam tamen obligat justitia ad vitanda hæc pericula, quia hæc sequuntur per accidens, & præter creditoris intentionem. Ita Lugo. *de justitia, d.* 16. *n.* 87. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 4.

Et idem dicendum est si ex eo quod quis sibi occultè compenset imponatur talis res tanquam furto ablata alteri tertio; nam tunc si facile quis posset vitare hoc inconveniens, ad id tenetur ex charitate, non tamen ex justitia, quod si sine gravi incommodo illud vitare non possit, nec ex charitate ad id tenetur, dummodo ex compensatione rei parvæ, furtum multarum rerum proximo non imponatur, vel gravi infamia notetur, charitas enim obligat, ne quis ob parvam suam commoditatem gravissimum proximo damnum inferat. Ita Molina *tom.* 3. *d.* 690. §. 3. Lugo. *sup. n.* 88. Tamb. *sup. n.* 5. Et idem dicédum est si debitor vivus ob alicujus occultam compensationem fiat impotens ad satisfaciendum aliis creditoribus anterioribus, & magis privilegiatis, quia id damnum anteriorum per accidens sequitur ad compensationem alterius creditoris, & res quam ille accipit, non est creditoris anterioris, sed debitoris. Ita Lugo. *sup. num.* 111. Tamburin. *sup. num.* 6.

405 Tertia conditio est; ut res quæ in compensationem accipitur non sit furtiva, vel data in depositum, pignus vel commodatum; nam tunc creditor non acciperet rem debitoris, sed rem alienam. Ita Trullenc. *sup. n.* 5. Lugo. *sup. n.* 50. Potest tamen creditor facere compensationem in re debitoris data sibi in depositum. Ita cum Lessio, Tannero, Diana, *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 48. Lugo. *sup. num* 89. Et hoc etsi res deposita sit diversæ speciei à debito, ut si debitum sit pecuniarium, & depositum sit vas argenteum. Excipe nisi sequatur grave damnum debitori, nam tunc si creditor habet alium modum sibi compensandi commodè, peccat talem rem sibi accipiendo, & ad damni restitutionem tenetur. Secus si alium non haberet modum sibi commode compensandi; nam tunc tale damnum per accidens sequitur debitori, qui sibi tale damnum imputet, debita tolvere non laborat. Ita cum Molina, Rebello, Petro Navar. Dian. *p.* 2. *tr.* 16. *res.* 48. & cum Vasquio, Tamburin. *sup.* §. 2. *num.* 1.

Quarta conditio est ut creditor non possit debitum 406
aliter recuperare, sive illud petendo, sive coram judice. Sed hæc conditio solum notat ordinem, quo creditor debet præcedere, si commodè potest, & non obligat sub mortali, & in praxi vix habet locum; nam semper est difficile creditori recuperare sum per authoritatem publicam. Ita cum Molin. & aliis, Diana. *p.* 2. *tr.* 16. *res.* 46. Tambur. *sup. n.* 3. Idem dicendū est de quinta conditione, quod debitum sit ejusdem speciei, hoc enim solum habet locum, ut suprà diximus, quando id commodè fieri potest, vel inde sequitur grave damnum debitori; Quod si commodè fieri non possit compensatio in re ejusdem speciei, & subest causa faciendi compensationem, fieri potest in quacumque re, etsi sequatur tale damnum debitoris; hoc enim est per accidens, & solum est obligatio illud vitandi, quando sine gravi incommodo creditoris fieri potest. Ita cum Diana, Vasquio, & aliis Tamburinus, *sup.* §. 2. *n.* 1.

Quinta conditio est, ut id pro quo fit compensa- 407
tio actu debeatur, pro debito enim futuro non potest anticipate fieri compensatio, nisi sit periculum moraliter certum, quod debitor suo tempore non sit soluturus, & tunc tenetur creditor faciens compensationem restituere lucrum cessans, & damnum emergens, quod ex anticipata solutione pro eo tempore venit debitori, quia secus subiret debitor pœnam antequam peccatum moræ committeret. Ita Diana, *p.* 1. *tr.* 16. *res.* 46. Tamb. *sup.* §. 1. *n.* 2. Lugo *sup. n.* 93. Tandé ultima conditio est, ut absit periculū infamiæ, & scandali, ne scilicet creditor sibi compensans tanquam fur puniatur, vel habeatur. Ita Trull. *sup. n.* 7.

Hinc fit eum, qui prædictis conditionibus usus 408
est compensatione, non ligari censura lata contra usurpantes, vel furantes, etiam si sententia dicat, non obstante quod in compensationem acceperit; nam sic se compensans, non peccavit prædictam rem accipiendo, & si peccavit accipiendo ob defectum alicujus conditionis, quam non observavit, non peccat tamen rem retinendo, & excommunicatio non potest ferri pro peccato præterito, sed debet ferri pro peccato futuro, & illa clausula etiam si per compensationem acceperit, continet errorem intolerabilem. Ita cum Sairo, & aliis communiter, Trullenc. *suprà n.* 13. Lugo *sup. n.* 107. & 108. Unde sic se compensans vocatus coram judice potest jurare se nihil accepisse, intelligendo, quod sibi non deberetur. Ita cum communi sententia Tamb. *sup.* §. 1. *n.* 1.

Secundò fit posse creditorem existentibus prædi- 409
ctis conditionibus ad compensationem requisitis accipere, & retinere rem, vel pecuniā debitoris, quam ipse alteri dono mittit, dummodo res illa nondum sit à donatario acceptata, dum enim donatio non est acceptata manet sub dominio donatoris, & damnum quod inde provenit donatario per accidens est. Ita cum Vasquio, Lugo, *sup. n.* 100. Sed quid si Petrus mittat pecuniam illam Paulo in solutionem debiti, quod Paulo debet? Respondeo adhuc posse creditorem in illa pecunia facere compensationem, dummodo si commodè possit, servet Paulum indemnem, ad hoc enim ille habet jus; Quod si commodè non

poteſt ſervare illum indemnem, id per accidens ſequitur. Ita Lugo, *ſup. n.* 111. Et propter eandem rationem poteſt quis facere compẽſationem in re apud alium depoſita, dummodo depoſitarius ſi commode fieri poſſit ſervetur indemnis, quod ſi id fieri commode non poſſit, ejus incommodum ſequitur per accidens, ut ſupra diximus. Tamb. *ſup.* §. 4 *num.* 3.

410 Tertio fit fidejuſſorem ſolvere compulſum pro eo, cujus fidejuſſor extitit, poſſe compenſari, ſi creditor debebat aliquod, vel ipſi fidejuſſori, vel ei cujus eſt fidejuſſor, & pro quo ſolvere cogitur. Ratio eſt quia in his circunſtantiis injuſte creditor fidejuſſorem cogit, cum tantundem debeat, vel principali debitori, vel fidejuſſori. Ita Lugo *ſup. n.* 19. Et idem facere poteſt fidejuſſor reſpectu illius, quem fidejuſſit, ſi à judice impulſus pro eo ſolvit, non enim intendit gratis pro eo ſolvere. Tamb. *ſup.* §. 6. *n.* 2. Non poteſt tamen quis compenſari in bonis ſui debitoris, nam cum debitor ſui debitoris nihil ipſi compenſanti occultè debeat, jam furriperet alienum; Lugo *ſup. n.* 121. Tamb. *ſup.* §. 4 *n.* 2.

411 Quartò, fit poſſe quempiam compenſari in bonis ſui debitoris defuncti, quæ apud ſe, ſive alibi inveniuntur. Ita cũ Leſſ. Tamb. *ſup.* §. 7. *n.* 1. Sed quid ſi inde proveniat præjudicium aliis creditoribus anterioribus, & magis privilegiatis? Reſpõdeo adhuc poſſe cõpenſari in rebus defuncti, ſive ejuſdẽ, ſive alterius ſpeciei, quas apud ſe habet, non ſolum ſi apud ſe ſint per modum pignoris, ut tenet cum Lugo, Tamb. *ſup.* §. 7. *n.* 4. ſed etiamſi ſint per modum commodati, vel depoſiti, difficile enim eſt, quod quis è manu labi ſinat, quod ſibi debetur, ut aliis conſulat: unde res illa poteſt dici pignus virtute ſui debiti: ita & benè Tamburin. *ſup. n.* 5. contra Legum *diſp.* 16. *n.* 127.

412 An autem non ſolum per occultam compenſationem, ſed etiam per vim poſſit quis rem ſuam, vel debitum à debitore ſuo, vel injuſto poſſeſſore recuperare? Reſpondeo quod ſi res ſua extet apud alium in eadem ſpecie, v. g. equus, veſtis, &c. & non poſſit aliter recuperare, quia Reſpublica eſt tyrannice oppreſſa, nemo jus ſuum obtinere per judicem valet, tunc poſſe creditorem adire domum rem poſſidentis, & eam per vim eripere, etiam cum armis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, habet enim jus ad ſuum recuperandum: unde hoc non eſt aggreſſio, ſed juſta defenſio. Secus dicendum eſt ſi reſpublica pacifica ſit, nam tunc debet hoc fieri miniſterio judicis; vel quando res non extat in eadem ſpecie; nam tunc ipſe non retinet rem creditoris, ſed creditor invadit rem debitoris. Unde debitor poteſt ſibi licitè contra aggredientem defendere. Ita cum Sayro, Clavi Regia, Leſſio, Trullenc. *lib.* 7. *c.* 5. *dub.* 5. *num.* 16.

SECTIO VIII.

An neceſſitas accipientis rem alienam excuſet eum à furto.

SUMMARIUM.

413 *Neceſſitas alia eſt extrema, alia gravis, alia communis, & qua utraque ſit?*

414 *Quilibet in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate poteſt licitè accipere rem alienam.*

415 *Quid ſi dominus ſit in eadem extrema neceſſitate?*

416 *Quilibet in gravi neceſſitate poteſt licitè accipere rem alienam ad ſibi ſuccurrendum.*

417 *Quilibet poteſt furripere alienum ut extremè, vel graviter indigenti ſuccurrat, ſi ex ſuo ei non poteſt ſuccurrere.*

418 *Qui in extrema, vel gravi neceſſitate rem alienam accepit, ſine ſpe morali poſtea habendi bona, non tenetur eam accipere animo reſtituendi, ſi ad meliorem fragem deveniat.*

419 *Qui tempore quo non erat in extrema neceſſitate non furatus eſt ſi incidat in neceſſitatem extremam poteſt rem ſic furtivã licite conſumere.*

420 *Idem dicendum eſt, ſi rem alienam haberet in pignus, depoſitum, &c.*

421 *An dives non ſuccurrens pauperem graviter, vel extreme indigentem peccet contra juſtitiam, & teneatur reſtituere?*

PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono neceſſitatem, aliam eſſe extremam, aliam gravem, aliam communem: neceſſitas extrema, vel quaſi extrema eſt cum datur periculum perdendæ vitæ ob defectum cibi, vel potus, vel veſtitus, vel graviſſimæ infirmitatis, vel miſeriæ, quæ moraliter loquendo homines conficere ſolet, nec alius ſit, qui adjuvare poſſit, vel velit. Gravis eſt periculum cadendi ab ſtatu, ut ſi non habeat mulier honeſtæ famæ veſtimentum decens, vel vir non habeat pallium, vel dotem, qua poſſit filios ſuos ſecundum decentem ſtatum collocare. Communis autem eſt quam patiuntur hoſtiatim petentes. Ita Sayrus *in Clavi regia lib.* 9. *cap.* 14. *d.* 7. *à n.* 17. His ſuppoſitis, relicta neceſſitate communi, de qua non eſt ſermo in præſenti. 413

Dico 1. Quilibet in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate conſtitutus, poteſt licite accipere rem alienam, qua extreme indiget ad vitæ conſervationem. Ita communiter DD. quos refert, & ſequitur Lugo, *diſp.* 16. *de juſtitia*, *n.* 138. Ratio eſt quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, hoc eſt, non ſtatim ac quis eſt in extrema neceſſitate fit dominus rei, qua indiget, aliàs cum multi in mundo ſint indigentes, omnes eſſent domini, ſed eo ipſo quod eſt in extrema neceſſitate, habet jus utendi re ſibi neceſſaria, & eo ipſo quòd eam accipit, per ipſam acceptionem acquirit illius dominium, ergo licitè poteſt furripere alienum, nec ab aliquo abſque injuſtitia poteſt impediri, ne talem rem accipiat, & illa utatur, cum alias jure gentium habeat jus in tali neceſſitate illam accipiendi. Unde ſi à domino rei impediatur, poteſt armis ſe defendere, etiam illum occidendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. 414

Excipe niſi dominus rei ſit in eadem extrema neceſſitate; nam tunc melior eſt conditio poſſidentis. Ita cum Leſſio, & aliis communiter, Trull. *lib.* 7. *c.* 5. *dub.* 6. *n.* 2. Excipe 2. niſi ſit aliquis, qui probabiliter indigentem ſublevet, vel ipſe exercendo artem ſuam ſibi ſuccurrere poſſit; nam tunc non cenſetur in extrema neceſſitate, ac per conſequens, ſi alienum accipiat fur erit, & tenebitur reſtituere. An autem extreme indigens poſſit rem furripere à graviter illa ſimiliter indigente? Reſpondeo affirmative, etiamſi alter illa indigeat ad conſervationem ſui ſtatus. Ratio eſt quia conſervatio vitæ extremæ indigentis præferenda eſt conſervationi ſtatus graviter indigentis, quod ſi alia mala inde graviter indigenti eveniant, id per accidens eſt. Ita Sanch. *in conſ. lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 5. *n.* 28. Coninch. *de charitate. d.* 27. *n.* 134. contra Tambur. *lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 1. 415

Dico 2. Quilibet in gravi neceſſitate conſtitutus poteſt licitè accipere rem alienam ad ſibi ſuccurrendum. Ratio eſt quia ex gravi neceſſitate facilis eſt lapſus ad extremam. Ergo quod in extrema conceſſum eſt, extendendum eſt ad gravem. Tum quia in diviſione rerum jure gentium introducta ſemper debuit hæc conditio tacite ſubintelligi, niſi extrema, vel gravis neceſſitas aliud poſtulet, alias contra rationem, & æquitatem facta eſſet talis diviſio. Ita cum Angelo, Sylveſtro, Navarro, Leſſio, Diana, *p.* 1. *tr.* 3. *reſ.* 29. Trull. *lib.* 7. *c.* 5. *dub.* 6. *n.* 6. & cum Vaſq. Tamburinus *ſup. n.* 2. contra Sayrum, Bonacinam, 416

&

& alios, excipe niſi dominus rei ſit in eadem neceſſitate gravi: nam tunc melior eſt conditio poſſidentis. Tamburinus, *ſuprà num.* 3.

417 Dico tertiò: ſicuti poteſt indigens, ſive extreme, ſive graviter in prædictis caſibus pro ſe furripere, ita alius qui non habet unde illi ſubveniat poteſt eodem modo furripere ad eum ſublevandum. Ratio eſt quia tunc is furripit nomine indigentis, & ut ejus inſtrumentum. Ita Tamburin. *ſuprà num.* 3. Leſſius, *lib.* 2. *c.* 16. *dub.* 1. *n.* 15. an autem ſi is habeat unde poſſit de ſuo indigenti graviter vel extremè ſuccurrere, teneatur de ſuo potius, quam de alieno ſuccurrere, non eſt vulgaris difficultas, ſed quia nimis prolixa eſt, & expoſcit diſtinctiones, vide eam apud Lugum, *de juſtitia d.* 16. *à num.* 172. Bonacina, *q.* 2. *de reſtitutione in particulari quæſt.* 8. *p.* 3. *num.* 8.

418 Dico quartò: accipiens rem alienam in extrema, vel gravi neceſſitate conſtitutus, ſine ſpe morali bona, & facultates poſtea habendi, non tenetur eam furripere animo reſtituendi, ſi forte poſtea ad pinguiorem fortunam perveniat, ſed ſtatim ac eam accipit fit illius dominus, nec poſtea ad meliorem fortunam evectus tenetur reſtituere. Ratio eſt quia in extrema, vel gravi neceſſitate omnia jure gentium ſunt communia: ergo ſi extremè, vel graviter rem alienam accepit, ſuam fecit, & acquiſivit illius dominium: ergo non tenetur eam poſtea reſtituere. Ita Palaus, *tomo* 1. *tract.* 6. *d.* 2. *p.* 4. *n.* 5. Decaſtillus, *lib.* 2. *de juſtitia d.* 9. *num.* 224. & cum Valentia, Coninchio, Suario, Tamburinus, *ſuprà* §. 2. *num.* 2. contra Navarrum, Toletum, Covar. & alios apud Sanc. *lib.* 1. *conſiliorum cap.* 5. *d.* 5. *num.* 12. Dixi ſine ſpe morali bona, & facultates poſtea habendi: nam ſi detur talis ſpes, ut quia expectat hæreditatem certo ei venturam, &c. non eſt cur indigens poſſit furari, & dominus debeat abſolute dare Tamburinus, *ſuprà num.* 2.

419 Sed quid ſi quis tempore quo non erat in extrema, vel gravi neceſſitate rem furatus eſt, & poſtea in eam incidit, poteritne talem rem conſumere ſine animo reſtituendi? Reſpondeo affirmative, quia ſicut poterit eam de novo furari, ita & eam conſumere. Ita cum Petro, Navarro, Palaus, *tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 2. *p.* 10. *num.* 3. Tamburin. *ſuprà* §. 2. *n.* 3. contra

420 Vaſquium, Sylveſtrum, & alios. Eadem dicendum eſt ſi apud ſe haberet rem alienam in pignus, vel depoſitum, & in extrema, vel gravi neceſſitate eam conſumeret; ſecus ſi rem alienam haberet in mutuum, vel per alium contractum transferentem dominium: nam tunc conſumeret rem ſuam, & ſemper illi remaneret obligatio reſtituendi ex vi contractus, ſi ad meliorem fortunam perveniret. Ita & bene Palaus, *ſuprà num.* 1. Tamburinus, *ſuprà n.* 3.

421 Sed quæres an dives non ſuccurrens pauperem graviter, vel extreme indigentem, peccet contra juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem? Reſpondeo negativè. Ratio eſt quia dives ſolum tenetur ex charitate & miſericordia ſublevare gravitet, vel extreme indigentem: nam cum res ſit ſua antequam ab indigente graviter, vel extreme furripiatur, non apparet unde ad id ex juſtitia teneatur: ergo ſi non ſublevet, peccabit contra charitatem, vel miſericordiam, & non contra juſtitiam: ergo non tenebitur ad reſtitutionem. Ita Palaus, *ſuprà p.* 3. *num.* 2. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 12. Tamburinus, *ſuprà n.* 6. Peccabit tamen dives contra juſtitiam, ſi indigentem graviter, vel extreme impediat, ne furripiat, vel ſi rem occupatam jam ab eo iterum furripiat. Ratio eſt quia taliter indigens habet jus juſtitiæ ſibi furripiendi illud, quo indiget, ita ut quod eo ipſo quod illud accipit, non tamen antea, fiat verus illius dominus: ergo ſi à divite impediatur, ne ſuo jure utatur, vel ab eo jam poſſeſſum auferatur, proculdubio erit peccatum contra juſtitiam, ac per conſequens erit obligatio reſtituendi, non ſolum ſic ablatum, vel impeditum, ſed omnia damna inde ſecuta. Ita & bene Tamburinus, *ſuprà num.* 9.

DISPUTATIO X.

De obligatione reſtituendi, quæ oritur ex contractu, ubi de contractibus in genere.

CUM *ſuprà diſp.* 7. *ſect.* 5. hujus tractatus dixerim, qualis culpa requiratur ad reſtitutionem ex contractu in genere, reſtat videndum, quæ obligatio reſtitutionis oriatur ex quolibet contractu in particulari, ſed ut hæc melius intelligantur, priuſquam ad contractus particulares deveniamus, operæ pretium eſt aliqua diſputare de contractibus in genere, & deinde deſcendemus ad ſingulos in particulari. Sit igitur,

SECTIO I.

Quid ſit contractus, quid & pactum, & quotuplex?

SUMMARIUM.

422 *Ponitur contractus diffinitio.*
423 *Ponitur contractuum diviſio.*
424 *Contractus alius dicitur ſtricti juris, alius bonæ fidei, & quid uterque ſit?*
425 *Contractus alius dicitur pactum nudum, alius veſtitutum, & quid utrumque ſit?*
426 *Contractus alius eſt oneroſus, alius lucrativus, & gratioſus, & quid uterque ſit?*

DIco primò: contractus ſtrictè acceptus, eſt actus externus inter duos, vel plures celebratus, pariens ex illorum conſenſu obligationem: latè vero ſumptus, eſt conventio duorum, vel plurium, in alterutro ſaltem obligationem pariens. In hac diffinitione comprehenditur pactum, donatio, & promiſſio, quæ appellantur minus ſtrictè contractus, quia pariunt obligationem tantum ex parte unius; actus vero continens pactum explicitum ex una parte, & implicitum ex alia, ut eſt conventio inter tutorem, & pupillum, inter curatorem, & minorem, inter geſtorem utilem negotij alicujus, & eum abſentem, inter fungentes publica adminiſtratione, & communitatem, curantur quaſi contractus. Ita cum Fagundez, Oñate, Leſſio, Rebello, & aliis Tamburinus, *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 6. §. 1. *num.* 1. & 2. 422

Dico 2. contractus dividitur primo in divinos, Eccleſiaſticos, & civiles; Divini ſũt vota, quibus cum Deo contrahimus: Eccleſiaſtici ſunt ſolemnis profeſſio Chriſtianiſmi in Baptiſmo, ſolemnis profeſſio religioſa in religione approbata: Civiles ſunt, quibus homo contrahit cum homine. Hi autem civiles contractus, de quibus ſolum eſt ſermo in præſenti, alij dicuntur nominati, qui ſcilicet propria habent nomina jure gentium, ut emptio, locatio, pignus, depoſitum, commodatum, &c. alij dicuntur innominati, qui proprio nomine carent, & ſolum habent nomen genericũ conventionis, & ſunt quatuor, *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias*; ad innominatos autem reducũtur illi, de quibus dubitatur an pertineant ad nominatos, licet autem in contractu 423

innominato, si neuter ex contrahentibus illum cœperit implere, non detur in jure externo, actio unius contra alium unde posset alter à contractu resilire, tamen in foro conscientiæ, dum alter non recedit, debet uterque stare contractui, nisi circunstantiæ sint notabiliter mutatæ, quia uterque se in conscientia obligavit, atque alter cum onere se obligandi acceptavit, ut suppono.

424 Dico tertiò: contractus alius dicitur bonæ fidei, alius stricti juris: contractus bonæ fidei sunt, in quibus poterit etiam judex in conscientia multa ex æquo, & bono arbitrari, ut sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & similes. Contractus stricti juris sunt, in quibus judex ad verba adstringitur, & judicat in rigore legis, & pactionis, ut in stipulationibus, in contractu feudali, & emphyteutico; dicuntur autem contractus bonæ fidei, quia cum hi contractus sint frequentiores inter cives, non solent contrahentes apponere multas cõditiones, sed se remittunt ad usum, consuetudinem, & leges patrias in dictis contractibus intelligi solitas; secundum has igitur, bonus judex judicare debet, quamvis in eo contractu explicitæ illæ conditiones intelligi solitæ non adsint. Alij tamen contractus stricti juris, quia non sunt tam frequentes, & quia contrahentes in his consuevere omnes particulares conditiones apponere, ideo secundum præscripta verba contractus stricte judex in illis judicare debet. Ita cum Oñate, & aliis communiter, Tamburinus, *supra* §. 2. *num.* 3. & 4.

425 Dico quartò: contractus alius dicitur pactum nudum, alius vestitum. Pactum nudum dicitur, in quo intervenit conventio partium, & ad nihil aliud est processum. Vestitum, cum est processum ad aliqui; proceditur autem, seu vestitur pactum quinque modis; Primo re ipsa, ut si ex altera parte incipiat adimpleri. Secundò verbis, ut si accedat forma stipulationis, quæ olim fieri consuevit, per conceptam verborum formulam, v. g. spondes dare centum, & alter respondebat, spondeo, Tertiò scriptura. Quartò juramento. Quintò si integrè re ipsa contractus perficiatur, quale esse solet mutuum, commodatum, & pignus, depositum, quæ jam perfecta sunt, cum res ipsa traditur; unde fit regulariter contractus innominatos solvere, esse pacta nuda, ut recte notat Lugo, *disp.* 22. *de justitia num.* 1. Secundò fit promissionem non acceptatam, nec etiam pactum nudum dici, quia pactum debet esse contractus duorum. Tamburinus, *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 6. §. 2. *num.* 6.

426 Dico quintò: contractus alius est onerosus, alius lucrativus, & gratuitus; contractus onerosus est ille, per quem onus imponitur, & aliquid loco ejus, quod datur debet reddi, vel præstari, qualis est emptio, venditio, census, cambium, locatio, conductio, Emphyteusis, & feudum, in quibus onus imponitur uni contrahentium ad rem tradendam, & alteri ad solvendum pretium, ad quos etiam reducuntur contractus fortunæ, ut sunt assecuratiõ, sponsio, sors, & ludus, contractus vero lucrativus est, quo aliquid promittitur, & traditur absque pretio, vel mercede, ut sunt promissio, donatio, depositum, commodatum, precarium, mutuum, & ultra, mons pietatis, testamentum, & codicillum, Præter autem hos contractus dantur etiam alij quasi contractus, ut sunt societas, fidejussio, pignus, hypotheca, mandatum, negotia gesta, tutela, & cura, stipulatio, & acceptilatio, compromissum, arbitrium, transactio, & compositio, de quibus omnibus, *infrà* dicemus.

SECTIO II.

Utrum omnis contractus obliget in foro interno & externo.

SUMMARIUM.

427 *Omnis contractus, si contrahentes sint habiles, parit obligationem naturalem, nisi jure positivo sit irritus.*

428 *In quo hæc obligatio consistat.*

429 *Ex pacto nudo regulariter non oritur actio civilis.*

430 *Ex pacto vestito oritur, & datur actio.*

Dico primò: omnis contractus, etiam pactum nudum libere factum, si contrahentes sint habiles, parit obligationem naturalem, & obligat in foro conscientiæ, nisi jure positivo sit irritus, vel detur irritandi potestas. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 9. *c.* 16. *dub.* 2. *num.* 2. obligatio autem est vinculum, quo contrahentes adstringuntur ad aliquid faciendum, vel non faciendum. Ratio autem est quia ad se obligandum sufficit animus verbis expressus, & acceptatus. Excipiunt tamen aliqui promissionem gratuitam, etiam acceptatam, quæ in illorum sententia nisi accedat juramentum, scriptura, vel stipulatio, ad nihil hodie obligat, dicunt enim ex communi consuetudine per solam promissionem nullum se obligare intendere, vel putare, nisi aliæ major explicatio accedat. Ita cum Saa, Tamburinus, *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 6. §. 2. *num.* 8. Et idem dicendum est de emphyteusi, & aliis similibus, qui si non accedat scriptura, non sunt validi, nec pariunt obligationem, etiam naturalem, quod tamen non accidit in venditione, emptione, matrimonio, sponsalibus, & aliquibus aliis contractibus, in quibus sufficit ut detur consensus exterius legitime utrique explicatus, ut pariant obligationem Tamburinus, *sup. n.* 8. 427 428

Dico secundò: ex pacto nudo regulariter non oritur obligatio civilis, ac proinde ratione pacti nudi non datur actio contra alium. Ex vestito oritur, & datur actio. Ita cum communi sententia Palaus, *de justitia d.* 1. *p.* 3. *num.* 1. dixi regulariter, quia promissioni dotis, promissioni solutionis debiti alterius, & donationi, etiam quando nudi sunt contractus, conceditur ex specialibus juribus actio Molina, *de contractu d.* 255. Lugo, *d.* 22. *n.* 14. excipiuntur etiam contractus innominati mercatorum, ex his enim obligatio, & actio nascitur, ac si nominati contractus essent, ob exuberantem eorum fidem, & fidelitatem. Ita cum Tiraquello, Rebello, Palaus, *supra num.* 1. 429 430

SECTIO III.

Utrum consensus internus necessarius omnino sit ad valorem contractus.

SUMMARIUM.

431 *Ad validitatem contractus requiritur consensus liber contrahentium.*

432 *Quid si sit animus se obligandi, non tamen implendi promissum?*

433 *Impossibile est quod detur intentio efficax promittendi, & non se obligandi.*

Dico

431 DIco primò: ad validitatem contractus requiritur conſenſus liber contrahentium externo ſigno declaratus; quia homo, homini obligari non poteſt per ſolum actum internum, qui natura ſua la-
432 tet. Hinc fit, quod ſi ſit animus ſe obligandi, non tamen implendi promiſſum, contractum validum eſſe, quia cum animo non obſervandi, ſtat voluntas efficax ſe obligandi; impoſſibile tamen eſt quod detur
433 voluntas efficax promittendi, & non ſe obligandi, cum obligatio, vel ſit de eſſentia contractus, vel effectus neceſſarius illius; unde vel promiſſio fuit ficta, vel ſi fuit vera promiſſio, fuit cum animo ſe obligandi, ut latius dixi in prima parte hujus directorij Confeſſariorum, *in tractatu de matrimonio d. 1. ſect. 7.* Decaſtillus, *de matrimonio d ſp. 1. dub. 4. n. 61. & 62.* Amico, *tom. 9. ſect. 2. num. 31. & diſp. 4. ſect. 6. num. 61.* quando autem dolus, vel error, vitiet contractum? Vide quæ dixi in hoc eodem, *tomo diſp. 2. de juramento ſect. 4.* ubi hanc materiam latè tractavi, & quæ dixi, *in tract. de voto, diſp. 1. ſect. 5.* quando autem metus vitiet contractum? vide quæ dixi *in hoc eodem tomo tractatu de juramento diſp. 2. ſect. 5. & in tractatu de voto d. 1. ſect. 4.* ne eadem repetamus, quomodo autem contractus de ſe minus validi juramento oppoſito confirmentur? Vide quæ dixi, *in tractatu de juramento diſp. 2. ſect. 2. & 3.*

SECTIO IV.

Qui poſſint contractus legitimè celebrare?

SUMMARIUM.

434 *Omnes qui habent adminiſtrationem ſuarum rerum poſſunt contrahere.*
435 *An & quomodo poſſit minor, & pupillus contrahere?*
436 *Filiusfamilias an & quomodo poſſit contrahere?*
437 *Servi quomodo poſſint contrahere?*
438 *Monaſterium quomodo teneatur ex contractibus initis à Religioſis?*

434 DIco primò: omnes qui habent adminiſtrationem ſuarum rerum, poſſunt contrahere, quatenus illa adminiſtratio ſe extendit. Qui verò carent adminiſtratione, non poſſunt, niſi ex conſenſu eorum, quibus ſubſint. Ita Sanchez, *de matr. l. 6. d. 38. num. 9.* Filliucius, *tract. 33. num. 38.* & alij communiter. Hinc fit amentes, furioſos, infantes, qui nondum rationis uſum adepti ſunt, valide contrahere non poſſe, cum ad contractum requiratur conſenſus liber, & rationis uſus, quibus privantur tales perſonæ. Deinde prodigus, cui à jure prohibita eſt ſuorum bonorum adminiſtratio. Ita cum communi ſententia Palaus, *d. 1. de juſtitia p. 4. §. 1. & 2.*

435 Dico ſecundò: minor, & pupillus pubertati proximus, poſſunt civiliter ſine authoritate curatoris, vel tutoris valide contrahere in ſuum commodum, hoc eſt, poſſunt contrahendo alios ſibi obligare, quamvis non poſſint aliis obligari ſine authoritate eorum, quibus ſubſunt, *inſtit. de aut. tutor. l. ſi curatorem C. de in integr. reſtit.* An autem contrahant obligationẽ naturalem? Reſpondeo in alienatione rei immobilis, vel mobilis pretioſæ, quæ ſervando ſervari poteſt, non contrahere obligationem in utroque foro niſi hæc alienatio facta ſit de licentia judicis, & ex juſta cauſa, qualis cenſetur ſolutio debitorum, neceſſitas ſui alendi &c. hoc autem decretum ſeu licentia judicis debet per tabellionem actis inſeri, in aliis verò probabilius eſt obligari naturaliter, non tamen civiliter. Ita cum multis Lugo, *d. 22. n. 288.* poſſunt tamen hanc obligationem beneficio reſtitutionis in integrum illidere, & ita non obligantur efficaciter; unde qui à pupillo, vel minore habet aliquid per contractum, ad cujus alienationem non requiritur judicis decretum, non tenetur ad reſtitutionem ante ſententiam judicis, quia iſti obligatione naturali, tenentur ſtare contractui. Probabile etiam ex nullo contractu pupilli, vel minoris, obligationem naſci, niſi acceſſerit minoris juramentum. Ita Rebello, Azor, Leſſius, Sanchez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana, *p. 3 tract. 5. reſol. 44.*

Dico tertiò: filij familias, modo puberes ſint, vel 436
pubertati proximi, poſſunt contrahere de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; quia in his habent liberam adminiſtrationem. Ita cum aliis Trullenc. *lib. 7 cap. 16. dub. 6. num. 7.* de bonis adventitiis non poſſunt, ſine conſenſu Patris; quia hic habet in illis uſumfructum, & adminiſtrationem. Et idem dicendum eſt de bonis profectitiis, ſi tamen contrahant de bonis profectitiis, & adventitiis, & puberes ſint, obligantur ex contractibus, quia datur adverſus illos actio de jure communi, ut bene cum communi ſententia Trullenc. *ſuprà num. 7.*

Dico quartò: ſervi contrahendo obligantur qui- 437
dem naturaliter, & in conſcientia ad ſervandum contractum, civiliter tamen non obligantur. Unde neque illis, neque adverſus illos, datur actio in foro ſæculari, etiam poſtquam pervenerint ad libertatem. Excipitur tamen in jure promiſſio, ſeu pactum certæ pecuniæ pro libertate. *l. promiſſa Cod. an ſervus pro ſuo propr.* vide Filliucium, *tra. 5. c. 3. q. 5.* & quæ *ſup.* diximus de dominio.

Dico quintò: Monaſterium non tenetur ex con- 438
tractibus initis à Religioſis abſque licentia ſuorum ſuperiorum, niſi quatenus locupletius factum eſt. Ita habetur *l. f. ſi cum impuberes. ff. de peculio.* At obligatur Monaſterium ex contractu inito à ſuo prælato, quatenus non excedit ſuæ adminiſtrationis limites. Si tamen prælatus mutuò accepit pecuniam in uſus proprios vanos, in quibus bona Monaſterij expendenda non erant, non tenebitur Monaſterium, quia tunc excedit ſuæ adminiſtrationis limites. Similiter tenebitur Monaſterium de contractu Monachi, ratione alicujus adminiſtrationis, etiam tacite illi commiſſæ, quatenus illius limites non excedit; attamen contractus à Religioſo ſine licentia ſuperioris initi, non ſunt omnino irriti, ſed veniunt irritandi, vel rati habendi à Monaſterio, prout illi magis commodum eſt, & utile, interim tamen dum ſuperior non irritat, obligatur Religioſus dare operam, quantum in ſe eſt, ut Prælatus eos approbet. Si tamen Religioſus cum Superioris legitima licentia contraxerit, obligabitur naturaliter, & civiliter, nec poterit contractus ab eodem Prælato, vel ſucceſſore, vel ab alio majori irritari, quia prælatus ſucceſſor tenetur ex contractu prædeceſſoris, ut patet ex *cap. litteris de reſcriptis.* Rodriguez *tom. 1. q. 49. art. 7. & tom. 3. q. 26. art. 1.* Sanchez *lib. 7. moralium c. 31.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 11.* & alij communiter.

SECTIO V.

Quando, & qualis reſtitutio in integrum competat poſt validum contractum?

SUMMARIUM.

439 *Quid ſit reſtitutio in integrum, explicatur?*
440 *Quibus concedatur hoc privilegium explicatur?*
441 *Hoc beneficium conceditur minoribus primo, ſi res vendiderint minoris juſto pretio.*

442 *Minores dupliciter poſſunt petere reſtitutionem, & quomodo.*

443 *Minores uti poſſunt hoc privilegio non ſolum in contractibus per ſe ipſos, ſed etiam per tutores, & curatores celebratos.*

444 *Quomodo major contrahendo cum minore poſſit ſibi præcavere ne damnum patiatur?*

445 *Si res minoris alienata eſt poſſidenti non incumbit obligatio rem cum fructibus reſtituendi petito beneficio reſtitutionis, ſed tantum rem.*

446 *Hoc privilegium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Eccleſiæ, & quæ veniant nomine Eccleſiæ.*

439 DIco primò: reſtitutio in integrum eſt beneficium prætorium, quo læſis, ſeu deceptis judex ex æquitate ſubvenit, eos in priſtinum ſtatum reducens, ita ut contractus valide celebrati cum ipſis, reſcindantur, ſi ipſis expediat, vel æquetur pretium, ſi in pretio læſi ſunt, modo læſio notabilis ſit: nam levis pro nihilo reputatur, ſive in damno emergente, ſive in lucro ceſſante. Dixi quando contractus validi cum ipſis reſcinduntur: nam ſi ſunt omnino irriti, tunc communi jure muniti ſunt. Ita cum multis Palaus, *diſp. 1. p. 19 §. 2. num. 4. & 5.* Bonacina, *d. 3. de contractibus quæſt. 1. p. ultim. n. 1.*

440 Dico ſecundò: hoc privilegium conceditur, primo minoribus, id eſt, qui nondum vigeſimum quintum annum compleverunt, etiamſi contraxerint authoritate tutoris, & judicis. Ita cum multis Lugo, *d. 22. numero 310.* gaudent autem minores hoc privilegio uſque ad 25. annum computandum à puncto nativitatis, à qua computatione dies Biſſextiles non ſunt deducendi, cum uterque dies pro uno reputentur, eſt enim ſecundus dies complementum defectus circuli ſolis per zodiacum in quatuor præcedentibus annis contingentis, ut cum Molina, tradit Palaus, *d. 1. de juſtitia p. 19. §. 1. num. 1.* Extenditur autem hoc privilegium à vigeſimo quinto anno, uſque ad vigeſimum nonum, ſi poſt 25. contractum non ratificaverunt, unde ſi poſt 25. contractum ratificaverũt, jam non debet reſtitui in integrũ, nec ſi minor jam pubes factus, contractus alias omnino irritus, juramento confirmavit: nam contractus minoris juramento firmantur, & fiunt inſtar majoris, *authentica ſacramenta puberum. Cod. ſi adverſus venditionem*, at ſi fraude, vel metu inductus fuit ad contrahendum, obtenta juramenti diſpenſatione, poterit uti beneficio reſtitutionis. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 17. dub. 9. à num. 63. & 65.* Villalobos, *tom. 2. tract. 19. difficul. 11. num. 4.*

441 Dico tertiò: hoc beneficium conceditur minoribus, primo ſi rem vendiderint minoris juſto pretio, & tunc poterit agere ad pretium juſtum, etſi oportuerit rem non vendi, poterit agere ad eam recuperandam. Secundò ſi ex mutuo accepto læſus eſſet, ut quia amiſit, vel male conſumpſit, & tunc ſolum tenebitur ſolvere, in quo factus eſt ditior. Tertiò ſi læſus eſſet, eo quod debitor rei ſolvit ſine authoritate tutoris, tunc enim debitor non maneret liber in foro externo, niſi pecunia ſit ſalva, vel converſa in utilitatem minoris. Quartò ſi ex donatione læſus eſt. Quintò ſi læſus eſt ex quaſi contractu, ut quia acceptavit hæreditatem, damnum etiam cum conſenſu curatoris. Sextò ſi læſus eſſet ex imprudenti permutatione, vel reſignatione beneficij, ut aliqui probabiliter volunt. Ita cum aliis Leſſius, *ſuprà num. 63.* Bonacina, *ſuprà num. 6. 7. 8. & 9.* Non cenſetur tamen læſus minor, eo quod re ipſius vendita, præſentet ſe alius, qui plus offerat, ſi vendita eſt juſto pretio, quod ſi vendita eſt infra juſtum pretium, vel non debito tempore, vel non debitis circunſtantiis, tunc poteſt petere reſtitutionem, & eam vendere pluris licitanti. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 17. dub. 9. n. 68. & 69.*

Dico quartò: minores dupliciter poſſunt petere 442
reſtitutionem in integrum, primo implorando officium judicis citata parte, ut quando ſolutio facta eſt, vel res ab altero poſſidetur. Secundò excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem, vel rem tradi, in his igitur caſibus opus eſt ſententia judicis, ut ab eis recuperetur res, nec licita eſt occulta compenſatio, poterit tamen minor uti occulta compenſatione, quando clare conſtat de injuſta læſione, ut cum aliis docet Sanchez, *lib. 6. de matrim. d. 38. num. 32.*

Dico quintò: minores uti poſſunt hoc privile- 443
gio, non ſolùm in contractibus per ſe ipſos celebratis, verum etiam in contractibus celebratis per tutorem, & curatorem, *l. 1. Cod. de in integr. reſtit.* habet etiam minor actionem contra tertium poſſeſſorem, vel hæredem lædentis, *l. ſi ex cauſa ff. de minoribus*, & tranſit hoc privilegium ad hæredes minoris, ita ut hæredes minoris poſſint hoc privilegio uti, quia læſio minori facta tranſit ad ipſius hæredes, Bonacina, *ſuprà num. 17.*

Dico ſextò: major contrahendo cum minore, 444
poteſt ſibi conſulere, & præcavere, ne damnum patiatur his modis, primo obtinendo veniam ætatis minoris. Secundò extorquendo juramentum à minore. Tertiò procurando fidejuſſorem, qui ſe obliget ad omnia damna reſarcienda, & ad reſtituendum id, quod minori reſtitueretur, ſi voluerit uti hoc beneficio. Ita Bonacina, *ſuprà num. 20.*

Dico ſeptimò: ſi res minoris alienata eſt, poſſi- 445
denti non incumbit obligatio rem cum fructibus reſtituendi, petito beneficio reſtitutionis, ſed tantum rem: nam cum poſſeſſor ſit illius legitimus dominus, non eſt unde hæc obligatio oriatur; quia fructus domino rei, à quo procedunt, competunt. Quod verum eſt ſi gratuitò donata, vel vendita ſit infra juſtum pretium. Ita cum aliis, Palaus, *d. 1. p. 19. §. 4. n. 4. & 5.* quidquid alij dicant.

Dico octavò: hoc privilegium reſtitutionis in 446
integrum conceditur etiam Eccleſiæ. Nomine autem Eccleſiæ veniunt Hoſpitalia, Monaſteria, & loca pia. Ita communiter D D. Eccleſiaſtici, tamen in ſuis contractibus, etiam in locatione beneficij, quos privato nomine faciunt, non fruuntur hoc privilegio, bene vero ſi lædantur in aliquo ſecundum ſe ſpectante ad jura beneficij Bonacina, *ſuprà num. 22.* conceditur etiam hoc privilegium Reipublicæ cujuſvis oppidi, & ſupremis principibus quoad bona principatus alienata, & univerſitatibus ſtudiorum, & aliquando conceditur rudibus & mulieribus qui ignorant jura. Ita cum aliis communiter Molina, *d. 574. §. militibus.* Et tandem Joannes XXII. conceſſit Congregationi montis oliveti hoc privilegium in quacunque læſione facta in bonis monaſterij etiamſi culpa prælati vel monaſterij procuratoris id acciderit quod notandum eſt: virtute enim illius poterunt religioſi communicantes recuperare multa malè facta & male donata & alia contingentia circa bona & ædificia ſuæ religionis. Ita Rodrig. *tom. 3. quæſtionum Regul. quæſt. 56. art. 2.* Baſæus, *verbo reſtitutio in integrum num. 6.*

SECTIO VI.

Vtrum contractus celebratus, ſine ſolemnitate à jure requiſita ſit validus.

SUMMARIUM.

447 *Solemnitas accidentalis, ſi deſit non reddit contractum nullum.*
448 *Contractus celebratus, ſine ſolemnitate ſubſtantiali jure requiſita eſt nullus, etiam in foro interno.*
449 *Ponitur quoddam corollarium.*
450 *An contractus quoties à jure prohibetur ſit invalidus?*
451 *An pœna opponi poſſit in contractibus non obſervanti illos?*

447 SUppono ſolemnitatem, aliam eſſe accidentalem, quæ non tollit validitatem contractus, aliam ſubſtantialem, cujus omiſſio reddit contractum nullum, qualis ſolemnitas eſt, quando contrahentes redduntur inhabiles ad contrahendum, vel quando irritatur aliter factum, vel quando lex loquitur conditionaliter, vel quando lex præſcribit modum, ut cum communi ſententia probat Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 2. *p.* 9. *num.* 2. his ſuppoſitis,

448 Dico primo contractus celebratus, ſine ſolemnitate ſubſtantiali jure requiſita eſt nullus, non ſolum in foro externo, ſed etiam interno. Ita cum Leſſio, Suario, Palao, & aliis, Trullenc. *lib.* 7. *c.* 16. *dub.* 8. *num.* 3. Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 3. *d.* 1. *dub.* 8. *num.* 124. contra Molinam, Bañez, Azorium, & alios, quos ibi refert Decaſtillus *num.* 125. Ratio eſt quia, ſicut contrahentes poſſunt aliquas conditiones opponere in contractibus, ita ut illis prætermiſſis non inducatur obligatio; ita & jus poſitivum poteſt modum, & formam in contractibus opponere, ad rectam gubernationem, & bonum commune, ergo quæcumque omiſſio prædictæ formæ à jure appoſitæ, etiamſi ſit levis annullat contractum, ut rectè cum Suario, Palao, Riccio, & aliis tenet Trullenc. *ſuprà num.* 3. contra Bonacinam, *d.* 1. *quæſt.* 1. *part.* 7. *num.* 21. Et in dubio an forma ſit ſubſtantialis, vel accidentalis debet præſumi ſubſtantialis, præcipue ſi formam contineat. Trullenc. *ibi.*

449 Hinc ſit invalidam eſſe alienationem, & pupillorum contractus celebratos ſine authoritate tutorum, vel curatorum de re immobili, vel pretioſa, quæ ſervando ſervari poterat. Ita cum communi ſententia Trullenc. *ſuprà num.* 4. Secundo ſit accepta per contractum gratuitum ſine ſolemnitate celebratum reſtituenda eſſe, accepta vero per contractum oneroſum retineri poſſe loco compenſationis. Ita cum Leſſio, Bonacina, & aliis, Trullenc. *ſuprà num.* 5. Tertio ſit teſtamentum ſine ſolemnitate factum invalidum eſſe, etiam in foro conſcientiæ, præter quam in legatis piis. Ita cum Salas, Suario, Palaus, *ſuprà p.* 10. *num.* 5. contra Navarrum, Filliucium, Medinam; & alios, quos *ibi* refert Palaus *num.* 4.

450 An autem contractus ſit invalidus, quoties à jure prohibetur? Reſpondetur negative, niſi lex ultra procedat annullando actum: ita cum Suario, Farinacio, & aliis Palaus *ſuprà p.* 9. *num.* 8. Hinc ſit quod quando ſtatutum mandat fieri aliquid in certo loco, & tempore, etſi loco, & tempore prohibito fiat, non ideo erit actus irritus, quia tunc non intelligitur circunſtantia loci, & temporis, ut forma appoſita, Palaus *ſup. num* 8. Trullenc. *ſupr. num.* 7. An autem contractus celebratus ſub cauſa, vel modo, vel demonſtratione, vel ſub conditione, ſit validus? Vnde quæ dixi *in* 1. *p. hujus Directorij Confeſſariorum tract. de matrimonio, diſp.* 6. *per totum.*

An autem pœna apponi poſſit in contractibus 451
non obſervanti illos? Reſpondeo licitè poſſe apponi, dummodo non fiat in fraudem ad patiendum mutuum, & dummodo debitor tranſgrediatur pactum, & dummodo pœna culpæ ſit proportionata, ut rectè cum aliis notat Lugo. *diſp.* 22. *n.* 397. Hæc tamen pœna non debetur ante judicij ſententiam. Ita cum Adriano, Ledeſma, Victoria, Lopez, Navar. Sanchez, Vaſquio, Palaus, *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 2. *p.* 3. *n.* 4. Diana *p.* 1. *tract. de contractibus reſol.* 29. An autem apponi poſſit pœna in contractu Matrimonij? Vide quæ dixi in prima parte hujus Directorij Confeſſariorum *tract. de Matrimon. diſput.* 1. *ſect.* 11. & 12. ubi quæ hic deſiderare potes, invenies.

DISPUTATIO XI.

De Promiſſione.

CUM jam *ſuprà diſputatione* 10. *hujus tractatus ſect.* 1. *dub.* 5. dixerimus alios eſſe contractus oneroſos, alios lucrativos, & gratioſos, alios quaſi contractus; ſequitur ut de illis in particulari ſuo ordine diſputemus. Priùs igitur agemus de contractibus lucrativis, ſeu gratioſis, & ſtatim de oneroſis, & de contractibus fortunæ; & tandem de quaſi contractibus, diſputabimus. ſit igitur,

SECTIO I.

Quid ſit promiſſio, & in quo differat à propoſito?

SUMMARIUM.

452 *Ponitur promiſſionis diffinitio, & explicatur.*
453 *Promiſſio debet eſſe libera libertate ad peccatum mortale requiſita.*
454 *Debet eſſe ſpontanea, ut excludat metum & coactionem injuſtam.*
455 *Promiſſio de re turpi, & impoſſibili non obligat.*
456 *Quid ſi res promiſſa partim ſit licita, & partim illicita?*
457 *In quo differat promiſſio à propoſito explicatur?*

DIcó primò. Promiſſio eſt datio fidei, libera, 452
vera, & ſpontanea, de re licita, & poſſibili; ita cum cõmuni ſententia Palaus *d.* 2. *de juſtitia, p.* 1. *n.* 1. Vt autem quis alicui det fidem, debet cum illo loqui verbis, vel ſignis, & media locutione promiſſionem manifeſtare. Ea verò manifeſtatio non eſt tantum de voluntate concepta promiſſum exequendi; ſed de obligatione fidei, ſeu fidelitatis pro illius executione concepta, alioquin non eſt promiſſio, ſed propoſitum. Vt benè Palaus *ſup. n.* 1. Lugo. *d.* 22. *n.* 1. Vnde hæc fidei datio, antequã promiſſario innoteſcat, imò & antequã ab ipſo acceptetur non eſt vera promiſſio, ſed pollicitatio, ut cum cõmuni ſententia notat Palaus *ſup. n.* 5. Debet autem promiſſio eſſe libera libertate ad peccatum mortale requiſita, ut diximus de voto, debet eſſe ſpontanea, ut excludatur omnis metus, & coactio injuſta.

Digitized by Google

454 levis, ea enim interveniente nulla eſt promiſſio, ut diximus, de voto, at ſi promiſſum quis donet, valida eſt donatio, ſi animum donandi habuit, tametſi actione doli, & metus cauſa reſcindi poſſit; quia non metus, ſed debitum libertati opponitur. Ita cum communi ſententia Palaus *ſup. n. 3.*

Dixi vera, ut excludatur fictio, qualis reperitur in eo, qui habuit animum promittendi, & non ſe obligandi, ut latius dixi in materia de voto. Dixi de re licita, & poſſibili, quia promiſſio de re turpi, 455 & impoſſibili non obligat, impoſſibile enim eſt aliquem obligari ad peccatum, à quo debet abſtinere, tum quia ad impoſſibile nemo tenetur. Verum ſi res promiſſa partim ſit licita, & poſſibilis, 456 & partim illicita, & impoſſibilis, quoad partem licitam, & poſſibilem, adimplenda eſt. Ita cum 457 communi ſententia Baſæus, *verbo promiſſio, num. 1.* Si tamen quæras, in qua differat promiſſio ab ſtipulatione? Reſpondeo differri in eo, quod ſtipulatio eſt promiſſio, ſub quadam præſcripta verborum forma, nimirum præcedit creditoris interrogatio, & ſubſequitur debitoris reſponſio obligationem acceptans, promiſſio vero non habet illam verborum formam. Palaus *ſup. n. 6.*

SECTIO II.

Vtrum Promiſſio ante acceptationem obliget?

SUMMARIUM.

458 *Promiſſio, & donatio ante acceptationem non obligant, nec naturaliter, nec civiliter.*

459 *An remiſſio debiti, requirat etiam acceptationem debitoris?*

460 *Mera promiſſio interna facta homini non obligat.*

461 *Donatio facta abſenti, dum non acceptatur non obligat.*

462 *Promiſſio, & donatio non poſſunt valide acceptari poſt mortem donatoris & promittentis.*

463 *Idem dicendum eſt ſi ante acceptationem moriatur donatarius.*

464 *Quid ſi donatio directa etiam ſit ad hæredes defuncti?*

465 *Quis poſſit pro abſenti acceptare donationem, & promiſſionem?*

466 *An vox conſenſu illius, qui donationem pro abſenti acceptavit poſſit donator revocare donationem?*

467 *An quando donatio, vel promiſſio facta eſt alicui ſub conditione ut poſt certum tempus Petro, vel Eccleſia reſtituat, poſſit hoc gravamen, ſaltem conſentiente primo donatario, vel promiſſario tolli?*

458 Dico primo: Promiſſio [Et idem dicendum eſt de donatione] ante acceptationem non obligat, nec naturaliter, nec civiliter. Ita cum communi ſententia Lugo, *d. 23. num. 35.* Ratio eſt, quia obligatio non naſcitur, niſi mutuo duorum conſenſu, unde ante acceptationem ſemper revocari poteſt, quod verum eſt, non ſolum ex obligatione ex juſtitia, ſed etiam ex fidelitate. Ita Vaſquius *c. 4. d. 4. num. 43.* Turrianus *d. 64. dub. 3. n. 4.* quidquid dicat Lugo *ſup. n. 41.* Excipiunt tamen DD. aliquas pollicitationes, ut quæ fiũt civitati, vel univerſitati, vel Eccleſiæ, aut hoſpitale, ut videre eſt apud Dianam *tract. 5. reſol. 107. p. 3.* Sed rectius Lugo, *ſuprà* nullam promiſſionem excludit, etiam factam civitati; caſum enim legis, qui hic à Doctoribus affertur, explicat dicendo, ideo validam fuiſſe illam donationem factam civitati, quia jam ab ea acceptata erat; vide illum *ſup. num. 45. & ſequentibus.* Quæ doctrina vera eſt, etſi promiſſio, vel donatio fuerit jurata; juramentum enim cum ſit acceſſorium, ſequitur naturam principalis. Unde promiſſione revocata, tollitur juramentum. Ita cum Molina, Riccio, & aliis, Lugo *ſup. n. 50.*

An autem remiſſio debiti, requirat etiam acceptationem debitoris? Reſpondeo affirmative; unde 459 creditor ante acceptationem poteſt remiſſionem revocare, propter eandem rationem. Ita cum Suario, Lugo, *diſp. 23. num. 54.* An autem poſſit quis ſolvere pro debitore, eo invito, vel ignorante? Reſpondeo poſſe, ipſum tamen debitorem non liberari à debito, niſi poſt acceptationem ſolutionis; Nam poteſt tamen creditor ab eo debitum petere, cum jam ſit ſatisfactum, niſi forte ante illius acceptationem ille, qui pro ipſo ſolvit, collatum à ſe ipſo repetat. Lugo *ſup. num. 56.* An autem ex eo quod promiſſarius audiens promiſſionem eam non reſpuat, ſed taceat, cenſeatur eam acceptare? negant nonnulli apud Palaum *d. 2. p. 3. num. 2.* Verum contraria ſententia probabilior eſt. Ita cum Rebello, Covarruvias, Molina, Menochio, & aliis Palaus, *ſup. num. 3. qui enim tacet conſentire videtur, de reg. juris in 6.* Et idem dicendum eſt, ſi promiſſarius gratam haberet promiſſionem, & gratias referret pro beneficio, ut moris eſt.

Hinc ſit Promiſſionem, vel donationem meræ internam factam homini, non obligare, ſiquidem 460 dum non innoteſcit, acceptari non poteſt. Excipe niſi fiat per modum voti, & ſit de meliori bono, ita cum communi ſententia Baſæus *verbo promiſſio* 461 *num. 5.* Secundo ſit Donationem factam abſenti, dum non acceptatur non obligare, poteſt tamen abſens valide acceptare per epiſtolam, vel nuntium, qui id promittenti, vel donanti inſinuet. Requiritur tamen ad id, quod hic abſens coram nuntio acceptet, nec ſufficit eum acceptare coram aliis. Requititur etiam quod non revocetur donatio ante acceptationem, ſi enim revocetur antequam nuntius acceptationem intimet promittenti, nil promiſſio Lugo *d. 23. num. 41.* Et idem dicendum eſt, ſi acceptans revocet acceptationem, antequam nuntius intimet acceptationem, quia extinctum jam eſt mandatum. Ita cum communi ſententia Baſæus *ſup. num. 12.*

An autem promiſſio, & donatio acceptari valide 462 poſſit, poſt mortem donatoris, vel promittentis? Reſpondeo negative. Ita cum Lopez, Azevedo, Layman, & aliis Palaus *d. 2. p. 5. num. 11.* contra Molinam, Leſſium, Sanchez, & alios, quos refert, & ſequitur Baſæus *verbo promiſſio num. 12.* Ratio eſt quia ea donatio morte donantis perijt, cum ceſſet ejus voluntas, quæ cum voluntate donatarij conjungi debebat, ad hoc ut poſſet dari acceptatio. Et idem dicendum eſt ſi facta donatione ante acceptationem moriatur donatarius, ejùs nam- 463 que hæredes non poſſunt illam acceptare, cum ſolum ſuccedant, niſi in juribus defuncti competentibus, defunctus autem non habebat jus in rem donatam, niſi poſt acceptationem. Ita cum Leſſio, Rebello, & aliis Palaus *ſup. num. 8.* contra Molinam, Sanch. & alios, quos ibi refert *num. 7.*

Excipe niſi donatio directa etiam ſit ad hæredes 464 defuncti, nam tunc acceptare poſſunt, non quatenus

Digitized by Google

nus ſunt hæredes defuncti, ſed quatenus ipſis etiam facta eſt, quod ex circumſtantiis colligi debet. Palaus *ſupr. num.* 9. Excipe ſecundò: Si donatio facta ſit loco pio, nam hæc poſt mortem donantis acceptari poteſt ab adminiſtratore illius. Ita cum Molina, Leſſio, & aliis, Palaus, *ſupr. num.* 14. Adverte etiam quod ſi nuntius uſurpet rem donatam, vel malitioſe detineat, ob cujus cauſam donatarius rem non acceptavit, ante mortem donantis, nuntium teneri reſtituere donatario, vel ejus hæredibus, quanti ea donatio æſtimatur, quia per injuſtitiam contra ſui muneris obligationem, damnum intulit. Ita cum Leſſio, Molina, Sanchez, Palaus, *ſupr. num.* 15. non tamen tenetur reſtituere etiam hæredibus donantis, ut plures volunt, ſaltem poſt ſententiam judicis. Ita cum Diana, Baſæus, *ſupr. num.* 12. Palaus *ſupr. num.* 15

465 Si tandem Quæras quis poſſit pro abſente acceptare donationem, vel promiſſionem? Reſpondeo quod poteſt illam acceptare omnis, qui habet ab altero ſpecialem commiſſionem ad id faciendum; Secundò, qui eſt ſub alterius poteſtate, ita ut non ſit ſui juris, ut filius familias pro parte, ſervus pro domino, quia cenſetur una perſona. Tertiò, qui aliorum curam gerunt, ut tutor pro pupillo, curator pro furioſo, princeps pro ſubdito. Quarto, is qui ex donatione, vel promiſſione facta abſenti commodum reportat, vel onere aliquo liberatur, ut ſocius pro ſocio, uxor pro marito. Quintò, quivis privatus pro Eccleſia, piiſve cauſis, ita cum Sanchez, Reginaldo, & aliis communiter Baſæus *ſup. num.* 13. Requiritur tamen, ut hæc acceptatio abſenti facta à prædictis perſonis valide acceptetur, ut verba aliquo modo tacite, vel expreſſe ad præſentem dirigantur, ſi enim dirigantur ad abſentem, is qui præſens eſt non poteſt pro abſente acceptare. Baſæus: *ibi*, Buſembaus *lib.* 3 *tract.* 5. *in* 7 *præceptum. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 7. Palaus *ſupr. p.* 6. *num.* 1. acceptata autem donatione facta abſenti modo dicto, non poteſt donator illam revocare, quouſque conſtet, an donatio placeat, vel diſpliceat donatario. Excipe ſi donatio fuerit onerosa, vel reſpectiva: nam præſens cum non habeat mandatum, ut nomine donatarij ſe obliget ad onus pro donatione injunctum, nequit donationem ſub eo onere acceptare. Ita cum Molina, Sanchez, Leſſio, & aliis, Palaus *d.* 2. *p.* 6. *num.* 4.

466 An autem ex conſenſu illius, qui donationem pro abſenti acceptavit, poſſit donator revocare donationem? Reſpondeo negative, quia jam eſt jus quæſitum donatario media ſtipulatione, quod jus non videtur amplius à ſtipulatione pendere. Ita cum Afflicto, Leſſio, Sanchez, & aliis, Palaus *ſupr. n.* 6. contra Alexandrum, Covarr. & alios. Excipe ſi donatio ſit accepta ſub aliquo onere injuncto acceptandi, pro abſente, vel ejus intuitu, vel in gratiam illius facta eſt abſenti. Ita cum Rebello, Leſſio, & aliis Palaus, *ſupr. n.* 7 An autem facta promiſſione, ſeu donatione, gravamen aliquod imponi poſſit à donatore, aut poſitum tolli? Reſpondeo ante acceptationem donatarij, non eſſe dubium poſſe, ſicut & non eſſe dubium poſt acceptationem non poſſe, nam tunc jam jus donatario acquiſitum eſt. Ita cum Molina, Leſſio, & aliis, Palaus, *d.* 2. *p.* 7. *num.* 1. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 7.

467 Difficultas igitur eſt quando donatio, vel promiſſio facta eſt alicui, ſub conditione ut poſt certum tempus Petro, vel Eccleſiæ reſtituat, an poſſit hoc gravamen, ſaltem conſentiente primo donatario, vel promiſſario tolli? Et Reſpondeo, quod ſi hoc fidei commiſſum à Petro fuerit acceptatum, non poſſe. Et idem dicendum eſt, ſi gravamen in favorem tertij impoſitum inceptum eſſet mandari executioni, quia eo ipſo cenſetur à Petro acceptatum, vel ſi donator obijt, antequam veniat tempus reſtitutionis, vel Petrus acceptet, vel ſi ille tertius, in cujus favorem gravamen appoſitum eſt ſit civitas, vel cauſa pia, vel quando gravamen appoſitum eſt in perpetuum, ut in majoratibus, tum facta hac acceptatione per primum inſtitutum, omnes ſequentes cenſentur acceptaſſe. Ita cum communi ſententia Palaus *ſupr. num.* 2. An autem idem dicendum ſit quando quis Petro donavit rem cum conditione, ut eam poſt tale tempus Francisco reſtituat, ſi non intervenit acceptatio Franciſci? Aliqui negant; ſed probabilius eſt poſſe. Ita cum communi ſententia Palaus *ſupr. num.* 14. Nam hic duplex intervenit donatio, alia facta Petro, alia Francisco, & licèt prima accepta fuerit à Petro, quæ tamen facta eſt Franciſco, adhuc non eſt acceptata; ergo idem, qui illam fecit, vel ejus hæredes, qui ejus perſonam repræſentant illam revocare poſſunt, ſed de his vide latius Palaum *ſupr. num.* 6. Trullenc. *ſupr. n.* 7.

SECTIO III.

Qualis & quanta ſit promiſſionis obligatio?

SUMMARIUM.

468 *Promiſſio gratuita acceptata, ſecluſo damno per accidens ex tali promiſſione ſecuto, ſaltem ſub veniali obligat.*

469 *Quid ſi ex non impleta conditione ſequatur promiſſario grave damnum?*

470 *Quoties quis promittens ſe ex juſtitia vult obligari, tenetur ſub mortali promiſſionẽ exequi,*

DIco primo: Licet Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 6. §. 2. *num.* 8. cum Saa, exiſtimet ſimplicem promiſſionem gratuitam, etiam acceptatam in re gravi, ſecluſo damno ex tali promiſſione ſecuto, ad nihil hodie obligari, cum nullus hodie ex communi conſuetudine ſe obligare intendat, vel putet per ſolam promiſſionem gratuitam, niſi alia major explicatio accedat, ut ſcriptura, ſtipulatio, vel juramentum; Ego tamen exiſtimo ſemper adeſſe ſaltem culpam venialem, ſecluſo damno per accidens ex tali promiſſione ſecuto; ſiquidem verè promittens ad minus obligatur ex fidelitate conformare facta verbis promiſſionis, unde non adimplens promiſſum peccabit contra fidelitatem, ac per conſequens venialiter peccabit, cum fidelitas tantum obliget ſub veniali. Ita Caietanus, Armil. Rebello, quos refert, & probabile putat Fr. Stephanus à ſancto Gregorio *lib.* 2. *de contr. cap.* 8. *num.* 9. Saa, Sotus, Ledeſma, Henriquez, quos refert Palaus, *d.* 2. *de juſtitia, p.* 8. *num.* 3. Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 4. *d.* 1. *n.* 92. probabile putat cum Mærar. Buſembau, *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 1. & cum Fernandez, & aliis Diana, *p.* 2. *tract.* 3. *reſol.* 9. & *p.* 4. *tractat.* 4. *reſolut.* 122. contra multos quos refert, & ſequitur Trullenc. *lib* 7. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 4. Palaus *ſupr. num.* 5. Baſæus, *verbo promiſſio, num.* 9. Ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia promittens hodie non ſe obligare intendit ex juſtitia, niſi vel accedat ſcriptura publica, vel juramentum, vel promittens expreſsè dicat, ſe graviter velle obligare; in caſu autem dubio ſi verba promiſſionis ambigua ſint, præſumendum eſt non ſe voluiſſe graviter obligare. Ita cum aliis Lugo, *d.* 22. *num.* 63. 468

Dixi

469 Dixi ſecluſo damno ex tali promiſſione per accidens ſecuto, nam ſi ob violatam promiſſionem, cui promiſſarius fidebat, damnum notabile ei imminet, culpæ lethalis reus erit promiſſor non adimplens promiſſionem. Item ſi promiſſio reciproca ſit, & alter ex parte ſua fidem ſervet, tenetur alter ex parte ſua, ſuppoſita materia gravi, fidem ſervare, quia eo caſu alterius partis obligatio, & rei promiſſæ executio, inſtar pretij ſe habet, quo alter urgetur promiſſum exequi; illa enim promiſſionis executio, non tam donationis, quam ſolutionis rationem habet. Ita cum communi ſententia Palaus *d.2.de juſtitia, p.8.num.* 4. Quod verum eſt, & ſi unus ficte promiſiſſet, cujus fictionem alter non agnovit: quia in ea deceptione injuſtitiam commiſit, ideóque illam removere debet, & ſerio promittere,& promiſſum implere, ut benè cum Leſſio advertit Palaus *ibi num.* 4.

470 Dico ſecundò: Tenetur tandem quis ſub mortali rem promiſſam exequi, quoties ea juſtitia ſe voluit obligare, niſi parvitas materiæ excuſet. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib.2.tract.4. d.1.num.93.* Materia autem ut cenſeatur gravis, debet eſſe quadruplo major, quam requiritur ut materia furti ſit gravis. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *ibi num.* 94. Hinc fit promittentem liberaliter unum ſacrificium animo ſe obligandi, non peccare mortaliter omittendo. Ita cum Sanchez, probabile putat Decaſtillus *ſupr. num.* 97.

SECTIO IV.

In quibus caſibus promiſſio acceptata, & antea valida deſinat obligare?

SUMMARIUM.

471 *Promiſſio acceptata deſinit obligare, ſi res promiſſa fiat illicita, inutilis, vel impoſſibilis.*
472 *Secundo quando duo ad invicem promiſerunt, & alter non vult implere promiſſum.*
473 *Tertio quando aliquid promiſſum eſt ob cauſam quæ non ſubſit.*
474 *Quarto ſi ſtatus rerum, vel perſonarum mutetur.*
475 *Ponitur quoddam corollarium.*

471 Dico primò: Promiſſio acceptata, & antea valida definit obligare primò. Si res promiſſa fiat illicita, ut ſi à Prælato prohibeatur, vel inutilis, vel impoſſibilis. Ita cum communi ſententia Trul-
472 lenc. *lib.7.cap.17.dub.7.num.2.* Secundò, quando duo viciſſim ſibi aliquid promiſerunt, & alter non vult implere promiſſum, tunc enim alter non tenetur, ſed poteſt uti compenſatione. Trullenc.*ſup.*
473 *num.* 4. Tertiò, quando aliquid promiſſum eſt ob cauſam, quæ non ſubeſt, ut ſi ideò promittas, quia putas accepiſſe à promiſſario aliquod beneficium, cum non acceperis. Ita cum Leſſio, Trullenc. *ſupr.*
474 *num.* 5. Quartò, ſi ſtatus rerum, vel perſonarum, ita mutetur ut promiſſor ſecundum judicium prudentum non videatur illum eventum voluiſſe comprehendere, promiſſio enim cenſetur facta ſub tacita conditione, niſi ſtatus rerum notabiliter mutetur, ut cum multis notat Decaſtillus *ſupra num.* 117.

475 Hinc fit Promittentem non teneri ſervare promiſſionem gratuitam, etiam ſi habuiſſet animum ſe graviter obligandi, ſi tempore promiſſionis promiſſarius erat amicus,aut certè non inimicus, poſtea tamen ſit inimicus, aut comperitur talis tempore ſolutionis. Ita cum Molina, Reginaldo, Gaz. & aliis Decaſtillus, *ſupr. num.* 120. Quod verum eſt & ſi promiſſor fuerit in mora, & potuiſſet tempore quo erat amicus rem tradere, & injuſte detinuit; facta enim illa mutatione ceſſat omninò obligatio, Decaſtillus, *ſupr.num.*121. Et idem dicendum eſt, ſi quis operam ſuam alteri certo tempore promiſit, & filius ſuus in morbum incidit, itaut non poſſit eum deſerere, vel ſi puellæ promiſit nuptias, putans eſſe virginem, & illam corruptam invenit. Ita cum aliis Trullenc. *ſupr. num.* 2. Et idem dicendum eſt ſi cum altero fornicata eſt. Decaſtillus *lib.2.tract.4. d.1.num.*122. Vel eam infamiam,etſi falſam abſque ſua culpa ſubivit, non tenetur enim promiſſor diffamatam, etſi falſo in matrimonium ducere. Ita cum aliis Decaſtillus, *ſupr.num.*123. An autem ex promiſſione ob turpem cauſam patrato delicto oriatur obligatio ſolvendi promiſſum? Vide quæ ſupra diximus *in hoc tractatu diſput...ſect...§...*

DISPUTATIO XII.

De Donatione.

SECTIO I.

Quid ſit donatio, & de ejus ſpeciebus?

SUMMARIUM.

476 *Ponitur donationis definitio.*
477 *In quo donatio differat à promiſſione?*
478 *Donatio dividitur in donationem inter vivos,& donationem cauſa mortis, & qua utraque ſit?*
479 *Donatio cauſa mortis,ſi conſideretur ſecundum ſuum initium dicitur contractus, ſi conſideretur ſecundum ſtabilitatem,poteſt aliquo modo dici ultima voluntas.*

Dico primò: Donatio eſt pactum, quo 476
liberaliter, & gratis aliquid in alterum transfertur, nullo ad id cogente jure. Duplex igitur eſt donatio, alia perfecta quando res ipſa ſimul traditur, alia imperfecta, quando ſcilicet eſt tantum verbalis,& in hac ipſa nõ transfertur dominiũ,quia jus poſitivum ad transferendum dominium ordinariè requirit traditionem, quare per verbalem donationem tantum transfertur jus ad rem. Differt au- 477
tem donatio à Promiſſione, tanquam à termino, & ſubjecto; terminus namque, & objectum promiſſionis eſt donatio, non tam verbalis, & imperfecta, ſed realis,& perfecta; nam verbalis, & imperfecta donatio; cum donans non transferat dominium donatario, parum à promiſſione diſtinguitur.Palaus. *d.2.de juſtitia, p.1.num.* 8. Dicitur autem quo liberaliter, & gratis aliquid in alterum transfertur, ut diſtinguatur à donatione remuneratoria, quæ fit ob merita, obſequia, & officia, & non ob ſolam liberalitatem, & quæ licèt non ſupponat debitum juſtitiæ, ſupponit tamen debitum gratitudinis, unde non eſt mere gratuita; unde quando prohibetur donatio, ut fit *in Decreto Clementis VIII.* pro largitione munerum, pro Religioſis, non cenſetur prohibita donatio remuneratoria, niſi ea parte, in qua excedit merita, ut benè probat Decaſtillus *lib.2.tractat.5. de juſtitia,*

diſt. uni

diſt. unica, p. 1. n. 10. Lugo *d. 23. n. 131.* Et idem dicendum eſt de ſolutione promiſſionis liberalis, ſit enim ob cauſam præcedentis promiſſionis. Ita Decaſtillus *ſuprà n. 6.*

478 Dico ſecundò: Donatio dividitur in donationem inter vivos, & donationem cauſa mortis, donatio inter vivos, quæ propriè nomen donationis ſibi vendicat, eſt qua quis alteri viventi bona aliqua; ſeu jus ad illa irrevocabiliter concedit; Donatio vero cauſa mortis eſt qua quis alicui bona ſua poſt mortem ſuam habenda revocabiliter concedit. Ita cum communi ſententia Palaus, *d. 2 p. 13. n. 2.* Hæc autem donatio cauſa mortis tribus modis fieri poteſt. Primò, donando ex ſola mortis cogitatione, nullo exiſtenti periculo actuali. Secundò, donando cum actuali periculo, & ita ut res ſtatim tranſeat in dominium donatarij, ſed revocabiliter ad nutum donantis. Tertiò, ita donando, ut res non fiat donatarij, niſi ſecuta morte donantis, quo caſu dominium rei perſeverat apud donantem, uſque ad ipſius mortem; In dubio autem an donatio ſit ex cauſa mortis, vel inter vivos, ſemper præſumenda eſt inter vivos, quia nunquam intelligitur facta cauſa mortis, niſi in ea fiat mentio mortis. Ita cum communi ſententia Fr. Stephanus à S. Gregorio, *lib. 2. cap. 14. n. 3.* Palaus *diſp. 2. p. 13. n. 3.*

479 Dico tertiò: Donatio cauſa mortis, ſi conſideretur, ſecundum ſuum initium, vocatur contractus, ſed ſi conſideretur ſecundum ſtabilitatem, & effectum illam non revocandi poteſt vocari aliquo modo ultima voluntas, quare convenit cum legato in multis, & in aliis differt, de quibus vide Palaum *ſupr. n. 5.* Quod ſi in dicta donatione cauſa mortis ponatur conditio, ut revocari non poſſit, non cenſetur amplius donatio cauſa mortis, ſed inter vivos; nam ita pugnant inter ſe dictæ duæ donationes, ut ambo ſimul eſſe non poſſint. Quod à fortiori dicendum eſt, quando quis promiſſione firmata juramento promitteret non revocare donationem, vel ſi facta donatione cauſa mortis promitteret cum juramento non contraventurum dictæ donationi, quia tranſiret in donationem inter vivos. Ita Molina, *diſt. 287.* Fr. Stephanus à S. Gregorio *ſuprà n. 3.*

SECTIO II.

Qui donare poſſint?

SUMMARIUM.

480 *Solum illi donare poſſunt, qui habent dominium, & adminiſtrationem cum facultate donandi.*

481 *Uſu rationis carentes, minores, prodigi, &c. donare non poſſunt.*

482 *Filiusfamilias donare non poteſt.*

483 *Religioſi ſine conſenſu ſuperiorum donare non poſſunt.*

484 *Clerici beneficiati non poſſunt donare in uſus profanos, quæ ſuperſunt beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi.*

485 *An beneficiati poſſint ex fructibus beneficij filios, & filias, fratres, &c. alere, & dotare?*

486 *An ſi beneficiatus aliquid de ſua congruâ ſuſtentatione detrahat, poſſit majoratum inſtituere?*

487 *Uxor donare non poteſt ex bonis communibus, niſi eleemoſynas, & donationes moderatas ſecundum ſuum ſtatum.*

488 *An maritus donare poſſit ſine uxoris conſenſu?*

489 *An donationes, & promiſſiones facta à militibus, & clericis ſuis concubinis pro ſervitiis ſibi impenſis in concubinatu ſint valida?*

Dico primò: Illi ſolum donare libere poſſunt, 480
qui habent dominium, & adminiſtrationem cum facultate alienādi, quare non ſufficit dominiū tantum, quia donatio pertinet ad diſpenſationē bonorum, & regimen, nec tantum adminiſtratio, quia præjudicaret domino. Deniq; debet adeſſe facultas alienādi alioquin nō poſsūt, niſi prout ſuperior, vel jus permittit Fill. *tr. 34. c. 2. n. 38.* & alij cōmuniter.

Hinc fit non poſſe donare. Primò, uſu rationis ca- 481
rentes, ſiquidem non poſſunt actum humanū exercere. Secūdò, impubes ſine tutoris facultate, præter 482
quam ad cauſas pias quamvis ſine tutore poſſint ſibi acquirere. Tertiò, Prodigus cui eſt interdicta bonorū adminiſtratio. Quintò, Minor 25. annis, ſi curatori ſubſit abſque expreſſo conſenſu, vel tacito curatorīi, niſi bona ſint caſtrenſia, vel quaſi caſtrēſia, cenſetur autem dari conſenſus tacitus vel debitus, ut poſſint ipſi donare, quantum aliis ſuæ conditionis, & qualitatis permitti ſolet. Ita cum Leſſio, Sarmiento, & aliis, Fagund. *de juſtit lib. 4. c. 6. n. 43.* Baſæus *verbo donatio, n. 4.* Quod ſi profuſè donent ſine conſenſu curatorum, peccabunt quidem donatarij dona accipientes, non tamen tenentur reſtituere, niſi donatum petatur in judicio à curatoribus, vel ipſi donatores petant reſtitutionem in integrū. Ita cum Leſſio, Mol. & aliis, Fagund. *ibi, n. 43.*

Sextò, filiusfamilias donare non poteſt, etiamſi 483
pubes ſit abſque conſenſu patris, niſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, vel niſi ſint adventitia, quorum uſus fructus non ſit patri acquiſitus, ſed ipſi filio, ut in multis caſibus illis conceditur jure Luſitano, quos refert Fagund. *de juſtitia, lib. 1. c. 15. à n. 3. uſque ad 7.* Septimò, Religioſi ſine conſenſu ſuorum ſuperiorum donare non poſſunt, ſed de hoc vide quæ dixi in noſtro Directorio Regularium, *p. 2. tract. ... d. ... n. ...* ubi etiam quæ Prælati regulares licitè donare poſſint invenies. Octavò donare non 484
poſſunt clerici beneficiarij in uſus profanos, qui ſuperſunt beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi ſed tātum in pias cauſas, eſt tamen valida donatio, nec donatarij tenētur ad reſtitutionem. Excipe niſi beneficiarij ſint etiam regulares, nam hic ſi dent ad uſus profuſos, donatarius tenetur reſtituere, quia hi non ſunt domini ob votum paupertatis. Ita cum Leſſio, Bonacina, Filliucio, Azor, Diana, *part. 5. tract. 8. reſol. 31.* Baſæus *verbo, Donatio, num. 5.*

An autem Beneficiarij poſſint licitè ex fructibus 485
beneficij filios & filias ſuas, ſorores, & fratres alere, ſuſtentare, & dotare? Affirmat cum multis Fagund. *lib. 4. c. 6. n. 47.* Hiſpaniarum Primas *in 1. p. Decreti, c. 11. n. 3. pag. 230.* Imò exiſtimo teneri eos alere & dotare pro modo alimentorum. Ita Illuſtriſſ. Primas Lara, Garcia, Tiraq. Boër. Nav. quos ibi refert Fagund. quidquid in contrarium dicat Fagund. ibi Barb *in l. 1. p. 2. à n. 132. ff. de ſolute matrimonio.* An 486
autē beneficiarius ſi aliquid detrahat de ſua cōgrua ſuſtentatione quā habet ex fructibus beneficij poſſit licitè majoratū inſtituere cum aliquibus piis operibus annexis ut ſuā familiā illuſtret? Affirmat Fagund. *ſup. n. 47.* Dixi in foro externo, nam in foro conſcientiæ id beneficiarij licitè

facere non poſſunt quia clerici ad pias tantum cauſas licitè teſtari,& donare poſſunt. Ita cum Molin.
487 Cov. & aliis Fagund *ſup.n.*48.& nos *ſup.*diximus.

Octavo: Vxor donare non poteſt de bonis communibus,quorum adminiſtratio ad virum pertinet; pertinet autem ad illum ſecundum jus Luſitanum, non tamen ſecundum jus commune, adminiſtratio omnium bonorum etiam paraphernalium;& illorum,quæ ipſi acquirunt,conſtante matrimonio. Ita cum Molina, Cabedo, Fagundez, *de juſtitia,lib* 4. *cap.*6. *n.*15. Excipe eleemoſynas, & donationes moderatas ſecundum proprium ſtatum; nam de conſuetudine,imò & de jure Luſitano, *lib.*4. *ordinationum tit.* 7. etiam ſine conſenſu mariti has facere poſſunt, ut benè Fagundez, *ſuprà n.*19. Imò poſſunt has moderatas donationes, & eleemoſynas, quas per annum largituræ erant ſimul omnes dare pro neceſſitate aliqua occurrente. Ita Fagundez *ſupr. n.*20. Imò ſi uxor amplam dotem ſecum tulit, poterit ſimul dare ſummam quadraginta aureorum ad pium opus, vel ad complementum dotis fœminæ ſuæ obligationis. Ita cum Molina,Fagundez *ſupr.n.*21. Poteſt etiam uxor invito marito aliquid inſumere, primo ad præcavendum, & vitandum grave damnum, quod marito imminet. Secundò,ſi maritus prodigus fuerit, poteſt aliqua ſibi,& familiæ in futurum reſervare. Tertiò,quando bonorum adminiſtratio ad uxorem pertinet,ut in mariti abſentia. Quartò,quando donaret in extrema,vel gravi neceſſitate proximi. Quintò,quando maritus certam ſummam dat uxori ad veſtitum, vel alios ſumptus,poteſt illa licitè de eo,quod parcius inſumpſit,donationes, & eleemolynas facere. Ita cum Molina,& aliis communiter Fagund.*lib.*4.
488 *cap* 6. *n.*24. Baſ.*ſup.n.*4.

An autem maritus donare poſſit ſine conſenſu uxoris? Reſpondeo poſſe facere moderatas donationes, & eleemoſynas ſecundum proprium ſtatum, ſi tamen bona communia per immoderatas donationes, vel cum meretricibus, ſine conſenſu uxoris diſſipaverit, tenetur ipſe, vel ejus hæredes partem diſſipatam in ſuum tertium ſoluto matrimonio, vel facto divortio accipere. Ita cum Molina,Leſſio,& aliis.Fagund.*ſupr.n.*26. Quod ſi uxor ſuperſtes prudenter timet,ſic à viro diſſipata,difficulter ab hæredibus accipienda eſſe in tertium defuncti, poteſt ſibi occultè ex bonis viri compenſare. Fagund. *ſupr.n.*27. Imò ſi maritus aliquid ſuæ concubinæ dedit invita uxore,poteſt uxor illud in judicio repetere,etiam poſtquam maritus concubinam relinquit per quatuor annos completos à die ſeparationis, vel mortis mariti. Ita Fagund. *ſuprà n.*29. Adverte tamen concubinas non teneri acceptum reſtituere ante ſententiam,ſi alias eis conſtet virum uxoratum,ſic donatum accepiſſe in partem ſui tertij; ſecus ſi contrarium ſciant, vel de illo dubitent probabiliter Fagund. *ſupr.n.*31. Et idem dicendum eſt de illis, quæ amaſius accepit ab aliena uxore, nam tunc amaſius ſolum tenetur marito in defectum uxoris reſtituere partem marito contingentem,ſi credit illam id non acceptaſſe in par-
489 tem ſuam.Ita cum Molina,Fagund.*ſupr.n.*32.

An autem donationes, & promiſſiones factæ à militibus, & clericis ſuis concubinis in pretium æquale ſui corporis, vel pro ſervitiis ſibi impenſis in concubinatu, ſint validæ? Negat Cabedo, 1.*p. deciſ.*116. *n.*4. & citat Palatium,Gomes,Cormundum, aſſerit ergo ſic judicatum fuiſſe in ſupremo gravaminum ſenatu Luſitano;ego tamen exiſtimo datum, & promiſſum pro ſervitio corporali eis præſtito,etiam in concubinatu in foro conſcientiæ ab eis debere ſolvi, & datum non poſſe repeti. Ita cum Gilhelm.Gutier,& aliis Fagund.*ſup.n.*36.Secus dicendum eſt de promiſſo,& dato ob turpitudinem. Fagund. *ſupr.n.*39. omnino videndus.

SECTIO III.

Quas donationes liberales poſſint patres facere filiis ſuis?

SUMMARIUM.

490 *Donatio mere gratuita facta à patre filiofamilias ſub ſua poteſtate conſtituto, regulariter eſt invalida.*

491 *Donatio facta à patre filio emancipato eſt valida.*

492 *Donationes remuneratoriæ factæ à patre filiofamilias ſub ſua poteſtate conſtituto valide,& licitæ ſunt.*

493 *Valet donatio facta à patre filiofamilias dotis titulo.*

494 *Idem dicendum eſt de donatione facta à patre filio pro ingreſſu Religionis.*

495 *Donatio facta a patre filio in premium emancipationis eſt valida.*

DIco primò:Donatio liberalis,& mere gratuita facta à patre filiofamilias ſub ſua poteſtate cõſtituto, regulariter eſt invalida,& ad partitionẽ adducẽda Ita Fagund.*de juſtitia,lib.*4.*c.*7.*n.*2 & conſtat *ex l.donationes quas parentes, Cod. de donat.inter virum & uxorem.* Patet enim & filius unâ perſonam fictione juris repræſentant,ac per conſequens inter eos donatio eſſe non poteſt,cum ad donationẽ duæ perſonæ requirantur,donans & donatarius.Excipe ſi v.g patet donationem in vita non revocavit;nam tunc morte illius cenſetur jure communi confirmata,etiã quoad illa,quæ pater ſine inſinuatione donare poteſt. Quod etiam dicendum eſt,ſi pater donationem juramento confirmavit.Ita cum Molin. Claro,& aliis,Fagund.*ſupr.n.*3.Dixit de jure communi,nam de jure Luſitano nullã vim accipit talis donatio à juramento, niſi de facultate regis fuiſſet appoſitũ, imò etiãſi donatio fuiſſet valida, eo ipſo quod ei addatur juramentum,manet irrita,etiã poſt acceptionem. Ita cum Molina, Fagund *ſupr.n.*3. 490

Dico ſecundò:Donatio facta à patre filio emancipato eſt valida,quia ceſſat patria poteſtas. Ita cũ communi ſententia Fagundez *ſup.n.*4.Valet etiam donatio de jure communi facta à matre filio emancipato, vel conjugato, cum per matrimonium habeatur pro emancipato. Et idem dicendum eſt de donatione facta à filio emancipato patri, vel matri: ſecus de filio ſub patria poteſtate conſtituto. Ita cum Julio Claro,& aliis, Fagundez *ſup.n.*4. 491

Dico tertiò:Donationes non mere liberales,ſed remuneratoriæ,quas patres faciunt filiis ſuis familias,ſub ſua poteſtate conſtitutis, validæ, & licitæ ſunt, nec filij eas tenentur adducere ad collationẽ bonorum poſt mortem patris,niſi in ea parte in qua merita excedũt. Ita cum Julio Claro, Fagund.*lib.*4. *de juſtitia,c.*7.*n.*1. Imò ſi filius cum patre convenit, quod pro ſuo ſervitio tãtum ei daretur,poteſt filius promiſſum ſalarium, etiam poſt mortem patris petere, vel de illo ſibi occultè compenſare. Et idem dicendum eſt,quando filius patri proteſtatus eſt de pretio pro ſuo labore, quem alij fratres non habuerunt. Ita cum Navarro, Fagundez, *ſupr.n.*5. 492

Dico quartò: Valet donatio facta à Patre filiofamilias dotis titulo,nec tenetur filius illam adducere ad collationẽ poſt mortem patris,*l. Pomponius, ff. familiæ* 493

ff-familiæ erciſcundæ. Ita cum Navarro, Cabedo, Fagund. *ſupr. n.* 6. Excipe niſi dos excedat legitimam filij dotati, & tertij dotantis; nam tunc poſſunt alij fratres illum obligare ad adducendum ad collationem exceſſum, quo in legitimis ſuis cenſentur gravati. Quod ſi filius dotatus ſpe melioris conditionis voluerit ingredi collationem cum aliis fratribus, tenetur afferre omnia ſibi à patre donata cauſa doris, tam mobilia, quam immobilia, cum omnibus fructibus, quæ illa dederunt poſt mortem patris uſque ad tempus collationis. Ita habetur *in Ordinatione Luſitana, lib. 4. tit. 97. initio, & n.* 11. Non tamen tenetur adducere expenſas factas in convivio nuptiarum. Ita cum Valaſco, Fagundez *ſup. n.* 7. Tenetur tamen de jure Luſitano afferre veſtes pretioſas datas pro tempore nuptiarum, vel ingreſſus religionis. Dixi pretioſas; nam ſi fuerint veſtes ordinariæ non tenetur illas adducere cum pertineant ad alimenta. Ita cum Baldo, Gama, Valaſco, & aliis Fagund. *ſup. n.* 8.

494 Idem dicendum eſt de donatione, v. g. ducentorum aureorum facta à patre filio in ſingulos annos, dum viveret ad ſuſtentanda onera matrimonij, nam accepta etiam per multos annos non ſunt adducenda ad collationem, etiam de jure noſtro, cum hi aurei annuatim dati pertineant ad alimenta, & hæc non afferuntur ad collationem. Ita cum Baldo, Alexandro, & aliis, Fagund. *ſupr. n* 14. Excipe tamen ſi pater in ſcriptura dotis apponeret conditionem, ut illi aurei annuatim dati, poſtea adducerentur ad collationem; nam cum ſit conditio honeſta poteſt illam pater doti apponere. Ita cum aliis Fagundez *ſuprà*.

495 Dico quinto: Id quod diximus de collatione dotis datæ pro matrimonio carnali, dicendum eſt etiam de dote data pro nuptiis ſpiritualibus, videlicet pro ingreſſu religionis in religione bonorum capaci; ita cum Valaſco, & aliis Fagund. *ſup. n.* 15. An autem monaſterium teneatur adducere ad collationem non ſolum dotem, ſed etiam veſtes, & ſupellectilem monialium, ſcilicet lectulum, linteamina, vaſcula argentea, fuſcinulas, propinas, caſu quo monaſterium vellet cum aliis hæredibus collationem ingredi? Reſpondeo affirmativè, exceptis propinis, quæ dantur loco prandij, vel cænæ in die ingreſſus, vel profeſſionis, benè tamen propinæ, quæ dantur in ſupplementum dotis. Ita cum Valaſco, Molina, & aliis, Fagundez, *ſup. n.* 18. Tenſæ tamen & annui reditus non ſunt adducendi, quia hæc dantur moniali loco alimentorum annuatim. Ita cum Valaſco, Fagundez, *ſuprà n.* 21

Dico ſextò: Donatio facta à patre filio in præmium emancipationis eſt valida, & non eſt adducenda ad collationem, quia eſt facta ex cauſa præexiſtenti. Ita cum Julio Claro, Riminaldo, & aliis Fagund. *ſup. n.* 24. Idem dicendum eſt de donatione facta filio ſub patria poteſtate conſtituto, proſtudiis, non ſolum grammaticæ, ſed Theologiæ, & utriuſque juriſprudentiæ, & medicinæ, pro libris ad has ſcientias comparandas & pro ſumptibus ad adipiſcendum gradum doctoratus, licentiatus, &c. & pro comparando habitu alicujus militiæ, pro ordinando filio in ſacris, pro adipiſcendo beneficio Eccleſiaſtico, vel commenda, pro expediendis litteris ad beneficia comparanda. Ita cum Molina, Gomes, & aliis, Fagund. *ſupr. n.* 24. *uſque ad* 33. Sed de his vide, quæ dixi, *tract.* 7. *d.* 4. *per totam hujus Directorij*, ubi quæ hic deſiderare poteſ inveniesne eadem repetamus. Ibi enim explicuimus ea, quæ filius à patre donante, vel à matre teneatur adducere ad collationem cum aliis fratribus.

SECTIO IV.

Vtrum donationes inter conjuges ſint validæ, & an morte conjugis donantis confirmentur?

SUMMARIUM.

496 *Donatio inter conjuges regulariter jure communi eſt nulla.*

497 *Hæc donatio inter conjuges morte donantis confirmatur, dummodo res donata tradita ſit ante mortem donantis.*

498 *Quid ſi in donatione non interſit inſinuatio?*

499 *Alij referuntur caſus, in quibus hæc donatio, etiam ante mortem donantis confirmatur.*

500 *Verum annuli, veſtes, & ſimilia, quæ uxoribus tradi conſueverunt à maritis, cenſentur donata, ita ut uxor non teneatur poſt mariti mortem ea adducere ad collationem?*

501 *Sponſalitia largitas ſi ſimul cum pacto fiat ne ad donantem ullo caſu redeat, ſtatim irrevocabiliter donatio acquiritur.*

502 *Quid ſi tale pactum non interſit?*

503 *Quid ſi caſu aliquo, vel morte ſponſi, vel ingreſſu in religionem matrimonium non fuit ſecutum, vel conſummatum?*

504 *Quid ſi matrimonium fuit celebratum per Arrhas?*

Dico primò: Donatio inter conjuges regulariter jure communi eſt nulla *l. ſi marito, Cod. de donat. inter virum.* Quod procedit, etiam de donatione facta ante matrimonium, dilato ipſius effectu in tempus celebrati matrimonij. Ita cum Sanchez, Trullenc. *lib. 7. cap. 17. diſt. 9. num. 1.* 496

Duobus tamen modis hodie confirmatur, & fit valida primo morte donantis. Quod verum eſt, etiam de morte civili, ut ſi vir donans in exilium mittatur, vel ante conſummationem matrimonij profiteatur religionem incapacem dominij; ſed ut hæc donatio morte donantis confirmetur neceſſe eſt, ut res donata ſit tradita, ſaltem ficta traditione, ante mortem donantis; Et ita confirmatur morte hæc donatio, ut retrotrahatur ad tempus, quo facta eſt, ac ſi tunc valida fuiſſet, & ideò omnes fructus poſt traditionem præcepti, pertinent ad eum conjugem, cui donatio facta fuerat; Dum tamen donator vivit, poteſt donationem revocare. Primò, ſi moriatur donatarius ante donantem; ſecus ſi donatarius ſimul in naufragio moriatur cum donatore; nam tunc pertinet ad hæredes donatarij defuncti. Fagundez *lib. 4 cap. 11. n. 8.* Secundò, ſi donatario filij denuò enaſcantur, ſi matrimonium factum fuit per contractum medietatis, ſecus ſi per dotem, & arrhas. Fagundez *lib. 4. cap. 11. num. 11.* Tertiò, revocatur quoad exceſſum tertij, ſi donator habeat hæredes neceſſarios aſcendentes, aut deſcendentes. Fagundez *ibi, num.* 12. Quartò, revocatur ſi divortium inter conjuges ſequatur, niſi divortium factum ſit ex communi conſenſu, vel aliunde conſtet donatorem, etiam poſt divortium velle perſeverare donationem. Ita Fagundez, *ſuprà num.* 9. 497

Adverte tamen, quod ſi in donatione non interceſſit inſinuatio, ſolum confirmari morte donantis, quoad ſummam, quam ſine inſinuatione donare poterat. Ita habetur *in Ordinatione Luſitana, lib. 4. tit. 62. & in leg. Donationes* 498

in virum,& uxorem. Ita cum Molina,& aliis,Fagundez,*ſupra n.*7. Secundò valet donatio inter virum,
499 & uxorem, etiam ante mortem donantis, ſi Imperator donet Auguſtæ,vel è contra. *Lege per vlt. Cod. de donat. inter virum, & uxorem.* Tertiò ſi conjux det conjugi ad inſtaurationem ædium ſuccenſatum *l.* 14. *Cod. eodem.* Quartò ſi donator ex donatione non fiat pauperior,id eſt, ſi nihil ei detrahatur ex bonis,vel juribus jam acquiſitis,ut ſi maritus repudiet hæreditatem, vel legatum, vel fideicommiſſum ſibi delatum,& non acceptatum, ut perveniat ad uxorem,ſtatim valet *ex l. ſi ſponſus, §. ſi maritus ff. de donat. inter virum & uxorem.* Quintò ſi donatarius non fiat ditior, ut ſi maritus det uxori ad fucos,ad unguenta,ad dandas eleemoſynas, vel ad inutiliter expendendum;quidquid enim ſic conſumptum eſt, non tenetur uxor reſtituere marito, bene tamen quod inconſumptum extat. Sextò ſi alter det alteri,ut aliquam dignitatem aſſequatur, v. g. ut fiat doctor. Septimò ſi fiat cauſa remunerationis ob merita, & obſequia, aliàs non debita, ut ſi maritus ſenex donet uxori juveni,vel ignobili,vel ſi maritus fateatur ſe dotem accepiſſe; cenſetur namque eam donare uxori in remunerationem. Ita cum Sanch. Leſſio, Villalobos, Trullenc. *ſupra n.*2. Fagundez *cap.* 11. *per totum.*

500 An autem annuli, veſtes, & ſimilia quæ uxoribus tradi conſueverunt à maritis,cenſeantur donata, ita ut teneatur uxor illa adducere ad collationem,vel tantum conceſſa ad uſum? Reſpondeo affirmativè,ſi vilia ſint,& ad quotidianum uſum; ſecus ſi ſint pretioſa,quia hæc non cenſentur donata,ſed potius in honorem mariti facta. Excipe niſi vir expreſſe prædicta iocalia pretioſa dedit uxori: nam tunc ſi donationem non revocavit,morte mariti confirmata manet. Ita cum Afflicto,Fagundez, *lib. 4. cap. 7. n.* 10. de quo etiam videnda eſt conſuetudo regni,imò & civitatis,& loci, Fagundez, *ibi.* Hinc fit mortuo marito veſtes pretioſas adducendas eſſe ad collationem, niſi conſtet expreſſe fuiſſe donatas uxori à marito. Trullenc. *ſupra n.*3.

501 Dico ſecundò: ſponſalitia largitas,quæ nihil aliud eſt quam donatio facta inter ſponſos de futuro ſpe ineundi matrimonium,ſi ſimul cum pacto fiat ne ad donantem ullo caſu redeat, ſtatim irrevocabiliter donatario acquiritur,quamvis nec copula, nec oſculum intercedat,& ejus culpa matrimonium effectum non habeat,ut conſtat *ex l. 1. verſ. igitur ff. de*
502 *donat. & l. ſi mater. Cod. de donat. ante nupt.* At ſi tale pactum non intervenit hodie habet tacitam conditionem, ſi matrimonium ſequatur, ac per copulam conſummetur;unde ſecuto matrimonio pura,& firma manet,ſi vero matrimonium nõ ſequatur culpa donantis,vel ob ejuſdem culpam non fuit conſummatum, tunc donans perdit ſponſalitiam largitatem,& fit alterius conjugis donatarij;Et ſi is ob cujus culpam matrimonium non fuit ſecutum aliquid ab altero conjuge accepit,tenetur illud,ſi extat in integrum reſtituere, ſi tamen ob donatarij culpam matrimonium non fuit ſecutum vel conſummatũ, tenetur reſtituere donanti,quod ab eo accepit. Ita habetur *l. cum veterem Cod. de donat ante nuptias.*

503 Si vero caſu aliquo,vel morte ſponſi,vel ingreſſu religionis matrimonium non fuit ſecutum, aut copula non fuit conſummatum,ſi oſculum,vel amplexus interceſſit,ob illa lætatur ſponſa,non vero ſponſus meretricem ſponſalitiæ largitatis, etiamſi ſummam ſaperet, quæ abſque inſinuatione dari non poteſt & hoc ſive ſponſa virgo re ipſa ſit,ſive tantum talis reputetur,dummodo oſculum,vel amplexus ſubſequatur ſponſalitia; unde ſi ſponſalitia tantum erant conditionalia, ſi Papa diſpenſaverit, ſponſa per oſculum non acquirit medietatem ſponſalitiæ largitatis,quia ôſculum non fuit ſubſecutum vera ſponſalia, Fagundez, *lib. 4. juſtitiæ c.* 13. *n.* 1. *uſque ad* 14. Quæ omnia procedunt, etiam in foro conſcientiæ, etiamſi ſponſa nullam dotem ſecum attuliſſet.

Excipe niſi matrimonium contractum ſit per ar- 504
rhas:nam tunc non poteſt ſponſa utramque acquirere,ſed datur ei optio eligendi,vel arrhas,vel ſponſalitiam largitatem intra viginti dies, à qua electione facta,non poteſt variare,ſi electio habuit effectum;ſecus ſi non habuit effectum; quòd ſi intra illos non elegerit,datur optio viro, vel ejus hæredibus, an malint dare arrhas, an potius ſponſalitiam largitatem. Ita cum Sanctio,Fagundez, *ſupra, n.* 21. Hæc tamen intelliguntur, quando donatio ſponſalitiæ largitatis fuit valida, quòd ſi invalida fuit facta, poſt conſummatum matrimonium, tunc morte conjugis donantis confirmatur, & poteſt donatarius acquirere arrhas, & iocalium donationem Fagundez, *ſupra n.* 21.

SECTIO V.

Quantum quis poſſit valide donare.

SUMMARIUM.

505 *Jure Luſitano donationes virorum quæ excedunt ſummam trecentorum aureorum invalida ſunt, quoad exceſſum, ſi ſine regia inſinuatione fiant.*

506 *Huic inſinuationi renuntiari non poteſt, etiam de conſenſu partium.*

507 *In aliquibus caſibus donatio abſque inſinuatione facta excedens dictam ſummam eſt valida, & caſus referuntur.*

508 *Donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum eſt nulla.*

509 *Quid ſi ſint Eccleſia?*

DIco primò: de jure Luſitano omnes donatio- 505
nes virorum ſui juris rerum immobilium, & mobilium, quæ excedunt ſummam trecentorũ aureorum invalidæ omnino ſunt, quoad exceſſum, ſi ſine Regia inſinuatione fiant, vel ſenatorum, quos vocant, *do paſſo*. Eſt autem inſinuatio facultas regis ad aliquod valide donandum,quæ inſinuatio petitur poſtquam facta eſt donatio, & tunc Rex, præcedẽte inquiſitione donãtis,an fuerit libere,an inductus arte, vel aliqua fallacia,vi,vel fraude,metu, vel timore,vel aliquo monopolio, Luſitane *conluia*, ſolet confirmare donationem per ſpecialem proviſionem regiam, non ſolent tamen donationes per mulieres factæ confirmari per Senatores palatij,ut cõſtat *ex ordinatione lib 1. tit. 3. §. 1 & ex lib. 4. tit. 62.*

Huic autem inſinuationi renuntiari non poteſt, 506
etiam de conſenſu partium Fagundez, *lib. 4. c. 9. de juſtitia n.* 10. Trullenc *lib. 7. cap. 16. dub. 10. num. 2.* Neque excuſatur talis inſinuatio,eo quod res non detur,ſed condonetur, vel remittatur, condonatio enim,& remiſſio,eſt veluti donatio. Trullenc. *lib. 7. cap. 16. dub. 10. num. 2.* Fagundez, *ſupra n.* 21. neque per confeſſionem dotis ſolutæ,cum re ipſa ſolutum non fuerit. Trullenc. *ibi*, neque ex eo quod plura fiant inſtrumenta continentia unumquod,ne ſummam, quæ dari poteſt,ſine inſinuatione,ſi eodẽ ſimul tempore facta fuere,ſive uni tantum,ſive diverſis perſonis; ſecus ſi in diverſo tempore etiam

eidem

Digitized by Google

eidem personæ. Fagundez, *suprà n.* 17. & 18. An autem donatio excedens summam, quæ indiget insinuatione, retineri possit, quoad excessum à donatario, donec ei in judicio petatur à donatore, vel ejus hæredibus? Respondeo affirmativè. hoc enim solum videntur leges intendere. Ita Trullenc. *suprà n.* 1. & cum aliis Fagundez, *suprà n.* 18.

507 Dico secundò: in aliquibus casibus donatio absque insinuatione facta excedens dictam summam valida est in utroque foro, etiam *de jure Lusitano. Primò* si fiat loco pio Ita cum Julio Claro, Felino, Molina, Bartolo, & aliis Fagundez, *lib.* 4. *de justitia c.* 9. *n.* 6. Secundò si fiat ad redemptionem captivorum, & reparationem domorum, quæ ruina, vel incendio perierunt Molina, *tom.* 2. *de justitia d.* 279. Tertiò si sit remuneratoria, vel fiat ob causam, etiam futuram. Ita cum Baltolo, Molina, Gamma, Gomez, & aliis communiter Fagundez, *suprà num.* 8. Quartò si fiat causa mortis. Ita cum Molina, & aliis, Fagundez, *suprà n.* 9. Quintò si sit reciproca. Molina, *sup. d.* 279. Mascardus, *de probat. lib.* 1. *conf.* 554. *n.* 81. Sextò si fiat instituendo majoratum, sive facultate Regis instituatur, sive absque illa. Ita Molina, *de primogeniis lib.* 2. *c.* 8. *n.* 15. Fagundez, *suprà n.* 10. Septimò si fiat à principe, qui superiorem non cognoscit alicui privato vassallo, vel à generali, vel magno Magistro militiæ suis militibus. Ita cum Molina, Fagundez, *suprà n.* 11 & 12. Et tandem donatio sine insinuatione juramento firmatur de jure communi, & Castellæ, non tamen firmatur jure Lusitano, ut bene cum communi Fagundez *suprà n.* 13. & 14.

508 Dico tertiò: donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum est omnino invalida, ut patet *ex l. ex eo Cod. de inutili stipulatione*, & tenet cum communi sententia Fagundez, *lib.* 4. *de justitia c.* 10. *n.* 2. aufert namque potestatem testandi, quod est contra bonos mores; Est tamen valida de jure communi, & Lusitano, non tamen Castellæ, donatio omnium bonorum præsentium tantum. Ita cum communi sententia Fagundez, *suprà n.* 3. Et idem dicendum est de donatione omnium mobilium, & immobilium Fagund. *ibi n.* 5. Et de donatione omnium bonorum præsentiũ, & futurorum causa mortis Fagundez, *sup. n.* 6. Et de donatione omnium bonorum præsentium, & futurorum, cum reservatione fructuum, vel partè illorum, dummodo reservatio fructus sit aliquantulum major, quam necessaria sit ad competentem sustentationem donatoris, ita ut aliquid ei supperat ad testandum Fagundez, *suprà n.* 7. & 8. Est tamen invalida donatio hæreditatis 509 Fagund. *suprà n.* 9 excipe si fiat Ecclesiæ: nam donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum facta Ecclesiæ vel loco pio, est valida. Ita cum communi sententia Fagundez, *suprà n.* 10. Et idem dicendum est si talis donatio fieret inter duos fratres ad invicem favore agnitionis conservandæ Fagundez, *suprà n.* 11. vel si fiat ob causam onerosam dotis, transactionis, aut alterius similis Fagundez *suprà n.* 12. Est etiam valida donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum cuicunque facta, si principis authoritate firmetur. Ita Fagundez, *suprà n.* 13.

SECTIO VI.

De Donatione conditionali, & in diem adjectione.

SUMMARIUM.

§ 10 Si donatio, vel promissio fiat in diem futurum, certum, incertum tamen sit, quando ille dies adveniet, valida est donatio.

§ 11 Si donatio fiat in diem incertum, qui incertus est quando futurus sit, tunc dies apposita facit donationem conditionalem.

§ 12 Quando donatio fit ad diem certum, v.g. calendis januarij, & dubitatur de quibus calendis januarij loquatur, intelligenda est de proximioribus.

§ 13 Conditio præteriti, vel præsentis temporis addita donationi non suspendit illam, sed si conditio existit, valet & è contrà.

§ 14 Conditio re ipsa impossibilis, irritam reddit statim dispositionem, sive sit de præterito, præsenti, vel futuro.

§ 15 Conditio, si nupseris, apposita ultimæ voluntati habetur pro non adjectâ.

Dico primò: si donatio, vel promissio fiat in § 10
diem futurum certum, incertum tamen sit, quando ille dies adveniet, valida est donatio, licet pendeat à conditione illius diei certi, qui ignoratur, quando eventurus sit, ut si diceres, promitto Paulo centum aureos solvendos post diem mortis meæ, valida est donatio, & si Paulus prius moriatur promittente, & pertinet ad ejus hæredes, non tenetur tamen donator, vel promissor solvere, nisi post suam mortem. Ita cum communi sententia Fagundez, *lib* 4. *de justitia cap.* 2. *n.* 3. per quod distinguitur hæc donatio à legato: nam si legatarius prius legante moriatur, tollitur legatum, non tamen donatio, Fagundez, *ibi n.* 4.

Dico secundò: si donatio fiat in diem incertum, § 11
quod incertum est, quando futurus sit, tunc dies appositа habet vim conditionis de futuro, & facit donationem conditionalem, v.g. si dicas promitto Paulo centum in diem quo electus fuerit Papa, vel Frãciscus ab India venerit, hæc enim donatio facit hunc sensum, *do Paulo centum*, si Paulus fuerit Papa, vel Franciscus ab India venerit. Et idem dicendum est de legato hoc modo relicto Unde talis donatio solum erit valida, si ponatur conditio, Fagundez, *suprà n.* 7. Excipe nisi talis promissio, vel donatio facta sit ob obsequia præstita: nam tunc, & si talis conditio non ponatur, donatio erit valida, quia censendum est velle donatorem meritâ remunerare, & obsequia satisfacere, & solum posuisse diem in donatarij favorem Fagundez, *suprà n.* 8.

Dico tertiò: quando donatio fit ad diem certum, § 12
v. g. ad calendas Januarij, & dubitatur de quibus calendis Januarij loquatur: intelligenda est de proximioribus. Ita cum Lopez, Molina Fagundez, *sup. n.* 12. Et quando in aliquo contractu dicitur, ad talem diem solvam, promittens non potest obligari ut ea die solvat; sed die sequenti, eo quod totus ille dies arbitrio solventis tribui debet. Si tamen aliquis promittat aliquid dare singulis annis, mensibus, hebdomadibus, id solvendum est in fine anni, mensis, &c. si tamen promittat aliqbid dare omnibus annis vitæ suæ, vel omnibus mensibus, intelligitur in principio cujuscunque anni, vel mensis. Si vero promittat daturum Petro centum, dum vixerit, si Petrus pauper fuerit, intelligitur quotannis, si vero dives pro una tantum vice, si vero dicat dabo sibi centum, non assignando tempus, tum quam primum possibile fuerit adimplenda est promissio. Ita cum Molina, & aliis Fagundez, *suprà n.* 13. *usque* 17.

Dico quartò: conditio præteriti, vel præsentis § 13
temporis addita donationi, vel dispositioni, nõ suspendit illam, sed si conditio existit, valet dispositio,

si non existit non valet, *ut do tibi hanc vestem*, si Romæ fuisti, vel si es meus agnatus quod procedit, & si conditio sit turpis. Ita cum Lessio, Villalobos, Trullenc. *lib.* 7. *c.* 17. *dub.* 12. *n.* 2. si tamen conditio fuerit futuri incerti, *ut do tibi centum*, si sacerdos fias, suspendit donationem usque ad tempus, quo impleatur conditio; si vero conditio de futuro certo, *ut do tibi centum si es moriturus*, reputatur præsens, & statim perficitur donatio. Ita cum Lessio, Trullenc. *suprà n.* 3.

514 Dico quintò: conditio re ipsa impossibilis irritam reddit statim dispositionem, sive sit de præterito, de præsenti, vel futuro, ut si dicas, *do tibi centum*, si cælum digito attingas, vel tetigisti, vel tetigeris; excipe contractum matrimonij: nam in eo conditiones impossibiles habentur pro non adjectæ in foro externo, secus in interno, si promissor cum tali conditione re vera præbuit consensum Trullenc. *suprà n.* 5. excipe etiam ultimas voluntates, in quibus etiam talis conditio habetur pro non adjecta. Et idem dicendum est de conditione turpi. Excipe nisi testator putaret conditionem esse honestam, Trullenc. *suprà n.* 6.

515 Conditio autem si nupseris, apposita ultimæ voluntati, habetur pro non adjecta, si quis vero alicui leget centum si nupserit, illa consequitur si ingrediatur religionem, quia cum religionem non expresserit, videtur non excludere. Quod si quis dicat lego 100. si religionem ingrediatur. 200. vero si nupserit, probabilius est consequi 200. quia illa conditio, si nupseris, habetur, pro non adjecta, cum retrahat à Religione. Et idem dicendum est, si illa cui relictum est legatum cum conditione, si nupserit, non velit nubere, sed manere in cœlibatu, vel fiat beata. Item si dentur alicui 200 si non nupserit, & centum si nupserit, si nupserit consequitur. 200. quia conditio retrahit à matrimonio carnali, & per consequens habetur pro non adjecta. Ita cum Sylvestro, & aliis Trullenc. *suprà n.* 6.

SECTIO VII.

Utrum Donatio facta ad certum usum, vel finem, vel ob aliquam causam, sit valida, si usus, finis, vel causa, præstetur, vel subsistat?

SUMMARIUM.

516 *Quando aliquis donat ad certum finem si non intendat ad illum obligare, sed allicere, donatio est valida, etsi finis non assequatur.*

517 *Donatio ad certum finem facta, si finis principaliter intendatur, fine non assecuto, donatio est irrita.*

518 *Donatio ob causam præteritam, vel futuram si causa finalis non subsistat est nulla.*

516 Dico primò: quando aliquis donat ad certum finem, si non intendat ad illum obligare, sed solum allicere animum, vel præbere medium, ad illum consequendum, non est irrita donatio, & si finis non assequatur, v. g. legavit Petrus centum puellæ, ut nubat, nec aliud expressit, illa vero ante nuptias obiit, legatum non est restituendum, sed transit ad hæredes puellæ, imò etiamsi manens in vita coleret cœlibatum in sæculo, vel ingrederetur religionem, non teneretur restituere. Et ob hanc causam valet donatio, qua quis donat collatori ad alliciendum illius animum, ut beneficium conferat, vel mercatori, ut ad mutandum inclinetur, vel puellæ ut ad consensum flectatur, etiamsi finis non assequatur, quia non est donatio conditionata, sed absolutè, facta non animo obligandi, sed alliciendi. Unde donatarius potest acceptare illam, etiamsi 517
animum non habeat præstandi, quod donator intendit. Secus dicendum est, si finis principaliter intendatur: nam tunc fine non consecuto, donatio, vel promissio est irrita. Ita cum Medina, & aliis communiter, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 13. *num.* 1. & 2.

Dico secundò: donatio ob causam præteritam, vel futuram, si causa finalis non subsistit, est irrita, siquidem facta fuit sub conditione talis causæ, secus dicendum est si error versetur non circa substan- 518
tiam rei donatæ, sed circa aliquam circunstantiam accidentalem, tunc enim non est irrita, sed potest irritari arbitrio donatoris, unde si donatarius est causa erroris, tenetur detegere, ut donator pro arbitrio suo revocet, secus si non est causa erroris, sed potest donatum retinere. Ita cum Lessio, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 14. *num.* 1. Fagundez, *lib.* 4. *cap.* 4.

SECTIO VIII.

Quibus casibus possit donatio revocari?

SUMMARIUM.

519 *Donatio liberalis revocari potest primo ob ingratitudinem.*

520 *Qua ingratitudo requiratur?*

521 *Mulier mortuo primo viro, si secundo nubat, non potest revocare donationem factam filio prioris viri ob ingratitudinem, nisi in tribus casibus, qui ibi explicantur.*

522 *An donatio facta Ecclesiæ revocari possit?*

523 *Donatio revocari potest ratione prolis susceptæ.*

524 *Quid si donatio alicui ascendentium facta sit?*

525 *Donatio revocari potest si sit inofficiosa.*

526 *Hæc donatio inofficiosa non revocatur, nisi post mortem Patris.*

527 *Donatio causa mortis semper revocari potest.*

Dico primò: donatio liberalis, non enim hic lo- 519
quimur de donatione ex causa dotis, remunerationis, vel alterius cujuscunque: nam hæc nec ex ingratitudine, vel ex quod nascantur filij, revocari potest Fagundez, *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 13. Donatio igitur liberalis revocari potest ob ingratitudinem, *l. fin. Cod. de revocanda donatione*, & communiter DD. Quod verum est, etsi donationi clausula apposita sit, ut non possit revocari, etiam causa ingratitudinis. Ita cum communi sententia Fagundez, *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. Quod verum est, etiamsi firmetur juramento, absque licentia Regis, stando in jure Lusitano, imò & jure communi, nisi condirio excludatur. Decastillus, *lib.* 2. *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 148. Hæc 520
autem ingratitudo quinq; ex causis fit. 1. si donatarius injurias atroces in donatorem effuderit. 2. si in eum manus impias intulerit. 3. si jacturam non levem bonis ejus attulerit. 4. si periculum vitæ ei intulerit. 5. si donationi conditionem appositam non impleverit. Ita cum communi sententia Fagundez, *lib.* 4. *cap.* 14. *à num.* 1. *usque* 7. Quibus adde. 6. si inopia pressum non alueris. 7. si adulterium commisit cum uxore donatoris, vel ejus filiam violaverit. Ita cum Lessio, Molina, & aliis Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 16.

Digitized by Google

cap.16.dub.11.n.1. Et idem de aliis ſimilibus, vel gravioribus cauſis ingratitudinis dicendum eſt. Ita Gomez, *tom.2.variarum cap.14.num.14.* Molina, *de primogeniis cap.9.n.32.* & alij.

321 Advertè tamen quod ſi mulier mortuo primo viro, ſecundo nubat, non poſſit revocare donationem factam filio prioris viri, ex cauſa ingratitudinis, niſi in tribus caſibus de jure Luſitano. Primò ſi ipſe filius inſidias tendat vitæ matris. Secundò ſi iracundè violentas manus in eam inge ſerit. Tertiò ſi machinatus eſt aliquid redundans in notabilem jacturam bonorum matris. Ita habetur *in ordinatione tit.63.n.6.* de quo vide Fagundez, *lib.5. juſtitia cap.14.n.8.* Secundò adverte donatarium ingratum non teneri in conſcientia rem donatam reſtituere, niſi poſt ſententiam judicis. Ita cum communi ſententia Fagundez, *ſuprà n.10* & quando res ex ſententia judicis reſtituitur, debet reſtitui cum fructibus perceptis à lite conteſtata, non vero cum fructibus antea perceptis: nam hi ad donatarium pertinent. Gomez, *tom 2.variarum cap.4.n.21.* & cum Molina, Fagundez, *ſuprà n.10.* at ſi donatarius injuſte impediat querelam, poteſt donator ſibi rem donatam ex bonis donatarij compenſare, quia per injuriam patitur damnum. Ita cum Leſſio, Trullenc. *ſuprà n.3.* Si tamen donator in vita non revocavit donationem ob hanc cauſam, ejus hæredes non poſſunt illam revocare. Excipe niſi donator ignorans ingratitudinem, non ideo revocavit: nam tunc hæredes revocare poſſunt. Ita cum Leſſio, Bonacina, Villalobos, Trullenc. *ſuprà n.4.* Decaſtillus, *ſuprà n.155.*

322 An autem donatio facta Eccleſiæ revocari poſſit ob ingratitudinem prælati? Aliqui affirmant: nam ſicut prælatus valide poteſt ſuæ Eccleſiæ præjudicare non acceptando legatum, ita & per ſuam ingratitudinem, donatio enim non fuit facta immediate Deo, ſed propter Deum immediate facta fuit hominibus, hoc eſt prælatis, miniſtris Dei. Ita Fagund. *ſupr.n.16.* ubi teſtatur ſic in ſenatu Vliſiponenſi judicatum fuiſſe in caſu contingenti: ſed contrarium tenet Decaſtillus, *lib.2.tr.5.d.1.n.147.* ubi aſſerit, quod neque ob ingratitudinem prælati, nec ejus capituli, etiam regularis, poſſe revocari, cenſetur enim facta Deo, quod videtur probabilius.

323 Dico ſecundò: donatio ſecundo revocatur ratione prolis ſuſceptæ, ut ſi quis prole carens, magnam partem bonorum ſuorum donaverit, & poſtea naſcantur ei filij, *ex l.ſi unquam Cod.de revocanda donatione*, præſumitur enim facta ſub conditione, niſi naſcantur filij, quod procedit, etſi donatio ſit juramento confirmata; quia juramentum non tollit conditionem. Excipe niſi excludens talem conditionem juramento confirmaret ſtando in jure communi. Ita cum aliis Decaſtillus *ſuprà n.162.* non tamen de jure Luſitano, ut ſæpe diximus, vel ſi renuntiavit privilegio *legis ſi unquam*, poterunt tamen filij, quoad eorum legitimas tantum donationem revocare. Ita cū multis Fagund *lib.5.c.15.n.3.* & 7.

324 Adverte tamen, quod ſi ob hanc cauſam revocetur donatio, ſi facta ſit extraneo revocatur tota, ſi facta ſit alicui aſcendentium, ut Patri, vel avo, revocatur ſolum quoad legitimas filiorum, poſtea ſuſceptorum. Et idem dicendum eſt, ſi facta ſit Eccleſiæ ita cum Leſſio, Trullenc. *ſuprà n.4.* Adverte tamen quod ſi filij ſuſcepti moriantur ſi Pater poſt mortem filiorum, nec tacite, nec expreſſe donationem revocavit, iterum reviviſcere, ſecus ſi revocavit, & non patitur donatarium illis frui. Fagund. *ſuprà n.9.* An autem donatio revocetur per ſuſceptionem filiorum naturalium, vel ſpuriorum, etiamſi à principe legitimentur? Reſpondeo negativè. Ita cum Valaſco, Fagundez, *ſuprà n.11.* contra Julium, Clarum, Pariſium, & alios.

325 Dico tertiò: donatio revocari poteſt ſi ſit inofficioſa, id eſt contra officium pietatis paternæ in filios, ut cum tantum donat, ut filij priventur ſua portione legitima, *l.1. & ſequenti, Cod.de inof.donat.* Quæ ſi facta eſt alicui ex filiis, revocatur ſolum quoad legitimam aliorum, ſi vero extraneo, animo defraudandi filios, revocatur tota, ſi vero facta ſit extraneo ſine illo animo revocatur ſolum quoad legitimas filiorum. Et idem dicendum eſt ſi facta ſit Eccleſiæ, vel loco pio. Ita cum Leſſio, Trullenc. *lib.7.cap.17.dub.11.n.6* Imò poſſunt Patres minuere legitimas filiorum, tum per contractus oneroſos, tum per donationes remuneratorias, & ad pias cauſas, quia talis donatio non eſt vera donatio, ſed donatio ob cauſam. Ita cum Leſſio, Navarro, Trullenc. *lib.7. cap.17. dub.11. n.6.*

326 Adverte tamen hanc donationem inofficioſam non revocari, niſi poſt mortem Patris, quia tunc debetur filiis legitima Trullenc. *ſuprà n.7.* licet oppoſitum teneat Buſembau, *lib.3. tract.5. cap.3. dub.3. n.3.* nam licet ante mortem Patris non debeatur legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conſervanda; unde ſi Pater bona diſſipet, poteſt à filio per judicem cogi, ut ſervet legitimam, ne his per mortem Patris careat alimentis Ita cum Diana, *p.8.tract.6.reſ.66.* Buſembau, *ibi.* Secundò adverte, quod id quod diximus de donatione inofficioſa reſpectu filiorum, dicendum eſt reſpectu aſcendentium, ut Patris, avi, &c. ſiquidem eis non poteſt filius, vel nepos in legitima præjudicare, Fagundez, *lib.4. cap.16. n.8.*

327 Dico quartò: donatio cauſa mortis ſemper revocari poteſt, perinde atque legatum, aut teſtamentum, unde ſi quis donans cauſa mortis addat conditionem, ut non poſſit revocari, cenſetur donatio inter vivos, *l.ubi donator, ff.de donat. cauſa mortis*, & efficitur irrevocabilis. Ita cum communi ſententia Dicaſtillus, *lib.2. tract.5.d.1.n.188.* cenſetur autem donatio cauſa mortis revocata, ſi donatarius moriatur ante donatorem. Et idem dicendum eſt ſi donator dedit intuitu alicujus periculi mortis: nam ſublato periculo, revocatur donatio. Si tamen ſit dubium an donatio ſit cauſa mortis, vel inter vivos, cenſenda eſt inter vivos, niſi in ea fiat mentio mortis. Ita cum Molina, & aliis Decaſtill. *ſup.n.190.* utrum autem donatio facta in Codicillis, & teſtamentis, eo ipſo cenſeatur cauſa mortis, etiamſi mentio mortis ibi non fiat? Reſpondeo affirmative. Ita cum Claro, Decaſtillus, *ſuprà n.191.*

DISPUTATIO XIII.

De Depoſito.

SECTIO I.

Quid ſit Depoſitum?

SUMMARIUM.

328 *Ponitur depoſiti diffinitio.*

329 *In quo differat à commodato, & precario?*

330 Poteſt

530 *Poteſt fieri à judice, vel à perſona privata, & quid ſit utrumque?*

531 *Qua conditiones ad depoſitum requirantur?*

528 DIco primò: depoſitum eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia alteri committitur, ut ipſa in integrum reſtituatur, *l.1 & ſequenti, ff. de depoſitis, & §. præterea inſtit. quibus modis res contrahit. oblig. &* 529 *cap. 1. & 1. de depoſito.* Perficitur autem hic contractus dum res traditur, & ſuſcipitur à depoſitario. Differt autem à commodato, & precario, quia depoſitum fit in gratiam deponentis, commodatum vero, & precarium regulariter in gratiam recipientis; tum quia in depoſito nullum rei dominium, vel poſſeſſio transfertur, ſed ſola cuſtodia quæ potius oneris eſt, quam favoris, unde & juſte poteſt depoſitarius petere expenſas factas circa rem depoſitam, v. g. circa equum Palaus, *de juſtitia tra-* 530 *ctat. 32. d. 3. p. 2. n. 3.* Hoc autem depoſitum vel poteſt fieri à judice, & dicitur judiciale, ſeu ſequeſtrum, ut quando res aliqua litigioſa datur alicui in cuſtodiam, vel propria authoritate, quod appellatur depoſitum privatum, de quo eſt ſermo in præſenti; ſolent autem deponi ſolum res mobiles, immobiles vero ſequeſtrari. Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 25. d. 1. n. 1.*

531 Dico ſecundò: ad depoſitum quatuor requiruntur. Primum conſenſus tradentis, & acceptantis: nam contractus mutuo conſenſu perficitur. Unde non ſufficit deponere apud alterum rem, etiamſi videat, ut depoſiti contractus celebretur, ſed requiritur, ut ſpecialis cura talis rei actu illi cõmendetur, & quod alter oſtendat ſe illius rei cuſtodiam ſuſcipere, quod verum eſt, non ſolùm quando aliquis non tenetur ex officio cuſtodire, ut omnes admittunt, ſed etiam quando tenetur ex officio cuſtodire, ut ſunt caupones, ſtabularij, nautæ, &c. idque ob multitudinem accedentium, & recedentium, quorum fidem, & factum ipſi præſtare nolunt, & ita obſervat conſuetudo. Ita Leſſius, *lib. 2. c. 27. n. 10.* probabile putat Tamburin. *lib. 9 de triplici jure tract. 7. c. 5. §. 1. n. 2.* contra Palaum, *ſuprà n. 6.* Trullenc. *lib. 7. cap. 15. dub. 1. n. 1.* & alios, qui docent illos, qui tenentur ex officio res cuſtodire, ut ſunt nautæ, ſtabularij, &c. ſufficere rem videre deponi in navi, domo, vel curru, ut cenſeantur depoſitum acceptare. Secundum quod requiritur ad depoſitum eſt, quod res tradatur: nam contractus traditione perficitur. Tertium quod reſtituatur in eadem re, alias tranſiret in naturam mutui. Quartum quod ſi depoſitum pereat, pereat deponenti, ſeclusa culpa depoſitarij, & modo uſus rei non fuerit conceſſus depoſitario, & depoſitum conſiſtat in rebus uſu conſumptibilibus. Ita Bonacina, *de contract. d. 3. q. 13. p. 3. n. 1.*

SECTIO II.

Utrum depoſitarius uti poſſit depoſito?

SUMMARIUM.

532 *Depoſitarius non poteſt uti depoſito invito domino.*

533 *Poteſt uti depoſito quando creditur uſum non diſplicere domino.*

534 *Poteſt depoſitarius uti depoſito quando dominus uſum conceſſit.*

535 *Si depoſitarius de licentia expreſſa, vel tacita domini utatur vel negotietur, depoſito uſu conſumptibili, juſte retinere poteſt ſibi lucrum ex tali negotiatione receptum.*

536 *Quid ſi depoſitarius utatur depoſito uſu conſumptibili, invito domino?*

537 *An peccet mortaliter utens invito domino uſu conſumptibili?*

DIco primo: Depoſitarius non poteſt uti depoſito, unde ſi illo utatur, invito domino, cenſetur furtum committere, *l. ſi ſaculum, ff. depoſiti.* Unde ſi unus ſit pretio æſtimabilis, tenetur pretium ſolvere, præſertim ſi intelligat id velle dominum, & non conſtet, vel rationabiliter præſumatur illud velle condonare Leſſius, *lib. 2. cap. 27. dub. 2. num. 5.* In duobus tamen caſibus poteſt depoſitarius uti depoſito. Primò quando creditur uſum non diſplicere domino. Vnde ſi depoſitarius rem 533 ſuam commutet cum re ſimili deponentis ex voluntate præſumpta, credens id non diſplicere domino, ſi poſtea res ſua caſu pereat deponenti periit, ut accidit illi Nauclero, qui cum in navi veheret ſuas, & aliorum amicorum arcas ſacchari plenas, in quadam inſula vendidit ſuas arcas, ſed quia hæ in fundo erant navis, unde difficulter extrahi poterant, dedit emptori illas alienas, quæ ſupereminebant, animóque applicuit amicis ſuas æquales omnino bonitatis, & pretij, cum ergo poſtea in manus incideret piratarum, non ſibi, ſed amicis illæ arcæ perierunt, nam per conſenſum mutuum tacitum, & præſumptum, jam illæ arcæ factæ erant amicorum, quod & in rebus mobilibus ejuſdem bonitatis, & ſpeciei procedit. Ita Molina, *d. 523. n. 6.* Lugo *d. 33. de juſtitia, n. 5.* Tamburinus *lib. 9. de triplici jure, tract. 7. cap. 6. §. 4. num. 2.* contra Bonacinam, *diſt. 3. de contractibus, quæſt. 14. part. 1. n. 3.*

Secundò poterit depoſitarius uti depoſito, quando dominus uſum conceſſit ſaltem tacitè, tacitè autem concedere præſumitur, quoties deponit rem 534 uſu conſumptibilem, & quæ functionem habet, ut frumentum, vinum, oleum, pecuniam, nec interdicit depoſitario ejus uſum, & aliàs depoſitarius certus eſt ſe cum depoſitum reperatur paratum habiturum tantundem ejuſdem menſuræ, ac bonitatis, interdicere tamen cenſetur ſaltem tacitè, ſi deponat vinum generoſum, vel quid ſimile difficulter reddendum in ſua bonitate, vel ſi deponat pecuniam in ſacculo ſigillo munitam, vel arca clauſam. Ita Fagundez, *in decalog. lib. 7. cap. 16 n. 18.* & cum Navarro, Molina, Layman, Tamburinus *de triplici jure, lib. 9. tract. 7. cap. 4. §. 1. n. 4.* Eſcobar, *lib. 38. decalogi, num. 2.* Trullenc. *lib. 7. c. 25. dub. 1. num. 4.*

Dico ſecundò: Si depoſitarius de licentia expreſ- 535 ſa, vel ſaltem tacita utatur, & negotietur depoſito uſu conſumptibili, v. g. pecunia, frumento, &c. juſte retinere poteſt ſibi lucrum ex tali negotiatione receptum. Ita Sylveſter *verbo ſolutio, q. 2. n. 2.* Azor. *lib. 4. c. 35. q. 3.* Reginaldus *lib. 2. n. 172. & 175.* Trullenc. *ſup. n 4.* Ratio eſt quia inde nullum ſequitur damnum deponenti, imò depoſitarius tenetur de caſu fortuito, cenſetur enim talis res mutuata, & tranſit in dominum depoſitarij.

Dico tertiò: ſi depoſitarius utatur tali re depoſita uſu conſumptibili invito domino, & eo poſitive renitente, ſi depoſitarius certus moraliter ſibi ſe poſſe rem ejuſdem ſpeciei, & bonitatis reddere deponenti quoties depoſitum fuerit ab eo poſtulatum, non tenetur lucrum ex tali negotiatione acquiſitum deponenti reddere, quia illud lucrum eſt fructus induſtriæ depoſitarij, unde ſolum tenebitur

depoſi

depoſitarius de lucro ceſſante, ſi forte aliquod factum fuit deponenti, etſi depoſitarius uſus fuit re, quæ non eſt uſu conſumptibilis, ut equo, veſte &c. tenebitur reddere quanti valet hujuſmodi uſus. Ita cum Fagundez, Laïman, Tamburinus, *ſuprà num.* 5. contra Trullenc. *ſuprà num.* 4. Sylveſtrum, *verbo depoſitum num.* 10.

537 An autem peccet mortaliter tali re uſu conſumptibili utendo invito domino? Reſpondeo peccare ad menſuram rationabilis involuntarij domini, quia non eſt dubium aliquam injuriam illi fieri utendo ejus pecunia, etiamſi ſit ſine ejus damno, illi tamen poſitive retinente, & prohibente, ne illa pecunia depoſita tranſeat in mutuum. Tamburinus, *ſuprà num.* 6. & cum aliis Palaus, *tract.* 32. *de juſtitia d.* 3. *p.* 3. *num.* 1.

SECTIO III.

Cujus ſit incrementum, & decrementum depoſiti, quod uſu conſumitur?

SUMMARIUM.

538 *Si depoſitarius rem uſu conſumptibilem de conſenſu tacito, vel expreſſo domini accepit in mutuum ſibi accreſcit, & decreſſit, non vero deponenti.*

539 *Si rem ita non accepit, ſed depoſitum ut pecuniam obſignatam in ſacculo &c. tunc res accreſcit, & decreſcit deponenti.*

538 Dico primò: Si depoſitarius rem depoſitam quæ uſu conſumitur, ut pecuniam, vinum, triticum, &c. expreſſe, vel tacite in mutuum modo in præcedenti dicto accepit, ſibi valor accreſcit, & decreſcit, non vero deponenti. Ratio eſt quia in hoc caſu tranſlatum eſt dominium pecuniæ in depoſitarium, & depoſitarius tenetur de caſu fortuito; ergo incrementum, & decrementum eſt rei ſuæ: ergo ſufficit quod reddat rem depoſitam ſecundum valorem, quem habet tempore depoſiti.

539 Dico ſecundò: ſi depoſitarius rem uſu conſumptibilem non accepit in mutuum, nec expreſſe, nec tacite, ſed eam ut depoſitam habuit, ut ſi pecuniam obſignatam in ſacculo per modum maſſæ repoſuit, vel triticum in arca clauſum habuit, tunc res depoſita accreſcit, & decreſcit deponenti, ſunt etiamſi caſu fortuito periit, periit deponenti. Et ratio eſt quia ſicut apud deponentem manet rei depoſitæ dominium, ita etiam ad eum pertinet, ſive illius damnum, ſive commodum. Ita cum Bonacina, Tamburinus, *lib.* 9. *de triplici jure tractatu* 7. *cap.* 5. §. 3. *numero* 2. & cum Azor, Reginaldo, Leſſio, & aliis, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 4. Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. num.* 10.

SECTIO IV.

Quis poſſit eſſe deponens, & quis depoſitarius?

SUMMARIUM.

540 *Omnes ratione utentes, etiam pupilli, & fœminæ, clerici, & Religioſi poſſunt eſſe depoſitarij.*

541 *Religioſus acceptans depoſitum rei gravis in meram cuſtodiam ſine licentia ſuperioris non peccat mortaliter contra votum paupertatis.*

542 *Omnes ratione utentes, qui alicujus rei adminiſtrationem habent eam deponere poſſunt.*

Dico primò: omnes rationes utentes, etiam pupilli, & fœminæ, clerici, & religioſi poſſunt eſſe depoſitarij, hac differentia, quod pupillus ſi ſine tutoris authoritate depoſitum recepit, ſi in ejus manu res periit non tenetur reſtituere, niſi id in quo factus eſt ditior, Religioſus vero, ſi ſine prælati facultate depoſitum ſuſcepit, & in ejus manu periit, vel illud conſumpſit, prælatus, vel conventus ad nihil tenetur, niſi forte aliquid in ejus commodum conſumptum fuerit. Et idem dicendum eſt de Eccleſia reſpectu beneficiarij; ſi tamen prælatus conventus, vel Eccleſiæ cum ſuo capitulo depoſitum ſuſcepit, tunc ſicut alij depoſitarij obligantur reddere depoſitum Bonacina, *de contract. d.* 3. *quæſt.* 14. *p.* 2. & cum Azor, Leſſio, Filliucio, & aliis, *lib.* 38. *Decalog. num.* 4. 540

Dico ſecundò: Religioſus acceptans depoſitum rei gravis in meram cuſtodiam, ſine ſuperioris conſenſu non peccat mortaliter contra votum paupertatis; ſecus ſi vim depoſiti deponenti concedere intentet, quia licet contractus ſit nullus, nullamque monaſterio imponat, at velle quantum eſt ex ſe hanc obligationem ſubire, iniquum eſt, & contra votum. Ita Lugo, *d.* 33. *de juſtitia num.* 6. Molina, *d.* 525. Laïman, *tra.* 4. *cap.* 14. *n.* 6. & cũ aliis Tamburinus, *de triplici jure lib.* 6. *tract.* 7. *c.* 5. §. 2. *n.* 4. & 5. 541

Dico tertiò: omnes ratione utentes, qui alicujus rei adminiſtrationem habent eam deponere poſſunt apud virum fidelem, imò & apud infidelem, ſed ſuo. Ita Azor, *p.* 3. *lib.* 7. *cap.* 3. & cum aliis communiter Tamburinus, *ſuprà num.* 1. Res autem quæ deponuntur, vel ſunt mobiles, ut veſtis, liber &c. vel ſe moventes, ut equus, bos, &c. vel uſu conſumptibiles, ut vinum, triticum, pecunia, ſi vero tradatur in depoſitum res immobilis dicitur ſequeſtrum. Ita cum aliis Eſcobar, *ſuprà num.* 5. & nos *ſuprà*, tetigimus. 542

SECTIO V.

Ex qua culpa teneatur depoſitarius, ſi depoſitum pereat, vel deterius fiat?

SUMMARIUM.

543 *De jure naturæ nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamſi apud ipſum ſit ex cõtractu, niſi ob dolum, vel latam culpam Theologicam.*

544 *Quid dicendum ſit inſpecto jure poſitivo?*

545 *Hoc jus poſitivum ſolum obligat poſt ſententiam judicis.*

546 *Quædam corollaria ponuntur.*

Dico primò: ſtando intra limites juris naturalis nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamſi apud ipſum ſit ex contractu, vel quaſi contractu, niſi ob dolum, vel latam culpam Theologicam, ſiquidem nemo tenetur jure naturæ majorem diligentiam præſtare in cuſtodia rei depoſitæ, commodatæ, conductæ, &c. quam in re propria, & quam 543

ipſe dominus adhibuiſſet, ſi apud ipſum manſiſſet: ergo ſi hæc diligentia ſit poſita, & res pereat ſine culpa perit, & omnino fortuito; ſed nemo tenetur ad caſum fortuitum, niſi aliter expreſſe ſit conventum, vel quis ſit in mora culpabili reſtituendi, vel fuiſſet occaſio culpabilis ipſi caſui fortuito, ut bene Leſſius, *lib.2.cap.7.dub.8.num.37.& 38.* & alij communiter: ergo. Ita Sotus, *lib.4.de juſtitia quæſt.7.art.2.* Ledeſma, *tom.2.p.4.lib.1.quæſt.8.art.2.* Sà *verbo commodatum numero 3.* Leſſius, *lib.2.cap.7.dub.6.num.24.* Palaus, *de juſtitia tract.3 2.d.3.p.6.num.2.* & cum Sylveſtro, Trullenc. *lib.7.cap.6.dub.4.num.4.*

544 Dico ſecundò: inſpecto jure poſitivo, quod bonum commune, rectamque reipublicæ adminiſtrationem ſpectat, etiam nulla culpa Theologica intercedente, obligationem poteſt quis habere damnum alteri factum reparandi, non ſolum quando tenebatur ex contractu, ſed etiam abſque contractu, ut bene advertit Palaus, *ſuprà num.2.* & nos jam alibi ſæpe diximus; veniendo tamen ad noſtram quæſtionem, ſi depoſitum erat tantum in commodum deponentis, ſolum tenetur depoſitarius ex dolo, & lata culpa. Ita habetur, *inſtit. quibus modis § interu. & u.* Si vero cedit in commodum utriuſque, tenetur etiam ex culpa levi, ut ſi pro cuſtodia aliquid accipit, *l.contractus ff. de reg. juris.* Si autem depoſitio in ſolius depoſitarij commodum, tenetur etiam de leviſſima culpa, *cap.unico de commodato.* Ita cum Fauſto, Reginaldo, & aliis Eſcobar, *lib.38.Decalog. num.8.* Tamburinus, *lib.3.Decalog.cap.5.§.1.num.1.* & cum Leſſio, Bonacina, Diana, Trullenc. *lib.8. Decalog.cap.25 §.1.num.6.* Culpa autem lata in jure eſt omiſſio diligentiæ, quam homines prudentes ſimilis conditionis adhibere ſolent, levis eſt quam prudentiores, leviſſima eſt quam prudentiſſimi adhibere conſueverunt. Ita cum Azor, & aliis, Tamburinus, *lib.8.Decalog.tract.3.cap.2.§.4.num.2.* & cum Leſſio, Bonacina, Villalobos, Trullenc. *lib.7. Decalog.cap.6.dub.4.num.5.*

545 Dico tertiò: hujuſmodi leges ſolum obligant poſt ſententiam judicis. Unde ſi quis damnum alteri dedit, ſive teneretur rem indemnem ſervare ex depoſito, vel ex alio quocunque contractu, vel quaſi contractu, & multo magis ſi nullus præceſſit contractus, non tenetur rem reſtituere, niſi res pereat ex culpa gravi, & mortali coram Deo ex parte inferentis damnum, etiamſi peccaverit per venialem negligentiam, vel inadvertentiam. Ratio eſt, quia non eſt graviter condemnandus ad reſtitutionem rei gravis, qui graviter non dereliquit, iniquum enim eſt pœnæ gravitatem non proportionari ſecundum gravitatem culpæ; quare prædictæ leges, vel ſunt pœnales, quæ non obligant ante ſententiam, vel non ſunt uſu receptæ ante ſententiam judicis. Ita cum Henriquez, Fagundez, Saa, Lugo, Tamburinus, *lib.8.Decalog.tr.3.c.5.§.1.n.5.* Rebellus, *p.2.lib 16.q. unica à n.5. uſque ad 10.* Sotus, *lib.4.de reſtit.q.7. art.2.* probabile putat Leſſius, *lib.2.c.7.dub.8.n.44.* contra Navarrum, Bonacinam, & alios, quos refert Trullenc. *lib.7.Decalog.cap.6.dub.4.num.6.& cap. 25.dub.1.num.6.* contra Oñate, Vaſquium, & alios, quos refert Tamburinus, *ſuprà num.5.*

546 Hinc fit, quod ſi depoſitarius mittat deponenti rem depoſitam ſuper quam non habuit dominium per hominem, quem credebat fidelem, ipſe tamen cum illa fugiat, non teneri depoſitarium in conſcientia rem amiſſam reſtituere, quoties ſine ſua culpa gravi Theologica res ad dominum non fuit delata: nam ex contractu non obligatur depoſitarius, niſi ad diligentiam moralem proportionatum illi rei de qua agebatur in eodem contractu, cum ergo depoſitarius tradendo huic homini, quem bona fide fidelem credebat, non peccaverit ſaltem mortaliter, probabile eſt depoſitarium ad nihil amplius teneri, & rem domino perire. Ita cum Molina, Navarro, Sylveſtro, Laïman, & aliis Palaus, *de juſtitia d.1.p.17.§.9. numero 2.* & cum aliis, Tamburinus, *in Decalogum lib.8.tract.4.cap.1.§.5. numero 4.& 5.*

Dixi rem depoſitam ſuper quam non habuit dominum: nam ſi res depoſita ſit uſu conſumptibilis, & ipſe depoſitarius de facto eam aſſumpſit commodatam ex licentia ſaltem tacita deponentis, ſi res per hominem quantuncunque fidelem miſſa, in itinere periit, etiamſi hoc accidiſſet ſine ulla culpa depoſitarij illam mittentis ei periit, ſiquidem periit domino ſuo, ſed depoſitarius eſt dominus illius rei, dum non traditur deponenti: ergo. Excipe niſi depoſitarius illam miſerit per hominem deſignatum ab ipſo creditore, tunc enim creditur in ſuo homine deſignato ſuam fecit pecuniam, adeoque ipſi perit. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib.2. de juſtitia tract.2.d.3.num.107.* Tamburinus, *lib.8.Decalog.tract.4.cap.1.§.5.num.6.*

SECTIO VI.

An depoſitarius in pari periculo ſuæ rei, & rei depoſitæ obligetur rem alienam præferre ſuæ?

SUMMARIUM.

547 *In foro externo liberantem rem ſuam alienis neglectis præſumitur id dolo feciſſe, & cogunt depoſitarium depoſitum ſolvere, ſi contrarium non probet.*

548 *Si res propriæ pretioſiores, vel æque pretioſæ ſint ac depoſita in foro conſcientiæ poteſt depoſitarius res ſuas depoſitis præferre, ſi utraſque non poteſt liberare.*

549 *Si res depoſita pretioſior eſt propria, ſi depoſitarius certus ſit non eſſe recuperaturus valorem rei propriæ, non tenetur præferre rem alienam pretioſiorem propriæ, ſecus ſi talem certitudinem non habeat.*

550 *Si res depoſitarij ita vilis ſit ut per ejus jacturã non ſit notabile detrimentum incurſurus, debet rem alienam pretioſiorem præferre ſuæ.*

Dico primò: in foro externo liberantem res ſuas, alienis neglectis, præſumitur id dolo malo feciſſe, & cogunt depoſitarium, ſive alium quemcunque obligatum ex contractu eas reſtituere, ſive eas in ſui, ſive in deponentis utilitatem habuerit, ſi contrarium non probet, quod multo fortius procedit, quando res depoſitæ ſunt pretioſiores quam propriæ. Ita colligitur ex *l.cum Nerva ff. depoſiti & l.ſi ut certo §. nunc videndum ff. commodati cap. bona fides*, de depoſito Palaus, *tract.32. de juſtitia d.3 p.8.num.1.* 547

Dico ſecundò: ſi res propriæ ſint æque pretioſæ, & multo magis ſi fuerint pretioſiores, quam alienæ, ſive hæ ſint depoſitæ in commodum ſolius depoſitarij, ſive utriuſque, ſive ſolius deponentis, certum eſt poſſe depoſitarium in foro conſcientiæ res ſuas alienis præferre, ſi omnes ab incendio, v. g. liberare non poſſit. Ratio eſt, quia nemo 548

tenetur

tenetur res alienas quocunque contractu apud ſe remaneant conſervare faciendo extraordinarias expenſas, niſi dare promiſerit, ſed ſolum tenetur ad ordinarias, & communes, ut alere equum, & ſervum in ſui gratiam commodatum; ſed ſi res ſuas æque pretioſas, vel pretioſiores amitteret, ut alienas conſervaret, faceret extraordinarias expenſas: ergo. Tum quia depoſitarius non tenetur rem alienam conſervare magnis, & extraordinarijs expenſis, niſi ſperet eas à domino recuperare, ſed in hoc caſu non poteſt prudenter eas à domino ſperare, cum tanti, vel majoris valeant, quam res, quæ liberata eſt: ergo non tenetur cum amiſſione propriarum rerum alienas conſervare. Ita Lugo, *de juſtitia d.* 8. *num.* 139. Bonacina, *de contract. quæſt.* 1. *c.* 6. *num.* 23. Tamburinus, *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *cap.* 5. §. 3. *n.* 2. & cum aliis Palaus, *de juſtitia d.* 3. *tract.* 32. *p.* 8. *n.* 3.

549 Dico tertiò: ſi res aliena pretioſior eſt propria, ſi depoſitarius moraliter certus eſt ſe non eſſe recuperandum valorem rei propriæ, non tenetur præferre rem alienam pretioſiorem propriæ, ſecus ſi talem certitudinem non habeat. Ratio eſt, quia nemo in his contractibus intendit ſe obligare ad expenſas faciendas pro conſervanda re aliena cum notabili, & gravi ſuo detrimento, vel cum ejus probabili periculo, niſi vel clare promittat, vel obſtet bonum cõmune, vel alia altior ratio aliud expoſcat, ſed hic nulla ex his rationibus concurrit: ergo. Ita Lugo, *d.* 8. *de juſtitia, num.* 14. Tamburinus, *ſuprà num.* 4. Advertè tamen hujus detrimentum, ut cenſeatur notabile, debere conſiderari depoſitarij, & deponentis paupertatem, propriæ, & rei alienæ valorem, damna, & pericula ex jactura alterutrius forte conſecutura, an fuerit depoſita in commodum ſolius depoſitarij: nam tunc majus damnum debet ſubire depoſitarius, quam ſi ſolum eſſet in gratiam deponentis, vel utriuſque, Tamburinus, *ſuprà num.* 5.

550 Dico quartò: ſi res depoſitarii ita vilior ſit, ut per ejus jacturam non ſit notabile detrimentum incurſura, debet rem alienam pretioſiorem præferre ſuæ: nam ſemper in prædictis contractibus more humano, & urbano factis, aliqua tandem obligatio imbibitur rem alienam cuſtodiendi, quando poteſt ergo non excludetur rationabiliter hujuſmodi obligatio, niſi quando depoſitario afferret notabile, non vero exiguum detrimentum. Ita cum Lugo, Tamburinus, *ſuprà num.* 6. Advertè tamen quod ſi depoſitarius certus ſit dominum rei pretioſæ depoſitæ nõ eſſe ei ſoluturum pretium ſuæ rei vilis, non peccare contra juſtitiam, ſi rem ſuam viliorem alienæ pretioſiori præponat, ſed tantum contra charitatem. Excipe niſi detrimentum adeo leve ſit, ut judicio prudentum, quis etiam cenſeatur ad illud obligatus, ut ſi ad ſolvendam rem alienam mille aureos valentẽ, depoſitarius perderet rem valentem 20. vel 30. aureos, quod magis obſervandum eſt, ſi depoſitum ſit in commodum ſolius depoſitarij. Tamburinus, *ſuprà num.* 7. Lugo, *ſuprà num.* 141.

SECTIO VII.

An Depoſitarius teneatur reddere depoſitum deponenti quoties ab eo poſtulatur, etiamſi ſciat ei, vel aliis nociturum.

SUMMARIUM.

551 *Depoſitum reddi debet quoties petitur à deponente.*

552 *Depoſitarius non tenetur reddere depoſitum donec expenſa facta in depoſito cuſtodiendo non ſolvantur.*

553 *Non tenetur reddere depoſitum quando bona deponentis publicata, & addicta ſunt fiſco, ſed reddendum eſt fiſco.*

554 *Non tenetur depoſitarius reddere depoſitum, ſi inveniat rem depoſitam eſſe ſuum, vel quando res depoſita eſt furto ablata.*

555 *Non tenetur depoſitarius reddere depoſitum quando deponens illud petit in ſuum, vel aliorum damnum.*

556 *In hoc caſu debet dari certitudo deponentem velle abuti re depoſita.*

557 *An depoſitarius reddens deponenti depoſitum quo male uſurus eſt peccet mortaliter contra charitatem, vel juſtitiam?*

558 *An depoſitarius ex depoſito poſſit ſibi compenſare quod ipſi à domino rei depoſitæ debetur?*

Dico primò: depoſitum ſi fuit verum depoſitum, & non potius locatio rei depoſitæ, reddi debet ſtatim, ac petitur à deponente, & hoc licet deponens dixiſſet ſe deponere in menſem, & poſtea mutato animo petat in fine hebdomadæ. Ita habetur, *cap. bona fides de depoſit. l.* 1. §. *eſt autem &* §. *penult. depoſiti.* Sunt autem variæ pœnæ legibus impoſitæ neganti, vel non reddenti depoſitum, de quibus agit Molina, *d.* 526. eſt autem reſtituendum depoſitum in eodem loco, in quo traditum fuit, niſi aliter fuerit conventum. Ita cum aliis Tamburinus, *lib.* 9. *de triplici jure cap.* 5. §. 1. *num.* 1. 551

Dico ſecundò: in aliquibus caſibus non tenetur depoſitarius depoſitum reddere. Primò donec expenſæ factæ in re depoſita cuſtodienda ſolvantur: nam cum per depoſitum non transferatur dominium, ſed ſolum cuſtodia committatur, juſte depoſitarius expenſas exegit. Ita cum Reginaldo, Ledeſma, & aliis, Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. num.* 7. Excipe niſi depoſito uſus fuerit, & uſus compenſetur cum expenſis: nam tunc jam non eſt reddendum depoſitum, quando bona deponentis publicata ſunt, & fiſco addicta poſtquam rem depoſuit, ſed fiſco reddendum eſt. Lugo, *de juſtitia d.* 33. *num.* 7. & cum aliis Eſcobar, *lib.* 38. *num.* 7. Quidquid dicat Saa, *verbo depoſitum num.* 6. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *num.* 4. quos refert Tamburinus, *ſuprà num.* 9. 552

Secundò non eſt reddendum depoſitum, quando bona deponentis publicata ſunt, & fiſco addicta, poſtquam rem depoſuit, ſed fiſco reddendum eſt. Lugo, *de juſtitia d.* 33. *numero* 7. & cum aliis Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. numero* 7. Quidquid dicat Saa, *verbo depoſitum numero* 6. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *num.* 4. quos refert Tamburinus, *ſuprà num.* 9. 553

Tertiò quando quis rem depoſuit apud proprium dominum ignorantem eſſe rem ſuam, cognoſcens namque poſtea, non tenetur eam reddere deponenti. Quartò quando res depoſita eſt furto ablata, & repetit eam fur, qui eam depoſuit, & verus dominus: nam tunc non furi, ſed vero domino reddenda. Ita cum Leſſio, Filliucio, Reginaldo, Eſcobar, *lib.* 38. *num.* 7. Excipe niſi ex eo quod furi redderetur grave damnum proportionaliter immineret. Tamburinus, *lib.* 8. *tract.* 3. *Decalog. cap.* 5. §. 2. *num.* 6. 554

Sextò non tenetur depoſitarius reddere depoſitum, quando deponens illud petit in ſuum, vel aliorum damnum, ut quando petit gladium, verbi gratia ad occidendum injuſte, vel in furore. Lugo, *d.* 32. *de* 555

*justitia num.*7. Escobar, *lib.*38.*num. Decalog.* Imò in hoc casu tenetur non reddere, nisi sine magno incommodo, v.g. cum periculo vitæ, vel fortunarum, vel aliorum majorum, vel æqualium malorum, aliter facere non possit, & bonum commune aliud non exposcat. Tamburinus, *lib.*8. *Decalog. tract.*4. *cap.*1. §.3. *num.*4.

556 Adverte tamen in hoc casu debere depositarium moraliter esse certum deponentem velle abuti re deposita: nam in dubio nemo præsumitur acturus malum, nec sufficit probabilitas, quia sicut est probabile dominum hoc gladio peccaturum, etiam est probabile contrarium, & in pari probabilitate melior est conditio domini, qui rem suam apud depositarium possidet. Excipe furiosum, vel de quo solum est suspicio, an furiosus, vel ebrius sit: nam huic nullo modo reddendus est gladius, quia dum talis est, nulla injuria illi fit; Tamburinus, *lib.*8. *Decalog. tract.*4. *cap.*1. §.3. *num.*2.

557 An autem depositarius reddens depositum deponenti, quo male uturus est, peccet solum contra charitatem, an peccet etiam contra justitiam? Respondeo quod si reddat depositū ad proximè peccandū contra justitiam, ut gladium ad occidendum, pecuniā ad injustas usuras, peccare non solùm contra charitatem, sed etiā contra justitiā. Ita Lessius, *lib.*2. *c.*16. *dub.*4. & cum Solonio, Tamburinus, *in Decalogum lib.*8. *tract.*4. *cap.*1. §.3. *num.*5. contra Molinam, *tract.*3. *d.*755. Ratio est quia tunc valde proximè cooperatur ad actionem illam injustam. Dixi ad proximè peccandum contra justitiam: nam si remote solum cooperetur, ut si reddat depositum ad emendum navim, in qua certo scit usuras esse exercendas, non peccat contra justitiam: nam illa delicta valde sunt remota à redditione pecuniæ. Tamburinus, *suprà num.*6. Si tandem reddat depositum, quo certo scit dominum peccaturum contra alias virtutes à justitia, non peccat contra justitiam, peccat tamen contra charitatem, quando depositum negare potest absque notabili incommodo, quia cum sine incommodo possit, peccat proximi impedire, ad id eum obligat charitas, quod tamen raro accidet, domino serio petente suum depositum, ut bene advertit Tamburinus, *suprà num.* 10.

558 An autem depositarius ex deposito possit sibi compensare id, quod ipsi à domino rei depositæ debetur, etiamsi acceptio esset in præjudicium aliorum creditorum deponentis, qui essent magis privilegiati, seu anteriores, nec adesset facultas satisfaciendi omnibus? Respondeo affirmative. Ita cum Homo-bono, Tamburinus, *in Decalogum lib.* 8. *tract.*2. *cap.*5. §.6. *num.*5. contra Lugum, *de justitia d.*16. *num.* 127. Ratio est quando quia depositarius rem sui debitoris in ejus vita habet, cum eam ei possit debitor applicare in compensationem ejus crediti, remansit apud depositarium quasi in pignus, sed potest quis retinere pignus sui debitoris, & in eo compensari, etiam cum præjudicio aliorum creditorum, qui essent magis privilegiati, & anteriores, ut admittit cum communi sententia ipse Lugo, *suprà numero* 127. ergo idem dicendum est de deposito respectu depositarij, cum sit virtuale pignus.

DISPVTATIO XIV.

De commodato, & precario.

SECTIO I.

Quid sit commodatum?

SUMMARIUM.

559 *Ponitur commodati definitio.*
560 *In quo distinguatur à mutuo, declaratur.*
561 *Commodatum ex parte contrahentium dividitur in illud, quod fit in bonum commodatarij, & in id, quod fit in bonum commodatoris, & in id, quod fit in bonum utriusque.*
562 *Sub qua culpa obliget quando fit in bonum commodatarij, commodantis, & utriusque?*

DIco primò: commodatum est contractus, quo ad solum usum pro aliquo tempore res alicui gratis conceditur. Dicitur contractus, quia in eo requiritur consensus commodatarij, & commodantis, in quo convenit cum aliis contractibus. Dicitur quoad solum usum, quia per commodatum non transfertur dominium, nec possessio, sed hæc manent apud commodantem, & in hoc distinguitur à mutuo, per quod transfertur dominium, & à puro depositō, in quo nec usus conceditur; dicitur pro aliquo tempore, quia in hoc distinguitur commodatum à precario, quod ad nutum illud concedentis repeti potest, dicitur res, quia non solùm res mobiles, sed etiam immobiles, ut domus, prædium, &c. etiam commodari possunt. Dicitur gratis, quia aliàs esset locatio, in qua pro usu, qui conceditur exigitur stipendium. Ita cum communi sententia Lugo, *disp.*32. *num.*8. 559 560

Dico secundò: commodatum ex parte contrahentium dividitur in id, quod fit in bonum tantum commodatarij, quod frequentius est, & in id, quod fit in bonum tantum commodatoris, vel in id, quod fit in bonum utriusque. Si fiat in bonum tantum commodatarij, inspecto jure positivo, tenetur commodatarius, etiam de levissima culpa; si fiat in bonum tantum commodatoris, solum tenetur commodatarius de dolo, & lata culpa; si verò fiat in bonum utriusque, tenetur commodatarius de culpa lata, & levi, non tamen de levissima. Hoc tamen jus positivum solum obligat post sententiam judicis: nam in foro conscientiæ, non tenetur commodatarius aliquid restituere, nisi res pereat, vel deterior fiat ex culpa gravi, & mortali Theologica, ut diximus de deposito supra. 561 562

SECTIO II.

An commodatum repeti possit ante tempus præscriptum, ob par incommodum, vel damnum vitandum commodantis.

SVMMARIVM.

563 *Si commodator indigentiam suam non prævidit, potest juste repetere commodatum.*

564 Si

564 *Si commodator prævidit indigentiam suam, & adhuc commodavit non potest juste repetere commodatum ante tempus præscriptum.*

565 *Finito tempore, quo res fuit commodata tenetur commodatarius eandem rem commodanti reddere.*

563 Dico primò: Si commodator indigentiam suam non prævidit, potest juste repetere commodatum, quia præsumitur nunquam fuisse intentionem commodantis usum suæ rei alteri concedere pro tempore, & occasionibus, quibus ipse indigeret, & si de eo rogatus fuisset expresse negaret. Ita cum Molina, Lugo, *d.* 32. *num.* 11. Tamburinus *de triplici jure lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. & cum aliis Escobar. *lib.* 32. *Decalogi. num.* 33. Nec obstat quod inde aliquod damnum sequatur commodatario, nam id est per accidens, & ex negligentia commodatarij, qui poterat hunc casum possibilem prævidere, & sibi aliunde consulere. Lugo *supr. n.* 12.

564 Dico secundò: Si commodator prævidit indigentiam suam, & adhuc voluit commodare, nequaquam potest repetere commodatum ante tempus præscriptum, non in hoc casu commodator cessit juri suo, donavitque illud commodatario pro illo tempore. Lugo *sup.* Tamburinus, *sup. n.* 14. Escobar. *lib.* 38. *Decalogi num.* 95. Unde si commodator ante tempus concessum, rem commodatam postularet, injuste ageret, & teneretur restituere commodatario interesse. Tamburinus, *sup. n.* 9. Quod adeò verum est, ut licet commodans moriatur, non ob id commodatum cessat, quia est gratia facta, quæ morte concedentis non expirat. Escobar *lib.* 38. *Decalogi num.* 92.

565 Dico tertiò: Finito tempore, pro quo res fuit commodata, tenetur commodatarius eandem rem non factam sua culpa deteriorem commodanti reddere, nec pro tempore concesso potest ea uti ad usum non concessum absque injustitiæ peccato, potest tamen usum sibi concessum alteri commodare, nisi aliud deductum sit in peccatum, vel tacitus domini dissensus non interveniat. Molina *disp.* 194. Tamburinus *supra num.* 3. Escobar. *lib.* 38. *Decalogi, num.* 26.

SECTIO III.

An commodatarius teneatur de casu fortuito?

SUMMARIUM.

566 *Commodatarius non tenetur de casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum.*

567 *An commodatarius mittens commodatum per hominem fidelem commodanti, si nuncius rem furetur, teneatur commodatarius ad damnum æquivalens?*

568 *Alia de commodato remissive.*

566 Dico primò: Commodatarius non tenetur de casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum, vel usus sit re commodata, aliter quam sibi concessa sit, vel nisi fuerit in mora culpabili reddendi, unde ob id res fortuito periit. Excipe nisi res commodata eodem modo peritura esset apud dominum, si commodatarius in mora non fuisset; nam tunc non tenetur commodatarius de casu fortuito, sed solum tenetur solvere æstimationem lucri cessantis, vel damni emergentis, quod domino evenit ob talem moram *cap. unico de commodato.* Reginaldus *lib.* 25. *num.* 9. & cum Sylvestro, Lessius, *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 36. & 37. Escobar. *lib.* 38. *Decalogi. num.* 28. Tamburinus *in Decalogum tract.* 3. *cap.* 2. §. 8. *num.* 3.

Si tamen Quæres, An commodatarius mittens commodatum per hominem fidelem commodanti, si nuncius rem furetur, teneatur commodatarius ad iterum mittendum æquivalens? Vide quæ dixi *disp. antecedenti de deposito, sect.* 5. *dicto* 3. quod enim ibi diximus de depositio, dicendum est de commodato. An autem commodatarius, quando non potest res suas, & commodatas salvare ab incendio, teneatur potius res commodatas, quam suas salvare? Vide quæ dixi eadem *disp. de depositio. sect.* 6. An autem possit commodatarius licite compensare sibi occulte ex re commodata pro debito alio, quod à commodante recuperare non potest? Vide quæ dixi *in eadem disp. sect.* 7. Si tandem quæras, ad quem pertineant expensæ factæ in re commodata? Vide quæ dixi *disp. de locatione & conductione, sect.* 7. *dicto* 3.

567 568

SECTIO IV.

De Precario.

SUMMARIUM.

569 *Ponitur precarij definitio, & explicatur.*

570 *Qui precario accipit, ex qua culpa teneatur?*

571 *Precarium finitur morte ejus, cui conceditur, nec transit ad hæredes.*

572 *Non finitur morte concedentis, donec ab hærede revocetur.*

569 Dico primò: Precarium est contractus, quo quis alteri petenti, vel precanti concedit aliquid utendum cum potestate revocandi quandocumque ipse dominus voluerit. Ita communiter D D. Consistit autem hic contractus in eisdem rebus, ac commodatum; potest enim precario concedi res mobilis, & immobilis, jura, & servitus, tum urbana, tum rustica. *l.* 11. *ff. de precario*, Caramuel *lib.* 2. *Theologiæ moralis, num.* 681. Lessius *lib.* 2. *c.* 27. *dub.* 1. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 14. Distinguitur autem precarium à commodato in eo, quod commodatum datur ad certum tempus, precarium verò non ita, sed dans rem precario illam repetere potest, quando voluerit, dummodo statim non repetatur, semper enim debet aliquod tempus precario concedi judicio prudentis definiendum, quo utatur re concessa, nisi aliqua causa rationabilis superveniat, alias præsumeretur fraus, & dolus, dum ex una parte concederetur usus rei, & ex alia statim tolleretur. Ita cum Molina, Lugo *de justitia, d.* 32. *num.* 15. Escobar. *lib.* 38. *Decalogi. num.* 98. contra alios, quos ibi suppresso nomine refert. Si tamen imponatur pactum non repetendi rem precariò datam, est nullum, destruit namque substantiam precarij, nec contraria consuetudo quidquam potest efficere. Ita cum Reginaldo, Filliucio, & aliis Escobar, *lib.* 38. *Decalogi. num.* 35. Lugo *sup. n.* 16.

Dico secundo: Qui precario accipit, & habet, solum tenetur in foro externo ex dolo, & lata culpa, non verò ex levissima, nam licet in contractibus, qui solum fiunt in commodum recipientis, obligetur is, qui accipit ex levissima etiam culpa, ab hoc tamen regula generali excipitur precarium, quod etsi solum sit ad precantis utilitatem, potest tamen ad ejus, qui dedit nutum revocari.

570

Digitized by Google

l. contractus. ff. de reg. juris. Sylveſter *verbo precarium. quæſt.* 2. Azor. *p.* 3. *lib.* 7. *cap.* 2. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 14. *num.* 15. Dixi in foro externo, nam quid dicendum ſit in foro conſcientiæ? vide quæ dixi *diſp. precedenti de depoſito ſect.* 5. *dubio* 2.

571 Dico tertiò: Precarium finitur morte ejus, cui conceditur, nec tranſit ad hæredes, quia cenſetur privilegium perſonale. *l. cum precario. §. ult. ff. de*
572 *precario, & cap. ult. de precario.* Non tamen finitur morte concedentis, donec ab ejus hærede revocetur. *l. Quæ ſi tamen. §. quod à filio. ff. de precariis.* niſi conceſſerit defunctus ad ſuum beneplacitum, ſeu quandiu voluerit; nam cum mortui non ſit voluntas, finitur ejus morte. *l.* 4. *ff. locati cap. ſi gratioſe de reſcriptis. lib.* 6. Secus dicendum eſt ſi dixiſſet, donec revocetur, vel donec non revocaverо, quia tunc neceſſaria eſt revocatio poſitiva, ut conſtat, *ex dicta l. cum precario. §. ult.* quare ut hoc precarium finem habeat, ponenda erit revocatio ab hærede defuncti. Ita cum Sanchez, Molina, & aliis Tamburinus, *de triplici jure lib.* 9. *tract.* 7. *cap.* 7. *à num.* 4. *& ſequentibus.* Lugo *d.* 32. *n.* 17.

DISPUTATIO XV.

De Mutuo, & uſura.

SECTIO I.

Quid ſit mutuum?

SUMMARIUM.

573 *Ponitur mutui etymologia, & diffinitio, & explicatur.*

574 *Omnes qui contrahere poſſunt jure naturæ, mutuum dare, & accipere poſſunt.*

575 *Quando aliquid Eccleſiæ datum eſt in mutuum, Eccleſia non tenetur reddere, niſi mutuans probet mutuum fuiſſe in utilitatem Eccleſiæ converſum.*

576 *Idem dicendum eſt de tutore, & curatore, qui accepit mutuum nomine minoris.*

573 Dico primò: Mutuum quod ita dicitur, quia de meo tuum ſit, eſt contractus, quo quis alteri rem ſuam tradit numero, pondere, vel menſura conſtantem, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, ut ſtatuto tempore ſimilis in ſpecie, & bonitate reſtituatur. Ita Baſæus *verbo mutuum. n.* 1. aliique communiter. Dicitur quo quis alteri rem ſuam tradit, quia mutuum non perficitur ſolo conſenſu, ut venditio, ſed requiritur ipſa rei traditio per quam transfertur dominium in mutuarium, quod non facit commodatum, pignus, hypotheca, depoſitum, locatum. Unde mutuum; ſi pereat, etiam fortuito, vel fructificet, mutuatario fructificat, vel periit. Dicitur numero, pondere, & menſura, quia mutuum ſolum datur de his rebus, quæ recipiunt functionem, id eſt, quarum una dari, & ſubſtitui poteſt loco alterius, quales ſunt res uſu conſumptibiles, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, imò & ovis pro ove, vel bos pro bove, lapis pro lapide, lignum pro ligno, ut rectè notavit Lugo, *d.* 25. *num.* 1.

Dicitur cum obligatione, ut ſimilis reddatur, ad differentiam venditionis, & donationis. Dicitur ut ſtatuto tempore reddatur, quia mutuatarius; licèt antea poſſit, non tamen tenetur reddere mutuum; quod ſi non ſit tempus præfixum, non propterea ſtatim poteſt mutuans, petere mutuum, poterit tamen illud petere quando res mutua plus valet, tenetur tamen etiam illam recipere, ſi ei reſtituatur, quando minus valet, alias peccabit contra juſtitiam. At ſi dubium ſit inter mutuantem, & mutuatarium, de tempore quo debet ſolvi mutuum, quia non fuit determinatum, per judicem diſcernendum eſt. Dicitur ut reſtituatur ſimilis in ſpecie, quia non eſt reddendum idem in individuo, ut ſit in commodato, ſed in ſpecie in æquivalenti, tum bonitate, ut vinum bonum pro bono vino, pecunia pro pecunia, quod autem reddatur in auro, vel argento, parum intereſt, dummodo ſit æqualis in valore, ſecluſo contractu: Unde ſive pretium monetæ accreſcat, ſive decreſcat, non propterea magis, vel minus reſtituendum eſt, ſed tantundem, quantum accepit, ſecluſo ſpeciali pacto.

Et idem dicendum eſt de tritico, qui enim decem 574
modios tritici mutuò recepit, tenetur decem modios tritici ſolvere tempore præfixo, ſive eorum pretium excreverit, ſive decreverit, ſecluſo pacto, poteſt enim licitè dari pactum, ut ſive creſcat pretium frumenti, ſive non, totidem menſuræ reddantur, vel ſi frumenti valor decreſcat, reddatur quantum æquivalet valori frumenti; qui eſt tempore, quo mutuans illud mutuat, non tamen ut reddatur quantum æquivalet valori frumenti qui erit tempore, quo mutuatarius reddit, niſi adſit alias titulus lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel juſtæ emptionis ad metam, quia dominus ſolum poteſt mutuare ſecundum valorem exiſtentem, cujus tantummodo dominium habet. Ita cum aliis, Tamburinus *lib.* 3. *cap.* §. 1. *per totum.*

Dico ſecundò: Omnes qui contrahere poſſunt 575
jure naturæ, mutuum dare, & accipere poſſunt, niſi privilegio juris poſitivi eis conceſſum ſit, ut in certis caſibus non obligentur. Tale autem privilegium conceſſum eſt filiofamilias, Eccleſiæ, civitatibus, & minoribus. Vnde ſi filius familias accepit mutuum abſq; conſenſu patris, nec in foro externo, nec interno tenetur reſtituere, poteſt enim opponere exceptionem Senatusconſulti Macedoniani. Excipe niſi filiusfamilias habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, vel ſi mutuum accepit juſſu, vel conſenſu patris, vel pecunia verſa eſt in utilitatem patris, ut ſi filius abſens accepit ea, quæ neceſſaria ſibi erant ad victum, ſtudium, &c. vel ſi tandem publicè putabatur ſui juris. Ita cum aliis, Baſæus, *verbo mutuum. num.* 3. *&* 4.

Dico tertiò: Quando aliquid mutuo traditum eſt Eccleſiæ, vel loco pio, vel oppido, Eccleſia, vel locus pius, vel oppidum non tenentur ad reſtitutionem, niſi mutuans probet pecuniam mutuatam, converſam fuiſſe in utilitatem Eccleſiæ, vel loci pij, vel oppidi. Ita cum Reginaldo, Leſſio, Baſæus, *ſupr. num.* 5. Et idem dicendum eſt de tutore, vel curatore, qui accepit mutuum nomine minoris, dum enim mutuans non probaverit mutuum converſum fuiſſe in utilitatem pupilli, vel minoris, non tenetur pupillus, vel minor, etiamſi ſui juris facti illud ſolvere, datur tamen actio adverſus tutorem, qui mutuum accepit. Vide Baſæum, *ſupr. num.* 6.

SECTIO II

Quid ſit uſura?

SUMMARIUM.

577 *Ponitur uſura diffinitio, & explicatur.*
578 *Ponitur quædam regula ad cognoſcendum animum uſurarium mutuantis?*
579 *Quando non conſtat de animo dantis mutuum, regula ex qualitate ipſius mutuatarij aliquid dantis ſumendum eſt, & quomodo?*

577 DIco primò: Vſura, quæ quidem prohibita eſt de jure naturali, ut eſt certum de fide, eſt lucrum quæſitum ex mutuo, vi mutui. Ita communiter Doctores. Dicitur lucrum, quia uſura eſt quando aliquid pretio æſtimabile accipitur ſupra ſortem, id eſt, ſuprà id, quod mutuo datum eſt, ſive id ſit pecunia, ſive aliud quod gravetur mutuatarius. Dicitur quæſitum, ſive tacitè, vocatúrque uſura mentalis; ſive inito pacto expreſſo uſuario, vocaturque uſura realis. Dicitur ex mutuo, ſive expreſſo, ſive tacito, ſive palliata. v. gr. fingendo venditionem expoſcat lucrum ſupra ſortem, mutuum erit palliatum. Dicitur ex vi mutui; nam ſi quid ex mutuo quis lucretur, non ex vi ipſius, ſed ex alio capite, ſcilicet ex lucro ceſſante, vel damno emergente, vel ex benevolentia, vel gratitudine, etiamſi mutuans, niſi hoc lucrum gratitudinis. v. gr. non expectaret, non mutuaret, non eſt uſura, etiam mentalis. Caietan. *verbo uſura, cap. 4. & 22. quæſt. 78. art. 1.* & cum aliis Baſæus, *verbo uſura. num. 7.* Secus ſi ex vi mutui aliquid expectetur ſupra ſortem, principaliter, ſive minus principaliter: quando enim objectum eſt ex ſe malum, ſemper eſt peccatum illud, etiam minus principaliter velle. Valentia *cap. 5. d. 5. quæſt. 71. p. 1.* Baſæus *verbo uſurari. n. 7.*

578 Dico ſecundò: Ad cognoſcendum animum uſurarium, hæc regula ſemper habenda eſt præ oculis. Quoties mutuatarius ſperavit, vel accepit lucrum ex liberalitate, vel gratitudine mutuatarij, tantùmodo, ſibique perſuadet eo animo mutuatarium dediſſe, non eſt damnandus peccati uſuræ, ſecus ſi mutuator intendit, vel accepit tanquam pretium, vel ut debitum ex juſtitia pro mutuo, quod ſi mutuator accipiat ex liberalitate, mutuatarius verò detur pretium, ſi detur ignorantia ex parte mutuantis, ea durante non tenetur reſtituere, illa tamen ſublata tenetur totum acceptum ſi extat vel id, in quo factus eſt ditior ſi non extat reſtituere: at ſi mutuatarius libere dedit ex gratitudine, mutuator verò accepit tanquam debitum ex juſtitia, tunc mutuator uſurarius fuit ex conſcientia erronea, & ea durante, tenetur reſtituere; Verum ſi veritatem cognoſcat, retinere poterit acceptum, imò & repetere, ſi dedit, at ſi mutuator dubitet de animo mutuatarij, an ſcilicet dederit ex liberalitate, vel obligatione tanquam pretium? condemnandus eſt uſuræ, quia vel exercere injuſtitiam, vel ſe expoſuit
579 periculo illius exercendæ. Tandem quando non conſtat de animo dantis, regula ſumenda eſt ex qualitate ipſius tradentis; nam ſi tradens tradat ſponte ſua, abſque prævio pacto, & animo hilari, cum alioquin ſit gratus, dives, & liberalis, præſumendus eſt liberaliter tradere, cum adſit certitudo moralis ad ita credendum; è contra verò, ſi mutuatarius ſit pauper, ſit parcus, avarus, ſi moleſtiam præferat, ſi conqueratur cum amicis, ſi præceſſit pactum, &c. Ita cum aliis Tamburinus *lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 2. num. 13. & 16.* & cum aliis Baſæus *verbo uſura. num. 19.*

SECTIO III.

Vtrum licitum ſit aliquid ſupra ſortem exigere, non ex mutuo, aut vi illius, ſed ex aliis licitis, & honeſtis cauſis, & titulis?

SUMMARIUM.

580 *Speculative loquendo licitum eſt mutuantem rogare, & excitare mutuatarium, imo & cum illo paciſci, ut aliquid ſuprà ſortem ex mera liberalitate, & abſque ulla obligatione donet.*
581 *Hæc opinio in praxi non eſt conſulenda.*
582 *Inique deducitur in pactum ut mutuatarius ex gratitudine frequenter molendinum mutuantis, vel emat in tali officina.*
583 *Non ut uſurarium pactum, quo mutuatario qui quinquaginta debet mutuanti, alia quinquaginta mutuatur, ea conditione ut centum ſolvat.*
584 *Vſura committitur ſi mutuans obliget mutuatarium ad emendum aliquid, vel vendendum, fidejubendum, ſervandum depoſitum, &c.*
585 *Non eſt uſurarium pactum ut mutuatarius reſtituat pecuniam mihi, vel alteri vere debitam.*
586 *Vſura eſt obligare mutuatarium ad dandum alicui, etiam digno aliquod officium, vel beneficium, privilegium, &c.*
587 *Pactum quod mutuatarius uxorem mutuantis ad Eccleſiam comitetur uſurarium eſt, ubi etiam alia pacta illicita referuntur.*
588 *An dare centum alicui ea conditione ut ſi Petrus, qui illa dat intra decennium decedat, accipiens illa centum retineat, ſi vero vixerit Petrus ea reſtituat, & inſuper decem in ſingulis annis, hoc eſt ducentos omnino reddat?*
589 *An pactum non repetendi mutuum per aliquod tempus in pactum deduci poſſit?*
590 *Pro obligatione mutuandi non poteſt aliquid accipi ſupra ſortem?*

DIco primò: Per ſe & ſpeculativè loquendo, 580 licitum eſt mutuantem, etiam antequam mutuet rogare, & excitare mutuatarium imò & cum illo paciſci, ut aliquid ſuprà ſortem impertiatur, ex mera liberalitate, & gratitudine, & verè voluntariè, & dummodo hoc pactum nullam obligationem novam juſtitiæ, vel fidelitatis imponat mutuatario, ſed ſit tantum conditio ſine qua non, & cum qua mutuum dare vult creditor, ſic namque nihil, niſi obligatio antidoralis debita ex jure naturæ expectatur ex vi mutui. Ita cum Layman, Navarro, Molina, & aliis, multis probat Gibalinus, *de uſuris tom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 3. num. 1.*

Nec obſtat quod ei determinetur id, in quo debeat eſſe gratus. Reſpondetur namque, id ei determinari, itaut etiam poſt promiſſionem abſque injuſtitia, vel infidelitate non poſſit non illud adimplere, ſed taliter determinatur, quod ſolum ex gratitudine teneatur illud, vel aliud æquivalens rependere, quod ipſe voluerit, ut evitet notam ingratitudinis. Ita & benè Gibalinus ſuprà; quæ ſententia

581 ſententia licet per ſe ſpeculative, ut ſuprà dixi, ſit ſatis probabilis, & poſt factum ſequi poſſit, non eſt tamen ante factum in praxi conſulenda quidquid dicat Ghilnus, & Cœleſtinus in ſimili caſu de Simonia, quos refert, & ſequitur Tancred. *tomo 1. tract. 2. lib. 4. d. 31. quæſt. 5. num. 16.* Semper enim tale pactum damnabitur tanquam uſurarium in foro externo, quia licèt pulchro nomine donationis prætextetur, rem tamen potius attendimus, quam verba. Ita Gibalinus, *ſuprà num. 6.* Diana *p. 6. tract. 7. reſol. 42.*

582 Dico ſecundò: Stando in hac doctrina, inique deducitur in pactum, ut mutuatarius ex gratitudine frequentet molendinum, vel apothecam mutuantis, vel emat in tali officina merces, vel quod ex juſtitia tribuat amorem, & benevolentiam, & multo magis quod hujus benevolentiæ tribuat ſigna externa, ut benè cum Palao, Layman, notat Gibalinus *lib. 1. de uſuris. cap. 8. art. 1. num. 1. & 2.* Et idem dicendum eſt de medico, ſi ei ex pacto imponatur obligatio, ut infirmo medeatur, cui ex charitate tenetur mederi, additur enim ſemper obligatio ex juſtitia, quam mutuatarius præſtare non tenetur ex mutuo. Ita cum Navarro, Tamburinus, *lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 2. num. 8. & 9.* & cum aliis Gibalinus *ſupr. art. 2. num. 3.* Quidquid dicat Molina, apud ipſum *num. 9.* Molina namque debet intelligi, quando non ponitur obligatio ex juſtitia, ſed tantum mutuatario indicatur obligatio, quam ipſe habet, & ab eo petitur, ut ex mera gratitudine, id quod titulo charitatis, vel gratitudinis debet, perſolvat: quod quidem in praxi pugnat cum hac obligatione ex pacto ſuperaddita, ut *ſuprà* diximus.

583 Dico tertiò: Non eſt uſurarium pactum, quo mutuatario, qui quinquaginta debet mutuanti, alia quinquaginta mutuantur, ea conditione, ut centum ſolvat, quia tunc jam non petuntur illa quinquaginta ex vi mutui, ſed ex juſtitia; Unde fit poſſe quempiam mutuare cum uſuris ei, cum quo bellum juſtum gerit, ſicut enim illum vi expoliare poteſt, ita & uſuris. Ita Tamburinus *lib. 8. Decalogi. tra. 3. cap. 8. §. 2. num. 10.* Nec etiam erit uſurarium pactum, quod mutuatarius deſiſtat à lite, vel condonet injuriam, vel vexare deſinat ſi tota illa vexatio injuſta eſt, quia creditor nihil inde lucri recipit, ſed injuſtum damnum dumtaxat evitat, ſi tamen juſta erat vexatio, & lis non poteſt deduci in pactum ſine uſura, ut mutuatarius deſiſtat à lite, & pœna injuriæ ſibi illatæ ſi dubia lis foret. Ita cum Molina, Conrado, Lugo, Leſſio, Gibalinus, *ſuprà art. 3. num. 7.* contra Sotum.

584 Dico quartò: Uſura committitur, ſi mutuans obligat mutuatarium ad emendum aliquid, vel vendendum, aut remutuandum, conducendum, fidejubendum aut pignus dandum ad ſervandum depoſitum ad ſimilésque alios contractus faciendos pro mutuo. Ita cum aliis Gibalinus *ſupr. art. 8. à n. 30.* contra Adrianum, & alios, propter eandem rationem. Et idem dicendum eſt ſi mutuatarium obliget, ut partem mutui, quod petit recipiat in pecunia, partem in mercibus, quibus alias non indiget, vel quæ ab illo non erant empturæ. Ita cum Lugo, Molina, & aliis Gibalinus, *ſup. num. 37.* Erit etiam uſura, cum propter anticipatam ſolutionem partis debiti, creditor prorogare obligatur tempus reliqui debiti; ſecus ſi pars debiti anticipato ſolvatur, & pro alia parte creditor voluntariè expectet. Gibalinus *ſupr. n. 38.* Non erit tamen uſura obligare mutuatarium ad celebrandos contractus ad mutui cautionem, & ſecuritatem neceſſarios. Vnde poterit mutuans petere à mutuatario pignus, & hypothecam, & promiſſionem juratam de reddendo mutuo, vel fidejuſſionem. Gibalinus, *ſup. n. 36.*

Dico quintò: Non eſt uſurarium pactum, ut 585
mutuatarius reſtituat pecuniam mihi, vel alteri vere debitam, cum in eo nova juſtitiæ obligatio non imponatur. Et idem dicendum eſt, ſi mutuator obliget mutuatarium, qui antea debebat decem, quæ vel negabat, vel propter defectum probationum cogi non poterat ad illa ſolvenda, ad cautionem ſuo chirographo dandam ſive ſeparato chirographo, quod novum debitum, & mutuum fateatur, ſive conjuncto, tum quia nihil accreſcit mutuanti, neque decreſcit mutuatario, tum quia non ſubit novum aliquod onus, ad quod prius ex juſtitia non teneretur. Ita cum Sylveſtro, Hoſtienſi, Gibalinus, *ſupr. n. 8. & 9.*

Dico ſextò: Vſura eſt obligare mutuatarium ad 586
dandum alicui, etiam digno, aliquod officium, privilegium, vel exemptionem à tributis, vel ab aliquo onere, ad quod tenetur, etiam ſi à mutuatario alicui gratis tale officium, vel privilegium, &c. dandum eſſet. Balæus *verbo uſura. n. 3.* & cum communi ſententia Gibalinus, *ſup. n. 11.* Et idem dicendum eſt de quocunque obſequio, ſive à munere, ſive à lingua, ut ſunt preces, & alia hujuſmodi; cum enim hæc ſint pretio æſtimabilia, revera faciant uſuram, ſi ex novo pacto, & obligatione, quaſi ex juſtitia, & non ſolius amicitiæ, & gratitudinis à mutuatario exigantur. Ita cum Salas, & aliis communiter Gibalinus, *ſupr. n. 16.*

Dico ſeptimò: Pactum, quod mutuatarius uxo- 587
rem mutuantis ad Eccleſiam comitetur, eique ſimilia obſequia exhibeat, uſurarium eſt. Item obligare fœminam, cui mutuum quidpiam datum fuit ad faciendam ſui corporis copiam, aut oſcula, aut tactum, uſura eſt. Secus ſi aliquid in pretium harum rerum detur. Et idem dicendum eſt de obligante alium, ut coram ſe extet, pſallat, principem pro mutuante alloquatur propter mutuum; Et idem dicendum eſt de mutuante centum cum conditione, ut mutuatarius illa à debitore mutuantis exigat, vel ea conditione, ut aliquò mutuantis cauſa proficiſcatur, in aliqua re miniſtret, negotium aliquod gerat, litem tueatur, Miſſam celebret, ut ægrotos cum medicus ſit pro ſuo ſtipendio viſitet, ſuum agrum colat, & in eo laboret. Secus ſi pro his actionibus juſtum ſtipendium anticipatum det, non tamen ſub ratione mutui. Ita & benè cum multis Gibalinus *ſuprà art. 7.* per totum, Tamburinus *lib. 8. Decalogi. tract. 3. c. 8. §. 2. num. 12.* Et idem dicendum eſt de pacto ſolvendi mutuum in alia ſpecie, ut ſi mutuo quis det triticum, ut vinum recipiat, vel det triticum vetus, ut tempore meſſis novum recipiat; ſecus ſi interveniat contractus emptionis, ut ſi quis emat triticum vetus, cum obligatione ſolvendi tempore meſſis juſto pretio, & ſuo loco dicemus, Gibalinus *ſupr. n. 43.*

An autem ſit uſura dare centum alicui ea condi- 588
tione ut ſi Petrus, qui illa dat intra decennium decedat, accipiens illa centum ſibi retineat, ſin verò vixerit Petrus ea reſtituat, & inſuper decem in ſingulis annis hoc eſt ducentos omninò reddat? Reſpondeo negativè, quia iſte contractus non eſt mutui; ſed alias innominatus, vel ludi, & ſponſionis, in eo namque ſors periculo amiſſionis exponitur, quod tamen non fit in mutuo. Ita cum Azorio, Navarro, Corduba, Filliucio, Bonacina, & aliis, Gibalinus, *ſup. n. 41.* contra Rozellam, Angelum, Sylveſtrum, & alios.

An autem obligatio non repetendi mutuum per 589
aliquod tempus in pactum deduci poſſit, & aliquo auctario ſupra ſortem compenſari abſque uſura?

Reſpondeo

Digitized by Google

Reſpondeo negative. Ita cum communi ſententia Gibalin. *ſup. n.* 52. contra Medinam, Ledeſm. Caſtel. Trullenc. Tannerum, quos refert Tamb. *lib.* 8. *Decalogi. tr.* 3. *c.* 8. § 5. *n.* 2. licèt non audeat illorum ſententiam judicare probabilem. Ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia illa obligatio eſt tantum prorogatio mutui in annum, & conſequenter novum quoddam mutuum virtuale, ſed pro mutuo virtuali peti non poteſt aliquid ſupra ſortem; ergo tum quia alias omnis uſura à contractu mutui tolleretur, ſiquidem illud auctuarium ſuprà ſortem, non pro mutuo, ſed pro obligatione non illud repetendi peteretur, quod minimè dicendum eſt, de quo latè vide Gibalinum,
590 *ibi.* Et idem dicendum eſt, de obligatione ad mutuo dandum, non enim pro hac obligatione mutuandi aliquid ſuprà ſortem accipi poteſt, eſt enim intrinſeca huic contractui, eo ipſo quod quis voluit aliquid mutuo dare. Ita & benè Gibalinus *ſup. n.* 60. & 61. Et idem dicendum eſt de moleſtia privationis pecuniæ, ob hanc namque moleſtiam privationis præſentis pecuniæ, nihil ſuprà ſortem exigi poteſt, quidquid immerito dicat Caramuel *lib.* 2. *Theologiæ moralis. d.* 14. *n.* 362. Medina, Ledeſma, quos refert, & probabile putat Diana, *p.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 48. & *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 50. Hac via excuſans uſum Burſæ Antuerpienſis, non hæc carentia pecuniæ eſt moleſtia intrinſeca mutuo, eo enim quod quis vult mutuo dare, vult ſe privare præſenti pecunia. Ita Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 10. *d.* 2. *n.* 251. Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi. tract.* 3. *cap.* 8. § 6. *n.* 2. Balæus, *verbo uſura. num.* 9.

SECTIO IV.

An ratione damni emergentis liceat aliquid accipere ſuprà ſortem?

SUMMARIUM.

591 *Licitum eſt mutuatori cum mutuatario de aliqua pecunia ſuprà ſortem reddendam paciſci ratione damni emergentis.*

592 *Vt mutuator licitè poſſit exigere damnum emergens requiritur primo ut mutuum ſit cauſa damni.*

593 *Secundo requiritur ut id mutuatario manifeſtè dicatur ad tollendum ſcandalum.*

594 *Si non præciſſit pactum de ſolvendo damno emergenti cenſetur mutuatorem remittere illud, niſi mutuatarius fuerit cauſa injuſta damni, vel in mora ſolvendi.*

595 *Tertio requiritur ut certum ſit, vel rationabiliter timeatur damnum mutuatori eventurum eſſe.*

SVppono, Damnum emergens tum dari, quando quis detrimentum patitur in rebus ſuis, ut cum quis ratione mutui quod alteri præſtitit cogitur ipſe pecuniam fœnore accipere, & uſuram ſolvere, vel res ſuas minoris vendere. Hoc ſuppoſito,
591 Dico primò: Licitum eſt mutuatori paciſci cum mutuatario de aliqua pecunia ultra ſortem reddenda ratione damni emergentis, etiamſi mutuatarius non ſit in mora ſolvendi; æquitas enim non patitur, ut mutuator patiatur damnum alteri ſubveniendo. Ita cum communi ſententia Tamburinus *lib.* 8. *Decalogi. tract.* 3. *cap.* 8. § 3. *num.* 1. Lugo, *de juſtitia. d.* 25. *num.* 72.

592 Dico ſecundò, ut mutuator licitè poſſit exigere damnum emergens ex mutuo, tres conditiones requiri. Prima ut revera mutuum ſit cauſa damni, quia ſcilicet per illud factus eſt quis impotens ad impediendum illud damnum. Ita cum Molina, Rebello, Leſſio, Salas, Gibalinus, *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 6. *n.* 20. Se- 593
cunda ut id mutuatario manifeſtè dicatur, tum ad tollendum ſcandalum, ne ſcilicet exiſtimet mutuatorem pro mutuo uſuram accipere, tum quia fortaſſe nollet cum hoc onere mutuum accipere. Ita cum Navarro, Leſſio, Layman, Rebello, & aliis Gibalinus, *ſup. n.* 14. qui cum Lugo *diſp.* 25. *n.* 74. Fatetur creditorem non peccare contra juſtitiam, dum paciſcitur cum mutuatario de aliqua ſumma ultra ſortem proportionali ei, quod revera ipſius intereſt, etiamſi non moneat debitorem de cauſa, propter quam illud auctuarium exegit, quia revera plus non exigit, quam quanti ipſius re ipſa intereſt.

Vnde illa monitio ſolum neceſſaria eſt ad vitan- 594
dum ſcandalum. Gibalinus *ibi.* Si tamen nullum præceſſit pactum antecedenter ad mutuum de ſolvendo damno, cenſetur mutuatorem illud remittere, niſi mutuatarius fuerit cauſa injuſta damni; vel fuerit in mora ſolvendi, ut ſi elapſo jam termino ſolutionis non ſolvit, cum poſſit, advertens implicite, ſive explicite creditorem ſibi velle ſolvi, & non conſentire in moram, ut accidit inter mercatores, qui idem negotiari, & lucrari continuo, ac per conſequens intelliguntur paciſci cum recipientibus ipſam actualem pecuniam mutuam, de quocunque damno, etiam ob moram ſolutionis eventuro, ut benè notat Tamburinus *ſuprà num.* 10. quod tamen non accidit in aliis mutuatoribus, qui mercatores non ſunt: nam hi ſi non maneant debitores cenſentur condemnare, ut benè cum Angelo, Diana, Lugo, Tamburinus, *ſupr. n.* 9. contra Navarrum, Decaſtillum, & alios.

Et idem dicendum eſt de quocunque creditore 595
accipiente ſolutionem artis debiti, dum enim partem acceptat, cenſetur pœnam moræ, & quodcunque intereſſe ratione moræ debitum remittere. Ita cum Paſcaligo, Tamburinus, *ſup. n.* 10. Tertia conditio eſt ut certum ſit damnum mutuatori eventurum, vel eventurum rationabiliter timeatur, nec impediri poſſit, ſi enim mutuator habeat aliam pecuniam, vel amicum, qui illud damnum poſſit impedire, non eſt cur tribuatur mutuo. Ita cum Caietano, Navarro, Decaſtillus, Tamburinus, *ſuprà num.* 2.

SECTIO V.

An ratione lucri ceſſantis poſſit aliquid ſuprà ſortem exigi in mutuo, ſine uſura.

SUMMARIUM.

596 *Licitum eſt paciſci de lucro ceſſante in mutuo.*

597 *Vt hoc pactum ſit licitum primo requiritur ut mutuum ſit vera cauſa lucri ceſſantis.*

598 *Secundo debet ſervari æqualitas, ne ſcilicet plus accipiatur, quam lucrum ceſſans.*

599 *Tertio requiritur ut id mutuatario explicetur, dummodo mutuator ad mutuandū nō cogatur.*

DIco primò: Lucrum ceſſans dicitur illud, quod 596
quis non percipit, eo quod mutuum alteri dederit. De hoc igitur lucro ceſſante licitum eſt paciſci ab initio cum mutuatario, quatenus ab eo mu-

tuator non ſit vi, vel fraude inductus, ſed ſponte, & quamvis mutuatarius non ſit in mora, quia lucrum ceſſans ex mutuo non eſt minus pretio æſtimabile, quã damnũ emergens, & mutuator nõ tenetur mutuare cum ſuo detrimento. Tum quia omiſſio rei ſperatæ computatur inter damna, quod enim ſpe poſſidemus, aliquo modo cenſemus habere, & nihil refert, ſive ſponte mutuator mutuet, ſive involuntarie, per vim, fraudem, vel præceptũ Superioris impulſus. Ita cum communi ſententia Molina, *d.* 315. Lugo. *d.* 25. *num.* 87. contra Durandum, Sotum, & alios, quos ibi citat Lugo.

597 Dico ſecundò: tres conditiones requiruntur ut pactio de lucro ceſſante ſit licita. Prima ut quod mutuum ſit vere cauſa ceſſantis lucri, hoc eſt ideo mutuatori lucrum ceſſet, quia mutuo dat, alias non ceſſaturum, ut accidit quando mutuator decreverat pecuniam, quam mutuo tradidit in negotiis impendere, aut quando pecuniam ſubſtraxit negotiationi, ob idque ceſſat ei lucrum, quod obventurum credebatur: unde nõ poteſt ratione lucri ceſſantis quidquam exigere, ſi aliam pecuniam habet otioſam, quam poſſet negotiationi ſubſtituere, quod intellige dummodo pecuniam quam mutuo dedit non deſtinaverit negotiationi; nam ſi deſtinaverat, etiamſi habeat aliam otioſam, ex ea poteſt reportare lucrum ceſſans, quia hæc quam mutuo dedit fructificatum erat, & non alia; ita cum Molina, Palacios, Valencia, Leſſio, Salas, Lugo, *d.* 25. *n.* 90. Quod ſi ſubtraxit pecuniam à negotiatione, ut haberet ad manus pecuniam pro his, qui mutuo petunt quicunque illi ſint, adhuc poſſet ex ea exigere lucrum ceſſans, quia vere illi ceſſat lucrum cauſa mutui. Baſæus, *verbo uſura n.* 5. & cum Leſſio, Maldero, Tamburin. *lib.* 8. *tract.* 3. *c.* 8. §. 3. *n.* 11. Lugo, *d.* 25. *n.* 94. Imò mutuatarius, etiam in hoc caſu non ſolum tenetur ſolvere intereſſe immediatum, ſed etiam mediatum, ſi mutuator jacturam ob mutuum realiter patiatur in utroque intereſſe. Baſæus, *ſupr. num.* 5.

598 Secunda conditio eſt, ut ſervetur æqualitas, ſcilicet ne plus accipiatur, quam ſit lucrum ceſſans; unde deducendæ ſunt prius expenſæ, quas mutuator feciſſet in illa negotiatione. Deducenda eſt etiam æſtimatio laboris, qui in ea ponendus erat, v. g. ſi ſpes lucri valebat 100. aureos, & labor, & expenſæ æſtimantur judicio prudentis. 10. non poſſunt exigi pro lucro ceſſante, niſi. 70. Vnde tantum debet detrahi de lucro ſperato ratione incertitudinis, quantum ipſe mutuator daret alteri, qui redderet ipſum ſecurum, de lucro ſperato, detractis ſimul expenſis. Ratione verò laboris, & moleſtiarum, quos mutuator ſubiiſſet negotiando, ſi pecuniam alteri non mutuaſſet tantum detrahendum eſt quantum mutuator laborem, & moleſtias, redemiſſet, quod quidem diſcernere poteſt expertus juxta naturam negotii, opportunitates ſeſe offerentes, pauciores expenſas, & ſimiles circunſtantias, vel ſi fiat pactum, ut tantum detur quantum alij mercatores in ſimili negotiatione lucrati fuerint, ut rectè notat Tamburinus *ſuprà num.* 14. Baſæus, *ſuprà num.* 6.

599 Tertia conditio eſt, id mutuatario explicetur, ſed hoc debet intelligi, dummodo mutuator ad mutuandum non cogatur, uti, verbi gratia, Rex cogeret mutuatorem ad mutuandum, coactio namque illa eſt implicitus conſenſus ad omnia damna, & lucrum ceſſans, quæ mutuator patitur. Tamburinus *ſuprà num.* 3. Quod ſi ex mora ſolvendi, etiam lucrum ceſſat mutuanti idem dicendum eſt, ac diximus ſuperiori ſectione, de damno emergenti Tamburinus *ſuprà num.* 14.

SECTIO VI.

An mutuator licitè poſſit ſumere lucrum, quod ipſi ceſſabit nunc ab initio mutui?

SUMMARIUM.

600 *Mutuator non poteſt licitè initio mutui ſumere lucrum, quod ex mutuo ceſſabit.*

601 *Quid ſi ſimul cum contractu mutui detur contractus emptionis?*

602 *Ponitur ſententia authoris.*

Dico primò: Mutuator non poteſt licitè initio mutui ſumere lucrum, quod ex mutuo ipſi ceſſabit. Verbi gratia, mutuat quis centum, ſperátque decem acquirere ex lucro ſibi ceſſante, non poteſt nunc ſumere decem, quando centum mutuo dat, quia ſic non mutuaret centum, ſed nonaginta, & ſic non poſſet lucrum recipere ex integro mutuo centum aureorum, Ita cum Reginaldo, Salon, Medina, Navarro, Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 2. *num.* 173. 600

An autem ſi ſimul cum contractu mutui detur contractus emptionis, quo mutuatarius emat ſpem illam, quam mutuator habet recipiendi decem pro centenario poſt annum, poſſit mutuatarius ſtatim licitè hos ſeptem, vel octo auras ſolvere mutuanti, minori pretio. Verbi gratia, ſex, vel ſeptem aurei? Affirmat Caramuel *lib.* 2. *Theologiæ moralis. num.* 755. probabile putat Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi. tract.* 3. *cap.* 8. §. 3. *num.* 17. quod Idem affirmat Leſſius *libr.* 2. *cap.* 20. *dub.* 111. *num.* 100. Si mutuator mutuet cum intereſſe ſolum 91. & ſine intereſſe. 9. & hæc novem ſtatim mutuatarius ſolvat pro lucro debito illis, 91. Sed ego à contraria ſententia non deſiſto, quia omnes hi contractus videntur uſura palliata, & ſolum non continerent iniquitatem, ſi ſincere fierent, quod tamen rarò accidit; Vnde in praxi nunquam conſulendi ſunt, poſt tamen factum ndn facilè ſunt condemnandi, ut rectè notat Tamburinus, *ſuprà num.* 20. 601 601

SECTIO VII.

An qui fecit contractum uſurarium, quem bona fide exiſtimabat eſſe juſtum, poſſit retinere lucrum ex eo partum, ſi illud ex contractu juſto habere potuiſſet.

SVMMARIVM.

603 *Qui fecit contractum uſurarium, quem bona fide exiſtimabat eſſe juſtum, poteſt retinere lucrum ex eo partum, ſi illud ex aliquo contractu juſto habere potuiſſet, quando habuit voluntatem generalem contrahendi modo licito.*

604 *Non eſt idem dicendum de eo, qui mala fide contraxit contractu uſurario.*

605 *Ponitur quoddam corollarium pro aliquarum mulierculatum contractibus.*

Dico primò: qui bona fide contractum uſurarium fecit, quem putabat eſſe juſtum, poteſt exigere, 603

exigere, & retinere quidquid ſuprà ſortem pactus fuit, ſi ejus capiendi aliquis titulus ſubſit, quem contrahens expreſſe, aut implicitè voluerit, ſive quia illum prævidit, & conſentè voluit, ſive quia expreſſè voluit omni modo quo poterat contrahere, ſive quia vult contrahere modo conſueto viris timoratis, & mercatoribus, aliiſque negotiatoribus communiter, ſive quia juſto titulo, & non alio lucrari intendit, ſive quopiam alio modo, qui ejuſmodi voluntatem generalem, ſaltem illius juſti tituli implicet ſufficienter, ut in illum cenſeantur conſentire contrahentes, & in hoc ſenſu intelligo Navarrum, *conſil. 4. num. 12.* Saa, *verbo uſura, n. 8.* Tannerum, *22. d. 4. quæſt. 7. dub. 5. num. 99.* Dianam, *1. part. tract. 8. reſol. 45. & tract. 5. reſol. 92. part. 3.* Leſſium, *lib. 2. cap. 20. dub. 12.* quod ſi aliud intendant, non eis adhæreo cum Gibalino, *de uſuris. lib. 2. cap. 2. num. 10.* Tamburino. *lib. 8. tract. 3. Decalogi. cap. 8. §. 3. num. 21.* Ratio vero eſt, quia
604 cum in hoc caſu ex utraque parte contrahentium detur actualis conſenſus expreſſus, vel ſaltem implicitus de hoc juſto titulo, & non ſit tantum conditionalis, nihil deſit ad juſtè lucrandum.

Nec inde fit, quod poſſet idem fieri ab eo, qui mala fide contraxit per contractum cognitum uſurarium, ſiquidem qui bona fide eo modo contraxit, implicitè vult bono modo contrahere; ut qui mala fide contraxit, jam volnit contrahere pravo, non vero recto modo. Nec obſtat quod is ſi bonum modum ſciret, eo contraxiſſet; nam inde ſolum arguit poteſt conſenſus conditionalis implicitus, qui cum nihil ponat in eſſe non ſufficit ad tollendum conſenſum expreſſum uſurarium; Vnde rejiciendus eſt Verricæli *tract. 4. quæſt. Moralium.*
605 *2, num. 3.* Ita & benè Tamburinus, *ſupr. n. 23.* Hinc fit damnandos eſſe contractus aliquarum mulierecularum, quæ dant unum, vel alterum aureum petenti cuipiam, hac lege, ut ſingulis hebdomadibus duos repetant vigenas, donec aureum integrum ſolvant, & inſuper alios tres, vel quatuor vigenas pro lucro; nam ſi prædictis mulieribus lucrum non ceſſat, nec damnum emergat, vel in ſe ſuſcipiant periculum ſortis, uſuram committunt; quam in his circunſtantiis, nullus eſt alius poſſibilis juſtus contractus. v. gr. cambij, cenſus, ſocietatis, &c. quia in tam modica pecunia non ſolent hujuſmodi contractus celebrari. Vnde talis negotiatio, ut uſuraria improbanda eſt.

SECTIO VIII.

An ob difficultatem, vel periculum recuperandi ſortem, poſſit aliquid ſupra ſortem reportari?

SUMMARIUM.

606 *Pactum de aliquo auctuario pro periculo amittendæ ſortis, vel pro expenſis in illa recuperanda licitum eſt.*

607 *Quid ſi periculum non ſit rationabile?*

606 Dico primò: pactum de aliquo actuario ſuprà ſortem, propter probabile illius amittendæ periculum, aut metum difficultatum, & expenſarum in illa recuperanda faciendarum licitum eſt, modo mutuatarius aliunde illum metum, & periculum non depellat ſufficienter. Ratio eſt, quia quis poteſt pluris vendere ſuam mercem ob periculum amittendi pretium, & ob difficultatem illius recipiendi: ergo idem poteſt facere in contractu mutui, hoc enim periculum eſt pretio æſtimabile, etiamſi revera nullum damnum poſtea patiatur, nam quod accipit, non pro damno actuali, ſed pro periculo accipit, quidquid in contrarium cenſeant Navarrus, Sotus, Reginaldus, quos refert, Baſæus, *verbo uſura. 3. num. 8.*

Dixi propter probabile periculum, nam ſi periculum non ſit probabile, & rationabile, ſed ex ſola puſillanimitate mutuantis, jam auctuarium nó exigeretur reipſa propter periculum, ſed ob vitiatam mutuantis diſpoſitionem; quamvis etiam pro illo angore, quem ſuper ſe accipit mutuator, id etiam concedat Lugo *d. 25. n. 85.* Quod an probabiliter? videant alij; & hoc modo explicata noſtra ſententia, illam tenent Medina, Corduba, Salon, Saa, Molina, Leſſius, Salas, Navarrus, Palaus, Rodrig. Azor, Gabriel, Valencia, Bonacina, Filliucius, quos refert, & ſequitur, Gibalinus, *lib. 2. de uſuris. c. 4. art. 1. n. 1.* Lugo, *d. 25. n. 80.* Diana, *p. 1. tract. 7. reſol. 37.* Tamburinus *lib. 8. de Decalogi. tract. 3. cap. 8. §. 4. num. 1.* contra Rebellum, Toletum, Conradum, Reginald. & alios, quos ibi refert Gibalinus, *ſupr. num. 1.*

607

SECTIO IX.

An creditor pro ſuſcepto in ſe periculo rei mutuatæ poſſit quidpiam exigere?

SVMMARIVM

608 *Pactum de aliquo auctuario pro ſuſcepto in ſe periculo ſortis licitum eſt, dummodo mutuans nõ obliget mutuatariũ ad hujuſmodi contractũ.*

609 *Si mutuatarius ad hunc contractum obligetur eſt manifeſta uſura.*

610 *Si mutuans obligavit mutuatarium ad hunc cõtractum non tenetur reſtituere id, quod pro aſſecuratione ſortis accepit, ſi juſtus fuit.*

611 *An teneatur ei aliquid reſtituere pro injuria, quam illi fecit ad id eum obligando?*

Dico primò: Fas eſt creditori contrahere, & con- 608
venire cum mutuatario de ſuſcipiendo in ſe periculo ſortis, & pro hujuſmodi aliquid in compenſationem exigere, dummodo non obligat mutuatarium ad hujuſmodi contractum celebrandum. Ratio eſt quia mutuatarius poteſt cum alio tertio paciſci, ut ſuper ſe recipiat periculum ſortis mutuatæ, dando ei pro hac aſſecuratione ſortis duos, tres, vel quatuor aureos, pro quolibet aureorum centenario, ut docet Molina *n. 319.* & alij; ergo idem poterit facere cum mutuante; cur enim hic deterioris conditionis erit propter beneficium præſtitum. Tum quia poſt contractum mutui, concedunt omnes poſſe celebrari hic contractus aſſecurationis inter mutuatarium, & mutuantem, ergo idem poterit ante mutuum, ſi ad id non obligatur mutuatarius, ſed ſponte velit.

Dixi ſi ad id non cogatur mutuatarius; nam ſi ad 609
id obligetur, manifeſta erit uſura; ſiquidem onus iſtud eſt pretio æſtimabile, quod juſte & ſine uſura imponi non poteſt mutuatario. Ita Navarr. Covarr. Molina, Layman, Leſſius, Salas, quos refert, & ſequitur Gibal. *lib. 2. de uſuris. cap. 4. art. 2. n. 1.* Lugo, *d. 25. n. 77.* Tamburinus *lib. 8. Decalogi. tract. 3. cap. 8. §. 4. n. 4.* Et in hoc ſenſu debet intelligi. *cap. naviganti de uſuris*, ibi enim ſolum prohibet Pontifex, ut ex vi mutui obligetur mutuatarius ad ineundum contractum aſſecurationis cum mutuante, ut benè cum multis explicat Palaus, *d. 4. de juſtitia. p. 18. n. 4.* & cum aliis Gibalin. *lib. 2. de uſuris. c. 4. art 3. n. 23.*

610 Adverte tamen, Quod licet mutuator, quando obligavit mutuatarium ut cum eo iniret contractum prædictum assecurationis commiserit usuram, non teneri tamen restituere id, quod pro assecuratione 611 sortis accepit, si justum fuit, sed solum teneri pro illo onere, quod injuste posuit mutuatario faciendi hunc contractum assecurationis restituere, ut benè cum Molina advertit Gibalinus *suprà num.* 3. Quibus repugnat Salas, *dub.* 23. *de usuris n.* 5. Dicens satis esse si mutuatarius relinquatur suæ libertati, neque cogatur præstare, quod promisit; si enim jam præstitit nihil vult præcise pro ea injuria, à quo non recedit etiam Gibalinus *ibi n.* 3. sed ego sententiæ Molinæ adhæreo.

SECTIO X.

An possit imponi pœna mutuatario, si non solverit statuto tempore, & eam ultra sortem accipere quando fuit in mora.

SUMMARIUM.

612 *Ex conventione contrahentium potest imponi, & accipi predicta pœna supra sortem.*

613 *Aliqua conditiones requiruntur, ut apposita pœna prædicta justa sit, quæ ibi explicantur.*

614 *Prædicta pœna non est debita in conscientia ante judicis sententiam.*

612 Dico primò: Ex conventione contrahentium potest imponi prædicta pœna, & accipi supra noctem. Ratio est, quia mutuatarius existens in mora peccat contra justitiam, & propter peccatum dignus est pœna, ergo hæc imponi potest, si justa sit ex conventione partium, Ita habetur, *cap. Suam de pœnis, & l. si pacto, quæ pœnam. Cod. de pactis*, & tenet cum Mercado, Molina, Azor, & aliis communiter Decastillus, *lib. 2. tract. 10. d. 2. n. 258.* Basæus *verbo usura. 4. num. 1.*

613 Dico secundò: Aliquæ conditiones requiruntur, ut apposita pœna prædicta justa sit: prima ut præcesserit culpa ex parte debitoris; nã sine culpa imponi nõ potest pœna, sive cõventionalis sive judicialis, sive legalis. Secunda, est ut pœna sit æqualis culpæ, alioquin injustè cogeretur mutuatarius ad consentiendũ in ea. Tertia, ut pœna nõ apponatur in fraudẽ usuræ, hoc est, quod non apponatur contra voluntatem mutuatarij ad palliandam usurã, quasi mutuũ detur propter illam pœnam, tanquam propter lucrũ. Quarta, ut mora sit notabilis, non enim unius diei, vel etiam hebdomadæ intervallum ordinariè sufficiens dici debet ad pœnam incurrendam, qualitas tamen negotij, & mos pecuniæ spectandus est, ut docent Reginaldus, Bonacina, Filliucius, Toletus, Lessius, Navarrus, quos refert, & sequitur Basæus, *verbo usura. 4. num. 1.* Decastillus *lib. 2. tract. 10. d. 2. à num. 258.*

614 Dico tertiò. Prædicta pœna non est debita in foro conscientiæ ante judicis sententiam, quando non imponitur pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis. Ratio est, quia hæc videtur esse mens contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud explicent. Ita Sanchez, Navarrus, Rodriguez, Suarez, Lessius, Lopez, Vasquius, Bejar, Salas, quos refert Decastillus, *suprà num. 276.* contra Covarruviam, Azorium, Rebellum, Sa, Salas, & alios, quos refert, & probabilius docet Decastillus, *suprà num. 28.*

SECTIO XI.

An liceat mutuanti accipere fructus pignoris eos in sortem minimè computando?

SUMMARIUM.

615 *Non computare fructus pignoris in sortem usurarium est.*

616 *Excipe nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, vel expensarum in pignore custodiendo aliquid ex fructibus accipiatur.*

617 *An in contractu mutui liceat imponere pactum legis commissoriæ in pignore?*

618 *Si pactum legis commissoriæ in pœnam moræ apponatur, licitè apponitur.*

Dico primò: certum est universim loquendo, 615 usuram esse non computare fructus pignoris in sortem debiti, sic enim habetur *l. si dominus. Cod. de pignoribus.* Tum quia alias mutuator accipiens fructus aliquid acciperet supra sortem pretio æstimabile, in quo consistit usura. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib. 2. tract. 10. d. 2. num. 300.* 616 Excipe nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, vel ratione expensarum in pignore custodiendo factarum prædictos fructus, vel illorum partem recipiat. Basæus, *verbo usura. 4. num. 5.* Excipe secundò: Si fructus sint industriales; nam hoc ex pignore accipere potest, unde si Regi detur civitas in pignus mutui, potest accipere vectigalia illius ultra sortem mutui; nam hæc dantur Regi pro gubernio civitatis. Ita cum Mercado, & aliis Decastillus *lib. 2. tract. 10. d. 2. num. 344.* Et idem dicendum est de domino fundi, cui à fundatario feudum ipsum in pignus mutui datur; hic enim potest ea feudo accipere fructus omnes industriales, non tamen naturales. Ita Decastillus *suprà num. 356. & 358.*

An autem in contractu mutui liceat apponere 617 pactum legis commissoriæ in pignore? Respondeo per se loquendo minimè apponi posse, sine usura. Ratio est quia pactum Legis commissoriæ tunc dãtur, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, ut si debitor non solvat intra certum terminum pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur; sed manere obligatum ad illam venditionem, & translationem dominij pignoris, est pretio æstimabile; ergo apponi non potest in mutuo sine usura. Ita cum communi sententia Decastillus *suprà num. 396.* Basæus, *suprà num. 3.* Dixi per se loquendo non posse apponi; 618 nam si hoc pactum legis commissoriæ in pœnam moræ apponatur, licitè apponitur, ut cum Vasquio, Reginaldo, Salas, Azor, & aliis Decastillus, *sup. n. 405.* Basæus, *supr. num. 3.*

SECTIO XII.

An montes pietatis sint usurarij?

SUMMARIUM.

619 *Quid sit mons pietatis, explicatur.*

620 *Hujusmodi montes pietatis liciti sunt.*

621 *Hems*

Digitized by Google

621 *Homo etiam privatus potest montem hunc pietatis licitè erigere.*

622 *Si mons revocetur, & aliquid maneat, cui dandum sit?*

619 SVppono montem pietatis esse summam pecuniæ, aut frumenti, aut alterius rei similis deputatæ ad subveniendum per mutuum indigentibus: constituuntur autem hi montes cum his conditionibus. Prima ut ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus, non autem divitibus. Secunda ut ad certum tempus, v. g. ad annum, vel paulo amplius, id eis promittatur. Tertia ut mutuatarij dent pignus idoneum. Quarta ut singulis mensibus aliquid minutum solvant pro sumptibus necessariis ad montis conservationem, ut pro stipendio ministrorum, qui montem custodiunt, & administrant, pro conductione domus, pro libris rationum, cæterisque necessariis instrumentis. Quinta si contingat mutuatarios non solvere termino præfixo pignus vendatur sub hasta, ut ex eo vendito satisfiat monti, & ejus ministris, quod verò supereſt restituatur domino pignoris. Ita communiter DD. his suppositis,

620 Dico primò: hujusmodi montes pietatis liciti sunt. Ita declaratum est à Leone X. in Concilio Lateranensi anno 1515. & tenent communiter DD. quos refert Pascalgus, *decis.* 182. *num.* 3. contra Cajetanum, Sotum, Sylvestrum, & alios, quos refert Lugo, *de justitia d.* 25. *num.* 188. Ratio autem est, quia nihil recipitur à mutuatariis ratione mutui, sed solum ratione expensarum; sed licitum est aliquid pro his expensis exigere, siquidem æquitas non postulat ut quis cum suo damno mutuet: ergo tantum exigere possunt, quantum necessarium est ad damnum vitandum. quod adeo verum est, quod

621 etiam homo privatus possit hujusmodi montem pietatis erigere cum eisdem conditionibus, etiamsi pecuniam illam cum onere alicujus census accepisset, & exigere à mutuatariis quantum opus est ad se servandum indemnem, siquidem illorum negotium gerit, ut cum Lessio, Bonacina, Salas, Molina, & aliis, docet Basæus, *verbo mons pietatis num.* 3. &

622 cum aliis Pascalgus, *decis.* 199. *num.* 1. qui bene advertit *num.* 1. quod si hujusmodi mons revocetur, & aliquid maneat ex pecunia acquisita à mutuatariis, quod stet nomine montis, ut esset domus, vel aliquid aliud, quod monti inseruisset, non posse remanere apud fundatorem montis, quia hoc esset lucrum ex mutuo, nisi forte aliud justum titulum haberet ad illud retinendum, sed debere vendi, & publicè intimandum mutuatariis, ut quilibet accedat ad accipiendam portionem, juxta illud quod monti solverunt.

626 *Quomodo tale lucrum ex indulto Apostolico justificetur?*

627 *Quædam corollaria ponuntur.*

628 *Dantur alij montes pietatis, qui re vera non differunt à censibus, & quales sint explicatur.*

629 *Aliud genus montium invenitur quod etiam ibi explicatur.*

IN quibusdam montibus pietatis, ut Mutinæ, Ferrariæ, Bononiæ, Veronæ, & alibi, ultra pecuniam primo à fundatoribus destinatam ad mutuandam pauperibus, quia ea non sufficiebat, solent depositarij pecuniæ, quibus mons utitur ad sublevandam pauperum inopiam, certam summam mutuando accepto pignore, quod postea restituit nihil accipiendo ultra sortem, illis qui pecunias depositant solvere quatuor, vel quinque pro centum, cum facultate ut possint quando voluerint pecuniam suam à monte extrahere, & totidem quatuor, vel quinque à mutuatariis mons exigit, ultra id quod pro suis expensis accipere debebat, ut se indemnem conservet; dubitatur igitur an deponentes pecuniam in his montibus licite possint illa quinque pro centum recipere? 623

Dico primò: ratione lucri cessantis, & damni emergentis nemini dubium est posse deponentes illud auctarium supra sortem recipere. Ita Basæus, *verbo mons pietatis num.* 4. Gibalinus, *lib.* 4. *de usuris cap.* 7. *notab.* 2. *num.* 6. Pascalgus, *decis.* 183. *num.* 2. mutuans enim debet indemnis conservari. Tota igitur difficultas est, an secluso lucro cessante, & damno emergenti, sit licitum pro hujusmodi pecunia in monte posita, recipere quatuor, vel quinque pro centum? 624

Dico secundò: secluso lucro cessante, & damno emergenti, non est licitum recipere illa quinque pro centum, seclusò privilegio Pontificio. Ita cum communi sententia Basæus, *suprà num.* 4. contra Geminianum, Rodulphum, Lapium, D. Antoninum Bonacinam, quos refert, & sequitur Pascalgus, *decis.* 183. *num.* 12. Ratio est, quia non apparet titulus, unde tale lucrum justificetur, siquidem illud ratione mutui, vel depositi recipi non potest sine usura; potentia autem ad lucrandum prædicta pecunia, qua se privat deponens, & obligatio mutuandi pauperibus, quam in se sumit, & translatio dominij pecuniæ, qua se privat deponens, non videntur sufficientes tituli ad vitandam usuram, ut suprà diximus, sicut nec titulus locationis pecuniæ, quem defendit Pascalgus, *decis.* 184. *num.* 13. hæc enim omnia aperiunt viam, & ostium mille usuris, vel omnino excludunt usuras, quod tamen non verètur admittere Pascalgus, *decis.* 184. *num.* 25. 625

Dicendum igitur est, id solum justificari ex indulto Pontificum, Julij II. & Pauli III. in hoc enim casu Pontifex declarat legem divinam prohibentem lucrum ex depositione pecuniæ supra montem pietatis non obligare, quia observantia illius esset impeditiva majoris boni, pertinet enim ad bonum communitatis, quod respiciat lex, quod sublevantur pauperes, non posset autem illos sublevare mons pietatis, nisi apud ipsum deponerentur pecuniæ, quæ non depositarentur, nisi depositantes reciperent lucrum aliquod: ergo si lex hoc lucrum prohibens observaretur, esset impeditiva majoris boni. Unde sicut votum non obligat, quando est impeditivum majoris boni, etiamsi observantia ipsius sit de jure etiam naturali, ita etiam lex de non percipiendo lucro in hoc casu cessat, ut impeditiva majoris boni, quia videlicet tale lucrum non cadit sub prohibitionem ipsius. 626

SECTIO XIII.

An liceat deponere pecunias in montibus pietatis, & ex illis accipere quinque pro centum.

SUMMARIUM.

623 *Sensus quæstionis explicatur.*

624 *Ratione lucri cessantis, & damni emergentis possunt deponentes licite illud auctarium accipere.*

625 *Secluso lucro cessante, & damno emergenti non est licitum recipere illa quinque pro centum, secluso privilegio pontificio.*

627 Hinc fit in hujuſmodi montibus non ſolùm poſſe exigi à mutuatariis aliquos redditus ad ſumptus, & expenſas neceſſarios, ſed etiam ad cenſus annuos, quos mons ſubire cogitur, ut habeat unde poſſit mutuare. Ita cum Filliucio, Azor, Leotard, & aliis Gibalinus, *de uſuris lib. 4. cap. 7. art. 2. num. 6.* Ratio eſt, quia cum tota illa pecunia accipiatur à monte cum illis præſtationibus annuis in gratiam mutuatariorum, quorum res agitur, & ex tacito, & interpretativo illorum conſenſu, æquum eſt illud intereſſe à mutuatariis compenſari, quod quidem annuum redditum accipiunt deponentes pecuniam in monte titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ut *ſuprà*, diximus. Ita Lugo, *d. 25. de juſtitia n.* 198. & cum Leotardo, Gibalinus, *ſuprà num. 6.*

628 Dico tertiò: dantur alij montes pietatis, qui re vera non differunt à cenſibus, niſi nomine, ut cum Rex, vel Princeps indigens magna pecuniæ ſumma, erigit montem, cui aſſignat pro fundo redditus in vectigalibus, vel in aliis rebus immobilibus fructiferis, & vendit mille loca, v. g. in illo monte, quorum ſingula emuntur centum aureis ab emptoribus, qui contribuunt ad illam pecuniæ ſummam conſervandam, & ſingula loca reddunt emptori quatuor, vel quinque in anno, quare jus illud, quod emitur, parum differt à cenſu, cum poſſit dominus montis ſolvere quod accepit iis, quos voluerit, & redimere loca vendita, ut totum illud jus conſtituatur ſuper fundo immobili, & fructifero, unde ſicut cenſus ſunt juſti, ita & hi montes. Ita Lugo, *d. 25. num.* 199. Gibalinus, *ſuprà num.* 7.

629 Dico quartò: aliud genus montium invenitur, in quibus communitas, aut etiam privatus colligit ſummam centum millium aureorum, quibus indiget à mille civibus, quorum ſinguli conferunt centum, his legibus, ut quinque annua pro centum ſinguli accipiant, quandiu vixerint, aliquibus autem decedentibus reditus illi accreſcant cæteris ſuperſtitibus, quare quo plures decedunt, eo majores evadunt cæterorum redditus, quare fieri poterit, ut aliquis pro centum aureis, quos contribuit habeat non modo centum aut mille, ſed etiam duo millia annua per aliquot annos, quibus aliis creditoribus ſuperfuerit; venditor autem horum locorum, omnibus mortuis creditoribus liberatur omni onere; de juſtitia autem hujus montis non dubitat Lugo, *d. 25. n.* 201. eſt enim contractus fortunæ, in quo ſpes lucri compenſat periculum jacturæ, & cum venditor poſſit cenſum hoc redimere, ſi velit totam ſummam centum millium aureorum reddendo, non eſt cur ex aliquo capite, etiam jure poſitivo videatur illicitus. Ita Lugo, *d. 25. num.* 202. de aliis autem variis montibus in diverſis locis erectis, vide Gibalinum *lib. 4. de uſuris c. 7. à num. 6.* & deinceps.

SECTIO XIV.

An ille, qui pecuniam ſumpſit fœnore, poſſit illam mutuo dare alteri cum pacto ſolvendi ſibi idem fœnus, vel fœneratori?

SUMMARIUM.

630 *Qui alterius mandato pecuniam fœnore ſumpſit poteſt ſtipulari ut ſe indemnem ſervet.*

631 *Qui ſua ſponte ut abſentis negotium gerat pecuniam ſub fœnore accepit, poteſt ſe indemnem ſervare, & id totum ſtipulari, & in pactum deducere.*

632 *Qui pecuniam in proprios uſus accepit fœnore, quam vult creditori reddere, poteſt eam roganti amico mutuo dare eo pacto ut uſuras ſolvat, vel ſibi, vel fœneratori.*

633 *Quid ſi quis non erat pecuniam ſuo creditori redditurus?*

Dico primò: qui alterius mandato, aut voluntate pecuniam ſub cambio, vel fœnore ſumpſit, illique eam deinde, aut ſimilem dedit, poteſt ſtipulari, ut ſe indemnem ſervet: hæc enim eſt damni emergentis, quod à mandante refundi æquiſſimum eſt, proſecutio. Ita cum Beneven. Stracca, Sarmient. Gibalinus, *lib. 2. de uſuris cap. 5. artic. 10. num. 26.* contra Almain, Angel. Tabienam, Sylveſtrum, & alios. 630

Dico ſecundò: qui ſua ſponte, ut amici abſentis negotium ageret, pecuniam ſub uſuris, & fœnore accepit, poteſt ſe indemnem ſervare, ideoque ſtipulari id totum, & in pactum deducere. Ita cum Lugo, Gibalinus, *ſuprà*. Hinc fit fidejuſſorem, qui coactus pro reo ſolvere pecuniam ſub fœnore accepit, poſſe à Deo id totum repetere, quia id ejus cauſa re vera ſolvit. Ita cum Angel. Azor, & aliis Gibalinus, *ſuprà*. 631

Dico tertiò: qui pecuniam in proprios uſus accepit fœnore, quam deinde vult creditori reddere, aut aliam, quam paratam habet ad illud debitum ſolvendum, poteſt licite eam roganti amico mutuo dare, eo pacto ut uſuras, vel ſibi, vel fœneratori ſolvat, neque diſtinguendum eſt, an ex cauſa utili, & honeſta, an ex inutili, & turpi pecuniam illam cum uſuris acceperit à fœneratore, quia cum ex mutuatione nihil omnino lucretur hoc caſu, ſed tantum caveat ne ex illa damnum patiatur, uti re vera pateretur, nihil contra juſtitiam facit, nec injurius eſt mutuatario, ſed ſuæ dumtaxat indemnitati conſulit: ita Azor, *p. 3. lib. 10. cap. 23. queſt. 4.* Ugolinus, *de uſuris cap. 18. §. 3. num. 3.* & cum aliis Gibalinus. 632

Secus dicendum eſt quando quis non erat pecuniam ſuo creditori redditurus, nec ex ea fœnus ſoluturus: nam tunc non poteſt, ſi mutuo det eandem ſummam, aut ejus partem, uſuras quas ipſe ſolvit à mutuatario exigere, quia eo caſu, nullo modo eſt cauſa cur ipſe fœnoris damnum patiatur, quare cum non illius intereſſe mutuare, nihil poterit ſuprà ſortem ſtipulari, niſi aliunde ejus intereſſe. Ita cum Angelo, Lugo, *d. 25. num.* 75. & cum Salas, Gibalinus, *ſuprà*. 633

SECTIO XV.

Quinam ex cooperantibus ad uſuram teneantur reſtituere?

SUMMARIUM.

634 *Omnes qui faciunt cauſam uſurarij, & ſunt cauſa efficax cur uſura ſolvantur, vel ſoluta non repetantur, tenentur ad reſtitutionem, ſalt em ſecundo loco.*

635 *Peccat, & tenetur ad reſtitutionem qui ſuadet alicui ut fiat uſurarius, aliquibus caſibus exceptis, qui declarantur.*

636 *Notarij qui faciunt inſtrumenta uſurarum, quomodo, & quando peccent?*

637 *Fautores & famuli uſurarij quando peccent, & teneantur ad reſtitutionem?*

638 *Illi qui faciunt partes, mutuatarij non peccant, nec*

Digitized by Google

nec tenentur ad restitutionem.

639 *Idem dicendum est de proxinetis, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad mutuatarium.*

634 DIco primò: omnes qui faciunt partes usurarij, & sunt causa efficax, cur uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non repetantur, tenentur ad reſtitutionem, ſaltem ſecundo loco. Ita communiter DD. illi autem faciunt partes uſurarij, & ſunt cauſa efficax, cur uſuræ ſolvantur, qui cooperantur cum uſurario in re, quæ non eſt grata mutuatario, ſecus ſi cooperentur in re grata mutuatario. Ita Tamburinus, *lib. 5. Decalog. cap. 1. §. 4. num. 49.* Ratio prioris partis eſt, quia in primo caſu datur involuntarium ex parte mutuatarij, & fit illi injuria, ſecus in ſecundo, ſiquidem cooperatur facit rem gratam mutuatario.

635 Hinc ſit primo peccare, & teneri ad reſtitutionem, qui perſuadet alicui, ut fiat uſurarius, vel ſi conſulat alicui, ut non det mutuum, niſi ſub uſuris, vel ut uſuras exigat. Excipe niſi id ſit etiam gratum mutuatariis, quia tunc quodammodo illorum partes gerit, & ſuadet tacite ipſis conſentientibus, & ratum habentibus. Ita cum Leſſio, Bonacina. Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 19. dub. 21. num. 2.* Secundò omnes judices, qui ſtatuto, vel ſententia compellunt ſolvere uſuras, vel decernunt, ut ſolutæ non repetantur, tenentur in ſolidum in ſecundo loco reſtituere, & ſunt ipſo facto excommunicati in Clement. *unica de uſuris*, non autem tenentur ſi uſurarios ſolum in republica permittant ad majora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes, quia tunc non cenſentur cauſa uſuratum, niſi forte ingentes ſummas pro licentia fœnorandi exigant. Leſſius, *lib. 2. cap. 20. dub. 21. num. 135.* Bonacina, *d. 3. quæſt. 3. p. 15. num. 12.* Trullenc. *ſuprà num. 3.*

636 Tertiò ſit peccare, & teneri ad reſtitutionem Notarios, qui conficiunt inſtrumentum uſurarum ſub nomine alicujus liciti contractus, v. g. veri mutui, vel venditionis niſi illud faciant volente mutuatario, quia ſic non lædent invitum, nec ex uſura recipiunt lucrum, ut facit uſurarius: nam hic etſi faciat rem gratam mutuatario, cum tamen recipiat lucrum ex uſura, tenetur tale lucrum reſtituere. Tamburinus, *ſuprà num. 60.* non tenentur tamen notarij, licet alias peccent mortaliter contra juramentum à ſe initio officij factum de non faciendis hujuſmodi injuſtis actionibus reſtituere, ſi inſtrumentum aperte uſuras contineat: nam ex vi talis inſtrumenti non poſſunt uſuræ exigi, niſi forte alicubi eſſet conſuetudo, vel iniquum ſtatutum, quo cogerentur mutuatarij uſuras ſolvere. Leſſius, *ſuprà num. 180.* Villalobos, *p. 2. tract. 22. diff. 19. num. 5.* Non tamen tenentur pretium acceptum inſtrumenti reſtituere, quia eſt pro re turpi, ſicut nec teſtis falſus. Et idem de teſtibus inſtrumenti dicendum eſt, niſi probabili ignorantia excuſentur, aut id faciant conſentientibus mutuatariis Bonacina, *ſuprà.*

637 Quartò ſit, peccare, & teneri ad reſtitutionem factores, & famulos uſuratiorum, qui faciunt ipſos contractus uſurarios nomine ſuorum dominorum. Excipe, ſi non eſſet in poteſtate famuli abſque eo contractu pecuniam dare, eo quod dominus eſſet præſens: nam tunc mutuatarius non cenſet injuriam fieri à famulo, qui aliter pecuniam numerare non poteſt, ſed à domino. Leſſius, *lib. 2. cap. 20. dub. 21. num. 181.* Tamburinus, *ſuprà num. 52.* Et idem dicendum eſt de famulis, qui tantum numerant pecunias, aut ſimpliciter eas accipiunt à ſolventibus, ſecus ſi mutuatarios ſolvere cogant, vel qui invincibiliter ignorant contractum eſſe uſurarium. Ita cum Bonacina, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 5.* Eſcobar, *lib. 18. Decalog. num. 347.*

E contra vero illi qui faciunt partes mutuatarij, 638
nec peccant, nec tenentur ad reſtitutionem, quia tunc faciunt rem gratam mutuatario. Hinc ſit numerantem pecuniam mutuandam ad uſuram excuſari à peccato, & reſtitutione, quia id gratum eſt mutuatario. Et idem dicendum eſt de famulo, vel quocunque alio, qui bono fine & mutuatario utili conſulit uſurario, ut det mutuum cum uſura, nempe ut is, qui ſolet mutuare cum uſuris eas non denegat huic petenti, vel ſi quis deponat, vel donet pecuniam uſurario, non ut uſuras exerceat, ſed ob aliũ honeſtum finem, ſive ob amicitiam, vel cuſtodiã, vel ſi quis adjuvet uſuratium in numeranda, vel deferenda pecunia, vel in ſcribendis, vel notandis rationibus, vel debitorum nominibus, per meram ſcripturam, quæ non faciat fidem ad cogendum mutuatarium, vel ſi quis differat pignora ad ſecuritatem uſuræ. Ita cum Salas, Lugo, Leſſio, Diana, & aliis Tamburinus, *ſuprà num. 50.*

Et idem dicendum eſt de proxinetis, qui quærunt 639
eos, qui pecunia egent, & adducunt ad uſurarium, quia hi potius mutuatario beneficium præſtant, quam injuriam inferant; non enim eſt in eorum poteſtate, ut uſurarij pecuniam ſine fœnore dent. Secus ſi proxineta ſe habeat ex parte uſurarij ad illius inſtantiam quærens mutuatarios egentes pecuniis. Ita cum Salone, Bonacina, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 6.*

SECTIO XVI.

An petere mutuum ſub uſuris à fœneratore parato, abſque neceſſitate, ſeu, utilitate ſit peccatum mortale?

SUMMARIUM.

640 *Licitum eſt mutuatario ſolvere uſuras ob mutuum jam acceptum.*

641 *Poteſt quis licite petere mutuum ab uſurario parato, ſi eo indigeat.*

642 *Idem dicendum eſt, ſi petat mutuum dicendo da mihi mutuum, & tibi ſolvam tot uſuras, ſi alias certus ſit uſurarium non mutuaturum ſine uſuris.*

643 *Petere mutuum ſub uſuris à fœneratore parato abſque neceſſitate, vel utilitate perenis eſt peccatum mortale.*

SUppono licitum eſſe mutuatario ſolvere uſuras 640
ob mutuum jam acceptum, quia hæc non eſt occaſio peccandi, quæ detur uſurario, cum ille facile poſſet illas non recipere; ſibi: ergo imputet, ſi recipiat: nam mutuatarius excuſatur ſolvere, quod promiſit, ne habeatur infidelis, & ne claudat ſibi oſtium ad habendum iterum mutuum. Ita Sanchez, *lib. 3. Decalog. cap. 8. num. 20.* Lugo, 641
d. 25. ſect. 11. §. 1. Secundò ſuppono poſſe quemlibet petere mutuum ab uſurario parato, ſi eo indigeat, qui enim ſic petit non conſulit, nec intendit eam uſurarij injuſtitiam, quod certe eſſet iniquum, ſed intendit utilitatem propriam, ſuppoſita malitia uſurarij, quam ſolum permittit, & non vult. Ita cum communi ſententia Diana, *p. 3. tract. 7. reſ. 8.* Et idem dicendum eſt, ſi petat mutuum addendo, da mihi mutuum, & tibi ſolvam tot uſuras, ſi alias moraliter

moraliter certus ſit uſurarium non mutuaturum ſine uſuris, id enim non eſt inducere ad uſuras atque adeo ad peccatum, ſed ſenſus eſt conditionatus in hunc modum, da mihi mutuum, & quia non vis mutuare gratis, ſolvam tibi lucrum. Ita cum Molina, Valentia, Tamburinus, *lib.1. Decalog.cap.1. § 4.n.45.* Trullenc. *lib.7. Decalog.cap.19.dub. 24. num.2.* Tota igitur difficultas eſt, an petere mutuum ſub uſuris ab uſurario parato ſine neceſſitate, vel utilitate, ſit peccatum mortale?

643 Dico primò: petere mutuum ſub uſuris à fœneratore parato abſque neceſſitate, vel utilitate petentis eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia petens ex parte ſua eſt cauſa, ut hic, & nunc hoc ſingulare peccatum committatur, cum uſurarius tantum ſit habitualiter diſpoſitus ad peccandum, & non determinatus ad hoc numero peccatum, & alias charitas dictat, ut quoties quis commodè poteſt, non cooperetur cum ruina ſpirituali proximi; ſed petens commode poteſt non cooperari cum uſurario ad hoc peccatum, cum ſine utilitate, & neceſſitate petat: ergo ad id tenetur. Ita Sanchez, *in Decalogum cap.7 num.15.* Palaus, *tom.1.tract.6.d 6.p.10.num. 5.& de juſtitia d. 4. p.7.num.4.* & cum Valentia, Molina, Bañes, & aliis Eſcobar, *lib. 38. Decalog.num. 135.* Tamburinus, *lib.5. Decalog.cap.1.§ 4.num.71.* contra Ledeſmam, Emanuël, quos refert, & ſequitur Lugo, *d.25. de juſtitia num.234.* & probabile putat Tamburinus, *ſuprà* Eſcobar, *ſuprà num.351.*

agenda eſt interpretatio; ſed omnes doctores ſentiunt ſolos manifeſtos uſurarios prædictis pœnis affici: ergo nomine manifeſti eos ſolum intelligere debemus, qui facto ipſo frequenti manifeſti ſunt, alij vero ſunt manifeſtandi. Ita Palaus, *de juſtitia d.4.p.30.num.15.* Molina, *d.334.notabili.5.* & cum aliis Eſcobar, *lib.38. Decalog.num.360.* Vnde ſi uſurarius facto ipſo non ſit manifeſtus, poſſit uſuras 646
aliqua tergiverſatione celare, vel tantum de hoc crimine ſit infamatus, etſi detur ſemiplena probatio, vel confeſſio extrajudicialis rei coram parocho, & teſtibus, vel dentur de hoc crimine indicia, imò & notorietas modo dicto, non eſt ſufficiens, ut quis dicatur manifeſtus uſurarius, ad hoc ut incurrat iſtas 647
pœnas contra manifeſtos uſuratios, ſed eſt neceſſe, ut accedat ſententia judicis, ad quam ferendam ordo judiciarius ſervandus eſt, nempe citatus eſt reus, 648
& probationes recipiendæ, & defenſionis termini aſſignandi. Ita cum Bonacina, Villalobos, Trullenc. *lib.7. Decalog c.19.dub.12. num.1.* Palaus, *d. 4.de juſtitia p.29. num.3.* quis ante debeat eſſe judex criminis uſuratum? Vide Palaum, *ſuprà p.28.*

DISPVTATIO XVI.

De teſtamentis, legatis, & codicillis.

SECTIO XVII.

Quænam pœnæ impoſitæ ſint uſurariis?

SUMMARIUM.

644 *Referuntur pœnæ impoſitæ uſurariis.*
645 *Non quilibet uſurarius, ſed ſolum ille qui uſuras palam frequentat, omnibus illis pœnis comprehenditur.*
646 *Si uſurarius facto ipſo non ſit manifeſtus, ſed poſſit uſuras aliqua tergiverſatione celare non eſt ſufficiens ut dicatur manifeſtus uſurarius ad finem incurrendi prædictas pœnas.*
647 *Neceſſe eſt ut accedat ſententia judicis.*
648 *Ad ferendam ſententiam judicis ordo judicialis ſervandus eſt.*

644 Dico primò: prima pœna impoſita uſurariis manifeſtis eſt infamia, *l.improbum fœnus Cod. quibus ex cauſis infamia irrog.cap.infames, 3.quæſt. 7. cap. in dilectos.* Secunda eſt, quod non poſſint ſacros ordines recipere, *ex cap.maritum 33. diſt.cap. infames, 6.quæſt.1.* Tertia eſt privatio Euchariſtiæ, ex Concilio Lateranenſi, *in cap.quia in omnibus de uſuris.* Quarta eſt privatio ſepulturæ, *cap. quia in omnibus.* Quinta eſt, ut oblationes in Eccleſia ab eo non recipiantur, *cap. quia in omnibus.* Sexta eſt ſuſpendendus ab officio, & beneficio clericus uſurarius manifeſtus, *cap.præterea de uſuris.* Septima eſt ne ad confeſſionem peccatorum admittatur manifeſtus uſurarius, antequam reſtituat, vel cautionem præſtet, *cap. quamquam*, Octava eſt, ut teſtamentum uſurarij manifeſti & notorij ſit irritum, de quibus vide late Lugo, *de juſtitia d.25.ſect.11.§.3.*

645 Dico ſecundò: non quilibet uſurarius, ſed tantum ille, quem uſuras palam frequenter exercuiſſe conſtiterit, in omnibus his pœnis ſine diſtinctione comprehenditur. Ratio eſt, quia in pœnis ſtrictior

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit teſtamentum?

SUMMARIUM.

649 *Ponitur teſtamenti diffinitio.*
650 *Teſtamentum alterum eſt ſcriptum, ſeu clauſum, aliud nuncupativum.*
651 *Ad teſtamentum in ſcriptis, qua requirantur de jure communi.*
652 *Qua requirantur ad teſtamentum nuncupativum de jure communi?*
653 *Qua requirantur de jure Luſitano ad teſtamentum in ſcriptis?*
654 *Qua requiruntur de jure Luſitano ad teſtamentum nuncupativum?*

Dico primò: teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod poſt mortem fieri volumus, cum directa hæredis inſtitutione. Ita communiter DD. differt autem à Codicillo, quia in codicillo non fit inſtitutio hæredis, in teſtamento vero ita intrinſeca eſt hæredis directa inſtitutio, ut niſi expreſſe hæres inſtituatur, teſtamentum ſit irritum omnino, ut patet, *ex §.ante hæredis inſtitutionem inſtit. de legatis §.in primis.* Ita cum communi ſententia Fragoſo, *p.3.lib.5.diſp.8.§.2.num.54.* 649

Dico ſecundò: teſtamentum eſt duplex, unum 650
in ſcriptis, ſeu clauſum, eo quod teſtator latere velit, quod in eo continetur, alterum dicitur nuncupativum, eo quod teſtator ſine ſcriptura coram teſtibus declarat, quid poſt obitum fieri velit, & ob id ſolet teſtamentum apertum appellari. Ad teſtamentum in ſcriptis, ſeu clauſum quinque requiruntur de jure communi. Primum ut conficiatur ſcriptura, & claudatur, in quo contineatur teſtatoris voluntas. 2. ut ſeptem teſtes adhibeantur mares, & liberi, & puberes, ad id rogati. 3. ut coram illis, uno, eodemque

eodémque tempore dicat testator, illud esse suum testamentum, idque propria manu subscribat, si possit, sin minus adhibeat octavum testem, qui loco ejus illud subscribat. 4. Ut eodem tempore illud subscribant septem illi testes, si óque vel alieno annulo firment. Quintum ut hæredis nomen subscribatur. *l. Hac consultissima. Cod. de testam.* Vasq. *de test.am.c.*1.§.4.*n.*14.& 15. Molin.*tom.*1.*d.*123. & 126. Frag.*p.*3.*l.*5.*d.*8.§.2.*n.*72. Lug.*de just.d.*24.*n.*2.

652 Dico tertiò: ad testamentum nuncupativum de jure communi duo requiruntur. Primum, septem testes modo dicto Secundò debent hi audire testatoris voluntatem, vel scriptam, vel voce prolatam, subscriptio autem, & sigillum non sunt necessaria. Est tamen necessarium quod hæredis institutio voce articulata testatoris exprimatur, vel quod ejus manu subscribatur, vel quod ad minus interrogatus, an velit instituere hæredem Petrum. v.gr. Respondeat volo, vel debet dicere, volo instituere hæredem fratrem meum, cum alium non habeat, vel hunc hominem, illum manu designans, non tamen sufficit, si dicat instituo hæredé illum, qui in tali schedula manu mea subscriptus est, & ratio est quia jam nullum testamentum scriptum ex defectu solemnitatis esset nullum, siquidem jam valeret, ut nuncupativum, cum coram testibus declaret testator se intra illud scriptum clausum nominare hæredem, & alia omnia. Lugo *sup.n.* 5. Tandem ut testamentum nuncupativum sit validum, debet absolvi, nec sufficit quod cœptum sit. *l. Hac consultissima. Cod. de testa.* §. *per nuncupat.* Ita cum multis Frag. *sup.* n. 74. Lug. *sup.n.*4.

653 Dico tertiò: de jure Lusitano. *lib.*4 *Ordinationu. tit.*80.*n.*1. Testamentum clausum, seu scriptum, ut sit validum, in primis debet institutionem hæredis continere. Deinde debet esse manu testatoris subscriptum, si ab alio confectum est, secus si manu testatoris scriptum sit; quod si testamentum ab alio scriptum sit, & testator illud non potuerit, aut nescierit subscribere, debet ab eadem persona, quæ eum subscripsit assignari, dicendo illud assignasse ad petitionem testatoris, eo quod nescierit, vel non potuerit scribere; Deinde ipse testator debet illud clausum tradere tabellioni coram quinque testibus masculis, liberis, & puberibus, etiam si sint rogati, ut notat Fragoso, *sup.n.*75. Nec sufficit quod testamentum ab alio tradatur tabellioni, maximè in absentia testatoris, ut cum Gama, Caldas, Pereira, notat Fragoso. *sup. n.*75. Deinde tabellio debet testatorem interrogare, an sit illud suum testamentum? Et ita esse illo affirmante, debet tabellio illud approbare eodem die, tempore, & loco, coram eisdem testibus, incipiendo instrumentum à tergo folij, uti finitur scriptura testamenti, & tandem per testes, & testatorem, vel per alium, si ipse non potuerit, vel nescierit scribere, debet subscribi modo dicto, quæ omnia requiruntur pro forma, & aliter factum non valet, ut patet ex eadem lege, & cum Cabedo, Caldas Pereira, & aliis docet Fragoso, *suprà num.*74. *& sequentibus.*

654 Testamentum autem nuncupativum, de jure Lusitano tribus modis fit: Primò, fit à tabellione & subscribitur à quinque testibus viris, liberis, & puberibus, ultra ipsum tabellionem, & à testatore, vel si non potuerit, vel nescierit scribere subscribitur ab uno ex testibus, vel à tabellione dicente, se de mandato testatoris subscribere, eo quod ipse non potuerit, vel nescierit scribere. Secundo modo fit, si testator manu sua, vel alterius testamentum faciat, & illud coram sex testibus viris, liberis, & puberibus, inter quos numerabitur ipse testator, vel qui testamentum scripsit, faciat legere, & postea ab omnibus subscribatur, & post mortem testatoris debet authoritate publica judicis publicari. Tertio modo fit testamentum nuncupativum voce tenus, & tunc requiritur, ut testator declaret palam coram quinque testibus, sive viris, sive fœminis nomen hæredis. Unde si nutu exprimat non sufficit, *l. jubemus C. de testam.* Frag. *lib.*5.*p.*3. *disp.*8.§.2.*n.*83 Deinde debent coram judice ratificari dicta testium, citatis his, quorum interest, ut patet ex eadem lege. Unde si testes de toto tenore testamenti non deponant, testamentum non valet. Et idem dicendum est, si aliqua ex necessariis solemnitatibus defuerit, cum testamenti factio sit juris publici, & non possit de consensu partium validari, *l.* 3. *ff. de testamentis.* Ita Fragosus, *suprà num.*83. & patet, *ex eadem lege lib.* 4. *ordinationis tit.*80.

SECTIO II.

De Testamentis privilegiatis, quas solemnitates requirant, tam de jure communi, quam Lusitano?

SUMMARIUM.

655 *Testamentum paternum inter liberos, quas solemnitates requirat?*

656 *Testamentum ad pias causas, quas solemnitates requirat, ut sit validum?*

657 *Testamentum militare in tentoriis factum, quæ habeat privilegia?*

658 *An hæc omnia procedant de jure Lusitano?*

659 *Quando censeatur miles existere in castris?*

660 *Ad testamentum tempore pestis factum de jure Lusitano, quæ solemnitates requirantur?*

661 *Ad testamentum maris factum, vel in treme, quæ solemnitates requirantur?*

655 Dico primò: testamentum paternum inter liberos non requirit solemnitates de jure civili, sed solum, quæ requiruntur de jure gentium, debetur enim hæreditas liberis jure naturali. Unde sufficit quod de voluntate paterna constet, ac per consequens valet testamentum cum duobus testibus, sive masculis sive fœminis, quod verum est, & si testator sit cæcus. Ita cum Claro, Molina, & aliis Fragoso, *lib.*4.*p.*3.*d.*6.§. 2. *num.* 32. Quod verum est, non solùm de testamento in scriptis, sed etiam de nuncupativo, requiritur tamen ad illius valorem, quod aliquid filio relinquatur titulo institutionis: nam filius necessario, institui, vel ex causa exhæredari debet, quod verum est de jure Lusitano, non solùm de filiis, & filiabus legitimis, sed etiam de filiis naturalibus hominum peditum, ut patet, *ex ordin. l.*4. *tit.*82.§.1. & cum Valasco, docet Fragosus, *suprà n.*35. & 49.

Valet etiam testamentum paternum inter liberos factum cum duobus testibus, & si sit imperfectum, imò etsi sola manu Patris scriptum, vel subscriptum in schedula privata, etiam sine testibus, dummodo in cistula Patris inveniatur. Fragoso, *sup.n.*34. Si tamen in hoc testamento minus solemni inter liberos admisceatur aliquid pro persona extranea, non valet pro ea parte, sed accrescit liberis. In testaméto tamen in scriptis facto valent legata relicta extraneis, *authentica quod sine.* Et hæc omnia intelliguntur, sive Pater, sive mater sit, quæ testatur, sive alij ascendentes, & sive sint filij, sive filiæ etiam emancipati, imò & non legitimi, sed naturales, quod ad portiones, quas tales ascendentes possunt illis relinquere, non tamen habent locum in testamento filij respectu ascendentium, quia id nullo modo concessum est. Ita cum Vasquio, Molina, & aliis Lugo, *d.*24. *de justitia n.*10. sed de his vide latius Fragosum, *suprà num.*34.

656 Dico ſecundò: ut teſtamentum ad pias cauſas ſit validum, etiam in foro externo, non requiruntur ſolemnitates juris civilis, ſed ſufficiunt illæ, quæ ſunt juris gentium, nempe, ut duo teſtes adſint, in foro autem conſcientiæ, non ſunt neceſſarij, ſufficit enim ut ſit poteſtas in diſponente, & capacitas in eo, in cujus favorem diſponitur, & in diſpoſitione libertas, *Cod. relatum 1. de teſtam.* Covar. *de teſtamentis cap. 11. num. 9.* Filliucius, *tract. 34. num. 153. & 154.* & cum multis Fragoſo, *p. 3. lib. 4. d. 7. n. 62.* ſufficit etiam in utroque foro diſpoſitio manu teſtatoris ſchedula ſcripta, vel ſubſcripta ad pias cauſas, niſi aliunde conſtet de contraria voluntate teſtatoris. Ita cum Valaſco, Decio, & aliis Fragoſus, *ſuprà n. 66.* Porro relictum ad pias cauſas dicitur, ſi quid Eccleſiæ, vel Monaſterio relinquatur, Hoſpitali, confraternitatibus, pauperibus, viduis, pro anima, pro captivorum redemptione, pro alimentis, pro dote virginis, pro publica utilitate, pro refectione pontium, viarum, &c. Denique ad piam cauſam relictum eſſe dixerim, quod meretrici datur, ut ad frugē redeat meliorem. Diana, *p. 7. tract. 6. reſol. 29. & 30.*

657 Dico tertiò: teſtamentum militare in tentoriis factum plura habet privilegia de jure communi. Primum eſt, quod ad illud ſufficiunt duo teſtes non rogati, *l. divus ff. de milit. teſtam.* & hoc teſtamentum ſuſtinetur per annum poſt juſtam miſſionem, ſeu receſſum ab exercitu, lapſo vero anno non ſuſtinetur. Ita cum communi ſententia Fragoſo, *ſup. n. 104. & 105.* Secundum privilegium militum eſt, ut poſſint decedere cum duobus, vel pluribus teſtamentis, *l. querebatur ff. de milit. teſtam.* Quando autem ambo debeant ſuſtineri? vide Fragoſum, *ſupr. n. 111.* Tertium privilegium eſt, ut poſſint decedere pro parte teſtati, & pro parte inteſtati, *l penult ff. de injuſt. rupt. teſtam.* quod accidere poteſt, ut ſimiles inſtituat hæredem pro bonis caſtrenſibus, & in bonis non caſtrenſibus neminem inſtituat, de quibus late Fragoſo *ſuprà n. 112. & 113.* Quibus, & aliis privilegiis gaudent, quicunq; in caſtris reperiuntur, & ſi milites non ſint, modo in loco hoſtili ſint. Lugo, *d. 24. n. 12.*

658 An autem hæc omnia procedant, etiam de jure Luſitano? Reſpondeo affirmativè; imò juxta illud poſſunt, etiam teſtari filij familias, modo habeant quatuordecim annos, de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, ſi milites fuerint, & moriantur in bello, ut patet ex ordinatione, *lib. 4. tit. 83.* Item condemnatus ob aliquod crimen ad mortem, licet de jure noſtro teſtari non poſſit, poterit tamen teſtari de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, ſi in bello moriatur, ut patet ex ordinatione, *lib. 4. tit. 83. §. 2.* Item miles de jure Luſitano, poteſt inſtituere unum hæredem in bonis caſtrenſibus, & alterum in non caſtrenſibus, *lib. 4. ordinationis tit. 83. §. 4.* imò in ipſo conflictu belli, poſſunt milites ex eadem ordinatione, *lib. 4. tit. 83.* teſtari quomodocunque voluerint, ſive verbo tenus, ſive ſcripto, etiam in pulvere, ſive in terra cum gladio, aut in clypeo cum ſanguine, dummodo id probetur duobus teſtibus ibi caſu ſive obiter tranſeuntibus, & nullo modo ad id rogatis, vel vocatis; ita Valaſcus, *conſult. 104. n. 16.* & cum aliis Fragoſus, *ſuprà n. 121.*

659 Cenſetur autem miles exiſtere in caſtris, primo quando fixis in campo tentoriis morantur in aliquo loco, vel quando cum exercitu ita faciunt. An autem idem dicendum ſit quando ſunt in arcibus in terris inimicorum, quales nunc ſunt Luſitani in terra Galeciæ, vel in Hiberia, & in arcibus confinibus terris inimicorum affirmant Valaſcus, *conſult. 104.* Fragoſo, *ſup. n. 109.* ſunt namque actualiter ſemper parati ad præliandum, & vigilias alternas continuo habent. Et dicendum exiſtimant de militibus, qui navigant in navibus bellicis, ſive ad Indiam, Braſiliam, &c. ſed hæc dici non poſſunt de jure Luſitano, niſi milites præſidiarij, vel navigantes ſint in congreſſu belli, vel obſidione, ut patet *ex eadem ordinatione lib. 4. tit. 83. §. 9.*

Dico quartò: ad teſtamentum tempore peſtis factum, de jure Luſitano, ſufficiunt tres teſtes, maſculi tamen; quamvis aliqui, etiam fœminas admittant. Ita cum Gamma, Valaſco, Molina, & aliis Fragoſo, *ſuprà num. 126.* dixi de jure Luſitano: nam de jure communi requiruntur quinque teſtes Diana, *p. 5. tract. 3. reſol. 123.* Lugo, *d. 24. n. 7.* 660

Ad teſtamentum vero ruri, vel in eremo factum, aliqui etiam dicunt ſufficere tres teſtes, ſed melius dicendum eſt de jure Luſitano requiri ſolemnitatem neceſſariam, quæ de jure regio requiritur in aliis teſtamentis. Ratio eſt, quia lex ſolum diminuit teſtes pro codicillis rure factis, nihil de teſtamentis diſponens: ergo relinquit teſtamentum in eadem vi legis. Ita Fragoſus, *ſup. n. 131.* Et idem dicendum eſt de teſtamentis in mari factis, quia in qualibet navi Luſitana, conſtituitur notarius, & adſunt ſufficientes teſtes; ſed de his vide latius Fragoſum, *ſuprà n. 141.* dixi de jure Luſitano, nam de communi, in omni caſu neceſſitatis ſufficiunt quinque teſtes. Ita cum multis Diana, *p. 5. tract. 3. reſol. 123.* Lugo, *ſuprà. n. 7.* imò aliqui dicunt ſufficere duo, vel tres teſtes, quos refert, & probabile putat, Malderus, *tract. 1. cap. 11. dub. 6.* 661

SECTIO III.

Vtrum Teſtamentum ex defectu ſolemnitatis nullum ſubſtineatur in foro conſcientiæ?

SVMMARIVM.

662 *Teſtamentum ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus juris licet in foro externo ſit nullum, in foro conſcientiæ eſt validum?*

663 *Hæres ab inteſtato tenetur in foro animæ reſtituere hæreditatem, & legatum ei, qui ſic eſt inſtitutus in minus ſolemni teſtamento.*

664 *Hæres ab inteſtato ad hoc etiam poteſt cogi in foro externo, ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe ut hæreditas alteri traderetur.*

DIco primò: teſtamentum ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus juris, licet in foro externo ſit nullum, ut ſupponimus, in foro tamen conſcientiæ eſt validum, ut & ratio eſt quia ex teſtamento minus ſolemni oritur obligatio naturalis ergo licitè retinetur quod ex tali teſtamento poſſidetur, ſive titulo hæreditatis, ſive legati. Ita cum Sylveſtro, Leſſio, Filliucio, Sanchez, Molina, Palao, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 17. dub. 3. num. 3.* contra Covarruviam, Bonacinam, & alios, quos *ibi* refert, & probabile putat Trullenc. *n. 2.* Fragoſo, *ſuprà n. 157.* 662

Dico ſecundò: Stando in hac noſtra opinione, hæres ab inteſtato tenetur in foro animæ reſtituere hæreditatem, & legatum ei, qui ſic eſt inſtitutus in minus ſolemni teſtamento, ſi ei conſtet de voluntate teſtatoris, quod ſi dubius ſit, debet ſe componere cum illo pro dubij ratione; imò hæres ab inteſtato cogi in foro externo reſtituere hæreditatē inſtituto in minus ſolemni teſtamento, ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut alteri traderetur, vel nollet jurare oblato ei juramento, in hoc tamen caſu eſſet detrahenda Trebellanica, id eſt quarta pars hæreditatis. Ita cum Leſſio, & aliis Trullenc. *ſuprà num. 4. & 5.* Molina, *tom. 1. d. 81.* & alij. 663 664

SECTIO

SECTIO IV.

Qui poſſint, & non poſſint teſtari?

SUMMARIUM.

665 *Quilibet niſi prohibeatur teſtari poteſt, dummodo uſum rationis habeat, & liberam bonorum adminiſtrationem.*

666 *Surdus ſimul, & mutus à nativitate teſtari non poteſt.*

667 *Prodigus, cui prohibita eſt bonorum ſuorum adminiſtratio, teſtari non poteſt.*

668 *Damnati ad mortem naturalem, vel civilem non poſſunt teſtari.*

669 *Quid dicendum ſit de jure Luſitano in damnatis ad mortem.*

670 *Religioſi niſi de Pontificis licentia teſtari non poſſunt.*

665 Dico primò: quilibet niſi prohibeatur teſtari poteſt, modo ſufficientem uſum rationis habeat, & liberam bonorum adminiſtrationem, è contra vero teſtari non poſſunt, qui juris diſpoſitione prohibentur, & qui uſu rationis carent, ut furioſus, qui lucida intervalla non habet, *l. furioſum, Cod. qui teſtam. facere non poſſunt.* Tempore tamen quo habent lucidum intervallum teſtari poſſunt. Quod ſi dubiteretur an teſtamentum fuerit factum tempore furoris, inſpicienda ſunt verba, & modus teſtandi, quæ ſi videantur recte diſpoſita, præſumitur fuiſſe factum tempore lanæ mentis, ſecus ſi ita non ſint. Ita cum Mantica, & aliis multis, Fragoſo, *lib. 5. p. 3. d. 6. §. 1. num. 7.* Trullenc. *lib. 7. cap. 28. n. 1.*

666 Dico ſecundò: ſurdus ſimul, & mutus à nativitate non poteſt teſtari ad cauſas profanas, niſi principis privilegio factus ſit habilis ad teſtandum, *l. diſereti Cod. tit. eod.* Qui non poteſt articulate loqui, ita ut hæredem exprimere nequeat teſtari nequit, *l. jubemus Cod. teſtam.* Idem dicendum eſt de impubere, hoc eſt de maſculo ante decimum quartum annum expletum, & de fœmina ante duodecimum completum, *l. ultim. Cod teſtam. militum.* Idem dicendum eſt de filiofamilias, hic tamen ſi pubes ſit teſtari poteſt de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus. Et idem dicendum eſt de filia, hæc enim quandiu ſub patria poteſtate eſt, non poteſt de dote adventitia teſtari. Clarus, *lib. 3. ſent. §. teſtam. q. 18.*

667 Dico tertiò: prodigus, cui prohibita eſt bonorum ſuorum adminiſtratio teſtari non poteſt, quamvis teſtamentum ipſius conditum antequam prodigus fieret validum ſit, *inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam. §. prodigus.* Idem dicendum eſt de illis, qui commiſerunt aliquod delictum, cui jure annexa eſt pœna, qui ipſo facto ſunt inteſtabiles, ut qui Cardinalem hoſtiliter percuſſere, uſurarij manifeſti, hæretici poſt ſententiam declaratoriam criminis. *Cod. felicis, de pœnis in 6.* Molin. *tom. 1. d. 138.* Leſſius, *lib. 2. c. 19 dub. 4.* Filliucius, *tract. 34. n. 157.*

668 Dico quartò: damnati ad mortem naturalem, vel civilem ut ejecti in exilium perpetuum teſtari non poſſunt. Idem dicendū eſt de damnatis ob libellum famoſum; damnati tamen ad perpetuum carcerem

669 teſtari ſolum poſſunt ad cauſas pias. Idem poſſunt facere damnati ad mortem de tertio bonorum ob quodcunq; delictum de jure Luſitano excepto crimine hæreſis, proditionis, vel ſodomiæ, ut patet, *ex l. Luſitana, l 4. ordinationis, tit. 80. n. 6.* ſed de his vide Fragoſum *1. p. lib. 5. d. 122. §. 15. n. 57. uſque ad 64.*

Dico quintò: Religioſi, niſi ex ſummi Pontificis 670
licentia non poſſunt teſtari authentica ingreſſi, *Cod. de ſacris Eccleſiis.* Poſſunt tamen de ſuperioris licentia aliquid donare tempore mortis, etiam per ſchedulam ſcriptam, quia tota diſpoſitio manet in libera voluntate ſuperioris, nec eſt teſtamentum, nec codicillus, quare id licitum, etiam fratribus minoribus, quaſi res modica ſit, ut Prælatus licentiam poſſit concedere donandi inter vivos, cur non etiam cauſa mortis. Diana, *p. 5. tr. 3. reſ. 128.* Tandem Epiſcopus non poteſt teſtari de redditibus, qui ſuperſunt ei de ſuo Epiſcopatu, bene tamen clerici de illis, quæ ex fructibus beneficiorum congruenti ſuſtentationi ſuperſunt, peccabunt tamen, ſi id faciant ad cauſas profanas, ſed de his vide Trullenc. *lib. 7. c. 18. Decalog. dub. 6. n. 7.*

SECTIO V.

Qui poſſint, vel non poſſint hæredes, vel legatarij inſtitui?

SUMMARIUM.

671 *Qui ob crimen aliquod redduntur inteſtabiles à jure non poſſunt hæredes, nec legatarij inſtitui, & qui hi ſint?*

672 *Fratres minores non poſſunt inſtitui hæredes.*

673 *Poſſunt inſtitui hæredes non ſolum privati, ſed etiam communitates, ut Eccleſia, civitas, &c.*

674 *Filij ſpurij, tam jure communi, quam Luſitano non poſſunt à Patre aliquid accipere, ſive ex teſtamento, vel abinteſtato, vel ex contractu inter vivos.*

675 *Quid ſi Pater inſtituat hæredem Petrum cum obligatione ut hereditatem reſtituat filio ſuo ſpurio?*

676 *An ſpurius ſubſtitutus pupillariter filio legitimo obeunti poſſit ſuccedere bonis paternis virtute talis ſubſtitutionis?*

677 *An Pater poſſit inſtituere hæredem filium ſpurium, ſi à Principe legitimetur?*

678 *Spurius non poteſt ſuccedere matri, etiamſi nulla alia proles ſuperſit.*

679 *Parentes non poſſunt ſuccedere filiis ſpuriis.*

680 *Filij naturales poſſunt, tam de jure communi, quam Luſitano inſtitui hæredes univerſales à parentibus non habentibus filios legitimos, aut aſcendentes.*

681 *Filij naturales hominis mechanici ſuccedunt Patri in legitima de jure Luſitano, non tamen filij hominis nobilis.*

Dico primò: non poſſunt inſtitui hæredes, nec 671
legatarij, qui ob crimen aliquod redduntur inteſtabiles à jure, ut qui perſequuntur Cardinales, eoſque percutiunt, & capiunt, hæretici, apoſtatæ, credentes, defenſores, receptores hæreticorum, ſi intra annum non pœnituerint. *Authent. Federici Imper. Cod. de hereticis.* Vnde Catholici poſſunt tales hæredes excludere, etſi impediantur vi, adverſus eos poſſunt uti compenſatione, quia jus non habent, illi tamen non tenentur hæreditatem vel legata reſtituere ante judicis ſententiam. Ita cum Leſſio, Saa, Sanchez, Bonacina, Trullenc. *lib. 2. c. 18. Decalog. dub. 6. n. 1.* Non poteſt etiam inſtitui hæres committens crimen læſæ Majeſtatis, *cap. quiſquis commiſitib. de pœnitentia.* Idem dicendum eſt de Judæo, Sarraceno, aut alio infideli Villalobos, *p. 2. tract. 30. diff. 12. n. 6.*

Digitized by Google

671 Dico ſecundò: fratres minores non poſſunt inſtitui hæredes, *Clem. exivi de verbor. ſignifi. §. quia igitur*; poteſt tamen in eorum favorem hæreditas relinqui, ſeu legatum, ut vendatur per alios, & fratribus pretium tradatur, de quibus vide Portel, *verbo hæreditas num.* 4. Barboſam, *lib.* 3. *de jure univerſo cap.* 27. *num.* 75. *uſque* 80. reliqui autem religioſi, etiam mendicantes inſtitui poſſunt hæredes, & legatarij. Quando tamen religioſus inſtituitur hæres, immediate ipſo jure defertur conventui, abſque facto aliquo ipſius religioſi, quia monachus nullum habet jus proprium, quando acquirit, non ſibi, ſed monaſterio acquirit. Trullenc. *ſuprà num.* 3.

673 Dico tertiò: poſſunt inſtitui hæredes, non ſolùm privati, etiam ſervi, ſed etiam communitates, ut Eccleſia, Civitas, Oppidum, Collegium, &c. Excipe tamen civitatem hoſtium, & communitatem Iudæorum, & Collegia illicita, quæ ſcilicet publica authoritate creata non ſunt, privatæ tamen perſonæ de Collegio illicito poſſunt inſtitui *l.* 1. *Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis l. omnibus ff. de Trebell. l. Collegi. Cod. de hæred. l. cum ſenatus ff. de rebus dubiis.* Advertе tamen quod ſi ſervus inſtituatur hæres, eo ipſo fit libera jure, & idem dicendum eſt ſi inſtituatur tutor filij, Villalobos, 2. *p. tract.* 30. *diff.* 12. *num.* 1. 2. & 3.

674 Dico quartò: filij ſpurij, id eſt qui nati ſunt è parentibus inter quos tempore conceptionis, vel partus erat impedimentum dirimens, tam jure communi, quam Luſitano, *lib.* 4. *ordinationis tit.* 93. non poſſunt aliquid à Patre accipere, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex contractu inter vivos. Ita habetur *l. licet de natu. liber.* ſunt namque tales incapaces hæreditatis, & ſucceſſionis. Vnde ſi eam receperint tenentur in conſcientia legitimis hæredibus reſtituere, hoc tamen intelligendum eſt de filiis ſpuriis Patris: nam ſi uxor habuerit ſpurium, id eſt marito inſtar extranei, & ab eo poteſt hæres inſtitui Covarruvias, *de matrim. cap.* 8. §. 5. *num.* 5. Filliucius, *tract.* 34. *num.* 163.

675 An autem, ſi Pater inſtituat hæredem Petrum cum obligatione ex pacto, ut hæreditatem reſtituat filio ſpurio, talis diſpoſitio ſit valida? Reſpondeo quod licet talis diſpoſitio ſit illicita, eſt tamē valida, ſiquidem non fuit conditionalis, ſed abſoluta cum ſolo modo, vel gravamine adjecto, quod gravamen cum ſit contra leges, habetur tanquam non adjectum, ut bene advertit Lugo, *de juſtitia d.* 24. *num.* 96. Vnde hæres inſtitutus poteſt hæreditatem accipere, & retinere, non tenetur tamen eam ſpurio tradere, cum illa promiſſio fuerit contra leges; ſi tamen voluerit, poterit hæreditatem ſpurio tradere, non ex pacto præterito, quod nullum fuit, ſed ſponte ſua illud licite poteſt efficere, & ſpurius poteſt licite eam capere, & retinere, cum eam non à Patre, ſed ab extraneo accipiat. Ita Molina, *d.* 169. & cum Leſſio, Sanchez, Vaſquio, Lugo, *d.* 24. *num* 92. Diana, *p.* 4. *tra.* 3. *reſol.* 121. Trullenc. *ſuprà num.* 4. contra Salon, Soto, & alios. Et hic modus ſubveniendi ſpuriis maxime commendatur à Lugo, *ſuprà*, ſi fiat ſine tali pacto, ut ſi pater inſtituat amicum hæredem, poſtulando ab eo ex benevolentia, ut poſt ejus obitum curam ſpurij habeat, & ei provideat, ſicut ipſe provideret, quo caſu ſi hæres inſtitutus hæreditatem ſpurio tribuat, nec Pater ſic diſponendo peccavit, nec ſpurius acceptando, cum nihil à Patre acceperit. Lugo, *ſuprà num.* 95. & alij.

676 An autem ſpurius ſubſtitutus pupillariter filio legitimo obeunti poſſit ſuccedere pupillo in bonis paternis virtute talis ſubſtitutionis? negant plurimi, quos refert, & ſequitur Sanchez, *lib.* 4. *conſiliorum cap.* 3. *dub.* 25. *num.* 2. Molina, *d.* 167. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 59. Verum contraria ſententia valde probabilis eſt. Et ratio eſt, quia ſicut quoad alia bona pupilli poteſt Pater pro ipſo intra pubertatem decedente teſtari, ne inteſtatus obeat, ita poteſt quoad bona, quæ pupillus à Patre habuit, cum hæc non ſint minus bona pupilli, quam alia, & non minus expediat pupillū non mori inteſtatum, quoad hæc, quam quoad illa, tum quia Pater tantum nomine pupilli teſtatur, nec ſpurius tunc accipit à Patre ea bona, ſed à pupillo, nec ideo quia fuere bona Patris, ſed ſolum quia ſunt bona pupilli. Ita Acoſta, apud Sanchez, *ſuprà num.* 3. & probabile putat Sanchez, *ibi.* Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. num.* 412.

An autem Pater poſſit inſtituere filium ſpurium hæredem ſub conditione ſi à Principe legitimetur? Reſpondeo poſſe valide, & licite, ſic enim habetur, *l. in tempus* 62. *ff. de hæred. inſtit.* Ita Molina, *d.* 169. & cum aliis Sanchez, *lib.* 4. *conſiliorum cap.* 3. *dub.* 28. Poteſt etiam Pater ſpurij dicere alteri habenti filium ſpurium, ego inſtituam hæredem filium tuum, & tu inſtitue filium meum, hæc enim inſtitutio valida eſſet, niſi obſtaret Bulla Pij V. qua revocatæ ſunt hujuſmodi inſtitutiones, quoad filios ſpurios clericorum. Ita Navarrus apud Molinam, *d.* 169. Malderus, *de juſtitia tract.* 1. *cap.* 11. *dub.* 4. probabile putat Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. num.* 413. quidquid cum Molina, in contrarium dicat Lugo, *d.* 24. *num.* 107. 677

Dico quintò: ſpurius non poteſt ſuccedere matri, etiamſi nulla alia proles ſuperſit. Affirmant tamen aliqui poſſe ſpurium retinere, quæ mater illi reliquit donec à judice privetur, modo legitimis filiis notabiliter non noceat. Ita cum Henriquez, Sa, Leſſio, probabile putat Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 7. *num.* 6. ſpuriis tamen dantur alimenta, id eſt ea, quæ pertinent ad victum, veſtitum, medicinas, habitationē &c. juxta qualitatem perſonæ, ſi aliunde non valeant ſibi providere; unde Pater quamvis ſacerdos ſit, poteſt filiæ ſpuriæ tradere dotem, quia dos in locum alimenti ſuccedit. Molina, *tom.* 1. *d.* 167. Filliucius, *tract.* 34. *num.* 165. Dixi ſi aliunde non valeant ſibi providere: nam ſi ſpurius alimentis non indigeat, non poteſt Pater ei aliquid relinquere. Ita habetur *cap. cum haberet*, & cum Sanchez, Vaſquio, Molina, tenet Eſcobar, *lib.* 38 *Decalog. num.* 416. Et idem dicendum eſt quando ſpurius habet aliqua bona immobilia, ex quorum redditibus non poteſt ſufficienter vivere, poteſt tamen ſi ea vendat, ex pretio vivere emendo, v. g. cenſum perpetuum, aut vitalitium, vel pecunia illa negotiando. Ita cum Vaſquio, Eſcobar, *lib.* 38. *Decalog. num.* 432. An autem teneatur emere cenſum vitalitium? Reſpondeo teneri, ſi deſcendentes non habeat, nec ſperet habere. Ita Scobar, *ſuprà n.* 452. Lugo, *d.* 24. *num.* 124. 678

Dico ſextò: ſicut ſpurij non poſſunt ſuccedere parentibus, ita nec parentes, aut alij aſcendentes poſſunt ſpuriis ſuccedere. *Authentic. quibus modis natural. effic. ſui. §. Filium vero.* Et patet ex jure Luſitano, *lib.* 4. *ordinationis tit.* 91. Fratres tamen naturales, aut ſpurij uterini ſibi ipſis ſuccedere poſſunt, ſecus ſi nō ſint uterini, licet ſint ab eodem Patre, & quamvis ſint legitimati, niſi aliter expreſſum ſit in legitimatione. Ita cum Bonacina Trullenc. *ſup. n.* 11. 679

Dico ſeptimò: filij naturales, id eſt ſcilicet, qui nati ſunt è parentibus, inter quos conceptionis, vel nativitatis tempore poterat eſſe matrimonium, poſſunt tam de jure communi, quam Luſitano, inſtitui hæredes univerſales, à parentibus non habentibus filios legitimos, aut aſcendentes, quibus legitima debeatur. Ita habetur, *Authentica de hæred. ab inteſtato* 680

ſtato, & quoad noſtros patet, *extraordinatione l.4. t. 92. n. 1.* Imò in hoc Luſitaniæ Regno, filij naturales
681 hominis mechanici ſuccedunt Patri in legitima, ſicut alij legitimi, & moriente Patre ab inteſtato, ſi alios filios legitimos non habeat, naturalis ſuccedit in tota hæreditate, nec Pater poteſt teſtari niſi de ſolo tertio, etſi tantum habeat filios naturales, aliter tamen dicendum eſt in filiis naturalibus hominis nobilis: nam hi non ſuccedunt, niſi ex teſtamento Patris, nec Pater ſi habeat deſcendentes vel aſcendentes legitimos poteſt eis aliquid relinquere, niſi ex tertio, quando ſolum habet aſcendentes, ut patet ex eadem *lege n.* 2. Denique matri carenti prole legitima, etiam inteſtatæ naturalis ſuccedit ex aſſe, hoc eſt in tota hæreditate. ſi verò habeat prolem legitimam, cum illis ſuccedit ex æquo, *l. ſi quaillustris Cod. A.S.C. Orfician.* & colligitur, *ex l. noſtra lib. 4. ordinationis tit. 93. in fine.*, & tenet Molina, *tom. 1. d.* 166. Reginald *lib.* 25. *num.* 626. Bonacina, *de contract. d. 3. quæſt.* 17. *p.* 3. *num.* 12.

SECTIO VI.

Quibus modis poſſit quis hæredi ſubſtitui?

SUMMARIUM.

682 *Multiplex eſt ſubſtitutio, vulgaris, pupillarij, & exemplaris, & fideicommiſſaria, reciproca, compendioſa.*
683 *Quid ſit ſubſtitutio vulgaris?*
684 *Quid ſit ſubſtitutio pupillaris?*
685 *Quando ceſſat ſubſtitutio pupillaris?*
686 *Quid ſubſtitutio exemplaris?*
687 *Quid ſit ſubſtitutio fideicommiſſaria?*
688 *In quo differat Trebellianica à falcidia?*
689 *Quid ſit ſubſtitutio reciproca, ſeu brevilogua?*

682 DIco primò: multiplex eſt ſubſtitutio, præcipuè ſunt vulgaris, pupillaris, exemplaris, & fideicommiſſaria, quibus adde reciprocam, & com-
683 pendioſam. Vulgaris eſt, qua quis jure non prohibitus poteſt ſubſtitui à quovis teſtatore, & ſit vt ſi quis dicat, inſtituo Ioannem, & ſi is noluerit, vel incapax ſit, vel moriatur ante me, ſit hæres Petrus: In hoc namque caſu, ſive Ioannes inſtitutus non acceptet, eo quia noluit, ſive quia incapax factus eſt, vel mortuus, Petrus ei ſuccedit in hæreditate. Et idem dicendum eſt, quando teſtator ſolum dixit, inſtituo Ioannem, & ſi is noluerit, inſtituo Petrum: nam ſi Ioannes non acceptavit, ſive quia noluerit, ſive quia incapax factus eſt hæreditatis, Petrus ſuccedit, quia explicato uno capite expreſſe, intelliguntur alia capita tacite ſubintelligi, juxta *l. gallus ff. de liberis & poſthum.* & quoad noſtros patet ex lege Luſitana, *lib. 4 tit. 87. num.* 2. Eo ipſo tamen quod hæres inſtitutus acceptavit hæreditatem, expirat ſubſtitutio vulgaris. Excipe minores, & filios familias: nam ſi poſtquam acceptarunt intra tempus eis à jure conceſſum recedant ab acceptatione, tunc reviviſcit ſubſtitutio vulgaris, ut patet, *ex noſtra ordinatione lib. 4. tit. 87. num.* 3. non valet tamen ſubſtitutio vulgaris, non præcedente expreſſa inſtitutione hæredis, maxime quando eſt perſona neceſſaria intuenda, ut filius familias, ſecus ſi ſit extranea: nam tunc poteſt ſubſiſtere vulgaris ſubſtitutio, ſine expreſſa inſtitutione hæredis. Ita cum Spin. Fragoſo, *p. 3. lib. 5. d. 8. §. 7. num.* 194.
684 Dico ſecundò: ſubſtitutio pupillaris eſt, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit, & ſit hoc modo, inſtituo filium meum impuberem, etſi in pupillari ætate deceſſerit, ſubſtituo illi Petrum; tunc ſi filius in pupillari ætate, vel ante pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus habebit, & bona Patris, & filij: nam ibi ſunt duo teſtamenta, & Patris, & filij. Debet autem Pater habere in ſua poteſtate eum, cui ſubſtituit, unde mater non poteſt hac ſubſtitutione ſubſtituere, neq; etiam poterit Pater, quando ejus morte filius recedit in poteſtate Avi, neque etiam quando teſtator, & ejus filius erant in avi poteſtate, nec poteſt aliquis ſubſtitui filio emancipato, nec filio naturali, nec extraneo, aut conſanguineo, quia non ſunt in poteſtate Patris, non eſt tamen neceſſe quod pupillus ſit ſub poteſtate teſtatoris tempore facti teſtamenti, ſed ſufficit quod ſit tempore mortis. Lugo, *ſuprà num.* 147. requiritur tamen, quod teſtator inſtituat hæredem, & quod hæres acceptat hæreditatem, alias ſubſtitutio pupillaris corruit, ut patet, *ex lege noſtra lib. 4. ordinationis tit.* 87. *num.* 8.

Ceſſat autem hæc ſubſtitutio, ſi filius decedat poſt 685
pubertatem, vel per nativitatem filij: nam eo ipſo quod natus eſt filius expirat ſubſtitutio pupillaris, & impubes doli capax poteſt filios procreare. Vnde per nativitatem poſthumi expirat ſubſtitutio pupillaris. Ita cum Molina, Fragoſo, *p 3. lib. 5. d.* 8 §. 6. *num.* 169. An autem ſubſtitutus pupillariter excludat matrem pupilli ab ejus ſucceſſione? Reſpondeo excludere, ſi eſt ſubſtitutio pupillaris expreſſa, ſi vero ſit tacita, quæ in vulgari expreſſa includitur, licet excludat alios hæredes ab inteſtato, non tamen matrem, etiam circa bona, quæ pupillus habuit à Patre, niſi per conjecturas conſtet fuiſſe mentem teſtatoris, vt ſi teſtator dixerit ſe nolle bona ſua ad uxorem venire, vel ſi in odium uxoris vulgarem illam ſubſtitutionem fecit; vel ſi in teſtamento aliquid uxori reliquit, dicens quod illa eſſet contenta, & nihil amplius à ſubſtituto peteret, vel ſi ſubſtitutus erat filius, nepos, frater, conſobrinus pupilli, vel frater, aut aſcendens teſtatoris, vel cauſa pia; ſi tamen ſit tacita vulgaris incluſa in pupillari expreſſa, excluditur mater, quia ea locum non habet, niſi quando pupillus non fuit hæres, quo caſu mater nullum jus ad illa bona habebat, ſed de his, & aliis vide Lugum *ſup. n.* 149. Molinam *d.* 184.

Dico tertiò: ſubſtitutio exemplaris appellatur, 686
quæ ad exemplum pupillaris inventa eſt, & tunc datur quando filio etiam puberi amenti, vel mentecapto, vel muto ſimul & ſurdo, vel prodigo, cui bonorum adminiſtratio eſt interdicta ſit ſubſtitutio, ut ſi dicat inſtituo talem filium meum, & ei Petrum ſubſtituo. Poteſt autem hæc ſubſtitutio fieri etiam à matre, in bonis tamen tantum maternis, ac ſi ille, cui ſubſtituitur habeat filios, vel fratres, debent hi ſubſtitui, aut unus ex illis relicta legitima ei, quibus jure debetur. Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub. 7. nub.* 83. & 84. Villalobos, 2. *p. tractat. 30. diff.* 14. *num.* 7. Lugo, *d.* 24. *num.* 151. An autem hæc ſubſtitutio excludat matrem amentis? Reſpondeo negative; & ratio eſt, quia hæc ſubſtitutio non excludit fratres, ergo nec matrem, quæ magis conjuncta eſt. Ita cum Molina, & aliis Lugo, *ſuprà n.* 153.

Dico quartò: ſubſtitutio fideicommiſſaria, eſt 687
ſubſtitutio indirecta, ſeu obliqua, qua ſubſtitutus non inſtituitur directè, ſed alter inſtitutus rogatur ei totam, vel partem aliquam reſtituere, quare in hac ſubſtitutus non accipit directè, & immediatè à teſtatore, ſed à gravato, & ejus miniſterio. Et ideò codicillo fieri poteſt; quo hæredi onus imponi po-

teſt, unde ante aditam hæreditatem ab hærede gravato fideicommiſſarius nihil habet poteſt; poteſt tamen petere, ut cogatur hæres officio judicis acceptare hæreditatem, & ſtatim reſtituere. Ita cum communi ſententia Lugo, *d. 24. n. 154.* Vt autem hæres gravatus alliceretur ad hæreditatem adeundam conceſſum eſt ei, ut poſſet detrahere quartam partem à tota hæreditate, in qua eſt inſtitutus, ne vana ſit hæredis inſtitutio, niſi forte teſtator aliquid ei reliquerit, quod quartam partem adæquet, quod ſi non adæquet, poterit ſumere uſque ad complementum quartæ partis, quod verum eſt, & ſi is, cui imponitur fideicommiſſum ſit hæres primi gradus, cui debetur legitima; nam ultra illam poterit etiam detrahere quartam partem, niſi fortè juſſus ſit ſtatim poſt mortem teſtatoris reſtituere fideicommiſſum: tunc enim debet eſſe contentus, vel quarta, vel legitima. Hæc autem quarta vocatur Trebellianica, eo quod ſit inſtituta à quodam jureconſulto Trebelliano.

688 Differt autem Trebellianica à Falcidia, quia Falcidia eſt detractio quartæ partis in legatis, quando tota hæreditas diſtributa eſt in legatis; nam tunc poteſt hæres quartam partem omnium legatorum ſibi accipere. Trebellianica verò eſt detractio quartæ partis in fideicommiſſis, hæc autem detrahi non poteſt, quando ſubſtitutus eſt cauſa pia, ſicut nec Falcidia à legatis piis, niſi fortè etiam hæres, qui gravatur ſit cauſa pia; nam tunc detrahere poteſt, quia una cauſa pia contra aliam non habet privilegium. Nec etiam poteſt detrahi Trebellianica, aut Falcidia quando expreſſe prohibetur à teſtatore. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 19. dub. 8. à num. 85. uſque ad 91.* Lugo *d. 24. num. 166.* & alij communiter.

689 Dico quintò: ſubſtitutio reciproca, ſeu breviloqua dicitur, qua inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur, ut ſi dicat inſtituo hæredem Petrum, & Joannem, & eos invicem ſubſtituo, ſubſtitutio vero compendioſa eſt, quæ plures complectitur ſubſtitutiones, quoad diverſa tempora verbis ſaltem generalibus expreſſas, ut differat à ſubſtitutione pupillari includente tacitam vulgarem, & contra, in quibus licèt ſint plures ſubſtitutiones ad diverſa tempora, non tamen verbis expreſſis, talis eſt hæc, inſtituo hæredem filium meum, & quandocumque è vita deceſſerit, ſubſtituo ei Petrum, ubi datur ſubſtitutio vulgaris, ſi filius non ſit hæres, ſi moriatur poſtea ante pubertatem eſt pupillaris, ſi moriatur poſt pubertatem eſt fideicommiſſaria, ſi fiat amens erit exemplaris, ſed de his vide Leſſium, Fragoſum, *part. 3. lib. 5. d. 8. §. 7. per totum.*

SECTIO VII.

De hæredibus neceſſariis.

SUMMARIUM.

690 *Quis ſit hæres neceſſarius?*
691 *Quæ ſit legitima hæredibus neceſſariis debita?*
692 *Quomodo hæc legitima dividenda ſit inter filios?*
693 *Hæc legitima portio de jure communi civili debet relinqui filio ut hæredi, ut teſtamentum validum ſit.*
694 *Quid dicendum ſit de jure Luſitano?*
695 *Quæ ſint cauſæ exhæredationis filiorum?*

690 Dico primò: Hæres neceſſarius eſt ille, qui prætermitti non poteſt, ſed ei, vel tota, vel aliqua pars hæreditatis jure ipſo debetur; inter autem hæredes neceſſarios primum locum habent deſcendentes legitimi, qui omnibus aliis, etiam aſcendentibus præferuntur, quare teſtator, niſi illos inſtituat, vel exhæredet appoſita exhæredationis cauſa, teſtamentum ſaltem quoad hæredum inſtitutionem eſt nullum, quod idem eſt, ſi cauſa exhæredationis appoſita poſtea non probetur; ſi verò in minori portione inſtituat, quam illis debita eſſet, teſtamentum valet, ſed conditione *ex l. omnimodo, Cod. de inofficioſo teſtam.* cogunt ad incrementum uſque ad legitimam portionem.

Dico ſecundò: legitima portio legibus hæredibus neceſſariis debita de jure communi novo eſt hæc, ut ſi teſtator non habeat plus quam quatuor filios, debeat illis relinquere tertiam bonorum partem, ſi habeat plures, debeat dimidiam partem relinquere, ut conſtat *ex Authent. unde ſi pater, Cod. de inofficioſo teſtament.* debetur autem hæc legitima à patre, atque etiam à matre deſcendentibus legitimis maſculis, & fœminis emancipatis, & non emancipatis; In Luſitania tamen tenentur pater, & mater relinquere duas partes bonorum pro legitimis filiorum ſive unus, ſive plures ſint, & ſolum poſſunt de tertio diſponere libere, ut patet *ex ordinatione lib. 4 tit. 82. n. 1. & tit. 91. n. 1.* 691

Dico tertiò: hæc legitima portio de jure communi, & cujuſcumque Regni deſcendentibus debita, dividenda eſt inter filios per partes æquales. Nepotes autem non ſuccedunt vivente filio ſuo patre, eo tamen mortuo ſuccedunt ejus loco, non per capita, ſed per ſtipitem, hoc eſt omnes illi nepotes ſimul in illa ſola parte, quæ deberetur filio eorum patri ſi ſuperſtes eſſet. Et idem dicendum eſt cum proportione de prænepotibus, &c. quod ſi unus filius mortuus erat ſine ſobole legitima, ejus non habetur ratio, ſed ejus portio aliis accreſcit. 692

Dico quartò: hæc legitima portio de jure communi civili debet relinqui filio ut hæredi, ut teſtamentum validum ſit, & non ſufficit ſi titulo donationis, vel legati relinquatur, ut conſtat *ex Authent. cum de appellat. cognoſ. § Aliud quoque capitulum,* quod etiam de jure Canonico ſervandum eſſe, quando teſtamentum inter liberos conditum eſt, probat Molina, *d. 175. §. Verum de jure, &c.* De jure tamen Luſitano, non eſt neceſſe quod pater in teſtamento legitimas filiis ut hæredibus relinquat, ſed ſufficit quod diſponat de tertio, ſi enim de tertio diſpoſuit ſciens habere filios, cenſetur eos in aliis partibus hæredes inſtituere, etſi id non expreſſerit, unde teſtamentum eſt validum, ut patet *ex ordinatione lib 4 tit. 82. n. 1.* 693

Secus dicendum eſt, ſi de omnibus ſuis bonis diſponat prætermittendo filios, & non aſſignando cauſam exhæredationis; nam tunc teſtamentum eſt nullum, quantum ad inſtitutionem hæredis, & exhæredationem, non tamen quoad legata, juxta quantitatem tertij, de quo pater diſponere poterat, ut patet *ex eadem lege ibi, n. 1.* Quæ autem ſint cauſæ exhæredationis, ex quibus pater poteſt filios legitimis ſuis portionibus privare, vide quæ dixi *in 4. præcepto, d. 1. ſect. 5. dubio 7.* Si tandem quæras quomodo de jure noſtro hæc diviſio inter filios facienda ſit, & quæ ad partitionem adducenda? Vide quæ dixi, *diſp. 4. de obligatione fratrum ad invicem, ſect. 2. & ſequentibus.* 694 695

SECTIO VIII.

De hæredibus ab inteſtato, quo ordine ſuccedant?

SUMMARIUM.

696 *Qui dicatur mori ab inteſtato?*
697 *Deficientibus deſcendentibus ſuccedunt ab inteſtato aſcendentes, & quo ordine?*
698 *Deficientibus aſcendentibus ſuccedunt tranſverſales, & quo ordine?*
699 *Quando conſanguinei intra decimum gradum præter fratres, & filios fratrum repræſentantes patrem ſuccedunt, debent hi omnes ſuccedere per capita, & non per ſtipitem.*
700 *His omnibus deficientibus ſuccedit conjux, ſi non præceſſit divortium, non tamen ſponſa de futuro.*
701 *Si non extent conſanguinei intra decimum gradum, vel uxor ſuccedit fiſcus.*

696 Dico primò: ille dicitur ab inteſtato mori, qui teſtamentum non fecit, ſive quia noluit cum poſſet, ſive quia non potuit propter aliquam quamcumque cauſam, vel ſi teſtamentum fecit, illud fuit nullum, vel illud cum eſſet ab initio validum poſtea revocavit, vel alio modo irritum fecit, ſuppoſito, ergo quod quis mortuus eſt ſine teſtamento modo dicto, primo loco ei ſuccedunt deſcendentes defuncti, ſervato ordine, & gradu inter illos, ut extantibus filiis, non ſuccedant nepotes, niſi in locum filij defuncti, non per capita, ſed per ſtipitem, ut *ſupr.* diximus.

697 Dico ſecundò: deficientibus deſcendentibus, ſuccedunt ab inteſtato aſcendentes ſuo ordine, & gradu in infinitum, ut patet *ex Authentico, in ſucceſſione. Cod. de ſuis, & legitimis hæredib. & §. Si igitur. & ex jure Luſitano, lib. 4. tit. 91. num. 1. & ſit. 95. in principio.* Et hæc ſucceſſio locum etiam habet reſpectu matris poſthumi, ut ſi mortuo Petro, verbi gratia, natus eſt poſthumus ex uxore prægnante, qui ſtatim mortuus eſt; nam ei mater ſuperſtes ſuccedit, & acquirit omnia bona patris, in quibus filius ſtatim, ac natus fuit patri mortuo ſuccedit, & ipſe ſtatim moriens transfert ad matrem ſuperſtitem. Econtra verò, ſi mater in puerperio moritur, filius tunc vivus natus ei ſuccedit; qui ſi ſtatim poſt matrem moriatur, transfert ad patrem omnia bona materna, *ex l. 2. & 3. Cod. de hæred. inſtituend.* Adverte tamen, quod ſi filius moriatur, licèt mater ſit ejus hæres, etiam in bonis, quæ illi ex parte patris, vel avi obvenerunt, ſi tamen illa alteri viro nupſerit, vel jam nupta ſit, de jure Luſitano tantum habet uſumfructum bonorum filij in vita ſua, & in morte ejus, ſuccedunt fratres filij primi mariti, quod ſi non ſint alij ſuperſtites, etſi nepotes extent, non habet locum hæc lex, & idem quod de matre diſpoſitum eſt, quoad bona filii ex parte patris, dicendum eſt de patre, qui ſecundo nupſit, qui filio, vel filiæ ſuccedit, quoad bona ex parte matris, ut habetur *in eadem lege. lib. 4. ordinationis titulo 91. n. 2. & 4.*

698 Dico tertiò: deficientibus aſcendentibus, ſuccedunt tranſverſales indifferenter, ſive cognati, hoc eſt conſanguinei ex parte patris, ſive cognati, hoc eſt conſanguinei ex parte matris, uſque ad 10. gradum incluſive, itaut præferantur ſemper illi, qui in proximiori gradu ſunt; ut cum communi ſententia notat Molina. *d. 164. & patet ex jure noſtro. lib. 4. ordinationis. tit. 96. in principio.* Advertè tamen fratre defuncto, primo loco ſuccedere ei fratres illius ex utroque parente, vel eorum filij, qui patres ſuos repræſentant, & excludunt fratres ex uno ſolo parente. §. *ſi igitur defunctus neque.* Deficientibus tamen fratribus ex utroque patre, & eorum filiis, fratres ex uno tantum parente excludunt omnes alios collaterales, ut *in dicto §. Si igitur defunctus.* Secundo advertè, quod ſi defuncto ſuccedant fratres uterini, id eſt, ex ſola matre, & fratres ſolum ex conſanguineis, hoc eſt, ex ſolo patre, uterini præferuntur conſanguineis in bonis, quæ defuncto ex parte matris obvenerunt, conſanguinei verò econtra præferuntur uterinis circa bona quæ defunctus habuit ex parte patris, in aliis verò bonis ſuccedunt utrique æqualiter. Molina. *d. 164.*

699 Dico quartò: quando alij conſanguinei intra decimum gradum præter fratres, & filios fratrum repræſentantes patrem ſuccedunt, debent ſuccedere hi omnes per capita, & non per ſtipitem, modo dicto. His autem omnibus deficiendibus ſuccedit conjux, ſi non præceſſit divortium, non tamen ſponſa de futuro, nec etiam obſtat divortium præceſſiſſe, ſi tempore mortis erant reconciliati, ut notav Vaſquius *cap. 4. de teſtament. §. 3. dub. 2. dum. 61.* & patet *ex l. Luſitano lib. 4. tit. 94.* Si verò pupillus decedat, non extantibus conſanguindis, ſuccedit Tutor. *ex l. quo tutela. 74. ff. de reg. iuris.* Vaſquius, *ſup. num. 63.* Denique ſi non extent conſanguinei, intra decimum gradum, nec uxor, ſuccedit fiſcus ab inteſtato. *l. 2. §. ultim. ff. de jure fiſci.* Quando verò peregrinus in hoſpitali decedit, bona mobilia, quæ ibi reperiuntur diſtribuuntur per Epiſcopum in cauſas pias, *ex Authent. omnes peregrini. Cod. communia. de ſucceſſionib.* ſed de his, & aliis; vide Vaſquium, & Molinam *locis citatis.*

SECTIO IX.

De inventario conficiendo?

SVMMARIVM.

702 *Quid ſit inventarium deſcribitur.*
703 *Inventarium ſolemne tenetur efficere hæres coram judice laico.*
704 *Quid ſi Epiſcopus decedat inteſtatus, vel Clericus inſtituens hæredem Clericum?*
705 *Obligatio conficiendi inventarium, à quo die incipiat de jure Luſitano?*
706 *Ex confeſſione inventarij plura reſultant privilegia, & qua?*
707 *Hæres non conficiens inventarium non tenetur in foro conſcientiæ ſolvere creditoribus, & legatariis ultra vires hereditatis.*
708 *Prater hæredes tenentur filij conficere inventarium, ſicut hæres extraneus.*
709 *Pater adminiſtrans bona filij de jure Luſitano tenetur efficere inventarium.*
710 *Infecto inventario poteſt hæres ſolvere creditoribus, & legatariis prout quilibet eorum primus venerit, quamvis nihil aliis creditoribus reſervetur.*
711 *In inventario plene debent ſcribi res omnes,*

tam

tam mobiles, quam immobiles, quæ ad hereditatem pertinent.

702 Dico primò: inventarium eſt deſcriptio bonorum defuncti, quæ deſcribenda ſunt. Fuit autem introductum à Juſtiniano, *in l. fin. §. fin autem Cod. de jure deliberandi.* Eſt autem inventarium duplex, alterum ſolemne, & cum publica authoritate factum, aliud ſimplex, & privatum, quod eſt veluti index rerum memoriæ cauſa. Inventarium
703 autem ſolemne tenentur efficere hæredes coram judice laïco, niſi defunctus ſit Epiſcopus, & decedat inteſtatus, vel clericus inſtituens hæredem clericum,
704 ſecus ſi laïcum inſtituant hæredem. Et ratio eſt, quia exemptio etiam poſt mortem Eccleſiaſticorum pertinet ad bona, quandiù non tranſeunt ad laïcum; ſi tamen inſtituant laïcum hæredem, tunc bona ſequuntur conditionem hæredis. Ita cum Acunhia, Mura, Molina, & aliis Fragoſo, *parte 3. lib. 5. diſp. 8. §. 18. n. 584.*

705 Dico ſecundò: obligatio conficiendi inventarium de jure Luſitano, *lib. 1. ordinationis, tit. 88. n. 4.* incipit à die obitus ad menſem, qui terminus conſiderandus eſt à die, quo hæredes cognoverunt ſe eſſe conſtitutos hæredes defuncti. Fragoſo, *ſuprà n. 585.* Eſt autem perficiendum inventarium intra ſexaginta dies ſequentes, niſi bona defuncti alibi ſint, quam ubi cœptum eſt inventarium, nam tunc datur annus ad complendum illud à morte teſtatoris computandus. Ita cum communi ſententia Fragoſo, *ſuprà n. 586.* Debent autem ad confectionem inventarij citari creditores, & Legatarij; ut ei intereſſint, ſi poſſint citari perſonaliter, alias debent per proclamationem citari. *Text. in l. fin. in principio* Fragoſo, *ſuprà n. 588.*

706 Dico tertiò: ex confectione inventarij plura privilegia reſultant. Primum datur præſumptio, quod niſi ſint alia bona, & ſi Legatarij aliud affirment, illis incumbit onus probandi. Secundò inventarium intra terminum inchoatum valet, quamvis poſt terminum res de novo reperta adjiciatur, quamvis fuerit in termino perfectum. Tertiò hæres non faciens inventarium tenetur integra legata ſolvere, etiam ultra vires hæreditatis, text. *in Authent. ſed cum teſtator. C. ad leg. Falcid.* ſecus ſi conficiatur inventarium, nam tunc non tenetur ultra vires hæreditatis creditoribus, & legatariis ſolvere. Excipe ſi Eccleſia ſit hæres, nam hæc etſi adeat hæreditatem non confecto inventario non tenetur legatis, & creditoribus, niſi juxta vires hæreditatis, ut cum Ægidio, & aliis probat Fragoſo, *ſuprà n. 591.* Molina, *Tom. 1. tract. 2. d. 216.* Valaſco *de partitionib. cap. 8. n. 15.* Quartò hæres durante tempore inventarij non poteſt conveniri, neque à legatariis, neque à creditoribus, excepto legato pio, ita cum Rebuffo, Suar. & aliis Fragoſo, *ſuprà n. 589.* Sexto poteſt conficiens inventarium detrahere à legatis Falcidiam, ſi ſibi non ſuperſit quarta pars bonorum defuncti: Molina, *d. 216.* quam partem non deducet non confecto inventario, *l. fin. §. fin autem, C. de jure deliber.*

Sextò: confecto inventario, quamvis legatariis, ſeu creditoribus debeatur quantitas certa, & non res determinata in individuo, ſeu in ſpecie, quæ ſit in rebus hæreditariis, ſi pecunia deficiat in hæreditate, nec ſit emptor, qui res hæreditarias ea lege velit emere, ut hæres non teneatur de evictione, poteſt legatarios, & creditores compellere, ut accipiant res ipſas hæreditarias in ſolutum. Valaſco, *conſult. 52. n. 39.* Molina *ſuprà*, Fragoſo, *ſuprà n. 589.* Septimò hæres confecto inventario poteſt venire contra factum defuncti, quod tamen non poteſt efficere, non confecto inventario, *l. cum à matre, C. de rei vindicat.* Pinellus *in l. 1. C. de bonis maternis. p. 3. ampliat. 7. n. 81.* Octavò confecto inventario, hæres extrahit expenſas funeris, & quod conſumpſit in publicatione teſtamenti, & in confectione inventarij, & in reliquis hæreditati neceſſariis. Molina, *d. 216. verſus ſexto.*

Dico quartò: hæres non conficiens inventarium, 707
non tenetur in foro conſcientiæ ſolvere creditoribus, vel legatariis ultra vires hæreditatis; ratio eſt quia prædictæ leges fundantur in præſumptione; ergo non obligant in conſcientia, quando de veritate contrarium conſtat, & in foro interiori, veritas prævalet, & non præſumptio, *per cap. à nobis, 2. de ſent. excom.* Ita Ægidius Luſitanus *in l. 1. C. de Sacroſanct. Eccleſ. p. 5. §. 1. n. 5.* Petrus Gregor. *lib. 46. de jure univerſo. p. 3. cap. 3. n. 19.* Fragoſo, *ſuprà n. 59.* contra Molinam, *d. 217. concl. 1.* Lugum, *diſp. 14. n. 233.* An autem teſtator poſſit remittere hæredi confectionem inventarij. Reſpondeo poſſe reſpectu legatorum, non tamen reſpectu creditorum; nam creditoribus non poteſt nocere teſtator, bene tamen legatariis: ita cum Molina Fragoſo, *ſuprà n. 591.* An autem teſtator poſſit remittere confectionem inventarij tutori. Reſpondeo affirmativè, *l. ultima, C. arbitrium tutelæ*, ſi tamen judici videbitur expedire, poteſt tutorem cogere, ut faciat inventarium, non obſtante remiſſione teſtatoris. Ita cum multis Fragoſo, *num. 593.*

Dico quintò: præter hæredes, tenentur filij con- 708
ficere inventarium, ſicut alius hæres extraneus, non amittit tamen filius non confecto inventario legitimam; tenebitur tamen debita patris integra de ſuis bonis ſolvere, niſi legatarij, & creditores fateantur non reliquiſſe patrem, niſi ea bona, quæ hæredes affirmant. Menochius *de diviſione bonorum, lib. 1. cap. 1. n. 12.* Amittet etiam filius non conficiens inventarium Trebellianicam. Menoch. *ſuprà n. 10.* Fiſcus autem non tenetur efficere inventarium, niſi hæres inſtituatur. Pinello, & cum aliis Fragoſo, *ſuprà n. 595.*

Dico ſextò: Pater adminiſtrans bona filij, de 709
jure Luſitano, tenetur efficere inventarium, ut patet *ex ordinatione, lib. 1. tit. 87.* Molina, *d. 219.* de jure tamen communi, non tenetur, ſed ſufficit, ſi faciat deſcriptionem omnium bonorum filij, per publicum Notarium coram filio, & duobus amicis, ut eo modo defuncto patre, ſeu avo, facilis ſit probatio, & conſtet poſt mortem illius, quæ fuerint filij, vel nepotis bona. Molina, *d. 219.* & cum multis Fragoſo, *ſuprà n. 596.* Quod verum eſt, & ſi pater tranſeat ad ſecundas nuptias, tenebitur tamen ad petitionem filiorum à judice ex officio compelli ad ſcribenda bona, etiam mobilia, ut poſt mortem conſtet de bonis relictis. Et idem tenetur, efficere mater; ſed de his vide latiùs Fragoſum, *ſuprà n. 596.*

Dico Septimò: confecto inventario, poteſt hæres 710
ſolvere creditoribus, & legatariis, prout quilibet eorum primus venerit, quamvis nihil aliis creditoribus reſervetur. Nec alij de hoc conqueri poſſunt, niſi id hæres ſciens alios eſſe creditores, & legatarios ex malitia efficeret. Valaſcus, *conſult. 52. n. 38.* & cum aliis Fragoſo, *ſuprà n. 600.* Excipe hæredes uſurarij, qui non gaudent hoc beneficio. Ita cum multis Fragoſo, *ſuprà n. 601.*

Dico octavo: in inventario pleno debent ſcribi 711
res omnes, tam mobiles, quam immobiles, quæ ad hæreditatem pertinent, unde ſcribenda etiam ſunt

bona

bona emphyteutica, & feudum hæreditarium, item res depositæ; & commodatæ, imò & pignus, nec non fructus, & accessiones, quæ augent ipsam hæreditatem. Hæ autem omnes res debent scribi æstimatæ ab Officialibus civitatis, *l. hac edictali*, §. *his illud adjungimus*, *Cod. de secund. nupt.* & patet quoad nostros ex ordinatione, *lib. 3. tit. 17.* sed de his & aliis, vide latiùs Valascum, *cap. 9. 2.* Fragosum, *suprà n. 604.*

SECTIO X.

Utrum testamentum possit semper revocari?

SUMMARIUM.

712 *Testamentum per se usque ad mortem revocari potest & mutari.*
713 *Quomodo revocetur testamentum?*
714 *Qui jurat se non revocaturum testamentum, non potest absque perjurio illud revocare.*
715 *Qui juravit non revocaturum testamentum, licèt illicitè, validè tamen illud revocare potest.*
716 *Si testator sub aliqua pœna promittat non revocaturum testamentum pœna non obligat.*
717 *Si testator voto se Deo obligavit dare mille aureos pauperibus, & illos in testamento reliquit non potest sine voti violatione hoc legatum revocare.*
718 *An ex facultate Regis possit testator testamentum irrevocabile condere?*
719 *Quando conditum est testamentum à non habente filios, si illos postea habeat, testamentum, quoad hæredis institutionem nullum est.*
720 *Quid dicendum sit de legatis.*
721 *An qui in morbo fecit testamentum cum hac clausula, si hoc morbo è vita decessero, &c. si convaluerit, & nullum aliud testamentum fecerit, hoc testamentum valeat.*

712 SUppono, Testamentum per se consideratum semper usque ad mortem revocari posse, & mutari; testamentum namque morte testatoris confirmatur, ut ait Paulus ad Hebræos 9. & tenent communiter Doctores, & hoc verum est, etsi factum sit cum omni solemnitate, & coram Rege, dummodo secundum testamentum habeat solemnitatem à jure requisitam; aliter revocatio primi testamenti in foro externo invalida esset, licèt in foro conscientiæ melior sententia doceat validum esse, & tuta conscientia posse hæredem in minus solemni testamento retinere hæreditatem, ut *suprà* diximus, & tenet Villalobos *in hoc casu 2. part. tract. 3. diffinit. 22. num. 10.* Revocatur etiam
713 prius testamentum pro utroque foro, quando testator illud rumpit, & lacerat, aut illud cancellat, & dilaniat, at si testamentum non in totum, sed in parte non substantiali cancelletur, sed dilaniatur, pro illa sola remanet revocatum Villalobos *supra num. 14.* Lugo, *d. 25. num. 55.* Tota igitur difficultas est, an quando testator jurat se non revocaturum testamentum, adhuc licitè, & validè possit illud revocare? his suppositis,

714 Dico primò: qui jurat se non revocatum testamentum, non potest absque perjurio illud revocare. Ratio est, quia licèt promissio non revocandi testamentum sit legibus prohibita, & invalida; id tamen quod testator promittit, nempe non revocare testamentum, non est ex se *illicitum*, nec juramentum illud, ullo modo irritatur; ergo obligat ut servetur. Ita cum Sylvestro, Covarruvias, Vasquio, *de testam. cap. 12.* Lugo, *d. 24. num. 25.* contra Molinam, *de primogeniis, cap. 2. num. 4.* & alios, quos refert Molina Theologus *suprà*. quod verum est, etiam standoin jure Lusitano. Nec obstat textus nostræ ordinationis, *lib. 4. tit. 70. num. 3. & tit. 73. num. 1.* nam ibi non est sermo de juramento, non revocandi testamentum, ut benè advertit Molina, *disp. 151. num. 20.*

Dico secundò: qui juravit se non revocaturum 715
testamentum licèt illicitè, validè tamen illud revocare potest, & secundum testamentum priori est præferendum. Ratio est, quia de natura contractus testamenti est, ut sit revocabilis; sed juramentum non mutat naturam contractus; ergo ita cum communi sententia Trullenc. *lib. 7. cap. 18. dub. 9. numero 4.* Lugo, *d. 24. numero 36.* Vnde juramentum præteritum, hoc solum operatur, ut nisi in secundo testamento primi testamenti mentio fiat, juramento confirmati, & ipsius juramenti, non censeatur revocatum primum, sed debeat secundo præferri; quia juramentum est clausula specialissima, quæ non censetur derogata per generalem derogationem, & præsumitur testator ejus juramenti oblitus. Ita cum Molina, Lugo, *sup. n. 36.* Escobar. *lib. 38. Decalogi. num. 370.*

Dico tertiò: si testator promittat se non revoca- 716
turum testamentum, & promittat, quod si revocaverit, solutuum hæredi mille aureos; certum est eam pœnam non obligare, & irritam esse propter libertatem testamenti. *ex l. stipulatio hoc modo concepta. §. de verbor. obligat.* & tenet cum communi sententia Molina *d. 151. n. 21.* Si tamen adjiciatur juramentum pœnæ solutionis debetur pœna ratione juramenti. Ratio est, quia illa solutio pœnæ, non est ex se mala, sed indifferens; ergo non est cur non possit à juramento promissio illa confirmari ratione promissionis. Ita Lugo, *d. 24. n. 38.* Molina, *d. 151. n. 22.* contra Couvar. quem refert & sequitur Sanchez, *lib. 1. de matrim. d. 32. num. 21.*

Dico quartò: si testator voto se Deo obligavit 717
ad relinquendum mille aureos pauperibus, & illos in testamento relinquit, non potest sine voti fractione hoc legatum revocare. Ratio est, quia votum erat relinquendi cum effectu mille aureos pauperibus, sed si revocavit legatum, jam non relinquit cum effectu, cum efficacia legati sumatur ex voluntate testatoris perseverante usque ad mortem; ergo non satisfacit voto. Ita Lugo, *de justitia, d. 25. num. 40.* Escobar. *lib. 38. num. 377.* contra Sanchez, *lib. 4. consil. cap. 1. dub. 12.*

An autem ex facultate Regis, vel Principis su- 718
premi, possit testator irrevocabile testamentum condere, ita ut nec validè quidem revocare possit? Respondeo affirmative. Ratio est, quia id non est contra bonos mores naturales, atque adeo, secluso jure humano, non est illicitum, sed potest causa rationabilis occurrere, tam ex parte illius, qui se illa libertate vult privare, quam ex parte Principis, qui id confirmat; ergo cum Princeps supremus sit suprà omne jus civile, non est cur id negemus, in casu particulari, quamvis aliàs id non posset Princeps lege universali pro omnibus casibus stabilire, propter inconvenientia, quæ possent bono publico inde evenire. Ita Molina, *d. 151. num. 26.* & cum Vasquio, & aliis Escobar. *lib. 38. Decalogi n. 380.* contra Sanchez, *lib. 4. consiliorum, cap. 1. dub. 9.*

Dico quintò: quando conditum est testamen- 719
tum à non habente filios, si illos postea habeat, vel

Digitized by Google

si quando condidit testamentum ignorabat filios habere testamentum quoad hæredis institutionem nullum est. An verò legata valeant? de jure communi aliqui affirmant. Verum melior sententia
720 docet, solum valere ea legata, quæ pater probabiliter reliquisset, si sciret se filios habere. Ita Lugo, *d.* 24. *num.* 52. & cum Molina, Sanchez, & aliis Escobar. *lib.* 38. *Decalogi. num.* 384. Verum de jure Lusitano. *lib.* 4. *tit.* 82. *num.* 3. tale testamentum etiam, quoad legata est nullum; quod verum est, etsi pater post multos filios diu supervixerit, nec prius testamentum revocaverit, etiamsi habuisset voluntatem illud confirmandi; quia reipsa non confirmavit. Ita Sanchez, *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 25. *num.* 9.

721 Sed Quæres, an quando quis in morbo testamentum fecit, hac verborum forma, si hoc morbo è vita decessero, &c. si convaluerit, & nullum aliud testamentum fecerit, hoc testamentum valeat? Respondeo ad id discernendum conjecturis utendum esse, si enim infirmus interrogatus, an vellet efficere testamentum, respondit se factum illud habere, valet, vel si videns se mori, rogatus noluit facere testamentum; & anteactum conservavit. Secus si nullæ sint conjecturæ; nam tunc standum est verbis in testamento appositis. Molina, *d.* 151. Lugo, *d.* 241. *num.* 54. Escobar *lib.* 38. *Decalogi. num.* 390.

SECTIO XI.

De obligationibus hæredis.

SUMMARIUM.

722 *Liberum est hæredi acceptare, vel repudiare hæreditatem.*

723 *Si hæres acceptavit hæreditatem, tenetur solvere debita realia testatoris, non tamen personalia.*

724 *Hæres qui confecit inventarium, non tenetur ad debita defuncti, etiam in foro externo, nisi juxta vires hæreditatis.*

725 *Hæres non solum tenetur ad debita realia defuncti, sed etiam ad legata à testatore relicta.*

726 *Hæres in foro externo habet annum ad solvenda legata profana, in foro tamen conscientiæ statim tenetur solvere, ac primum potest.*

727 *Hæres cui testator in testamento mandavit ut faciat quod ei confessor dixerit ad quid teneatur?*

728 *An si testator legatum reliquit, cujus annui decimus in pauperes expenderentur juxta suorum hæredum placidum possit hæres totam illam quantitatem semel applicare alicui hospitali, ut ex illis redditibus ibi pauperes alantur?*

729 *Qui sine vi, vel fraude curavit aliquod testamentum mutari an teneatur ad restitutionem?*

722 Dico primò: liberum est hæredi repudiare, vel acceptare hæreditatem; conceduntúrque illi tres menses à die qua novit, se institutum esse hæredem ad deliberandum, num velit adire hæreditatem. *l. ultim. Cod. de jure deliber.* Quod si intra tres menses non acceptaverit, devolvitur hæreditas ad propinquiorem defuncti, debet tamen facere inventarium coram notario, citatis creditoribus. Sa, *verbo hæreditas. num.* 34. Hæres tamen potest acceptare hæreditatem absolutè, nullo facto inventario, vel facto inventario, quod communiter dicitur, ad beneficium inventarij. Villalobos. *p.* 3. *d.* 19. *diff.* 20. & 23.

Dico secundò: si hæres non acceptavit hæredi- 722
tatem, ad nihil tenetur; postquam tamen eam acceptavit, tenetur ad solvenda debita realia testatoris, non tamen personalia. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia sicut hæres succedit in jura realia, & non personalia testatoris. Ita tenetur ad debita realia, non verò personalia illius. Vnde si multi fuerint hæredes, quilibet tenetur pro rata hæreditaria ad debita defuncti, nisi aliter defunctus disposuerit. Sylvester, *verbo hæreditas. quæst.* 11. Nec differri debet solutio debitorum, quando hæres est pupillus prætextu pupillaris ætatis. Sylvester. *supra quæst.* 12.

Dico tertiò: hæres, qui confecit inventarium, 723
non tenetur in foro externo ad debita defuncti, nisi juxta vires hæreditatis, qui vero confecit inventarium, in foro externo condemnabitur ad omnia debita, etiam ultra vires hæreditatis, ipse tamen in conscientia ad id non tenebitur, ut suprà diximus, & tenet Sanchez, *in summa, libr.* 4. *cap.* 15. *num.* 57. Diana, *parte* 2. *tractat.* 5. *resolut.* 56.

Dico quartò: hæres non solum tenetur ad de- 724
bita realia defuncti, sed etiam ad legata ab ipso institutore relicta; quod procedit etiam de hærede instituto in testamento minus solemni; nam si sufficit in foro conscientiæ ut de voluntate testatoris constet, quamvis nullus sit testis; quamvis ad id in foro exteriori non obligetur. Sylvester, *verbo Hæreditas.* 3. *quæst.* 7. Si tamen hæres dubitaverit hæreditatem ultra debita non extendi, prius debet solvere debita quam legata, imò prius debet solvere vota realia, quam legata. Sanchez. *lib.* 4. *c.* 15. *num.* 39. & alij communiter.

Dico quintò: hæres in foro externo habet an- 725
num ad solvenda legata profana. *Authent. Hoc ad amplius. Cod. de fideicommiss.* In foro tamen conscientiæ statim, ac primum potest tenetur ea solvere. Ita cum aliis Sanchez, *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 53. *num.* 6. Lugo, *ad.* 24. *num.* 196. Quod si hæres, nec per annum solverit à die minitionis factæ ab Episcopo, poterit privari hæreditate, si est hæres extraneus, etiam si sit filius, salva ei legitima, per authent. ad hoc amplius. Valerius, *verbo Legatum. diff.* 1. *num.* 2.

Dico sextò: hæres, cui testator mandavit in te- 726
stamento, ut faciat quod dictum sibi fuerit à confessario, tenetur facere quantum verisimile est, testatorem confessario mandasse; talis enim præsumitur rationalis voluntas testatoris. Bonacina. *d.* 3. *de contract. quæst. ultima part. ultim. num.* 5. Quod si testator expressit voluntatem suam in schedula manu sua scripta, quam tradidit confessario, tenetur omnia scripta solvere, præsertim si contenta in illa pertineant ad pias causas, in quibus non requiritur juris solemnitas. Bonacina *supr. num.* 6. *quæstione* 1. *part.* 3. *num.* 17. Si tamen dubitetur, quid testator mandaverit, tunc id faciendum, quod verosimiliter creditur testatorem voluisse, ut si mandavit dare Canonicis legatum mille aureorum pro celebratione Missarum, & dubitetur, an distribuendum sit in Missas manuales vel convertendum in annuos reditus ad Missam, perpetuam, & anniversaria, intelligendum est voluisse fieri in perpetuum, cum hoc cedat in majorem defuncti utilitatem, nisi aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur, ut colligitur

ex

Digitized by Google

ex legato principis, vel alterius valde divitis, cum divites ſoleant magnam quantitatem pecuniæ legare promiſſis ſtatim dicens. Ita cum aliis Bonacina *ſuprà num.6.*

718 An autem, ſi teſtator legatum reliquit, cujus annui redditus in pauperes expenderentur, juxta ſuorum hæredum placitum, poſſit hæres totam illam quantitatem ſemel applicare alicui hoſpitali, ut ex illis redditibus ibi pauperes curentur? Reſpondeo affirmativè, quia anticipatio temporis à teſtatore præfixi, quando id non cedit in tertij præjudicium, ſed ſolum ipſius eligentis, vel prævenientis fieri poteſt, ſed hoc legatum diſtribuitur inter pauperes in hoſpitali, ergo cum ſolum præjudicetur ipſis hæredibus, à quibus auferetur libertas, eligendi pauperes, ipſi id poterunt, ſi velint efficere. Ita Sanchez, *lib.4. conſil. cap.2. dub.12.* Molina, *d.249.* Lugo, *d.24.num.218.* Excipe, ſi pauperem electio ad patronos ſequentes pertineret; nam tunc non poſſet hæres præſens applicare legatum illud in perpetuum hoſpitali, quia hoc eſſet in præjudicium patroni ſequentis. Eſcobar. *libr. 38. Decalogi. num. 464.*

719 Dico ſeptimò: qui ſine vi, vel fraude curavit aliquod teſtamentum jam factum mutari, & ſe inſtituit hæredem, vel aliquid ſibi, vel amicis reliquit, non tenetur ad reſtitutionem, etſi id faciat ex odio erga alterum. Ita cum aliis Diana, *part. 3. tract.6.reſol.33.* Secus dicendum eſt, ſi vi, vel fraude impedivit, ne quis hæres inſtitueretur. Qui tamen precibus, vel blanditiis, & muneribus impedit, ne quis hæres inſtituatur, non tenetur ad reſtitutionem. Leſſius, & alij, quos refert, & ſequitur Diana, *ſupr. reſol.33.*

SECTIO XII.

Quid & quotuplex ſit Legatum?

SUMMARIUM.

730 *Quid ſit legatum deſcribitur.*
731 *Quis poſſit legare explicatur.*
732 *Legatum aliud eſt ad cauſas pias, aliud ad profanas.*
733 *Quid ſit legatum ad cauſas pias?*
734 *Quid ſit legatum profanum?*
735 *Ex legatis piis non poteſt detrahi Falcidia, nec Trebellianica.*
736 *Papa poteſt legata pia in aliud commutare ſine cauſa ex parte rei, non tamen ex parte Papæ.*
737 *Quid dicendum ſit de ordinario.*
738 *Legatum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum, & quid utrumque ſit?*
739 *Legatum etiam pium eſt in dubio ſtrictè, & ſecundum minus interpretandum, niſi aliud ex circunſtantiis colligatur.*

730 Dico primò: legatum eſt donatio quædam à teſtatore relicta ab hærede præſtanda: Ita communiter Doctores. Relinquuntur autem legata non ſolum in teſtamento, ſed etiam in codicillis, unde qui poteſt teſtari, & codicillare, poteſt legare, & relinquere fideicommiſſum, & qui non poteſt teſtari, nec codicillare, non poteſt legare, *l. ſciendum.* Imò legatum poteſt relinqui nutu à teſtatore,
731 ut ſi interrogatus, an relinquat equum Petro, & ipſe capite annuat, vel alio quovis ſigno. Debetur autem legatum poſt mortem teſtatoris, & poſt aditam hæreditatem. Fit verò legatum communiter his verbis, *lego, do, dare jubeo, volo,* & aliis, de quibus Sylveſter *verbo Legatum 1.queſt.1.*

Dico ſecundò: legatum aliud eſt ad cauſas pias, 732
aliud ad profanas: legatum ad cauſas pias, eſt quid- 733
quid relinquitur pro Dei, vel Sanctorum honore, pro ſalute animæ, pro miſerabilibus perſonis, pro pupillis, & viduis, & peregrinis, pauperibus, pro Eccleſiis, aut aliis locis piis, ut hoſpitalia, conventus, quod relinquitur ad cuſtodiam civitatis, ad refectionem pontium, viarum, murorum, &c. ſi neceſſitas urgeat, quod relinquitur pro Eccleſiæ ornamentis, luminaribus, fabrica, & aliis ad Divinum Officium pertinentibus, quod relinquitur pro liberandis captivis, pro maritandis puellis, pro alimentis egentium, pro conſanguineis pauperibus ob paupertatem, ſecus ſi ſolum relinquatur ad do- 734
tandas orphanas conſanguineas, quia cenſetur prævalere affectus ſanguinis. Lugo *d.24. num.237.* & cum communi ſententia Barboſa, *libr.3. de jure univerſo, cap.27. num.2. uſque 21.* Legatum profanum eſt, quod ad pias cauſas modo dicto non eſt relictum.

Dico tertiò: è legatis piis non poteſt detrahi 735
Falcidia, nec Trebellianica, id eſt, quarta bonorum pars; Poteſt autem Papa hæc legata pia in aliud commutare ſine cauſa ex parte rei, non verò ex parte Papæ. Ordinarius verò poterit, ſi adſit cauſa 736
ex parte ipſius, & legati. Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, allegat.83. & dicto cap.27. à num.46.* Princeps verò non cognoſcens Superiorem poteſt 737
commutare legatum profanum in aliud profanum, vel in pium uſum convertere. Saa, *verbo legatum.* Tandem adverte, non ſolum ordinarium, ſed etiam judicem ſæcularem poſſe eſſe executorem legati Pij, & ultimarum voluntatum, ita ut in his detur locus præventioni. Barboſa, *de jure univerſo, cap.27. num.22.23. & 24.*

Dico quartò: legatum aliud eſt abſolutum, aliud 738
conditionatum; abſolutum eſt, cum quis ſine conditione alicui legat centum; conditionatum eſt quando legatur aliqua conditione, ut ſi caſte vixerit, ſi nupſerit, &c. Legata conditionalia non valent non adimpleta conditione honeſta, & poſſibili culpa legatarij quia non ſervatur intentio legantis. Conditio turpis, vel impoſſibilis habetur pro non adjecta, & ſic valet legatum, etiam ſine illius implectione. Sylveſter, *verbo legatum, 2. num.3. & 4.*

Dico quintò: legatum, etiam pium in dubio eſt 739
ſtrictè, & ſecundum minus interpretandum, niſi aliud ex circunſtantiis colligatur de mente teſtatoris; unde ſi quis legavit calicem Eccleſiæ, ſufficit ſi hæres tradat argenteum, quia præſumitur teſtatorem voluiſſe gravare hæredem quam minus poſſibile eſſet, *l. unum ex famil. §. Si rem, ff. delegat.* Hinc fit quod ſi teſtator præcipiat conſtruere oratorium tali forma aſſignata, tanta pecuniæ ſumma, ſi hæres illud facit minori ſumma, non tenetur reſiduum reſtituere; talis namque pecunia cenſetur deſignata demonſtrativè, & non taxative; Excipe ſi tantam pecuniam aſſignavit ad exonerandam conſcientiam. Covarruvias, quem refert, & ſequitur Vaſquius, *de teſtamentis, cap.8. §.5. dub.1.*

SECTIO XIII.

Quomodo mens teſtatoris in legatis interpretanda ſit?

SUMMARIUM.

740 *Legatum relictum pauperibus, vel monaſterio, quibus pauperibus, vel monaſterio tradendum ſit?*

741 *Si teſtator committat hæredi facultatem eligendi pauperes, vel monaſterium, non tenetur eligere pauperiores, ſufficit ſi pauperes ſint, etſi ſint religioſi mendicantes.*

742 *Legatum relictum Canonicis, quomodo ſit interpretandum?*

743 *Legans triticum quod domi habet, ſi illud conſumpſit, ad nihil tenetur hæres.*

744 *Legatum relictum conſanguineis pauperibus, quos executor elegerit, tradendum eſt pauperibus, quos executor elegit.*

745 *Legato principali, cenſetur legatum acceſſorium.*

746 *Quid ſi acceſſorium non extet?*

747 *Quid ſi demonſtratio ſit falſa circa perſonam?*

748 *Quid ſi teſtator inbeat fieri ædificium inſtar alterius, quod nominavit, cum tamen tale ædificium non ſit?*

749 *Fructus rei legatæ, cui competant?*

750 *Legatum relictum puellæ, vel Petro pauperi, ſi ſit pro anima teſtatoris, vel cauſa pietatis, etſi puella, vel Petrus ſit mortuus validum eſt legatum, & dandum eſt alteri puellæ, vel pauperi.*

751 *Quid ſi pauper mortuus eſt executore in mera exiſtente?*

752 *Legatum relictum pro liberatione incarceratorum quolibet anno poteſt expendi in impediendo ne quis in carcerem detrudatur.*

753 *Legatum pro Virgine maritanda non patiuntur commutationem cum alio pio opere.*

754 *Si pater relinquat filio legatum ea conditione, quod ſi religioſus fiat illud filia obtineat, per ingreſſum religionis amittit filius legatum, & acquiritur filia.*

740 DIco primò: legatum relictum pauperibus, vel Monaſterio, tradendum eſt pauperibus, & Monaſterio illius loci, in quo teſtator habet domicilium, niſi teſtator reliquerit hæredi poteſtatem eligendi pauperes, vel Monaſterium, præſumitur namque teſtatorem habuiſſe majorem affectum ad talem locum, *l. ſi quis ad declinand. §. ubi autem. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Sanchez, *libr. 4. conſil. part. 2. cap. 1. dub. 60. num. 2. & 3.* Bonacina, *d. 3. de contract. quæſt. ultima, part. ultim. num. 9.* Si tamen in eodem loco ſint plures pauperes, vel Eccleſiæ, tribuendum eſt legatum pauperioribus. Mantica, *de conjecturis ultim. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 6.*

741 Dico ſecundò: ſi teſtator committat hæredi facultatem eligendi pauperes, vel monaſterium, non tenetur eligere pauperiores, ſed ſufficit ſi pauperes quoſcunque, etiamſi religioſi mendicantes ſint eligat, at ſi aliquis eſſet in extrema neceſſitate, eſſet ex charitate præferendus. Sanchez *ſup. n. 5.* Mantica *ſupra num. 6.* Diana *p. 1. tract. 1. miſcellan. reſol. 8.* Non poterit tamen ſeipſum eligere, vel filios ſuos, niſi gravi premantur egeſtate. Bonacina, *ſupr. n. 9.* Mantica, *ſup. n. 9.* Sanchez *ſupr. cap. 4. dub. 68. num. 5.* Dicitur autem pauper perſona, quæ non poteſt commodè, & honeſtè vivere ſecundum ſuam conditionem, & qui egent opportunis ad decentiam ſtatus; unde his poſſunt diſtribui legata in pauperes relicta. Diana, *p. 1. tract. 1. miſcellan. reſol. 8.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 4. num. 95.*

Dico tertiò: Legatum relictum Canonicis, non 742
cenſetur relictum Eccleſiæ, nec ſingulis Canonicis, ſed collegio Canonicorum; unde dividendum eſt ſecundùm diverſitatem graduum, prout ſolet diſtributio fieri in ea Eccleſia. Secus dicendum eſt quando relinquitur ſingulis Canonicis; nam tunc eſt dividendum æqualiter inter Canonicos; Relictum autem alicui Canonico illi ſoli debetur. Ita cum aliis Bonacina *ſupr. num. 10.* Mantica, *ſup. lib. 8. tit. 6. num. 22.*

Dico quartò: Legans triticum, quod domi ha- 743
bebat, ſi illud conſumpſit ad nihil tenetur hæres; Legatum namque ceſſat extincta re legata. Si tamen aliud loco illius ſubſtituit, illud cum ſuo augmento debetur. Et idem dicendum eſt, ſi teſtator poſtquam legavit triticum, quod in tali domo habebat, ei aliud novum auxit; totum enim augmentum legatario debetur. Secus, ſi inſcio teſtatore facta fuit additio; nam tunc tantum debetur legatario, quod erat tempore teſtamenti. Ita cum Molina, Vaſquio, Bonacina, *ſupra num. 11.* Econtra verò ſi quis legavit centum, quæ in tali arca habebat, ſi tantum inveniantur 50. ad id tantum tenetur hæres legatario. Sanchez *in conſil. lib. 4. cap. 2. dub. 7.*

Dico quintò: Legatum relictum conſanguineis 744
pauperibus, quos executor elegerit, tradendum eſt illi, quem executor elegerit, nec eſt neceſſe quod eligat propinquiorem, vel pauperiorem, ſufficit ſi eligat conſanguineum pauperem, ſi tamen nullum eligat, dividendum eſt inter conſanguineos. Ita cum Lopez, Mantica, & aliis, Sanchez, *in conſiliis. p. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 12. n. 15.* Secus dicendum eſt, quando non eſſet data electio, ſed relinqueretur legatum conſanguineis, vel pauperibus; nam tunc diſtribuendum eſt inter magis conjunctos, & inter pauperiores. Et idem dicendum eſt quando non data electione, relinquitur aliquid dividendum inter Cleri cos pauperes; nam tunc Sacerdotes pauperiores aliis non Sacerdotibus præferendi ſunt. Secus quando data eſt electio executori; nam tunc poteſt eligere clericum primæ tonſuræ pauperem. Ita cum aliis, Sanchez *ſupr. dub. 62. num. 4.*

Dico ſextò, legato principali, cenſetur legatum 745
acceſſorium; unde legata domo cenſetur legatum viridarium illi annexum; & legata veſte, cenſentur legata ornamenta aurea, vel argentea ipſarum veſtium, & legato lecto, cenſentur legata ornamenta illius. Ita cum Saa, Sylveſtro, Covarruvias, Bonacina, *ſupr. p. ultim. num. 13.* Sed 746
quid ſi acceſſorium non extet; ut ſi legetur equus cum ſuis ornamentis, & equus non habeat ornamenta? Reſpondeo equum adhuc deberi, quia ornamenta non ponuntur taxative, ſed acceſſorie, & argumentative, ſecus dicendum eſt, quando ornamenta ponuntur taxative, ut ſi dicat teſtator, relinquo Petro equum, qui habet tale ornamentum; nam tunc, ſi non detur equus habens tale ornamentum, non debetur legatum. Et idem dicendum eſt de legato relicto cum falſa demonſtratione loci. nam ſi legatum, & demonſtratio contineatur in eadem oratione, cenſetur demonſtratio appoſita taxative, ut ſi quis dicat, lego Petro centum

ex

Digitized by Google

ex fructibus talis fundi: nam tunc, si decem ex fundo non colligantur, non tenetur hæres aliunde compensare, sed solum tenetur tradere id, quod ex tali fundo percipitur; si tamen legatum, & demonstratio contineatur in duplici oratione, ut lego Petro centum, quæ volo solvi ei ex fructibus talis fundi, tunc demonstratio apponitur demonstrative, quo casu centum solvenda sunt Petro, & si tot ex fructu non colligantur. Ita cum Sanchez, & aliis, Lugo *d.* 24. *n.* 222. & 226. Bonacina, *suprà num.* 12. & 14.

747 Sed quid, si demonstratio sit falsa circa personam, ut si dicat, lego. 100. Petro, qui est meus vicinus? Respondeo, quod si constet non errasse circa Petrum, sed solum circa qualitatem, non vitiari legatum, nisi qualitas demonstrata fuisset causa legandi, ut si diceret, lego Petro filio meo, vel consanguineo; præsumitur namque testator solum ad qualitatem attendere, quæ si non detur, corruit legatum: Molina, *d.* 111. Lugo: *suprà. d.* 24. *num.* 257. Et idem dicendum est quando testator erravit etiam in persona, ut si putavit esse suum fratrem, quem sedentem juxta se habebat, cum tamen non esset, sed alius ei similis, & diceret, lego huic meo fratri centum, cum tamen ille non sit suus frater: nam tunc corruit legatum, tum respectu istius designati à testatore, cum sit error in substantia, tum respectu proprij fratris, cum de facto eum non designaverit, & intentio nominandi non sufficit ad institutionis valorem, secus si alio sufficienti signo demonstraret proprium fratrem. Lugo, *suprà num.* 238.

748 Sed quid, si testator jubeat fieri ædificium instar alterius, quod nominat, cum tamen tale ædificium non sit? Respondeo, tunc faciendum esse ædificium arbitrio boni viri, ut voluntas testatoris impleatur. Ita cum Molina, Bonacina, Palao, & aliis Lugo, *d.* 24. *n.* 256. Sed quid si testator leget rẽ indeterminatã? Respondeo quod si leget rẽ in genere, ut lego aliquid, vel aliquod animal Petro, inutile esse legatum, si tamen legavit rem in specie infima, ut si diceret, relinquo unum equum Petro, tunc si testator unum tantum habet, hic debetur, vel alius æque bonus, si plures habeat, potest legatarius eligere unum ex illis, nõ tamen optimum, sed mediocrem. Ita cum multis Molina, *d.* 198. *num.* 2. Excipe, si sit legatum pium: nam tunc debetur de meliori. Diana, *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 29. Et idem dicendum est, & si legatum non sit pium, si testator tantum habet duas res illius speciei, v.g. duos equos: nam tunc potest legatarius meliorem eligere. Molina, *suprà. num.* 3. Excipe, nisi executio de re indeterminata committatur hæredi, ut etsi dicat, dabitur Petro unus equus: nam tunc electio pertinet ad hæredem. Molina, *suprà num.* 4.

749 Dico septimò: fructus rei legatæ, si legatum consistit in re particulari debetur legatario à die mortis testatoris, & si hæres differat adire hæreditatem, quia aditio hæreditatis retrotrahitur, quoad hunc effectum ad diem mortis, *l. si tibi homo* §. *cum servus ff. de legatis* 1. limita tamen, nisi testator legaverit rem simul cum fructibus, & emolumentis: nam tunc debentur fructus percepti vivente testatore, *l. Lucius* 1. *ff. de legatis* 1. Quod si legatum consistat in re generica, fructus non debentur, nisi à tempore moræ, *l. fin. C. de usuris, & fructibus legator.* Bonacina, *suprà p. ultima num.* 16. Quando autẽ accrescit legatum, vivente legante, accrescit legatario, ut legato gregi, pecudes natæ, & fundo legato, addita pars, vel ædificium, acquisitum ex legato ante aditam hæreditatem non ei accrescit, ut lucrum ex pecunia, vel ex equo. Sanchez, *lib.* 4. *p.* 2. *in consiliis dub.* 16. *cap.* 2. vide etiam Lugum, *d.* 24. *num.* 239.

750 Dico octavo: legatum relictum alicui puellæ, vel Petro pauperi, si factum sit pro anima testatoris, vel causa pietatis, & si puella, vel petrus sit mortuus, validum est legatum, & dandum est alteri puellæ, vel pauperi, si quidem subsistit pietas, quæ fuit causa legati. Secus si relictum fuit Petro in bonum ipsius Petri: nam tunc extincto Petro, cessat legatum: quod si dubitetur an causa pietatis, vel in bonum ipsius Petri relictum fuerit, præsumendum est fuisse causa pietatis, nisi forte pauper designatus fuerit consanguineus: nam tunc videtur prævalere affectus sanguinis. Ita cum Mantica, Covar. Sanc. & aliis Bonacina, *d.* 3. *de contract. quæst. ultima p. vlt. n.* 17.

Adverte tamen, quod si pauper mortuus est, 751
executore in mora existente, teneri solvere legatum hæredibus pauperis: nam pauper habebat jus ad legatum à morte defuncti, & hæres succedit in jure pauperis. Hinc fit, quod si quis relinquat legatum Divo Antonio, existenti in tali loco, & si ibi non existat, deberi legatum Ecclesiæ parochiali defuncti; quod si haberet duas parochias, debetur illi, è qua recipit sacramenta. Et idem dicendum est, quando aliquis legavit aliquam rem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & dantur plures istius nominis, legatum dandum est parochiali, si hoc nomine vocetur, vel pauperibus, quæ sic nominatur Barbosa, *de jure universo lib.* 3. *cap.* 27. *à num.* 90. Sanchez, *suprà dub.* 9.

Dico nonò: legatum relictum pro liberatione 752
incarceratorum quolibet anno, potest expendi in impediendo, ne quis in carcerem detrudatur, quia certum est proxime detrudendum, si legato non subveniatur. Sanchez, *suprà dub.* 9. Item legatum pro maritandis puellis pauperibus, potest etiam dari pro maritandis viduis pauperibus. Sylvester, & alij, quos refert, Sanchez. *Lib.* 7. *de matrim. d.* 41. *n.* 54. Fragoso, *p.* 3. *lib.* 5. *d.* 8. §. 11. *n.* 3. 51. contra alios, quos refert, & sequitur, Sanchez, *suprà n.* 54. Et legatum pro dotandis puellis, potest etiam dari nuptis, sine dote, vel cum exigua; secus si factum esset pro Virginibus. Diana, *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 29. Item legatum pro fabrica templi, potest expendi pro Ornamentis, & aliis divino cultui necessariis. Et legatum distribuendum quotannis, potest totum simul dari alicui Hospitali, v.gr. vel Monasterio. Item legatum dandum naturalibus alicujus loci, potest dari his, qui ibi decennio habitarunt, licet aliunde sint oriundi, nisi constet de animo non manendi ibi perpetuo. Ita cum Sanchez, Diana, *p.* 4 *tract.* 4. *resol.* 140.

Dico decimò: legatum pro virgine maritanda, 753
non patitur commutationem cum alio pio opere, legatum verò alicui puellæ nominatim relictum, pro ea maritanda, illam sequitur si ingrediatur religionem, non tamen si legatum est in genere pro virginibus maritandis potest illud consequi, si ingrediatur religionem, ut cum multis late probat Fragoso, *p.* 3. *lib.* 5. *d.* 8. §. 11. *num.* 333. Lugo, *d.* 24. *num.* 294. Et legatum pro virginibus orphanis maritandis, potest dari habentibus parentes paupere, & inutiles, nisi concurrant virgines vere parentibus orbatæ. Et legati relictum viduis potest dari habentibus maritos inutiles. Et legatum pro puellis maritandis, potest dari puellis expositis quæ parentes suos ignorant. Et ut quis dicatur orphanus, ut tale legatum consequatur, sufficit si solo Patre careat, & si habeat matrem. Legatum verò relictum pro virginibus maritandis, potest retineri ab ea, quæ habetur virgo, licet sit corrupta. Et legatum relictum pro dotandis puellis, debetur puellis nuptis, sine dote vel cum tenui dote, quia causa pietatis adhuc durat. Ita cum multis, Diana, *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 50. & *p.* 4. *tract.* 4 *resol.* 104. & 164.

Digitized by Google

754 Dico undecimò : ſi Pater relinquat filio legatum certæ ſummæ, ea lege, quod ſi religioſus fiat, illud filia obtineat, per ingreſſum religionis amittit filius legatum,& acquiritur filiæ, niſi conſtet Patrem, id feciſſe ad arcendum filium à religione. Ratio eſt, quia intentio Patris tantum fuit, quia filij in ſæculo viventes magis indigent divitiis, quam Religioſi. Ita cum Covar. Molina, Fragoſo, *ſuprà num.* 332. contra Felinum, Bartolum,& alios. Item vidua, cui relictum eſt legatum ſi honeſte vivat illud amittit, ſi frequenter fornicetur, ſecus ſi caſte ſecundo nubat. Ita cum Sylveſtro,& aliis, Bonacina, *ſuprà punct. ultimo num.* 22. Imò probabile eſt non amittere tale legatum, ſi ſemel tantum fornicata ſit, vel amplexus, & oſcula impudica paſſa. Sanchez, *lib.* 7. *de matrim. d.* 91. *num.* 31. 36. & 40. Item relictum uxori quandiu vitam vidualem duxerit, non amittitur per ingreſſum religionis. Sanchez, *ſuprà num.* 46. ſed de his,& aliis vide latius Sanchez, *loco citato*, Fragoſo *p.* 3. *lib.* 5. *d.* 8. §. 1. *per totum.*

SECTIO XIV.

Quinam ordo ſervandus ſit in legatis ſolvendis?

SUMMARIUM.

755 *Legata ſolvenda ſunt pro rata, quando bona pro omnibus non ſufficiunt.*

756 *Quid ſi teſtator rem determinatam pluribus ſeorſim in eodem teſtamento reliquit?*

757 *Quid quando duo homines ſunt ejuſdem nominis, & non conſtat, cuinam ex illis relictum ſit legatum?*

758 *An in hoc caſu hæres poſſit eligere unum ex illis?*

755 Dico primò: legata ſolvenda ſunt pro rata, quando bona pro omnibus non ſufficiunt. Et ratio eſt, quia par videtur omnium ratio, & jus: ergo in his ſolvendis non eſt locus gratificationi; quod procedit etiam in legatis piis,& quamvis uni legata ſit res certa in individuo, ut ſi legatus fuerit fundus. Ita cum aliis Diana, *p.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 50. Sanchez, *in ſumma, lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 40.

756 Dico ſecundò : ſi teſtator eandem rem determinatam pluribus ſeorſim in eodem teſtamento reliquit, ſi conſtet de voluntate teſtatoris, illi ſtandum eſt. Vnde ſi per conſtitutionem ſecundi legati voluit revocare primum, cenſetur revocatum, ſi voluit ut ſecundo legatario daretur rei æſtimatio, abſque dubio ei tradenda eſt. In caſu tamen, quod dubitetur,& non conſtet de intentione teſtatoris, tunc dividendum eſt inter legatarios legatum, quia non cenſetur in eadem ſcriptura teſtatorem velle mutare, aut revocare legatum, niſi id declaret. Ita Lugo, *d.* 24. *num.* 277.

757 Dico tertiò : quando duo homines ſunt ejuſdem nominis, ſi ex conjecturis, & circunſtantiis conſtare non poſſit, cuinam eorum legatum relictum ſit, tenetur hæres in foro conſcientiæ illud legatum inter eos dividere, ſi in id conſentiant; cenſentur autem ſemper conſentire, ne legatum hæredi acquiratur. Ita cum communi ſententia Diana, *p.* 2. *tract.* 3. *reſol.* 58. Imò & in foro externo debet tale legatum inter eos duos dividi: nam cum certum ſit ad unum illorum certò pertinere, conſentientibus ambobus, ut dividatur, ei cui certo erat relictum transfert dimidium in alterum, & ambo habent certum jus illius. Ita Lugo, *d.* 24. *num.* 250. Eſcobar. *lib.* 38. *Decalog. num.* 458.

An autem in hoc caſu poſſit hæres eligere unum ex illis, qui habent idem nomen. Reſpondeo negative, quia quando neuter probat de ſe,& non de alio teſtatorem eſſe locutum, non habet hæres fundamentum probabile, ut huic ſoli totum legatum impertiat. Lugo, *ſuprà n.* 251. Eſcobar. *ſuprà n.* 46. An autem poſſit executor dare legatum uni tantum pauperi, quod teſtator juſſit diſtribui inter pauperes? Reſpondeo negative, nam cum res pluribus ſit debita, non poteſt teſtatoris executor eam uni explicare. Ita cum aliis, Sanchez, *in conſiliis, lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *n.* 7. 758

SECTIO XV.

Quibus modis ceſſet legatum?

SUMMARIUM.

759 *Legatum ceſſat primo, ſi legatarius præmoriatur leganti.*

760 *Secundo ceſſat legatum, ſi legatarius poſt legatum factum ingratitudinem notabilem habeat cum teſtatore, & qualis requiratur?*

761 *Ceſſat tertio legatum, ſi teſtator legavit rem alienam putans eſſe ſuam.*

759 Dico primò : legatum ceſſat primò, ſi legatarius præmoriatur leganti, & hunc accreſcit hæredibus, ſi tamen moriatur poſt teſtatoris mortem, etiam hæreditate non adita, debetur hæredibus legatarij. Sylveſter, *verbo legatum* 1. *queſt.* 8. Secundò legatum factum intuitu perſonæ, ea deficiente expirat modo dicto; ſecus ſi factum ſit intuitu animæ: nam tunc diſtribuendum eſt in aliud opus pium. Sylveſter, *ſuprà, queſt.* 10. Tertiò legatum conditionale expirat, ſi purificetur conditio antequam firmetur legatum morte teſtatoris, ut ſi relinquatur maritandæ, & ipſa nupſit ante ipſius mortem, niſi aliud conſtet de mente teſtatoris. Sylveſter, *ſuprà, queſt.* 10. Genuenſis *in pract. Eccleſiaſt. queſt.* 538. *num.* 4.

760 Dico ſecundò : legatum ceſſat ante judicis ſententiam, ſi legatarius poſt legatum factum ingratitudinem notabilem habeat cum teſtatore, ut ſi illum occidat, vel percutiat, aut injuriis afficiat, aut ſi graves inimicitias habeat cum illo, etiamſi ortæ ſint culpa teſtatoris, niſi poſteà cum illo expreſſe, vel tacite ſe reconciliaverit. Sanchez, *in conſil. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 36. *n.* 7. Et hoc procedit, etſi teſtator inimicitiæ conſcius habuerit tempus revocandi, fueritque codicillum, nec in eo revocaverit, adhuc enim cenſetur revocatum. Sanchez, *ſuprà num.* 12.

761 Dico tertiò, ceſſat legatum, ſi teſtator legavit rem alienam, putans eſſe ſuam; præſumitur enim rem non legaturum, ſi ſciret eſſe alienam; quod verum eſt, etſi legatum fuerit pium. Ita cum Molina, Lugo, *d.* 24. *n.* 226. ſecus dicendum eſt, ſi teſtator ſciebat rem eſſe alienam, quam ſcientiam legatarius probare debet, nam tunc hæres debet eam emere, vel ſi id non poteſt, æſtimationem dare legatario. Lugo, *ſuprà num.* 226. ubi plura de his,& aliis concernentibus ad legata, quæ brevitatis cauſa omitto.

SECTIO

SECTIO XVI.

De his quæ pertinent ad executores testamentorum.

SVMMARIVM.

762 *Omnes tam Ecclesiastici, quam laïci possunt esse executores testamentorum, imò & clericus, & laicus simul.*

763 *Religiosus non potest sumere munus executoris testamenti, nisi de prælati licentia, & cujus prælati debeat esse licentia.*

764 *Executor testamenti non potest hoc munus transferre in alium.*

765 *Quando testator non nominavit executorem testamenti, cui competat hoc munus?*

766 *Quid si quando executores nominavit nullus eorum hoc munus acceptavit?*

767 *Executor universalis potest vendere bona testatoris ad exequenda legata.*

768 *Quid dicendum de executore particulari?*

769 *An executor possit invito hærede solvere legata, & creditoribus defuncti?*

770 *Executores tenentur reddere rationem judici sæculari, sive Ecclesiastico.*

771 *Intra quod tempus teneatur executor exequi testamentum?*

772 *An possit testator prohibere ne executio devolvatur ad Episcopum?*

762 Dico primò: omnes tam laïci, quam Ecclesiastici, possunt esse executores testamentorum. Imò clericus, & laïcus simul; potest etiam fœmina esse executrix testamenti. Et licet mater transeat ad secundas nuptias, amittatque tutelam filiorum, non amittit tamen munus executricis testamenti primi viri. Quando tamen aliquis suos fratres executores nominavit, intelligendi sunt masculi, & non fœminæ, nisi tantum sit masculus, & fœmina: nam tunc etiam fœmina intelligitur. Impubes executor esse non potest, bene tamen minor 17. anno complexo. Ita Sanchez, *lib. 4. consil. cap. 1. dub. 40. num. 1.* Molina, *1. tom. dub. 247.* Vasquius, *cap. 9. de testamentis §. 3. dub. 1.*

763 Dico secundò: religiosus non potest suscipere munus executoris testamenti, nisi de prælati sui licentia, prælatus autem concedens licentiam de jure communi debet esse immediatus, & sufficit prælati etiam immediati licentia tacita; hanc tamen licentiam potest prælatus, revocare, reintegra, non tamen recepta: nam tunc posset à quibus interest cogi, ut licentiam datam non revocet, Sanchez, *in Decalog. cap. 11. num. 11.* dixit de jure communi: nam de jure speciali videnda sunt uniuscujusque instituta, nostri namquè ex sola generalis licentia possunt hoc munus obire ut patet. *ex lege nostra 3 p. cap. 4. num. 5.* si tamen de sola licentia prælati conventualis acceptent, non peccant mortaliter, sed tantum incurrunt pœnam nostræ legis. Lugo, *d. 24. numer. 326.* Advertè tamen religiosos hoc munus exercentes, teneri reddere rationem susceptæ executionis ordinariis locorum. Sanchez, *suprà n. 22.* denique si religiosus absque prælati saltem immediati licentia hoc munus acceptet, licet peccet mortaliter, ut tenet Sanchez, *suprà cap. 11. num. 18.* valide tamen id facit, quia prohibitio solum facit, quod actus sit illicitus, non tamen nullus. Ita cum Sanchez, Lugo, *suprà num. 327.* fratres tamen minores etiam de licentia prælati non possunt licite hoc munus exercere, *ex clement. exivi. §. proinde cum vir sanctus.*

764 Dico tertiò: executor testamenti non potest hoc munus transmittere in alium, quia est electa in executore industria personæ. Excipe si aliquod negotium particulare alibi faciendum sit: nam tunc potest ab eo alteri committi. Secundò quando eligitur in executore aliqua dignitas, ut Episcopus, Vlissiponensis, qui alias non erat propinquus testatoris, quia tunc eum dignitate transit hoc munus ad successorem, Sanchez *lib. 4. consil. cap. 1. dub. 2. num. 5.* An autem executor nominatus cogi possit ad hoc munus acceptandum? Respondeo negative. Molina, *d. 248.* Sanchez, *lib. 1. consil. dub. 42.* Peccabit tamen executor contra charitatem, si id non accepter, quando alias proximus pateretur, & ipse posset tale munus commode obire; non acceptans tamen omittit præmium, & legatum à testatore ob id relictum, non tamen alia legata, quæ alias testator relinqueret, & si sciret ipsum non fore acceptandum hoc munus, præmium autem relictum cedit aliis testamentariis nominatis acceptantibus, *arg. legis vinea §. ubi autem C. de caducis tollendis.*

765 Dico quartò: quando testator non nominavit executorem testamenti, competit hoc munus, etiam quoad legata pia hæredi à testatore relicto Molina, *d. 247.* Valquius, *de testam. cap. 9. dub. 4.* Excipe legatum in redemptionem captivorum: nam hoc pertinet ad Episcopum, *authent. de Ecclesiast. tit. § si quis ædificat. §. pro redempt.* Et hoc etsi testator expresse prohibuerit, ne Episcopus se ingerat.

766 Quando vero executores nominavit, si nullus eorum acceptavit devolvitur executio testamenti ad Episcopum. Et idem est quando nominati jure, vel absentia impediuntur, & tunc potest Episcopus hoc munus aliis delegare, quia pertinet ad ipsum tanquam ad judicem ordinarium. Sanchez, *lib. 4. consil. dub. 42. & 43.* Quomodo autem testatores debeant exequi testamenta. Vide, *ibi dub. 44.*

767 Dico quintò: executor universalis, hoc est, qui nullo instituto hærede fuit nominatus ad distribuenda bona in salutem animæ defuncti, potest vendere bona testatoris ad exequenda legata, quia testatur quasi hæres, *l. si quis ad declinand. C. de Episcopis, cleric.* Executor tamen particulari, hoc est, qui 768 instituto alio hærede nominatur ad exequendum testamentum, non potest vendere bona propria authoritate, & si vendat, venditio est nulla. Excipe nisi testator id ei concedat in testamento; in hoc casu tamen debet prius vendere mobilia, postea jura, & actiones, postea immobilia, *l. à divo §. in venditione ff. de re judicata.* debet etiam vendere bona fide, & debito pretio, & sub hasta. Potest tamen hæres impedire executionem ne vendat, offerendò pecuniam ad legata solvenda, vel dando fidejussores, vel offerendo rem aliam vendendam, quæ cum minori incommodo vendi possit. Cæterum executor quando jure suo vendere potest, non tenetur de evictione, sed hæres, & potest non solùm vendere, sed & permutare, & obligare, vel in solutum dare. Non potest tamen hac facultate uti ante aditam hæreditatem de jure communi, nisi ad legata pia; nec nisi prius requisito hærede, nisi hic ex industria fugiat præsentiam executoris, vel nisi in rebus claris, in quibus non est necesse hæredis voluntatem explorare, de quibus vide Molinam, *d. 247.* Sanchez, *suprà dub. 46.*

769 An autem executor possit invito hærede solvere legatariis, & creditoribus defuncti? Respondeo, quod

quod ſi hæres non reſiſtit poſſe ſolvere legata, & debita, quæ ſunt in teſtamento, petendo ea ab hærede, non tamen quæ ſunt extra teſtamentum, quia ipſi ſunt executores tantum teſtamenti. Quod ſi hæres reſiſtat, non poteſt executor accipere rem legatam, ut eam tradat legatario propria authoritate, poteſt tamen intimare Epiſcopo, ut compellat hæredem. Poteſt etiam agere adverſus hæredem, & debitores hæreditatis ad legata pia, vel cauſa alimentorum pauperum; Ad alia verò ſi ſit mere executor agere non poteſt directè, ſed debet implorare officium judicis, ut ipſe hæredem cogat; ſolent tamen teſtatores dare facultatem executoribus agendi adverſus hæredes, & alios quoſcumque. Molina *d.* 247.

770 Dico ſextò: executores tenentur reddere rationem, ſive judici Sæculari, ſive Eccleſiaſtico; eſt enim hæc cauſa mixti fori, in qua datur locus prævention, non tamen tenentur reddere rationem de illis, quæ eis ſecretè defunctus exequenda conjunxit, quando id ex teſtamento conſtat, vel teſtibus probatur, niſi præſumatur fraus, quia res diſtribuendæ reperiuntur penes ipſum executorem. Sanchez *ſuprà dub.* 49. An autem executori debeatur ſalarium? Reſpondeo negativè, ſiquidem eſt pietatis officium. Ita Sanchez, *ſup. dub.* 50.

771 Dico 7. ſi teſtator non præfixit tempus executori intra quod debeat exequi teſtamentum, tenetur in foro externo intra ſex menſes exequi legata pia, cætera verò intra annum, *ex Authent. de Eccleſiaſti. titul. §. Si autem legat. l. nulli. Cod. de Epiſcopis, & Clericis.* Hoc tamen tempus non currit ignoranti, & impedito, & computatur à morte teſtatoris, vel ſaltem à die aditæ hæreditatis, quoad non legata pia, quo termino tranſacto, & præcedente monitione, ſi executor negligens fuerit, transfertur executio in Epiſcopum, etiam quoad legata profana; ſed hoc poſt ſententiam. Et idem dicendum eſt de eo, cui conceſſa eſt electio pauperum, quibus legatum dividendum eſt, Ita cum aliis Molina *d.* 251.

772 An autem poſſit teſtator prohibere, ne executio devolvatur ad Epiſcopum? Reſpondeo poſſe ſubſtituendo alium executorem, caſu quo primus debito tempore non exequatur, vel dando liberam poteſtatem exequendi quolibet tempore, vel præcipiendo, quod legata non mandata executioni tali tempore convertantur in talem uſum determinatum; in aliis tamen caſibus, in quibus teſtator non providit, non poteſt jus illud ab Epiſcopis auferre, quod legibus ipſi competit. Sanchez *ſuprà dub.* 53. Molina, *d.* 251. *& alij.*

SECTIO XVII.

De Codicillo.

SUMMARIUM.

773 *Quid ſit Codicillus deſcribitur.*
774 *Ad quid deſerviant codicilli?*
775 *Poteſt quis plures facere codicillos, modo inter ſe contrarij non ſint.*
776 *Teſtamentum factum ſine ſolemnitate, ſi in eo habeat clauſulam ut valeat ſicut codicillus caſu, quo non poſſit valere ut teſtamentum, tale teſtamentū minus ſolemne cenſetur codicillus.*
777 *Qui ſint effectus clauſulæ codicillaris, ſive expreſſe ſive tacitè intellectæ?*

773 Dico primò: codicillus dicitur quaſi parvus codex, ſive ſcriptura ultimam aliquam voluntatem continens abſque hæredis directa inſtitutione, in quo differt à teſtamento, quod non poteſt fieri abſque hæredis directa inſtitutione, niſi ex privilegio, ut miles, qui poteſt inſtituere directè hæredem in codicillo, non tamen cæteris imò nec poſſunt apponere conditionem in codicillo, quæ habeat vim conſtituendi hæredem, nec poſſunt adimere hæreditatem in codicillo, nec aliquem exhæredare. Ita cum aliis Fragoſo, *p.* 3. *lib.* 5. *d.* 8. §. 4. *num.* 118.

774 Dico ſecundò: codicilli ſerviunt præcipue ad fideicommiſſa, & legata relinquenda, ad teſtamentum commutandum, declarandum, addendum, *l. ultim. tit. de codicillis*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 2. Bonacina, *de contract. d.* 3. *quæſt.* 17. *n.* 2. Ad validitatem autem codicillorum de jure communi requiruntur quinque teſtes, *l. fin. C. de codicillis.* Et de jure Luſitano, etiam quinque teſtes requiruntur, *lib.* 4. *ordinationis tit.* 86. *num.* 1. Molina, *de juſtitia d.* 131. quod intelligitur in oppidis, ſeu civitatibus, in locis tamen deſertis, ubi tot teſtes non reperiuntur, ſufficiunt tres teſtes, ſive homines, ſive fœminæ, ut *ſuprà*, diximus de teſtamentis, & hoc, ſive codicillus ſit apertus, ſive clauſus, ſive tempore mortis vocē tenus fiat, ut cum Molina, docet Fragoſo, *ſuprà num.* 119.

775 Dico 3. poteſt quis plures facere codicillos, modò inter ſe contrarij non ſint; ſi tamen ſint contrarij, prior per ſecundum cenſetur revocatus. Poteſt item codicillus fieri, tam ab eo qui inteſtatus deceſſit, quam ab eo qui condidit teſtamentum. Item poteſt illum quis efficere, etiam antequam faciat teſtamentum, & ſimul cum illo, ſive nullum teſtamentum factum ſit, quaſi loco teſtamenti eſt codicillus obligans hæredem ab inteſtato venientem, etiam poſthumum. Bonacina, *de contract. d.* 3. *quæſt.* 17. *n.* 5. Fragoſo, *ſuprà n.* 120.

776 Dico quartò: quando teſtator intendit facere teſtamentum, ſed tamen non adhibuit ad id ſolemnitatem neceſſariam, ſi teſtator in eo appoſuit clauſulam, ſi non valeat ut teſtamentum, valeat ut codicillus, vel valeat eo modo quo valere poteſt, tunc tale teſtamentum minus ſolemne cenſetur codicillus rite effectus teſtamenti vices exercens; ſecus dicendum eſt quando clauſula codicillaris non eſt ei adjecta, nec ex conjecturis pro adjecta haberi poteſt, Leſſius, *lib.* 2. 19. *n.* 3. Vaſquius, *de teſtam. c.* 1. §. 4. *dub.* 2. Fragoſo, *ſuprà n.* 127.

777 Dico quintò: effectus clauſulæ codicillaris, ſive expreſſe, ſive tacitè intellectæ, ſunt tres. Primus ex teſtamento minus ſolemni, & ſi hæredis inſtitutio irrita ſit omnino, hæres tamen ab inteſtato cogitur ſolvere legata. Secundus, ſi teſtator carens hæredibus neceſſariis in teſtamento minus ſolemni extraneum inſtituat, virtute ejuſdem clauſulæ, inſtitutio directa vertitur in fideicommiſſarium. Tertius ſi teſtator hærede neceſſario ſcienter prætērito, vel injuſtè exhæredato, in teſtamento minus ſolemni inſtituat extraneum, virtute illius clauſulæ cenſetur hæres neceſſarius gravatus, ut detracta portione legitima, reliquam hæreditatem inſtituto reſtituat. Molina, *tom.* 1. *d.* 132. Laïman, *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 8. Fragoſo *ſuprà n.* 135. & 138. & 139.

DISPUTATIO XVII.

De contractu emptionis, & venditionis.

DIximus hucuſque de contractibus lucrativis, & gratuitis, ſequitur ut ſuo ordine dicamus de contractibus oneroſis, quippe quia ſunt magis frequentiores, & utiliores inter homines, & plures habent difficultates ſcitu dignas. Sit igitur,

SECTIO I.

Quid ſit emptio, & venditio?

SUMMARIUM.

778 *Quid ſit emptio, & venditio deſcribitur.*
779 *Hic contractus perficitur, quoad ſubſtantiam per ſolum mutuum conſenſum verbis, vel nutibus expreſſum.*
780 *Ad ſubſtantiam venditionis non eſt neceſſe ut traditio rei venditæ actu fiat, ſed quod ſit ex natura ſua tranſlativa dominij.*
781 *Ad ſubſtantiam venditionis non eſt neceſſe ut pretium actu tradatur venditori, ſed ſufficit quod venditor teneatur in conſcientia illud tradere.*
782 *Dominium rei venditæ transfertur quando traditur res emptori à venditore, & ſolvitur ab emptore pretium.*
783 *Quid ſi gabella ſolvenda ſit ex venditione ſtando in jure Luſitano?*
784 *An ſtatim poſt utriuſque conſenſum contrahentis incipiat deberi gabella, etiam ante rei venditæ, & pretij traditionem?*
785 *An quando in venditione initio contractus datur aliqua pecunia, vel in partem pretij, vel in ſignum faciendæ poſtea venditionem in arrham initi contractus pro ſecuritate ſit obligatio ſolvendi gabellam?*
786 *An quando contrahentes in inſtanti reſiliere à contractu, debeatur gabella?*

778 Dico primò: emptio eſt contractus bonæ fidei ultro citroque obligatorius, qui abſoluto, & libero conſenſu perficitur, rei acceptæ, vel accipiendæ pro certo pretio dato, vel dando. Venditio verò eſt contractus pretij accepti, vel accipiendi pro re data, vel danda. Ita cum Rebello Fagundez, *lib. 5. de juſtitia cap. 1. num. 2.* Dicitur contractus bonæ fidei, ad excludendos contractus fictos, & malæ fidei. Dicitur ultro, citroque obligatorius, quia venditio utrinque obligat, tam ex parte venditoris, quam emptoris, per quod diſtinguitur hic contractus ab aliis, in quibus datur obligatio tantum ex una parte, ut eſt contractus mutui, precarij, commodati, ſimplicis donationis, & depoſiti.

779 Dicitur, qui abſoluto, & libero conſenſu perficitur, quia hic contractus perficitur, quoad ſubſtantiam per ſolum mutuum conſenſum verbis, vel nutibus expreſſum; imò per litteras, per procuratorem, ſeu nuntium, quamvis ad complementum, requiratur etiam ſolutio pretij, ex una parte, & accepta poſſeſſio rei ex altera. Vnde non requiritur ſcriptura, niſi partes ante, vel in contractu ita velint. Vnde ſi initio contractus, vel etiam poſt illius celebrationem non conveniant de ſcriptura facienda, non eſt validus contractus, niſi facta ſcriptura, & poteſt quilibet contrahentium altero invito reſilire, quia ſub ea conditione facta fuit venditio. Ita habetur expreſſe in ordinatione Luſitana, *lib. 4. tit. 8 n. 3.* Fagundez, *lib. 5. cap. 2. num. 3.* ſecus ſi poſt celebrationem contractus, & ex intervallo de ſcriptura conveniant. Fagundez, *ibi.* Dicitur rei acceptæ, vel accipiendæ, prout res diſtinguitur, contra pecuniam, ut excludantur omnes contractus cambij.

780 Dicitur acceptæ, vel accipiendæ quia ad ſubſtantiam contractus venditionis, non eſt neceſſe ut traditio rei venditæ actu fiat, ſed quod ſit ex natura ſua tranſlativa dominij, & quod venditor ex vi hujus contractus maneat obligatus ad illud transferendum. Dicitur pro certo pretio: nam ſi pretium certum, & determinatum non conſtituatur, invalida erit venditio; conſtituitur tamen aliquando valida per relationem ad alterum, ut ſi quis dicat, emo à te tuum librum, quanti tu emiſti, vel quanti emit ille, vel do tibi pro eo pecuniam, quæ eſt in hac crumena, vel emo hanc rem eo pretio, quo communiter hæc res venditur tali die, tali menſe, talibus nundinis; quod ſi in his diebus ſint varij pretij, illud eſt eligendum, quod in majori parte illius temporis viguerit, quod ſi æque viguerit pretium ſummum, medium, & infimum, medium eſt eligendum. Dicitur etiam pro pretio, ut diſtinguatur à permutatione, à mutuo, à cambio, in quibus non datur res pro pretio, ſed res pro re, vel pecunia pro pecunia.

Adverte tamen, quod ſi pro re aliqua detur pecunia, & res, ut pro domo alia domus, & centum aurei, ſi res quæ datur ſit multo majoris valoris, quam pecunia, eſt permutatio, & non venditio. Vnde non debetur de tali permutatione gabella, quia ſolum impoſita eſt venditioni: nam acceſſorium ſequitur naturam principalis, ſi vero pecunia ſit multo minoris valoris erit venditio, & debetur gabella. Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 20. dub. 1. numero 7. & 8.*

781 Dicitur dato, vel dando, quia ſicut ad ſubſtantiam venditionis non eſt opus ut res, quæ venditur actu tradatur venditori, ſic etiam non eſt opus, ut pretium ſtatim tradatur venditori, ſed ſufficit quod facto contractu venditor teneatur in conſcientia illud tradere. Hinc fit quod dominium rei 782 venditæ non transfertur in emptorem, quando fit ipſa ſubſtantia contractus venditionis per mutuum conſenſum, ſed quando ei traditur res à venditore, & ſolvitur ab emptore pretium, ſeu habetur pro ſoluto, ſeu loco ejus datur æquivalens, quale eſt pignus, vel fidejuſſor. Vnde ſi poſſeſſio rei nec eſt emptori data, ſi res periit pro venditore periit, ſicut pro eo fructificat; ſecus ſi res ſit tradita, etiamſi pretium non ſit ſolutum, ſi excluſo aliquo pacto juſto in contrarium.

783 Excipe ſi gabella ſolvenda ſit ex venditione: nam tunc contractus de jure Luſitano, non eſt validus, ſive ſit de rebus mobilibus, ſive immobilibus, ſive de quacunque alia re, de qua fiſco regali gabella, ſine ſolutione gabellæ, ut patet ex ordinatione

Luſitana, *lib.1.tit. 8. num. 14.* Vnde contrahentes, vel eorum hæredes poſſunt prædictam venditionem annullare, quocunque tempore ex defectu ſolutionis gabellæ per chirographum ſcribæ gabellarum, quo caſu emptor tenetur tradere rem cum fructibus perceptis, & venditor pretium acceptum Fagundez, *lib. 5.cap.4.num.17.* ſed hoc debet intelligi poſt ſententiam judicis, unde ſi ante ſententiam emptor ſolvat gabellam, etiam poſt multos annos à celebratione contractus, firma manet venditio. Ita cum Phœbo, Fagundez, *lib. 5.cap. 4. num.15.*

784 An autem ſtatim poſt utriuſque contrahentis conſenſum incipiat deberi gabella, etiam ante rei venditæ, vel pretij traditionem? Reſpondeo affirmative, unde debetur gabellario, qui erat quando datus fuit conſenſus, & non gabellario, qui eſt quando res traditur; quod verum eſt etſi venditio fuerit conditionata: nam licèt ad ſui perfectionem dependeat à conditione poſita, tamen conditione retrotrahitur ad tempus, in quo facta eſt venditio. Vnde ſolvenda eſt gabella gabellario, qui erat quando fuit celebrata venditio, & non illi qui erat quando fuit appoſita conditio. Ita cum Molina, Tamburinus, *lib.8. Decaleg. cap.7.§.1. num.5.* Decaſtillus, *lib.2.tract.9.d.2.num.26.* Secus dicendum eſt de ratihabitione, retrotrahitur enim ratihabitio abſque præjudicio tertij. Ita cum Vaſquio, probabilius docet Decaſtillus, *ibi.num.28.* Hinc etiam fit, quod ſi venditio celebretur in loco immuni à gabellis, & traditio rei fiat in loco ſubjecto gabellis, vel celebretur à perſonis exemptis à gabellis, & ſi tempore traditionis obligatis gabellis, non deberi gabella, quia venditio perfecta fuit loco, vel à perſonis, eo tempore immunibus à gabellis. Decaſtillus, *ſuprà num. 30.*

785 Adverte tandem quod aliquando in venditione datur aliqua pecunia initio contractus, quod tribus modis poteſt contingere. Primò ſi detur ut pars pretij, & tunc debebitur præfixo à contrahentibus tempore complementum pretij, & quia perfecta fuit venditio neuter poteſt reſilire à contractu, debeturque gabella venditioni impoſita gabellario, qui tunc gabellis præeſt. Secundò datur ea pecunia in ſignum poſtea faciendi venditionem, ea lege, ut qui dedit illam pecuniæ partem eam amittat, ſi contractum perficere renuat, tenuere tamen poſſit, atque hæc proprie dicitur arrha, quæ datur in ſecuritatem ejus, qui dubitat de alterius conſtantia, & gabella in hoc caſu non debetur, niſi quando poſtea fit contractus gabellario, qui tunc exiſtet. Tamburinus, *lib.8. Decaleg.tract.3.cap.7.§.1.num.18.* Tertio modo fit dando arrham in ſignum initi contractus, pro majore ſecuritate illius, & etiam in hoc caſu, poteſt emptor de jure Luſitano, non vero communi, ut notat Fagundez, *lib. 5. cap.6.num.5.* invito creditore à contractu recedere, arrha amiſſa, ſimiliter ſi venditor eam accepit ab emptore, poteſt à contractu etiam reſilire; ſed tunc tenetur reddere venditori arrham in duplum, illam ſcilicet, quam accepit, & aliam æqualem. Ita habetur in ordinatione Luſit. *lib. 4. tit. 2. §. 1.* Et in hoc caſu ſtatim atque celebratus fuit contractus debita fuit gabella gabellario, qui tunc erat.

786 Quod ſi contrahentes de communi conſenſu, in continenti à contractu reſiliant, non debetur gabella, quæ enim in continenti revocantur non cenſentur facta, ſi vero facto intervallo recedant, debetur gabella, imò debetur duplex gabella, altera ex priori contractu, & alia ex retractu ex prædicto intervallo facto. Fagundez, *lib. 5.cap.3.n.5. & c.6. n. 10.* ſi tamen venditor ex intervallo velit recedere à venditione, invito emptore, tunc in hoc Luſitaniæ Regno, tenetur ſolvere totam gabellam. Et idem dicendum eſt de emptore, ſi recedat à venditione, invito venditore. Ita Fagundez, *ſuprà cap. 6, numero 10.*

SECTIO II.

Quæ perſonæ emere, & vendere poſſint

SUMMARIUM.

787 *Omnes perſonæ ſæculares, quæ contrahere poſſunt, poſſunt etiam emere, & vendere.*

788 *Negotiatio, & mercatura mere lucrativa clericis, & beneficiariis, etiam in ſacris non conſtitutis, & Religioſis mortaliter prohibita.*

789 *Non eſt negotiatio illicita, ſi beneficiarius vendat ea, quæ ſuæ familiæ ſuſtentationi ex fructibus beneficij, & bonorum patrimonialium ſuperſunt.*

790 *Non eſt negotiatio illicita, ſi ex propriis ſalibus ſalem efficiant ad vendendum.*

791 *An coloni, qui conducunt prædia Eccleſiaſticorum, vel religioſorum, vel fructus beneficij teneantur ad gabellas?*

792 *De jure Luſitano, & jure communi prohibitum eſt publicis miniſtris juſtitiæ emere, ſeu vendere aliqua, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam in terris, in quibus adminiſtrationem juſtitiæ exercent.*

793 *Ponuntur hujus prohibitionis aliquæ limitationes.*

794 *Tutores, & curatores de jure Luſitano, non poſſunt per ſe, vel interpoſitam perſonam aliquid ſibi, vel aliis emere de bonis minorum, & pupillorum.*

795 *Idem prohibitum eſt eis jure communi, ſi clam, vel per interpoſitam perſonam id faciant.*

796 *An curatores, & tutores palam de licentia judicis poſſint emere bona minorum, & pupillorum, ſtando in jure Luſitano?*

797 *Executoribus teſtamentorum prohibitum eſt jure Luſitano, aliquid emere per ſe, vel per alios de bonis eorum, quorum ſunt executores.*

798 *Venditio facta inter virum, & uxorem de rebus, quorum plenum uſum, dominium, & adminiſtrationem unuſquiſque habet valida eſt.*

799 *De jure Luſitano, & jure communi invalida ſunt omnes venditiones, & permutationes inter Patrem, & filium, vel neptem, vel alium deſcendentem.*

787 SUppono omnes illas perſonas ſæculares, quæ contrahere poſſunt, poſſe etiam emere, & vendere, quæ vero à contractibus prohibentur, eodem modo ab hoc contractu prohiberi. Vnde an minores, pupilli, filiusfamilias, furioſi, prodigi, & ſimiles poſſint emere, & vendere? vide quæ diximus, *diſp. 10. hujus tractatus ſect. 4.* unde hic ſolum agemus de perſonis Eccleſiaſticis, & de nonnullis aliis, de quibus agit noſtrum jus Luſitanum, in ordinatione, *lib 4.tit.3.§.8. & 3.* His ſuppoſitis,

788 Dico primò: Negotiatio, & mercatura mere lucrativa eſt clericis in ſacris, & beneficiariis etiam in ſacris non conſtitutis, & religioſis mortaliter prohibita, *cap. conſequens diſt. 88.* Dixi mere lucrativa: nam ſi ſit ad propriam ſuſtentationem

tationem licita eſt. Ita cum multis, Fagundez, *lib.5. cap.11. numero 5.* Baſæus, *in ſupplemento, verbo emptio num.4.* Clerici autem negotiantes extra caſum neceſſitatis non ſolùm peccant, vel veniunt excommunicandi, & ſuſpendendi, non tamen ſunt ipſo facto excommunicati, vel ſuſpenſi. Ita cum communi ſententia Fagundez, *ſuprà n.4.* Imò amittunt exemptionem à gabellis quoad ipſas res, quas vendunt occaſione negotiationis, pro quibus exigitur gabella, & pedagium. Ita cum multis, Fagundez, *ſuprà num.18.* quamvis quidam requirant, ut prius ter admoneantur ab Epiſcopo, ut deſiſtant à negotiatione, ut hanc exceptionem amittant. Ita Molpheſius, Leſſius, Joannes de la Cruz, apud Dianam, *1.p.tractatu 2.reſol.47.* Baſæus, *in ſupplemento verbo emptio num.44.* In omni tamen opinione, eo ipſo quod prædicti clerici deſiſtunt à negotiatione, gaudent iterum privilegio exemptionis, Fagundez, *ſuprà num.21.*

789 Dico ſecundò: non eſt negotiatio illicita, ſi beneficiarius vendat ea, quæ ſibi, ſuæque familiæ ſuſtentationi ex fructibus ſuorum beneficiorum, bonorumque patrimonialium ſuperſunt. Neque eſt negotiari, conducere domos, terras, vineas, ad ſuſtentationem familiæ. Unde ex hac negotiatione non debetur ab Eccleſiaſticis gabella, Fagundez, *ſuprà num.23. & num.30.* Quod verum eſt, & ſi hæc vendant minutim, majoris lucri cauſa. Fagundez, *ſuprà cap.12. num.3.* Idem dicendum eſt ſi emant omnia neceſſaria ad ſuam, & familiæ ſuſtentationem, & vendant ſuperflua ex redditibus ſuorum agrorum, tam patrimonialium, quam beneficiorum ſuorum. Idem dicendum eſt ſi clerici aliquo decenti artificio utantur ad ſui ſuſtentationem, ut ſi emant papyrum ad ſcribendos libros, vel emant ſerica ad efficiendos flores vendendos, vel ſi emant equos, mulos, oves, quas in propriis agris nutriunt, ut cum adoleverint, & partus ediderint, vendant, emere autem jumenta, vel mulos titulo ut aliis locent vel ad vendendama quam per civitatem illicita negotiatio eſt, & ex illa debetur gabella Fagundez, *lib.5. cap.12. num.9. & 12.*

790 Non erit tamen negotiatio illicita, ſi ex propriis ſalinis ſalem efficiant ad vendendum, vel de vena ferri in proprio fundo latente ferrum per ſuos operarios ad vendendum efficiant, vel ſi ex propriis gregibus, lanam vendant, quod verum eſt, & ſi ferrum, vel lanam alio aſportent, ut carius vendant. Et idem dicendum eſt ſi terram ubi eſt vena ferri emant, & deinde per operarios ferrum faciant vendendi cauſa, vel ſi emant prædium plenum fructibus, ut fructus poſtea vendant, vel ſi religioſi, exiſtentes in India, vel Braſilica Regione, ibi aliqua parvo emant, ut mittant Luſitaniam, ut inde eis aſportentur neceſſaria ad ſuam ſuſtentationem. Fagundez, *lib.5.cap.11. à num.31. uſque ad 37.* Secus dicendum eſt, ſi greges alienos conducant, ut inde lac, lanam, vel partus illorum, non ad propriam ſuſtentationem, ſed ad lucrandum vendant, vel ſi venam ferri emant, ut inde ferrum per operarios conficiant ad vendendum. Fagundez, *ſuprà num.32. & 34.*

791 An autem Coloni, qui conducunt prædia Eccleſiaſticorum, vel Religioſorum, vel fructus beneficij teneantur ad gabellas? aliqui affirmant. Ita cum Valaſco, ut aliis multis Fagundez, *lib.5.cap.12.n.8. de juſtitia.* Sed contraria opinio probabilior eſt. Ita cum multis Diana, *tom.1. tract.1.reſol.19.* Peirinis, *tom.1. de privilegiis conſt.12. Julij 2.§.33. nn.141.* leges enim indirecte gravantes perſonas Eccleſiaſticas illicitæ ſunt, & alias regulares ex privilegio Pij V. exempti ſunt à gabellis, & eorum prædia quod privilegium reale eſt, & terris conceſſum. Tambutinus, *de jure Abbatum tomo 1.d.15.qu.21. num.9.*

Dico tertiò: de jure Luſitano, *lib.4.ordinationis tit.38. & 39. & de jure communi l.pupillum §.ſi filius ff.de author. & l.fin.in fine C.de contrahenda emptione l.unica C.de contr.jud.l.non licet, & l.qui in offic. ff.de contrahenda empt. Et de jure Caſtella l.5.tit.5. p.5. & lib.3.novæ recopilationis tit.6.l.2.* prohibitum eſt publicis miniſtris juſtitiæ, ſcilicet judicibus, prætoribus, proviſoribus regis, auditoribus, eorumque officialibus, veluti merinis, ſcribis, & cancellariis, emere, vel vendere aliqua, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam in terris, vel provinciis, in quibus adminiſtrationem juſtitiæ exercent, dum eam ibi exercent ſub graviſſimis pœnis. Unde talis negotiatio, utpote prohibita, eſt illis illicita. Ita cum communi ſententia Fagundez, *lib.5. cap.13.nn.1.* Quæ prohibitio non ſolùm comprehendit emptionem, & venditionem, ſed etiam omne genus contractuum, cum omnibus tuis ſubditis, etiamſi ſint perſonæ illuſtres, in quibus non detur præſumptio, quod per metum contrahant, imò & comprehendit promiſſionem venditionis. Ita cum multis Fagundez, *ſupra num.3. & 4. & 5.* 792

Limitatur tamen talis prohibitio. Primo, ſi prædicti miniſtri regij aliqua teſtamento acquirant, poſſunt etiam legari, & hæredes inſtitui. Secundò ſi emant res, quæ fuerunt ſuorum majorum. Tertiò ſi rem in pignus datam accipiant. Quartò ſi contrahant antequam ad tale officium perveniant. Ita cum multis Fagundez, *ſupra num.4.* Limitatur tandem, ſi ſint perpetui judices, & prætules, quales ſunt ſenatores regij, eorumque officiales. Et idem de aliis judicibus, & officialibus perpetuis dicendum eſt, alias perpetuo eſſent privati commercio. Et idem dicendum eſt de officialibus ad beneplacitum, & qui non habent tempus determinatum. Ita cum Jaſon, Barboſa, Caldas, Pereïra, & aliis Fagundez, *ſuprà num.6.* 793

Dico quartò: tutores, & curatores, de jure Luſitano, non poſſunt aliquid per ſe, vel per interpoſitam perſonam ſibi, vel aliis emere ex bonis minorum, vel pupillorum, quorum ſunt tutores, aut curatores ſub pœna amiſſionis noveni pretij æqualis, dimidium accuſanti, & dimidium fiſco. Ita habetur, *in ordinatione lib.1. tit.88. num.29.* Et idem illis prohibitum eſt jure communi, ſi clam, & per interpoſitam perſonam id faciant. Molina, *de juſtitia d.224. §.de jure communi.* Secus ſi bona fide, & palam, hoc eſt, ſine dolo, & cum licentia judicis emant bona ſuorum minorum, & pupillorum, ut cum multis docet Surdus, *de alimentis tit.8. privilegio 37.num.9.* Caldas Pereira, *de Emphyt.cap.17. num.9.* 794 795

An autem de jure Luſitano, idem poſſunt facere tutores, & curatores bona fide, & palam de licentia judicis? Reſpondeo poſſe, ſi jam tutores, & curatores non ſint, ſecus ſi adhuc tales ſint. Ita Fagundez, *lib.5. cap.13. num.7.* Et patet, *ex eadem ordinatione ſuprà*, ubi dicitur, attamen ſi vendita fuerint alia bona aliqua poſtquam tutores, & curatores eſſe deſierint, ea poterunt habere, & emere, quia tunc jam ceſſat præſumptio fraudis. Et hoc ipſum, quod dico de tutoribus, dicendum eſt de judice Orphanorum, & reſiduorum, & eorum officialibus, ut habetur, *eadem ordinatione lib.1. tit.87. num.30.* Pœna autem eſt amiſſio officiorum, & novenalis amiſſio tanti, quanti æſtimatur, ad ipſos orphanos, & pœna inhabilitatis ad omnia officia honoris. 796

Dico quintò: executoribus teſtamentorum prohibitum eſt de jure Luſitano, nec per ſe, nec per alios ſibi, vel aliis aliquid emere de bonis eorum, quorum teſtamentorum ſunt executores, etiamſi bona in publica haſtatione judicij judicis authoritate vendantur, ſub pœna amiſſionis bonorum ſic emptorum, & duplicis valoris, qui bonis defuncti accreſcat. Ita habetur, *in ordinatione lib. 1. tit. 62. §. 7.* Poſſunt tamen prædicti executores ex bonis defuncti venditis deducere expenſas à ſe factas in ejus bonorum venditione. Molina, *de juſtitia tom. 1. d. 248.*

798 Dico ſextò: venditione facta inter virum, & uxorem de rebus, quæ ſunt pleno jure utriuſque, id eſt, quorum unuſquiſque habet dominium, plenum uſum, & adminiſtrationem indepedenter ab alio, qualia ſunt bona paraphernalia uxoris, quæ ipſa habet extra dotem, & ſibi reſervavit independěter à marito, dum cum illo nupſit, valida, & licita eſt, quia inter virum, & uxorem omnis contractus permiſſus eſt, præter donationem, *ex texu in l. Aurelius §. finali, ff. de liber. legat.* Fabianus, *de monte tract. de emptione queſt. 3. n. 5.* Excipe niſi venditio inter illos ſit vilior juſto pretio, ita ut major pars donetur, quam vendatur: nam tunc nulla eſt, quia cenſetur facta in fraudem juris. Antonius Gomez *tomo 2. variarum cap. 2. de empt. num. 3.* Fagundez, *lib. 5. cap. 14. num. 1.*

799 Dico ſeptimò: de jure Luſitano, *lib. 4. ordinationis tit. 12. imò de jure communi l. 2. ff. de contract. empt.* invalidæ ſunt omnes venditiones, & permutationes inter Patrem, & filium, nepotem, vel alium deſcendentem, niſi fiat de licentia aliorum aſcendentium, vel de licentia Regis. Hæc tamen prohibitio ſolum comprehendit filios exiſtentes ſub poteſtate Patris, non tamen filios ſui juris, nec habet locum in filio ſpurio; habet tamen locum in Patre, ſi ſit executor teſtamenti alicujus defuncti, non enim poteſt bona defuncti, etiam extranei ſuo filio vendere. Caldas, Pereira, *de emptione cap. 17. num. 8.* Imò nec per interpoſitam perſonam poteſt Pater cum filio, venditionem celebrare. Et idem dicendum eſt de mutuo. An autem ſi venditio inter Patrem, & filium fiat ſine dolo, vel fraude, æquali pretio, etiamſi non ſit facta ea ſolemnitate, quam poſtulat lex, ſit valida in foro conſcientiæ? Reſpondeo affirmative, quia forum conſcientiæ fundatur in veritate, & non in præſumptione fraudis, in qua fundatur prohibitio legis. Ita Rebellus, quem refert, & ſequitur Fagundez, *lib. 5. cap. 19. num. 13.* Imò Caldas, Pereira, quem refert, & ſequitur Fagundez, *ſuprà num. 16.* ait talem venditionem, etiam pro foro externo valere, ſicut etiam valet permutatio pro æquali ex eadem ordinatione Luſitana, *lib. 4. tit. 12.*

SECTIO III.

De rebus quæ vendi, vel emi poſſunt.

SUMMARIUM.

800 *Omnia quæ pecunia æſtimantur vendi poſſunt, niſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio.*

801 *Poteſt vendi creditum, actioque quam quis habet in rem, vel in rem debitam, pignus, hypothecam, vel fidejuſſionem.*

802 *Poteſt quis vendere omnia bona ſua, tam præſentia, quam futura.*

803 *Non ſolùm principes ſupremi, ſed & principes regibus ſubjecti ſeclusa ſpeciali jure alicujus regni poſſunt vendere officia ſæcularia, quæ ipſorum ſunt, vel ipſis abſolutè data.*

804 *Quid dicendum ſit de jure Luſitano?*

805 *Proreges, & gubernatores exercituum de jure Luſitano, & communi non poſſunt vendere officia juſtitiæ adminiſtrativa.*

806 *An cui teſtator commiſit ut eleemoſynam inter pauperes dividat, vel Dynaſta, cui princeps commiſit ut prædicta officia diſtribueret inter digniores, poſſit pretium accipere pro danda eleemoſyna, vel officio huic, vel illi quando eligendi ſunt æquales, ſine onere reſtitutionis?*

807 *Sententia authoris proponitur circa diſtributionem eleemoſynæ.*

808 *Authoris ſententia circa diſtributionem officiorum.*

809 *Judex quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, non poteſt pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius pro alio.*

810 *Solvuntur contrariorum fundamenta.*

811 *An detur lex venditionem officiorum ſæcularium prohibens ſub mortalis Dynaſtis, vel illis, quibus conceſſum eſt prædicta officia diſtribuere?*

812 *Quid de vendente, vel renunciante pro pretio officia ſibi à rege collata, ſine licentia regis?*

813 *Venditio rei alienæ eſt invalida, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem.*

814 *Venditio rei alienæ valida eſt quoad transferendum dominium pretij in venditorem, licet ipſe teneatur ad reſtituendum quantum intereſt emptori rem non eſſe factam ſuam.*

Dico primò: omnia quæ pecunia æſtimantur vendi poſſunt, niſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio, ſeu circunſtantia, quæ venditionem reddat invalidam, aut illicitam, quia ſub venditione cadit, quidquid tradi poteſt pro pretio. Hinc vendi poſſunt omnia bona, etiam futura, modo non comprehendatur inter ea pretium, quod recipitur ex emptione alterius, idque ne venditor maneat inteſtabilis, item hæreditas tota, vel pars terta illius, ut tertia, quarta quinta vendi poteſt; mortuo tamen illo, cui in hæreditate ſuccedit, at eo vivo, venditio eſt nulla, cum ſit contra bonos mores; timetur enim, ne emens illius mortem intentet, *l. 1. ff. de hæreditate l. 2 fin. ff de his, quibus indignis.* Molina, *d. 340.* Excipe, ſi conſentiat dominus hæreditatis: nam conſentienti non fit injuria, vel quando quis vendit hæreditatem in genere, quam, v. g. habiturus eſt non indicando, ſive tacite, ſive expreſſe perſonam, cui eſt ſuccedendum, ſiquidem ex hac venditione non poteſt timeri mortis machinatio. Tamburinus, *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 3. num. 16.* 800

Dico 2. poteſt vendi creditum, actioque quam quis habet adverſus alium, vel in rem debitam, vel in pignus, hypothecam, vel fidejuſſionem, & eo ipſo, ſine ceſſione tranſit actio utilis in emptorem; accedente autem ceſſione, etiam actio directa, ſi tamen actio venderetur potentiori eſſet invalida, & venditor in pœnam amitteret jus, quod habebat ad tale debitum, poteſt etiam vendi res in ſpe antequam exiſtat, ſic partus ancillæ, pecus, fructus arborum, jactus retis, miſſilis, & hujuſmodi vendi poſſunt, cum hac tamen differentia, quod partus, & fructus venduntur conditionaliter, ſi naſcantur, jactus autem retis, venatio, abſolute, & 801

licet

licèt nihil capiatur, debetur tamen pretium constitutum, nisi aliter conventum sit. Gomez *tom. 2. cap. 2. num. 4.* Bonacina, *de contract. d. 3. quæst. 2. part. 2.* Filliucius, *tract. 35. cap. 1. num. 3. & 31.* Molina, *tract. 2. d. 340.*

802 Dico tertiò: potest quis vendere omnia bona sua tam præsentia, quam futura; qui tamen dicit se vendere omnia bona sua, nisi aliud ex verbis colligatur; censetur vendere solum præsentia, non futura. Idem dicendum est de donatione omnium bonorum, quando est valida. Molina *tractat. 2. d. 340. & 280.* Non potest tamen vendi res actu litigiosa, super quam quis habet litem cum adversario. Excipe nisi fiat causa justa, vel authoritate judicis. Dixi actu litigiosam; nam ea contra quam timetur; etiam de proximo lis, vendi potest, licèt minori pretio. Fagundez, *lib. 5. de contract. lib. cap. 24.* Tamburinus, *sup. n. 18.* An autem res sacræ, vel labor in eis repertus, vel jus patronatus, commendæ, pensiones, & alia hujusmodi, vendi possint, satis diximus *in tractatu de Simonia.*

803 Dico quartò: non solum Principes supremi, seu etiam quilibet Princeps Regi subjectus, ut Dux, Marchio, &c. Imò & Senatores, civitatúmque Prætores, seclusò speciali jure alicuius regni, possunt vendere officia sæcularia, quæ ipsorum sunt, vel ipsis absolutè data, quia quilibet potest vendere id, quod est pretio æstimabile, & suum est. Dixi sæcularia, quæ etiam sunt ea quæ Episcopus, si fortè sit Marchio, vel dominus temporalis, ut est Archiepiscopus Bracharensis, ut talis est, eodem modo officia sæcularia, quæ sua sunt vendere potest, de Ecclesiasticis enim officiis hic nihil agimus; pertinet enim ad Simoniam, ut suprà diximus. Ita D. Thom. *opusculo* 21. ad Ducissam Barbantiæ, Azor. Vasquius, Lessio, Fagundez, Lugo, Pascaligus, quos refert, & sequitur Tamburinus, *lib. 8. Decalogi. cap. 7. §. 3. num. 3.* Basæus, *verbo, emptio. num. 8.* Duo tamen debent adverti, primo quod vendantur pretio justo; secundo ne indignis conferantur, si enim indignis venderentur, venditor teneretur de damno in defectum officialis. Lugo, *tractat. 2. d. 34. num. 48.* Tamburinus, *suprà num. 5.*

804 Dixi seclusò speciali jure; nam de jure Lusitano, Dynastæ. Et idem dicendum est de aliis Principibus, qui potestatem habent conferendi officia sæcularia in terris suis, non possunt ea vendere, aut aliquid pro illorum provisione recipere, sub pœna privationis potestatis ea in posterum conferendi, & amissionis officij respectu emptoris, & omnium bonorum illius, ut patet ex ordinatione Lusitana, *lib. 2. tit. 46.* & tenet cum Molina, Pereira, & aliis Fagundez, *lib. 1. de justitia. cap. 23. num. 16.*

805 Hinc fit Proreges, & Gubernatores exercitus, non solum de jure Lusitano, sed etiam stando in jure communi, non posse vendere officia justitiæ administrativa, inter quæ numerari debent officia vulgo dicta *de Mestre de campo, Sargento mor, Capitan de infantaria, Capitan de Cavalos, Capitan de guarda, alfers, sargentos, &c.* Et idem dicendum est de officio tabellionatus, *scribe, ivis da Alphandega, Almoxarife, vereador, Almotace, &c.* Nam esto hæc officia sint vendibilia, authoritas tamen illa vendendi solum stat penes Regem, qui est ipsorum dominus. Vnde Proreges, vel Gubernatores civitatis, vel exercitus, vendentes hæc, & similia officia sine expressa licentia Regis, vendunt rem alienam invito domino, ac per consequens peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Ita cum Mastrillo, Mendosa, & aliis communiter Diana, *part. 6. tractat. 6. resol. 3.* Auzonius, *in summa Diana verbo prorex, num. 4.* Nec potest allegari consuetudo in contrarium, tum quia in hoc Regno talis consuetudo non est, tum quia talis consuetudo si daretur esset irrationalis, ut benè advertit Diana, *part. 6. tract. 6. resol. 3.*

An autem ille, cui testator commisit, ut eleemosynam inter pauperes distribueret, vel Dynasta, aut Prorex, cui supremus Princeps, vel Rex commisit, ut prædicta officia distribueret inter dignio- 806
res, possit pretium accipere pro danda eleemosyna, vel officio, huic, vel illi, quando eligendi sunt æquales, sine onere restitutionis? Celebris est quæstio. Et seclusa prohibitione juris positivi, aliqui affirmant. Et idem dicunt de electoribus ad majoratum, ad Cathedram, ad capellam; ita Fagundez, *lib. 5. de justitia. cap. 18. num. 7. & tomo 2. in Decalogum lib. 8. cap. 26. num. 39. & 40.* Pro qua citat Rodriguez, Lopez, Sanchez, Diana. *p. 10. tract. 13. resol. 45. & 6. p. tract. 6. ref. 59.*

Ego tamen distinguendum existimo, & dico 807
distributorem eleemosynæ non posse pro electione istius, vel illius pauperis aliquid recipere sine onere restitutionis, benè tamen electorem ad officium, ad cathedram, ad majoratum, quando eligendi sunt æquales, & electio jam est in facto esse; secus si sit in fieri, & detur lex, vel mandatum obligans sub mortali, quod detur dignioribus, vel inter æquales, quod detur gratis; ita Lugo, *de justitia. d. 34. num. 19. & sequentibus, & num. 35.* & cum Lessio, Tamburinus, *lib. 8. tractat. 3. Decalogi. cap. 7. §. 3. num. 8.* Ratio est, quia in hoc casu, Elector ad Eleemosynam constitutus est Elector à testatore in gratiam eorum, à quibus gratis dare jubetur; ergo unusquisque ex illis pauperibus habet jus, ut si eligatur ei integram detur eleemosynam, sed si distributor pretium accipiat pro electione illius præ alio, jam non dat electo totam eleemosinam, sed partem; ergo violavit jus justitiæ commutativæ, quod pauper ille electus habebat ad totam eleemosynam; minor probatur, quia ex voluntate testatoris debebat dare, verbi gratia, 20. aureos; sed si pro electione ab aliquo accepit decem, jam non dat alicui summam 20. aureorum; sed decem aureorum; ergo non dat quantum testator dare voluit uni personæ, & ad quod tenebatur ex contractu.

Secus dicendum existimo in distributione offi- 808
ciorum, vel electione ad Cathedram, ad Capellam, majoratum, &c. nam in hoc casu Elector non est constitutus in gratiam eorum, qui eligendi sunt, sed vel in gratiam Principis, vel institutoris majoratus, capellæ, vel Reipublicæ, quibus illa munia sunt necessaria; ergo eligendo dignum, omisso digniori, vel æque digno propter pretium, peccabit quidem contra institutorem majoratus, contra Rempublicam, vel Principem, qui præcipiebant ea officia gratis dare, vel dignioribus, & contra fidem eis debitam, non tamen contra dignio-
res, vel æquè dignos, quibus ex illo Principis, vel Reipublicæ præcepto, nullum jus fuerat quæsitum, cum non ordinaretur in bonum eligendorum, sed solius Principis, vel Reipublicæ; sed tale peccatum non est contra justitiam, sed contra obedientiam; ergo licèt distributor peccaverit contra obedientiam, & quidem mortaliter, si lex, vel præceptum dandi illa officia gratis, vel dignioribus, erat sub mortali, & ex hoc capite, si res adhuc sit in fieri tenetur restituere pretium acceptum, & eligere gratis, vel dare dignioribus, ut desistant à peccato, post

factum tamen, non tenetur reſtituere, ſiquidem non peccavit contra juſtitiam commutativam, ſed contra obedientiam, vel juſtitiam diſtributivam.

Confirmatur, quia illa electio non erat debita huic determinatæ perſonæ; poterat enim alter ſine injuria illius præferri, ſed eligere hunc magis, quam illum eſt favor pendens ex voluntate diſtribuentis officia, & eſt pretio æſtimabilis, quia eſt valdè utilis electio, & alias non infert damnum Reipublicæ, quia eligit dignum, ut ſuppono; ergo accipiens pretium pro illa, ſolum peccabit contra obedientiam legis, vel præcepti, ſi fortè ſit, non tamen tenebitur ad reſtitutionem, ſiquidem obligatio reſtituendi ſolum oritur ex peccato contra juſtitiam commutativam, & non contra obedientiam.

Dices, peccare contra juſtitiam; quia vendit alienum, invito domino; Rex enim ſolum conceſſit prædictis dynaſtis ea officia conferre gratis, & non ut poſſint ea vendere; imò id eis lege ſua prohibuit, ut ſi prà diximus; ergo. Reſpondeo prædictos dynaſtas, & Proreges in hoc caſu non vendere officia, ſed illam prælationem unius præ alio, inter æquè dignos, quos præelectio, cum ſit pretio æſtimabilis, & electio utilis, poteſt vendi; unde licèt adverſentur præcepto Regis, quatenus præcipit, ut gratis conferantur, non tamen talis præelectio infert damnum Regi, aut Reipublicæ, ſiquidem officium confertur perſonis dignis, ut ſuppono, quod Rex, & reſpublica intendit, nec ipſis eligendis, cum ipſi non habeant aliquod jus ad illa; Vnde Rex non eſt invitus, quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, ac conſequens, ſic pretio eligentes peccabunt contra legem Principis præcipientis dare gratis ſi talis, lex detur, non tamen tenebuntur ad reſtitutionem, quia non peccarunt contra juſtitiam commutativam, ſed tantum contra obedientiam, vel juſtitiam diſtributivam.

809 Dices, ergo judex quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles poterit pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio; Probatur illatio, quia illa ſententia non eſt debita huic determinatæ perſonæ, poteſt enim judex juſte, ſine injuria illius pro alia parte proferre ſententiam; ergo electio illius partis pro qua eſt ferenda ſententia eſt in manu, & arbitrio judicis; ſed eligere, & determinare hanc partem litigantem, pro qua fertur ſententia eſt favor pendens ex voluntate judicis, & eſt pretio æſtimabilis, quia eſt valdè utilis litiganti, & nullum damnum infert reipublicæ; ergo juſte poteſt judex pro eo favore pretium accipere. Reſpondeo aliquos Doctores libenter admittere ſequelam ſecluſa prohibitione juris poſitivi vetantis, & prohibentis munerum receptiones. Ita enim cum Leſſio, probabile putat Fragoſo *tomo 1. libr. 4. d. 9. num. 42.* Fagundez, quem refert Diana, *part. 6. tractat. 6. reſol. 39.* Trullenc. *tom. 2. Decalogi. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 10.*

Verum ego huic ſententiæ minimè adhæreo, ſed contrarium dicendum eſſe exiſtimo; & modo præcipit Alexander VII. *in ſuo decret. anno 1665. propoſitione 25.* contrariam ſententiam ſub anathemate prohibens, & ratio diverſitatis eſt, quia judex dicendo jus, non exercet actum juſtitiæ diſtributivæ, ſed commutativæ; non enim diſtribuit ſubditis bona communia, ſed reddit ſingulis bona propria ſingulorum, ac per conſequens conſtitutus eſt in gratiam partium; cumque unaquæque pars litigans habeat jus in rem illam æqualiter, nulla eſt ratio cur potius uni, quam alteri tribuat; ſicut enim unaquæque pars non poteſt rem illam ſibi integrè adjudicare, ita neque judex. Tum quia judex ex pacto tacite inito cum Republica, & ex officio tenetur rem adjudicare melius probanti, vel ſi major ratio non adſit pro alterutro dividere utrique; ſed utraque pars ante ſententiam judicis jus juſtitiæ habebat ad rem illam, quia utriuſque eſt; ergo cum judex nihil aliud faciat, quam declarare, cui tale jus competat, cum utrique æquè competat, pro utraque parte eſt declarandum. Ita cum Sanchez, Sayro, Villalobos, Suario, Coninchio, Bañez, & aliis Palaus, *tom. 1. tractat. 1. d. 2. p. 10. num. 2.* Tamburinus, *libr. 1. Decalogi. cap. 3. §. 4. num. 1.* Lugo, *tom. 2. de juſtitia. d. 34. num. 5.* i

Per quod patet ad argumentum, nam ille, cui 810
Rex commiſit diſtribuere officia, vel teſtator reliquit ut nominaret in emphyteuſim, majoratum capellam, &c. non eſt inſtitutus in gratiam eligendorum, ut judex in gratiam partium, neque eligendi habent aliquod jus juſtitiæ ad rem illam, ut habent partes, neque diſtributor officiorum ex officio, vel pacto inito cum Republica, vel Principe, aut teſtatore tenetur gratis, veldigniori dare, ſed ex officio, & pacto ſolum tenetur dare digno, & ex obedientia tenetur dare gratis, & digniori; ergo accipiendo pretium pro diſtribuendo officio, &c. æquè digno, vel digno, relicto digniore, ſolum faciet contra obedientiam, & contra legem, ſi fortè ſit, non tamen contra juſtitiam commutativam; ergo non tenetur reſtituere; benè tamen judex, quia deliquit contra juſtitiam commutativam.

Sed quæres, an de facto detur talis lex vendi- 811
tionem prædictorum officiorum ſæcularium ſub mortali prohibens dynaſtis, vel illis, quibus conceſſum eſt prædicta officia, ſæcularia diſtribuere? Reſpondeo aliquas leges afferri à Sanchez, & aliis Doctoribus. Sed hujuſmodi leges ſolum loquuntur de electione, quoad diſtribuendam pecuniam, vel quid æquivalens, non verò quoad diſtribuenda prædicta officia, ut cum Lugo, notat Tamburinus, *lib. 8. Decalogi. cap. 7. §. 3. num. 10.* Præterautem has leges, aliquæ dantur de jure noſtro Luſitano, ut patet ex ordinatione *lib. 2. tit. 46.* ubi ſtatuitur ne quis illorum dynaſtarum, qui habent poteſtatem dandi, & providendi talia officia in ſuis terris, illa vendat, vel vendi faciat, & ne quidquam pro proviſione illorum accipiat, ſub pœna Dynaſtij, privationis conferendi alia in poſterum, & ementibus amiſſionis officij, ſic venditi, & omnium bonorum ſuorum. Hæ tamen pœnæ non incurruntur, niſi poſt ſententiam judicis. Fagundez, *lib. 5. cap. 13. num. 16.* Nec talis venditio facta etiam ſine licentia Regis eſt ipſo jure irrita, ſiquidem in tali lege non irritatur, ſed tantum prohibetur. Rebello. *2. p. lib. 9. q. ſect. 2. num. 32.*

An autem ſit ſaltem ſub mortali prohibita con- 812
ſequenter negandum exiſtimo, ſi fiat à Dynaſtis, & Ducibus qui, in terris ſuis, etiam ſine licentia Regis prædicta officia vendunt; cum enim talis venditio non fuerit ipſo jure irrita, non videtur ſub mortali, ſed tantum ſub pœna ibi appoſita prohibita, ita Rebellus *ſuprà num. 23.* Secus dicendum eſt de vendente, vel renunciante pro pretio officia ſibi à Rege collata, ſine licentia Regis; nam in hoc caſu contractus eſt irritus ipſo jure, ut patet ex ordinatione *lib. 1. tit. 95.* ubi emptor fit inhabilis, & incapax ad talia officia emenda & retinenda; unde non ſolum ad mortale, ſed etiam ad reſtitutionem pretij ex una parte, & ad renuntiandum officium ex alia obligatur, etiam ante ſententiam judicis. Ita cum Rebello, Fragoſo, *p. 1. l. 1. d. 2. num. 120.* Fa-

gundez,

gunde, *libr.5.cap.23. num.13.* Quamvis etiam in hoc caſu diſſentiant Lapius, & Angel. quos citat Rebellus, *ibi num.21.* quorum ſententia non videtur improbabilis, nam cum hæ leges Luſitanæ ſint pœnales, ſatis probabilis eſt ſententia, leges pœnales civiles non obligare in conſcientia ad culpam mortalem, ſed tantum ad pœnam, ut tenent Navarr. Imola, Felinus, Menchaca, Covarruvias, Valentia, Salas, & alij, quos refert Palaus, *tomo 1. tract.3. d.1. p.15. num.6.* Reginaldus, quem refert, & ſequitur Auſonius *in ſumma Diane, verbo Lex. num.43.* quamvis contrarium probabilius exiſtimem; unde lex ſolum non obligabit ad pœnam amiſſionis officij in vendente, nec pretij in emptore, etiam poſt traditionem ante ſententiam judicis, ut recte advertit Fragoſo, *ſuprà num.127.* Fagundez, *ſupr. num.13.* benè tamen ad reſtitutionem officij venditi, & pretij empti, propter irritationem contractus, ſed de his vide prædictos Doctores, hæc enim ſatis ſufficiat indicaſſe. An autem poſſit pretium accipi pro actione turpi, vel pro actione honeſta, quam quis facere, vel omittere tenetur? Vide quæ dixi,

813 *hoc eodem tractat.... diſput...*

Dico quintò: venditio rei alienæ eſt invalida quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, quia venditor non poteſt plus iuris in emptorem transferre, quam ipſe habet; Unde dominus rei venditæ poteſt rem ſuam vindicare ubicumque ſit, niſi legitimo temporis curſu præſcripta ſit, ab emptore bonæ fidei; ſi autem ſolus emptor ſciat rem eſſe alienam, emptio non valet reſpectu illius; Unde non habet jus, neque actionem petendi, quod ſua intereſt; ſi verò uterque ſciverit eſſe alienam, neuter obligationem contrahit, emptor tamen poteſt reſciſſa emptione à venditore pretium recuperare; quod ſi emptor pactus fuerit de evictione cum venditore, tunc poteſt contra venditorem in judicio contendere. Ita Valentia, *tom.3. diſt.5. quæſt.20. part.4.* Leſſius, *libr.2.*

814 *c.20.n.162.* Molina, *tract.2.d.527.n.9.* & alij.

Hinc fit, venditionem rei alienæ validam eſſe, quoad transferendum dominium pretij in venditorem, licèt ipſe teneatur ad reſtituendum, quantum intereſt emptoris, rem non eſſe factam ſuam; Unde fur, qui rem alienam vendidit ignoranti eſſe alienam, acquirit dominium pecuniæ ſibi traditæ loco pretij, & uſurarius acquirit dominium pretij, vendendo res alienas, loco uſurarum acceptas, quamvis emptor non acquirat dominium rei alienæ, ut patet *ex l. rem alienam. ff. de contrahenda emptione.*

SECTIO IV.

Quod ſit juſtum pretium rerum venalium?

SUMMARIUM.

815 *Pretium aliud eſt legitimum, aliud arbitrarium.*
816 *Pretium legitimum quid ſit?*
817 *Pretium arbitrarium quid ſit?*
818 *Pretium arbitrarium augeri poteſt primo ex abundantia, vel penuria rerum.*
819 *Secundo augeri poteſt ex abundantia pecuniæ.*
820 *Tertio ex parte ementium, & vendentium, ut quando frequentes, vel minus frequentes ſunt.*
821 *An exteris carius vendi poſſit, quàm naturalibus?*
822 *Quarto augeri poteſt pretium ex modo vendendi minutatim, vel ſimul.*
823 *Quinto augeri poteſt ex neceſſitate, vel utilitate mercis.*
824 *Sexto augeri poteſt pretium ratione expenſarum.*

DIco primò: Duplex eſt pretium juſtum, aliud 815
lege taxatum, & conſtitutum, quod dicitur legitimum, & aliud vulgare, ſeu arbitrarium. Legi- 816
timum eſt illud, quod ſemper debet ſervari, niſi poſt dictam taxam factam à principe circunſtantiæ mutentur, ut ſi ſuperveniat abundantia, vel appareat ſterilitas; nam tunc taxa ſtatim evadit illicita, nec obligat in conſcientia, ut cum Reginaldo, & aliis docet Decaſtillus, *lib.2. tract.2. d.9. n.17.* Et idem dicendum eſt, quando omnes, vel major pars populi non ſervat taxam, ſciente principe, etſi unum, vel alterum puniat, ut cum Salas, Tamburinus, *lib.8. Decalogi. tractat.3. cap.7. §.4. num.19.* Vel quando res, quæ venditur eſt notabiliter melior; nam taxa intelligitur de rebus ordinariæ bonitatis. Secus ſi res aliquantulum melior eſſet; nam tunc parum pro nihilo reputatur. Tamburinus, *ſuprà num.19.* Poſſet etiam venditor in hoc caſu, ſi res vendendæ eſſent ſeparabiles, ſeparare longè meliores ab aliis, & has vendere ſupra taxam, alias verò ſi maneant æquè bonæ, ac illæ, quæ venduntur ſecundum taxam, vendere juxta illam; ſecus ſi inferiores ſint; nam tunc debet illas minus vendere.

Poſſet etiã cum fructibus longe melioribus, quam illi qui ſecundum taxam venduntur, miſceri alios inferiores, ut tritico optimo, alium inferiorem, & vino generoſo, alium minus generoſum, & conflatum ſic æquale cæteris, quæ ſecundum taxam venduntur, juxta illam vendere; Imò poteſt tritico mundiſſimo avenam, & alia, quæ ſimul cum tritico naſci ſolent, ex induſtria miſceri, ut illud reddat æquale illi, quod ſecundum taxam venditur. Non tamen poteſt aquam vino generoſo miſceri, præſertim ſi vinum vendatur, ut ſervetur; nam tunc faciliter accreſceret cum damno emptoris. Secus ſi vinum ſtatim eſſet vendendum ad bibendum, etſi aquæ admixtum remaneret æquè bonum, ac illud quod ſecundum taxam venditur. Ita cum Lopez, Leſſio, & aliis, Lugo, *ſuprà d.26.n.66. 67. & 68.* An autem Eccleſiaſtici teneantur res ſuas vendere ſecundum taxam præſcriptam à magiſtratu ſæculari; Reſpondeo affirmativè. Ita Lugo, *ſup. n.77.* Tamburinus, *lib.8. Decalogi tract.3.c.7.§.5. num.5.*

Dico ſecundò: Pretium vulgare, ſeu arbitra- 817
rium, eſt quod conſtituitur ex communi hominum, etiam imprudentum æſtimatione, in ordine ad uſus humanos, ſecundum cujuſcumque Regionis mores. Hoc autem eſt triplex, ſummum, medium, & infimum, & intra latitudinem hujus pretij poſſunt contrahentes juſtè contrahere, modo uni cariùs, modo alteri vilius vendendo, quia dum latitudo juſti pretij non exceditur, non violatur juſtitia. Ita cum D. Thom. Leſſio, Soto, & aliis communiter Fagundez, *lib.5.cap.19.num.5.* Unde vendenti pretio infimo non licet recompentari contra emptorem; uſque ad ſupremum, nec ementi ſupremo, uſque ad infimum; poſtquam enim contractus eſt conſummatus, utrumque contrahentem obligat. Ita cum Molina, Fagund. *ſup.n.13.* Dixi etiam imprudentum, ſi quidem in pretio rerum, non debet attendi gentiũ imprudentia, ſed an res in tali Regione eo pretio æſtimentur; Indi namque pro tintinnabulo ſummam auri tribuunt, & tamen venditio non æſtimatur iniqua, quia apud illos barbaros, non pluris æſtimatur

matur aurum; ita communiter Doctores apud Lugum, *diſp. 26. ſect. 4. num. 5.*

818 Dico tertiò: ex multis cauſis pretium arbitrarium, eu naturale rerum augeri poteſt ſuper ſummum, & minui infra infimum. Prima ex abundantia, vel penuria rerum. Hinc fit quod in fine nundinarum, res minori pretio vendantur, quam in principio, quia ſuperſunt merces, & deficiunt emptores, & poſt victoriam, res vilius emuntur propter illorum abundantiam. Huc etiam reducitur novitas, & antiquitas rerum, quæ quia raritatem indicant, pretium augent, ut in fructibus novis, in imaginibus, & ſtatuis antiquis, ita cum Rebello, Fagundez, *lib.*

819 *5. c. 30. n. 2. & 7.* Secunda cauſa eſt, ex abundantia pecuniæ, ut patet in Indiis, ubi quia eſt multa argenti, aurique copia, carius res venduntur. Fagundez, *ſuprà num. 3.*

820 Tertia cauſa eſt ex parte ementium, & vendentium, quando enim emptores frequentes ſunt, carius merces venduntur, quam quando ſunt rari; Et idem dicendum eſt; quando multi ſunt venditores; nam tunc vileſcunt merces. Hinc pluris res venduntur in officinis, quam cum venditores per vicos, & domus quærunt emptores, & pluris, quando merces appetuntur, quam quando offeruntur; merces enim ultroneæ vileſcunt pro tertia parte, ut cum Molina, & aliis communiter tenet Fagundez *ſupr. n. 5.* Imò aliqui dicunt vileſcere pro medietate; ita cum Megala, Rebello, Bartolomæo à S. Fauſto, Diana, *p. 1. tr. 8. reſol. 23. 53. 77.* Hinc qui emit rogatus poteſt emere pro medietate juſti pretij, ut ſi res valet quatuor, poteſt emere duobus. Ita cum Palatio, Lugo, Diana, Tamburin. *lib. 8. Decalogi tract. 3. cap. 7. §. 4. n. 7.*

821 An autem exteris carius vendi poſſit, quam naturalibus? Reſpondeo negativè, niſi fortè ob multitudinem exterorum fortè accedentium merces rariores fiant, nam tunc augetur pretium, non ratione eorum, ſed ratione multitudinis ementium, & raritatis mercium, quo tempore eodem pretio merces naturalibus vendendæ ſunt; niſi fortè venditor exceſſum remittat, vel niſi fortè principes ſtatuant, quod intra pretium juſtum, infimum, & ſummum, non tamen ultra, naturalibus infimo, exteris verò ſummo pretio vendantur, eo quod naturales oneribus propriæ civitatis perpetuò ſubſunt. Ita cum Molina, Leſſio, Fagundze, Tamburinus, *ſup. n. 9.*

822 Quarta cauſa eſt ex modo vendendi, eædem enim res multo carius vendantur minutatim, quam in magna quantitate, nam vendere minutatim affert multa incommoda, & res ipſæ multò deficiunt. Ita cum Rebello, Fagundez *ſupr. num. 4.* Hinc fit, res ſub haſta vilius emi, quia emptoribus offeruntur, & ſimul venduntur; unde emi poſſunt eo pretio, quo ſine fraude emptor extorquere poteſt, etiam infra, vel ſuprà dimidium, quam res extra ſub haſtationem valeret, propter prædictam rationem. Ita cum Gord. Villalobos, Molina, & aliis Diana, *p. 3. tract. 4. reſol. 12.* Dixi ſine fraude, ſi enim emptor avertat per vim, vel fraudem, vel etiam per preces, alios emptores, vel ſi fictos offerentes ſupponat, vel tempus ineptum ad proclamationem, quando ſcilicet rara eſt ementium frequentia, eligit pretium, erit reſtituendum juxta probabile damnum, quod domino fit; ſi tamen quis roget amicos, ne ſupra certam ſummam offerant, ut ipſe poſſit emere pretio juſto infimo, non committit injuſtitiam, nec tenetur reſtituere. Ita cum multis Diana, *p. 1. tract. de contract. reſol. 76.* Tamburinus, *ſuprà num. 24.* Imò Caramuel *lib. 2. Theologiæ moralis num.* ... addit etiam pretio minori, quam infimo in prædicto caſu poſſe emere, quod tamen non admitto cum Tamburino, *ibi. n. 24.*

Quinta cauſa eſt neceſſitas, & utilitas mercis; 823
hæc enim ſi eſt communis, auget pretium, quia tunc erunt plures ementes. Secus quando neceſſitas, & utilitas eſt ſolum emptoris; nam tunc non auget pretium, alias poſſet vendi panis eſurienti centum aureis, quod iniquum eſt. Ita cum D. Thom. Molina, Rodriguez, & aliis communiter, Tamburinus, *ſup. num. 17.* Si verò neceſſitas, vel utilitas ſit ex parte venditoris, quia ſcilicet res vendenda neceſſaria, vel utilis eſt venditori, & tamen illam vendit in gratiam emptoris, tunc poteſt venditor pretium augere, privatio enim illius commoditatis eſt pretio æſtimabilis; debet autem hoc pretij augmentum ſuprà rigoroſum pretium prudentis arbitrio æſtimari, ſicut enim pro lucro ceſſante poteſt augeri pretium; ita pro damno emergenti, prudentis arbitrio, non eſt tamen neceſſe, quod hoc declaretur ementi, ut rectè notat Fagundez, *ſuprà num. 9.*

Sexta cauſa eſt, ratione expenſarum, pericula enim 824
& damna, & expenſæ venditorum communiter occurrentia in quærendis, & tranſportandis mercibus earum pretium augent. Econtra verò facilitas, & ſecuritas minuunt. Dixi communiter occurrentia; nam ex eo, quod unus mercator multum de ſuis mercibus in naufragio perdidit, non debet augeri pretium. Secus ſi damnum fuit commune multis mercatoribus; nam tunc ob raritatem mercium augebitur pretium. Ita cum Salas, & aliis Tamburinus, *ſuprà n. 11.* Fagundez *ſup. n. 12.* Huc etiam ſpectat, quando res pluris venduntur, eo quod venditor melior artifex apud omnes habetur ob majorem laborem, & ſcientiam in artefactis, & mercibus. Et ideò medici, & advocati inſignes carius vendunt operam, quam alij minus docti. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib. 2. tract. 9. d. 2. n. 42. & 43.*

SECTIO V.

An res exquiſitæ, & novæ, quæ non habent pretium legitimum, nec vulgare poſſint vendi, quanti contrahentes inter ſe conveniant?

SUMMARIUM.

825 *Res quæ non habent communem uſum ut gemmæ, falcones, &c. poſſunt vendi, quanti venditor potuerit.*

826 *Poteſt quis licitè pro ſimia accipere in pretium regnum, ſi Rex illud poſſit, & voluit dare in pretium ſimiæ.*

Dico primò: Res quæ non habent communem 825
uſum, ut gemmæ, canes, falcones, picturæ, ſtatuæ, cantus, ſaltatio, uſus mulieris, intereſſe comœdiis, &c. Poſſunt vendi quanti venditor potuerit. Ratio eſt, quia cum hæ res non habeant pretium, nec à lege, nec ab uſu fori, habent valorem ex mera voluntate mentis, & vendentis, juxta illud, in rebus quiſque eſt mediator, & arbiter. Quod ſi inferas, hinc ſequi poſſe aliquem pro ſimia accipere regnum. Reſpondeo hoc nihil 826
huic doctrinæ inficere; nam ſi donans in pretium ſimiæ regnum, ita vult, & poteſt, quia ſuum omnino eſt, nemini venditor facit injuriam; cenſetur enim emptor, exceſſum valoris illi liberaliter donare, & ſicut poterat illi, ut ſuppono, liberaliter donare regnum, multò melius poterit in pretium ſimiæ. Ita & benè Sotus, Ledeſma, Medina,

Medina, Salon, Valencia, Rodriguez, Toletus, Saa, Navar. quos refert, Palaus *de juſtitia d.5.p.3. n.2.* Tamb. *lib.8. tract.3. Decal.c.7.§.4. n.20.* quidquid cum aliis dicat Palaus *ibi n.3.* Lugo *d.26.n.47.*

SECTIO VI.

An ratione lucri ceſſantis, & domini emergentis poſſit venditor rem carius vendere quam pretio ſupremo vertenti valeat?

SUMMARIUM.

817 *Ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel periculi veri alicujus damni poteſt venditor aliquid augere ultra juſtum rei pretium.*
818 *Aliqua ad id debent conditiones adeſſe, & quales ſint?*
819 *Quoddam corollarium ponitur.*
830 *An menſe ſeptembris poſſit venditor determinare pretium tradendum menſe Maij?*
831 *Quadam corollaria ponuntur.*

817 DIco primo: Ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis aut periculi veri alicujus damni poteſt venditor aliquid exigere ultra juſtum rei pretium. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib.2. tract.9.d.3.num.54.* Fagund. *lib.5.de juſtitia cap.31.n.2.* Debent tamen quatuor omnino adeſſe
818 conditiones; prima ut revera ceſſet tale lucrum, & non ſit fictum, ſed certum, vel ſaltem probabile. Secunda, ut illud damnum vel ceſſatio lucri, ſequatur tanquam ex cauſa ex venditione, vel emptione; Tertia ut tale lucrum ceſſans, vel damnum emergens deducatur in pactum, ut ſciat qui plus dat, quam ob cauſam id ab eo exigitur; ut ſit illi voluntarium. Quarta, quod non exigatur totum intereſſe, quod ſperabatur, ſed quod deducantur labores, & expenſæ faciendæ, & periculum, aut impedimenta, quibus poſſet tale lucrum impediri arbitrio prudentis. Ita Decaſtillus. *ſup. num.55. uſque 58.*

819 Hinc fit, quod ſi quis ſervaturus erat triticum uſque ad menſem maij, in quo pluris valere conſuevit, poſſe illud nunc menſe ſeptembris in gratiam emptoris ei vendere, juxta pretium menſis maij, dummodo detrahat aliquid arbitrio prudentis, ratione cuſtodiæ, & periculi, quod ſubjacet ſervando. Decaſtillus *ſup. num.59.* & cum communi ſententia Fagund. *ſup. num.3.* Sed quid, ſi menſe maij fuerit varietas pretij? Reſpondeo tunc eligendum eſſe, quod majori parte illius viguit; quod ſi æque viguit ſummum, medium, & infimum; tunc ſumendum eſt medium, ſic enim neutra pars conqueri poteſt. Ita Tambur. *lib.8. Decalog. tract.3. c.7.§.1.n.4.*

830 An autem poſſit venditor nunc menſe ſeptembri determinare pretium tradendum menſe maj? Reſpondeo poſſe, ſi moraliter certum eſſet pretium quo tunc valiturum eſſet triticum, detracta tenuer æſtimatione cuſtodiæ, & periculi corruptioni, ſi tamen ſit dubium, quod pretium tunc habebit, tunc aſſignandum eſt illud, quod modo judicatur veroſimiliter futurum medium, inter plus, & minus pro illo tempore, detracto ſemper ex tali pretio æſtimatione cuſtodiæ, & periculi corruptionis; Ita cum aliis, Decaſtillus *tract.9.d.3.n.66.* Fagund. *lib.5.c.31.num.2.* Tamburin. *ſup.num.10.* Per quod ſolvitur ille caſus, quem affert Diana *p.10. tract.8. reſol.65.*

Secunda fit, poſſe venditorem, qui revera decreverat transferre merces v.g. Ulliſponem, ubi pluris valent, Conimbricæ exigere pretium, quod Ulliſpone habent, detractis expenſis, & periculo corruptionis; Decaſtillus *ſup.n.6.* 832

Item, qui rogatus emit, poteſt demere de pretio juſto, ut cum quis à paupere ſuam operam ſolo victu, quem præbet ne fame pereat emit. Ita cum Navarro, Sylveſtro, & aliis Decaſtillus *ſuprà numero 62.*

Adverte tamen Lucrum non ceſſare ex eo ſolum, quod res credito venditur, ſed debere adeſſe alios emptores, qui ſoluta pecunia emant; nam tunc ceſſaret negotiatio, cum tali pecunia. Ratio eſt, quia non eſt de eſſentia emptionis, vel venditionis, quod fiat numerata pecunia, ac proinde emens credita pecunia non eſt cauſa ceſſationis alicujus lucri, niſi quando eſſet alius qui ſtatim vellet illum ipſum emere numerata pecunia. Ita cum Molin. Corduba, Mercado, & aliis Decaſtillus *ſup. n.63.*

SECTIO VII.

Utrum Mercator, qui ſcit pretium mercium breviter minuendum, vel per leges, vel per multorum rerum abundantiam, poſſit ſuas, pretio currenti diſtrahere.

SUMMARIUM.

832 *Qui ſcit res inter paucos dies minoris valituras poteſt ſine injuſtitia hodie pretio currenti vendere ſuas, vel è contra?*
833 *Quid ſi ſit unus ex conſiliariis qui pretium taxavit, & ex induſtria diſtulit promulgationem legis, ut ipſe carius vendat?*
834 *Quid ſi aliquis ſcientem interroget, an taxa minuenda, vel valor monetæ augendus ſit, poteritne dicere neſcire ut interim res ſuas carius vendat?*
835 *An peccet in hoc caſu ſaltem contra charitatem?*

DIco primo: Qui ſcit res inter paucos dies, etiam unum, minoris valituras, poteſt ſine injuſtitia hodie pretio occurrenti majori vendere, & qui ſcit pluris valituras, poteſt hodie, currenti minori pretio emere, & hoc etiam ſi ſit princeps, ſi qui pretium taxavit, vel unus ex conſiliariis, qui pretium 832 833
impoſuere, dummodo ex induſtria non differant promulgationem legis, ut ipſi carius vendant, & dummodo non utantur fraudibus, ut ſi ſciens venturam abundantiam, ſpargant per amicos fore penuriam, vel ſciens librum prohibendum affirmat non eſſe prohibendum, unuſquiſque namque habet jus, ne per fraudes decipiatur. Ita cum Turriano, Corduba, Covar. Diana, Lugo, *de juſtitia d.26. n.140. & 143.* Tamburin. *lib.8. Decalog. tract.3. c.7. §.4. n.21.* Ratio autem eſt, quia tanti juſte res venditur, & emitur, quia tanti tunc valet, nec ſcientia debet ſcienti obeſſe.

Quid ſi aliquis ſcientem interroget, an taxa fru- 834
menti, vel valor monetæ augendus, vel minuendus ſit? poteſt dicere ſe neſcire, utendo æquivocatione, quia non tenetur cum ſuo damno veritatem hanc, quæ pertinent ad bonitatem, vel vitium extrinſecum rei aperire. Tamburin. *ſup. num.21.* An

835 autem in hoc caſu detur ſaltem peccatum contra charitatem ; Reſpondeo negative , poteſt enim quis licite rebus ſuis conſulere , etiam ſi damnum aliquod proximi obveniat , niſi forte ob id proximus à ſuo ſtatu notabiliter dimovendus eſſet , quod tamen rariſſimum eſt. Tamb. *ſup. n.* 23.

SECTIO VIII.

An fas ſit rem pluris credito , quam numerato pretio vendere ?

SUMMARIUM.

836 *Quando pretium non eſt lege taxatum , licitum eſt intra limites juſti pretij carius rem vendere dilata ſolutione , quam præſenti pecunia numerata.*

837 *Uſura eſt , ſi quis ob ſolam dilatam ſolutionem carius ſupremo juſta pretio vendat.*

838 *Quid ſi hoc fiat ratione periculi ne pretium ſolvatur , ſi vere periculum ſit ?*

839 *An vendens fundum credita pecunia poſſit pro eo tempore , quo pecunia non ſolvitur è campo fructus colligere non computando illos in ſortem ?*

840 *An ille contractus in quo quis dat pecuniam, & alter fundum, hac conditione, quod accipiens fundum ex eo fructus colligat , & accipiens pecuniam ea utatur , donec alterutter reddat acceptum ſit juſtus ?*

836 DIco primò : Quando pretium non eſt lege taxatum, licitum eſt intra limites juſti pretij carius rem vendere , dilata ſolutione , ſeu credito, quam ſi præſenti pecunia numerata venderetur: omne enim illud pretium cenſetur juſtum. In hoc conveniunt DD. apud Fagund. *lib. 5. c. 32. n. 2. de juſtitia*, quod à fortiori dicendum eſt de mercatore, nam hic ratione officij mercatoris , dummodo non excedat limites juſti pretij , poterit carius vendere, non ſolum credito , ſed etiam numerata pecunia, ut bene advertit Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 4. n. 13.* Non tamen poterit etiam credito ultra limites juſti pretij vendere , ea ſolum ratione , quia mercator eſt , ut bene advertit idem Tamb. *ſup. §. 6. n. 2.* quia eſſe mercatorem , non dat jus aliquod exigendi ſupra , ſed intra juſtum pretium.

837 Dico ſecundo : Uſura palliata eſt cum obligatione reſtituendi , ſi quis ob ſolam dilatam ſolutionem carius ſupremo pretio juſto vendat. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib. 5. juſtitia cap. 32. n. 3.* Ratio eſt quia merces non ſunt majoris valoris, eo quod expectetur illarum ſolutio. Tum quia in hac dilatione ſolutionis continetur implicitum mutuum , ſed pro mutuo aliquid recipere eſt uſura ergo &c.

838 Dixi ob ſolam dilatam ſolutionem , nam ratione periculi , ne pretium ſolvatur , ſi vere periculum ſit , aliquid poteſt exigere venditor quanti ſcilicet æſtimetur tale periculum arbitrio prudentis : debet tamen venditor emptori manifeſtare, ſe id recipere ratione periculi. Ita cum Mol. & aliis Tamb. *lib. 8. Decalog. cap. 7. §. 6. num. 3.* Fagund. *ſup. num. 8.* Secundo poteſt venditor aliquid exigere ſupra ſummum pretium , ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, quia id etiam licitum eſt in mutuo, debent tamen ſervari conditiones, quas ſectione præcedenti enumeravimus. Ita cum communi ſententia Tamb. *ſup. num. 4.* Fagund. *lib. 5. juſtitia cap. 32. n. 5.*

Sed quæres an vendens v.g. domum, vel campum credita pecunia , poſſit pro eo tempore , quo pecunia non ſolvitur , è tali domo , vel campo fructus colligere , non computando illos in ſortem principalem ! Reſpondeo, quod ſi venditio fuit abſoluta, nequaquam poſſe venditorem colligere pretium locationis domus , vel fructus campi , nam cum res per venditionem fiat abſolute emptoris, ſi pereat, ei perit, ergo ſi fructificat , ad eum pertinent fructus, alias ſolveret emptor penſionem ob dilationem ſolutionis , quod quidem uſura eſſet. Ita cum aliis Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 6. n. 15.* contra Mol. Sanch. Dianam, & alios, quos ibi refert: Secus dicendum exiſtimo , ſi domus, vel campus abſolute non venderentur, ſed locarentur, uſquequo pretium ſolveretur , & interim pro pretio locationis venditor exigeret pretium locationis domus , vel fructus campi ; nam tunc domus periret etiam venditori, ſi periret, & non emptori, ita & bene Tamb *ſup. n.* 14. Et idem dicendum eſt , ſi venditor venderet ſolum dominium directum rei , non vero utile, ut poteſt, nam tunc cum reſervet dominium utile , poterit fructus colligere , & hos fructus poſſet idem dominus locare emptori , pro tanta penſione annua, judicio prudentis , quam ſolvet deinceps emptor. Ita Lugo *d. 25. n. 140.* & cum aliis Tamb. *ſup. n. 15.* 839

An autem ille contractus , in quo quis dat , v.g. pecuniam , & alter domum, vel campum, hac conditione , quod accipiens campum, ex eo fructus colligat , & accipiens pecuniam, ea utatur donec alterutter reddat acceptum, ſit juſtus? Reſpondeo ex ea ſola ratione eſſe juſtum , quatenus accipiens fundum, vel domum recipit ex ea prædictum fructum ratione lucri ceſſantis , in pecunia , qua erat negotiaturus ; aliàs eſſet manifeſta uſura ; nam licet fundus, ſi pereat, pereat domino ſuo, non datur tamen alius titulus, quo tale lucrum ferri poſſet , cum pecunia ſit infructifera. Ita & bene Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 6. n. 16.* 840

SECTIO XI.

An ob anticipatam ſolutionem liceat merces minoris emere, quam numerata pecunia valeant ?

SUMMARIUM.

841 *Fas eſt vilius emere præcisè ob anticipatam ſolutionem.*

842 *Quid ſi interveniat lucrum ceſſans , vel damnum emergens , vel periculum non habendi rem emptam &c.*

843 *Quadam corollaria ponuntur.*

844 *Quomodo abſtrahendo à lucro ceſſante , vel damno emergenti, conſtituendum ſit pretium pro mercibus, quæ anticipato emuntur ?*

841 DIco primò: Fas eſt vilius emere præcisè ob anticipatam ſolutionem. Ratio eſt quia juſtum pretium rerum eſt illud , quo res valent tempore traditionis. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib. 5. de juſtitia c. 33. num. 1.* Tamburin. *lib. 8. Decaleg. tract. 3. c. 7. §. 7. num. 1.* Dixi præcisè ob anticipatam ſolutionem, nam ſi interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens , vel periculum, non habendi rem emptam , vel non habendi ſince- 842

ram,

ram, vel quid ſimile, ſervatis conditionibus quæ ſupra diximus, poterit aliquid proportionatum ultra accipi. ita cum communi Tamb. *ſup. n.* 1. Fagund. *ſup. n.* 2.

843 Et hinc deciditur illa celebris quæſtio de lanis in Hiſpania, & de frumento, vino, caleo, oleo, leguminibus, lerico, &c. quæ in aliquibus locis anticipatè emuntur multo minori pretio, quam valent tempore traditionis; nam ſi pretium determinetur prudentis arbitrio, juxta lucrum ceſſans emptoris ſtatim tradentis pretium, & damnum emergens, non comparandi merces, vel cum multo labore, & expenſis tempore determinato, ut ſæpe accidit, talis contractus proculdubio licitus erit, ex hac enim dilata ſolutione proveniunt etiam venditori magna commoda, ſiquidem pecunia anticipato accepta parat, quæ ſunt ſibi neceſſaria, ad eas lanas & fructus colligendos, ita & bene cum Soto, Corduba, Leſſio, & aliis Fagund. *lib. 5. juſtitia cap. 33. n. 8.* & cum Mol. Sanch. Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 7. n. 7.* contra Medinam, Lopez, Rebellum, & alios quos refert Fagund. *ibi n. 7.*

844 Si tamen quæras, quomodo abſtrahendo à lucro ceſſante, vel damno, vel prædicto periculo emergenti, conſtituendum ſit pretium pro mercibus, quæ anticipato emuntur? Reſpondeo poſſe fieri primo determinando nunc pretium, quo tempore traditionis mercis probabiliter res valitura eſt, vel ſi hoc ſciri probabiliter non poſſit, poterit conſtitui pretium ad prudentis arbitrium, non vero vendentis, vel ementis, vel poteſt nunc conſtitui pretium, quo tempore traditionis mercis frequentius curret, quod ſi eo tempore plura fuerint pretia, quod medium eligatur, vel poterit etiam conveniri, quod illud pretium detur, quod magiſtratus tempore conſignationis taxabit. Ita & bene Tamb. *ſup. n. 2. & 3.* & nos jam ſupra tetigimus.

SECTIO X.

An creditum, ſeu chirographum poſſit minoris emi numerata, ſeu anticipata pecunia?

SUMMARIUM.

845 *Si creditum, ſive maturum, ſive immaturum ſit, difficile, periculoſum, &c. licite poteſt minus emi juxta proportionem talium difficultatum?*

846 *Etiamſi nulla ſit difficultas, adhuc poſſunt minus vendi creditum, & chirographum numerata, ſeu anticipata pecunia.*

847 *Quædam corollaria ponuntur.*

845 Dico primo: Si creditum, ſive maturum, ſive immaturum ſit, difficile, periculoſum, litigioſum, vel cum expenſis exigendum, certum eſt poſſe licite minus emi juxta proportionem talium difficultatum, imò etiam iuxta temporis longitudinem, quia quo hæc productior eſt, eo plura pericula timentur, & eo magis emptor rogatur. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib. 2. de juſtitia tract. 10. d. 2. n. 419.* Ratio eſt, quia prædicta minuunt ſecundum communem æſtimationem rerum pretia, quod verum eſt, ſi quis facillime à Rege, vel ab eo, qui ſolvendus eſt chirographum, vel creditum, poſſet illud recuperare, propter amicitiam; amicitia namque cum tali creditore non debet ei nocere. Adverte tamen, quod ſi creditum eſt apud perſonam, quæ ſolvenda illud non eſt, non poſſe vendi, quia idiotaliter non eſt vendibile, cum nullam habeat æſtimationem intrinſecam.

846 Dico ſecundò: Etiam ſi nulla ſit difficultas in exigendis creditis, vel chirographis, quia ſunt certa, & tuta, adhuc poſſunt licite minoris vendi. Ita cum Panormitano, Caietan. Leſſio, Navarro, Bellarmin. Fag. *lib. 5. juſtitiæ c. 16. n. 11.* probabile putat cum Laym. Decaſtill. Tamb. *lib. 8. Decal. tr. 3. c. 7. §. 8. n. 2.* contra Mol. Sylveſt. Rebell. & alios, quos refert Fag *ſup. n. 13.* Ratio eſt, quia jura, ſeu credita minus æſtimantur communi æſtimatione, quam ipſa pecunia numerata; nam illa toto tempore, quo non ſolvuntur ſunt intrinſecè inutilia; Tum quia merces ultroneæ vileſcunt, ſaltem pro tertia parte; at communiter homines rogantur emere hujuſmodi credita, ergo emere illa poſſunt minoris ſaltem pro tertia parte, ut bene notat Fag. *ſup. num. 11.*

847 Hinc fit poſſe ipſum debitorem, qui in die S. Joannis ſoluturus eſt debitum contentum in chirographo, vel ſcriptura, illud nunc anticipato emere, ſolvendo illud, pro minori pretio, ſi creditor illud exponat venale, aut ab eo petat, ut illud à ſe emat; ſiquidem ipſe non debet pejoris conditionis ac alius tertius, Non poterit tamen non ſolvere tempore determinato, ut cogat creditorem ad vendendum, nec eſſe cauſa alicujus difficultatis, ut aliquando faciunt miniſtri regij, in quo inique agunt; vendunt namque id, ad quod removendi ipſi tenentur. Unde hæc doctrina ſolum habet locum, quando per debitorem, vel ejus miniſtrum non ſtat, quod contentum in chirographo ſolvatur, vel quando tempus ſolutionis non eſt completum. Ita & bene Fag. *ſup. n. 17. & c. 17. per totum*, Tamb. *ſup. n. 3.*

Secundò fit, Poſſe licite mercatores emere à Rege partem commercij Indici, vel Braſilici, ea lege ut in partem pretij ſolvendi Regi pro conductione accipiant debita, quæ ipſe Rex aliis creditoribus debet, & poſtea emere minori pretio ea debita regia à creditoribus, quæ tamen ipſi integra à Rege recipiunt, computando ea in partem pretij conductionis regi ſolvendi. Ita Lugo *de juſtitia d. 26. n. 103.* contra Mol. Tamb. *lib. 8. Decal. tr. 3. c. 7. §. 8. n. 6.* Ratio eſt, quia ipſi mercatores non ſunt cauſa dilationis talium debitorum; ſed ipſi miniſtri regij nec ex vi pacti facti cum rege conſtituuntur miniſtri regij ad ſolvenda ejus debita, ſed ſolum impetrant facultatem compenſandi partem pretij debiti, cum debitis aliis ipſi regij, unde ſicut poſſunt illa credita acquirere donatione gratuita creditorum, ita & emptione, vel alio contractu oneroſo; Et licet melius facerent, ſi prius debita à creditoribus minoris emerent, & poſtea à rege ea reciperent integra in partem pretij, ut vult Tamb. per hoc tamen, quod illa prius à Rege recipiant in partem pretij non nocent creditoribus, ſed potius gratiam eis faciunt, ſiquidem multi de ſuis debitis nihil forte reciperent, & hac via debita majori ex parte obtinere poſſunt. Ita bene Lugo *ſuprà.*

Tertiò fit Poſſe debitorem ſic debito immaturo convenire cum creditore, debeo tibi centum poſt annum, do tibi nunc 50. & 50. dabo poſt duos, vel tres annos. Ita cum Caramuël, Diana *p. 9. tr. 6. reſ. 14.* Tamb. *ſup. n. 8.* contra Navarr. Ratio eſt, quia vel hic intervenit extinctio veteris contractus, & celebratio novi contractus, vel perſeverat idem mutuum, ſed in neutro caſu datur uſura; nam ſi celebratur novus contractus, jam creditor accipit 50. & libere mutuat 50. per duos, vel tres annos, quod utique facere poteſt, ſi vero non datur novus contractus,

835 autem in hoc caſu detur ſaltem peccatum contra charitatem ; Reſpondeo negative, poteſt enim quis licite rebus ſuis conſulere, etiam ſi damnum aliquod proximi obveniat, niſi forte ob id proximus à ſuo ſtatu notabiliter dimovendus eſſet, quod tamen rariſſimum eſt. Tamb. *ſup. n.* 23.

SECTIO VIII.

An fas ſit rem pluris credito, quam numerato pretio vendere?

SUMMARIUM.

836 *Quando pretium non eſt lege taxatum, licitum eſt intra limites juſti pretij carius rem vendere dilata ſolutione, quam præſenti pecunia numerata.*

837 *Uſura eſt, ſi quis ob ſolam dilatam ſolutionem carius ſupremo juſto pretio vendat.*

838 *Quid ſi hoc fiat ratione periculi ne pretium ſolvatur, ſi vere periculum ſit?*

839 *An vendens fundum credita pecunia poſſit pro eo tempore, quo pecunia non ſolvitur è campo fructus colligere non computando illos in ſortem?*

840 *An ille contractus in quo quis dat pecuniam, & alter fundum, hac conditione, quod accipiens fundum ex eo fructus colligat, & accipiens pecuniam ea utatur, donec alteruter reddat acceptum ſit juſtus?*

836 DIco primò: Quando pretium non eſt lege taxatum, licitum eſt intra limites juſti pretij carius rem vendere, dilata ſolutione, ſeu credito, quam ſi præſenti pecunia numerata venderetur: omne enim illud pretium cenſetur juſtum. In hoc conveniunt DD. apud Fagund. *lib. 5. c. 32. n. 2. de juſtitia*, quod à fortiori dicendum eſt de mercatore, nam hic ratione officij mercatoris, dummodo non excedat limites juſti pretij, poterit carius vendere, non ſolum credito, ſed etiam numerata pecunia, ut bene advertit Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 4. n. 13.* Non tamen poterit etiam credito ultra limites juſti pretij vendere, ea ſolum ratione, quia mercator eſt, ut bene advertit idem Tamb. *ſup. §. 6. n. 2.* quia eſſe mercatorem, non dat jus aliquod exigendi ſupra, ſed intra juſtum pretium.

837 Dico ſecundo: Uſura palliata eſt cum obligatione reſtituendi, ſi quis ob ſolam dilatam ſolutionem carius ſupremo pretio juſto vendat. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib. 5. juſtitia cap. 32. n. 3.* Ratio eſt quia merces non ſunt majoris valoris, eo quod expectetur illarum ſolutio. Tum quia in hac dilatione ſolutionis continetur implicitum mutuum, ſed pro mutuo aliquid recipere eſt uſura ergo &c.

838 Dixi ob ſolam dilatam ſolutionem, nam ratione periculi, ne pretium ſolvatur, ſi vere periculum ſit, aliquid poteſt exigere venditor quanti ſcilicet æſtimetur tale periculum arbitrio prudentis: debet tamen venditor emptori manifeſtare, ſe id recipere ratione periculi. Ita cum Mol. & aliis Tamb. *lib. 8. Decalog. cap. 7. §. 6. num. 3.* Fagund. *ſup. num. 8.* Secundo poteſt venditor aliquid exigere ſupra ſummum pretium, ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, quia id etiam licitum eſt in mutuo, debent tamen ſervari conditiones, quas ſectione præcedenti enumeravimus. Ita cum communi ſententia Tamb. *ſup. num. 4.* Fagund. *lib. 5. juſtitia cap. 32. n. 5.*

Sed quæres an vendens v.g. domum, vel campum 839
credita pecunia, poſſit pro eo tempore, quo pecunia non ſolvitur, è tali domo, vel campo fructus colligere, non computando illos in ſortem principalem! Reſpondeo, quod ſi venditio fuit abſoluta, nequaquam poſſe venditorem colligere pretium locationis domus, vel fructus campi, nam cum res per venditionem fiat abſolute emptoris, ſi pereat, ei perit, ergo ſi fructificat, ad eum pertinent fructus, alias ſolveret emptor penſionem ob dilationem ſolutionis, quod quidem uſura eſſet. Ita cum aliis Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 6. n. 15.* contra Mol. Sanch. Dianam, & alios, quos ibi refert: Secus dicendum exiſtimo, ſi domus, vel campus abſolute non venderentur, ſed locarentur, uſquequo pretium ſolveretur, & interim pro pretio locationis venditor exigeret pretium locationis domus, vel fructus campi; nam tunc domus periret etiam venditori, ſi periret, & non emptori, ita & bene Tamb. *ſup. n.* 14. Et idem dicendum eſt, ſi venditor venderet ſolum dominium directum rei, non vero utile, ut poteſt, nam tunc cum reſervet dominium utile, poterit fructus colligere, & hos fructus poſſet idem dominus locare emptori, pro tanta penſione annua, judicio prudentis, quam ſolvet deinceps emptor. Ita Lugo *d. 25. n. 140.* & cum aliis Tamb. *ſuper. 15.*

An autem ille contractus, in quo quis dat, v.g. 840
pecuniam, & alter domum, vel campum, hac conditione, quod accipiens campum, ex eo fructus colligat, & accipiens pecuniam, ea utatur donec alteruter reddat acceptum, ſit juſtus? Reſpondeo ex ea ſola ratione eſſe juſtum, quatenus accipiens fundum, vel domum recipit ex ea prædictum fructum ratione lucri ceſſantis, in pecunia, qua erat negotiaturus; aliàs eſſet manifeſta uſura; nam licet fundus, ſi pereat, pereat domino ſuo, non datur tamen alius titulus, quo tale lucrum ferri poſſet, cum pecunia ſit infructifera. Ita & bene Tamb. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 6. n. 16.*

SECTIO XI.

An ob anticipatam ſolutionem liceat merces minoris emere, quam numerata pecunia valeant?

SUMMARIUM.

841 *Fas eſt vilius emere præcisè ob anticipatam ſolutionem.*

842 *Quid ſi interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel periculum non habendi rem emptam &c.*

843 *Quadam corollaria ponuntur.*

844 *Quomodo abſtrahendo à lucro ceſſante, vel damno emergenti, conſtituendum ſit pretium pro mercibus, qua anticipato emuntur?*

DIco primò: Fas eſt vilius emere præcisè ob 841
anticipatam ſolutionem. Ratio eſt quia juſtum pretium rerum eſt illud, quo res valent tempore traditionis. Ita cum communi ſententia Fagund. *lib. 5. de juſtitia c. 33. num. 1.* Tamburin. *lib. 8. Decalog. tract. 3. c. 7. §. 7. num. 1.* Dixi præcisè ob anticipatam ſolutionem, nam ſi interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel periculum, 842
non habendi rem emptam, vel non habendi ſince-

ram,

ram, vel quid ſimile, ſervatis conditionibus quæ ſupra diximus, poterit aliquid proportionatum ultra accipi. Ita cum communi Tamb. *ſup. n.* 1. Fagund. *ſup. n.* 2.

843 Et hinc deciditur illa celebris quæſtio de lanis in Hiſpania, & de frumento, vino, caſeo, oleo, leguminibus, lerico, &c. quæ in aliquibus locis anticipatè emuntur multo minori pretio, quam valent tempore traditionis; nam ſi pretium determinetur prudentis arbitrio, juxta lucrum ceſſans emptoris ſtatim tradentis pretium, & damnum emergens, non comparandi merces, vel cum multo labore, & expenſis tempore determinato, ut ſæpe accidit, talis contractus proculdubio licitus erit, ex hac enim dilata ſolutione proveniunt etiam venditori magna commoda, ſiquidem pecunia anticipato accepta parat, quæ ſunt ſibi neceſſaria, ad eas lanas & fructus colligendos, ita & bene cum Soto, Corduba, Leſſio, & aliis Fagund. *lib.* 5. *juſtitiæ cap.* 33. *n.* 8. & cum Mol. Sanch. Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *c.* 7. §. 7. *n.* 7. contra Medinam, Lopez, Rebellum, & alios quos refert Fagund. *ibi n.* 7.

844 Si tamen quæras, quomodo abſtrahendo à lucro ceſſante, vel damno, vel prædicto periculo emergenti, conſtituendum ſit pretium pro mercibus, quæ anticipato emuntur? Reſpondeo poſſe fieri primo determinando nunc pretium, quo tempore traditionis mercis probabiliter res valitura eſt, vel ſi hoc ſciri probabiliter non poſſit, poterit conſtitui pretium ad prudentis arbitrium, non vero vendentis, vel ementis, vel poteſt nunc conſtitui pretium, quo tempore traditionis mercis frequentius curret, quod ſi eo tempore plura fuerint pretia, quod medium eligatur, vel poterit etiam conveniri, quod illud pretium detur, quod magiſtratus tempore conſignationis taxabit. Ita & bene Tamb. *ſup. n.* 2. & 3. & nos jam ſupra tetigimus.

SECTIO X.

An creditum, ſeu chirographum poſſit minoris emi numerata, ſeu anticipata pecunia?

SUMMARIUM.

845 *Si creditum, ſive maturum, ſive immaturum ſit, difficile, periculoſum, &c. licite poteſt minus emi juxta proportionem talium difficultatum?*

846 *Etiamſi nulla ſit difficultas, adhuc poſſunt minus vendi creditum, & chirographum numerata, ſeu anticipata pecunia.*

847 *Quædam corollaria ponuntur.*

845 Dico primo: Si creditum, ſive maturum, ſive immaturum ſit, difficile, periculoſum, litigioſum, vel cum expenſis exigendum, certum eſt poſſe licite minus emi juxta proportionem talium difficultatum, imò etiam juxta temporis longitudinem, quia quo hæc productior eſt, eo plura pericula timentur, & eo magis emptor rogatur. Ita cum communi ſententia Decaſtillus *lib.* 2. *de juſtitia tract.* 10. *d.* 2. *n.* 419. Ratio eſt, quia prædicta minuunt ſecundum communem æſtimationem rerum pretia, quod verum eſt, ſi quis facillime à Rege, vel ab eo, qui ſolvendus eſt chirographum, vel creditum, poſſet illud recuperare, propter amicitiam; amicitia namque cum tali creditore non debet ei nocere.

Advertè tamen, quod ſi creditum eſt apud perſonam, quæ ſolvenda illud non eſt, non poſſe vendi, quia id moraliter non eſt vendibile, cum nullam habeat æſtimationem intrinſecam.

Dico ſecundò: Etiam ſi nulla ſit difficultas in exigendis creditis, vel chirographis, quia ſunt certa, & tuta, adhuc poſſunt licite minoris vendi. Ita cum Panormitano, Caietan. Leſſio, Navarro, Bellarmin. Fag. *lib.* 5. *juſtitiæ c.* 16. *n.* 11. probabile putat cum Laym. Decaſtill. Tamb. *lib.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 7. §. 8. *n.* 2. contra Mol. Sylveſt. Rebell. & alios, quos refert Fag *ſup. n.* 13. Ratio eſt, quia jura, ſeu credita minus æſtimantur communi æſtimatione, quam ipſa pecunia numerata; nam illa toto tempore, quo non ſolvuntur ſunt intrinſecè inutilia; Tum quia merces ultroneæ vileſcunt, ſaltem pro tertia parte; at communiter homines rogantur emere hujuſmodi credita, ergo emere illa poſſunt minoris ſaltem pro tertia parte, ut bene notat Fag. *ſup. num.* 11. 846

Hinc fit poſſe ipſum debitorem, qui in die S. Joannis ſoluturus eſt debitum contentum in chirographo, vel ſcriptura, illud nunc anticipato emere, ſolvendo illud, pro minori pretio, ſi creditor illud exponat venale, aut ab eo petat, ut illud à ſe emat; ſiquidem ipſe non debet pejoris conditionis ac alius tertius, Non poterit tamen non ſolvere tempore determinato, ut cogat creditorem ad vendendum, nec eſſe cauſa alicujus difficultatis, ut aliquando faciunt miniſtri regij, in quo inique agunt; vendunt namque id, ad quod removendi ipſi tenentur. Unde hæc doctrina ſolum habet locum, quando per debitorem, vel ejus miniſtrum non ſtat, quod contentum in chirographo ſolvatur, vel quando tempus ſolutionis non eſt completum. Ita & bene Fag. *ſup. n.* 17, & *c.* 17. *per totum*, Tamb. *ſup. n.* 3. 847

Secundò fit, Poſſe licite mercatores emere à Rege partem commercij Indici, vel Braſilici, ea lege ut in partem pretij ſolvendi Regi pro conductione accipiant debita, quæ ipſe Rex aliis creditoribus debet, & poſtea emere minori pretio ea debita regia à creditoribus, quæ tamen ipſi integra à Rege recipiunt, computando ea in partem pretij conductionis regi ſolvendi. Ita Lugo *de juſtitia d.* 26. *n.* 105. contra Mol. Tamb. *lib.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 7. §. 8. *n.* 6. Ratio eſt, quia ipſi mercatores non ſunt cauſa dilationis talium debitorum; ſed ipſi miniſtri regij necex vi pacti facti cum rege conſtituuntur miniſtri regij ad ſolvenda ejus debita, ſed ſolum impetrant facultatè compenſandi partem pretij debiti, cum debitis aliis ipſi regij, unde ſicut poſſunt illa credita acquirere donatione gratuita creditorum, ita & emptione, vel alio contractu oneroſo; Et licet melius facerent, ſi prius debita à creditoribus minoris emerent, & poſtea à rege ea reciperent integra in partem pretij, ut vult Tamb. per hoc tamen, quod illa prius à Rege recipiant in partem pretij non nocent creditoribus, ſed potius gratiam eis faciunt, ſiquidem multi de ſuis debitis nihil forte reciperent, & hac via debita majori ex parte obtinere poſſunt. Ita bene Lugo *ſuprà*.

Tertiò fit Poſſe debitorem ſic debito immaturo convenire cum creditore, debeo tibi centum poſt annum, do tibi nunc 50. & 50. dabo poſt duos, vel tres annos. Ita cum Caramuël, Diana *p.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 14. Tamb. *ſup. n.* 8. contra Navar. Ratio eſt, quia vel hic intervenit extinctio veteris contractus, & celebratio novi contractus, vel perſeverat idem mutuum, ſed in neutro caſu datur uſura; nam ſi celebratur novus contractus, jam creditor accipit 50. & libere mutuat 50. per duos, vel tres annos, quod utique facere poteſt, ſi vero non datur novus contractus,

uterque ſubit novum onus, nam creditor expectat triennium pro ſolutione. 50. debitor vero ſolvit. 50. ante tempus; unde hic non datur contractus mutui, ſed intervenit contractus innominatus: do gravamen meum, ut tu des gravamen tuum ergo &c.

SECTIO XI.

Utrum liceat carius vend re credito, ut ſtatim vilius numerato eidem ematur?

SUMMARIUM.

848 *In foro conſcientiæ licitum eſt vendere carius credito, ut ſtatim vilius eidem emptori ematur.*

849 *Quid ſi mercator cogat emptorem ad illi vilius vendendum numerato, quod carius ab eo credito empſit.*

850 *Quædam corollaria ponuntur.*

851 *Si dives à paupere emat boves, quos ſcit pauperem reipſa non habere, & ſtatim eos ei locet pro annua penſione, eſt uſura in utroque foro.*

852 *An dives poſſit emere ab Agricola penſionem annuam ſuper uno bove deſignato, dando ei quatuor aureos ea conditione, ut quotannis ſolvat ei conſuetam frumenti penſionem?*

848 Dico primò: In foro conſcientiæ licitum eſt vendere carius credito, ut ſtatim vilius numerato eidem emptori ematur, etiam ſi mercator nullo alio animo carius vendat, niſi ut mox vilius emat numerato, & etiam ſi Petrus v.g. manifeſtet mercatori ſe emere carius credito, ut eidem vendat vilius, modo hæc in pactum non deducantur, ſive implicitum, ſive explicitum, & modo
849 mercator id ſincero animo faciat, & modo non cogat emptorem ad illi vilius vendendum numerato, quod carius ab eo credito emit; Ratio eſt quia hic emptio, & venditio fuit intra limites juſti pretij, ut ſuppono, ergo cum emptori nullum onus ponatur, non eſt unde hic contractus appareat illicitus. Ita cum Leſſio, Tamb. *lib. 8. Decalog. c. 7. tract. 3. §. 7. n. 9.* Fag. *lib. 5. c. 34. n. 1. & 2.* Dixi in foro conſcientiæ, nam legibus Caſtellæ id prohibitum eſt *l. 22. tit. 15.* & in Ordinatione Luſitaniæ 4. *p. extravagantium*, ut refert Fagund. *ibi num. 1.*

850 Hinc fit, non eſſe uſuram, ſi agricola accedat ad divitem habentem boves, & ab eo emat duos boves rigoroſo pretio, credito tamen uſque ad annum, ſtatim agricola eidem diviti vendat eoſdem duos boves numerata pecunia pretio infimo numerato, poſtulans ab eo, ut dictos boves ei locet pro certa penſione; ſiquidem prædicta venditio, & emptio ſit intra terminos juſti pretij, & alter contractus elocationis etiam licitus eſt, etiam ſi in venditione facta ab agricola diviti deduceretur in pactum, dummodo propter hoc onus adjectum res minus valeat: ut bene cum Valaſco notat Fagund. *ſup. num. 15.* Aliter dicendum eſſet, ſi dives tales boves re ipſa non haberet, ſed fingeret habere; vel alienos imponeret; nam tunc eſſet palliata uſura, cum revera venditio bonum non præceſſerit, cum tales boves dives non haberet. Unde ceteri contractus etiam eſſent injuſti, & illiciti, ac per conſequens tenetur dives omne lucrum agricolæ reſtituere. Ita & bene cum Mol. Navarr. Sylveſtro, Rebello, & alij Fagund. *ſup. n. 6.*

Et idem dicendum eſt, ſi dives à paupere emit 851
boves, oves, equas, &c. quas ſcit pauperem re ipſa non habere, & ſtatim ea ei locat pro annua penſione: eſt enim mera uſura in utroque foro cum ex nihilo accipiat dives talem penſionem. Ita cum Sylveſtro Navarr. & aliis Fag. *ſup. n. 9.* Advertè tamen quod ſi dives bona fide credebat pauperem habere boves, vel equas, quas ei vendit, & propterea ea emit, & modo dicto ea ei elocavit, non teneri reſtituere penſiones, quas ſic bona fide accepit, nec id in quo factus eſt ditior, nec id quod apud ſe extat, ſi pecunia qua hæc animalia ficta emit, alia ab alio vera erat empturus; quia tunc ratione lucri ceſſantis poteſt id retinere. Secus ſi illa pecunia non erat alia animalia empturus; nam tunc tenetur reſtituere in quo factus eſt ditior: quia tunc non habet titulum lucri ceſſantis; imo comperta veritate, quod venditor talium animalium ea non habebat, non poteſt locator amplius penſionem locationis recipere; quia jam eſt conſtitutus in poſſeſſione malæ fidei, ut cum Sylveſtro, Navarr. & aliis Fag. *ſup. n. 10.* contra Molinam *tom. 2. d. 361. §. ſecundum eſt.*

An autem dives licite poſſit emere ab agricola 852
penſionem annuam ſuper uno bove deſignato v.g. dando ei quatuor aureos ea conditione, ut quotannis ei ſolvat conſuetam frumenti penſionem; Reſpondeo poſſe, ſi dives ſumat in ſe periculum bovis, ita ut ſi bos pereat caſu fortuito ſine culpa agricolæ, amittat pecuniam, & modo penſio ſit proportionata ad pretium & partem bovis quam emit, quia cum bos ſit frugiferus, omnes ejus partes frugiferæ ſunt, & talis contractus eſt vera emptio partis bovis. Ita Fag. *ſup. n. 14.* Aliter dicendum eſſet ſi periculum bovis pertineret ad agricolam: nam tunc non eſſet vera venditio, nec titulus accipiendi annuam penſionem. Et idem dicendum eſt, ſi quis in autumno centum arietes, vel oves pretio tunc communi numerato emeret, cum pacto ut uſque ad Junium ſerventur illæſæ, & fructus lactis, caſei, ad emptorem pertineant, periculum vero ad venditorem; propter eandem rationem, res enim fructifica, ſicut domino fructificat, ita domino periit: alias non præceſſit vera venditio, ſed palliata uſura, quoties enim periculum rei emptæ non cadit ſuper emptorem, ſed ſuper venditorem, contractus uſurarius eſt, ut bene advertit Fag. *ſup. n. 11. & 16. & 17.*

SECTIO XII.

An liceat vendere, & emere cum pacto retrovenditionis?

SUMMARIUM.

853 *Sive hoc pactum fiat in favorem venditoris, ſive in favorem emptoris, contractus de re immobili eſt licitus, ſive fiat tempore determinato, ſive indeterminato.*

854 *Quanto minoris valleat res, quæ cum hoc pacto venditur?*

855 *Quãdo pactum retrovenditionis, ſit in favorem emptoris, pretium juſtum debet eſſe maius.*

856 *Quando res cum hoc pacto retrovendendi fuit vendita, quanto deinde redimi debeat, pretio,*

ne, quo res fuit vendita, an quo valet tempore redemptionis?

857 *Idem quod dictum eſt de re immobili, dicendum eſt etiam de re mobili quacunque.*

853 DIco primò: Sive hoc pactum fiat in favorem venditoris, ut ſi quis vendat fundum ea lege, ut eo volente reſtituere pretium, emptor debeat reddere fundum, ſive in favorem emptoris, ut ſi quis vendat v.g. domum, ea lege, ut volente emptore reſtituere domum, vendens debeat reſtituere pretium, vel in favorem utriuſque, vel volente uno reddere pretium, alter reddat prædium, & volente alio reddere prædium, alter reddat pretium, contractus eſt licitus, ſive fiat tempore determinato, ſive indeterminato; poteſt enim in eo ſervari æqualitas, ſive ulla injuria ementis, vel vendentis ſi pretium rei, quo hoc pacto retrovenditionis venditur diminuatur, ſiquidem minus valet res, quæ cum hoc pacto, quam quæ abſolute venditur. Ita cum Mol. Leſſio, & aliis communiter Lugo, *d.26.num.184.* Fag. *lib.5.cap.43.* Tamburin. *lib.8. Decalog. tract.3.cap.7.§ 8.n.17.*

854 Sed quæres quanto minoris valeat res, quæ cum hoc pacto venditur? Reſpondeo ſecluſa lege id eſſe diſcernendum prudentis arbitrio omnibus circunſtantiis conſideratis, ut bene advertit cum Mol. Leſſ. & aliis Tamb. *ſup.n.9.* quamvis aliqui dicant, minoris valere pro tertia, vel quarta parte. Dixi ſecluſa lege, nam de jure Luſitano, res cum tali pacto vendi non poteſt minoris infra quartam partem, ut patet ex ordinatione Luſitana *lib.4.tit.4.n.1.* Hæc tamen lex debet intelligi de pretio rei conſideratæ, non in ſe, ſed in illo modo vendendi cum pacto retrovendendi, ut bene advertit cum Mol. Gama, Fag. *lib.5. c.43.n.10.* Unde ſi res ſine tali pacto valeret 100. & cum tali pacto 70. ſecundum legem Luſitanam poſſet vendi minoris uſque ad 52. quæ eſt quarta pars, non tamen infra, ſine uſura vide Fag. *ſup.n.9.& 10.*

855 Advertendum etiam eſt, quod quando pactum retrovendendi fit in favorem emptoris, ut quando quis vendit fundum alicui ea lege ut poſſit ab eo pretium recuperare, reſtituto illi fundo tunc pretium juſtum debet eſſe majus, eo quod venditor aſſumit onus reddendi pretium, quoties fundus fuerit ei traditus, ſine ulla deterioratione ut ſuppono, nam ſi ſit deterioratus in manu emptoris, talis deterioratio diminuenda eſt in pretio; quæ quidem proportio etiam ſervanda eſt, quando res venditur cum pacto retrovendendi in favorem utriuſque, nam tunc pretium debet eſſe aliquantulum majus, quam ſi ſolum venderetur cum pacto in favorem venditoris, & aliquantulum minus, quam ſi venderetur ſolum in gratiam emptoris ad arbitrium prudentis. Tambur. *ſup. num.25.& 26.*

856 Sed quæres, an quando res cum hoc pacto retrovendendi fuit vendita, quarto deinde debeat redimi, pretio ne quo res fuit empta, an quo valet tempore redemptionis? Reſpondeo, quod ſi præceſſit pactum in contractu, ut emptor teneatur eodem pretio revendere, quod pactum licitum eſt, ſi res deterior non eſt effecta, ut notat Leſſius, *lib.2.cap.21.d.14. num.115.* cum ſolum ſit pactum de reſcindendo priore illo contractu, tunc eodem pretio redimenda eſt; ſi tamen præceſſit pactum de retrovendendo eo pretio, quo valebit tempore redemptionis, ſub hoc pretio eſt redemptio celebranda: nam tunc fit novus contractus, ut bene advertit Leſſius, ibi, & novus contractus requirit pretium currens. Ita Tamb. *lib.8. Decalog. tract.3.cap.7.§ 8.num.20.* Si tamen nullum præceſſit pactum de pretio, ſed ſolum de retrovendendo; tunc redimenda eſt pretio currenti, propter eandem rationem. Tamburin. *ibi num.11.* Quod ſi fiat pactum, quod prædium retrovendatur pretio minori, quam ſit infimum, quo res valet, eſt iniquum, & non ſervandum. Tamb. *ibi num.22.*

Et id quod dictum eſt de re immobili, dicendum 857
etiam eſt de quacumque re mobili; licitè enim poteſt quis vendere equum, bovem, veſtem, &c. cum pacto retrovenditionis, dummodo talis res mobilis ſit venditoris, & non ſit aliena; nam ſi ſit aliena non poteſt ejus transferre dominium; ut benè advertit Tamburinus *ſupr. n.14.* de quodam qui libram ceream alienam vendebat cum pacto retrovendendi, & quod nullo modo alteri venderetur; nam licèt tale pactum etiam apponi poſſit in contractu, ut benè advertit Lugo, *d.26.n.190.* debet tamen quis eam conditionem apponere in re ſua, & non aliena, qualis erat illa libra cerei, ut advertit Tamburinus, *ibi.* Quando tamen res eſt venditoris, poteſt ſolum transferre dominium, reſervando ſibi jus in re ad retrovenditionem, ita ut domus vendita, v.gr. realem obligationem retineat; hoc tamen dependet ex intentione contrahentis, & in dubio credendum eſt ita factum eſſe, unde ſi emens domum, v. g. cum pacto retrovendendi eam alteri vendat domus tertio tranſit cum hac obligatione. Unde ſecundus emptor tenetur ſtare retrovenditioni, ſi à primo venditore res vendita petatur oblato pretio, ut benè advertit Lugo, *ſupr. n.190.* contra Fagundez *lib.5. cap.43. num.22.* Ubi dicit ſolum remanere priori venditori actionem perſonalem contra ſecundum venditorem, qui ei tenebatur de prædio empto retrovendendo. Sed ſententia Lugi magis mihi arridet. Si tamen quæras ad quem in prædictis tribus modis venditionis cum prædicto pacto retrovendendi, fructus immaturi pertineant, ad venditorem ne, an ad emptorem? Vide Fagund. *ſupra à num.12.* Lugum *d.26. ſect.14.*

SECTIO XIII.

An ille cui res vendenda traditur per decem poſſit ſibi aſſumere, id pro quo plus vendidit?

SUMMARIUM.

858 *Si commiſſarius, cui res vendenda traditur, illam ſupra juſtum pretium vendat, debet pretium emptori utpote decepto reſtituere.*

859 *Famulus, vel qui mercedem pro ſuo labore vendendi accepit, tenetur totum pretium juſtum, quod invenit reddere domino qui rem vendendam tradidit.*

860 *Si præceſſit pactum quod tanti venderet, & ſi quid plus inveniret ſibi retineret, certum eſt venditorem poſſe illud ſibi retinere.*

861 *In dubio quando proxinetæ aliquid vendendum traditur, aſſignato pretio, & non promiſſo alio ſtipendio ſui laboris, cenſetur hujuſmodi pactum.*

862 *An amicus, qui gratis rem ſuſcepit vendendam, poſſit recipere id, quod correſpondet ſuo labori, etiam ſi expreſsè dixiſſet gratis ſe velle rem traditam vendere?*

DIco primò: Si commiſſarius, cui res vendenda 858
traditur, illam ſupra juſtum pretium vendat, debet pretium emptori, utpote decepto reſtituere, &

non domino rei venditæ; hoc certum eſt apud omnes. Si vero eſt famulus, vel mercedem pro ſuo labore vendendi accipit; tenetur pretium totum juſtum, quod invenit reddere domino, qui rem vendendam tradidit, nam cum vendiderit, non ſuo, ſed alterius nomine, non poteſt partem pretij ſibi acquirere;
859 quod verum eſt, & ſi dominus ei determinaſſet pretium inferius, nam dominus determinavit pretium, ne minoris venderet, non quod illi concederet reliquum. Lugo *d.16.n.* 250. contra Angelum, verbo emptio, qui putat id eſſe fructum ſuæ induſtriæ, cujus ſententiam exiſtimat probabilem Buſembau *lib.3.tract.5.cap.3.dub.8. num.* 13.

860 Dico ſecundò: Si præceſſit pactum, quod tanti venderet, & quod ſi plus inveniret ſibi retineret, certum eſt illud poſſe retinere, & in dubio, quando proxinetæ aliquid traditur vendendum aſſignato pretio,
861 & non promiſſo alio ſtipendio ſui laboris, cenſetur hujuſmodi pactum. Lugo *ſup.n.*150. Et idem dicendum eſt, quando proxineta majorem ſolito diligentiam adhibuit, ut ſi rem in alium locum adſportavit, dummodo non ſumat majus pretium, quam illud quod pro ſuo labore meretur. Fag. *c.* 16.*n.*9. Et idem dicendum eſt, ſi commiſſarius rem ſibi pretio aſſignato à domino emat, eo quod non inveniat, qui plus daret, & poſtea eam pluris vendat, quam intentionem ſemper cenſendus eſt habuiſſe commiſſarius, quoties voluit exceſſum illum retinere, quod tamen facilè colligere poteſt ab eo confeſſario, interrogando an ſi tunc eo tempore res periret, ipſe tradendus eſſet pretium aſſignatum domino, nam ſi talem animum non habuit, non habuit animum emendi, cum emens deberet periculum ſortis ſuper ſe ſuſcipere. Et idem proportionaliter dicendum eſt de miniſtro, cui committitur ut aliquã rem tanti emat, propter eaſdem rationes, ut bene advertit Lugo *ſup.n.*151. & 152.

862 An autem amicus, qui gratis rem ſuſcipit vendendam, poſſit recipere id, quod correſpondit ſuo labori, quem adhibuit prædictam rem vendendo, etiamſi expreſsè dixiſſet ſe gratis velle rem vendere, vel emere? Reſpondeo poſſe juſte, non tamen fideliter, quia mendax eſſet. Ita cum Fagund. Tamb. *lib.*8. *Decalog. tr.*3.*c.*7.§.9.*n.*6. quidquid dicat Mol. *tom.*2.*d.*163. Excipe niſi dominus alium amicum facilè inveniret, qui ſine tali ſtipendio rem illam venderet. Ita Fag. *lib.*5.*c.*16.*n.*6. Tamb. *lib.*8. *Decal. tr.*3.*c.*7.§.9.*n.*6. Et idem dicendum eſt de ſartore, cui aliquis commiſit, ut emeret pannum ad conficiendam veſtem, & facta diligentia in aliis officinis non invenit ulnam, niſi viginti argenteis, ſi enim aliquis mercator, eo quod ejus officinam frequentat, det illi ulnam pro 19. argenteis, poteſt retinere illud unum argenteum, quia illud non accipit ab emptore, ſed à venditore, eo quod ejus officinam frequentat; ut bene advertit Lugo *ſup.n.*153. & cum Filliuc. Diana *p.*1.*tr.*8. *reſol.*26. Buſembau *lib.*3.*tr.*5.*cap.*3.*dub.*8.*n.*14. contra Salas. Suppono enim, ut dixi in aliis officinis non invenire ulnam, niſi pro viginti argenteis, & hoc etiam pretio mercatorem illum ſolere ulnam aliis, non ita ejus officinam frequentantibus, vendere, ut bene advertit Tamb. *ſup.* §. 10. *num.* 1.

SECTIO XIV.

De deceptionibus occurrentibus in venditione, & emptione.

SUMMARIUM.

863 *Qui vendens rem ſuam pro ea accepit minus pretium quam valeat, in foro externo non datur actio, niſi defectus, vel exceſſus ſit ultra, vel infra dimidium.*

864 *In foro conſcientiæ debet reſtitui illud, quod ultra, vel infra juſtum pretium accipitur.*

865 *Qui alicui vendit rem quam alteri jam vendiderat, ſi res non eſt tradita ſecundo emptori, tenetur venditor priori emptori tradere.*

866 *Si res tradita ſit ſecundo emptori hic, aliquibus caſibus exceptis, antefertur primo emptori.*

867 *Referuntur caſus, in quibus primus emptor anteponitur ſecundo emptori, licet res ſit poſteriori tradita.*

868 *Qui rem libere vendit juſto pretio infimo, non poteſt aliquid detrahere de pondere, & menſura.*

869 *Quoties in venditione tacetur vitium notabile, quo cognito emptor non emiſſet, ſive dolus fuerit in ſubſtantia, ſive in qualitate, ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo ex contrahentibus, vel eo ſciente contractus in utroque foro eſt nullus.*

870 *Quid ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo tertio, contrahentibus neſcientibus, & ſit tantum in qualitate, & non in ſubſtantia contractus?*

871 *Quando vitium quod tacetur in venditione non eſt notabile, neque reddit rem minus utilem ad uſum ad quem res ipſa emitur contractus non eſt invalidus.*

872 *Ponuntur quædam corollaria.*

873 *Venditor non tenetur per ſe loquendo manifeſtare emptori vitium latens.*

874 *Venditor interrogatus de vitiis occultis rei tenetur illa manifeſtare.*

875 *Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei validus eſt, debet tamen vel reſcindi contractus, vel reddi ad æqualitatem.*

876 *Si venditor vendit rem pretioſam, quæ communiter reputatur vilis, ſi emptor poſt emptionem inveniat eſſe pretioſam, non tenetur aliquid venditori reſtituere.*

877 *Quid ſi ante venditionem cognoviſſet eſſe pretioſam?*

878 *Quid ſi res ipſa, neque quoad ſubſtantiam cognoſcitur, nec videtur, ut in faſce lignorum adſit confuſa herba pretioſa?*

879 *Emptor qui reſtituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum debet reſtituere fructus rei venditæ medio tempore collectos, deductis expenſis.*

DIco primo: Quando quis vendens rem ſuam pro ea accipit minus pretium, quam valeat, vel minus quam valeat emit, ipſi in foro externo non datur actio, ſi non ſit defectus, vel exceſſus ultra, vel infra dimidium, ut ſi res valeat viginti, & ipſe vendat novem, leges enim civiles ad reſecandas lites id ita ſtatuerunt. In foro tamen conſcientiæ, debet reſtitui omne illud, quod ultra, vel 864
infra juſtum pretium accipitur, cum ejus fructibus fortè perceptis, nemini enim licet in conſcientia proximum, nec in obolo quidem decipere. Ita cum communi ſententia Lugo *tom.*2.*d.*26.*ſect.*6. & cum aliis Palaus *d.*5.*de juſtitia p.*16.§.2. *num.*3. Bardi *in ſelectis fol.*37. contra Eſcobar *in tribus tractatibus ſelectiſſimis tract.*1.*de utroque foro art.*5.*num.*36.

Dico ſecundò: Si quis alicui vendat rem, quam 865
alteri jam ante vendiderat, ſi res non eſt tradita

ſecundo

ſecundo emptori, tenetur venditor priori emptori tradere; quia qui prior eſt tempore, potior eſt jure;
866 ſi tamen res tradita ſit ſecundo emptori, hic aliquibus caſibus exceptis, antefertur primo emptori, quia traditio dominium transfert. Vnde primo emptori tantum remanet actio perſonalis contra venditorem, non tamen realis in ipſam rem venditam; tenebiturque venditor omnia damna ſolvere priori emptori, & punietur pœna falſi, etſi præceſſit juramentum erit perjurus. Dixi aliquibus caſibus exceptis, nam in aliquibus caſibus primus emptor anteponitur ſe-
867 cundo emptori, licet res ſit poſteriori tradita; primo quando prior jam ſolvit pretium. 2. Quando præceſſit pactum de non vendenda re alteri, vel ipſa res eſt data in pignus ipſi emptori. 3. Quando in prima venditione eſt appoſita clauſula conſtituti, hoc eſt, quando venditor conſtituit ſe nomine emptoris rem illam poſſidere. 4. Quando prior emptor eſt Eccleſia, vel locus pius. 5. Quando ſecundus emptor emit mala fide, hoc eſt, ſciens rem alteri eſſe venditam. Ita Fagund. *lib. 6. cap.* 36. Mol. *d.* 532. *&* 569. & alij communiter.

868 Dico tertio: Qui rem libere vendit infimo pretio, juſto tamen, non poteſt aliquid detrahere de pondere, & menſura; alias non ſtaret contractui. Ita cum communi ſententia Baſæus, *verbo venditio n.* 13. Dixi libere, Nam ſi quis nollet vendere rem ſuam, niſi pretio ſummo, ad quod jus habet, & ab emptore cogeretur injuſte, ut pretio infimo venderet, vel ementes ex malitia convenirent, ſolvere minus quam res valet, & ipſe propter coactionem non poſſet ſe à venditione retrahere; tunc poſſet mercator ſe indemnem ſervare aliquid diminuendo de pondere, & menſura, uſque ad juſtum pretium; ut cum Salas, & aliis notat Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tr.* 3. *cap.* 7. §. 11. *n.* 4. *&* 5. Baſæus *verbo venditio. n.* 13. Hinc fit multoties venditorem non peccare, nec teneri ad reſtitutionem, qui vino generoſo immiſcet aquam, ita ut illud reddat æqualis bonitatis, ac illud quod ab aliis eodem pretio venditur, etiamſi id non manifeſtet emptori; in hoc enim nullam injuriam, aut damnum infert emptori; ſuppono enim emptorem non emere tale vinum ad ſervandum, ſed ad ſtatim bibendum, ut ſupra diximus. Ita cum Regin. Filliuc. Baſæus, *ſup. n.* 13.

Dixi multoties, nam ſi venditor de induſtria immiſceat aquam vino, & propterea illud vili pretio vendat, ut emptores ad eum confluant, & non ad alios mercatores, peccabit equidem, & tenebitur reſtituere aliis mercatoribus, quando prudenti arbitrio eorum intereſt hoc illius ſtratagema; quilibet enim habet jus, ne per vim, vel fraudem à ſuo lucro deturbetur; ſed alij mercatores per iſtius fraudem develluntur ab ipſorum ſperato lucro; ergo: hoc tamen peccatum, & onus reſtitutionis non contraheret, qui ſolum decreſceret in pretio ſui vini puri, nam tunc ſine fraude, & bonis artibus ad ſe emptores alliceret, & per accidens ab aliis emptoribus averteret. Ita Bardi *lib. 1. ſelec. quæſt. 2. ſect. 1. num.* 14. Lugo *d.* 26. *num.* 135. Diana *p.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 80.

869 Dico quarto: Quoties in venditione tacetur vitium, hoc eſt, defectus notabilis, quo cognito emptor non emiſſet, ſive dolus fuerit in ſubſtantia, ut cum pro auro venditur aurichalcum, vel cum vino miſcetur aqua; ſive in quantitate ut quando non ſervatur debitum pondus, vel menſura; vel in qualitate, ut cum venditur equus claudus, pro ſano; ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo ex contrahentibus, vel eo ſciente, contractus in utroque foro eſt nullus, adeſtque obligatio reſtituendi damna, & in foro externo datur actio redhibitoria ad rehabendum pretium, & reſtituendam rem acceptam; imo decepto datur optio ſtandi contractui, ſi velit, cum compenſatione ejus, in quo læſus fuit. Secus dicendum eſt, quando emptor etiamſi ſciret talem defectum, adhuc contraheret, ſed non tanto pretio; nam tunc contractus eſt validus in utroque foro, tenetur tamen decipiens reducere contractum ad æqualitatem, & omnia damna decepto reſarcire. Ratio in utroque caſu eſt, quia in primo caſu, error & dolus dedit cauſam contractui, nam ſi emptor talem defectum ſciret, nunquam talem rem emeret, ſed ubi deficit conſenſus deficit contractus; ergo. In ſecundo vero dolus ſolum incidit contractui, hoc eſt, adhuc illo non obſtante, deceptus contraheret, ſed non tanto pretio; ſed ubi datur conſenſus, contractus eſt validus; ergo ſolum tenebitur decipiens ad reducendum contractum ad æqualitatem. Ita cum communi ſententia Baſæus, *verbo venditio num.* 14. Tamburinus *lib.* 8. *Decalog. tract. 3. cap.* 7. §. 11. *num.* 15. *&* 18.

Dixi, ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo ex contra- 870
hentibus, vel eo ſciente, nam ſi fuit appoſitus ab alio tertio, eis neſcientibus, & ſit tantum in qualitate, & non in ſubſtantia contractus, in utroque foro eſt validus, quidquid in contrarium dicat in foro conſcientiæ Conradus, quem refert Fagund. *lib. 5. c.* 42. *n.* 17. datur tamen actio decepto, ut poſſit agere contra tertium decipientem, tum de damno, tum de dolo; non tamen datur facultas decepto relinquendi contractum, ſed ſolum petendi ſupplementum pretij, ſi quod fuit. Ratio autem eſt, quia omnes implicite ſe intendunt obligare, quoties ipſi contrahentes non participant de dolo; alias ſemper homines poſſent dicere ſe deceptos fuiſſe, & ſi ſciviſſent non eſſe contracturos. Secus dicendum, quando deceptio fuit circa ſubſtantiam, vel circa materiam contractus; quia in hoc caſu non præſumitur conſenſus. Ita cum aliis Lugo *d.* 22. *de juſtitia n.* 93. Tamb. *ſup. n.* 19.

Dico quintò: Quando vitium quod reticetur in 871
venditione non eſt notabile abſolute, neque reddit rem minus utilem ad uſum, ad quem res ipſa emitur, etiam ſi venditor præſumat, fore ut emptor non emeret, aut non tanto pretio, ſi vitium cognoſceret, contractus non eſt invalidus, nec injuſtus. Ita cum Reginald. & aliis Baſæus, *verbo venditio. num.* 15. & cum Mol. Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 3. *cap.* 7. §. 11. *num.* 28. Nam cum non ſileatur vitium contractui noxium, non eſt unde contractus irritetur; tantum tamen de pretio detrahendum eſt, quantum minus valet res cum eo vitio, monendus ergo eſt de tali vitio emptor poſt contractum, ſi emptor aliis venditurus eſt; alioquin fieri poteſt, ut emptor eandem rem pluris vendat, quam valet, credens omni vitio carere; contractus etiam in hoc caſu eſſet nullus, ſi emptor exprimeret actualiter, & explicite, ſe tantum velle conditionaliter emere, ſi talis conditio, & circunſtantia ſubſiſtat, & non aliter; tunc enim conditione non ſubſiſtente, contractus etiam non ſubſiſtit. Baſæus *ſup. num.* 15. Tamburinus *lib.* 8. *Decalog. tract. 3. cap.* 7 §. 11. *num.* 121.

Hinc fit, Pharmacopolas vendentes quid pro quo, 872
ne in ipſorum officinis aliqua deeſſe emptores conquerantur, aliquando non peccare, nec teneri ad reſtitutionem; aliquando ita. Si enim certo ſint, quod res quas pro aliis ſupponunt eiſdem prorſus virtutibus pollent, omni culpa carent, dum unum pro alio tradunt; ſi quidē ſunt ejuſdem qualitatis, & ejuſdem fere ſubſtantiæ; unde non tenētur ad reſtitutionē, niſi fortè id, quod pro alio tradunt, minus valeat, quā medicamentū petitum, nam tunc exceſſus debet reſtitui. Secus ſi talem certitudinē non habeant, nā tunc emētem decipiūt, dando aliam ſubſtantiā ab expetita, & accipiunt pretium certum pro medicamento incerto,

&c

SECTIO XV.

De fraudibus ex monopoliis.

SUMMARIUM.

880 *Quid ſit monopolium deſcribitur.*
881 *Quando Princeps concedit alicui privilegium ut ipſe ſolus vendat tale genus mercium, tale monopolium ſi fiat juſta cauſa, & juſtum pretium conſtituatur licitum eſt.*
882 *Quæ cauſa ad hoc monopolium erit juſta?*
883 *Quando venditores conſpirant, ut non niſi certo pretio vendant, ſi pretium illud ſit juſtum pretium ſummum peccat contra juſtitiam cum onere reſtitutionis.*
884 *Quid dicendum quando unus, vel duo emunt omnes merces, ipſique ſoli eas vendunt eo, quo pretio volunt, ſicque inducunt notabilem inopiam, & caritatem?*
885 *Quid ſi quis vi, vel fraude impediat ne major mercium copia aliunde aſportetur, ut maneat caritas in republica?*

880 DIco primò: monopolium propriè dicitur, cum unus, vel pauci curant, ut venditio, vel emptio aliquarum mercium ad ipſos ſolos reducatur, ut alij omnes ab ipſis, quo ipſi pretio voluerint emere cogantur. Ita Lugo *d. 26. n. 190.* 881 Baſæus, *verbo venditio, num. 24.* Contingit autem multipliciter. Primò quando Princeps concedit alicui privilegium, ut ſolum ipſe tale genus mercium introducere, vel vendere poſſit, quod quidem cum cauſa poteſt Princeps licitè concedere, dummodo pretium juſte conſtituatur, vel à Principe, ſi res ſint ad victum neceſſariæ, vel arbitrio privilegiati, ſi ſint ad ornatum, vel delicias, ut benè advertit Leſſius, *lib. 2. cap. 21. num. 149.*

882 Cauſa autem erit ſemper bonum publicum, quando ſcilicet Princeps indiget pecuniis ad bellum, vel quando ſi tale privilegium aliquibus non concederetur, non eſſet qui tales res in rempublicam introduceret; quapropter conceditur Bibliopolis, ut intra decem annos librum imprimant, quia ſi tale privilegium eis non concederetur, reſpublica illis careret. Vel tandem quando ob benemerita alicujus officialis, aliquam novam artem invenientis, id ei conceditur, ut ſic alij alliciantur ad novas artes. In his tamen caſibus, ſi quid Princeps pro tali privilegio accipit, tenetur in bonum publicum conſumere: nam cum poſitis prædictis cauſis teneatur ex officio ob bonum publicum concedere tale privilegium, non poteſt aliquid pro illius conceſſione accipere, quia nemo accipere poteſt pretium pro illo quod ex juſtitia tenetur efficere. Ita & benè Tamburinus, *lib. 8. Decalogi, tract. 3. cap. 8. §. 12. num. 4.* Lugo, *ſupr. num. 171.*

883 Dico ſecundò: ſecundo contingit monopolium, quando venditores conſpirant, ut non niſi certo pretio vendant, atque hoc pacto emptores coguntur ad emendum illo pretio, quo caſu certum eſt, ſi pretium illud in quo conveniunt ſit ſupra pretium juſtum ſummum, peccare contra juſtitiam cum onere reſtitutionis. Et idem dicendum eſt, ſi aliqui mercatores minis, vel dolo impedirent alios ne minori pretio vendant. Si tamen conſpirent in pretio juſto ſummo, tunc nec peccant contra juſtitiam, nec tenentur ad reſtitutionem; peccabunt tamen contra charitatem, vel juſtitiam legalem. Ita cum Molina, Leſſio, Veiga, Aragonio, Lugo, *ſupra num. 172.* Et idem quod diximus de conventione ne infra tale pretium vendant, dicendum eſt de conventione qua mercatores conſpirant, ne ultra pretium infimum emant à dominis mercium; quod maximè locum habere poteſt, quando aliquid ſibi haſta venditur, ut cum aliis notat Diana, *tomo 1. tractat. de contractibus, reſolut. 76.* Lugo, *ſuprà num. 175.* Adverte tamen quod quandoque mercatores conveniunt non vendere merces, niſi pretio rigoroſo, emptores poſſe convenire contra monopolium venditorum, ut non emant niſi pretio juſto, viliori; utuntur enim jure ſuo, ut ſeipſos ſervent indemnes, ab emptoribus tamen deſiſtendum eſt ab hujuſmodi monopolio, ſtatim ac venditores ceſſarunt à ſuo. Ita Baſæus, *ſupr. num. 24.*

Dico tertiò: tertiò contingit monopolium, 884
quando unus, vel duo, aut tres emunt omnes merces, ipſique ſoli eas vendunt, eo quo pretio volunt, ſicque inducunt notabilem inopiam, & caritatem, quo caſu ſi res vendant pretio juſto etiam ſummo, quod quidem erit, non quod ex conventione reſultat nolentium vendere, niſi tali pretio, ſed quod ſecluſa ea conventione eſſet pretium juſtum, attenta quantitate rei venalis, & frequentia majori, vel minori emptorum, non peccabunt contra juſtitiam, nec tenebuntur ad reſtitutionem, benè tamen contra charitatem, & juſtitiam legalem, ut rectè cum Molina, Leſſio, Lugo, Tamburinus, *ſuprà num. 11.* contra Medinam, Sylveſtrum, Angelum, & alios, quos refert, Lugo, *ſuprà num. 177.* Ratio prioris eſt, quia juſto pretio emunt, & juſto pretio vendunt. Poſterioris verò eſt, quia ſic faciliùs inducitur penuria in civitate contra bonum publicum. A tali tamen peccato contra charitatem erit etiam immunis, qui ſine conventione cum aliis, ſibi dictas omnes merces emeret, pretio tamen juſto currenti, ad eas poſteà pretio ſummo juſto, modo dicto, vendendas, ſecluſa lege poſitiva, quia ſibi providere quilibet poteſt in ſuis negotiationibus per ſuam diligentiam. Ita Lugo, *ſuprà n. 178.* Tamburinus, *ſuprà num. 13.*

Dico quartò: ultimus monopolij modus eſt, ſi 885
quis vi, vel fraude impediat, ne major mercium copia aliunde aſportetur, ut maneat caritas in republica, & hoc eſt peccatum contra juſtitiam commutativam, cum obligatione reſtitutionis, ut ex ſe patet. Qui tamen abſque vi, vel fraudibus, ſolis precibus, vel ſuaſionibus, curat mercatores abire, non peccat contra juſtitiam commutativam, quia non fecit illis injuriam, benè tamen peccabit contra charitatem, juxta ſuperius dicta. Ita & benè Tamburinus, *ſuprà num. 18. & 19.* Et eadem ratione excuſantur ab injuſtitia mercatores transferentes triticum. Verbi gratia, extra territorium, cum enim triticum ſit ſuum, poſſunt de illo diſponere, ut voluerint; ſi tamen fiat cum conventione aliorum erit contra charitatem, quia ſic faciliter inducitur penuria in civitate; erit etiam contra legem, ſi fortè detur; hæc tamen non obligat ſub mortali, niſi quando aſportatione mercium grave damnum infertur territorio. Ita & benè cum Reginaldo, Bonacina, Tamburinus, *ſupr. num. 26.*

DISPVTATIO XVIII.

De Cenſibus.

SECTIO I.

Quid ſit cenſus, & quotuplex, & quid contractus ſenſualis?

SVMMARIVM.

886 *Nomen cenſus quomodo hic accipiatur.*
887 *Ponitur cenſus definitio.*
888 *Cenſus aliquando ſumitur pro contractu ex quo reſultat jus ad exigendum cenſum ex una parte, & obligatio cenſualis ex altera.*
889 *Contractus cenſualis alius eſt conſignativus, alius reſignativus, & quid uterque ſit.*
890 *Cenſus alius eſt fructiferus, alius pecuniarius, & quid uterque ſignificet?*

886 DIco primò: nomen cenſus variè ſumitur ut videre eſt apud Molinam, *tom. 2. diſ. 381.* Sed hic ſumitur pro jure, quod quis obtinet
887 in re alterius; unde cenſus eſt jus percipiendi certam annuam penſionem ex re utili, & fructifera alterius, ſive emptio ſit in pecunia, ſive in fructibus. Dicitur jus, quia cenſus non eſt ipſa penſio, (quamvis pro ea ſæpè uſurpetur,) ſed jus quoddam ad exigendum quotannis certam penſionem cum obligatione in altero ſolvendi; unde non emitur penſio, nec fructus, ſed jus in penſionem, & fructus. Dicitur ad percipiendum annuam penſionem, quia per hoc tempus, (quamvis per longius non repugnet fieri) ſolet ſolvi penſio, id eſt reditus. Dicitur ex re utili, & fructifera alterius, quia ſi res ſit ſterilis, ita ut fructum ferre non poſſit, non poteſt ſubjici cenſui; alterius verò quia nemo ex re ſua percipit cenſum. Is autem qui ſe obligat ad penſionem ſolvendam, dicitur cenſuarius; is verò qui jus habet percipiendi penſionem, dicitur cenſualiſta. Ita cum communi ſententia Baſæus, *verbo cenſus, num. 1.* Trullenc. *lib. 7. cap. 21. dub. 1. num. 2.* Decaſtillus, *lib. 2. tract. 11. d. 1. à n. 2.*

888 Dico ſecundò: cenſus aliquando etiam ſumitur pro contractu, ex quo reſultat hoc jus ex una parte, & obligatio cenſualis ex alia; & dicitur contractus cenſualis qui duplex eſt; conſignativus, &
889 reſervativus; reſervativus eſt contractus, quo quis transfert rem ſuam in alterum, quoad dominium directum, vel utile, reſervata ſibi annua penſione quotannis ſolvenda. *l. ultima. Cod. de rerum permutat.* conſignativus eſt contractus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam penſionem ſuper rebus ſuis, aut ſuper perſona, aut ſuper utroque. Unde triplex eſt, realis, perſonalis, & mixtus; realis fundatur in re ipſa, ut in fundo, vinea, vel domo, perſonalis verò in perſona, non præcisè ratione perſonæ, ut ſic, ſed quatenus talis perſona poteſt aliquid acquirere labore, vel induſtria. Mixtus verò, fundatur ſuper re, & perſona, ita ut ſi res pereat, perſona maneat adſtricta, & obligata ad ſolvendam penſionem.

890 Rurſus cenſus alius eſt fructiferus, hoc eſt, quo quis ſe obligat ad ſolvendos certos fructus, alius pecuniarius, quo ſe obligat ad ſolvendam certam pecuniam. Deinde quilibet iſtorum, alius eſt perpetuus, alius temporalis: perpetuus eſt iſte, qui conſtituitur ad ſolvendos redditus in perpetuum & appellatur irredimibilis, ſi emptor nolit ipſum redimi; temporalis eſt ille, qui non conſtituitur ad perpetuos redditus, & redimi poteſt à cenſuario pretio accepto, quamvis cenſualiſta repugnet; imò temporalis aliquando eſt vitalitius, ut ſi conſtituatur ad exigendam penſionem, quamdiu alter, vel uterque vixerit; aliquando non vitalitius, ut ſi conſtituatur ad decem annos, vel plures. Legatur Molina, *d. 385.* Toletus, *lib. 5. cap 43.* Reginaldus, *lib. 25. num. 43.* Valencia, *tom. 3. d. 5. quæſt. 21. p. 1.* Rebello, *lib. 10. quæſt. 3.* & alij communiter.

SECTIO II.

An cenſus tam realis, perſonalis, quam mixtus, ſit licitus?

SUMMARIUM.

891 *Cenſus tam realis, quam pecuniarius, tam perpetuus, quam temporalis, etiam vitalitius, ſi juſto pretio fiat licitus eſt.*
892 *Licitus eſt cenſus realis cum pacto redimendi ex parte creditoris.*
893 *Probabile eſt cenſum utrique redimibilem licitum eſſe.*
894 *Probabile eſt cenſum perſonalem, tam irredimibilem, quam ſolum ex parte venditoris redimibilem ure naturali, non tamen poſitivo licitum eſſe.*
895 *Cenſus perſonalis utrinque redimibilis non improbabiliter tolerari poteſt.*
896 *Cenſum utrique redimibilem, præſertim realem pacto aſſecurationis probabile eſt, licere.*
897 *Uſura eſt cenſum realem, vel perſonalem cum perſona non habente reditus annuos, ſive ex fundo, ſive propria induſtria.*

SVppono non eſſe ſermonem in præſenti de cenſu reſervativo, ſed ſolum de cenſu conſignativo reali, perſonali, & mixto, quamvis fortè aliqua de reſervativo dicentur. His ſuppoſitis,

Dico primò: cenſus realis, tam pecuniarius, quam 891
fructiferus, & tam perpetuus, quam temporalis, etiam vitalitius, eo pretio emptus, quod vel lex taxavit, vel loci conſuetudo approbavit, juſtus, & licitus eſt. Ratio eſt, quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt illicitum eſſe, concurrentibus debitis conditionibus; emitur enim jus pretio æſtimabile juſto pretio, ut ſupponimus. Et ita conſtat *ex conſtitutionibus Martini V. Calixti III. & Pij V.* Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib. 2. tract. 11. diſp. 1. num. 36.*

Dico ſecundò: Licitus eſt cenſus realis, cum 892
pacto redimendi ex parte venditoris. Ratio eſt, quia omnes aliæ venditiones ſub conditione redemptionis, præſertim ad arbitrium venditoris (in qua re nulla eſt ſuſpicio, vel præſumptio uſuræ,) ſunt licitæ, ut colligitur *ex l. 2. Cod. de pactis inter empt. & vendit.* ergo etiam venditio cenſus, cum hujuſmodi pacta licita eſt. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib. 2. tract. 11. d. 1. num. 37.* Trullenc. *lib. 7. cap. 21. Decalogi. dub. 6. num. 1.*

Dico tertiò: probabile eſt cenſum utrinque re- 893
dimibilem licitum eſſe. Ita Gabriel, Medina, Conrad. Valencia, Leſſio, quos refert, & ſequitur Decaſtillus, *ſupr. num. 38.* Diana, *p. 3. tract. 5. reſol. 75.* ubi alios citat Trullenc. *lib. 7. cap. 21. dub. 6. num. 2.*

contra

contra Covarruv. Canifium, & alios. Ratio eſt, quia ubicumque ſervatur natura venditionis, & emptionis, neque contractus tranſit in mutuum, nulla poteſt eſſe uſura, ſed in hoc caſu ſervatur natura emptionis, & venditionis, in aliis enim emptionibus poteſt apponi pactum redimendi ad arbitrium utriuſque; ergo etiam in emptione cenſus. Debet tamen majus pretium ſolvi in cenſu utrinque redimibili, quam in redimibili ex parte ſolius vendentis, & cum Medina, Valentia, Leſſio, notat Decaſtillus, *ſupr. num.* 41. Siquidem obligatio, quæ remanet emptori revendendi ad arbitrium venditoris pretio æſtimabilis eſt; ideóque in partem pretij computanda. Adverte tamen, quod licèt hæc ſententia ſit probabilis, nunquam tamen conſulenda eſt ante factum, propter maximum periculum uſuræ, ſaltem in foro externo, ſed ſolum poſt factum in foro conſcientiæ, ſi abſit periculum uſuræ tolerandum. Ita cum prædictis Doctoribus Decaſtil- *ſupr. num.* 42

894 Dico quartò: probabile eſt cenſum perſonalem, tam irredimibilem, quam ſolum ex parte venditoris redimibilem, jure naturali, (non tamen poſitivo, juxta conſtitutionem Pij V.) licitum eſſe. Ita Abbas, Ierſon, Major, Gabriel, Soto, Conradus, Covarruvias, Medina, Binsfeld, Felicianus, de Solis, Gail. Leſſius, Salas; Boninſignius, Valentia, Reginaldus, Bannez, Gomez, quos refert, & ſequitur Decaſtillus, *ſuprà n.* 43. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 2. *num.* 3. contra Navarrum, Angelum, Molinam, & alios. Ratio eſt, quia cenſus perſonalis eſt jus percipiendi reditus annuos ex perſonæ lucris emptione comparatum; ſed nemo negare poteſt ſuper induſtria perſonæ conſtitui poſſe obligationem ſolvendi partem aliquam lucrorum annuorum; decimæ enim perſonales conſtituuntur, *cap. Apoſtolicæ, cap. Paſtoralis de decimis*, ergo &c.

895 Dico quintò: cenſus perſonalis utrinque redimibilis non improbabiliter tolerari poteſt; ſubeſt tamen maximo periculo uſurariæ intentionis. Ita cum Medina, Valentia, Maldero, Leſſio, Layman, Decaſtillus, *ſuprà num.* 49. contra communem ſententiam. Ratio eſt, quia in aliis emptionibus adjici poteſt pactum redimendi, aut revendendi ad arbitrium utriuſque, venditoris ſcilicet, & temporis, ut æqualitas inter utrumque ſervetur; ergo idem dici poteſt in emptione, & venditione cenſus perſonalis. Imò adverte poſſe etiam cenſum redimibilem inſtitui non redimibilem abſolutè, ſed ad certum tempus, putà ad decennium, ita tunc poſſit redimi, & non poſtea. Ita cum Gabriele, Soto, Decaſtillus, *ſuprà num.* 50. & è contra, ut intra decennium non liceat redimere, liceat autem poſteà ut benè cum Medina, Leſſio, & aliis, Decaſtillus, *ſupr. n.* 50. & cum aliis Trullenc, *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 5. *n.* 1.

896 Dico ſextò, cenſum utrinque redimibilem, præſertim realem, adjuncto pacto aſſecurationis, probabile eſt licere; quamvis etiam ſubſit periculo uſurariæ intentionis. Ita cum Medina, Valentia, Leſſio, Maldero, Layman, Decaſtillus *ſupr. n.* 51. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 21. *dub.* 7. *num.* 1. Ratio eſt quia in aliis contractibus, ut commodato, depoſito, mutuo, quorum natura ex ſe petit, ut periculum ſpectet ad commodantem, deponentem, mutuatarium, poteſt adjici pactum, ut rei commodatæ periculum ad commodatarium ſpectet, rei depoſitæ ad depoſitarium, rei mutuatæ ad mutuantem, ergo etiam huic contractui cenſuali adnecti poteſt pactum aſſecurationis, itaut ſi res ſuper quam cenſus fundatur pereat, in damnum ſolius venditoris pereat.

Dico ſeptimò: uſura eſt cenſum realem, vel 897
perſonalem juncto pacto aſſecurationis conſtituere, aut conſtitutum continuare cum perſona non habente reditus annuos, ſive ex fundo; ſive propria induſtria. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſupr. num.* 63. ut cum aliis Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi. cap.* 21. *dub.* 7. *num.* 1. Ratio eſt; quia hoc nihil aliud eſt, quam mutuum cum pacto, ut præter ſortem annuam aliquod ſolvatur ſub nomine emptionis, ſive cenſus; emitur enim jus ad lucrum, & reditus, qui re ipſa non ſunt; ſed hoc illicitum, & uſuratium eſt; eſt enim emere jus ad nihil; ergo, &c.

SECTIO III.

Quæ conditiones jure naturæ requirantur ad contractum cenſualem?

SUMMARIUM.

898 *Prima conditio de jure naturæ eſt, ut adſit intentio emendi, & vendendi.*
899 *Secunda conditio eſt ut fiat juſto pretio.*
900 *Tertia conditio eſt ut periculum rei ſuper quam cenſus conſtituitur pertineat ad emptorem.*
901 *Quarta conditio eſt ut cenſus ſit ſuper re aliqua libera.*
902 *Aliqua corollaria proponuntur.*
903 *Quinta conditio eſt, quod fundetur cenſus in re frugifera.*

DIco primò: prima conditio de jure naturæ re- 898
quiſita ſecluſa conſtitutione Pij V. ad hoc, ut contractus cenſualis ſit licitus, eſt ut adſit intentio emendi, & vendendi; tota enim vis, & obligatio contractuum dependet ex voluntate, & intentione contrahentium; quod intellige, ſi hujuſmodi cenſus conſtituatur altero emente, & vendente altero; nam jus percipiendi partem fructus, ſeu redituum, etiam donatione, & legato, & ſimilibus contractibus, inſtitui poteſt, ut notat Layman, *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 3.

Dico ſecundò: ſecunda conditio eſt, ut ſit juſto 899
pretio; tanti enim res emi debet, quanti valet. Hoc autem pretium juſtum Prudentum arbitrio, vel lege præſcribi debet, habita ratione cæterarum circunſtantiarum, ſicut in emptione, & venditione. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 11. *d.* 1. *num.* 15. Tertia conditio eſt, ut peri- 900
culum rei, ſuper quam cenſus conſtituitur, pertineat ad emptorem, ut ſi citra culpam domini res pereat, totus cenſus corruat; quod ſi ob ſterilitatem, aliudve infortunium, non eos fructus ferat, qui ſufficiant penſioni integræ, ſatis eſt partem penſionis perdere, niſi fortè antecedentium, & ſequentium annorum fertilitas compenſet, & ideò ſolent cenſualiſtæ ſibi conſulentes cenſum ſuper fundo uno, vel pluribus fertilibus, & opulentis, omninóque ſecuris collocare. Ratio autem eſt, quia pereunte re, fructus periere. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſuprà num.* 17. Hinc ſit minori pretio emi poſſe cenſum temporalem, quam ſit cumulus penſionum, ſicut enim minori pretio emitur perpetuus, licitè etiam emitur temporalis. Decaſtillus, *ibi. num.* 18. Vnde pretium cenſus temporalis eſt tertia, vel quarta pars, minus quam alioquin valeret, ſi abſolutè emeretur. Ita cum communi ſententia Decaſtill. *ſup. n.* 19.

Dico tertiò: quarta conditio eſt, ut cenſus ſit 901
ſuper

ſuper re aliqua libera, id eſt, cujus liberam habeat conſtituens cenſum diſponendi facultatem; nemo
902 enim poteſt alteri dare quod non habet. Hinc fit rem alienam non poſſe ſubjici cenſui, abſque conſenſu domini, benè tamen de illius conſenſu. Salas *dub.* 31. & cum Molina, & aliis Decaſtillus, *ſupr. num.* 26. Poteſt tamen cenſus ab uno emptus vendi alteri; Hic enim poteſtatem habet jus ſuum transferendi in alterum. Secundò fit, eum qui emit cenſum credens, aut dubitans rem eſſe alienam, non poſſe exigere penſionem uſque dum conſtet rem non eſſe alienam, poteſt tamen repetere pretium collatum à venditore. Ita cum Reginaldo, Navarro, & aliis Decaſtillus, *ſuprà n.* 21. 22. & 23. Si tamen venditor omninò ignorabat rem eſſe alienam, in tantum poteſt exigere penſionem, quamdiu durat hæc ignorantia. Imò venditor tenetur ad damna, & intereſſe cum emptor qui bona fide emit non teneatur ob delictum alterius pati damnum, unde venditor tenetur de evictione. Ita Molina, *d.* 394. Leſſius, *cap.* 22. *dub.* 22. Salas *dub.* 17. *num.* 2. & alij.

Tertiò fit, non poſſe ponere ſecundum cenſum in eodem fundo abſque conſenſu prioris, bene tamen de illius conſenſu, ſi fundus ſit capax illius; ſecus ſi non ſit. Ita cum Azor. Navarra, & aliis Decaſtillus, *ſup. n.* 29. Quartò fit, non poſſe maritum conſtituere cenſum in fundo dotali abſque uxoris conſenſu. Ita cum Azorio, Rebello, Decaſtillus, *ſup. n.* 30. Nec Clericus ſuper beneficio. Ita cum Riccio, Decaſtillus, *ſupr. num.* 31. Nec in beneficij fructibus; quia hi non ſunt res frugifera, vel immobilis. Ita cum Azorio, Virgineo, Decaſtillus, *ſuprà num.* 31. Nec feudatarius, vel emphyteuta in feudo, vel emphyteuſi. Ita cum Azorio, Decaſtillus, *ſuprà num.* 32.

903 Dico quartò: quinta conditio eſt, quod fundetur cenſus in re frugifera, & quod ſi res cenſita pereat, aut fiat ſterilis abſque culpa cenſuarij, ceſſet cenſus ad ratam in damnum cenſualiſtæ, & quod ſi onus imponatur, ad quod extra naturam contractus, non teneantur contrahentes, niſi debitè compenſetur Decaſtillus, *ſuprà num.* 34.

SECTIO IV.

Quæ conditiones jure poſitivo, maximè ex Bulla Pij V. requirantur, ut cenſus licitus ſit, & validus?

SVMMARIVM.

904 *An Bulla Pij V. recepta ſit in Luſitania, vel aliis regnis?*

905 *Prima conditio Bullæ eſt, ut cenſus non conſtituatur niſi ſuper re immobili natura ſua frugifera, & certis finibus deſignata.*

906 *Non poteſt conſtitui cenſus ſuper re quæ facta eſt omnino ſterilis.*

907 *An cenſus vitalitius ſit licitus ſtante Bulla Pij V.*

908 *Secunda conditio eſt ut non celebretur hic contractus, niſi numerata pecunia in actu celebrationis inſtrumenti coram Notario, & teſtibus.*

909 *Valet cenſus, ſi Petrus qui debet centum Franciſco vendat eidem cenſum valentem centum, & accepto preſto ſtatim ſolvat ei centum accepta.*

910 *An qui emit cenſum minori pretio, quam valeat, poſſit illius integram penſionem accipere?*

911 *Tertia conditio eſt ne penſiones anticipatæ deducantur in pactum.*

912 *Quarta conditio eſt ne venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non obligatur.*

913 *An quando domus combuſta fuit, & iterum readificata ſolvendus ſit cenſus antea poſitus ſuper ipſam domum.*

914 *Penſio ſolvenda eſt juxta conſuetudinem, vel pactum, quod ſi nec conſuetudo, nec pactum detur, ſolvenda eſt in fine anni.*

915 *Quinta conditio eſt, ne fiat pactum reſtringens libertatem alienandi rei cenſui ſubjectam, & ne fiat pactum ſolvendi cenſori laudemium.*

916 *Sexta conditio eſt, ut dominus rei cenſitæ volens eam vendere, admoneat cenſitorem ut poſſit ſi velit eam emere.*

917 *Quid ſi cenſuarius non admonito cenſualiſta rem vendidit?*

918 *Septima conditio eſt, ne fiat pactum quod cenſuarius exiens in mora, aut non ſolvens penſionem conſtitutò tempore teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, vel admittendam rem cenſitam.*

919 *Octava conditio eſt, ne cenſus antea conſtitutus augeatur ex penſionibus jam debitis non ſolutis.*

920 *Nona conditio eſt, ut ſemper liberum ſit cenſuario redimere cenſum reddito eodem pretio non obſtante quavis præſcriptione.*

921 *Si cenſuarius voluerit caſum redimere, debet admonere cenſitorem per duos menſes, antequam redimat.*

922 *Ad redemptionem cenſus non eſt neceſſarium, ut fiat numerata pecunia.*

923 *Decima conditio eſt, ut cenſuarius non cogatur ad redimendum cenſum.*

924 *Undecima conditio eſt ut pretium ſemel conſtitutum non poſſit augeri, vel minui, ſed æquale pretium reddendum ſit.*

925 *Ubi Bulla Pij V. recepta eſt, his conditionibus deficientibus, contractus eſt irritus.*

Dico primò: Plures venditiones requiruntur 904
in Bulla Pij V. quæ incipit, cum onus, quas ſigillatim explicare oportet, cum hujuſmodi Bulla recepta ſit in Luſitania, ut teſtatur Rebellus 2. *p. lib.* 10. *quæſt.* 6. *in principio*, quamvis recepta non ſit in Belgio, Gallia, Germania, Sicilia, & Hiſpania, nec in Italia, ut teſtatur Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 21. *dub.* 3. *num.* 19. Quamvis etiam de eo, quod ait Rebellus receptam eſſe in Luſitania, etiam dubitem, cum videam ſæpè in pluribus, non obſervari in hoc Regno, unde ſaltem in totum exiſtimo non eſſe receptam; ſed quidquid ſit de hoc, de quo videant juriſperiti, ſtando in ſententia Rebelli; à qua pro nunc nolo recedere.

Dico ſecundò: prima conditio Bullæ eſt, ut cen- 905
ſus non conſtituatur, niſi ſuper re immobili natura ſua frugifera, & certis finibus deſignata, per quam clauſulam excluduntur omnes cenſus perſonales; poteſt tamen cenſus conſtitui ſuper plures res immobiles, modo certis finibus deſignentur. Non poteſt tamen cenſus conſtitui ſuper omnibus bonis præſentibus, & futuris in generali; ſed debet res certa deſignari una, vel plures, ut ſilva, ager, vinea, &c. dummodo talis res ſit frugifera,

frugifera, hoc eſt ferens fructus ſufficientes ad ſolvendam penſionem, deductis expenſis. Non eſt tamen neceſſe ut ſemper ferat fructus naturales, ſed ſufficit, ut ferat reditus ſufficientes ad ſolvendam penſionem. Vnde ſuper domibus, molendinis, ſalinis, poteſt inſtitui cenſus. Nec eſt neceſſe, ut fructus ſint ejuſdem ſpeciei; poteſt enim in olivero conſtitui cenſus ſolvendus in vino. Nec eſt neceſſe, ut res cenſita ſingulis annis ferat fructum, ſufficit ut ſit ita frugifera, ut præteritas, & futuras penſiones ſit ſufficiens ad ſolvendum. Ita cum Rebello, Salas, Leſſio, & aliis Decaſtillus, *ſuprà à num. 89. uſque 96.*

906 Non poteſt tamen inſtitui cenſus ſuper re, quæ jam facta eſt ſterilis omnino, nec ſuper domo, quæ ob aliquod impedimentum extrinſecum, v.g. ob inclementiam cæli, locari non poteſt Decaſtillus, *ibi num. 98. & 99.* Excluduntur etiam bona mobilia. Non tamen excluditur facultas fundandi cenſum ſuper vectigalibus, aut ſuper alio cenſu, ſive redimibili, ſive irredimibili: nam hæ res habentur pro immobilibus. Ita cum Navarro, Tuſco, Molina, Valentia, Salas, Virgin. Rodriguez, Decaſtillus, *lib. 2. tr. 11. d. 1. n. 70.* Non poteſt tamen fundari cenſus in jure ad exigenda debita, quæ non ſunt cenſus, quia id debitum non computatur inter immobilia, ſuper tamen jure ad exigenda debita immobilia fundari poteſt. Decaſtillus, *ſuprà num. 72. & 73.* Adverte tamen, quod ſi pereat cenſus, ſuper quo alius fundatur, petire ſecundum cenſum. Ita cum Leſſio Decaſtillus, *ſuprà num. 81.*

907 An autem cenſus vitalitius, ſit licitus ſtante Bulla Pij V. Reſpondeo affirmative. Nec obſtat quod Bulla Pij V. præcipiat, quod cenſus fundetur ſuper re immobili; nam ibi ſolum vult excludere cenſus perſonales, non vero contractus mere fortuitos, qualis eſt cenſus vitalitius. Rebellus, *lib. 10. quæſt. ultima num. 11.* Decaſtillus, *ſuprà num. 84.* Si tamen quæras, quomodo taxandum ſit pretium cenſus? Reſpondeo ſtandum eſſe legi ſi detur, vel conſuetudini Regionis, Decaſtillus, *ſuprà n. 87.* An autem cenſus vitalitius, ſemel conſtitutus, redimi poſſit à cenſuario, ita ut non teneatur amplius ad penſionem ſolvendam? Reſpondeo poſſe ex mutuo conſenſu, juſto pretio intercedente: nam res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Ita cum Gomez, Decaſtillus, *ſuprà num. 9.*

908 Dico tertiò: ſecunda conditio bullæ eſt, ut non celebretur hic contractus, niſi numerata pecunia in actu celebrationis inſtrumenti, coram notario, & teſtibus. Vnde juxta hanc conditionem, non ſufficit, ſi pars pretij ſolvatur ante conſtitutionem inſtrumenti. Molina, *d. 390.* Salas, *dub. 8. num. 10. & dub. 31.* Nec ut computentur debita in pretium. Nec quod cenſuarius fateatur ſibi ſolutum eſſe, quamvis non ſit improbabile oppoſitum, ut tenet Reginaldus, Leſſius, & alij, quos refert Decaſtillus, *ſuprà num. 103.* Rebellus, *quæſt. ultima. num. 1.* Salas, *dub. 7. num. 10.* Imò quoad hoc, aiunt plures, Bullam non eſſe uſu receptam, & ſic video in hoc Luſitaniæ Regno practicari. Non ſufficit tamen loco pecuniæ dari æquivalentem in pretio, ut torquem aureum, gemmas, &c. cum bulla expreſſe dicat, ut pecunia ſolvatur. Ita cum Salas, Molina, Rebello, & aliis, Decaſtillus, *ſuprà num. 104.* contra Navarrum. Nec ſufficit quod in actu celebrationis ſolvatur pecunia, ſi ſtatim ex pacto reſtituatur à cenſualiſta cenſuario: nam id fit in fraudem legis. Decaſtillus, *ibi, numero 101.*

909 Valet tamen cenſus etiam in foro externo, Si Petrus, qui debet centum Franciſco, vendat eidem cenſum valentem centum, & accepto pretio virtute pacti ab ipſis celebrati inter ipſos, pro ſolvendo debito, ſtatim reſtituat ei centum accepta, cur enim quis pro ſolvendo debito vendere cenſum non poterit, ſeclusa omni fraude. Decaſtillus, *ſuprà n. 107.* Non valet tamen contractus cenſus, quando emptor non habens pecuniam, mutuo eam petit à cenſuario, ut eam ipſi tradat in contractu cenſus; videtur enim fictio mutui, ſi tamen verum mutuum præceſſit, non eſt cur iſte contractus ſit illicitus. Decaſtillus, *ſuprà num. 108.*

An autem qui emit cenſum minori pretio, quam 910
valet, poſſit integram illius penſionem accipere? Reſpondeo affirmanve. Ita cum Leſſio, Medina, Salon, Rebello, Decaſtillus, *ſuprà num. 111.* contra Molinam, *d. 309.* Salas, *dub. 23. num. 4.* & alios. Ratio eſt, quia qui emit fundum minori pretio, quam valet, acquirit illius dominium, cujusque fructus poteſt recipere, licet teneatur reſarcire venditori, quæ emerſerunt ex non ſoluto debito pretio: ergo eodem modo dicendum eſt in emptione cenſus, ſolum ergo tenetur emens reſtituere damna venditori cenſus ex non ſoluto juſto pretio, niſi forte ſit lex, quæ talem contractum irriter.

Dico quartò: tertia conditio eſt, ne penſiones 911
anticipatæ deducantur in pactum, ſecundum quam, is qui emit cenſum non poteſt cogere cenſuarium, ut ſibi centum anticipatè ſolvat, ſed tantum exigere pro rata temporis elapſi. Non tamen prohibet Pontifex, ſi velit cenſuarius, quin poſſit anticipare ſolutionem, ſed tantum prohibet eam ſolutionis anticipatam ſolutionem in pactum deducere. Vnde penſiones anticipatæ, ſi forte ſolutæ ſint ex præcedenti pacto, reſtituendæ ſunt. Ita Molina, Rebellus, Valentia, & alij, quos refert, & ſequitur, Decaſtillus, *ſuprà num. 119. & 120.*

Dico quintò: quarta conditio eſt, ne venditor 912
cenſus obligetur ad caſus fortuitos, vel ad alia onera ad quæ ex natura contractus non tenetur. Vnde non valet pactum quo venditor obligatur ad ſolvendum cenſum, ſi res ſubjecta cenſui ſine culpa cenſuarij pereat, ac per conſequens, ſi res cenſui ſubjecta non ferat fructus per aliquot annos, non tenetur in illis cenſuarius ſolvere penſionem, niſi ut ſupra diximus, in annis antecedentibus, vel ſequentibus plures fructus ferat. Molina, *d. 390.* & alij, quidquid dicat Decaſtillus, *ſuprà num. 126.* An autem cenſitor poſſit petere fidejuſſionem, & aſſecurationem cenſus empti, tum ad ſecuritatem venditionis, tum ſolutionis? Reſpondeo affirmative, quia hoc non repugnat naturæ contractus. Imò hæc fidejuſſio fieri ſolet non auctо pretio, quamvis pactum fidejubendi ſit pretio æſtimabile, habet enim jus cenſualiſta ad ſic conſulendum ſuæ indemnitati. Ita cum Rebello, Salas Toleto, Molina, Saa, Azorio, & aliis Decaſtillus, *ſuprà num. 12. 9. & 130.*

An autem, quando domus, vel molendinum diru- 913
tum, aut combuſtum fuit, & iterum reædificatum; ſolvendus ſit cenſus antea poſitus ſuper ipſo molendino, vel domo? Reſpondeo, quod ſi fuit reædificatum in totum, non eſſe ſolvendam penſionem; ſecus ſi per partes fuerit dirutum, & reſarcitum. Ratio eſt, quia in primo caſu periit res ſuper qua cenſus erat fundatus, & in ſecundo caſu non periit. Ita Molina, *d. 394.* Azor. *cap. 16. num. 16.* Navar. *Comment. de uſuris num 118.* Salas, *dub. 11. num. 3. & dub. 16* Reginaldus, *lib. 25. num. 420.* Decaſtillus, *ſuprà num. 153.* Si tamen res periit culpa cenſuarij, tenetur ad reſtitutionem Decaſtillus, *ibi num. 134.* An autem onus ſolvendi tributum impoſitum fundo, in quo fundatus eſt cenſus, pertineat ad cenſua-

rium? Reſpondeo affirmative: nam apud eum eſt dominium prædij. Ita cum Navarro, Salas, Molina, Decaſtillus, *ſuprà num.* 136. Gabella, tamen quæ ex contractu debetur ſolvenda eſt ab eo tempore. Ita cum Baldo, Salas, Parſio, Decaſtillus, *ſuprà n.* 137. Et idem dicendum eſt de expenſis pro expeditione ſcripturæ cenſus, Salas, *dub.* 52.

914 Si tamen quæras quando ſit ſolvenda penſio? Reſpondeo ſolvendam eſſe juxta conſuetudinem, vel pactum, quod ſi nec conſuetudo, nec pactum, detur, ſolvenda eſt in fine anni. Salon, *art.* 3. *de cenſibus*, Salas, *dub.* 42. Unde ſi redimatur cenſus ante finem anni, non eſt integra penſio ſolvenda, ſed ad ratam temporis. Salas, *ibi.* Solutio autem penſionis facienda eſt in loco in quo fuerit conventum, modo conventio onerola non ſit. Ita cum Virginio, Decaſtillus, *ſuprà n.* 143. Non tenetur cenſuarius ſuis expenſis deferre penſionem in domum cenſitoris, niſi hoc onus compenſetur. Rebellus, *lib.* 10. *quæſt. ultim. diff.* 2. Salas, *dub.* 30. An autem emptor cenſus poſſit paciſci, ut non redimatur cenſus, niſi in eadem moneta? Reſpondeo poſſe, ne damnum patiatur. Excipe dummodo qui tradit pecuniam, non probabiliter credat valorem monetæ eſſe augendum: nam tunc injuſte obligabit cenſuarium; eſt enim pretio æſtimabilis hujuſmodi obligatio, imponitque cenſuario onus, ad quod non tenetur, Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 8. *num.* 84. Salas, *dub.* 56. *num.* 11.

915 Dico ſextò: quinta conditio eſt, ne fiat pactum reſtringens libertatem cenſuarij alienandi rem cenſui ſubjectam, & ne fiat pactum ſolvendi cenſori laudemium. Ratio horum eſt, quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia, ad quæ non tenetur cenſuarius, ipſe namque cum ſit dominus rei cenſitæ, poteſt illam vendere, aut donare, aut permutare cum eodem onere cenſus. Ita Molina, *d.* 390. *clauſula* 5. Salas, *dub.* 29. Leſſius, *dub.* 11. *num.* 22. An autem de re naturæ poſſit hoc onus cenſuario imponi? Reſpondeo poſſe, ſi compenſetur ad æqualitatem. Ita Salon, *art.* 3. *controverſ.* 5. Salas, *dub.* 27.

916 Dico ſeptimò: ſexta conditio Bullæ eſt, ut dominus rei cenſitæ volens eam vendere, admoneat cenſitorem, ut poſſit ſi velit eam emere eodem pretio, eumque aliis præferat; eo tamen recuſante emere poterit cenſuarius uni, vel pluribus rem, etiam diviſam vendere, tranſlato onere in emptores, quibus non ſolventibus, penſionem, non tenebitur cenſuarius, qui rem vendidit, eam ſolvere. Ratio eſt, quia cenſuarius jure ſuo utens, juſte rem vendidit, onuſque in alium tranſtulit; præterea cenſualiſta ſibi imputet, quod cum potuerit, noluerit rem emere, ſed ſponte conſenſerit in venditionem Azor *lib.* 10. *cap.* 2. *quæſt.* & *cap.* 12.

917 Adverte tamen, quod ſi cenſuarius non admonito cenſualiſta rem vendidit, poſſe cenſuarium conveniri à cenſualiſta in judicio, & ab eo penſionem exigere. Ita cum Azorio, Virginio, & aliis Decaſtillus, *ſuprà num.* 149. contra Covar. Imò licitum erit cenſualiſtæ, rem ipſo irrequiſito venditam repetere, cum enim cenſualiſta haberet jus prælationis, ipſi non potuit præjudicari per contractum initum citra illius conſenſum contra formam juris Molina, *d.* 372. Decaſtillus, *ſuprà num.* 150.

Si tamen admonitio cenſualiſta vendit rem cenſitam pluribus, non poterit cenſualiſta à ſingulis totam penſionem exigere, ſed à ſingulis pro rata. Unde ſi pars rei cenſitæ pereat, cenſus periit, quoad partem perditam. Excipe niſi cenſus fuerit poſitus ſuper totam rē per modum unius, & res poſtea fuit vendita per partes: nam cum ſit cenſus pro indiviſo conſtitutus ſuper totam rem, etiamſi pars perierit, adhuc manet reliquum, unde poſſit penſio exigi, ſi ad id fructus remanentes pertingant, Decaſtillus, *ſuprà num.* 154.

Dico octavò: ſeptima conditio eſt, ne fiat pactum, 918
quod cenſuarius exiſtens in mora, aut non ſolvens penſionem conſtituto tempore, teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad aliquam pœnam, vel ad amittendum rem cenſitam, vel ad expenſas. Circa quam conditionem nota; ſtando in jure naturæ cenſuarium exiſtentem in mora, teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ patitur cenſualiſta ob dictam moram, eorumque compenſationem poſſe repetere cenſualiſtam, de iſtiſque cenſuarium convenire, ſecluſa hac lege poſitiva. Non poteſt tamen enim ſecluſo jure poſitivo, imponi pœna cenſuario, ut amittat rem cenſui ſubjectam, ſi exiſtat in mora ſolvendi per unum vel duos annos; eſt enim nimis gravis pœna, & exorbitans. Ita cum Toleto, Navarro, Virgineo, Azorio, Decaſtillus, *ſuprà n.* 159. Poteſt tamen ſecluſo jure poſitivo, apponi pactum ſolvendi damnum emergens ex mora, ad id namque jure naturæ tenetur moroſus cenſuarius Molina, *d.* 390. Saa, *verbo cenſus num.* 3. & cum aliis Decaſtillus, *ſuprà num.* 160.

Dico nonò, octava conditio eſt, ne cenſus an- 919
tea conſtitutus augeatur ex penſionibus jam debitis non ſolutis. Hoc autem non prohibet, quin ex penſionibus jam ſolutis, poſſit augeri cenſus, ſi cenſitor eas de novo numeret cenſuario. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſuprà num.* 162. Ratio conditionis eſt, ne cenſuarius cenſibus ſenſim opprimatur, jure tamen naturæ non eſt illicitum cenſum augeri ex penſionibus non ſolutis relictis cenſuario loco pretij, Decaſtillus, *ſuprà num.* 163.

Dico decimò: nona conditio eſt, ut ſemper li- 920
berum ſit cenſuario redimere cenſum, quoties voluerit; reddito eodem pretio, quo vendiderat, non obſtante quavis præſcriptione, aut pacto. Hinc ſit non poſſe iniri pactum, ut ſi cenſuarius intra certum tempus non redimat cenſum, maneat irredimibilis. Reginaldus, *num.* 434. Molina, *d.* 347. Salas, *dub.* 45. *num.* 4. Salon, *dub.* 24. per hunc tamen conditionem non prohibet Pontifex emptionem cenſus perpetui, ſi majori pretio ematur, quam æſtimetur cenſus ad nutum venditoris redimibilis, ſicut enim licet emere fundum in perpetuum, ita & emere cenſum in perpetuum juſto pretio; unde ita in praxi obſervatur. Ita Valentia, *d.* 5. *quæſt.* 22. *p.* 5. Leſſius, *num.* 82. Molina, *d.* 385. & 391. & cum Navarro, Salon, Decaſtillus, *ſuprà num.* 167. contra Rebellum, *lib.* 10. *quæſt.* 7. Salas, *dub.* 12. *n.* 3. Azorium, *cap.* 17. *quæſt.* 1. & alios. Quale autem ſit juſtum pretium cenſus perpetui? Reſpondeo id arbitrio prudentum habita ratione circunſtantiarum diſcernendum eſſe.

Adverte tamen quod ſi cenſuarius voluerit cen- 921
ſum non perpetuum redimere, debet admonere cenſitorem per duos menſes, antequam, qua præmonitione facta, cenſitor poteſt in annum repetere pretium cenſus à cenſuario licet invito; tranſacto tamen anno non poteſt pretium exigere; ſi tamen cenſuarius poſt admonitionem non redimat intra bimeſtre, nec cenſitor intra annum pecuniam repetat; adhuc poteſt redimere cenſuarius præmiſſa nova denunciatione, quamvis ſæpius denunciaverit, & non redemerit; poſt factam tamen monitionem tenetur cenſuarius perſeverare per duos menſes; in cenſu ſi cenſualiſta voluerit, ut interim cenſualiſta quærat, & deliberet quid facturus ſit de illa pecunia. Ita cum Rebello, Salas, Decaſtillus, *ſuprà num.* 174. quidquid alij dicant.

Adverte

922 Adverte etiam ad redemptionem census, non necessario fieri numerata pecunia, & ideo si censitor tantumdem debeat censuario, potest compensando redimere, permonendo censitorem, ut censum pro extincto habeat, ratione æqualis summæ debitæ, etiam invito censitore, omnis enim actio tollitur per compensationem juxta, *l. fin. C. de compensationibus*, Molina, *d.* 394. Salas, *dub.* 19. Rebellus, *lib.* 16. *quæst.* 6. *num.* 22. Imò non solùm pecunia, verum etiam aliis rebus, quibus loco pretij contentus sit censitor, extingui potest census. Decastillus, *suprà num.* 179. An autem apponi possit pactum censuario de non redimendo censum per partes, sed totum simul? Respondeo affirmative, alioquin censualista subiret damnum non contemnendum, recuperando pretium per partes, & majus damnum pateretur, quàm patitur censuarius, ob dictum gravamen; sed censuarius ex vi contractus tenetur servare æqualitatem, conservare indemnem contrahentem, maxime præstando erga ipsum, quod ille præstitit erga se: ergo. Ita Rebellus, *quæst ultima de censibus, num.* 3. Molina, *d.* 393. Salas, *dub.* 31. *num.* 2. *dub.* 56. & alij, quos refert, & sequitur Decastillus, *suprà. num.* 180.

923 Dico undecimò: decima conditio est, ut censuarius non cogatur ad redimendum censum, quod intelligе, excepto casu, quo post denunciationem factam, ante bimestre, eo transacto, intra annum potest invitus cogi à censitore ad redimendum. Hinc fit ex parte censitoris, semper esse irredimibilem censum, excepto dicto casu; ex parte vero censuarij, semper esse redimibilem, non tamen posse cogi ad redimendum, nisi in dicto casu. Ita Molina, *d.* 391. Rebellus, *lib.* 10. *quæst.* 8. Salas, *dub.* 12. *num.* 6. & *dub.* 35.

Dico duodecimò: undecima conditio est, ut pretium semel constitutum, non possit augeri, vel minui ex aliqua circumstantia superveniente; sed æquale pretium reddendum sit, quo census ab initio fuit emptus. Per hoc tamen non impeditur censuarius, quod semel redempto censu, possit illum alteri vendere minoti pretio, si pretium census latitudinem habeat, Molina, *d.* 392. *clausula* 14. *num.* 5. Salas, *dub.* 12. *num.* 9. Rebellus, *suprà, quæst.* 5. *n.* 25. Potest etiam census non liquidus, vel qui non potest egi absque laboribus, minoti pretio emi, hic enim casus per epicheam non videtur comprehensus in bulla Pij V. Ita cum prædictis doctoribus Decastillus, *suprà num.* 185.

925 Dico decimotertiò: has omnes conditiones requirit bulla Pij V. unde ibi recepta est, illis deficientibus, contractus censetur irritus, & usurarius, saltem in foro externo, quia sub his conditionibus præscripsit formam hujus contractus. An autem omnes hæ conditiones in foro conscientiæ requirãtur, ut contractus censualis non sit usurarius, & valeat in foro conscientiæ? Respondeo quod si serventur conditiones de jure naturæ requisitæ, probabilius esse contractum non esse irritum, sed validum in foro conscientiæ, Molina, *d.* 391. Salon, *art.* 4. *controversia* 7. Ratio est, quia talis forma à jure præscripta, tolum est inventa ad tollendas fraudes: ergo illis cessantibus, non erit contractus invalidus, nec usurarius in foro conscientiæ, in foro enim conscientiæ non est locus præsumptioni, & hæc de censibus pro theologo sufficiant, cætera vide apud doctores citatos.

DISPUTATIO XIX.

De Cambiis.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit cambium, & qualiter ab aliis contractibus differat?

SUMMARIUM.

926 *Quid sit cambium describitur.*
927 *Est contractus innominatus, do ut des.*
928 *In quo differat à venditione, & aliis contractibus?*
929 *Cambium dividitur in verum, & fictum, seu reale & siccum.*
930 *Quid sit cambium reale, quid siccum?*
931 *Cambium reale subdividitur in cambium minutum, & in cambium locale.*

DIco primò: cambium generatim sumptum, est permutatio. D. Th. 2. 2. *quæst.* 74. *art.* 4. speciatim autem, est permutatio pecuniæ pro pecunia cum moderato lucro. Et in hac acceptatione nomen cambij in præsenti accipitur, illóque utentes, campsores, Bancarij, Telonarij, Argentarij, Mensularij, nuncupantur, recipientes vero pecunias ad cambium dicuntur camplarij. Est autem cambium contractus innominatus, *do, ut des*, siquidem in eo campsor dat pecuniam, ut pecuniam accipiat. Differt à venditione, quia venditio est permutatio pecuniæ pro re, quæ pecunia non est; cambium verò necessario exigit pecuniam, pro pecunia permutari. A contractu vero censuali differt, in eo, quod accepta pecunia restitui debet, cum tamen in censu, loco pecuniæ acceptæ annua pensio restituenda sit. A depósito distinguitur, eo quod in depósito, idem est restituendum, neque in proprios usus convertendum, at pecunia in cambio accepta, neque eadem restituenda est, & in proprios usus converti potest. At ob eandem rationem differt à locato, & conducto; in quibus usus rei, non vero dominium conceditur; cum tamen in cambio verum dominium concedatur. A mutuo verò differt; quia in mutuo reddenda est pecunia post aliquod intervallum, at in cambio statim reddi potest. Tum quia in mutuo, contractus perficitur ex unius pecuniæ datione; cambium vero utriusque pecuniæ receptionem postulat. Ita cum communi sententia Palaus, *de justitia d.* 7. *p.* 1. Decastillus, *lib.* 2. *de justitia tract.* 12. *d. unica num.* 6.

926 927 928

Dico secundò, cambium dividitur in verum, & fictum, seu reale, & siccum. Ita cum communi sententia Molina, *d.* 398. cambium verum, & reale, est quod nullam fictionem continet, sed præstatur solutio eo modò, quo promissa est, paritque justum lucrum. Fictum vero, est quod solum cambij apparentiã habet sicuti si fingeretur solutio præstanda in loco distanti, vel post longum tempus, cum tamen in eodem loco præstetur. Appellatur etiam siccum, qui caret vi, & efficacia justum lucrum patiendi. Ita communiter DD. Deinde cambium verum, & reale subdividitur in cambium minutum, in quo pecunia unius formæ seu materiæ pro altera permutatur, quod appellari solet manuale. Et in cambium

929 930 931

bium locale, in quo presens pecunia cum absente permutatur, quod solet appellari cambium per litteras. Hoc autem cambium dupliciter institui potest, primo si quis hic tribuat pecunias campsori, ut Romæ recipiat, secundo si hic campsor pecuniam recipiat, Romæ tradendam. Ita Molina, *d.*296.

SECTIO II.

Vtrum tam cambium siccum, quàm reale sit licitum?

SUMMARIUM.

932 *Cambium siccum est illicitum, & usurarium.*
933 *Cambium reale minutum, seu manuale licitum est, non solùm publicis campsoribus, sed etiam privatis personis, si id eis lege non prohibeatur.*
934 *Cambium minutum privatis personis prohibitum est jure Lusitano.*
935 *An privatus pro cambio minuto possit accipere lucrum, si sua nihil interfit has, vel illas pecunias habere?*
936 *Quædam corollaria deducuntur.*
937 *Licitum est cambium locale reale cum certo lucro justo.*
938 *Licitum est cambium locale quo campsor accipit pecunias, v. g. Vlisipone cum certo lucro, ut eas Romæ solvat.*
939 *Quædam corollaria ponuntur.*
940 *Licitum est nuntio ab uno conducto ad deferendas litteras Vlisiponem, v.g. se iterum ad idem lucrum conduci utraque mercede integra accepta.*
941 *Ponuntur alia corollaria.*

932 Dico primò: cambium siccum est illicitum, & usurarium. Ita decrevit Pius V. in bulla edita anno 1571. deinde probatur, quia usura est accipere lucrum ob mutuum, sed cambium siccum, verum mutuum est, in quo re vera sola dilatatio solutionis intervenit, absque alio titulo: ergo lucrum inde reportatum est usurarium. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib.*2.*tract.*12.*d.*1.*num.* 16.

933 Dico secundò: cambium reale minutum, seu manuale, quod est permutatio pecuniæ præsentis cum præsenti, & in eodem loco, ut cum quis dat pecuniam auream pro argentea, vel è contra, licitum est ex natura rei, non solùm publicis campsoribus, sed etiam privatis personis, si id eis lege non prohibeatur. Ratio est quia in eo nullum accipitur lucrum pro mutuo, sed ob alias causas justas, nempe ob numerandas pecunias, ob obsequium, quod præstat campsor congregando omnis generis pecunias ad permutandum, expectando, & paratum se præbendo ad easdem commutandas secundum campsariorum voluntatem. Tum ratione commoditatis, quam accipit campsarius, recipiendo monetam auream pro argentea, vel è contra; siquidem moneta aurea, ex natura sua est facilioris asportationis, & etiam in pluribus locis valet ad mediandum, & ad alias commoditates. Deinde pecunia inferioris metalli, solet pluris æstimari, propter necessitatem ad negotiandum, & quia ad sumptus familiares est magis commoda, & secluso damno emergenti, & lucro cessante, campsor licitè potest ultra pretium lege taxatum, aliquid moderatum tamen recipere pro hac pecuniæ commutatione, siquidem nō tenetur in gratiam petentis hac commoditate seipsum privare. Ita cum Soto, Lessio, Caietano, Sylvestro, Rebello, Laïman, Salas, & aliis Palaus, *d.*7.*p.*2.*n.*6. & cum aliis Decastillus, *tr.*12.*d.*1.*n.*17.

Dixi, nisi id eis lege prohibeatur: nam cambium 934
minutum, privatis personis prohibitum est lege Lusitana, *in* 4.*p.extravagantium tit.* 11.*lege* 4.§.10. Et lege Castellæ, *lib.*1.*tit.*8.*lib.* 5.*ord. legum Castellæ.* Hæ tamen leges, solum obligant sub veniali Rebello, 2.*p.lib.*11.*quæst.*4.*n.*6. Candidus, *de cambiis, disquisitione* 20.*art.*3.*d.*2. Adverte tamen privatum exercentem cambium minutū, non posse tantum lucrum recipere, quantum accipit campsor ex officio, quia hic ex pluribus titulis lucrū accipit ob plura, & majora pericula, labores, & impensas. Ita cum Nav. Bannez, Candidus, *disp.*20.*de cambiis art.*3.*dub.*1.

An rivalis privatus pro cambio, minuto possit 935
accipere lucrum, casu quo sua nihil interfit habere hujus, vel alterius materiæ, vel speciei pecuniæ tiāsi, quas habeat commodiores sint, ad transferendum aliò, vel ad negotiationes, ipse tamen eas non est translaturus, nec cum eis negotiaturus, sed communi valore statim expensurus? Respondeo affirmative, Ita cum Navarro, Toleto, Lessio, & aliis Decastillus, *sup.n.*34. contra Medinam, Caiet. & alios. Ratio est, quia cū pecunia habeat illas commoditates peculiares, quas campsor transfert in campsarium, ratione illarum habet titulum aliquod exigendi juxta communem æstimationem earumdem.

Hinc fit famulum, qui grandiores, & præstantio- 936
res pecunias accipit à domino, ad solvendum creditoribus, vel ad coemenda aliqua ex mercatoribus, posse cum eis cambire, & aliquid ex cambio reportare, si ei non constet tacite, vel expresse, dominum velle, ut creditori debitum in ea moneta restituatur: nam si id ei constet, peccabit quidem mortaliter aliter faciendo; non tenebitur tamen restituere lucrum eo cambio comparatum; tenebitur tamen domino compensare quodlibet interesse lucri cessantis, vel damni emergentis; si quod ex prædicto cambio ei provenit, ut pote ex injustitia causato. Ita cum Lessio, Layman, Rebello, Molina, & aliis Palaus, *d.*7 *p.*3.*num.*1.*& sequentibus.*

Dico tertiò: licitum est cambium reale locale, seu 937
per litteras, cum certo lucro correspondente distantiæ locorum, quantitati pecuniarum, & aliis circunstantiis arbitrio prudentis, aut consuetudine justa introducto. Ratio est, quia campsor trajiciendo pecuniam in gratiam campsarij in locum, ubi dans ea indiget, præstat danti aliquod obsequium, quod est pretio æstimabile: ergo in hoc cambio licitum campsori, aliquod lucrum exigere, sive id habeat ex officio, sive non, siquidem alio transfert pecuniam æquivalenter. Tū quia pecunia absens minus valet, quā præsens. Ita cum communi sententia. Palaus, *d.*7.*p.*4 *n.*1. Decastillus, *sup.n.*41. Candidus, *de cambiis, disp.* 10. *art.*4.*dict.*1. Trullenc, *lib.*7.*cap.*22.*dub.*4.*n.*1. Quod Verum est, etsi cambium exerceatur intra eandem provinciam, ut ab Vlisipone, Conimbricam, vel Bracharam, quia sicuti opera quam præstat campsor, transmittendo pecuniam de una provincia in aliam, est pretio æstimabilis, ita etiam ex una urbe in aliā, in eadem provincia, vel Regno. Ita cū Lessio, Nau. Candidus, *sup.dict.*3.& cum Bonacina, Salas, & aliis Trullenc. *sup.n.*2.& alij Rebello, *lib.*11.*q.*11.*n.*3. unde lex quam condidit Rex Sebastianus, qua prohibuit ne lucrum pro cambio intra hoc Lusitaniæ Regnum à campsoribus asportaretur. Idem Rex revocavit, & id permisit mercatoribus, non tamen aliis, ut notat Rebellus, *ibi, num.*2.

Dico quartò: licitum est cambium locale, quo 938
campsor accipit pecunias, v.g. Vlisipone, cum certo lucro, ut eas Romæ solvat. Ratio est quia campsor virtualiter

Digitized by Google

virtualiter transfert pecuniam ad locum, ad quem vult campsarius, sublevando illum ab onere; quod subiret transferendo pecuniam, quod totum est pretio æstimabile. Tum quia campsor censetur quasi inire contractum assecurationis cum campsario, ita ut si pereat pecunia, sibi pereat; ergo. Ita cum Navarr. Azor, Soto, Medina, Mol. Lessio, Valèt. Salas, Tusch. Bañez, Graffio, Rebello, Decastillus, *lib. 2. tr. 12. d. 1. n. 45.* Palaus *d. 7. p. 5. n. 2.* & cum aliis communiter Trullenc. *lib. 7. c. 22. dub. 5. n. 1* Candidus *disq. 20. de cambiis art. 5. dicto 1.* Et id verum est, & si cambium intra id Regnum exerceatur. Ita cum Navarro, Trullenc. *ubi n. 1.* & cum Mol. Tolet. Lessio, Rebello, & aliis Palaus, *sup. p. 6. n. 2.* contra Sot. Roderic. & alios. Nec obstat lex Lusitana in contrarium *lib. 4. ordin. tit. 14. §. antepenultimo*, ubi hoc cambium, ut usurarium sub usurariorum pœnis damnat; nam prædicta lex solum est pro foro externo, & fundatur in præsumptione usuræ; Tum quia etiam in foro externo alia lex in contrarium postea à D. Rege Sebastiano stabilita est, ut recte respondet Rebell. *l. b. 11. q. 6. n. 7.*

939 Hinc fit, quod si quis nuntium conducat, ut equum Ulisiponem ducat, ei licitum esse pro locata opera pretium ducere, etiamsi ei negotiorum causa necessarium foret, etiamsi equo conducto, eo ire. Quod verum est, etiam si ille, qui illum conduxit, si tale quid sciret, non illo; sed cum alio minori, vel etiam nullo pretio, pacturus fuisset. Ita cum Lessio, Layman, Decastillus, *sup. n. 47.* Secundo fit, quod si quis studiorum causa ex Ulisipone Conimbriam profecturus, tradat pecuniam mercatori Ulisiponensi, amico vel cognato, rogans eum, ut hanc pecuniam alteri det ad cambium, quo eam deinde cum lucro Conimbriæ recipere possit; licitum id esse, siquidem obsequium, quod nuntius in primo casu, & mercator in secundo alteri præstat, revera dignum est eo stipendio; per accidens autem est quod nuntius, vel mercator commodum inde capturus sit, nihil enim inde damni alteri personæ resultat, cum qua contractus initus fuit. Ita cum Mol. Layman, Caietano, Decastillus *sup. n. 43.*

940 Tertiò fit, licitum esse nuntio ab uno conducto ad deferendas literas Ulisiponem v.g. se iterum ad eundem locum conduci, utraque mercede integra recepta, quia obligatio illa absolutè loquendo tanta mercede digna est, respectu cujusque, & ad fortunam nuntii pertinet, per accidens est, quod utraque occasio, simul cõjungatur. Et idem dicendum est de auriga, qui justa mercede accepta, aliquem è Conimbrica Ulissiponem vexi, postea reversurum Conimbricam, tantundem mercedis ab altero accipere licite potest, ac si nullam redeundi necessitatem haberet, ut recte cum Layman, & aliis notat Decastillus *sup. n. 49. & 50.* Quarto fit, non esse cambium injustum, si mercator Romæ pauciores ducatos numeret, ubi pluris valent, recepturus deinde plures in Ulissipone, ubi minoris valent, quamvis eos deinde per se, vel per factorem suum, eo ipso valore, quo Romæ æstimantur distrahat, instituto v.g. contractu mutui, cambij, vel emptionis, cum aliquo Romam profecturus. Ita cum Laymã, Decast. *sup. n. 51.* Quod verum est, sive ea major æstimatio pecuniæ sit intrinseca proveniens à taxatione monetæ facta à principe, sive extrinseca proveniens à causis fortuitis; scilicet à copia, vel inopia pecuniæ, quo enim major copia pecuniæ, minus æstimatur, ut in Indiis, & in Brasilica Regione, vel ratione minoris, vel majoris multitudinis petentium ad cambium, quando enim multi petunt, pretium augetur. Ita cum Lessio, Bonac. Trullenc. *lib. 7. c. 22. dub. 4. n. 2.*

SECTIO III.

Utrum sit licitum cambium cum lucro concessum ei, qui nullam pecuniam habet in loco solutioni destinato?

SUMMARIUM.

942 *Qui certo scit illum, cui pecuniam ad cambium concedit nullam pecuniam habiturum, nec per se, nec per alium, etiam ad cambium sumptam, qua possit solutionem in loco destinato præstare, nullatenus potest auctarium ullum recipere.*

943 *Cambium reale per litteras cum recambio licitum est.*

944 *An si campsarius Romæ v.g. non habeat correspondentem possit pro campsario licite respondere procurator campsoris?*

645 *Ponitur multorum non improbabilis sententia.*

946 *Probatur hac sententia à priori.*

947 *Ponitur Authoris sententia de hac re.*

Dico primò: Si quis certo sciat illum, cui pecuniam ad cambium concedit, nullam pecuniam habiturum, nec per se, nec per alium; etiam ad cambium sumptam, qua possit solutionem in loco destinato præstare, nullatenus potest auctarium ullum recipere, quia ibi nullum cambium verum intercedere potest, sed fictum, & siccum, cum nulla sit pecunia campsarij; cum qua fiat permutatio. Ita cum communi sententia Palaus *disp. 7. p. 8.* estque decisum à Pio V. *in bulla de cambiis edita anno 1564. & 1570.* Dixi si quis certo sciat, nam si quis bona fide prædictum cambium iniit, credens campsarium in loco destinato habere pecuniam, potest licite auctarium recipere, nam licet contractus nullus fuerit; obligatur tamen sic contrahens ex vi deceptionis compensare decepto, quantum sua intererat contractum verum esse. Ita cum Molina, Lessio, Palaus *sup. n. 2.* contra Salas, Ledesmam, Veigam, & alios. 942

Dico secundò: Cambium reale per literas cum recambio, quo literæ mittuntur ex Ulisipone ad Romam v.g. ibique verum sortiuntur effectum; quia se vera campsarius ibi habet suum correspondentem, qui literas acceptat, & solvit, & deinde Romæ scribantur aliæ literæ, quibus eadem pecunia Ulisiponem recambitur, licitum est; quia hoc non est mutuum, neque cambium siccum, sed reale, in quo pecunia præsens permutatur cum absente, tum quia hoc cambium videtur approbari *in Bulla Pij V.* Ita Decastill. *sup. n. 54.* 943

Major tamen est difficultas cum campsarius Romæ non habet correspondentem; An pro campsario licite respondere possit procurator campsoris, in quo si procurator campsoris propria pecunia vel aliena respondeat, certum est cambium licitum esse; cum in hoc faciat vices campsarij, & fiunt veræ literæ & vera translactio pecuniæ, & solutio, & si pecunia perierit, periit mercatori subscribenti, & non campsori, ut recte cum Salon & aliis notat Trullenc. *lib. 7. c. 22. dub. 5. n. 1.* Lugo *d. 28. n. 87.* 944

At si procurator nullas habeat pecunias, nisi campsoris, celebris est difficultas; an cum eis possit licite facere solutionem eidem campsori, de illius mandato, & alias literas cambij mittere solvendas ab eodem campsario, in loco, unde primæ literæ exierunt cum cambio?

945 cambio ? Negant abſolutè Sotus, & alij, quos refert Salon, *tom. 2. q. 4. de cambiis, art. 2. controverſia 12.* Navarr. Comitol. Mol. Mercat. Leot, quos refert Gibalin. *tom. 2. de uſuris lib. 5. c. 1. art. 9. n. 2.* Sed alij affirmant, ita Leſſius, Salas, Bonac. Nald. Homobonus, Raphaël de la Torre, Sigismund. Scaccia, quos refert idem Gibalin. *ſup. num. 3.* Palaus *d. 7. p. 9. n. 2.* Diana *tr. 8. p. 1. reſ. 1.* Saa, Filliuc. Azor, quos refert & ſatis probabile putat Trullenc. *lib. 7. c. 22. dub. 5. n. 3.* Decaſtill. *lib. 2. tract. 12. d. 1. n. 68.* Ratio illorum eſt, quia literæ cambij vere mittuntur, neque remittuntur inanes, ſiquidem ipſarum virtute fit ſolutio in loco deſtinato à procuratore campſarij vices ipſius agente, qui & ob hanc cauſam ſumit pecuniam à priore campſore.

Nec obſtat quod idem ſit reſpondens, ſive procurator campſoris, & campſarij, apud quem campſarius fidem, & creditum invenit; quia in jure non eſt novum, unum & eundem, duas ſimul perſonas ſuſtinere; & quamvis campſor non poſſit cogere campſarium, ut ad ſuum ipſius correſpondentem trahat debitum, ſi tamen campſarius roget campſorem, ut illi aſſignet aliquem, apud quem poſſit invenire creditum, & qui ſit ipſius correſpondens, nullam illi facit injuriam, ſi proprium ipſius correſpondentem deſignet. Nec obſtat, quod ille correſpondens, ſit ipſius campſoris famulus, aut collega; idem enim poteſt ſibi ipſi ſolvere, quatenus gerit diverſa officia, ut videmus in tutore, creditore pupilli, neque inde læditur æqualitas alicujus contractus, nam etiam in mutuatione, mutuo dans, poteſt eſſe fidejuſſor mutuatarij.

946 Tandem probatur à priori. Quia ad cambium reale ſufficit, ſi campſarius habeat pecuniam, vel actu, vel virtute, & poteſtate in loco, ad quem cambitur; ſed in hoc caſu campſarius habet pecuniam actu, virtute, & poteſtate, in loco, ad quem cambitur; ſiquidem campſor, ſuum proprium creditum commodat ibi campſario, quod ab illo rogatus æque facere poteſt, atque alius quiſpiam: ergo &c. Advertunt tamen hi DD. deberi omnia ſerio & vere agi, ita ut, ſi factor campſoris, qui debet reſpondere pro campſario fugeret, vel decoqueret, campſor non ſit habiturus rationem in campſarium; nam campſarius ſolum ſe obligavit ad intereſſe cambij ſuppoſito, quod ille vere correſponderet, ad ſortem tamen ſe obligavit quocunque eventu ſolvendam.

947 Verum licet hæc ſententia ſatis probabilis ſit, nec damnata à Pio V. in ſuo motu proprio, prout declararunt domini Cardinales, teſte Filliuc. *tr. 35. p. 2. c. 8. q. 2. n. 431.* ſitque ſatis ſtabilita, tum Doctorum authoritate, tũ rationibus, aut in validis, & publice practicetur à mercatoribus, tam in Hiſpania, quam in Italia, Gallia, Belgio, & alibi, teſte Trullenc. *ſup. n. 5.* ſcientibus ſummis Pontificibus, vel ſaltem Epiſcopis, & locorum ordinariis, quod non permitterent, ſi contractus fuiſſet uſurarius. Ego tamen diſtinguendum exiſtimo, vel enim campſor, aut ejus procurator habet alias pecunias, aut creditum Romæ; v. g. diſtinctum ab ipſo credito, quod Uliſipone campſarius recipit, Romæ ſolvendum, quod poſſit campſario Romæ commodare ad ſolvendum debitum Uliſipone contractum, vel non habet aliud, niſi ipſummet creditum, vel pecunias, quas Uliſipone dedit campſario Romæ ſolvendas, ſi alias pecunias, vel creditum diſtinctum habeat; tunc exiſtimo licite poſſe, ſicut, & alius tertius, illud campſario commodare, ad ſolvendum debitum, & intereſſe, & novum inſtituere cambium Uliſipone ſolvendum cum novo intereſſe, ut recte cum Lugo, docet Gibalin. *ſup. n. 4.* & in hoc ſenſu militant rationes ſupra adductæ, & debent intelligi Authores affirmantes hunc contractum non eſſe uſurarium.

Secus dicendum exiſtimo, ſi non habeat aliud creditum, vel pecunias Romæ deſtinatas, à primis, quas Uliſipone in cambium dedit, intelligibile enim eſt, quod creditor det ſuum creditum ſuo debitori, ad illud ipſum creditum extinguendum, niſi remittendo, & extinguendo debitum; ſed ſi creditor per ipſam dationem crediti, remittit, & extinguit debitum campſario, jam campſarius Romæ non vere ſolvit cambium, ſed ficte, ſiquidem nihil accepit campſarius, vel ejus procurator, quo primum cambium ſolvat, ſed ab eo liberatus fuit; ergo ibi non fuit vera ſolutio cambij, ſed ficta, ac per conſequens uſuraria; vide alias rationes apud Lugum *d. 28. à n. 94.* Gibalin. *ſup. n. 5.*

SECTIO IV.

Ad quid campſor obligare poſſit campſarium, ſi termino conſtituto non ſolverit?

SUMMARIUM.

948 *Campſor poteſt obligare campſorem ut ſi termino conſtituto non ſolvat, ut lucrum ceſſans, & damnum emergens compenſet.*

949 *Poteſt eum adſtringere ad ſubeundam aliquam pœnam culpæ proportionatam.*

950 *Poteſt exigere à campſario fidejuſſores, vel pignora.*

951 *An licitum ſit campſori paciſci cum campſario, quod ſi termino deſignato non ſolvat eandem ſummam, accipiat in recambium.*

952 *An campſor obligare poſſit campſarium, non ſolum ad ſolvendam pecuniam Romæ, quam Uliſipone accepit per cambium ad Romam, ſed ad eam cum lucro ſuis expenſis reducendam Uliſiponem.*

Dico primò: Campſor poteſt obligare campſarium non ſolventem termino conſtituto, ſive ex culpa ſua, ſive ſine illa, ut lucrum ceſſans, & damnum emergens compenſet; ſiquidem campſor non tenetur eam jacturam pati ob campſarij commodum, & campſarius in hoc caſu non obligatur in pœnam, ſed ex contractu; non poteſt tamen campſor obligare campſarium ad determinatum intereſſe, ob non ſolutam ſortem; tempore deſignato, juxta bullam Pij V. quamvis id de jure naturali poſſet fieri; ſed hoc intereſſe determinandum eſt per prudentis arbitrium. Ita cum Leſſio, Salas, & aliis, Palaus, *d. 7. p. 12. n. 1 & 2.* & cum Navarr. Salon. & aliis Candidus, *de cambiis diſq. 20. art. 7. dub. 2. dicto 3.* 948

Dico ſecundo: Campſor poteſt adſtringere campſarium non ſolventem tempore conſtituto ad ſubeundam aliquam pœnam culpæ proportionatam, ſicuti in mutuo, aliiſque contractibus moroſus debitor obligari poteſt; debet tamen culpa mortalis eſſe; alias pœna ſaltem in foro conſcientiæ nullatenus debita erit. Ita cum Toleto, Leſſio, Salas, & aliis Palaus *ſup. n. 3.* 949

Dico tertiò: Campſor poteſt exigere à campſario in contractu cãbij fidejuſſores, vel pignora, jus enim naturæ fas eſt unicuique ſe ipſum ſervare indemnem; debet tamen in hoc caſu minus pretij pro cambio à campſario exigere, quia minori periculo pecuniam datam exponit. Ita cum Tolet. Leſſio, & aliis, Palaus *d. 7. p. 11. n. 2.* Candid. *diſq. 20. de cãbiis art. 7. dub. 3. diſt. 4.* Adverte tamẽ, quod ſi pignus ſit fructiferum, ejus fructus cõputandos eſſe in ſortem, aliàs 950

aliquid

Digitized by Google

aliquid acciperetur ſupra æqualitatem. Ita cum Leſſio, Bonacina, Trullenc, *lib.7. cap.22.dub.6. n.8.* An autem campſor in hoc caſu inſtitui poſſit fidejuſſor, & ob id pretium à campſario exigere? Reſpondeo affirmative, modo reſpondens non ſit factor, aut famulus campſarij, nam ſi illius factor, vel famulus eſſet, jam vere non fidejuberet, ſiquidem famulus, & dominus reputatur una perſona. Ita cum Leſſio, Salas, Palaus *ibi n.3.* Trullenc. *lib.7.c.22.dub.6.n.8.*

An autem ſit licitum campſori paciſci cum campſario, quod ſi termino deſignato non ſolverit, eandem ſummam accipiat in recambium? Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia campſarius ex vi contractus cambij, ſolum poteſt licite obligari, ad ſubeundam moderatam penam, ob culpabilem ſolutionis omiſſionem, & ad compenſandum campſori intereſſe; ergo ſi recambium illud excedat intereſſe, & culpam ſolutionis omiſſæ, nequaquam ad illud obligari campſarius poterit. Ita cum Leſſio, Graffio, Salas, Palaus, *d.7.p.12.n.3.* Candidus *de cambiis diſq.20.art.9.dub.4.dicto 2.*

952 An autem campſor obligare poſſit campſarium, non ſolum ad ſolvendam pecuniam Romæ, quam Uliſipone accepit per cambium ad Romam, ſed ad eam cum lucro ſuis expenſis reducendam Uliſiponem? Reſpondeo negative. Nam cambium eſt commutatio pecuniæ pro pecunia, ergo ſi campſarius pecuniam acceptam Uliſipone, Romæ ſolvit, perfectus manet contractus cambij; ergo non poteſt licite obligari, ad eam Ulliſiponem trajiciendam; reductio enim pecuniarum ex uno loco ad alium, eſt pretio æſtimabilis, & multis expenſis fit. Ita cum Lopez, Azorio, Salon, Candidus, *de cambiis diſp.20.art.9. dub.2.dicto 3.*

SECTIO V.

Utrùm liceat alteri cambientium recipere mercedem cambij ab altero, quando uterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus?

SUMMARIUM.

953 *Quando commutantur pecuniæ ejuſdem valoris in diverſis locis, & contrahentes æqualiter ſe præveniunt, & uterque ſimul indicat ſe commutatione illa indigere, nulli eorum licet lucrum aliquod ab altero exigere.*

954 *Secus ſi unus alterum præveniat.*

953 DIco primo: Quando commutantur pecuniæ ejuſdem valoris in diverſis locis, & contrahentes æqualiter ſe præveniunt, & uterque ſimul judicat ſe commutatione illa indigere, nulli eorum licet lucrum aliquod; vel pretium ab altero exigere, vel recipere, quia uterque ſibi invicem ſimul, & mutuum idem præſtat obſequium, & commoditatem; ergo cum pecuniæ commutatæ ſint ejuſdem valoris, & obſequium, & utilitas ex parte utriuſque, ſit omnino eadem, nulli eorum licet, lucrum aliquod, vel pretium in hoc cambio ab altero exigere, nam pretium, & luctum in cambijs exigitur ratione obſequij præſtiti, & commoditatis.

954 Secus dicendum eſt quando in cambio alter alterum prævenit, exigens ab eo pecuniam cambiendam in alio loco, nam qui prævenitur ab alio, ſi ei non expreſſit ſe indigere ſimili commutatione, poteſt recipere ab eo, à quo prævenitur lucrum, & pretium, quod juxta communem uſum fori in conſimilibus caſibus poſſet recipere, eſto revera indigeat commutatione illa? Et ratio eſt quia is, qui prævenitur, & rogatur commoditatem & obſequium præſtat illi à quo prævenitur, & rogatur, idque ſecundum ſe pretio æſtimabile; per accidens autem eſt, quod illud etiam redundet in commodum ipſius prævenți, & rogati. Tum quia qui prævenit, & rogat, viliorem reddit pecuniam ſuam, nam merces ultroneæ vileſcunt; ergo qui prævenitur, poterit in hoc caſu licite aliquod lucrum exigere. Ita Sylv. *verbo uſura 4.q.8.§.1.verſ.ſed ego*, Leſſius *lib.2.c.23.dub.1.n.4.* & cum Soto, Salon, Bonac. *tom.2.d.3.de contr.q.5.p.unic.n.23.* & alij.

SECTIO VI.

An teneatur campſor ſolutionem ſortis acceptare, non ſoluto cambiorum detrimento, ſeu intereſſe.

SUMMARIUM.

955 *Campſor non tenetur ſolutionem ſortis acceptare, non ſoluto cambiorum intereſſe.*

956 *Hic non dantur plura debita diverſa, ſed unum habens alterum annexum.*

DIco primo: Campſor non tenetur ſolutionem ſortis acceptare, non ſoluto cambiorum intereſſe. Ratio eſt, quia obligatio intereſſe pendet ex obligatione ſortis, ipſique nititur; ſed non poteſt prius ſolvi fundamentum, quam accеſſorium ſit ſolutum, ut patet in cenſibus; ergo non tenetur campſor ſortis ſolutionem admittere, intereſſe cambij non ſoluto. 955

Nec obſtat pluribus debitis gravatum, ſi aliquod ſolvat cenſere ſolvere principalem, maximè ſi id debitor exprimat, ut conſtat ex *l.13.& 5.de ſolutionibus*, quia in præſenti, non ſunt plura debita diverſa, ſed unum, alterum habens annexum, & ex eadem cauſa proveniens. Ita Leſſius *lib.2.c.13. dub.* 10. Palaus *diſp.7.p.3.n.1.* 956

SECTIO VII.

An campſor negare poſſit cambium in locum ſibi minus lucroſum, ut compellat ſumere in locum, ubi majus lucrum comparabit?

SUMMARIUM.

957 *Qui ex officio tenetur cambire non poteſt licite compellere, ut campſarius accipiat cambium in locum ſibi magis lucroſum.*

958 *Qui non ex officio, ſed libere cambit, ſi ſciat campſarium habere pecuniam, vel creditum in loco ſibi magis lucroſo, poteſt eum adſtringere ut in eo accipiat cambium, denegato cambio in locum, in quem ipſe petit.*

DIco primò: Qui ex officio tenetur cambire, non poteſt licite compellere, ut campſarius accipiat cambium in locum ſibi magis lucroſum; ſiquidem tenetur ex officio eo cambi- 957

re, quo voluerit campſarius, ſi ibi pecunias vel correſpondentes habeat; non enim tenetur camplor in omni loco habere pecunias, etſi ſit è Republica conſtitutus. Ita cum Salas, Veiga, Palaus, *d.7.p.15. num.1.* Nec etiam poteſt camplor neceſſitate campſarium ut aſſumat cambium ad eum locum, ubi campſarius nullam habet pecuniam, nec creditum, quia id eſſet cambium ſimulatum, & fictum: Ita Palaus *ibi n.2.*

958 Dico ſecundo: Qui non ex officio, ſed libere cambit, ſi ſciat campſarium habere pecuniam, vel creditum in loco ſibi magis lucroſo, poteſt eum aſtringere, ut eo accipiat cambium, denegato cambio in locum, ad quem ipſe petit; nam cum camplor ſit liber ad cambium negandum, vel concedendum, poteſt licite, & ſine injuſtitia illud concedere in locum ſibi commodiorem, ſicuti cum quis merces viles, & pretioſas habet, poteſt nolle viles vendere, prius quam pretioſæ vendantur.

Nec obſtat campſarium in eo loco pecunia non indigere, ſed potius eſſe detrimento futuram, quia id eſt per accidens, quod camplor ſpectare non tenetur; peccabit tamen camplor contra charitatem ad id cogens campſarium, ſiquidem alterius jactura propriis commodis inhiat; raro tamen tale peccatum erit mortale, cum raro obligetur homo propria commoda negligere, ut aliorum commodis attendat extra extremam, vel gravem proximi neceſſitatem. Ita cum Veiga, Salas, Palaus, *d.7.p.15.n.5.*

SECTIO VIII.

Explicantur conditiones à Pio V. requiſitæ pro cambij contractu.

SUMMARIUM.

959 *Prima conditio eſt, ne ratione dilationis ultra terminum aſſignatum lucrum aliquod exigatur.*

960 *Secunda conditio eſt, ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe, etiam in eventu, quo ſors ſoluta non fuerit.*

961 *Tertia conditio eſt, ne realia cambia ad proximas nundinas inſtituant.*

962 *Quæ proximæ nundinæ dicantur?*

963 *An liceat cambium, quo quis tradit alteri pecuniam ſibi ſolvendam, non in eo loco ubi fiunt nundinæ, ſed alibi cum eodem tamen lucro, quod ſolvitur ad proximas nundinas?*

964 *Quarta conditio eſt, ut deſignentur ſolutionum termini juxta longitudinem locorum, in quibus ſolutio deſtinatur.*

959 Dico primò: Pius V. in ſua Bulla edita anno 1571. aliquas conditiones aſſignat pro cambio inſtituendo: prima ne camplor ratione dilationis ultra terminum ſolutioni deſtinatum conceſſæ lucrum aliquod exigat, quæ conditio ſeclusa bulla Pij V. de jure naturali, etiam ſervanda eſt, cum jure naturali teneatur camplor, ne ob dilationem præciſam debiti ſolvendi, aliquod lucrum exigere, Palaus *d.7.p.14.n.2.*

960 Dico ſecundo: Secunda conditio eſt, ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe, etiam in eventu, quo ſors ſoluta non fuerit. Hæc conditio inſpecto jure naturali non obligat, poteſt namque in cambio, aliiſque contractibus, de certo intereſſe paciſci, ſi termino deſignato non fuerit facta ſolutio, ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens; Pontifex tamen id prohibuit ob periculum fraudis. Non prohibet tamen, quod initio, vel poſtea paciſcatur de intereſſe incerto, juxta prudentis arbitrium, & de pœna ob ſortem non ſolutam, ut diximus, & bene cum Leſſio, Rebello, Salon, Valencia, Palaus *ſup. num.4.* Imo ſi camplor pactus fuerit de certo intereſſe ob periculum damni, quod timet, non tenetur tale intereſſe reſtituere, etiam ſi tale damnum de facto non acciderit; nam illud periculum, cui camplor ſe expoſuit, eſto poſtmodum damnum non evenerit, mercede conduci poteſt, & pactum licet à Pontifice ut periculoſum fuerit prohibitum, non tamen fuit irritatum. Ita cum Navarr. Leſſio, Salas, Palaus, *ſup.num.6.* Imo cum talis prohibitio fundetur in præſumptione fraudis uſurariæ, ubi ceſſant præſumptiones in foro conſcientiæ non obligat, ut cum Navarro, docet Trullenc. *lib.7. Decalog.c.22.dub.ultim.n.2.* quidquid dicat Palaus *diſp.7. p.14. n.1.* in contrarium cum Salas, Leſſio, & aliis.

961 Dico tertio: Tertia conditio eſt, ne realia cambia ad proximas nundinas inſtituant, vel ſi nundinæ non agantur, ad proximos terminos, juxta locorum conſuetudinem: circa quam conditionem nota primo cambia quæ fiunt à nundinis, in nundinas ſequentes in eodem loco cum aliquo intereſſe eſſe uſuraria; quia cambium debet fieri inter pecunias in diverſis locis exiſtentes, & quod vere re ipſa literæ de uno ad alium locum mittantur; cambium namque, quod fit à nundinis in nundinas in eodem loco cum lucro, eſt mutuum uſuratum, ſiquidem datur lucrum ob dilationem ſolutionis. Ita cum Lopez, Salon, Candidus, *de cambiis, diſq.20. art.12.dub.3.dicto.3.*

962 Secundò Advertе: proximas nundinas dici illas, ad quas commode poteſt ſolvturus literas ſuo factori mittere; in ordine autem ad has nundinas cambium concedendum eſt, non verò ad ſecundas, vel tertias; quod intelligendum eſt aucto pretio, nam pro eodem pretio, optime poteſt ad ſecundas, & tertias nundinas inſtitui; cum id in commodum campſarij cedat. Ita cum Leſſio, Bonac. Salas, & aliis, Trullenc. *lib.7.cap.22.dub.ult. num.3.* Quod ſi aucto pretio ad intercalatas nundinas camplor cambium inſtituat, peccat graviter ubi bulla Pij V. eſt recepta; in paucis tamen locis, & fortè nullibi eſt recepta hæc bulla, ut teſtatur Leſſius *lib.2.c.23. dub.11. in fine.* Salas *tract.de cambiis dub.26.* Trullenc. *ſup.num.4.* Nec ab eo excuſari poteſt, eo quod campſarius ſuo juri cedat, cum hæc lex non tam in favorem campſarij quam juſtitiæ inſtituta ſit, ac pretium acceptum dummodo aliàs juſtum ſit, retinere poteſt: nam licet Pontifex cambium ad intercalatas nundinas aucto pretio prohibuerit, non tamen annullavit. Ita cum Salas, & aliis Palaus, *ſup.num.7.* Candidus *de cambiis diſq.20.dub.2.d.4. 5. & 6.*

963 An autem liceat cambium, quo quis tradit alteri pecuniam ſibi ſolvendam, non in eo loco ubi fiunt nundinæ, ſed alibi, cum eodem tamen lucro, quod ſolvitur ad proximas nundinas? Reſpondeo licere, ſi tanta diſtantia ſit, quanta eſt inter locum, in quo nundinæ celebrantur, & dummodo camplor certo, aut probabiliter non ſciat, pecuniam non plus valere in eo loco, ubi ſolutio eſt, quam in nundinis; ſi enim hoc ſciret, excederet in juſto pretio, ex uno enim capite acciperet pretium, quod habetur juſtum in nundinis, & ex alio exceſſum; quem habet pecunia in loco, in quo fit ſolutio; hisque duabus conditionibus deficientibus, per ſe loquendo non licet tale cambium, niſi fortè ratione lucri ceſſantis,

santis, vel damni emergentis, secluso omni dolo, & fraude, hujusmodi excessus compensentur. Ita cum Rebello, Decastillus, *lib. 2. tract. 11. d. 1 dub. 3. num. 76. & 77.* Candidus *sup. art. 15. dub. 1. dicto 3. & dub. 2. dicto 4. & dub. 3.*

964 Dico quartò: Quarta conditio est, ut designentur solutionum termini, juxta longinquitatem, vel vicinitatem locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores perfinguntur, quam loca destinata solutioni desiderant, fœnerandi detur occasio, circa quam conditionem notazin illa non prohiberi campsoribus, ne ob majorem terminum ante nundinas amplius lucrentur, quia in hac clausula Pontifex non de quantitate solvenda, sed de termino, in quo solvenda est, agit. Ita cum Salas, Lessio, Palaus, *sup. num.* 8. quidquid alij dicant.

SECTIO IX.

Utrùm Provisiones quas solent campsores, & bancarij accipere juste accipiantur?

SUMMARIUM.

965 *Campsor, sive bancarius juste potest moderatam mercedem à deponentibus exigere pro prædicta custodia, & obligatione.*

966 *Licet hoc ita sit, consuetudine tamen introductum est, ut pro hac obligatione stipendium non accipiatur.*

967 *An bancarius possit aliquid recipere ab illis, quibus ex præscripto deponentium pecuniæ solvendæ sunt, eo quod numeratas pecunias solvat, & non per chirographa ad alios bancarios, etiam in casu quo deponens pecuniam deponeret in chirographis, & non numerato?*

968 *Campsarius obligans se ad solvenda debita illius, qui nullam apud ipsum habet depositam pecuniam potest recipere lucrum.*

969 *Reponens pecuniam apud Bancarium non potest ab eo mercedem aliquam exigere.*

965 PRo hujus sectionis intelligentia notandum est, læpè campsores, & bancarios accipere pecunias à quibusvis deponentibus, cum obligatione eas reddendi, quando deponentibus placuerit. Quæstio igitur est, an pro hac custodia, & obligatione mercedem aliquam exigere possint?

Dico primò: Campsor sive Bancarius, justè potest mercedem, & moderatum stipendium à deponentibus exigere, pro prædicta custodia, & obligatione. Ita ex communi sententia Mol. *d.* 408. & cum Lessio, Salas, Rebello, Palaus, *d.* 7. *p.* 10. *n.* 2. Candidus *de cambiis disq.* 10. *art.* 20. *dub.* 2. *dicto* 3. Ratio est, quia licet campsores accipiant pecuniam cum facultate illa utendi, illiusque dominium acquirant, recipiunt tamen illam in commodum, & utilitatem deponentium, cum obligatione illam solvendi, quando, & quomodo deponentes voluerint; sed ad satisfaciendum his obligationibus, debent semper paratam habere pecuniam, ministros, & famulos, qui rationem scribant, & pecuniam à deponentibus recipiant, & aliis solvant, quæ omnia pretio digna sunt, & quæ in mutuo non inveniuntur; cum mutuum totum fiat in gratiam mutuatarij; ergo. Nec obstat quod inde campsor reportet aliquod lucrum utendo hac pecunia, nam id suæ fortunæ, & industriæ attribuendum est.

Adverte tamen, quod licet hoc ita sit, consuetudo tamen in Hispania, Gallia, Italia, & aliis locis obtinuit, ut Bancarij nullum pro hac custodia à deponentibus stipendium reportent. Ita cum Navarro, Mol. Lessio, Rebello, Palaus, *sup. num.* 3. Quod procedit cum solvunt eisdem deponentibus, at si tertio ex eorum commissione solvant, quinque, vel sex pro mille solent accipere. An autem hæc quinque, vel sex debeant solvi à deponentibus pecunias, vel ab illis, quibus ex præscripto deponentium solvendæ sunt? melior sententia docet, solvenda esse à deponentibus, siquidem custodia pecuniæ, numeratio, & illius conscriptio in libris rationum, in gratiam tantum deponentium præstatur: ergo illi tantum solvere pretium debent. Ita cum Navarro, Toleto, Molin. Rebello, Valencia, Salas, Palaus, *suprà num.* 4. & cum Lopez, Salon, & aliis, Candidus, *sup. dict.* 4. Quamvis sententia quæ asserit posse accipi illud stipendium à creditoribus, quibus ex præscripto deponentium fit solutio, non sit improbabilis; siquidem id etiam in eorum commodum cedit. Ita Sotus *lib. 6. de justitia quæst. 11. art. unico* Graffis *tom. 1. decisionum cap. 100. n. 8.* Veiga; Bañez, Ledesma, quos refert, & probabile putat Palaus *suprà num.* 5. Candidus *sup. dub. 4. dicto 7.*

966

An autem Bancarius possit aliquid recipere ab illis, quibus ex præscripto deponentium pecuniæ solvendæ sunt, eo quod numeratas pecunias solvat, & non per chirographa ad alios bancarios, etiam in casu, quo deponens pecuniam deponeret in chirographis, & non numerato? Respondeo negative; Ratio est quia Bancarij, & mercatores, ad quos debita, & literæ illæ campsoriæ remittuntur, tenentur necessario in fine nundinarum in integrum illas solvere numerato; sed si lucrum recipiant, quia numerato solvunt ante finem nundinarum; illud lucrum recipiunt ratione anticipatæ solutionis, quod est iniquum; ergo. Ita cum Bañez, Salon, Candidus, *de cambiis disq. 10. art. 21. dicto 3.* Rebellus 2. *p. q.* 14. *n.* 4.

967

Dico secundò: Campsarius obligans se ad solvenda debita illius, qui nullam apud ipsum habet depositam pecuniam, potest exigere lucrum v. g. quinque pro mille, quia habere in eum finem paratam pecuniam, & se in petentis gratiam solutioni obligare, est opus mercede dignum. Ita cum Soto, Mercado, Salas, & aliis communiter, Palaus *sup. num.* 5.

968

Dico tertiò: Deponens pecuniam apud bancarium, non potest ab eo mercedem aliquam exigere; nam petere à Bancario interesse, eo quod ipsi usus pecuniæ depositæ permittatur, est petere ab illo interesse ob mutuum, cum illa permissio, & facultas, virtualis mutuatio sit, ita cum Navarro, Mercado, Ledesma, Bañez, Veiga, Salas, Palaus, *suprà num.* 7. Excipe, nisi bancarius aliquid deponenti gratis, & liberaliter obtulerit; ita cum Soto, Palaus, *sup. num.* 7. & hæc de cambiis sufficiant. Cætera vide apud præcitatos Doctores.

969

DISPUTATIO XX.

De locatione, & conductione.

SECTIO I.

Quid ſit locatio, & conductio?

SUMMARIUM.

970 *Ponitur locationis definitio.*
971 *Ponitur conductionis definitio.*

970 Dico primò: Locatio eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua ad uſum, vel fructum pretio conceditur. Ita communiter DD. Dicitur, quo perſona, quia poteſt quis ſe ipſum, vel ſervum alteri locare. Dicitur quo res, quia omnes res, ſive mobiles, ſive immobiles, poſſunt alteri locari. Dicitur quoad uſum, vel fructum, quia quædam locantur ſolum ad uſum, ut ſervus, domus, equus, quorum fructus non eſt alius, quam ipſorum uſus. Quædam vero ad fructum, ut agri, paſcua, jura, reditus, vectigalia. Dicitur tandem, pretio, id eſt pecunia, ſeu re pecunia æſtimabili, ſicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio, ad diſtinctionem precarij, & commodati, in quibus non intervenit pecunia, ſed gratis celebrantur.

971 Dico ſecundò: Conductio eſt contractus, quo perſona, vel res ad uſum, vel fructum, pretio comparatur, ſicut enim unus & idem contractus vocatur emptio, & venditio, ita idem contractus vocatur locatio, & conductio; unde locator dicitur, qui accipit mercedem pro uſu; vel fructu rei traditæ, conductor vero, qui mercedem ſolvit pro uſu, vel fructu rei traditæ. Ita Reginald. *lib.25. n.489.* Bonacina, *de contract.d.3.quæſt.7.p.1.num.2.* Leſſius *lib.3.cap.24.dub.5.* & alij communiter.

SECTIO II.

Quæ res locari poſſint?

SUMMARIUM.

972 *Omnes res; quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi extet aliqua ſpecialis prohibitio.*
973 *Quæ res prohibeantur locari?*
974 *Triennium quod conceditur ad locationem rerum Eccleſiæ quomodo computandum ſit?*
975 *An res uſu conſumptibiles, ut vinum, &c. locari poſſint?*
976 *Ponitur quoddam corollarium.*

972 Dico primò: Omnes res, quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi extet aliqua ſpecialis prohibitio; quia non plus requiritur ad contractum locationis, & conductionis, quam emptionis, & venditionis. Prohibentur tamen locari ſervitutes prædiales, viæ ſcilicet, & ſubjectiones prædiorum, quamvis vendi poſſint; prohibetur etiam locari domus vicina habitationi magiſtrorum, fabro, vel alij magiſtro, quando eorum voces confunduntur *l. unic. C. de ſtudiis liberat. verbo Roma.* Hæc tamen non eſt in uſu, niſi reclamet magiſter. Bonac. *de contract.q.7.p.1.n.2.* Econtra verò, aliquæ res locari poſſunt, quæ vendi prohibentur, ut res pupilli, minoris, bona dotalia, quæ poſſunt à viro, tutore, vel curatore locari, non tamen vendi, & res Eccleſiæ locari poſſunt à prælato ad breve tempus, id eſt, ad triennium, non tamen ad decennium *Clem. 1. de rebus Eccleſiaſt. non alienandis.*

973

Adverte tamen quod triennium, quod hic conceditur ad locationem rerum Eccleſiæ, debere eſſe utile; unde ſi fundus tantum alternis annis fructum ferat, poteſt locari ad ſexennium, nam annus in locatione, non taxatur ex ſimplici decurſu temporis, ſed ex decurſu, cum proventu fructuum. Filliuc. *tom.3.tr.44.c.2.n.8.* & alij contra Tamb. *de triplici jure lib.9.tr.4.c.2 §.1.n.14.* Quod ſi fundus in anno duplicem fructum ferat, id per accidens eſt, aliàs ſi quater in anno fructum ferat, ut accidit in hortulis, non poſſet, nec etiam ad annum conduci, quod tamen dicendum non eſt; Pontifex namque concedit tres annos utiles ad locationem; quod autem in eis plures, aut pauciores fructus colligantur, de hoc non curat Pontifex, ſed ſolum intendit, quod ad longius tempus fundi Eccleſiæ non conducantur. 974

An autem pecunia, & aliæ res uſu conſumptibiles, ut vinum, oleum, &c. locari poſſint? Reſpondeo poſſe ad pignus, vel ad pompam, non tamen ad uſum; quia in his rebus uſus non diſtinguitur à dominio. Unde illorum dominium perſeverare debet apud locantem, ita ut ſi pereant abſque levi, vel lata culpa conductoris, pereant ipſi locatori; quia quoties perit res locata abſque conductoris culpa, domino perit. Rebell. *lib.14.q.4.n.1.* Reginald. *lib.2.n.489.* Filliuc. *tr 36.c.1.q.7.* 975

Et hinc deducitur reſolutio illius caſus. An pharmacopola poſſit locare per aliquot annos ſuam officinam cum vaſis, & medicamentis, ita ut conductor poſt illos annos teneatur reddere officinam integram, non ſolum cum prædictis vaſibus, ſed etiam cum ſimilibus medicamentis? Ad quod facilè Reſpondetur, quod officina, & vaſa poſſunt recte locari; ipſa vero medicamenta ſolum poſſunt locari ad pignus, & oſtentationem; nam cum uſu ipſo conſumantur, non poſſunt locari ad uſum. Vnde vel vendi debent, vel cum aliis permutari, aliàs eis non poteſt uti conductor, cum illorum dominium non habeat, & uſus à dominio in eis non diſtinguatur. Ita cum Lugo, Tamb. *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 3. num. 1.* 976

SECTIO III.

Qui locare, vel conducere poſſint?

SUMMARIUM.

977 *Omnes qui facultatem habent emendi, vel vendendi poſſunt locare, & conducere, niſi ſpecialiter prohibeantur.*
978 *Qui legibus prohibeantur?*
979 *Conductor poteſt rem, quam conduxit alteri locare, modo aliter non ſit deductum in pactum.*

977 Dico primò: Omnes illi, qui facultatem habent emendi, vel vendendi, poſſunt contractum locationis, vel conductionis inire, niſi ſpecialiter prohibeantur, ut prohibentur Curiales, & milites conducere prædia ad colendum *l. curiales C. de locato l. milites C. de locato*, & Clericis & monachis prohibitum eſt conducere prædia laïcorum præciſa neceſſitate, quamvis poſſint ſuccedere conductori *cap. multa ne clerici, vel monachi* Filliuc. *tract. 36. quæſt. 3.* 978

Dico ſecundo: Conductor poteſt rem, quam conduxit alteri locare, modo aliter non ſit deductum in pactum cum primo locatore, & modo primus locator damnum non patiatur. Hinc conductor 979

non

non potest locare domum meretrici; quia hoc cederet in primi locatoris opprobrium. Reginald. *lib.* 25. *n.* 5. 6. In hoc autem casu secundus conductor tenetur pretium rei secundo conductæ secundo locatori solvere, nam illi tenetur solvere, cum quo iniit contractum; bona tamen ipsius, quæ remanent in domo v.g. locata remanent tacite hypothecata pro pensione domino domus. Bonac. *d.* 3. *de contract. q.* 7. *p.* 1. *num.* 5.

SECTIO IV.

Quodnam censeatur justum stipendium, vel pensio locationis?

SUMMARIUM.

980 *Si locatio sit ad usumfructum, illa censetur justa pensio seclusо pacto inter contrahentes, qua fructus speratos, deductis expensis non excedat.*

981 *Si locatio sit ad usum tantum, illa censetur justum stipendium, quod hujusmodi famulis, & operariis dari solet, ita ut non sit minus infimo, nec majus summo.*

982 *Debet etiam attendi, an obsequium sit exiguum.*

983 *Debet etiam attendi liberalitas domini.*

984 *An famulus possit domino pro stipendio servire, quem scit non posse mercedem illi solvere, nisi cum damno creditorum, quibus multa debet?*

985 *Operarij, qui locant operas suas, si per eos non stet, possunt jure accipere integrum stipendium.*

986 *Sed quid si mercator promisit gubernatori navis ut merces ad Indos transferret, sed medio confecto ob reluctantes ventos reversa est navis in portum, unde decesserat?*

980 Dico primò: Si locatio sit ad usumfructum, illa censetur justa merces vel pensio, seclusо quolibet justo pacto inter contrahentes, quæ judicio viri experti, omnibus considerat is, non excedit fructus speratos, deductis expensis cæterisque subducendis, qualia sunt gabellæ debitæ fortè aliis titulis. Tamb. *de triplici jure lib.* 9. *tr.* 4. *c.* 4. §. 1. *n.* 1. Unde si detur læsio enormis in pensione, sive ex parte locatoris, sive conductoris, tunc in foro externo datur actio læso, si læsio fuerit ultra dimidium justi pretij, non tamen infra; at in foro conscientiæ semper obligatur lædens reſarcire læso, sive læsio sit ultra, sive infra dimidium justi pretij, ut diximus de venditione. Ita cum communi sententia Tamb. *de triplici jure lib.* 9. *tract.* 4. *cap* 4. §. 1. *num.* 2. *& patet ex l.* 2. *C. de rescind. vend.* Dixi seclusо pacto justo, nam si inter contrahentes intercessit pactum justum, illi standum est. Ita communiter DD.

981 Dico secundò: Si locatio sit ad usum tantum, quomodo solent locari, etiam personæ, ut si quis se ipsum vel suum servum alteri locaret, ad serviendum in quacunque re domino, sive in aliquo particulari opere, ut solent locari artifices, coloni, scientiarum magistri, medici, barbitonsores, &c. illud censetur justum stipendium, quod hujusmodi famulis, & operariis dari solet, ita ut non sit minus infimo, nec majus summo; habet enim hoc stipendium latitudinem, sicut vulgare pretium rerum venalium, judicarique debet juxta arbitrium viri prudentis, habita ratione obsequiorum, consuetudinis, temporis, & aliarum circunstantiarum, ut si famulus speret à domino favorem, vel gratiam, vel munera in Republica, vel officia, aut beneficia, hæc enim spes est pretio æstimabilis, etsi dominus fecit quod in se erat, ut illi hæc officia procuraret ad amplius non obligatur, quamvis famulus non consequatur, censetur namque famulus liberaliter condonasse Trullenc. *lib.* 7. *c.* 23. *dub.* 5. *n.* 6.

Debet etiam attendi, an obsequium sit exiguum, 982
unde maneat ipsis locus, sive auctionandi, sive alio modo lucrandi. Item debet attendi, an dum serviunt, aliquam artem, sive mechanicam, sive medicinæ, vel musicæ addiscant; nam hi sæpe solo victu contenti sunt, & aliquando, nec ob victum, sed solum ob finem addiscendi famulantur. Debet etiam attendi, an solo honore officij contenti sint, ut aliquibus officialibus sæpe accidit in Republica, quamvis maximis Reipublicæ occupationibus occupentur. Debet etiam attendi, an sit magnus numerus famulorum, & officialium, qui se ad serviendum offerunt, & pauci, qui illos velint conducere, nam merces uitroneæ vilescunt usque ad tertiam partem, & aliquando usque ad dimidiam, & ex defectu dominorum etiam pretium diminui potest, sicut cum non sunt emptores, & multæ res venales stipendium currens in foro est minus.

Tandem debet attendi liberalitas domini, qui 983
aliquando plus justi stipendij dat ob decorem domus suæ, quo casu si princeps det famulo suo honorario, non solum pro se, sed etiam pro alio famulo, qui ipsi inserviat stipendium, & hordeum pro equo, non tenetur ipse habere alium famulum, & equum, sed potest has portiones sibi assumere: nam hæc non ei dantur, ut ille habeat equum, & famulum, sed ex liberalitate principis, ut illos possit habere, & eorum defectus non redundat in dedecus domini, ut suppono, sed solum ipsius honoratij famuli. Lugo *de justitia d.* 16. *n.* 82. Tamb. *de triplici jure lib.* 9. *tr.* 4. *cap.* 7. §. 1. *n.* 5. Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 21. *dub.* 5.

An autem famulus possit domino pro stipendio 984
servire, quem scit non posse mercedem illi solvere, nisi cum damno creditorum, quibus plura debet? Respondeo, quod si dominus ita indiget famulo, vel famulis, ut absque magno dedecore, juxta qualitatem personæ, non possit sine eis vivere, posse famulum domino servire, & mercedem constitutam ab eo accipere, quia sicut dominus excusatur ob tale incommodum à solutione debitorum, ita & famulus. Ita cum Vasq. Tamb. *de triplici jure lib.* 9. *tr.* 4. *c.* 7. §. 1. *n.* 36. Et idem à fortiori dicendum est de medico, & Pharmacopola, & aliis præbentibus necessaria infirmo, qui non est solvendo creditoribus; nam hi etiam possunt accipere, & petere pretium rerū suarum, propter eandem rationem. Tamb. *supr. n.* 36. Secus dicendum existimo, si dominus posset absque dedecore vivere sine famulis: nam tunc si famulus moraliter certus sit de tali impotentia domini, quod raro accidere potest, cum famulus plerumque nesciat potentiam, vel impotentiam domini, dato tamen, quod moraliter certus sit de ea, tenetur vel alium dominum quærere, vel stipendium cum damno creditorum non accipere. Ita cum Aragonio, Navarr. Mol. & aliis Tamb. *sup. n.* 37. Sed de his, & de aliis, quæ hic circa famulos desiderari poterant, vide quæ dixi *in* 4 *præcept. tr.* 7. *d.* 3. *sect.* 1. & 4.

Dico tertiò: Operarij qui locāt operas suas, si per 985
eos non stet possunt jure accipere integrum stipendium *l. qui operas suas ff. locati* Unde advocatus, qui propter aliquam causam stipendium accepit, non tenetur illud restituere, si per illum causæ prosecutio non stet. Similiter qui locavit navim, potest exigere vecturas, etiam si merces asportatæ non sint. Fill. *tr.* 36. *c.* 6. *q.* 5. Azor. *p.* 3. *lib.* 8. *c.* 14. *q.* 1. E contra

vero,

vero, si quis se conduxit certo pretio ad ædificium, v.g. faciendum non potest plus petere, si dolus, & fraus abfuit in contractu, etsi plus temporis, & expensarum in eo construendo insumserit, quam putavit, nam id ipsi in illa arte perito imputandum est quamvis si damnum notabile sit, æquitas postulet, ut aliqua arbitrio prudentis viri, fiat compensatio. Trullenc. *lib.7.c.23.dub.5.n.1.* Tamb. *de triplici jure lib.9.c.7.§.1.n.32.* Sic etiam non potest petere compensationem nauta, qui putans se translaturum rem spatio quindecim dierum, postea tempestate suborta, vix per me sem transferre potuit, quia casus fortuitus sibi imputandus, sicut si citius eam transtulisset. Ita cum Bonacina, Trullenc. *sup.n.10.* Tambur. *sup.n.32.*

986 Sed quid, si mercator promisit gubernatori navis, ut merces, v.g. ad Indos, vel alium locum transvehe. ret; sed medio confecto itinere, ob reluctantes ventos revera est navis in portum unde decesserat? Respondeo teneri mercatorem solvere pretium pro rata itineris. Et idem dicendum est, si à piratis capta fuit, vel fortè periit, absque culpa nautæ. Bonac. *de contract.d.3.q.7.p.4.n.20.* Trullenc. *sup num.13.* Et idem dicendum est de eo, qui conduxit equum, vel servum ad ferendum aliquid in aliquem locum, & in medio itineris periit. Trullenc. ibi. Secus dicendum est de eo, qui conduxit navim ad portandas merces in aliquem locum, & in medio itineris detentus est, eo quod merces prohibitæ erant, nam tunc integra merces nautæ solvenda est; nam culpa conductoris merces ad locum non fuerunt asportatæ. Ita cum Bonacina, Trullenc. *sup.n.11.*

SECTIO V.
De obligationibus locatoris.

SUMMARIUM.

987 *Locator tenetur primo tradere rem locatam conductori.*

988 *Quid si res ad plures pertineat, & unus vult locare uni, alter alteri?*

989 *Locator tenetur tradere rem non vitiatam in ordine ad usum.*

990 *Locator tenetur solvere expensas necessarias ad rem locatam, & utiles.*

991 *Quid si locator imposuit in contractu ut fierent prædicta melioramenta, non tamen expressit, quibus expensis?*

992 *An sublocator teneatur etiam ad prædictas expensas?*

993 *Locator tenetur remittere pensionem conductori, quando calamitas, & sterilitas tanta est, ut conductor nihil ex re conducta receperit, nisi aliter sit cautum.*

987 Dico primò: Locator tenetur primo, tradere rem locatam conductori. Vnde si rem duobus successive locavit, manutenendus est ille, cui primo tradita est, sive sit primus, sive secundus conductor, illa enim possessio dat illi jus, ne spolietur. Azor. 3.
988 *p.lib.8.c.8.q.4.* Sed quid, si res ad plures pertineat, & unus vult uni locare, alter alteri, vel unus ad unũ usum, alter ad alterum, aut unus vult locare personæ honestæ, alter inhonestæ? Respondeo prævalere contractum illius, qui fortius jus in re habet, vel qui vult locare personæ honestæ. Quando autem æquale est omnium jus, mittendæ sunt sortes, vel per judicem contentio dissolvenda; Quod si unus de facto, aliis non consentientibus, rem locet, tenet contractus, si alij sine justa causa dissentiant, sociis tamen non consentientibus debetur pars pensionis, quia adhuc illa pars est fructus rei suæ. Gomez *tom.2.variarum cap.3.n.14.* Filliuc. *tr.36.c.1.q.16.* Bonac. *de contract.d.3.q.7.p.1.n.6.*

Dico secundò: Locator tenetur secundo, trade- 989
re rem non vitiatam in ordine ad usum. Vnde si non monito conductore rem vitiosam locet, tenetur restituere damnum quo affectus fuit conductor de rei vitio non monitus, modo intercesserit culpa locatoris lata, vel levis. Navarr. *sum.cap.17.n.196.* Filliuc. *tract.16.cap.4.q.1.* Si tamen bona fide locavit, non tenetur ad restitutionem damnorum, tenetur tamen de pretio locationis detrahere, quantum minus res est utilis conductori. Item si locet rem tributis, & oneribus subjectam, tenetur solvere tributa, & onera; alias de pretio locationis deducenda sunt, nisi præcesserit pactum in contrarium. Rebello *2.p.lib.14.quæst.9.n.11.* Si vero locet domum, quæ post aliquod tempus, pro aliquo delicto locatoris fisco adita est, non potest exigere pensionem respondentem tempori futuro; non tenetur tamen de damno conductori, quia contra illam, nullam commisit culpam. Trullenc. *lib.7. Decalog. cap.23. dub.3.n.5.*

Dico tertiò: Locator tenetur 3. non solum ad re- 990
sarciendas expensas necessarias in resarcienda re conducta ad usum, ut reficere tectum domus locatæ, vel reparare murum minantem, calceos ferreos apponere equis, medicamenta adhibere eidem equo infirmo; sed etiam utiles, quæ duraturæ sunt, ultra conductionis tempus, dummodo conductor non promiserit eas facturum propriis expensis, eo quod locator aliquid detraxit de pensione, vel quia conductor voluntariè remisit. Et ratio est, quia qui percipit commodum, par est ut sentiat incommodum; ergo si conductor non remittat, vel non detur prædictum pactum, tenetur locator solvere dictas expensas. Ita Lugo *d.29.de justitia, n.67.* & cum Fill. Reginald. & aliis, Escobar *lib.39. Decalog. n.85.* Trullenc. *lib.7. Decalog. cap.23. dub.3 num.5.*

Sed quid si locator imposuit in contractu, ut fie- 991
rent prædicta melioramenta, non tamen expressit, quibus expensis? Respondeo pertinere ad conductorem eas solvere; nam si locator proposuit, & conductor se obligavit ad ea melioramenta, consequẽter se obligavit ad expensas. Lugo *d.29. de justitia n.69.* & cum Lopez, Escob. *lib.39. Decalog. n.423.* Tamb. *de triplici jure lib.9 tr.14.c.1.§.1.n.22.* cõtra Mol. *d.496.n.4.* ubi alios citat. Et idem dicendum est de melioramentis non necessariis, nec utilibus locatori, sed quæ vel fecit conductor ad ornatum, vel ad suum commodum; nam has etiam expensas tenetur solvere conductor, nisi expresse, vel tacite locator ea approbaverit, sibi enim imputet conductor, si tales fecit expensas, sine approbatione locatoris. Si tamen sine detrimento rei conductæ, ea melioramenta possint avelli, id efficere potest conductor, & secum ea asportare. Lugo *d.17. num.32.* Tamb *sup.n.15.* Trullenc. *sup.n.5.* Escob. *sup.n.85.*

An autem sublocator teneatur etiã ad prædictas 992
expensas? Respondeo teneri solvere subconductori expensas necessarias, & utiles ad usum, & etiam voluntarias, seu ad ornatum, vel usum solius subconductoris, quando sublocator in eis consensit; Secus si in eis non consensit. Et ratio est, quia subconductor contraxit cum sublocatore; ergo ab eo, vel ab ejus hæredibus debet postulare prædictas expensas, sicut & illis solis tenetur solvere pẽsionem. Ipse autem sublocator, vel ejus hæredes eas debent postulare à primo locatore, cum quo inierunt primum locationis contractum, siquidem locator

tenetur

Digitized by Google

tenetur ſolvere, ut diximus prædictas expenſas neceſſarias, & utiles, modo dicto, & etiam voluntarias, & ad ornatum, ſi in eis conſenſit. Ita Lugo, *d. 19. de juſtitia n. 7.* Tamb. *ſuprà, tr. 4. c. 1. §. 1 n. 24. & 25.*

993 Dico quartò: locator rei fructiferæ, tenetur remittere conductori totam penſionem, quando ſterilitas, vel calamitas anni eſt tanta, ut conductor nihil ex re conducta perceperit, niſi aliter ſit conventum, *l. ſolutum §. ſolutum ff. de pignerat. l. conducto, ff. locati C. propter ſterilitatem.* Si tamen calamitas non ſit tanta, ſed revera magna ſit, pro rata gerenda eſt remiſſio. Illam autem ſterilitatem dico magnam quãdo res conducta non reddit dimidiam partem fructuum, quos dare conſueverat. Non tenebitur tamen quidpiam reddere quando præcedentium annorum fertilitas præſentem ſterilitatem compenſare videatur. Gomez, *tom. 2. variarum, cap. 3. n. 18.* Navar. *ſum. c. 17. n. 13. & 14.* Diana, *p. 3. tr. 6. reſ. 17.* An autem quando in aliquo anno eſt extraordinaria ubertas proveniens ex tali clementia, vel caſu fortuito, & non ex ſola coloni induſtria, vel fertilitate terræ, poſſit locator penſionem augere, ſaltem ex æqualitate affirmat Filliucius, *tract. 36. cap. 3. q. 1.* Leſſius, *lib. 2. c. 24. n. 21. & 22. ex l. ſi merces, §. ſi vis major. ff. locati*, ſed hoc non video in uſu.

SECTIO VI.

An locator licitè poſſit expellere conductorem à re conducta, antequam tempus conductionis finiatur?

SUMMARIUM.

994 *Finito locationis tempore poteſt locator expellere conductorem, ſtando in jure communi.*

995 *Locator ſciens finitum eſſe tempus, & permittit conductorem rem locatam tenere cenſetur prorogari locatio.*

996 *Locator non poteſt invito conductore rem locatam repetere, niſi finito locationis tempore.*

997 *Aliqui dantur caſus, in quibus poteſt invitum conductorem expellere, qui referuntur.*

994 Dico primò: finito locationis tempore, certum eſt poſſe locatorem expellere conductorem, & rem alteri locare, etſi conductor pro æquali pretio velit perſiſtere in re conducta ſtando in jure communi, & ſeclusis ſpecialibus privilegiis, & legibus aliud diſponentibus, ut diſponit, *l. penult. C. de locatione prædij, lib. 11.* de conductione prædij communis, vel fiſci Tambur. *de triplici jure tr. 4. lib. 9. cap. 6. §. 1. n. 1.* de jure autem Luſitano *lib. 4. ordinationis tit. 23.* debet dominus per 30. dies antequam finiatur tempus locationis monere conductorem, ut deſiſtat à locatione quod ſin faciat cenſetur prorogari locatio ad alterum annum. Si tandem locator
995 ſciens finitum eſſe tempus permittat conductorem rem locatam tenere, cenſetur prorogari locatio, vel ad annum, ſi res conducta ſit prædium ruſticum, vel quoad uſque alter ex contrahentibus velit à conductione recedere, ſi res conducta ſit domus *l. item quoties, §. qui impleto l. ſequens ff. locati.* Quod intellige, niſi domus in eo loco ſemel tantum in anno ſoleat locari, tranſacto eo tempore non amplius inveniuntur locatores: nam tunc etiam cenſetur locata ad annum Molina, *d. 498. n. 12.* Bonacina, *d. 3. de contract. q. 7. p. ultimo*, Tamburinus, *ſuprà num. 4.*

996 Dico ſecundò: locator non poteſt invito conductore rem locatam repetere, niſi finito locationis tempore; ſiquidem conductor per contractum jus acquiſivit ad certum uſque tempus Layman, *lib. 3. tr. 4. c. 22. n. 9.* Eſcobar, *lib. 39. Decaleg. n. 84.* & alij communiter. Ex quatuor tamen cauſis jure com- 997
muni poteſt locator conductorem etiam invitum expellere, *l. ede, ff. locati C. propter ſterilitatem, §. verum de locato.* Prima eſt, quando conductor, cui res ad quinquennium, vel ad plures annos fuit locata per triennium continuum, ultra terminum præfixum, diſtulit ſolutionem penſionis, quia frangenti fidem, fides non eſt ſervanda. Secunda eſt caſus improviſus, per quem domus, quam quis alteri locavit incipit locanti eſſe neceſſaria ad habitandum; & hæc cauſa ſolum habet locum in domibus, non vero in agris, quia lex hoc concedens continet privilegium, quod non debet extendi. Tertia eſt, ſi domus, vel alia res locata neceſſario egeat refectione, quæ non poteſt inhabitante, vel occupante conductore fieri; illa autem peracta, domus eſt conductori reſtituenda. Quarta eſt, ſi conductor re conducta abutatur, ſive damnum inferendo, ſive infames introducendo, ſive alia ratione, cum ſcandalo vivendo, & hæc quarta, & prima cauſa, non ſolùm habet locum in ædibus, & prædiis urbanis, ſed etiam in prædiis ruſticis; imò etiam in mobilibus Caramuël, *lib. 2. Theologiæ moral. n. 697.* Bonacina, *de contract. d. 3. queſt. 7. p. 2. n. 11. & 12.* Filliucius *tract. 36. cap. 3. queſt. 8.* Leſſius, *lib. 2. cap. 24. dub. 7. n. 34.* Gomez, *tom. 2. cap. 3. n. 6.*

SECTIO VII.

De obligationibus conductoris.

SUMMARIUM.

998 *Prima obligatio conductoris eſt reddere rem conductam integram.*

999 *Tenetur conductor de damno, ſeu culpa illata in re conducta.*

1000 *Tenetur conductor ſolvere penſionem in fine anni, niſi aliter conventum ſit.*

1001 *An ſi ſuperveniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ, ob quod non poteſt ea conductor uti, teneatur adhuc totam ſolvere penſionem?*

1002 *Quid ſi conductor rem relinquat domino, nolens ea uti ob qualemcunque rationem?*

1003 *Quando hæc penſio ſit ſolvenda?*

1004 *Conductor tenetur facere expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad colligendos fructus ex agro.*

1005 *An teneatur facere expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad avertenda mala, quibus res conducta periret.*

1006 *Si inter contrahentes interceſſerit aliquod pactum juſtum, illi ſtandum eſt.*

1007 *An ſit pactum juſtum, quando omnia pericula etiam fortuita, & inſolita conjiciuntur in conductorem?*

1008 *Quoddam corollarium ponitur.*

1009 *An ſi locetur grex ovium cum pacto ut in fine conductionis reddatur in eodem numero, bonitate, & ætate, qua nunc traditur, talis contractus ſit licitus?*

1010 *An pactum quod duo ad invicem ſibi locent unus alteri prædium, & alius alteri domum, cum conductione quod nullus teneatur ſolvere, donec ambo velint reddere acceptum, ſit juſtum?*

Dico 1. prima obligatio conductoris eſt reddere 998
rem conductã integram. Vnde ſi culpa lata, vel

levi conductoris pereat, vel deterior fiat, tenetur de damno, non tamen tenetur de culpa leviſſima, nec de caſu fortuito, quia contractus fuit in utriuſque commodum, nec enim tenetur majorem diligentiam adhibere ad rem conductam conſervandam, quam alij conductores communiter ſolent adhibere. Ita cum Filliucio, Leſſio, & aliis communiter Eſcobar, *l. b. 39. Decalog. num.* 8. Hinc fit, quod ſi quis præſcripto tempore non reddat equum, v. g. locatum, & is caſu moriatur, vel ſi equus locatus fuit ad tot milliaria peragenda, & conductor ad alia illum duxit, vel ſi locatus fuit ad nullam farcinam, niſi equitem portandum, & conductor contra fecit, unde & mortuus eſt equus, tenetur conductor ad omnia damna ſecuta; quia contra pactum explicitum egit. Excipe niſi in primo caſu eodem modo eſſet moriturus apud dominum, vel niſi in prædictis caſibus conductor rationabiliter conjiceret, non eſſe contra voluntatem domini, & quoad aliquem uſum uti. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 3. §. 1. num.* 23.

999 Secundò fit teneri conductorem de damno illato, ſi mala potatione, v. g. reddidit vites ad aliquos annos poſt finitum tempus locationis infœcundas; ſi videns murum minantem ruinam, dominum ut ſuccurreret non admonuit; ſi ob ſuam negligentiam, ſervitutem induxi in prædium permiſit, vel ſi ingruentem tempeſtatem contra navem conductam cum poſſet non præcavit; in his enim caſibus, licet non præceſſerit pactum explicitum inter conductorem, & locatorem, intereſſit tamen pactum implicitum quatenus conductor implicite promiſit rem locatam, ut ſuam cuſtodiendam. In dubio tamen an res negligentia conductoris perierit? præſumendum eſt non fuiſſe ex ejus culpa, niſi locator culpam oſtendat. Ita Tamburinus, *ſuprà num.* 27.

1000 Dico ſecundò: ſecunda obligatio conductoris eſt, ſolvere penſionem in fine anni, niſi aliter conventum ſit, aut habeat conſuetudo, & dum non ſolvit, pro ea cenſentur obligati fructus in prædio collecti. Ita Eſcobar, *lib. 39. Decalog. num.* 81. Dixi fructus in prædio collecti: nam antequam colliganter, ſunt ſub domino locatoris, quia tunc faciunt unum cum plantis, & arboribus; poſtquam vero ſunt collecti, & ſeparati à prædio, fiunt conductoris, etiamſi is nondum ſolverit penſionem; interim tamen dominus habet hypothecam in dictis fructibus, unde ſi conductor eos aſportet è prædio, invito locatore fieri poſſet. Ita Molina, *d.* 497. Lugo, *d. 29. n.* 26. Tamburinus, *ſuprà, lib. 9. tract. 4. cap. 3. num.* 5.

1001 An autem ſi ſupervenerit aliquod impedimentum ex parte rei conductæ, ob quod ea uti non poteſt conductor, teneatur adhuc totam ſolvere penſionem? Reſpondeo quod, ſi tale impedimentum ſupervenerit culpa conductoris, ut quia non vult domum habitare, quia vult aliò pergere, tenetur ſolvere integram penſionem, niſi alteri æque, & bene locata ſit, vel alteri non eſſet locanda, niſi ab eo conducta fuiſſet. Secus dicendum eſt, ſi ſine culpa conductoris re conducta uti non poſſit, ut ſi quis domum conduxit, & vicinam invadit peſtis, vel incipiunt ibi graſſari milites, qui omnia vaſtant: nam tunc non tenetur ſolvere penſionem pro tempore, quo ea non utitur Leſſius, *lib. 2. cap. 24. dub. 2.* Trul. *lib. 7. cap. 22. dub. 2. n. 1. & 2.* Et idem dicendum eſt, ſi culpa locatoris re uti non poteſt, imò locator tenetur de damno dato conductori, at ſi locator fuit impeditus caſu fortuito, ſine illius culpa, non tenetur ad intereſſe remittendum, niſi pro rata temporis Bonacina, *quæſt. 7. p. 3. num.* 10. & 11. Leſſius. *lib. 2. dub. 2. num.* 11. & cum aliis Trullenc. *ſuprà numero* 3. & 4.

Sed quid, ſi conductor rem relinquat domino nolens ea uti, ob qualemcumque rationem. Reſpondeo adhuc teneri ſolvere totam integram penſionem; ſibi enim imputet conductor, quod nolit re conducta uti, Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. c. 4. §. 1. n.* 13. Excipe niſi dominus conſenſerit. Molina, *d.* 493. *n.* 4. vel niſi dominus alteri ſuâ rem æquali pretio locet, quod ſi locet majori pretio, nō tenetur dominus exceſſū conductori reddere: nā dum conductor rem relinquit, cenſetur à ſe abdicare, & pro derelicto habere fructus quoſcunque, ſive copioſos, ſive modicos ex re illa proventuros Tamburinus, *ſuprà num.* 16. contra Lugum, *d.* 29. *de juſtitia num.* 30. 1002

Si tamen quæres, quando hæc penſio ſit ſolvenda? Reſpondeo debere ſolutio fieri ſecluſo pacto, vel conſuetudine Regionis, in fine conceſſi temporis; quia tunc æquum eſt, ut penſio ſolvatur, quando quis jam habuit totum uſum rei conductæ. Vnde ſi conductio fiat ad annum, ad ſex menſes, ad menſem, in fine hujus temporis ſolvenda eſt penſio, & ſi res eſt fructifera, quando fructus colliguntur; quod ſi res locetur per novem, aut plures annos, in fine cujuſcunque anni, fieri debet ſolutio: nam locatio plurium annorum æquivalet pluribus locationibus Molina, *d.* 497. Bonacina, *de contract. d. 3. q. 7. p. 3. n. 5.* Tamburinus, *ſuprà, §. 3. n.* 2. Vnde ſi conſtet conductorem ſolviſſe ultimis tribus annis, præſumitur ſolviſſe ceteris antecedentibus, niſi contrarium probetur, *l. quicunque C. de apochis public.* vel niſi conductor certus ſit, ſe non ſolviſſe: nam tunc tenetur in conſcientia ſolvere, ſicut etiam tenetur quando eſt dubiūan ſolverit, quia locator eſt in poſſeſſione crediti. Ita cum Menochio, Maſcardo, Tamburinus, *ſuprà, §. 2. n. 3. & 4.* ſi tandem quæres ubi hæc penſio ſit ſolvenda? Reſpondeo ſecluſo pacto, & conſuetudine regionis, debere ſolvi in loco, ubi facta eſt conductio Tamburinus, *ſuprà, §. 3. n.* 1. 1003

Dico tertiò: conductor tenetur facere expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad colligendos fructus ex agro, ut arare, fodere, metere, &c. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 1. §. 1. n. 14. & §. 2. n. 4.* Layman, *tract. 4. lib. 3. cap. 22. n. 4.* & alij communiter. An autem teneatur facere expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad avertenda mala, quibus res conducta periret, ſi ei non ſuccurreretur? Reſpondeo ſecluſo pacto negative; ſed omnes expenſæ, ſive magnæ, ſive parvæ ſint, debere fieri ſumptibus locatoris. Ita Lugo, *d. 29. n.* 70. contra Tamburinus, *ſuprà, lib. 9. tract. 4. cap. 5. §. 2. n. 6.* Ratio eſt, quia hæc mala obveniunt rei, ſine culpa conductoris, ut ſuppono: ergo ex vi contractus nō tenetur ea ſuis expenſis avertere, tenebitur tamen in facti contingentia diligenter, ſi poteſt, rei ſuccurrere, ne pereat, ſive magnis, ſive parvis expenſis, mutuando etiam ſibi ad id pecunias, ſi commode poteſt, quas poſtea locator tenetur ſolvere; quod ſi noluerit eas ſolvere; poteſt conductor ſibi occulte compenſare, vel retinere tantumdem de penſione, vel rem locatam, quoad uſque ſatisfiat ex fructibus inde percipiendis; ſiquidem utilem rem gerit pro domino, quare juſtitia poſtulat ut à domino reſarciatur. 1004 1005

Dixi ſecluſo pacto: nam ſi inter contrahentes intereſſerit pactum juſtum, illi ſtandum eſt. Ita communiter DD. An autem ſit pactum juſtum, quando omnia pericula, ſive fortuita, ſive ſolita, ſive inſolita, & etiam inaudita, conjiciuntur in conductorem? Reſpondeo affirmative; dummodo tantum dematur de penſione ſolvenda, quantum neceſſarium ſit ad compenſandum hoc onus, & dummodo finito tempore locationis, ſi res non periit, tradatur domino, non vero ipſius pretium. Ratio eſt quia his 1006 1007

duabus

duabus conditionibus, nec datur venditio, cum eadem res finito tempore locationis reddatur domino ſuo, nec datur inæqualitas, cum diminutione penſionis onus prædictum compenſetur. Ita Azor. *p. 3. lib. 8. cap. 11. quæſt. 7.* & cum Diana, Villalobos, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 23. dub. 6. num. 5.* Tamburinus, *de triplici jure tract. 4. cap. 5. num. 5.*

1008 Hinc fit, licitum eſſe contractum, quo locator prædium cum omni apparatu aratrorum, boum, & ferramentorum, ad meſſem, vel cum torculari, & doliis, ad vindemiam, cum pacto quod ante locationem æſtimentur, & finita locatione reddantur ejuſdem æſtimationis, & bonitatis; nam cum pro hoc onere ſuſcepto diminuatur penſio, ut ſuppono, & dominium maneat apud locatorem, non eſt unde hic contractus ſit injuſtus. Tamburinus, *ſuprà num. 11.* Et idem dicendum eſt, ſi fiat pactum, quod dimidium periculi ſortis teneatur ſolvere conductor, & alium dimidium locator, ſive res caſu, ſive culpa conductoris pereat, ut ſi locetur bos cum pacto, quod ſi intra annum minuatur æſtimatio bovis, conductor dimidium jacturæ, amittat, & aliud dimidium locator: nam cum dimidium bovis, vel rei locatæ, maneat apud locatorem, & de penſione minuatur quantum ſufficit ad conſtituendum æqualitatem, non eſt unde hoc pactum reddatur illicitum. Ita Lugo, *d. 29. num. 70.* Tamburinus, *ſuprà num. 13.* Si tamen quæras, quando cenſeatur penſio hæc oneri æqualis? Reſpondeo hoc debere fieri à viro experto in hac re: exiſtimat autem Lugo, *ſuprà*, eſſe æqualem penſionem prædicto oneri, ſi v. g. pro bove æſtimationis 10. aureorum, detur penſio aureorum trium.

1009 An autem ſi locetur grex ovium cum pacto, quod in fine conductionis reddatur à conductore in eodem numero, bonitate, & ætate, qua nunc traditur ſtantibus prædictis duabus conditionibus, talis contractus ſit licitus? Affirmat Tamburinus *ſuprà num. 9.* cujus ratio eſt; quia talis grex, & ſi una, vel altera ovis moriatur, & alteri loco ejus apponatur à conductore, ſemper eſt moraliter idem grex, & ovis de novo appoſita, ponitur nomine locatoris, & ſtatim acquiritur ejus dominio; quod autem petatur, quod ſint in eadem juventute, & ætate, eſt pactum præter naturam contractus locationis non deſtruens locationem. Sed ego licet admittam id, quod ait Tamburinus, quod in fine conductionis reddatur grex in eodem numero, & bonitate, non tamen admitto pactum, quod reddantur in eadem ætate, & juventute: nam hoc pactum deſtruit contractum locationis: nam qui locat, ad aliquod tempus locat: ergo poſtulare, quod in fine locationis res locata habeat eandem juventutem, & ætatem, quam habuit tempore, quo fuit à principio locata eſt deſtruere ipſam locationem, & poſtulare rem contradictoriam. Ita Azorius, *p. 3. lib. 8. cap. 12. quæſt. 2.*

1010 An autem pactum, quod duo ad invicem ſibi locant unus alteri fundum, & alias alteri domum, hac conditione quod nullus teneatur ſolvere penſionem, donec ambo velint reddere acceptum, ſit juſtum? Reſpondeo affirmative, ſi res traditæ ambæ ſint fructiferæ, & æqualium fructuum, ſecus ſi unus det pecuniam, & ab alio accipiat domum, vel fundum: nam pecunia non eſt ex ſe fructifera. Excipe, niſi ex damno eam danti emergenti forte juſtificetur. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 10.*

SECTIO VIII.

Vtrum ſucceſſor ſtare debeat locationi, vel conductioni factæ à ſuo anteceſſore?

SUMMARIUM.

1011 *Succeſſor univerſalis tenetur ſtare locationi, vel conductioni facta à ſuo prædeceſſore.*

1012 *Succeſſor particularis non tenetur ſtare locationi, vel conductioni facta à ſuo anteceſſore.*

1013 *Ponitur quoddam corollarium.*

1014 *Ponitur quædam advertentia.*

DIco primo: ſucceſſor univerſalis tenetur ſtare locationi, vel conductioni factæ à ſuo prædeceſſore. Ratio eſt, quia ſucceſſor univerſalis repræſentat perſonam ejus, cui in omnibus ſuccedit: ergo debet omnia ſervare, ad quæ ſuus prædeceſſor ſe obligaverat. Ita cum Mantica, & aliis communiter Bonacina, *de contract. d. 3. quæſt. 7. p. ultim. num. 2.* Eſcobar, *tract. 39. Decalog. num. 74.* Excipe niſi locatio, vel conductio fuerit facta uſque ad beneplacitum locantis, vel conductoris, nam tunc per mortem expirat beneplacitum, *l. 4. ff. de locato, & cap. ſi gratioſe, de reſcrip. lib. 2.* Secundò quando conceſſit operas ſuas ad aliquid, quod per alium adimpleri nō poteſt, mortuo illo non tranſit contractus ad hæredes, Filliucius, *tract. 16. cap. 3. quæſt. 2.* Villalobos, *2. p. tract. 25. def. 10. num. 3.* Tertiò quando aliquis ſuccedit in majoratu, vel fideicomiſſo: nam hi non accipiunt majoratum à prædeceſſore, qui rem locavit tantum pro vita ſua, ſed à primo inſtitutore. Ita cum Molina, & aliis communiter, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 23. dub. 5. num. 6.* 1011

Dico ſecundò: ſucceſſor particularis ex emptione; donatione, vel legato, vel ſimili contractu, non tenetur ſtare locationi factæ à ſuo anteceſſore, ſed poteſt expellere conductorem, & conductor poteſt recedere, competit tamen conductori actio perſonalis in locatorem, vel ejus hæredes, ut reſarciat damnum, quod ſua intereſt, eo quod non continuetur contractus uſque ad tempus locationis. Limita tamen niſi ſignatè initio locationis deductum eſſet in pactum, ut pro tempore locationis res locata maneret hypothecata conductori: nam tunc tenetur ſucceſſor, etiam particularis ſtare locationi: nam tunc ratione contractus acquiſivit jus in ea re pro eo tempore conducto. Dixi niſi ſignatè res maneret hypothecata: nam ſi manſit generaliter hypothecata; ut ſi dicerer, omnia bona mea ſint tibi conductori pro ſecuritate hypothecatæ, tunc nō tenetur ſucceſſor ſtare locationi; competit tamen jus conductori ut diximus, adverſus teſtatorem, vel ejus hæredes de damno. Molina, *d. 490.* & cum aliis Eſcobar, *lib. 39. Decalog. num. 74.* 1012

Ex præcedenti doctrina plures deducuntur caſus. Primùm fiſcum teneri ſtare locationi factæ ab eo, cujus omnia bona, aut medietatem, vel tertiam partem illorum confiſcantur; quia tunc eſt ſucceſſor univerſalis delinquentis. Secus ſi ſuccedat in aliqua re particulari, quia tunc eſt ſucceſſor particularis. Ita cum Navar. Azor, Filliucio, Trull. *ſup. n. 3.* ſecundò fit pupillum, & minorē teneri ſtare locationi factæ à ſuo tutore, vel curatore; vel procuratore; quia erat omniū bonorū adminiſtrator. Si tamen inveniātur læſi datur eis remediū, reſtitutionis in integrum. Ita cum Azor, Villal. Filliuc. Trul. *ſup. n. 48.* Tertio fit, Vxorem mortuo marito teneri ſtare locationi factæ, 1013

non ſolùm bonorum dotalium, ſed etiam paraphernalium à marito, quia maritus non ſolùm eſt uſufructuarius horum bonorum, ſed & legitimus adminiſtrator. Molina, *d.* 492. Tamburinus, *de triplici jure lib.* 9. *tract.* 4. *c.* 6. §. 2. *num.* 8. maritus verò ſolum tenetur ſtare locationi factæ de bonis dotalibus ante matrimonium, quando ſciebat eſſe locata, ſecus ſi id non ſciebat: habet enim ſe tunc ſicut ſucceſſor particularis. Ita cum Filliucio, & aliis communiter Trullenc. *ſuprà*. Quartò fit prælatos, Abbates, Beneficiarios, teneri ſtare locationi factæ à ſuis anteceſſoribus de bonis pertinentibus ad Eccleſiam: nam de his fuerunt prædeceſſores legitimi adminiſtratores. Secus dicendum eſt de bonis, & reditibus Eccleſiaſticis pertinentibus ad ſuam dignitatem, vel beneficium, cujus fructus ſui ſunt: nam in his ſuccedunt, ſicut primogenitus in bonis majoratus: Tamburinus, *ſuprà num.* 9. & 10. & cum aliis Trullenc. *ſuprà n.* 7. Eſcobar, *ſuprà n.* 78.

1014 Adverte tamen, quod ſive ſucceſſor particularis, ſive prælatus, ſuccedens in fructibus beneficij particularis, ſive emens in re empta, ſaltem ex æqualitate non poſſe expellere conductorem ex prædio, v.g. quod ſeminavit, niſi collectis fructibus, ne intempeſtive cum alterius damno finiatur locatio. Et idem dicendũ eſt de ſucceſſore beneficij, ſi ejus prædeceſſor ex licentia ſummi Pontificis ad tres; vel plures annos locavit: nam durante hoc tempore non poteſt conductor moleſtari. Et idem dicendum eſt, ſi detur conſuetudo in loco, ſucceſſor teneatur ſtare locationi jam factæ: Ita cum Reginaldo, Azorio, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 8. Tamburinus, *ſuprà*, §. 3. *num.* 2. Adverte ſecundò, quod in his caſibus, in quibus ſucceſſor particularis tenetur ſtare locationi factæ à ſuo prædeceſſore, poteſt denuo exigere penſionem à conductore prædeceſſore anticipante ſolutam, habebit tamen conductor recurſum contra hæredes locatoris, ſi ſolvendo fuerint. Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, tom.* 3. *alleg.* 94. *n.* 5. & 7. Trullenc. *ſuprà n.* 9

DISPUTATIO XXI.

De Emphyteuſi, & Livello.

SECTIO I.

Quid ſit emphyteuſis & quomodo differat à livello feudo & aliis ſimilibus contractis.

SUMMARIUM.

1015 *Unde dicatur Emphyteuſis?*
1016 *Ponitur emphyteuſis diffinitio.*
1017 *Explicatur diffinitio emphyteuſis.*
1018 *In quo differat à livello exprimitur.*
1019 *Quid ſit livellus declaratur.*

1015 DIco primò: emphyteuſis olim plantatio, ſeu inſitio, appellabatur, eo quod terræ incultæ, & fructum ferre non ſolitæ, alicui ſub onere penſionis concedebantur, ut media ejus plantatione, & cultura frugifera fierent; conſuetudo tamen iã obtinuit, ut quælibet, ſive cultæ ſive incultæ in emphyteuſim donentur, eo tamen fine, ut meliores reddantur, ut notant cum Accurſ. *in authent. de non alien.* § *ſcire autem, verbo emphyteuſis*, communiter Doctores.

Diffinitur autem emphyteuſis, eſt contractus, quo res immobilis alteri traditur, quoad dominium utile, ſub aliqua penſione ſolvenda, in recognitionem dominij directi, apud concedentem perſeverantis. Ita communiter DD. Qui accepit hujuſmodi dominium utile, vocatur emphyteuta, ipſe contractus, quo id datur, & accipitur, vocatur emphyteuſis, ipſa penſio ſolvenda vocatur, Græce Canon, hoc eſt, regula, quaſi penſio; ex certa & fixa regula ſit ſolvenda.

Dicitur autem contractus ad reiiciendas liberales 1016
donationes, & promiſſiones, quæ proprie contractus non ſunt. Dicitur quo res immobilis, hoc eſt ſolo adhærens, & fixa, quia non eſt rei mobilis, nec etiã cujuſmodi immobilis, ſi ſolo nõ adhæreat, qualia ſuo modo ſunt jura, & tributa. Dicitur alteri traditur, quoad dominium utile, quia ſolum dominium utile, & non directum in emphyteuſi transfertur; & per hanc particulam excluduntur contractus transferentes dominium, ut ſunt emptio, permutatio, cenſus, cambium, & alij; tum etiam contractus commodati, & locati, quibus rei uſus, & non pariter fructus conceditur, imò etiam depoſiti, ac ac pignoris, & aliorum, quibus nec nudus uſus conceditur.

Dicitur ſub aliqua penſione ſolvenda in recogni- 1017
tionem dominij directi, quia in hoc contractu deſignatur penſio ſuo tempore ſolvenda, non quidem in compenſationem fructuum ex re emphyteutica percipiendorum, ſed in ſignum, & recognitionem dominij directi, quod apud Luſitanos dicitur, *pagar o domino, in o foro* & per hoc diſtinguitur à feudo, cui maxime affinis eſt: nam feudum non penſionis ſolutionem, ſed perſonale obſequium petit, ideoque feudus à fide, ſeu fidelitate, quam vaſſalus domino præſtare tenetur, dicitur.

Differt autem emphyteuſis à livello, quia livel- 1018
lus eſt contractus ſubfeudalis, vel ſubemphyteuticus, quo aliquis rem acceptam in emphyteuſim, vel feudum, tradit alteri pro penſione ſibi quoque ſolvenda, poteſt enim res emphyteutica alteri tradi in emphyteuſim, aut locari, & etiam vendi, (& idem dicendum eſt de feudo (dummodo fiat ſine detrimento domini directi, ſervatis conditionibus, quæ infra dicentur. Vide Molinam, *d.* 444. Leſſium, & alios, quos refert, & ſequitur Rebellus, 2. *p. lib.* 13. *q.* 1. Decaſtillum, *lib.* 2. *tract.* 15. *d.* 1. *à n.* 1. Palaum, *tract.* 33. *d.* 10. *p.* 1. & alios communiter.

SECTIO II.

Quotuplex ſit emphyteuſis.

SUMMARIUM.

1020 *Emphyteuſis alia eſt perpetua, alia ad tempus, alia Eccleſiaſtica, alia profana.*
1021 *Emphyteuſis alia eſt nova, alia antiqua.*
1022 *Emphyteuſis alia eſt hereditaria ſimpliciter, alia hereditaria miſtè, alia familiaris, ſeu de pacto, & providentia.*

DIco primò: emphyteuſis alia eſt perpetua, & 1019
Luſitane dicitur, *fateoſim*. Alia ad tempus, quam noſtri vocant, à *foramento*, ſive, *foros*. Et ſi eſt ad tempus incertum, hoc eſt ad unã, vel duas, vel tres generationes, dicitur Luſitane, *prazo, em vidas*, ſi eſt ad tempus certum, longũ tamen, ad minus per deceniũ, dicitur emphyteuſis, rurſu ẽphyteuſis dividitur in Eccleſiaſticam, & profanã, illa ſub Eccleſiæ bonis

(ſub

(sub Ecclesiæ nomine Monasteria, Hospitalia, Collegia, & alia loca pia comprehendi.) Hæc in bonis non Ecclesiasticis sit; in Ecclesiastica servandæ sunt leges Ecclesiæ; non verò sæculares, nisi à Pontifice fuerint approbatæ. Vnde si Ecclesia ab emphyteusi excludat illegitimos, non debent admitti etsi lex civilis illos non excludat. Palaus, *d.* 1. *p.* 2. *num.* 1. Si tamen emphyteusis Ecclesiastica laïco concedatur, quoad solvenda tributa, & vectigalia, tenebitur stare legibus sæcularibus, nec poterit gaudere exemptione Ecclesiæ. Ita cum communi sententia Palaus *sup. num.* 4. & cum Molina, Decastillus, *sup. n.* 16. contra Facchia, Dueñas, & alios.

1021 Dico secundò: emphyteusis, alia est nova, quæ scilicet primò instituitur, alia antiqua, & jam olim instituta, alia est hæreditaria simpliciter, quæ concedi solet pro omnibus hæredibus, quamvis extraneis, talísque censetur quando absolutè datur alicui, & ejus hæredibus; hæredum enim nomine intelligendi veniunt, etiam extranei, si instituantur. Molina, 1022 *d.* 469. Alia est hæreditaria mixtè, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, sed non pro omnibus. Alia dicitur familiaris, quæ datur pro illis, qui sunt de familia, etiamsi hæredes non sint, juxta pactum positum in investitura. Valasquez, *de Emphyteusi, quæst.* 43. Rebello, *lib.* 13. *quæst.* 13. *num.* 2. & hæc solet appellari cum pacto, & providentia. Decastillus, *suprà num.* 20.

SECTIO III.

Utrum ad emphyteusis valorem scriptura requiratur.

SUMMARIUM.

1023 *Pacta contrahentium præcipuè videnda sunt in hoc contractu, & quare.*
1024 *Prima conditio ad emphyteusim est scriptura.*
1025 *Si emphyteuta perdidit scripturam quomodo probandus sit contractus emphyteuticus?*

1023 SVppono, de hoc contractu præcipuè videndas esse leges, & consuetudines locorum, & conventionem contrahentium; nam pacta contrahentium dant huic contractui legem, magis quam ulli alteri & benè notat Basæus, *verbo emphyteusis, num.* 3. Decastillus, *d.* 1. *num.* 24. his suppositis, & prænotatis.

1024 Dico primò: prima conditio jure communi requisita ad valorem emphyteusis est scriptura. Ita cum multis Palaus, *d.* 10. *p.* 3. *num.* 1. Valascus, *de jure emphyteutico, quæst.* 7. *num.* 2. Molina, *d.* 447. Decastillus, *lib.* 2. *tractat.* 15. *d.* 1. *num.* 25. Quod 1025 si emphyteuta non possit probare scripturam, quia illam inculpabiliter amisit, quod illius juramento probandum est, nisi adversarius oppositum manifestè probet, ut advertit Palaus, *d.* 10. *p.* 4. *num.* 3. debet producere testes, qui affirment celebratum fuisse contractum, interveniente instrumento scripto. Molina *num. d.* 449. Vel si nec hoc possit probare per testes, tuebitur si ostendat se pacifice possedisse, & solvisse domino pensionem per triginta annos, si emphyteusis laïca sit, vel per quadraginta, si sit Ecclesiastica. Molina, *d.* 449. Imò aliqui existimant, in emphyteusi communi sufficere spatium decem annorum. Ita cum Mascardo, & aliis Decastillus, *sup. n.* 27.

SECTIO IV.

Utrum emphyteuta teneatur solvere pensionem?

SUMMARIUM.

1026 *Emphyteuta tenetur solvere proprietario pensionem in pecunia, vel fructibus.*
1027 *Aliqua dantur, quibus jure Lusitano non potest imponi pensio vini, vel olei, sed debet fieri sub pensione pecuniaria.*
1028 *Non est de necessitate emphyteusis, ut emphyteuta aliquid solvat pro ingressu.*
1029 *Aliqua dantur, in quibus jure Lusitano prohibetur aliquid dare pro ingressu.*

DIco primò: secunda conditio ad contractum 1026 emphyteusis est, ut emphyteuta in recognitionem dominij directi solvat proprietario pensionem, seu Canonem, Lusitanæ *foro*, consistentem, vel in pecunia, vel fructibus. Excipe nisi sit domus, 1027 vel solum ad domum ædificandam; nam hæc non possunt concedi in emphyteusim de jure Lusitano, sub pensione vini, & olei, ac similium, sed sub pensione pecuniaria, vel sub pensione aliquarum avium, alioquin contractus est nullus, ut habetur, *lib.* 4. *Ordinationis, tit.* 65. §. *ultimo.* Non est tamen de necessitate emphyteusis, etiam de jure Lusitano, 1028 quod emphyteuta aliquid solvat pro ingressu, ut benè cum Valasco, Rebello, *lib.* 13. *quæst.* 7. *n.* 5. Imò lex Lusitana *lib.* 4. *tit.* 66. interdicit, tam commendatariis militiarum, quam administratoribus tam Capellaniarum, quam majoratuum, & aliis similibus, quibus fas est tradere in emphyteusim res quas per solam vitam possident de Regia Corona, 1029 ne pecuniam, pretiumve aliud pro ingressu emphyteusis, vel renovatione ejus recipiant, sub pœna irriti contractus, & amittendi pretium datum, solvendíque insuper ab emphyteuta tantundem, ac dedit in pretium, ne hac de causa occasionem habeat imponendi minorem pensionem in præjudicium suorum successorum. Rebellus, *supr. num.* 6.

SECTIO V.

An emphyteuta non solvens pensionem incidat in commissum, & quando id accidat?

SUMMARIUM.

1030 *Per quantum tempus non solvens emphyteuta pensionem incurrat in incommissum, tam in emphyteusi Ecclesiastica, quam profana?*
1031 *Quid si fructus non singulis, sed alternis annis colligatur?*
1032 *Emphyteuta non solvens pensionem non incidit in incommissum, dum dominus voluntatem exequendi illam pœnam non declaret.*
1033 *Emphyteuta non tenetur solvere pensionem, si citra suam culpam res tota pereat.*
1034 *Excusatur à pœna incommissi, si non solvat pensionem tempore, quo desiit possidere.*
1035 *Non incidit in incommissum, si postquam emphyteuta dignus fuit ea pœna, dominus ab eo sequentis temporis pensiones accepit.*

Digitized by Google

1036 *An emphyteuta poſſit præſcribere dominium directum?*

1037 *An ſint tempora præfixa, in quibus ſit penſio ſolvenda?*

1038 *An ſi emphyteuſis perveniat ad multos hæredes, uno ſolvente, cæteri ſolventes incidant in incommiſſum?*

1039 *An emphyteuta teneatur hanc pœnam ſubire ante ſententiam judicis?*

1030 DIco primò: obligatio ſolvendi penſionem tanta eſt, ut ſi per tres annos continuos completos non ſolvatur in emphyteuſi ſæculari, ita pœna commiſſi incurratur, ut mora purgari nequeat, ſi verò emphyteuſis fuerit Eccleſiaſtica, ſatis eſt ſi per duos annos continuos completos non exolvatur. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *lib.* 2. *tractat.* 15. *d.* 1. *num.* 29. Rebellus, *ſuprà num.* 7. & patet ex ordinatione Luſitana, *libr.* 4. *titul.* 61. §. 1. & 2.

1031 Excipe primò: ſi fructus non ſingulis, ſed alternis annis colligantur, ut in fructibus olivarum, nam tunc hæc pœna non incurritur, niſi per ſex annos penſio non ſolvatur in emphyteuſi ſæculari, & in Eccleſiaſtica per quatuor annos. Rebell. *ſuprà num.* 7. Excipe ſecundò, niſi emphyteuta titulo compenſationis retineat penſionem, Decaſtillus, *ſuprà num.* 30. Vel ſi per dominium ſtet quominus penſio recipiatur. Decaſtillus *ibi. num.* 31. Vel ſi ob ignorantiam, juſtamve aliam cauſam non ſolverit. Ita cum Leſſio, Claro, Rebello, & aliis,

1032 Decaſtillus, *ſupr. num.* 32. Excipe tertio, ut non prius emphyteuta incidat in eam pœnam, quam dominus voluntatem illam exequendi declaret. Molina. *d.* 453. Decaſtillus, *ſup. num.* 33. Quod ſi dominus omiſit voluntatem illam declarandi, cum poſſet, non eſt integrum ſucceſſori prædictam pœnam exequi, nec contra hæredem emphyteutæ condemnatio per ſententiam fieri poteſt, ſi contra delinquentem ſcienter fuerit intermiſſa Decaſtillus, *ſupr. num.* 34. & 35.

1033 Excipe quartò: quando citra culpam emphyteutæ totares periit. Rebello, *ſupr. quæſt.* 7. *num.* 1. quod ſi pars aliqua remaneat, cogi poteſt emphyteuta ad ſolvendam integram penſionem, ſi pars ſuperſtes ſufficiens ſit ad ſolvendum penſionem. Ita cum Valaſco, Rebellus, *ſuprà num.* 2. Hinc fit, quod ſi domus emphyteutica ruat, vinea, vel olivetum omnino pereat, manente ſolo, emphyteutam non teneri ſolvere penſionem. Rebellus, *ſuprà numero* 3. Dixi ſi citra culpam emphyteutæ res periit, nam ſi ejus culpa periit in electione domini eſt eum expellere, vel ad ipſius rei readificationem compellere. Rebellus, *ſuprà num.* 4. Excuſatur etiam non ſolvens penſionem à pœna commiſſi, ſi non ſolvat ob ſupervenientem ſterilitatem eodem tempore contingentem, & idem eſt, ſi propter hoſtiles incurſus fructus non recipiat. Imò pro eodem tempore à penſione ipſa excuſabitur. Quod tamen non accidit, quando intervenit ſterilitas; nam tunc tem pacificè poſſidet, quod non accidit quando ab hoſte occupatur. Rebell. *ſup. num.* 3. & 4.

1034 Excuſabitur etiam à pœna commiſſi, ſi non ſolverit penſionem tempore quo deſiit poſſidere. Rebello *ſuprà n.* 5. Item quoties ſine peccato mortali omiſſio, vel dilatio ſolutionis fit. Rebello, *ſuprà num.* 7. Erit tamen mortalis omiſſio penſionis, etiam ſi penſio tota in ſe ſit minima; non enim datur ad emolumentum, ſed in recognitionem dominij. Rebellus *ſupr. num.* 8. Secus ſi pars minima penſionis magnæ omittatur, ut ſi ex octo aureis ſolvendis, unus omittatur; tunc enim omittens ſolutionem unius aurei non cadit in commiſſum, Rebellus, *ſupr. num.* 8. Excipe niſi unicuique fundo, vel jugeri agri, ſua peculiaris penſio reſpondeat; nam tunc caderet in commiſſum emphyteuta pro parte jugerum, quorum totam penſionem, vel ejus partem notabilem non ſolveret; cum nemo ſit puniendus magis, quam deliquerit. Non erit tamen pars omiſſa cenſenda notabilis, niſi fuerit tertia pars ad effectum incurrendi pœnam commiſſi. Rebellus *ſupr. num.* 9.

Excipe quintò: ſi dominus directus ſæcularis 1035
poſtquam emphyteuta dignus, fuit ea pœna ſequentis temporis penſiones recepit ab illo; tunc enim cenſetur pœnam condonare; ſecus ſi recipiat penſiones tempore antecedente caducitati reſpondentes. Ita cum multis Decaſtillus, *ſupr. num.* 48. & 49. Dixi dominus ſæcularis; nam ſi fuit Prælatus Eccleſiæ, non cenſetur condonare pœnam caducitatis recipiens penſiones ſequentis temporis, quia Prælatus eam remittere nequit. Ita cum Molina, Layman, Decaſtillus, *ſupr. num.* 52. An autem 1036
emphyteuta poſſit præſcribere dominium directum? Reſpondeo negativè, quia ad præſcribendum requiritur poſſeſſio nomine proprio. Excipe niſi emphyteuta neget ſe debere annuam penſionem; nam ab eo tempore, quo negavit ſe debere talem penſionem, ſi bona fide proceſſit, incepit poſſidere nomine proprio. Decaſtillus, *ſupra n.* 55. ſed de hoc infra redibit ſermo.

An autem ſint tempora præfixa, in quibus ſol- 1037
venda ſit penſio? Reſpondeo negativè, ſed ſtandum eſt conventioni contrahentium, aut locorum conſuetudini, ſi nihil fuit expreſſum. Rebellus *ſuprà quæſt.* 7. *num.* 8. Valaſco *quæſt.* 1. *num.* 14. Emphyteuta autem non cœpit cadere in commiſſum à tempore quo fuit in mora non ſolvendi penſionem, ſed à tempore, quo dominus ſe ita velle oſtendit. Decaſtillus *ſup. n.* 59. An autem emphyteuta poſſit cedere emphyteuſi quoties voluerit? Reſpondeo negative, nam jus expellendi emphyteutam, introductum eſt in favorem proprietarij. Hinc fit poſſe emphyteutam cogi ad ſolvendum penſionem, & non permitti liberari ab obligatione, qua tenetur erga dominum directum, ſi res facta ſit deterior, illique cedere velit, nam emphyteuta tenetur actione perſonali; perſonales autem actiones affixæ ſunt oſſibus noſtris. Ita cum multis Decaſtillus *ſuprà num.* 63.

An autem ſi res emphyteutica perveniat ad mul- 1038
tos hæredes, quorum unus non ſolvit penſionem, reliquis ſolventibus, reliqui qui ſolvunt rem emphyteuticam amittant? Reſpondeo omnes incidere in incommiſſum. Ita cum Azor, Sylveſtro, & aliis Decaſtillus *ſup. num.* 37. Hoc tamen periculum poſſunt facile reliqui evadere, ſi unus ſolvat totam penſionem, & deinde agat contra eum, qui penſionem non ſolvit, pro quo non tenetur gratis ſolvere.

An autem Emphyteuta teneatur hanc pœnam 1039
pati ante ſententiam judicis? Reſpondeo negative; nemo enim tenetur pœnam ſubire ante ſententiam judicis. Rebellus *lib.* 13. *quæſt.* 12. & 17. *num.* 12. & cum Azorio, Julio Claro, & aliis Decaſtillus *ſuprà num.* 40. Palaus *d.* 10. *p.* 8. *num.* 4. contra Leſſium *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 8. & alios. Hinc fit fructus præſentes ante litem intentatam pertinere ad emphyteutam, poſt ſententiam verò ad proprietarium, deductis expenſis factis ab Emphyteuta. Mol. *d.* 455. Decaſtillus *ſup. n.* 44.

SECTIO

SECTIO VI.

An Emphyteuta cadens in commiſſum ob non ſolutam penſionem poſſit moram purgare?

SUMMARIUM.

1040 *In emphyteuſi Eccleſiaſtica; ſi poſt elapſum annum celeritate ſolutionis emphyteuta purget moram non poteſt expelli ab emphyteuſi.*

1041 *In emphyteuſi ſæculari de rigore juris non poteſt emphyteuta purgare moram celeritate ſolutionis.*

1042 *Quanta celeritate ſit purganda mora in emphyteuſi eccleſiaſtica?*

1040 DIco primo: In empyhteuſi Eccleſiaſtica, ſi poſt elapſum annum celeritate ſolutionis emphyteuta purget moram, non poteſt expelli ab emphyteuſi. Ita Molina *d.* 453. *num.* 6. & cum Layman, & aliis Decaſtillus, *ſupr. num.* 46. Fulvia enim hac celeritate ſolutionis contentatur. Quod tamen non accidit in emphyteuſi ſæculari; nam in hac de rigore juris, non poteſt emphyteuta purgare nomen celeritate ſolutionis, ſed ſtatim amittit rem emphyteuticam, ſi dominus velit eam ſibi applicare. Rebellus *ſupr. quæſt.* 10. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 547. Decaſtillus *ſupr. num.* 47. & patet ex ordinatione Luſitana *lib.* 4. *tit.* 65.

1041

1042 Quanta verò celeritate purganda ſit mora in emphyteuſi Eccleſiaſtica, ut emphyteuta non cadat in commiſſum? Reſpondeo regulariter in judicio non cenſeri tardam ſatisfactionem, quæ ante litis conteſtationem fit; unde quocumque tempore, quo emphyteuta ante litis conteſtationem ſolvat, liberatur à pœna commiſſi. Ita decernit lex Luſitana *lib.* 4. *Ordinationis tit.* 65. §. 2. & tenet Rebell. *lib.* 13. *quæſt.* 10. *num.* 7.

SECTIO VII.

An bona ſubjecta Eccleſiæ poſſint emphyteuticari, & quomodo?

SUMMARIUM.

1043 *Res Eccleſiaſtica non poteſt tradi à Prælato emphyteuſim, niſi ex legitima cauſa, & cum certa ſolemnitate.*

1044 *Quid ſi res ſit ſolita emphyteuticari?*

1045 *Ad hoc, ut res ſolita emphyteuticari iterum tradatur in emphyteuſim, requiritur major utilitas Eccleſiæ.*

1043 DIco primò: tertia conditio ad hunc contractum eſt, ut bona emphyteuſi ſubjicienda non ſint Eccleſiaſtica; nam hæc à prælato tradi in emphyteuſim non poſſunt, niſi ex legitima cauſa, & cum certa ſolemnitate. Ita cum multis Decaſtillus, *ſupr. num.* 53. Excipe niſi ſint ſolita tradi in emphyteuſim; nam tunc poterunt tradi in emphyteuſim, ſine tali ſolemnitate; quia hæc non eſt nova alienatio, ſed continuatio primæ emphyteuſis.

1044

1045 Ad hoc tamen etiam requiritur major utilitas Eccleſiæ, & quod non tradantur, niſi eo modo, quo prius fuerant tradita. Verbi gratia, ſi res erat pro deſcendentibus tantum, non tradatur pro extraneis; ſi fuerat conceſſa ad tres vitas, non tradatur in perpetuum. Molina. *d.* 369. Decaſtillus, *ſupr. num.* 316. Requiritur etiam quod res non ſit jam incorporata Eccleſiæ, ſic enim eſt uſu receptum. Decaſtillus *ſuprà num.* 378, Sed de his *infrà* redibit ſermo: quomodo autem bona immobilia Eccleſiæ, vel mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, poſſint alienari? Vide quæ dixi *in noſtro Directorio Regularium, p.* 1. *d.* ... *n.* ....

SECTIO VIII.

Utrum emphyteuta poſſit rem emphyteuticam vendere, irrequiſito domino?

SUMMARIUM.

1046 *Emphyteuta non poteſt emphyteuſim alienare, irrequiſito domino, alias incidit in incommiſſum.*

1047 *Non incurritur incommiſſum per ſolam venditionem, ſi non ſequatur traditio de jure communi, ſecus de jure Luſitano.*

1048 *Non incurrit commiſſum emphyteuta, qui non totam rem emphyteuticam vendit, ſed partem duntaxat alienavit.*

1046 DIco primò: quarta conditio eſt, ut non liceat emphyteutæ domino irrequiſito fundum emphyteuticatum alienare per venditionem; quare ſi emphyteuta non admoneat dominum directum incidit in commiſſum. Ita habetur *l. ultima. Cod. de jure emphyteutico, & cap. potuit de locato*, & habetur in ordinatione Luſitana *lib.* 4. *tit.* 4. §. *è ſendo caſo*, Rebellus *lib.* 13. *quæſt.* 4. *num.* 1. & cum aliis Decaſtillus *ſupr. num.* 64. Quod verum eſt, etſi poſtea emphyteuta recuperet rem ab emptore, jus enim quæſitum eſt domino directo. Ita cum Mantica, Azorio, Sylveſtro, & aliis Decaſtillus, *ſupr. num.* 64. Excipe ſi recuperet ante litem conteſtatam; nam tunc de jure Luſitano non cadit in commiſſum. Ita cum Gama, *deciſ.* 274. *num.* 2. Rebellus, *ſupr. num.* 9. Quod ſi dominus requiſitus intra duos menſes non ſe deliberet, an velit ipſe emere rem emphyteuticam, elapſo bimeſtri, illóque nolente emere, poterit emphyteuta vendere, cui voluerit, eodem vel minori pretio, dummodo non vendat iis, quibus vetitum eſt vendere, aut à quibus non poſſit proprietarius debitam penſionem abſque gravamine, vel difficultate obtinere, ut patet ex Ordinatione Luſitana *lib.* 4. *tit.* 64. *adimitum, è antaon deve ſer vendida a tal peſoa, que libremente pague o foro.* Rebello, *ſupr. num.* 4.

1047 Adverte tamen non incurri incommiſſum per ſolam venditionem, niſi ſequatur traditio, ſaltem de jure communi. Decaſtillus, *ſupr. n.* 78. & alij. Dixi de jure communi; nam de jure Luſitano, affirmat cum Valaſco, Rebellus, *ſupr. num.* 7. incurri incommiſſum per ſolam fictam traditionem: idem affirmat Gama, *deciſione* 116. *num.* 1. quorum ratio eſt, quia lex Luſitana *lib.* 2. *tit.* 5. §. 2. Præcipit communiorem ſententiam amplecti, ſed ſententia quæ aſſerit incommiſſum incurri per ſolam fictam traditionem eſt communior inter Doctores; ergo ſed hæc ratio eſt parum tuta, cum hodie communior ſit contraria ſententia, & cum ſit in materia pœnali,

nali, & odioſa benignior pars videtur mihi complectenda.

1048 Item non incurrit incommiſſum emphyteuta in utroque foro, qui non totam rem emphyteuticam, ſed partem duntaxat alienavit, ſolius enim partis alienatio, non eſt perfecta alienatio, diſpoſitio autem pœnalis ad perfectam alienationem ſolum extendi debet. Rebellus *ſupr. num.* 7. Item non incurritur per venditionem conditionalem, ut ſi dicat vendo, ſi dominus conceſſerit, vel niſi dominus directus emere velit; ſecus ſi dicat, vendo ſalvo jure domini; nam proteſtatio eſt contraria facto. Rebellus, *ſuprà num.* 10. Decaſtillus, *ſuprà num.* 80.

SECTIO IX.

Qualiter alio titulo, quam venditione emphyteuta emphyteuſim alienare poſſit?

SVMMARIVM.

1049 *Si res emphyteutica non ſit Eccleſiæ, vel alicujus privati, non cadit in commiſſum emphyteuta, qui eam oppignoravit, permutavit, hypothecavit, legavit, vel donavit, vel tradidit in debitis ſolutionem, ſecundum jus, quod in ſe habet.*

1050 *Non incurrit incommiſſum vendendo ſervitutem in fundo emphyteutico.*

1051 *Non incurrit in commiſſum, ſi rem vendat de conſenſu implicito domini.*

1049 Dico primò: ſi res emphyteutica non ſit Eccleſiæ, vel alicujus privati, non cadit in commiſſum emphyteuta, qui eam oppignoravit, permutavit, hypothecavit, legavit, vel donavit, vel tradidit in ſolutionem, ſecundum jus quod in ſe habet emphyteuta; nam de his alienationibus, ſeu ſubjectionibus, non loquuntur jura. Rebellus *ſuprà queſt.* 5. & cum Julio Claro, Leſſio, Azorio, Sylveſtro, & aliis, Decaſtillus, *ſuprà num.* 66. Dixi ſi res non ſit Eccleſiæ, vel alicujus privati; nam ſi ſit, incurret in commiſſum de jure Luſitano, *lib.* 4. *tit.* 64. §. 1. Excipe ſi emphyteuta donet cauſa mortis. Rebellus *queſt.* 5. *num.* 1.

1050 Nec etiam incurrit in commiſſum vendendo ſervitutem in fundo emphyteutico; hæc enim non nocet domino; ſolum enim durat ſervitus quandiu res manet apud emphyteutam. Rebello, *ſuprà num.* 11. Decaſtillus, *ſuprà num.* 81. Nec etiam incurrit in commiſſum, ſi rem emphyteuticam vendat de conſenſu implicito, vel præſumpto domini; hic autem conſenſus tunc cenſetur; quando emphyteuſis alicui conceditur pro ſe, & pro

1051 illis, quibus dederit. Rebello *ſuprà num.* 11. Incurrit tamen in commiſſum, ſi rem emphyteuticam donet in dotem, irrequiſito domino; hæc enim traditio eſt perfecta alienatio, ut patet ex lege Luſitana, *libr.* 4. *tit.* 64. §. 1. *dar, ou doar*; Rebellus, *ſupr. num.* 4. Et idem dicendum eſt, ſi ad decennium locetur. Rebellus, *ibi num.* 6.

SECTIO X.

Quando emphyteuta teneatur ſolvere Laudemium?

SUMMARIUM.

1052 *Si res emphyteutica vendatur, donetur, permutetur, locetur ad decennium, ſolvendum eſt laudemium domino directo.*

1053 *Quid ſi aliud conſuetudo ferat?*

1054 *An laudemium debeat ſolvi ab emptore, vel à venditore?*

1055 *Quid ſit laudemium, tam de jure communi, quam Luſitano?*

1056 *Multi dantur caſus, in quibus non debetur laudemium, qui ibi explicantur.*

Dico primò: ſi res emphyteutica vendatur, do- 1052
netur, permutetur, locetur ad decennium, ſolvendum eſt laudemium domino directo, quod verum eſt, etſi dominus directus decedens uni hæredi relinquat proprietatem, & alteri uſumfructum; nam ſemper laudemium ſolvendum eſt habenti proprietatem; at benè notat cum multis Fragoſo. 3. *p. lib.* 6. *diſp.* 13. §. 1. *n.* 6. Excipe niſi aliud 1053
conſuetudo ferat. Rebellus *lib.* 3. *q.* 6. *n.* 2. An autem 1054
hoc laudemium debeat ſolvi ab emptore, vel venditore? Reſpondeo de jure communi debere ſolvi ab emptore, ut tenet cum communi ſententia Julius Clarus. *§. emphyteuſis. q.* 23. *n.* 4. Sed jure Luſitano hoc onus incumbit venditori, ut patet ex ordinatione *lib.* 1. *tit.* 62. *n.* 48. *Antaon odito foreiro podera vender, e do preſſo, porque aſim vender, pagar à Capella, ou ſenturio à quarentena.* attendenda eſt tamen in ſolvendo laudemio conſuetudo locorum Fragoſo *ſuprà num.* 12. Eſt autem laudemium de 1055
jure communi quinquageſima pars totius pretij. In Luſitania verò eſt quadrageſima ut patet ex ordinatione *lib.* 4. *tit.* 38. niſi conſuetudo alicubi majus, vel minus pretium ferat. Rebellus *lib.* 13. *q.* 7. *n.* 2. Hæc autem obligatio ſolvendi laudemium non eſt perſonalis, ſed realis, ideò ſequitur res alienatas, & cum eiſdem tranſit ad ſucceſſorem, ut cum Velaſco, notat Fragoſo *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 13. §. 1. *num.* 5.

Dico ſecundò: Multi dantur caſus, in quibus 1056
non debetur laudemium primus quando res emphyteutica redit ad priorem emphyteuticam, diſſoluto contractu celebrato cum pacta retrovendendi. Decaſtillus *ſupr. num.* 69. & cum Molina, Fragoſo *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 13. §. 1. *n.* 13. Secundo quando hæres neceſſarius ſuccedit in emphyteuſim, qui hæres appellatur in jure ſecus; Decaſtillus *ſupr. n.* 71. Et idem dicendum eſt de hærede extraneo, qui ſuccedit defuncto. Rebellus *ſupr. n.* 3. nec quando cohæres partialiter ſuccedens in emphyteuſim ante diviſionem vendit alteri cohæredi partem ſibi correſpondentem; ſecus ſi vendat extraneo, vel poſt factam diviſionem. Molina *d.* 460. Decaſtillus *ſupr. n.* 71. Tertio ſi alienatio fiat ad debita ſolvenda excedentia, vel æqualia pretio recepto, nec alia bona ſint, unde fiat reſolutio. Rebellus *ſupr. num.* 3. Quartò quando pater in dotem dat filiæ rem emphyteuticam, non habens aliud, quod ei tradat. Rebellus *ibi num.* 3. Fragoſo, *ſuprà num.* 8. Decaſtillus, *ſuprà num.* 7. & patet ex Ordinatione Luſitana, *lib.* 4. *tit.* 38.

SECTIO

SECTIO XI.

Quis in emphyteuſim ſuccedere debeat?

SUMMARIUM.

1057 *Senſus quæſtionis eſt de emphyteuſi hereditaria, vel ſimpliciter, vel mixte, vel de pacto, & providentia.*

1058 *Quæ dicatur emphyteuſis ex pacto, & providentia?*

1059 *Quæ dicatur emphyteuſis hereditaria.*

1060 *Si emphyteuſis ſecularis alicui concedatur pro ſe, & pro illo, quem nominaveris, ac pro eo, quem ipſe nominatus nominaverit, eſt ex pacto & providentia.*

1061 *Quiſnam ex haredibus ab inteſtato præferendus ſit in emphyteuſi?*

1062 *In emphyteuſi ex pacto, & providentia ſucceſſor non tenetur ratione ipſius ad debita ſui anteceſſoris, etiamſi ſit patris.*

1063 *Hæredes extranei non ſuccedunt in emphyteuſi Eccleſiaſtica, etiamſi ſit hereditaria.*

1064 *Si filius renuntiavit hereditati patris, non ſuccedit in emphyteuſi, quam pater pro ſe, & filiis, & haredibus acceptavit, ſive ſecularis, ſive Eccleſiaſtica ſit.*

1065 *In emphyteuſi quæ conceditur pro aliquo, & filiis, & haredibus ſuccedunt hæredes, quamvis filij non ſint, præſertim ſi ſeculares ſint.*

1066 *Si emphyteuſis concedatur pro ſe, & pro haredibus, & ſucceſſoribus ſuis, cenſetur data etiam cum facultate transferendi ad extraneos.*

1067 *Quamvis emphyteuſis hereditaria ſit conceſſa pro quibuſcumque haredibus, & ſucceſſoribus, non poteſt transferri in aliquem potentiorem, & magis privilegiatum.*

1057 SVppono, quæſtionem in præſenti non eſſe de emphyteuſi ad certos annos, nec ad ſolam vitam cum conſtet eo tempore elapſo rem ad dominum directum, ejuſque hæredes reverti; unde quæſtio eſt de emphyteuſi hæreditaria, vel ſimpliciter, vel mixte, & de ea quam vocant ex pacto & providentia, de quibus non nihil diximus *ſect.* 2. & eadem quæſtio eſt de feudo. Secundò ſuppono in ſucceſſione emphyteuſis, mentem contrahentium, ſive expreſſam, ſive tacitam præcipuè attendendam eſſe, & ſecundum eam de ſucceſſione judicandum eſſe. Rebellus, *lib.* 13. *quæſt.* 13. *num.* 8.

1058 Tertiò ſuppono emphyteuſim ex pacto, & providentia, dixi illam in cujus inveſtitura, ac conceſſione nulla fit mentio hæredum, nec requirit, ut ſucceſſores ſint hæredes, quod procedit, ſive emphyteuſis ſit privata, ſive Eccleſiaſtica. Ita cum Valaſco, Pinello, & aliis Fragoſo, *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 9. §. 7. *num.* 1. Vnde omnes hæ conceſſiones ſunt ex pacto, & providentia. Concedo ſibi hanc emphyteuſim, uxori, & filiis, vel deſcendentibus, vel concedo in tres generationes; vel tibi, & duobus aliis poſt te, vel tibi, & liberis tuis, vel tibi, & genito tuo. Vel tibi, & duabus perſonis, itaut tu nomines ſecundam, & ſecunda tertiam. Vel concedo tibi, & tuis deſcendentibus ex corpore tuo genitis, aut legitimis, ſive per lineam maſculinam, vel fœminiſinam. Denique quoties non fit mentio hæredum, eſt emphyteuſis de pacto, & providentia. Fragoſo, *ſupr. num.* 1.

1059 Quartò ſuppono, Emphyteuſim hæreditariam eſſe illam, quæ ſit pro hæredibus, & ſucceſſoribus, vel etiam pro filiis, & deſcendentibus hæredibus. Dicitur hæreditaria, eo quod non poteſt obtineri, niſi ab hærede, quicumque ille ſit, & hdc, ſive ſit Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, cum hoc tamen differentia, quod emphyteuſis ſæcularis tranſit ad hæredem extraneum non tamen Eccleſiaſtica, niſi conceſſio facta fuerit cum clauſula pro omnibus hæredibus, ſeu pro quibuſcumque hæredibus. Ita cum multis Fragoſo, *ſupr. num.* 3. vel ſi fiat cum clauſula pro quibus dederis. Fragoſo, *ibi.* Emphyteuſis verò hæreditaria mixte, eſt quæ conceditur alicui, pro ſe & filiis hæredibus cum hac tamen explicatione quod ſi emphyteuſis ſit laica, ſeu ſæcularis, & in ea appellatione hæredum veniant extranei, talis emphyteuſis erit ſimpliciter hæreditaria, & in Eccleſiaſtica, cum nomine hæredum veniant ſolum deſcendentes, niſi aliud exprimatur, erit emphyteuſis hæreditaria mixte, ac proinde nemo, qui hæres non ſit, ſive filius, ſive non, non poteſt in ea ſuccedere. Fragoſo, *ſupr. n.* 4. his ſuppoſitis,

Dico primò: Si emphyteuſis ſæcularis, alicui concedatur pro ſe, & pro illo, quem nominaverit, ac pro eo, quem à ſe nominatus nominaverit, talis emphyteuſis eſt ex pacto; & providentia, & non hæreditaria, unde ſi emphyteuta è vita decedat antequam nominet, ſuccedit in ea univerſalis hæres unicus, qui ab eo per teſtamentum fuerit inſtitutus, etiãſi ab eo in teſtamento pro emphyteuſi nominatus non fuerit. Ita habetur *lib.* 4. *Ordinationis Luſitanæ, tit.* 2. Quod ſi plures fuerint hæredes, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, & nullus pro ea emphyteuſi fuerit nominatus, de jure Luſitano ſuccedunt hæredes etiam extranei teſtamento inſtituti. Quod ſi omnes ſint hæredes ab inteſtato, unus præferendus eſt in emphyteuſi: Quod ſi nullus detur hæres ab inteſtato, ad dominum ipſa emphyteuſis revertitur. Ita habetur *in eadem ordinatione ſup.* §. *e finando ſe.* 1060

Quod ſi quæras quiſnam ex hæredibus ab inteſtato præferendus ſit in emphyteuſi? Reſpondeo deſcendentem præferendũ eſſe aſcendentibus, & inter cohæredes ejuſdem gradus, is qui maſculus ſit, & inter eos, qui in diverſo grdu ſunt, is qui gradu propinquior fuerit; quo fit, ut ſi plures hæredes, filioſque legitimos ultimos emphyteuſis poſſeſſor relinquat præfertur major natu, & filius minimus ſeniori filiæ, etiam primogenitæ. Quod ſi nullus ſit filius maſculus, filia legitima ſuccedit; ex pluribus verò filiabus, ſenior ſuccedit, & filia quantumvis minima nepti, ac nepoti, ſenioribus, ac etiam progenitis ex filio, filiave ſeniori; ſi verò nec ulla ſit filia, ſuccedit nepos, etſi is non ſit neptis, ex pluribus autẽ neptibus, major natu admittitur, & ſic de cæteris deſcẽdentibus legitimis, juxta legem Luſitanam citatam. 1061

Nullo verò exiſtente utriuſque ſexus legitimo deſcendente, præfertur omnibus aſcendentibus filius naturalis, nam juxta legem Luſitanam *lib.* 4. *tit.* 36. filij naturales admittuntur ad emphyteuſim, non exiſtente ſobole legitima, non ſolum quãdo emphyteuſis conceſſa eſt pro ſe, & pro illo quem nominaverit, ſed etiam quando emphyteuſis traditur alicui, pro ſe, & filiis ſuis. Imò ſi pater eſt de plebe in emphyteuſi nominationis poteſt nominare filium naturalem, etiam prole legitima exiſtente, quod tamen efficere non poteſt pater nobilis. Poſſunt tamen filij naturales, etiam patris nobilis, ſuccedere in emphyteuſim privata, ſeu profana ab inteſtato, non exiſtente prole legitima, ut patet *ex ordinatione Luſitana, tit.* 36. *lib.* 4. *num.* 4. & tenet cum communi ſententia, Fragoſo, *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 9. §. 16. *num.* 2. Imò dictam

Digitized by Google

legem Luſitanam extendit cum Valaſco, & aliis Fragoſo *ibi num.* 3. ad emphyteuſim Eccleſiaſticam conceſſam pro eo, qui nominabitur, Eccleſia namque videtur concedere emphyteuſim juxta leges regni, ubi contrahitur. Et idem dicendum eſt, quando emphyteuſis conceditur cum poteſtate nominandi libere Fragoſo, *ibi n.* 3.

Quod ſi non ſint niſi aſcendentes, pater tam matri, quam avo anteponitur; & avus aviæ, & mater utrique, & ita de ceteris. Quod ſi nec prædicti deſcendentes nec legitimi aſcendentes ſint, emphyteuſis ad dominum directum revertitur, non verò ad alios propinquos, & pater hæredes, eo quod nec expreſſe, nec tacitè ſint nominati, nec aliunde ſecundum jus Luſitanum præſumatur extendendum eſſe formaliter, vel virtute mentem contrahentium. Rebello, *lib.* 13. *q.* 13. *num.* 10.

1062 Dico ſecundò: in hac emphyteuſi ex pacto, & providentia, ſucceſſor in illa non tenetur ratione ipſius ad debita ſui anteceſſoris, etiamſi ſit patris; unde ſi adiret patris hæreditatem ad beneficium inventarij ſolum juxta vires hæreditatis paternæ tenebitur ad ſolvenda debita patris, emphyteuſi ſemper ſalva manente. Etſi contingeret quod emphyteuſis inter hæredes divideretur, diſtinctio facienda eſt ſecundum æquas portiones, etiamſi non ſint æqualiter cohæredes, quod non accidit in emphyteuſi hæreditaria; nam ratione illius tenetur ſucceſſor ad debita patris, & ſecundum hæreditatis portiones, etiam emphyteuſis dividenda eſt, non ſecundum rem, ſed ſecundum æſtimationem, juxta Ordinationem, *lib.* 4. *tit.* 62. 5. 1. *& tit.* 77. 5. *penultimo.* Secundum quam emphyteuſis uni hæredum de conſenſu aliorum adjudicanda eſt, cum obligatione aliis ſuam portionem ſolvendi ſecundum æſtimationem; quamvis in Provincia Interamnenſi, cauſa paupertatis, non obſtanti prædicta lege, ipſa emphyteuſis hæreditaria inter cohæredes de conſenſu domini reipſa in partes, & portiones dividitur, conſtituto uno cohærede pro capite totius emphyteuſis per electionem reliquarum, qui teneatur integram penſionem domino directo ſolvere, receptores ab aliis ſatisfactionem, juxta cujuſcumque portionem. Ita & bene Rebellus *lib.* 13. *q.* 13. *num.* 4. 5. *& 6.*

1063 Dico tertiò: hæredes extranei qui ſcilicet ex ſolo teſtamento ſuccedere poſſunt, non ſuccedunt in emphyteuſi Eccleſiaſtica, etiamſi ſit hæreditaria, id eſt pro aliquo, & hæredibus conceſſa. Succedant tamen, ſi concedatur alicui, & hæredibus, quibus dederit, aut pro illo, & omnibus hæredibus, aut ſub alia æquivalente verborum forma. Ita Rebello, *lib.* 13. *queſt.* 14. *num.* 1. quamvis oppoſitum teneat. Molina, *d.* 469. ubi teſtatur eſſe communem. Ratio noſtræ ſententiæ eſt; quia non eſt credibile talem fuiſſe mentem Eccleſiæ, ſicut nec admittere filios naturales, vel ſpurios, etiam à Rege, vel etiam à Papa legitimatos, niſi ſit cum clauſula, ut poſſint in emphyteuſi Eccleſiaſtica ſuccedere, propter errorem paternæ impudicitiæ. Ita & benè Rebello, *ſup. num.* 1. *& queſt.* 13. *num.* 12. Excipe niſi emphyteuſis Eccleſiaſtica à principio conceſſa fuerit filio naturali, nam tunc poſſunt ſuccedere naturales, ſi emphyteuſis fuerit ex pacto, & providentia; ſecus ſi fuerit de libera nominatione. Fragoſo, *ſupr. num.* 5. An autem emphyteuſis Eccleſiaſtica poſſit à principio concedi etiam ſpurio? Reſpondeo affirmativè. Ita cum multis Fragoſo, *ſupr. num.* 6. An autem in futurum poſſint naturales, & ſpurij vocari in prædicta emphyteuſi? Reſpondeo negativè niſi conſtet Eccleſiam noluiſſe à ſucceſſione arcere illegitimos. Ita cum aliis Fragoſo, *ſuprà num.* 8.

Dico quartò, ſi filius renuntiet hæreditati patris, non ſuccedit in emphyteuſim, quam pater pro ſe, & filiis, & hæredibus acceptavit, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſtica ſit. Ita cum communi ſententia Rebellus, *ſupr. num.* 2. Quamvis oppoſitum probabiliter teneat, etiam Palaus, de emphyteuſi, non tamen de Feudo *diſput.* 10. *p.* 15. 5. 2. *num.* 2. Noſtram tamen ſententiam tuentur Pinellus, Valaſcus, Fachin. quos refert Palaus *ibi.* Ratio illius eſt, quia inſtitutio hæreditatis eſt virtualis nominatio emphyteuſis; ergo filius, qui renuntiavit hereditati paternæ, alteri quoque renuntiare cenſetur. 1064

Dico quintò: in emphyteuſi quæ conceditur pro aliquo, & filiis, & hæredibus, ſuccedunt hæredes, quamvis filij non ſint, præſertim ſi ſæculares ſint. Ratio eſt, quia nomen, hæredibus, poſt nomen, filiis, per conjunctionem expreſſam, ad quoſcumque hæredes, etiam extraneos extenditur. Ita cum Valaſco, Covar. Rebello, *lib.* 13. *q.* 14. *n.* 3. Decaſtillus, *lib.* 1. *de juſtitia, tract.* 15. *d.* 1. *num.* 86. Si tamen emphyteuſis concedatur his, aut æquipollentibus verbis, do ſibi hunc fundum in emphyteuſim, nulla facta expreſſione hæredum, aut ſucceſſorum, tunc eſt emphyteuſis ex pacto, & providentia, ſeu familiaris. Molina, *d.* 473 Decaſtillus, *ſup. num.* 85. Si verò concedatur pro aliquo, & liberis hæredibus, nulla adjecta copula inter dictiones, liberis hæredibus, in utraque emphyteuſi, tam ſæculari, quam Eccleſiaſtica, exigitur filium eſſe hæredem. Et idem dicendum eſt, ſi diceretur, pro te, & hæredibus ex ſuo corpore genitis, ſi tamen concederetur pro te, & ſuis, vel pro ſe, & ſuis, eſſet ex pacto, & providentia, atque adeò is, qui hæreditatem repudiaret, poſſet in ea ſuccedere. Ita cum Valaſco, Rebellus, *ſuprà n.* 4. Si verò concederetur pro te, & filiis, & filiiſve filiorum, poſſunt etiam fœminæ ſuccedere, nomine enim maſculino, etiam fœminæ comprehenduntur. Ita cum Molina, Fachin. Julio Claro, & aliis Decaſtillus, *ſup. num.* 87. & cum Valaſco, Pinello, Rebellus, *ſup. num.* 5. Secus dicendum eſt, ſi concederetur pro te, & filiis maſculis, aut pro te, & filiis, & nepotibus maſculis; nam tunc fœminæ non comprehenduntur. Et idem dicendum eſt, ſi concedatur pro te, & filiis maſculis, aut pro te, & filiis ſuis deſcendentibus virilis ſecus, vel ſi dicatur, ut per virilem ſexum deſcendat Rebellus, *ſuprà num.* 6. An autem in his caſibus ſuccedat maſculus ex filia? *infrà* dicemus, *ſectione* 16. 1065

Dico ſextò: Si emphyteuſis concedatur pro ſe, & pro hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, cenſetur data etiam cum facultate transferendi ad extraneos; quia nomine hæredum, & ſucceſſorum veniunt, etiam extranei. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſupr. num.* 88. Quod ſi concedatur pro te, & ſuis hæredibus legitimis, non extenditur ad filios illegitimatos, quia illud nomen, legitimis, ad natos ex legitimo matrimonio, vel per ſubſequens matrimonium legitimatos reſtringitur, unde emphyteuſis in hoc caſu erit mixta, ſcilicet hæreditaria; quia in os fit mentio hæredum, & ex facto, & providentia, quia illegitimos excludit Rebellus, *ſupr. num.* 7. 1066

Dico ſeptimò: quamvis emphyteuſis hæreditaria ſit conceſſa pro quibuſcumque hæredibus, & ſucceſſoribus, transferri non poteſt in aliquem potentiorem, magiſque privilegiatum, qualis eſt, vel Eccleſia, vel civitas. Ita cum communi ſententia Molina, *d.* 454. Decaſtillus, *ſuprà num* 49. 1067

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XII.

Vtrum Pater possit emphyteusim pro se, & filiis datam prælegare uni ex filiis, vel renuntiando, vel aliter in extraneum alienando eisdem filiis præjudicare, saltem præhabito concedentis consensu?

SUMMARIUM.

1068 *Pater licite potest cum domini consensu vendere emphyteusim pro toto vitæ tempore concessa, etsi filij pro quibus concessa fuit contradicant, sive hæreditaria, sive non hæreditaria sit.*

1069 *Si emphyteusis sit acquisita ex re patris potest pater de domini consensu eam uni ex filiis prælegare, vel in extraneum alienare.*

1070 *Pater in emphyteusi potest præjudicare filiis, si tantumdem de propriis bonis relinquat filio, qui in emphyteusi præjudicavit.*

1071 *In præjudicium filij potest pater alienare emphyteusim, si ex verbis concessionis fieri posse colligatur.*

1072 *Pater non potest præjudicare filiis, si emphyteusis sit ex pacto, & providentia, & antiqua.*

1073 *Quid si sit nova?*

1074 *Si emphyteusis sit hæreditaria simpliciter potest pater uni filiorum emphyteusim dare non læsa legitima portione filiorum.*

1075 *Licitum est patri cum consensu domini concessionem emphyteusis filiis factam revocare, quando urgens, causa intervenerit.*

1068 Dico primò: Pater licitè potest cum domini consensu vendere, & alienare emphyteusim pro toto vitæ tempore concessam, etsi filij pro quibus concessa fuit, vel filius, qui postea nominatus sit contradicant, sive hæreditaria, sive non hæreditaria sit. Ratio est quia per id nihil juri succedendi derogatur. Ita cum Gama, Rebello, *lib. 13. quæst. 15. num. 1.* Certum quoque est, fas esse patri pro arbitrio eam prælegare uni filiæ, cæteras post habendo, si à primo domino concedente data sit facultas nominandi filium, quem velit, quamvis extraneum tunc nominare non posset. Rebellus, *supr. num. 1.*

1069 Dico secundò: si emphyteusis sit acquisita ex re, vel pecunia patris, potest pater de consensu domini eam prælegare uni ex filiis, vel in extraneum alienare, eisdem filiis præjudicando. Ita cum Valasco, Costa, Covarr. Rebellus, *supr. num. 2.* Ratio est, quia emphyteusis tunc profectitia censetur; sed quidquid profectitium est pater à filiis auferre potest. Ergo.

Dico tertiò: Pater in emphyteusi præjudicare potest filiis, si tantundem de bonis propriis relinquat filio, cui in emphyteusi præjudicavit, etsi acquisita non sit ex patris pecunia, modo filius prædictam compensationem acceptet pro emphyteusi non hæreditaria. Ita cum Valasco, Rebellus, *suprà num. 3.*

1070 Dico quartò: Pater præjudicare potest filio in emphyteusi, quando ea concessa fuisset filio intuitu solius patris, ut si filius tempore successionis non esset bene meritus de concedente, & à fortiori, si nondum natus, nec conceptus. Ratio est, quia quidquid contemplatione patris datur filio, censetur profectitium; sed quidquid profectitium est pater filiis auferre potest, ergo. Ita cum Aretino, Valasco, Rebellus, *supr. num. 4.*

Dico quintò: in præjudicium filij potest pater 1071
alienare emphyteusim, si ex verbis concessionis, vel ex aliis nonjecturis constet, non obstanti cujusvis filij præjudicio, posse alienari cum domini consensu; & hoc procedit, tam quoad emphyteusim hæreditariam, quam non hæreditariam. Ita Rebellus, *supr. num. 5.*

Dico sextò: Pater non potest nocere filio, quoad 1072
emphyteusim non hæreditariam, si emphyteusis, ita ex pacto, & providentia sit, ut antiqua sit, id est, ut pater non fuerit primus ejus acquisitor, tum 1073
etiamsi nova sit, dominus tamen ad concessionem precibus meritisve, filiorum, æque ac patris, motus fuerit, vel si filij essent præsentes, & æqualiter acceptarent. Et idem dicendum est, si in emphyteusi sit nominatus aliquis filius, vel filij proprio, aut æquivalenti nomine, & emphyteusis pro illo, vel illis stipulata sit. Ita cum Valasco, & aliis, Rebellus, *supr. num. 6.* Ratio est, quia ab initio successionis, jus filiis ad emphyteusim acquisitum est, non quidem hæreditarium, sed ex conventione cum concedente, ac proinde non poterit pater illud ab invitis filiis auferre, etiam cum domini consensu; & ita habetur in ordinatione *lib. 4. titul. 63. §. e sendo*, ubi statuit patrem in accepta emphyteusi pro se, & filiis, non posse extraneam personam nominare; sed non minus præjudicat filiis per nominationem alterius extranei, quam per alienationem alteri factam; ergo. Vnde filius posset rescindere venditionem, dando emptori bonæ fidei pretium pro sua parte, si hæres fuit patris. Ita Rebellus, *supr. num. 6.* Quidquid alij contradicant. Imò nec per favorabilem transactionis contractum, potest pater filio præjudicare in emphyteusi accepta pro se uxore, & filio. Ita cum Gama, Rebello, *sup. num. 6.*

Dico septimò, si emphyteusis est hæreditaria 1074
simpliciter, potest pater uni filiorum emphyteuticum bonum donare, vel prælegare, non læsa legitima portione filiorum. Ita Clarus, *verbo Emphyteusis, num. 16.* Decastillus, *lib. 2. tractat. 15. d. 1. num. 114.* Ratio est, quia hujusmodi bona censentur potius libera, & allodalia, quam emphyteutica. Et idem dicendum est de emphyteusi nova, id est patri primitus acquisita, quamvis cum pacto, & providentia, si accedat consensus domini directi. Ita cum Claro, Layman, Molina, Decastillus, *suprà num. 216.* Ratio est, quia pater stipulando pro se, & filiis suis, censetur stipulatus cum dependentia liberorum à sua persona, itaut, nullum jus habeant ante mortem ipsius, ac proinde cum domino aliam formam contractus instituere potest, ante acquisitum jus descendentibus.

Dico octavò: Licitum est patri cum consensu 1075
domini concessionem emphyteusi filiis factam revocare, quando urgens, ac rationabilis causa revocandi beneficium, & donationem intervenerit ex eventu non cogitato, qui si præsciretur non eo modo, absque dubio conferretur, idque potissimum ante rei traditionem; Secus verò si talis causa non intervenerit; nam ea sublata censentur primò contrahentes pro eo eventu habuisse intentionem concedendi, acceptandi pro se, ac pro filiis irrevocabiliter Rebellus, *suprà num. 8.* & alij.

Digitized by Google

SECTIO XIII.

Utrum Emphyteuſis tranſeat in Monaſterium per ingreſſum Emphyteutæ.

SUMMARIUM.

1076 *Si emphyteuta profiteatur religionem incapacem bonorum ſtabilium in communi, emphyteuſis tranſit ad legitimos hæredes, & ſucceſſores.*

1077 *Si emphyteuta profiteatur religionem capacem bonorum ſtabilium, ſi emphyteuſis fuerit hæreditaria tranſit ad Monaſterium, ſed debet intra annum vendi.*

1078 *Quid ſi emphyteuſis ſit de pacto & providentia.*

1079 *An religioſus ante profeſſionem poſſit nominare in emphyteuſim ipſum monaſterium?*

1080 *An monachus poſſit nominare ad emphyteuſim.*

1076 DIco primò: ſi emphyteuta profiteatur Religionem, quæ capax non eſt ſtabilium bonorum, aut reddituum, emphyteuſis pertinet ad legitimos hæredes, & ſucceſſores, nempe ſi hæreditaria eſt, ad proximum conſanguineum, ſi religioſus ante profeſſionem nihil diſpoſuit; ſi verò ſit ex pacto, & providentia, pertinet ad eos, qui ſecundum inveſtituram vocantur; ſi verò nullus talis ſit, revertitur ad proprietarium; profeſſio enim hæc morti æquiparatur. Ita cum Molina, Fragoſo, *p.3. lib.6.d.9.§.17.num.*10. Decaſtillus, *lib.2.tract.*15. *d.*1. *num.*127.

1077 Dico ſecundo: ſi religioſus profiteatur religionem capacem bonorum immobilium, ſi emphyteuſis fuerit hæreditaria, tranſit ad Monaſterium; ſed debet intra annum, ſaltem poſt mortem religioſi vendere emphyteuſim; alioquin omnem ſpem amitteret proprietarius accipiendi laudemium. Ita Fragoſus, *ſuprà num.*10. & cum Molina, & aliis,

1078 Decaſtillus, *ſupr.num.*128. Si verò emphytheuſis ſit de pacto, & providentia, commoditas emphyteuſis, interim dum religioſus vivit, ſpectat ad monaſterium; poſt ejus verò mortem ad eum, qui eſt in ſcriptura vocatus, alioquin devolvitur ad dominum directum. Molina, *d.*482. Sanchez *cap.*15. *num.*59. Decaſtillus, *ſuprà num.*129. Si verò ſit emphyteuſis nominationis, ſi ingreſſus religionem profeſſionem emiſerit, nec ad eam nominaverit, ſi non habeat, deſcendentes, nec aſcendentes, revertitur ad dominum directum; ſecus ſi eos habuerit, nam tunc ad eos pertinet; vivente tamen religioſo, commoditas erit monaſterij. Ita habetur *in Ordinatione Luſitana, lib.*4. *tit.*36. *num.*1. & 2. Fragoſo, *ſuprà num.*10.

1079 An autem religioſus ante profeſſionem poſſit nominare in emphyteuſim ipſum monaſterium? Negant multi, quos refert Fragoſo, *ſuprà num.*1. Verum affirmandum exiſtimo. Ita cum Caldas, Molina, & aliis Fragoſo, *ſup.num.*3. tenetur tamen monaſterium prædictam emphyteuſim intra annum perſonæ privatæ vendere, ut patet *ex Ordinatione, lib.*2. *tit.*18. vel debet conſequi æſtimationem illius ab hærede. Ita cum Speculat. & aliis Fragoſo, *ſupr. num.*4.

1080 An autem Monachus poſſit nominare ad emphyteuſim? Reſpondeo poſſe nominare ad emphyteuſim; Excipe illos qui ſunt incapaces bonorum immobilium in communi, ut ſunt Noſtri, Minores, & patres Societatis, poſt profeſſionem ſolemnem; nam hi poſt profeſſionem nominare non poſſunt, quia ſunt mortui mundo. Ita cum multis Fragoſo, *ſuprà num.*8. & 9. An autem Monachus poſſit ad emphyteuſim nominare? Reſpondeo poſſe, ſi ſit ex illis, qui bona ſtabilia habere poſſunt in communi; ſecus ſi illa habere non poſſint. Ita cum Molina, & aliis multis Fragoſo, *ſuprà num.*11.

SECTIO XIV.

Utrum emphyteuta, ſive pater ſit, ſive filius poſſit nominare aliquem ad emphyteuſim, inconſulto domino.

SUMMARIUM.

1081 *Qui ex conſenſu domini obtinuit emphyteuſim, ſive pater ſit, ſive filius, poteſt inconſulto domino nominare.*

1082 *Quid juris acquirat nominatus?*

1083 *An nominatio facta ſimpliciter, quæ præmoriente nominato in vita nominantis revocatur, fiat irrevocabilis per traditionem factam nominato abſque ulla juris emphyteutici tranſlatione?*

1081 DIco primò: qui ex conſenſu domini obtinuit emphyteuſim, ſive pater ſit, ſive non, poteſt domino inconſulto nominare. Ita habetur de jure Luſitano *in Ordinatione, tit.*36. & *tit.*37. Et hoc ſive nominatio fiat in teſtamento, ſive in contractu. Ad nominatum tamen mittendum in poſſeſſionem requiritur conſenſus domini, nam traditio eſt vera alienatio. Ita cum multis Fragoſo, *p.3. lib.6. d.9.§.22. num.*1. Debet tamen pater exprimere perſonam nominatam; ſi enim dicat nomino filios meos, nihil facit; ſi tamen dicat, nomino filias meas, Mariam, & Joannam, valet nominatio, quoad priorem; non enim emphytheuſis poteſt ad plures tranſire ſecundum formam conceſſionis. Ita cum communi ſententia Fragoſo, *ſuprà num.*4. Quod ſi quis nominet Franciſcum conſobrinum ſuum, & duo dentur Franciſci conſobrini in eodem gradu; neuter obtinebit emphyteuſim, invicem namque ſibi obſtant. Fragoſo, *ſuprà numero* 4.

1082 Sed quæres quid juris acquirat nominatus ſimpliciter, abſque traditione? Reſpondeo acquirere ſpem ſuccedendi, ſi ſupervivat pluſquam nominans, quod ſi præmoriatur nominatus, poterit nominans iterum nominare. Ita habetur ex lege Luſitana, *lib.*4. *Ordinationis, tit.*37. *num.*5. Imò præmoriens nominatus de re emphyteutica diſponere non poteſt, ſed emphyteuſis perſeverat apud nominantem, nec tranſit ad hæredes nominati præmorientis. Ita cum Caldas, Pereira, Fragoſo, *ſuprà num.*6. Si tamen ceſſerit totum jus in nominatum, tunc non poteſt amplius nominare; Imò ſi nominatus præmoriatur, poterit diſponere de emphyteuſi, & nominare loco ſui aliquam perſonam, ut colligatur *ex eod. Ordinat. lib.*4. *tit.*37. *num.*5. Fragoſo, *ſuprà num.*7.

1083 An autem nominatio facta ſimpliciter, quæ præmoriente nominato, in vita nominantis revocatur, fiat irrevocabilis per traditionem factam nominato, abſque ulla juris emphyteutici tranſlatione?

Affirmat

Affirmat Caldas, Pereira, *in dictum titulum ordinationis 37. num. 5.* Verùm contrarium exiſtimo dicendum, cum Segura, Rub. Pinello, Barboſa, & aliis quos refert, & ſequitur Fragoſo, *ſuprà num. 9.* Nam hujuſmodi nominationes habent tacitam conditionem, ſi non revocentur, eo quod nominatus in vita nominantis mortuus fuit, ante mortem namque nominantis non acquiſivit nominatus perfectè titulum perfectum, & abſolutum, unde reſtituendæ ſunt penſiones emphyteuticæ cum fructibus nominationibus revocatis, Fragoſo, *ſuprà num. 11.*

SECTIO XV.

Quæ nominatio ſit valida, quæ invalida, quę revocabilis, quæ irrevocabilis, & quot teſtes ſint neceſſarij in his nominationibus.

SUMMARIUM.

1084 *Si quis ſe ipſum nominet invalidè nominat.*
1085 *Secunda nominatio vivente adhuc filio, qui prius fuerat à matre nominatus eſt nulla, ſi matri tantum ſemel integrum erat nominare.*
1086 *Si nominatio fiat in teſtamento nullo, regulariter nominatio eſt nulla.*
1087 *Nominatio in teſtamento nullo cauſa exhæredationis, ſeu præteritionis eſt valida.*
1088 *Si teſtamentum ſit validum adhuc poteſt nominatio revocari.*
1089 *Quid ſi poſt nominationem ſequatur traditio?*
1090 *An nominatio facta in titulũ dotis ſit revocabilis?*
1091 *An nominatus cum tranſlatione totius juris emphyteutici, poſſit ad libertum diſponere de emphyteuſi per alienationem?*
1092 *Quot teſtes requirat nominatio cauſa mortis extrateſtamentũ, & codicillũ ad ſui firmitatẽ?*

1084 DIco primò: Si quis ſe ipſum nominet, invalidè nominat, debet enim differre perſona nominans à nominata. Ita cum Flaminio, & aliis, Fragoſo, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 23. num. 1.* Idem dicendum eſt, ſi nominet animam ſuam pro ſecunda, vel tertia vita, nec enim, quoad æſtimationem ei aliquid debetur, Fragoſo, *ſuprà num. 2.*

1085 Dico ſecundò: ſecunda nominatio vivente adhuc filio, qui prius fuerat à matre nominatus eſt nulla, ſi matri tantum ſemel integrum erat nominare. Ita habetur de jure Luſitano, *lib. 4. ordinationis tit. 37. num. 2.* Quod ſi mortuus filius priori nominatus decedat ab inteſtato nminem nominans, tunc emphyteuſis cum hæreditate veniet ad matrem, tunc tamen non poterit mater nominare filium in præjudicium filiæ nominatæ, quia quamvis nominatio filiæ facta à principio fuerit nulla, decedente fratre nominato prius convaluit nominatio filiæ irrevocabiliter facta, per textum, *in l. ſi quis alienum ff. ar. & empt.* Ita cum Caldas, Pereira, Fragoſo, *ſup. n. 7.*

1086 Dico tertiò: Si nominatio fiat in teſtamento nullo regulariter nominatio eſt nulla, per *l. Reg. lib. 4. tit. 37. ordinationis num. 4.* Quod verum eſt, etiam quando emphyteuta nominando variare non poteſt, nec revocare nominationem. Ita cum Ripa, Riminald. Fragoſo, *ſuprà num. 8.* Quod ſi teſtamentum non revocetur, nec judicetur nullum, nominatio non eſt revocanda. Ita cum communi ſententia Fragoſo, *ſuprà num. 8.* modo adſint teſtes requiſiti ad validitatẽ contractus, ſeu donationis cauſa mortis. Requiruntur autem ad probandam nominationem factam in teſtamento vocali, ſeu nuncupativo, ſex teſtes, ſi præceſſerat alia nominatio per inſtrumentum publicum antea facta, ut patet, *ex ordinatione lib. 4. tit. 9. num. ultimo.* Quod ſi non conſtet de nominatione antea facta publico inſtrumento, ſufficiunt pauciores teſtes, unde in foro externo ſuſtinebitur nominatio, quæ tribus teſtibus probatur, in foro tamen conſcientiæ ſufficiunt pauciores teſtes. Ita cum Molina & aliis multis, Fragoſo, *ſuprà num. 9.* & patet, *ex ordin. lib. 4. tit. 37. num. 3.* Quod ſi fiat nominatio duobus teſtibus non valebit in foro externo. Ita cum Caldas, Pereira, Afflictio, & aliis Fragoſo, *ſuprà n. 9.*

Dico quartò: nominatio emphyteuſis facta in teſtamẽto nullo ex cauſa exhæredationis, ſeu præte- 1087
ritionis eſt valida; quia teſtamentum non eſt abſolute nullum in totum, ſed dumtaxat ratione præteritionis concordat lex Luſitana, *lib. 4. ord. tit. 82. §. 1. & 2.* & tenet cum Pereira, Gamma & aliis Fragoſo, *ſuprà n. 10.* Aliud dicendum eſt quando poſthumo nato, rumperetur teſtamentum, in quo ipſe fuit præteritus, vel quando Pater præterit filium, quia ignorabat ſe filium habere, vel credebat eſſe defunctum, quia in his caſibus, nec fideicommiſſa, nec legata, nec alia ſimilia in eo relicta, ullam vim habent. Ita cum Molina, Gamma, Fragoſo, *ſup. n. 11.* Quod ſi poſthumus, præteritus, vivo teſtatore, natus deceſſit, quamvis teſtamentum adhuc ruptum videatur, conſiderata nimis juris ſubtilitate, ſuſtinebitur tamen, & ſic ſcriptus hæres obtinebit hæreditatem, *l. poſthumus in princip. ff. de inſtit. teſtament.* quia cauſa ambigua temperari debet moderatione juris naturalis, *l. non ſine,* & conſequenter omnia in eo contenta firma erunt. Ita cum Mantica, Fragoſo, *ſuprà n. 11.*

Dico quintò. Si teſtamentum ſit validum, adhuc poteſt nominatio revocari. Ratio eſt quia per codi- 1088
cillum poſſunt legata relicta in teſtamento adimi, per *l. ſi quis ita legaverit §. cum Titio, ff. de adimend. legat.* Unde poteſt revocari nominatio per voluntatem declaratam coram quinque teſtibus. Ita cum Gamma, Fragoſo, *ſuprà num. 12.* Excipe niſi nominatio fiat per teſtamentum nuncupativum in favorem Petri v. g. præſentis, & acceptantis; quia tunc eſt irrevocabilis, quaſi facta inter vivos, unde etiam revocato teſtamẽto firma manebit. Ita cũ Bart. Gutierres, Menchach. Fragoſo, *ſuprà num. 12.* Extra vero caſum præſentiæ, & acceptationis, nominatio in teſtamento nuncupativo facta revocabilis de ſe eſt, & eo revocato, revocabitur per dictam legem Regiam, *tit. 37. lib. 4. ord. n. 4.* Illo vero firmo manente, poterit teſtator eam dum vixerit revocare, ad inſtar legati, nec opus eſt ad hanc revocationẽ revocare totum teſtamentum. Ita Peralta, *in l. qui teſtam. n. 26. conſil. 3. & 5.* Imò ſi teſtator emphyteuſim alienat, nominatio facta in teſtamento evanuit. Ita cum Coſta, Pereira, Fragoſo, *ſuprà num. 12.*

Sed quid ſi poſt nominationem ſequatur traditio, 1089
fietne nominatio irrevocabilis? Reſpondeo, quod quoties emphyteuta ex conceſſione domini, vel ex *l. Regia lib. 4. ord. tit. 37.* poteſt variare, & revocabiliter nominare, nominationem eſſe revocabilem, eſto ſequatur traditio; quo caſu nominatus tenetur rem cum fructibus reſtituere, ſi emphyteuta variet; quia cum nominatio ſit revocabilis, etiam traditio revocabilis eſt. Ita cum Caldas, Pereira, Fragoſo, *ſuprà n. 13.* Excipe niſi emphyteuta cedat omne jus emphyteuticum ſuo nominato: nam in hoc caſu abſtinuit à ſe omnem poteſtatem amplius variandi; quod ſi non ceda omne illud jus, adhuc poteſt variare. Ita cum Pereira, Fragoſo, *ſuprà num. 13.*

1090 An autem nominatio facta ob titulum dotis sit revocabilis? alij negant; alij affirmant: sed probabilius est revocabilem esse, nisi etiam addatur clausula, *que che trespoſa todo o diresto, que na cauſa è facenda tem*, solum enim titulus dotis non sufficit, quando facultas nominandi conceditur cum clausula, & mentione mortis. Ita Valasco, Caldas Pereira, refert, & sequitur Fragoso, *suprà num.* 14. contra Seguram, Flores, de Mena, & alios, quamvis pro utraque opinione non semel in hoc Regno, sit varie judicatum, ut testatur Fragoso, *ibi.*

1091 Quæres tamen an nominatus, sive sit filius, sive non, cum translatione totius juris emphyteutici, possit ad libitum disponere de emphyteusi per alienationem? Respondeo posse de consensu domini, etiamsi adhuc sit vivus nominans. Et idem dicendum est de secundo nominato cum translatione totius juris emphyteutici. Ita habetur, *in ord. Lusitana, lib.* 4. *tit.* 37. *num.* 1. & cũ Caldas, Fragoso, *suprà num.* 15. Secus si emphyteuta non transtulit à se omne jus in nominatum, sed solum constat voluisse à se abdicare facultatem amplius nominandi: nam in hoc casu non transtulit omne jus emphyteuticum in nominatum. Vnde in hoc casu si præmoriatur nominatus in vita nominantis, potest iterum nominare; quod non potest contingere in eo, qui omne jus emphyteuticum transtulit in nominatũ, quia iste jam functus est plene officio suo, non tamen in nostro casu, quia nominatio in illo casu, non assecuta est plenarium effectum, nisi post mortem nominantis. Ita cum Molina, & aliis, Fragoso, *suprà num.* 16.

1092 Dico sextò: nominatio emphyteusis causa mortis extra testamentum, vel codicillum, ad sui firmitatem eget quinque testibus secundum *l. Lusitanam lib.* 4. *ordin. tit.* 80. Si tamen fiat in aliqua ultima voluntate, exigit ejus solemnitatẽ. Ita cum Baldo, & aliis Fragoso, *suprà num.* 17. Excipe si nominatio fiat præsenti, coram duobus testibus: nam tunc probabiliter sustineri potest per, *l. non omnis n.* 10. *ff. si certum pet.* Ita cum Decio, Fragoso, *suprà. num.* 18. contra Valascum. Nec obstat, quod, *in ordin. lib.* 4. *tit.* 63. exigantur tres testes ad nominationem inter vivos, ut *suprà*, diximus, quia in nova recopilatione, illud verbum, tres, omissum, & expunctum est. Fragoso, *suprà num.* 19.

SECTIO XVI.

An emphyteusis concessa filiis, & nepotibus masculis comprehendat filias, & earum descendentes masculos?

SUMMARIUM.

1093 *Si concedatur alicui emphyteusis pro se, & filiis, & nepotibus masculis, nepotes masculi ex filiabus veniunt ad illam, si concessio non fuit facta ad conservandam agnitionem?*

1094 *Si emphyteusis concedatur pro se, & filiis tantum, extenditur ad fœminas.*

1095 *Ponuntur quædam corollaria.*

1093 DIco primò: si concedatur alicui emphyteusis pro se, & filiis, & nepotibus masculis, nepotes masculi ex filiabus veniunt ad illam, si concessio non fuit facta ad conservandam agnitionem. Ita Ruinus, *consil.* 49. *num.* 120. *lib.* 1. Alciatus, *cons.* 15. *lib.* 8. & *consil.* 104. *lib.* 9. Valasco, *de jure emphyteuticoquæst.* 41. *num.* 9. contra Gratum, Iason, Mantica, & alios, quos refert Fragoso, *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 9. §. 9. *numero* 1. Ratio est quia nepos expresse habet qualitates ex concessione requisitas, est enim masculus: ergo cum neque jure communi, neque hujus Regni filij ex fœmina, imò nec ipsæ fœminæ, excludantur ab emphyteusi, ut patet *ex* §. *emphyteusim in authen. de non alien.* non est cur nepos ex filia non succedat in emphyteusi.

Nec obstat quod ejus mater sit incapax, in hoc casu, in quo tantum vocantur masculi. Nam nepos non succedit jure materno, sed jure suo proprio: nam illa non admittitur, quæ fœmina, nepos vero admittitur, quia masculus, cum contractus solum fœminas excludat. Et idem dicendum est, si concessio sit pro se, & descendentibus masculis: nam tunc, etiam possunt admitti masculi ex fœmina, deficientibus masculis per virilem sexum. Ita cum aliis Fragoso, *suprà num.* 9. siquidem etiam hi habent qualitates à contrahentibus expressas. Imò si concessio sit pro se, & masculis quibuscunque; non solùm non excludit masculos ex fœmina, sed nec extraneos, nisi verbum, quibuscumque; ex alio restringatur, quia cum nulla fiat mentio de descendentibus, masculi etiam extranei possunt habere locum, non tamen habent, si concedatur emphyteusis pro descendentibus masculis, quibuscunque, cum extranei non sint ex descendentibus. Ita cum Iulio, Claro, Baldo, Ruyn. Fragoso, *suprà num.* 12. Dixi si concessio non fuit facta ad conservandam agnitionem: nam si ita fuit, excludit nepotes ex filiabus, ut si concessio dicat, pro se, & descendentibus masculis per utilem sexum. Ita cum Baldo, Gallo, & aliis, Fragoso, *suprà num.* 9. vel per lineam masculinam, Fragoso, *suprà num.* 13.

1094 Dico secundò: si emphyteusis concedatur pro se, & filiis tantum, extenditur ad fœminas. Ita cum Iason, Decio, & aliis Fragoso, *suprà num.* 4. nomine enim masculino, etiam fœminæ comprehenduntur. Et idem dicendum est, si emphyteusis concessa sit pro se, & liberis, quia appellatione liberorum, mares & fœminæ intelliguntur proprie, *l. sed si hæc* §. *liberos*, 1 *ff. de in jus vocand.* & comprehenditur nepos ex filia, *l.* 1. *de condit. insert.* Ita Ancarran, *consil.* 125. Alexander, *consil.* 61. *num.* 6. & *consil.* 8. *n.* 24. Roland. *consil.* 93. Fragoso, *suprà n.* 4. Et idem dicendum est, si quis concedat Mariæ pro se, & filiis, & nepotibus emphyteusim: nam tunc non solùm masculi, sed etiam filiæ, & neptes, in defectu masculorum, possunt ingredi emphyteusim. Et ratio est, quia in fœmina, hæc concessio principium habuit, ab exordio: ergo tituli posterioris eventus forma sumenda est. Fragoso, *suprà.*

1095 Hinc quamvis emphyteusis Ecclesiastica regulariter non transeat ad legitimos, si tamen à principio illegitimo fuit concessa, aliis etiam illegitimis concessa creditur, Fragoso, *sup. n.* 6. Idem dicendum est, si emphyteusis alicui concedatur, & ejus generationi, vel generi. Ratio est, quia nomen generationis ad fœminas, & natos ex eis devolvitur. Ita habetur. *c. statuimus felices, de hæret. in* 6. & cum Acurtio, Azo. Speculat. & aliis Fragoso, *suprà n.* 7. Sed quid si concedatur emphyteusis pro se, & liberis suis descendentibus per lineam masculinam, poteritne amitti neptis ex filio descendens? Respondeo negative, quia dispositio in favorem agnatorum, non comprehendit fœminas agnatas; quia per eas agnatio non conservatur. Ita cum multis Craveta, *consil.* 584. *n.* 11. *consil.* 800. *num.* 6. sic fuisse judicatum in hoc regno testatur Fragoso, *suprà num.* 14.

SECTIO

SECTIO XVII.

Vtrum emphyteuſis conceſſa alicui pro ſe, & filio ſuo primogenito, mortuo primogenito, deferatur ſecundo genito, vel filio, relicto à primogenito?

SVMMARIVM.

1096 *Mortuo primo genito in vita Patris emphyteuſis tranſit ad ſecundum genitum, & non ad filium primogeniti demortui.*

1097 *Hæc diſpoſitio non procedit in majoratibus, ubi admittitur repræſentatio.*

1096 DIco primò: Si quis ſibi accepit emphyteuſim, & filio ſuo primogenito, cum pacto ut ſemper tranſeat ad primum genitum, mortuo primogenito in vita Patris, tranſit emphyteuſis ad ſecundogenitum, & non ad nepotem filium primogeniti demortui. Ratio eſt, quia diſpoſitio tempus ſucceſſionis reſpicit: ergo qui tempore mortis Patris ſupervixit, cenſetur primogenitus; ſed filius ſecundogenitus ſupervixit Patri emphyteutæ: ergo iſte præferendus eſt nepoti filio fratris primogeniti prædefuncti; & ita colligitur, *ex ordinat. lib. 4. tit. 36. n. 2.*
1097 ubi in conceſſione emphyteuſis excludit nepotē filium filij majoris natu, & admittit fratrem ſecundo, vel tertio genitum; quod tamen non accidit in majoratibus, ubi admittitur repreſentatio ex eodem, *lege 1. tit. 100. in principio.* Ita cum multis Fragoſo, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 10. num. 6.* quidquid alij in contrarium dicant.

SECTIO XVIII.

Vtrum emphyteuſis conceſſa ad tres perſonas cum pacto, quod illis finitis revertatur libere ad dominium, ſit iterum renovanda à deſcendentibus ultimi poſſeſſoris?

SUMMARIUM.

1098 *Poſito caſu inopinatæ neceſſitatis, cogendus eſt dominus directus ad faciendam renovationem in filiis ultimi poſſeſſoris, ſive ſit emphyteuſis Eccleſiaſtica, ſive non.*

1099 *Hæc renuntiatio petenda eſt intra annum, quando hic annus incipiat?*

1098 DIco primò: ſecluſo caſu ſupervenientis neceſſitatis inopinatæ, de quo infrà, non obſtanti tali pacto, cogendus eſt dominus directus ad faciendam renovationem filiis ultimi emphyteutæ, hiſque non exiſtentibus, agnatis proximioribus, ſive ſit emphyteuſis Eccleſiaſtica, ſive non. Ita Bart. *in l. 1. ff. de pericul. cred. num. 9.* Ancarran. *conſil.* 174. & cum Decio, Boërio, Romano, Fragoſo, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 12. num. 5.* Ratio eſt; quia ſimiles clauſulæ non excludant petitionem, ac beneficium renovationis, ſaltem de æquitate, nec ſunt ſervanda pacta de non renovando, quando nocent convictum publico, & miſerabilium pauperum ſuſtentationi. Vnde ſic in ſupremo hujus Regni ſenatu fuit judicatum, anno 1564. ut teſtatur Cadas, Pereira, *de renuntiatione q. 8. n. 20.* eandem ſententiam tenet Gabriel, Pereira, *dec. 31. n. 4.* Rebellus, *2. p. lib. 13. q. 19. n. 2.* Barboſa, *in remiſſionibus ad ordin. lib. 4. tit. 38. num. 65.* Cabedo, *p. 1. deciſ. 203.* Dixi ſecluſo caſu ſupervenientis neceſſitatis inopinatæ: nam tunc non eſt cogendus dominus ad renovandum. Ita Gamma, *deciſ. 41. num. ultimo* Cabedo, *tom. 1. deciſ. 203. num. 7.* Valaſcus, *conſult. 157. num. 17.* Gozad. *conſil. 39. & 68. n. 24.* contra Caldas, *de renovatione quæſt. 8. n. 22.*

Adverte tamen hanc renovationem petendam 1099
eſſe intra annum, & eo elapſo, non eſſe dominum cogendum ad beneficium renovandi. Ita Gozadin. *conſil. 39. & 71.* Gabriël. *de jure emphyteutico concluſ. 1. n. 10. tom. 3. commun. opin.* Et hic annus incipit à die ſcientiæ. Decius, *conſil. 38.* Sed hoc procedit, quando ſunt inveſtiti ex ultimo poſſeſſore provenientes, quando vero extraneus eſt inveſtitus, deſcendentes poſſunt petere uſque ad 30. annos, ſive qui petunt ſint deſcendentes, ſive tranſverſales. Ita cum Alexandro, & aliis, Fragoſo, *ſuprà num. 11.*

SECTIO XIX.

In quibus caſibus publicatis bonis emphyteutæ emphyteuſis tranſeat ad fiſcum?

SUMMARIUM.

1100 *Empyhteuſis ſive privata, ſive Eccleſiaſtica, quæ non poteſt tranſire ad extraneos non tranſit ad fiſcum.*

1101 *Emphyteuſis privata, quæ poteſt tranſire ad extraneos tranſit ad fiſcum.*

1102 *Quid dicendum ſit de emphyteuſi Eccleſiaſtica ſi in aliquo caſu poſſit tranſire ad extraneos?*

1103 *Commoditas emphyteuſis privatæ, quæ non poteſt tranſire ad extraneos, & dum criminoſus vivit pertinet ad fiſcum.*

1104 *Quid de emphyteuſi Eccleſiaſtica dicendū ſit?*

1105 *Quid ſi in conceſſione emphyteuſis, tam Eccleſiaſtica, quam privata pactum ſit appoſitum, ne emphyteuſim poſſit alienare, nec in alios tranferre, niſi in eos, qui vocatur in inveſtitura?*

DIco 1. emphyteuſis, ſive privata, ſive Eccleſiaſti- 1100
ca, quæ non poteſt tranſire ad extraneos, non trāſit ad fiſcum. Ratio eſt, quia ſi hæredes extranei nihil juris habent in illa, nec à fortiori fiſcus, cum non ſit proprie hæres, ſed quaſi hæres, & habeatur loco extranei. Ita cum Bartolo, Alexandro, Mantica, & aliis Fragoſo, *c. 3. lib. 6. d. 9. §. 13. num. 2.* Dixi 1101
quæ non poteſt tranſire ad extraneos: nam emphyteuſis privata, quæ poteſt tranſire ad extraneos, tranſit ad fiſcum cum publicatione bonorū delinquētis, cum obligatione ſolvendi penſioné. Ita Mantica, *tit. 30. n. 3.* Fragoſo, *ſup. n. 10.* Poteſt tamen dominus cogere fiſcum, ut trāsferat emphyteuſim in hominē illius conditionis, cujus erat delinquens, eū fiſcus ſit valde potens, & multis polleat indultis Fragoſus, *ibi.*

Sed quid ſi emphyteuſis ſit Eccleſiaſtica? Reſpon- 1102
deo non poſſe tranſire ad fiſcum. Ratio eſt, quia ex ſua inſtitutione, non poteſt tranſire ad extraneos, per *cap. felicis §. qua verb. de pœnis lib. 6.* Ita cum Caſtro, Alexandro, Romano, Fragoſo *ſuprà num. 3.* Sed quid, ſi in aliquo caſu emphyteuſis Eccleſiaſtica poſſit tranſire ad extraneos? Reſpondeo adhuc tunc non tranſire ad fiſcum. Ita cum Farinatio, Chaſſaneo, Ruyn, Symanchas, Romano, Baldo, & aliis late probat Fragoſo, *ſuprà num. 11.* quidquid alij dicant. Tum quia emphyteuſis Eccleſiaſtica non poteſt

levi conductoris pereat, vel deterior fiat, tenetur de damno, non tamen tenetur de culpa levissima, nec de casu fortuito, quia contractus fuit in utriusque commodum, nec enim tenetur majorem diligentiam adhibere ad rem conductam conservandam, quam alij conductores communiter solent adhibere. Ita cum Filliucio, Lessio, & aliis communiter Escobar, *lib. 39. Decalog. num. 8.* Hinc sit, quod si quis præscripto tempore non reddat equum, v. g. locatum, & is casu moriatur, vel si equus locatus fuit ad tot milliaria peragenda, & conductor ad alia illum duxit, vel si locatus fuit ad nullam sarcinam, nisi equitem portandum, & conductor contra fecit, unde & mortuus est equus, tenetur conductor ad omnia damna secuta; quia contra pactum explicitum egit. Excipe nisi in primo casu eodem modo esset moriturus apud dominum, vel nisi in prædictis casibus conductor rationabiliter conjiceret, non esse contra voluntatem domini, & quoad alium usum uti. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 3. §. 1. num. 23.*

999 Secundò fit teneri conductorem de damno illato, si mala putatione, v. g. reddidit vites ad aliquos annos post finitum tempus locationis infœcundas; si videns murum minantem ruinam, dominum ut succurreret non admonuit; si ob suam negligentiam, servitutem induci in prædium permisit, vel si ingruentem tempestatem contra navem conductam cum posset non præcavit; in his enim casibus, licet non præcesserit pactum explicitum inter conductorem, & locatorem, intercessit tamen pactum implicitum quatenus conductor implicite promisit rem locatam, ut suam custodiendam. In dubio tamen an res negligentia conductoris perierit, præsumendum est non fuisse ex ejus culpa, nisi locator culpam ostendat. Ita Tamburinus, *supra num. 27.*

1000 Dico secundò: secunda obligatio conductoris est, solvere pensionem in fine anni, nisi aliter conventum sit, aut habeat consuetudo, & dum non solvit, pro ea censentur obligati fructus in prædio collecti. Ita Escobar, *lib. 39. Decalog. num. 81.* Dixi fructus in prædio collecti: nam antequam colligantur, sunt sub dominio locatoris, quia tunc faciunt unum cum plantis, & arboribus; postquam vero sunt collecti, & separati à prædio, fiunt conductoris, etiamsi is nondum solverit pensionem; interim tamen dominus habet hypothecam in dictis fructibus, unde si conductor eam eos asportet è prædio, invito locatore fur esset. Ita Molina, *d. 497.* Lugo, *d. 29. n. 26.* Tamburinus, *supra, lib. 9. tract. 4. cap. 3. num. 5.*

1001 An autem si superveniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ, ob quod ea uti non potest conductor, teneatur adhuc totam solvere pensionem? Respondeo quod, si tale impedimentum superveniat culpa conductoris, ut quia non vult domum habitare, quia vult aliò pergere, tenetur solvere integram pensionem, nisi alteri æque, & bene locata sit, vel alteri non esset locanda, nisi ab eo conducta fuisset. Secus dicendum est, si sine culpa conductoris re conducta uti non possit, ut si quis domum conduxit, & vicinam invadit pestis, vel incipiunt ibi grassari milites, qui omnia vastant: nam tunc non tenetur solvere pensionem pro tempore, quo ea non utitur Lessius, *lib. 2. cap. 24. dub. 2.* Trul. *lib. 7. cap. 22. dub. 2. n. 1. & 2.* Et idem dicendum est, si culpa locatoris re uti non potest, imò locator tenetur de damno dato conductori, at si locator fuit impeditus casu fortuito, sine illius culpa, non tenetur ad interesse remittendum, nisi pro rata temporis Bonacina, *quæst. 7. p. 3. num. 10. & 11.* Lessius. *lib. 2. dub. 2. num. 11.* & cum aliis Trullenc. *supra numero 3. & 4.*

Sed quid, si conductor rem relinquat domino nolens ea uti, ob qualemcumque rationem. Respondeo adhuc teneri solvere totam integram pensionem; sibi enim imputet conductor, quod nolit re conducta uti, Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tra. 4. c. 4. §. 1. n. 13.* Excipe nisi dominus consenserit. Molina, *d. 493. n. 4.* vel nisi dominus alteri suâ rem æquali pretio locet, quod si locet majori pretio, nō tenetur dominus excessū conductori reddere: nā dum conductor rem relinquit, censetur à se abdicare, & pro derelicto habere fructus quoscunque, sive copiosos, sive modicos ex re illa proventuros Tamburinus, *supra num. 16.* contra Lugum, *d. 29. de justitia num. 30.* 1002

Si tamen quæres, quando hæc pensio sit solvenda? Respondeo debere solutio fieri secluso pacto, vel consuetudine Regionis, in fine concessi temporis; quia tunc æquum est, ut pensio solvatur, quando quis jam habuit totum usum rei conductæ. Vnde si conductio fiat ad annum, ad sex menses, ad mensem, in fine hujus temporis solvenda est pensio, & si res est fructifera, quando fructus colliguntur; quod si res locetur per novem, aut plures annos, in fine cujuscunque anni, fieri debet solutio: nam locatio plurium annorum æquivalet pluribus locationibus Molina, *d. 497.* Bonacina, *de contract. d. 3. q. 7. p. 3. n. 5.* Tamburinus, *supra, §. 3. n. 2.* Vnde si constet conductorem solvisse ultimis tribus annis, præsumitur solvisse cetetis antecedentibus, nisi contrarium probetur, *l. quicunque C. de apochis public.* vel nisi conductor certus sit, se non solvisse: nam tunc tenetur in conscientia solvere, sicut etiam tenetur quando est dubiūan solverit, quia locator est in possessione crediti. Ita cum Menochio, Mascardo, Tamburinus, *supra, §. 2. n. 3. & 4.* si tandem quæres ubi hæc pensio sit solvenda? Respondeo secluso pacto, & consuetudine regionis, debere solvi in loco, ubi facta est conductio Tamburinus, *supra, §. 3. n. 1.* 1003

Dico tertiò: conductor tenetur facere expensas, quæ necessariæ sunt ad colligendos fructus ex agro, ut arare, fodere, metere, &c. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 1. §. 1. n. 14. & §. 2. n. 4.* Layman, *tract. 4. lib. 3. cap. 22. n. 4.* & alij communiter. An autem teneatur facere expensas, quæ necessariæ sunt ad avertenda mala, quibus res conducta periret, si ei non succurreretur? Respondeo secluso pacto negative; sed omnes expensæ, sive magnæ, sive parvæ sint, debere fieri sumptibus locatoris. Ita Lugo, *d. 29. n. 30.* contra Tamburinus, *supra, lib. 9. tract. 4. cap. 5. §. 2. n. 6.* Ratio est, quia hæc mala obveniunt rei, sine culpa conductoris, ut suppono: ergo ex vi contractus nō tenetur ea suis expensis avertere, tenebitur tamen in facti contingentia diligenter, si potest, rei succurrere, ne pereat, sive magnis, sive parvis expensis, mutuando etiam sibi ad id pecunias, si commode potest, quas postea locator tenetur solvere; quod si noluerit eas solvere; potest conductor sibi occulte compensare, vel retinere tantumdem de pensione, vel rem locatam, quoad usque satisfiat ex fructibus inde percipiendis; siquidem utilem rem gerit pro domino, quare justitia postulat ut à domino refarciatur. 1004 1005

Dixi secluso pacto: nam si inter contrahentes intercesserit pactum justum, illi standum est. Ita communiter DD. An autem sit pactum justum, quando omnia pericula, sive fortuita, sive solita, sive insolita, & etiam inaudita, conjiciuntur in conductorem? Respondeo affirmative; dummodo tantum dematur de pensione solvenda, quantum necessarium sit ad compensandum hoc onus, & dummodo finito tempore locationis, si res non periit, tradatur domino, non vero ipsius pretium. Ratio est quia his 1006 1007

duabus

duabus conditionibus, nec datur venditio, cum eadem res finito tempore locationis reddatur domino ſuo, nec datur inæqualitas, cum diminutione penſionis onus prædictum compenſetur. Ita Azor. *p. 3. lib. 8. cap. 11. quæſt. 7.* & cum Diana, Villalobos, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 23. dub. 6. num. 5.* Tamburinus, *de triplici jure tract. 4. cap. 5. num. 5.*

1008 Hinc fit, licitum eſſe contractum, quo locator prædium cum omni apparatu aratrorum, boum, & ferramentorum, ad meſſem, vel cum torculari, & doliis, ad vindemiam, cum pacto quod ante locationem æſtimentur, & finita locatione reddantur ejuſdem æſtimationis, & bonitatis; nam cum pro hoc onere ſuſcepto diminuatur penſio, ut ſuppono, & dominium maneat apud locatorem, non eſt unde hic contractus ſit injuſtus. Tamburinus, *ſuprà num. 11.* Et idem dicendum eſt, ſi fiat pactum, quod dimidium periculi ſortis teneatur ſolvere conductor, & alium dimidium locator, ſive res caſu, ſive culpa conductoris pereat, ut ſi locetur bos cum pacto, quod ſi intra annum minuatur æſtimatio bovis, conductor dimidium jacturæ, amittat, & aliud dimidium locator: nam cum dimidium bovis, vel rei locatæ, maneat apud locatorem, & de penſione minuatur quantum ſufficit ad conſtituendum æqualitatem, non eſt unde hoc pactum reddatur illicitum. Ita Lugo, *d. 29. num. 70.* Tamburinus, *ſuprà num. 13.* Si tamen quæras, quando cenſeatur penſio hæc oneri æqualis? Reſpondeo hoc debere fieri à viro experto in hac re: exiſtimat autem Lugo, *ſuprà*, eſſe æqualem penſionem prædicto oneri, ſi v. g. pro bove æſtimationis 20. aureorum, detur penſio aureorum trium.

1009 An autem ſi locetur grex ovium cum pacto, quod in fine conductionis reddatur à conductore in eodem numero, bonitate, & ætate, qua nunc traditur ſtantibus prædictis duabus conditionibus, talis contractus ſit licitus? Affirmat Tamburinus *ſuprà num. 9.* cujus ratio eſt; quia talis grex, & ſi una, vel altera ovis moriatur, & alteri loco ejus apponatur à conductore, ſemper eſt moraliter idem grex, & ovis de novo appoſita, ponitur nomine locatoris, & ſtatim acquiritur ejus dominio; quod autem petatur, quod ſint in eadem juventute, & ætate, eſt pactum præter naturam contractus locationis non deſtruens locationem. Sed ego licet admittam id, quod ait Tamburinus, quod in fine conductionis reddatur grex in eodem numero, & bonitate, non tamen admitto pactum, quod reddantur in eadem ætate, & juventute: nam hoc pactum deſtruit contractum locationis: nam qui locat, ad aliquod tempus locat: ergo poſtulare, quod in fine locationis res locata habeat eandem juventutem, & ætatem, quam habuit tempore, quo fuit à principio locata eſt deſtruere ipſam locationem, & poſtulare rem contradictoriam. Ita Azorius, *p. 3. lib. 8. cap. 12. quæſt. 2.*

1010 An autem pactum, quod duo ad invicem ſibi locant unus alteri fundum, & alias alteri domum, hac conditione quod nullus teneatur ſolvere penſionem, donec ambo velint reddere acceptum, ſit juſtum? Reſpondeo affirmative, ſi res traditæ ambæ ſint fructiferæ, & æqualium fructuum, ſecus ſi unus det pecuniam, & ab alio accipiat domum, vel fundum: nam pecunia non eſt ex ſe fructifera. Excipe, niſi ex damno eam danti emergenti forte juſtificetur. Tamburinus, *de triplici jure lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 10.*

SECTIO VIII.

Vtrum ſucceſſor ſtare debeat locationi, vel conductioni factæ à ſuo anteceſſore?

SUMMARIUM.

1011 *Succeſſor univerſalis tenetur ſtare locationi, vel conductioni facta à ſuo prædeceſſore.*

1012 *Succeſſor particularis non tenetur ſtare locationi, vel conductioni facta à ſuo anteceſſore.*

1013 *Ponitur quoddam corollarium.*

1014 *Ponitur quædam advertentia.*

Dico primo: ſucceſſor univerſalis tenetur ſtare locationi, vel conductioni factæ à ſuo prædeceſſore. Ratio eſt, quia ſucceſſor univerſalis repræſentat perſonam ejus, cui in omnibus ſuccedit: ergo debet omnia ſervare, ad quæ ſuus prædeceſſor ſe obligaverat. Ita cum Mantica, & aliis communiter Bonacina, *de contract. d. 3. quæſt. 7. p. ultim. num. 2.* Eſcobar, *tract. 39. Decalog. num. 74.* Excipe niſi locatio, vel conductio fuerit facta uſque ad beneplacitum locantis, vel conductoris, nam tunc per mortem expirat beneplacitum, *l. 4. ff. de locato, & cap. ſi gratioſe, de reſcrip. lib. 2.* Secundò quando conceſſit operas ſuas ad aliquid, quod per alium adimpleri nō poteſt, mortuo illo non tranſit contractus ad hæredes, Filliucius, *tract. 16. cap. 3. quæſt. 2.* Villalobos, *2. p. tract. 25. def. 10. num. 3.* Tertiò quando aliquis ſuccedit in majoratu, vel fideicomiſſo: nam hi non accipiunt majoratum à prædeceſſore, qui rem locavit tantum pro vita ſua, ſed à primo inſtitutore. Ita cum Molina, & aliis communiter, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 23. dub. 5. num. 6.* 1011

Dico ſecundò: ſucceſſor particularis ex emptione; donatione, vel legato, vel ſimili contractu, non tenetur ſtare locationi factæ à ſuo anteceſſore, ſed poteſt expellere conductorem, & conductor poteſt recedere, competit tamen conductori actio perſonalis in locatorem, vel ejus hæredes, ut reſarciat damnum, quod ſua intereſt, eo quod non continuetur contractus uſque ad tempus locationis. Limita tamen niſi ſignatè initio locationis deductum eſſet in pactum, ut pro tempore locationis res locata maneret hypothecata conductori: nam tunc tenetur ſucceſſor, etiam particularis ſtare locationi: nam tunc ratione contractus acquiſivit jus in ea re pro eo tempore conducto. Dixi niſi ſignatè res maneret hypothecata: nam ſi manſit generaliter hypothecata; ut ſi diceret, omnia bona mea ſint tibi conductori pro ſecuritate hypothecatæ, tunc nō tenetur ſucceſſor ſtare locationi; competit tamen jus conductori ut diximus, adverſus teſtatorem, vel ejus hæredes de damno. Molina, *d. 490.* & cum aliis Eſcobar, *lib. 39. Decalog. num. 74.* 1012

Ex præcedenti doctrina plures deducuntur caſus. Primùm fiſcum teneri ſtare locationi factæ ab eo, cujus omnia bona, aut medietatem, vel tertiam partem illorum confiſcantur; quia tunc eſt ſucceſſor univerſalis delinquentis. Secus ſi ſuccedat in aliqua re particulari, quia tunc eſt ſucceſſor particularis. Ita cum Navar. Azor, Filliucio, Trull. *ſup. n. 3.* ſecundò fit pupillum, & minorē teneri ſtare locationi factæ à ſuo tutore, vel curatore; vel procuratore; quia erat omniū bonorū adminiſtrator. Si tamen inveniātur læſi datur eis remediū, reſtitutionis in integrum. Ita cum Azor, Villal. Filliuc. Trul. *ſup. n. 48.* Tertio fit, Vxorem mortuo marito teneri ſtare locationi factæ, 1013

non ſolùm bonorum dotalium, ſed etiam paraphernalium à marito, quia maritus non ſolùm eſt uſufructuarius horum bonorum, ſed & legitimus adminiſtrator. Molina, *d.* 492. Tamburinus, *de triplici jure lib.* 9. *tract.* 4. *c.* 6. §. 2. *num.* 8. maritus vero ſolum tenetur ſtare locationi factæ de bonis dotalibus ante matrimonium, quando ſciebat eſſe locata, ſecus ſi id non ſciebat: habet enim ſe tunc ſicut ſucceſſor particularis. Ita cum Filliucio, & aliis communiter Trullenc. *ſuprà*. Quartò ſit prælatos, Abbates, Beneficiarios, teneri ſtare locationi factæ à ſuis anteceſſoribus de bonis pertinentibus ad Eccleſiam: nam de his fuerunt prædeceſſores legitimi adminiſtratores. Secus dicendum eſt de bonis, & reditibus Eccleſiaſticis pertinentibus ad ſuam dignitatem, vel beneficium, cujus fructus ſui ſunt: nam in his ſuccedunt, ſicut primogenitus in bonis majoratus: Tamburinus, *ſuprà num.* 9. & 10. & cum aliis Trullenc. *ſuprà n.* 7. Eſcobar, *ſuprà n.* 78.

1014 Adverte tamen, quod ſive ſucceſſor particularis, ſive prælatus, ſuccedens in fructibus beneficij particularis, ſive emens in re empta, ſaltem ex æqualitate non poſſe expellere conductorem ex prædio, v.g. quod ſeminavit, niſi collectis fructibus, ne intempeſtive cum alterius damno finiatur locatio. Et idem dicendũ eſt de ſucceſſore beneficij, ſi ejus prædeceſſor ex licentia ſummi Pontificis ad tres; vel plures annos locavit: nam durante hoc tempore non poteſt conductor moleſtari. Et idem dicendum eſt, ſi detur conſuetudo in loco, ſucceſſor teneatur ſtare locationi jam factæ: Ita cum Reginaldo, Azorio, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 8. Tamburinus, *ſuprà*, §. 3. *num.* 2. Adverte ſecundò, quod in his caſibus, in quibus ſucceſſor particularis tenetur ſtare locationi factæ à ſuo prædeceſſore, poteſt denuo exigere penſionem à conductore prædeceſſore anticipante ſolutam, habebit tamen conductor recurſum contra hæredes locatoris, ſi ſolvendo fuerint. Barboſa, *de poteſtate Epiſcopi, tom.* 3. *alleg.* 94. *n.* 5. & 7. Trullenc. *ſuprà n.* 9

DISPUTATIO XXI.

De Emphyteuſi, & Livello.

SECTIO I.

Quid ſit emphyteuſis & quomodo differat à livello feudo & aliis ſimilibus contractis.

SUMMARIUM.

1015 *Unde dicatur Emphyteuſis?*
1016 *Ponitur emphyteuſis diffinitio.*
1017 *Explicatur diffinitio emphyteuſis.*
1018 *In quo differat à livello exprimitur.*
1019 *Quid ſit livellus declaratur.*

1015 DIco primò: emphyteuſis olim plantatio, ſeu inſitio, appellabatur, eo quod terræ incultæ, & fructum ferre non ſolitæ, alicui ſub onere penſionis concedebantur, ut media ejus plantatione, & cultura frugifera fierent; conſuetudo tamen iã obtinuit, ut quælibet, ſive cultæ ſive incultæ in emphyteuſim donentur, eo tamen fine, ut meliores reddantur, ut notant cum Accurſ. *in authent. de non alien.* § *ſcire autem, verbo emphyteuſis*, communiter Doctores.

Diffinitur autem emphyteuſis, eſt contractus, quo res immobilis alteri traditur, quoad dominium utile, ſub aliqua penſione ſolvenda, in recognitionem dominij directi, apud concedentem perſeverantis. Ita communiter DD. Qui accepit hujuſmodi dominium utile, vocatur emphyteuta, ipſe contractus, quo id datur, & accipitur, vocatur emphyteuſis, ipſa penſio ſolvenda vocatur, Græce Canon, hoc eſt, regula, quaſi penſio; ex certa & fixa regula ſit ſolvenda.

Dicitur autem contractus ad reiiciendas liberales 1016
donationes, & promiſſiones, quæ proprie contractus non ſunt. Dicitur quo res immobilis, hoc eſt ſolo adhærens, & fixa, quia non eſt rei mobilis, nec etiã cujuſmodi immobilis, ſi ſolo nõ adhæreat, qualia ſuo modo ſunt jura, & tributa. Dicitur alteri traditur, quoad dominium utile, quia ſolum dominium utile, & non directum in emphyteuſi transfertur; & per hanc particulam excluduntur contractus transferentes dominium, ut ſunt emptio, permutatio, cenſus, cambium, & alij; tum etiam contractus commodati, & locati, quibus rei uſus, & non pariter fructus conceditur, imò etiam depoſiti, ac ac pignoris, & aliorum, quibus nec nudus uſus conceditur.

Dicitur ſub aliqua penſione ſolvenda in recogni- 1017
tionem dominij directi, quia in hoc contractu deſignatur penſio ſuo tempore ſolvenda, non quidem in compenſationem fructuum ex re emphyteutica percipiendorum, ſed in ſignum, & recognitionem dominij directi, quod apud Luſitanos dicitur, *pagar o domino, in o foro* & per hoc diſtinguitur à feudo, cui maxime affinis eſt: nam feudum non penſionis ſolutionem, ſed perſonale obſequium petit, ideoque feudus à fide, ſeu fidelitate, quam vaſſalus domino præſtare tenetur, dicitur.

Differt autem emphyteuſis à livello, quia livel- 1018
lus eſt contractus ſubfeudalis, vel ſubemphyteuticus, quo aliquis rem acceptam in emphyteuſim, vel feudum, tradit alteri pro penſione ſibi quoque ſolvenda, poteſt enim res emphyteutica alteri tradi in emphyteuſim, aut locari, & etiam vendi, (& idem dicendum eſt de feudo (dummodo fiat ſine detrimento domini directi, ſervatis conditionibus, quæ infra dicentur. Vide Molinam, *d.* 444. Leſſium, & alios, quos refert, & ſequitur Rebellus, 2. *p. lib.* 13. *q.* 1. Decaſtillum, *lib.* 2. *tract.* 15. *d.* 1. *à n.* 1. Palaum, *tract.* 33. *d.* 10. *p.* 1. & alios communiter.

SECTIO II.

Quotuplex ſit emphyteuſis.

SUMMARIUM.

1020 *Emphyteuſis alia eſt perpetua, alia ad tempus, alia Eccleſiaſtica, alia profana.*
1021 *Emphyteuſis alia eſt nova, alia antiqua.*
1022 *Emphyteuſis alia eſt hereditaria ſimpliciter, alia hereditaria miſtè, alia familiaris, ſeu de pacto, & providentia.*

DIco primò: emphyteuſis alia eſt perpetua, & 1019
Luſitane dicitur, *fateoſim*. Alia ad tempus, quam noſtri vocant, à *foramento*, ſive, *foros*. Et ſi eſt ad tempus incertum, hoc eſt ad unã, vel duas, vel tres generationes, dicitur Luſitane, *prazo, em vidas*, ſi eſt ad tempus certum, longũ tamen, ad minus per deceniũ, dicitur emphyteuſis, rurſu ẽphyteuſis dividitur in Eccleſiaſticam, & profanã, illa ſub Eccleſiæ bonis

(ſub

Digitized by Google

(ſub Eccleſiæ nomine Monaſteria, Hoſpitalia, Collegia, & alia loca pia comprehendi.) Hæc in bonis non Eccleſiaſticis ſit; in Eccleſiaſtica ſervandæ ſunt leges Eccleſiæ; non verò ſæculares, niſi à Pontifice fuerint approbatæ. Vnde ſi Eccleſia ab emphyteuſi excludat illegitimos, non debent admitti etſi lex civilis illos non excludat. Palaus, *d. 1. p. 2. num. 2.* Si tamen emphyteuſis Eccleſiaſtica laïco concedatur, quoad ſolvenda tributa, & vectigalia, tenebitur ſtare legibus ſæcularibus, nec poterit gaudere exemptione Eccleſiæ. Ita cum communi ſententia Palaus *ſup. num. 4.* & cum Molina, Decaſtillus, *ſup. n. 16.* contra Facchia, Dueñas, & alios.

1021 Dico ſecundò: emphyteuſis, alia eſt nova, quæ ſcilicet primò inſtituitur, alia antiqua, & jam olim inſtituta, alia eſt hæreditaria ſimpliciter, quæ concedi ſolet pro omnibus hæredibus, quamvis extraneis, taliſque cenſetur quando abſolutè datur alicui, & ejus hæredibus; hæredum enim nomine intelligendi veniunt, etiam extranei, ſi inſtituantur. Molina,
1022 *d. 469.* Alia eſt hæreditaria mixtè, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, ſed non pro omnibus. Alia dicitur familiaris, quæ datur pro illis, qui ſunt de familia, etiamſi hæredes non ſint, juxta pactum poſitum in inveſtitura. Valaſquez, *de Emphyteuſi, quæſt. 43.* Rebello, *lib. 13. quæſt. 13. num. 2.* & hæc ſolet appellari cum pacto, & providentia. Decaſtillus, *ſupra num. 20.*

SECTIO III.

Utrum ad emphyteuſis valorem ſcriptura requiratur.

SUMMARIUM.

1023 *Pacta contrahentium præcipuè videnda ſunt in hoc contractu, & quare.*
1024 *Prima conditio ad emphyteuſim eſt ſcriptura.*
1025 *Si emphyteuta perdidit ſcripturam quomodo probandus ſit contractus emphyteuticus?*

1023 SVppono, de hoc contractu præcipuè videndas eſſe leges, & conſuetudines locorum, & conventionem contrahentium; nam pacta contrahentium dant huic contractui legem, magis quam ulli alteri & benè notat Baſæus, *verbo emphyteuſis, num. 3.* Decaſtillus, *d. 1. num. 24.* his ſuppoſitis, & prænotatis.

1024 Dico primò: prima conditio jure communi requiſita ad valorem emphyteuſis eſt ſcriptura. Ita cum multis Palaus, *d. 10. p. 3. num. 1.* Valaſcus, *de jure emphyteutico, quæſt. 7. num. 2.* Molina, *d. 447.* Decaſtillus, *lib. 2. tractat. 15. d. 1. num. 25.* Quod
1025 ſi emphyteuta non poſſit probare ſcripturam, quia illam inculpabiliter amiſit, quod illius juramento probandum eſt, niſi adverſarius oppoſitum manifeſtè probet, ut advertit Palaus, *d. 10. p. 4. num. 3.* debet producere teſtes, qui affirment celebratum fuiſſe contractum, interveniente inſtrumento ſcripto. Molina *num. d. 449.* Vel ſi nec hoc poſſit probare per teſtes, tuebitur ſi oſtendat ſe pacifice poſſediſſe, & ſolviſſe domino penſionem per triginta annos, ſi emphyteuſis laïca ſit, vel per quadraginta, ſi ſit Eccleſiaſtica. Molina, *d. 449.* Imò aliqui exiſtimant, in emphyteuſi communi ſufficere ſpatium decem annorum. Ita cum Maſcardo, & aliis Decaſtillus, *ſup. n. 27.*

SECTIO IV.

Utrum emphyteuta teneatur ſolvere penſionem?

SUMMARIUM.

1026 *Emphyteuta tenetur ſolvere proprietario penſionem in pecunia, vel fructibus.*
1027 *Aliqua dantur, quibus jure Luſitano non poteſt imponi penſio vini, vel olei, ſed debet fieri ſub penſione pecuniaria.*
1028 *Non eſt de neceſſitate emphyteuſis, ut emphyteuta aliquid ſolvat pro ingreſſu.*
1029 *Aliqua dantur, in quibus jure Luſitano prohibetur aliquid dare pro ingreſſu.*

DIco primò: ſecunda conditio ad contractum 1026
emphyteuſis eſt, ut emphyteuta in recognitionem dominij directi ſolvat proprietario penſionem, ſeu Canonem, Luſitanæ *foro*, conſiſtentem, vel in pecunia, vel fructibus. Excipe niſi ſit domus, 1027
vel ſolum ad domum ædificandam; nam hæc non poſſunt concedi in emphyteuſim de jure Luſitano, ſub penſione vini, & olei, ac ſimilium, ſed ſub penſione pecuniaria, vel ſub penſione aliquarum avium, alioquin contractus eſt nullus, ut habetur, *lib. 4. Ordinationis, tit. 65. §. ultimo.* Non eſt tamen de neceſſitate emphyteuſis, etiam de jure Luſitano, 1028
quod emphyteuta aliquid ſolvat pro ingreſſu, ut benè cum Valaſco, Rebello, *lib. 13. quæſt. 7 n. 5.* Imò lex Luſitana *lib. 4. tit. 66.* interdicit, tam commendatariis militiarum, quam adminiſtratoribus tam Capellaniarum, quam majoratuum, & aliis ſimilibus, quibus fas eſt tradere in emphyteuſim res quas per ſolam vitam poſſident de Regia Corona, 1029
ne pecuniam, pretiumve aliud pro ingreſſu emphyteuſis, vel renovatione ejus recipiant, ſub pœna irriti contractus, & amittendi pretium datum, ſolvendique inſuper ab emphyteuta tantundem, ac dedit in pretium, ne hac de cauſa occaſionem habeat imponendi minorem penſionem in præjudicium ſuorum ſucceſſorum. Rebellus, *ſupr. num. 6.*

SECTIO V.

An emphyteuta non ſolvens penſionem incidat in commiſſum, & quando id accidat?

SUMMARIUM.

1030 *Per quantum tempus non ſolvens emphyteuta penſionem incurrat in incommiſſum, tam in emphyteuſi Eccleſiaſtica, quam profana?*
1031 *Quid ſi fructus non ſingulis, ſed alternis annis colligatur?*
1032 *Emphyteuta non ſolvens penſionem non incidit in incommiſſum, dum dominus voluntatem exequendi illam pœnam non declaret.*
1033 *Emphyteuta non tenetur ſolvere penſionem, ſi citra ſuam culpam res tota pereat.*
1034 *Excuſatur à pœna incommiſſi, ſi non ſolvat penſionem tempore, quo deſiit poſſidere.*
1035 *Non incidit in incommiſſum, ſi poſtquam emphyteuta dignus fuit ea pœna, dominus ab eo ſequentis temporis penſiones accepit.*

1036 *An emphyteuta possit præscribere dominium directum?*

1037 *An sint tempora præfixa, in quibus sit pensio solvenda?*

1038 *An si emphyteusis perveniat ad multos hæredes, uno solvente, cæteri solventes incidant in incommissum?*

1039 *An emphyteuta teneatur hanc pœnam subire ante sententiam judicis?*

1030 DIco primò: obligatio solvendi pensionem tanta est, ut si per tres annos continuos completos non solvatur in emphyteusi sæculari, ita pœna commissi incurratur, ut mora purgari nequeat, si verò emphyteusis fuerit Ecclesiastica, satis est si per duos annos continuos completos non exolvatur. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib.* 2. *tractat.* 15. *d.* 1. *num.* 29. Rebellus, *suprà num.* 7. & patet ex ordinatione Lusitana, *libr.* 4. *titul.* 61. §. 1. & 2.

1031 Excipe primò: si fructus non singulis, sed alternis annis colligantur, ut in fructibus olivarum, nam tunc hæc pœna non incurritur, nisi per sex annos pensio non solvatur in emphyteusi sæculari, & in Ecclesiastica per quatuor annos. Rebell. *suprà num.* 7. Excipe secundò, nisi emphyteuta titulo compensationis retineat pensionem, Decastillus, *suprà num.* 30. Vel si per dominium stet quominus pensio recipiatur. Decastillus *ibi. num.* 31. Vel si ob ignorantiam, justamve aliam causam non solverit. Ita cum Lessio, Claro, Rebello, & aliis,

1032 Decastillus, *supr. num.* 32. Excipe tertio, ut non prius emphyteuta incidat in eam pœnam, quam dominus voluntatem illam exequendi declaret. Molina. *d.* 453. Decastillus, *sup. num.* 33. Quod si dominus omisit voluntatem illam declarandi, cùm posset, non est integrum successori prædictam pœnam exequi, nec contra hæredem emphyteutæ condemnatio per sententiam fieri potest, si contra delinquentem scienter fuerit intermissa Decastillus, *supr. num.* 34. & 35.

1033 Excipe quartò: quando citra culpam emphyteutæ tota res periit. Rebello, *supr. quæst.* 7. *num.* 1. quod si pars aliqua remaneat, cogi potest emphyteuta ad solvendam integram pensionem, si pars superstes sufficiens sit ad solvendum pensionem. Ita cum Valasco, Rebellus, *suprà num.* 2. Hinc fit, quod si domus emphyteutica ruat, vinea, vel olivetum omnino pereat, manente solo, emphyteutam non teneri solvere pensionem. Rebellus, *suprà numero* 3. Dixi si citra culpam emphyteutæ res periit, nam si ejus culpa periit in electione domini est eum expellere, vel ad ipsius rei reædificationem compellere. Rebellus, *suprà num.* 4. Excusatur etiam non solvens pensionem à pœna commissi, si non solvat ob supervenientem sterilitatem eodem tempore contingentem, & idem est, si propter hostiles incursus fructus non recipiat. Imò pro eodem tempore à pensione ipsa excusabitur. Quod tamen non accidit, quando intervenit sterilitas; nam tunc rem pacificè possidet, quod non accidit quando ab hoste occupatur. Rebell. *sup. num.* 3. & 4.

1034 Excusabitur etiam à pœna commissi, si non solverit pensionem tempore quo desiit possidere. Rebello *suprà n.* 5. Item quoties sine peccato mortali omissio, vel dilatio solutionis fit. Rebello, *suprà num.* 7. Erit tamen mortalis omissio pensionis, etiam si pensio tota in se sit minima; non enim datur ad emolumentum, sed in recognitionem dominij. Rebellus *supr. num.* 8. Secus si pars minima pensionis magnæ omittatur, ut si ex octo aureis solvendis, unus omittatur; tunc enim omittens solutionem unius aurei non cadit in commissum, Rebellus, *supr. num.* 8. Excipe nisi unicuique fundo, vel jugeri agri, sua peculiaris pensio respondeat; nam tunc caderet in commissum emphyteuta pro parte jugerum, quorum totam pensionem, vel ejus partem notabilem non solveret; cum nemo sit puniendus magis, quam deliquerit. Non erit tamen pars omissa censenda notabilis, nisi fuerit tertia pars ad effectum incurrendi pœnam commissi. Rebellus *supr. num.* 9.

Excipe quintò: si dominus directus sæcularis 1035
postquam emphyteuta dignus, fuit ea pœna sequentis temporis pensiones recepit ab illo; tunc enim censetur pœnam condonare; secus si recipiat pensiones tempore antecedente caducitati respondentes. Ita cum multis Decastillus, *supr. num.* 48. & 49. Dixi dominus sæcularis; nam si fuit Prælatus Ecclesiæ, non censetur condonare pœnam caducitatis recipiens pensiones sequentis temporis, quia Prælatus eam remittere nequit. Ita cum Molina, Layman, Decastillus, *supr. num.* 52. An autem emphyteuta possit præscribere dominium directum? Respondeo negativè, quia ad præscribendum requiritur possessio nomine proprio. Excipe nisi emphyteuta neget se debere annuam pensionem; nam ab eo tempore, quo negavit se debere talem pensionem, si bona fide processit, incepit possidere nomine proprio. Decastillus, *supra n.* 55. sed de hoc infra redibit sermo. 1036

An autem sint tempora præfixa, in quibus sol- 1037
venda sit pensio? Respondeo negativè, sed standum est conventioni contrahentium, aut locorum consuetudini, si nihil fuit expressum. Rebellus *suprà quæst.* 7. *num.* 8. Valasco *quæst.* 1. *num.* 14. Emphyteuta autem non cœpit cadere in commissum à tempore quo fuit in mora non solvendi pensionem, sed à tempore, quo dominus se ita velle ostendit. Decastillus *sup. n.* 59. An autem emphyteuta possit cedere emphyteusi quoties voluerit? Respondeo negative, nam jus expellendi emphyteutam, introductum est in favorem proprietarij. Hinc fit posse emphyteutam cogi ad solvendum pensionem, & non permitti liberari ab obligatione, qua tenetur erga dominum directum, si res facta sit deterior, illique cedere velit, nam emphyteuta tenetur actione personali; personales autem actiones affixæ sunt ossibus nostris. Ita cum multis Decastillus *suprà num.* 63.

An autem si res emphyteutica perveniat ad mul- 1038
tos hæredes, quorum unus non solvit pensionem, reliquis solventibus, reliqui qui solvunt rem emphyteuticam amittant? Respondeo omnes incidere in incommissum. Ita cum Azor, Sylvestro, & aliis Decastillus *sup. num.* 37. Hoc tamen periculum possunt facile reliqui evadere, si unus solvat totam pensionem, & deinde agat contra eum, qui pensionem non solvit, pro quo non tenetur gratis solvere.

An autem Emphyteuta teneatur hanc pœnam 1039
pati ante sententiam judicis? Respondeo negative; nemo enim tenetur pœnam subire ante sententiam judicis. Rebellus *lib.* 13. *quæst.* 12. & 17. *num.* 12. & cum Azorio, Julio Claro, & aliis Decastillus *suprà num.* 40. Palaus *d.* 10. *p.* 8. *num.* 4. contra Lessium *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 8. & alios. Hinc fit fructus præsentes ante litem intentatam pertinere ad emphyteutam, post sententiam verò ad proprietarium, deductis expensis factis ab Emphyteuta. Mol. *d.* 455. Decastillus *sup. n.* 44.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VI.

An Emphyteuta cadens in commissum ob non solutam pensionem possit moram purgare?

SUMMARIUM.

1040 *In emphyteusi Ecclesiastica; si post elapsum annum celeritate solutionis emphyteuta purget moram non potest expelli ab emphyteusi.*

1041 *In emphyteusi sæculari de rigore juris non potest emphyteuta purgare moram celeritate solutionis.*

1042 *Quanta celeritate sit purganda mora in emphyteusi ecclesiastica?*

1040 DIco primo: In empyhteusi Ecclesiastica, si post elapsum annum celeritate solutionis emphyteuta purget moram, non potest expelli ab emphyteusi. Ita Molina *d.* 453. *num.* 6. & cum Layman, & aliis Decastillus, *supr. num.* 46. Fulvia enim hac celeritate solutionis contentatur. Quod tamen non accidit in emphyteusi sæculari; nam in hac de rigore juris, non potest emphyteuta purgare nomen celeritate solutionis, sed statim amittit rem emphyteuticam, si dominus velit eam sibi applicare. Rebellus *supr. quæst.* 10. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 547. Decastillus *supr. num.* 47. & patet ex ordinatione Lusitana *lib.* 4. *tit.* 65.

1041

1042 Quanta verò celeritate purganda sit mora in emphyteusi Ecclesiastica, ut emphyteuta non cadat in commissum? Respondeo regulariter in judicio non censeri tardam satisfactionem, quæ ante litis contestationem fit; unde quocumque tempore, quo emphyteuta ante litis contestationem solvat, liberatur à pœna commissi. Ita decernit lex Lusitana *lib.* 4. *Ordinationis tit.* 65. §. 2. & tenet Rebell. *lib.* 13. *quæst.* 10. *num.* 7.

SECTIO VII.

An bona subjecta Ecclesiæ possint emphyteuticari, & quomodo?

SUMMARIUM.

1043 *Res Ecclesiastica non potest tradi à Prælato emphyteusim, nisi ex legitima causa, & cum certa solemnitate.*

1044 *Quid si res sit solita emphyteuticari?*

1045 *Ad hoc, ut res solita emphyteuticari iterum tradatur in emphyteusim, requiritur major utilitas Ecclesiæ.*

1043 DIco primò: tertia conditio ad hunc contractum est, ut bona emphyteusi subjicienda non sint Ecclesiastica; nam hæc à prælato tradi in emphyteusim non possunt, nisi ex legitima causa, & cum certa solemnitate. Ita cum multis Decastillus, *supr. num.* 53. Excipe nisi sint solita tradi in emphyteusim; nam tunc poterunt tradi in emphyteusim, sine tali solemnitate; quia hæc non est nova alienatio, sed continuatio primæ emphyteusis.

1044

1045 Ad hoc tamen etiam requiritur major utilitas Ecclesiæ, & quod non tradantur, nisi eo modo, quo prius fuerant tradita. Verbi gratia, si res erat pro descendentibus tantum, non tradatur pro extraneis; si fuerat concessa ad tres vitas, non tradatur in perpetuum. Molina. *d.* 369. Decastillus, *supr. num.* 316. Requiritur etiam quod res non sit jam incorporata Ecclesiæ, sic enim est usu receptum. Decastillus *suprà num.* 378. Sed de his *infrà* redibit sermo: quomodo autem bona immobilia Ecclesiæ, vel mobilia, quæ servando servari possunt, possint alienari? Vide quæ dixi *in nostro Directorio Regularium, p.* 1. *d.* ... *n.* .....

SECTIO VIII.

Utrum emphyteuta possit rem emphyteuticam vendere, irrequisito domino?

SUMMARIUM.

1046 *Emphyteuta non potest emphyteusim alienare, irrequisito domino, alias incidit in incommissum.*

1047 *Non incurritur incommissum per solam venditionem, si non sequatur traditio de jure communi, secus de jure Lusitano.*

1048 *Non incurrit commissum emphyteuta, qui non totam rem emphyteuticam vendit, sed partem duntaxat alienavit.*

1046 DIco primò: quarta conditio est, ut non liceat emphyteutæ domino irrequisito fundum emphyteuticatum alienare per venditionem; quare si emphyteuta non admoneat dominum directum incidit in commissum. Ita habetur *l. ultima. Cod. de jure emphyteutico, & cap. potuit de locato*, & habetur in ordinatione Lusitana *lib.* 4. *tit.* 4. §. *è sendo caso*, Rebellus *lib.* 13. *quæst.* 4. *num.* 1. & cum aliis Decastillus *supr. num.* 64. Quod verum est, etsi postea emphyteuta recuperet rem ab emptore, jus enim quæsitum est domino directo. Ita cum Mantica, Azorio, Sylvestro, & aliis Decastillus, *supr. num.* 64. Excipe si recuperet ante litem contestatam; nam tunc de jure Lusitano non cadit in commissum. Ita cum Gama, *decis.* 274. *num.* 2. Rebellus, *supr. num.* 9. Quod si dominus requisitus intra duos menses non se deliberet, an velit ipse emere rem emphyteuticam, elapso bimestri, illóque nolente emere, poterit emphyteuta vendere, cui voluerit, eodem vel minori pretio, dummodo non vendat iis, quibus vetitum est vendere, aut à quibus non possit proprietarius debitam pensionem absque gravamine, vel difficultate obtinere, ut patet ex Ordinatione Lusitana *lib.* 4. *tit.* 64. *ad initium, è antaon deve ser vendida a tal pessoa, que livremente pague o foro.* Rebello, *supr. num.* 4.

1047 Advertè tamen non incurri incommissum per solam venditionem, nisi sequatur traditio, saltem de jure communi. Decastillus, *supr. n.* 78. & alij. Dixi de jure communi; nam de jure Lusitano, affirmat cum Valasco, Rebellus, *supr. num.* 7. incurri incommissum per solam fictam traditionem: idem affirmat Gama, *decisione* 116. *num.* 1. quorum ratio est, quia lex Lusitana *lib.* 2. *tit.* 5. §. 2. Præcipit communiorem sententiam amplecti, sed sententia quæ asserit incommissum incurri per solam fictam traditionem est communior inter Doctores; ergo sed hæc ratio est parum tuta, cum hodie communior sit contraria sententia, & cum sit in materia pœnali,

nali,& odiosa benignior pars videtur mihi complectenda.

1048 Item non incurrit incommissum emphyteuta in utroque foro, qui non totam rem emphyteuticam, sed partem duntaxat alienavit, solius enim partis alienatio, non est perfecta alienatio, dispositio autem pœnalis ad perfectam alienationem solum extendi debet. Rebellus *supr. num. 7.* Item non incurritur per venditionem conditionalem, ut si dicat vendo, si dominus concesserit, vel nisi dominus directus emere velit; secus si dicat, vendo salvo jure domini; nam protestatio est contraria facto. Rebellus, *suprà num.* 10. Decastillus, *suprà num.* 80.

SECTIO IX.

Qualiter alio titulo, quam venditione emphyteuta emphyteusim alienare possit?

SVMMARIVM.

1049 *Si res emphyteutica non sit Ecclesia, vel alicujus privati, non cadit in commissum emphyteuta, qui eam oppignoravit, permutavit, hypothecavit, legavit, vel donavit, vel tradidit in debitis solutionem, secundum jus, quod in se habet.*

1050 *Non incurrit incommissum vendendo servitutem in fundo emphyteutico.*

1051 *Non incurrit in commissum, si rem vendat de consensu implicito domini.*

1049 Dico primò: si res emphyteutica non sit Ecclesiæ, vel alicujus privati, non cadit in commissum emphyteuta, qui eam oppignoravit, permutavit, hypothecavit, legavit, vel donavit, vel tradidit in solutionem, secundum jus quod in se habet emphyteuta; nam de his alienationibus, seu subjectionibus, non loquuntur jura. Rebellus *suprà quæst. 5.* & cum Julio Claro, Lessio, Azorio, Sylvestro, & aliis, Decastillus, *suprà num. 66.* Dixi si res non sit Ecclesiæ, vel alicujus privati; nam si sit, incurret in commissum de jure Lusitano, *lib. 4. tit. 64. §. 1.* Excipe si emphyteuta donet causa mortis. Rebellus *quæst. 5. num. 1.*

1050 Nec etiam incurrit in commissum vendendo servitutem in fundo emphyteutico; hæc enim non nocet domino; solum enim durat servitus quandiu res manet apud emphyteutam. Rebello, *suprà num. 11.* Decastillus, *suprà num. 81.* Nec etiam incurrit in commissum, si rem emphyteuticam vendat de consensu implicito, vel præsumpto domini; hic autem consensus tunc censetur; quando emphyteusis alicui conceditur pro se, & pro
1051 illis, quibus dederit. Rebello *suprà num. 11.* Incurrit tamen in commissum, si rem emphyteuticam donet in dotem, irrequisito domino; hæc enim traditio est perfecta alienatio, ut patet ex lege Lusitana, *libr. 4. tit. 64. §. 1. dar, ou dotar*; Rebellus, *supr. num. 4.* Et idem dicendum est, si ad decennium locetur. Rebellus, *ibi num. 6.*

SECTIO X.

Quando emphyteuta teneatur solvere Laudemium?

SUMMARIUM.

1052 *Si res emphyteutica vendatur, donetur, permutetur, locetur ad decennium, solvendum est laudemium domino directo.*

1053 *Quid si aliud consuetudo ferat?*

1054 *An laudemium debeat solvi ab emptore, vel à venditore?*

1055 *Quid sit laudemium, tam de jure communi, quam Lusitano?*

1056 *Multi dantur casu, in quibus non debetur laudemium, qui ibi explicantur.*

Dico primò: si res emphyteutica vendatur, do- 1052
netur, permutetur, locetur ad decennium, solvendum est laudemium domino directo, quod verum est, etsi dominus directus decedens uni hæredi relinquat proprietatem, & alteri usumfructum; nam semper laudemium solvendum est habenti proprietatem; at benè notat cum multis Fragoso. *3. p. lib. 6. disp. 13. §. 1. n. 6.* Excipe nisi aliud 1053
consuetudo ferat. Rebellus *lib. 3. q. 6. n. 2.* An autem 1054
hoc laudemium debeat solvi ab emptore, vel venditore? Respondeo de jure communi debere solvi ab emptore, ut tenet cum communi sententia Iulius Clarus. *§. emphyteusis. q. 23. n. 4.* Sed jure Lusitano hoc onus incumbit venditori, ut patet ex ordinatione *lib. 1. tit. 62. n. 48. Antaon odito foreiro podera vender, e do preço, porque assim vender, pagar à Capella, ou senhorio à quarentena.* attendenda est tamen in solvendo laudemio consuetudo locorum Fragoso *suprà num. 12.* Est autem laudemium de 1055
jure communi quinquagesima pars totius pretij. In Lusitania verò est quadragesima ut patet ex ordinatione *lib. 4. tit. 38.* nisi consuetudo alicubi majus, vel minus pretium ferat. Rebellus *lib. 13. q. 7. n. 2.* Hæc autem obligatio solvendi laudemium non est personalis, sed realis, ideò sequitur res alienatas, & cum eisdem transit ad successorem, ut cum Velasco, notat Fragoso *p. 3. lib. 6. d. 13. §. 1. num. 5.*

Dico secundò: Multi dantur casus, in quibus 1056
non debetur laudemium primus quando res emphyteutica redit ad priorem emphyteuticam, dissoluto contractu celebrato cum pacta retrovendendi. Decastillus *supr. num. 69.* & cum Molina, Fragoso *p. 3. lib. 6. d. 13. §. 1. n. 13.* Secundo quando hæres necessarius succedit in emphyteusim, qui hæres appellatur in jure secus; Decastillus *supr. n. 71.* Et idem dicendum est de hærede extraneo, qui succedit defuncto. Rebellus *supr. n. 3.* nec quando cohæres partialiter succedens in emphyteusim ante divisionem vendit alteri cohæredi partem sibi correspondentem; secus si vendat extraneo, vel post factam divisionem. Molina *d. 460.* Decastillus *supr. n. 71.* Tertio si alienatio fiat ad debita solvenda excedentia, vel æqualia pretio recepto, nec alia bona sint, unde fiat resolutio. Rebellus *supr. num. 3.* Quartò quando pater in dotem dat filiæ rem emphyteuticam, non habens aliud, quod ei tradat. Rebellus *ibi num. 3.* Fragoso, *suprà num. 8.* Decastillus, *suprà num. 7.* & patet ex Ordinatione Lusitana, *lib. 4. tit. 38.*

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XI.

Quis in emphyteusim succedere debeat?

SUMMARIUM.

1057 *Sensus quæstionis est de emphyteusi hæreditaria, vel simpliciter, vel mixte, vel de pacto, & providentia.*

1058 *Quæ dicatur emphyteusis ex pacto, & providentia?*

1059 *Quæ dicatur emphyteusis hæreditaria.*

1060 *Si emphyteusis secularis alicui concedatur pro se, & pro illo, quem nominaverit, ac pro eo, quem à se nominatus nominaverit, est ex pacto & providentia.*

1061 *Quisnam ex hæredibus ab intestato præferendus sit in emphyteusi?*

1062 *In emphyteusi ex pacto, & providentia successor non tenetur ratione ipsius ad debita sui antecessoris, etiamsi sit patris.*

1063 *Hæredes extranei non succedunt in emphyteusi Ecclesiastica, etiamsi sit hæreditaria.*

1064 *Si filius renuntiavit hæreditati patris, non succedit in emphyteusi, quam pater pro se, & filiis, & hæredibus acceptavit, sive secularis, sive Ecclesiastica sit.*

1065 *In emphyteusi quæ conceditur pro aliquo, & filiis, & hæredibus succedunt hæredes, quamvis filij non sint, præsertim si seculares sint.*

1066 *Si emphyteusis concedatur pro se, & pro hæredibus, & successoribus suis, censetur data etiam cum facultate transferendi ad extraneos.*

1067 *Quamvis emphyteusis hæreditaria sit concessa pro quibuscumque hæredibus, & successoribus, non potest transferri in aliquem potentiorem, & magis privilegiatum.*

1057 SVppono, quæstionem in præsenti non esse de emphyteusi ad certos annos, nec ad solam vitam cum constet eo tempore elapso rem ad dominum directum, ejusque hæredes reverti; unde quæstio est de emphyteusi hæreditaria, vel simpliciter, vel mixte, & de ea quam vocant ex pacto & providentia, de quibus non nihil diximus *sect.* 2. & eadem quæstio est de feudo. Secundò suppono in successione emphyteusis, mentem contrahentium, sive expressam, sive tacitam præcipuè attendendam esse, & secundum eam de successione judicandum esse. Rebellus, *lib.* 13. *quæst.* 13. *num.* 8.

1058 Tertiò suppono emphyteusim ex pacto, & providentia, dixi illam in cujus investitura, ac concessione nulla fit mentio hæredum, nec requirit, ut successores sint hæredes, quod procedit, sive emphyteusis sit privata, sive Ecclesiastica. Ita cum Valasco, Pinello, & aliis Fragoso, *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 9. §. 7. *num.* 1. Vnde omnes hæ concessiones sunt ex pacto, & providentia. Concedo sibi hanc emphyteusim, uxori, & filiis, vel descendentibus, vel concedo in tres generationes; vel tibi, & duobus aliis post te, vel tibi, & liberis tuis, vel tibi, & genito tuo. Vel tibi, & duabus personis, itaut tu nomines secundam, & secunda tertiam. Vel concedo tibi, & tuis descendentibus ex corpore tuo genitis, aut legitimis, sive per lineam masculinam, vel fœminam. Denique quoties non fit mentio hæredum, est emphyteusis de pacto, & providentia. Fragoso, *supr. num.* 1.

1059 Quartò suppono, Emphyteusim hæreditariam esse illam, quæ sit pro hæredibus, & successoribus, vel etiam pro filiis, & descendentibus hæredibus. Dicitur hæreditaria, eo quod non potest obtineri, nisi ab hærede, quicumque ille sit, & hdc, sive sit Ecclesiastica, sive secularis, cum hoc tamen differentia, quod emphyteusis secularis transit ad hæredem extraneum non tamen Ecclesiastica, nisi concessio facta fuerit cum clausula pro omnibus hæredibus, seu pro quibuscumque hæredibus. Ita cum multis Fragoso, *supr. num.* 3. vel si fiat cum clausula pro quibus dederis. Fragoso, *ibi.* Emphyteusis verò hæreditaria mixte, est quæ conceditur alicui, pro se & filiis hæredibus cum hac tamen explicatione quod si emphyteusis sit laica, seu secularis, & in ea appellatione hæredum veniant extranei, talis emphyteusis erit simpliciter hæreditaria, & in Ecclesiastica, cum nomine hæredum veniant solum descendentes, nisi aliud exprimatur, erit emphyteusis hæreditaria mixte, ac proinde nemo, qui hæres non sit, sive filius, sive non, non potest in ea succedere. Fragoso, *supr. n.* 4. his suppositis,

Dico primò: Si emphyteusis secularis, alicui 1060
concedatur pro se, & pro illo, quem nominaverit, ac pro eo, quem à se nominatus nominaverit, talis emphyteusis est ex pacto; & providentia, & non hæreditaria, unde si emphyteuta è vita decedat antequam nominet, succedit in ea universalis hæres unicus, qui ab eo per testamentum fuerit institutus, etiàsi ab eo in testamento pro emphyteusi nominatus non fuerit. Ita habetur *lib.* 4. *Ordinationis Lusitanæ, tit.* 2. Quod si plures fuerint hæredes, sive ex testamento, sive ab intestato, & nullus pro ea emphyteusi fuerit nominatus, de jure Lusitano succedunt hæredes etiam extranei testamento instituti. Quod si omnes sint hæredes ab intestato, unus præferendus est in emphyteusi: Quod si nullus detur hæres ab intestato, ad dominum ipsa emphyteusis revertitur. Ita habetur *in eadem ordinatione sup.* §. *e finando se.*

Quod si quæras quisnam ex hæredibus ab inte- 1061
stato præferendus sit in emphyteusi? Respondeo descendentem præferendum esse ascendentibus, & inter cohæredes ejusdem gradus, is qui masculus sit, & inter eos, qui in diverso gradu sunt, is qui gradu propinquior fuerit; quo fit, ut si plures hæredes, filiosque legitimos ultimos emphyteusis possessor relinquat præferatur major natu, & filius minimus seniori filiæ, etiam primogenitæ. Quod si nullus sit filius masculus, filia legitima succedit; ex pluribus verò filiabus, senior succedit, & filia quantumvis minima nepti, ac nepoti, seniotibus, ac etiam progenitis ex filio, filiave seniori, si verò nec ulla sit filia, succedit nepos, etsi is non sit neptis, ex pluribus autem neptibus, major natu admittitur, & sic de cæteris descendentibus legitimis, juxta legem Lusitanam citatam.

Nullo verò existente utriusque sexus legitimo descendente, præfertur omnibus ascendentibus filius naturalis, nam juxta legem Lusitanam *lib.* 4. *tit.* 36. filij naturales admittuntur ad emphyteusim, non existente sobole legitima, non solum quàdo emphyteusis concessa est pro se, & pro illo quem nominaverit, sed etiam quando emphyteusis traditur alicui, pro se, & filiis suis. Imò si pater est de plebe in emphyteusi nominationis potest nominare filium naturalem, etiam prole legitima existente, quod tamen efficere non potest pater nobilis. Possunt tamen filij naturales, etiam patris nobilis, succedere in emphyteusim privata, seu profana ab intestato, non existente prole legitima, ut patet *ex ordinatione Lusitana, tit.* 36. *lib.* 4. *num.* 4. & tenet cum communi sententia, Fragoso, *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 9. §. 16. *num.* 2. Imò dictam

Digitized by Google

legem Luſitanam extendit cum Valaſco, & aliis Fragoſo *ibi num. 3.* ad emphyteuſim Eccleſiaſticam conceſſam pro eo, qui nominabitur, Eccleſia namque videtur concedere emphyteuſim juxta leges regni, ubi contrahitur. Et idem dicendum eſt, quando emphyteuſis conceditur cum poteſtate nominandi libere Fragoſo, *ibi n. 3.*

Quod ſi non ſint niſi aſcendentes, pater tam matri, quam avo anteponitur; & avus aviæ, & mater utrique, & ita de ceteris. Quod ſi nec prædicti deſcendentes nec legitimi aſcendentes ſint, emphyteuſis ad dominum directum revertitur, non verò ad alios propinquos, & pater hæredes, eo quod nec expreſſe, nec tacitè ſint nominati, nec aliunde ſecundum jus Luſitanum præſumatur extendendum eſſe formaliter, vel virtute mentem contrahentium. Rebello, *lib. 13. q. 13. num. 10.*

1052 Dico ſecundò: in hac emphyteuſi ex pacto, & providentia, ſucceſſor in illa non tenetur ratione ipſius ad debita ſui anteceſſoris, etiamſi ſit patris; unde ſi adiret patris hæreditatem ad beneficium inventarij ſolum juxta vires hæreditatis paternæ tenebitur ad ſolvenda debita patris, emphyteuſi ſemper ſalva manente. Etſi contingeret quod emphyteuſis inter hæredes divideretur, diſtinctio facienda eſt ſecundum æquas portiones, etiamſi non ſint æqualiter cohæredes, quod non accidit in emphyteuſi hæreditaria; nam ratione illius tenetur ſucceſſor ad debita patris, & ſecundum hæreditatis portiones, etiam emphyteuſis dividenda eſt, non ſecundum rem, ſed ſecundum æſtimationem, juxta Ordinationem, *lib. 4. tit. 62. §. 1. & tit. 77. §. penultimo.* Secundum quam emphyteuſis uni hæredum de conſenſu aliorum adjudicanda eſt, cum obligatione aliis ſuam portionem ſolvendi ſecundum æſtimationem; quamvis in Provincia Interannenſi, cauſa paupertatis, non obſtanti prædicta lege, ipſa emphyteuſis hæreditaria inter cohæredes de conſenſu domini reipſa in partes, & portiones dividitur, conſtituto uno cohærede pro capite totius emphyteuſis per electionem reliquarum, qui teneatur integram penſionem domino directo ſolvere, receptores ab aliis ſatisfactionem, juxta cujuſcumque portionem. Ita & bene Rebellus *lib. 13. q. 13. num. 4. 5. & ſ.*

1053 Dico tertiò: hæredes extranei qui ſcilicet ex ſolo teſtamento ſuccedere poſſunt, non ſuccedunt in emphyteuſi Eccleſiaſtica, etiamſi ſit hæreditaria, id eſt pro aliquo, & hæredibus conceſſa. Succedant tamen, ſi concedatur alicui, & hæredibus, quibus dederit, aut pro illo, & omnibus hæredibus, aut ſub alia æquivalente verborum forma. Ita Rebello, *lib. 13. quæſt. 14. num. 1.* quamvis oppoſitum teneat Molina, *d. 469.* ubi teſtatur eſſe communem. Ratio noſtræ ſententiæ eſt; quia non eſt credibile talem fuiſſe mentem Eccleſiæ, ſicut nec admittere filios naturales, vel ſpurios, etiam à Rege, vel etiam à Papa legitimatos, niſi ſit cum clauſula, ut poſſint in emphyteuſi Eccleſiaſtica ſuccedere, propter errorem paternæ impudicitiæ. Ita & benè Rebello, *ſup. num. 1. & quæſt. 13. num. 12.* Excipe niſi emphyteuſis Eccleſiaſtica à principio conceſſa fuerit filio naturali, nam tunc poſſunt ſuccedere naturales, ſi emphyteuſis fuerit ex pacto, & providentia; ſecus ſi fuerit de libera nominatione. Fragoſo, *ſupr. num. 5.* An autem emphyteuſis Eccleſiaſtica poſſit à principio concedi etiam ſpurio? Reſpondeo affirmativè. Ita cum multis Fragoſo, *ſupr. num. 6.* An autem in futurum poſſint naturales, & ſpurij vocari in prædicta emphyteuſi? Reſpondeo negativè niſi conſtet Eccleſiam noluiſſe à ſucceſſione arcere illegitimos. Ita cum aliis Fragoſo, *ſuprà num. 8.*

Dico quartò, ſi filius renuntiet hæreditati patris, non ſuccedit in emphyteuſim, quam pater pro ſe, & filiis, & hæredibus acceptavit, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſtica ſit. Ita cum communi ſententia Rebellus, *ſupr. num. 2.* Quamvis oppoſitum probabiliter teneat, etiam Palaus, de emphyteuſi, non tamen de Feudo *diſput. 10. p. 15. §. 2. num. 2.* Noſtram tamen ſententiam tuentur Pinellus, Valaſcus, Fachin. quos refert Palaus *ibi.* Ratio illius eſt, quia inſtitutio hæreditatis eſt virtualis nominatio emphyteuſis; ergo filius, qui renuntiavit hereditati paternæ, alteri quoque renuntiare cenſetur. 1054

Dico quintò: in emphyteuſi quæ conceditur pro aliquo, & filiis, & hæredibus, ſuccedunt hæredes, quamvis filij non ſint, præſertim ſi ſæculares ſint. Ratio eſt, quia nomen, hæredibus, poſt nomen, filiis, per conjunctionem expreſſam, ad quoſcumque hæredes, etiam extraneos extenditur. Ita cum Valaſco, Covar. Rebello, *lib. 13. q. 14. n. 3.* Decaſtillus, *lib. 1. de juſtitia, tract. 15. d. 1. num. 86.* Si tamen emphyteuſis concedatur his, aut æquipollentibus verbis, do ſibi hunc fundum in emphyteuſim, nulla facta expreſſione hæredum, aut ſucceſſorum, tunc eſt emphyteuſis ex pacto, & providentia, ſeu familiaris. Molina, *d. 473* Decaſtillus, *ſup. num. 85.* Si verò concedatur pro aliquo, & liberis hæredibus, nulla adjecta copula inter dictiones, liberis hæredibus, in utraque emphyteuſi, tam ſæculari, quam Eccleſiaſtica, exigitur filium eſſe hæredem. Et idem dicendum eſt, ſi diceretur, pro te, & hæredibus ex ſuo corpore genitis, ſi tamen concederetur pro te, & ſuis, vel pro ſe, & ſuis, eſſet ex pacto, & providentia, atque adeò is, qui hæreditatem repudiaret, poſſet in ea ſuccedere. Ita cum Valaſco, Rebellus, *ſuprà n. 4.* Si vero concederetur pro te, & filiis, & filiiſve filiorum, poſſunt etiam fœminæ ſuccedere, nomine enim maſculino, etiam fœminæ comprehenduntur. Ita cum Molina, Fachin. Julio Claro, & aliis Decaſtillus, *ſup. num. 87.* & cum Valaſco, Pinello, Rebellus, *ſup. num. 5.* Secus dicendum eſt, ſi concederetur pro te, & filiis maſculis, aut pro te, & filiis, & nepotibus maſculis; nam tunc fœminæ non comprehenduntur. Et idem dicendum eſt, ſi concedatur pro te, & filiis maſculis, aut pro te, & filiis ſuis deſcendentibus virilis ſecus, vel ſi dicatur, ut per virilem ſexum deſcendat Rebellus, *ſuprà num. 6.* An autem in his caſibus ſuccedat maſculus ex filia? *infrà* dicemus, *ſectione 16.* 1055

Dico ſextò: Si emphyteuſis concedatur pro ſe, & pro hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, cenſetur data etiam cum facultate transferendi ad extraneos; quia nomine hæredum, & ſucceſſorum veniunt, etiam extranei. Ita cum communi ſententia Decaſtillus, *ſupr. num. 88.* Quod ſi concedatur pro te, & ſuis hæredibus legitimis, non extenditur ad filios illegitimatos, quia illud nomen, legitimis, ad natos ex legitimo matrimonio, vel per ſubſequens matrimonium legitimatos reſtringitur, unde emphyteuſis in hoc caſu erit mixta, ſcilicet hæreditaria; quia in os fit mentio hæredum, & ex facto, & providentia, quia illegitimos excludit Rebellus, *ſupr. num. 7.* 1056

Dico ſeptimò: quamvis emphyteuſis hæreditaria ſit conceſſa pro quibuſcumque hæredibus, & ſucceſſoribus, transferri non poteſt in aliquem potentiorem, magiſque privilegiatum, qualis eſt, vel Eccleſia, vel civitas. Ita cum communi ſententia Molina, *d. 454.* Decaſtillus *ſuprà num 49.* 1057

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO XII.

Vtrum Pater possit emphyteusim pro se, & filiis datam prælegare uni ex filiis, vel renuntiando, vel aliter in extraneum alienando eisdem filiis præjudicare, saltem præhabito concedentis consensu?

SUMMARIUM.

1068 *Pater licite potest cum domini consensu vendere emphyteusim pro toto vita tempore concessa, etsi filij pro quibus concessa fuit contradicant, sive hæreditaria, sive non hæreditaria sit.*

1069 *Si emphyteusis sit acquisita ex re patris potest pater de domini consensu eam uni ex filiis prælegare, vel in extraneum alienare.*

1070 *Pater in emphyteusi potest præjudicare filiis, si tantundem de propriis bonis relinquat filio, qui in emphyteusi præjudicavit.*

1071 *In præjudicium filij potest pater alienare emphyteusim, si ex verbis concessionis fieri posse colligatur.*

1072 *Pater non potest præjudicare filiis, si emphyteusis sit ex pacto, & providentia, & antiqua.*

1073 *Quid si sit nova?*

1074 *Si emphyteusis sit hæreditaria simpliciter potest pater uni filiorum emphyteusim dare non læsa legitima portione filiorum.*

1075 *Licitum est patri cum consensu domini concessionem emphyteusis filiis factam revocare, quando urgens, causa intervenerit.*

1068 DIco primò: Pater licitè potest cum domini consensu vendere, & alienare emphyteusim pro toto vitæ tempore concessam, etsi filij pro quibus concessa fuit, vel filius, qui postea nominatus sit contradicant, sive hæreditaria, sive non hæreditaria sit. Ratio est quia per id nihil juri succedendi derogatur. Ita cum Gama, Rebello, *lib.* 13. *quæst.* 15. *num.* 1. Certum quoque est, fas esse patri pro arbitrio eam prælegare uni filiæ, cæteras post habendo, si à primo domino concedente data sit facultas nominandi filium, quem velit, quamvis extraneum tunc nominare non posset. Rebellus, *supr. num.* 1.

1069 Dico secundò: si emphyteusis sit acquisita ex re, vel pecunia patris, potest pater de consensu domini eam prælegare uni ex filiis, vel in extraneum alienare, eisdem filiis præjudicando. Ita cum Valasco, Costa, Covarr. Rebellus, *supr. num.* 2. Ratio est, quia emphyteusis tunc profectitia censetur; sed quidquid profectitium est pater à filiis auferre potest. Ergo.

Dico tertiò: Pater in emphyteusi præjudicare potest filiis, si tantundem de bonis propriis relinquat filio, cui in emphyteusi præjudicavit, etsi acquisita non sit ex patris pecunia, modo filius prædictam compensationem accepret pro emphyteusi non hæreditaria. Ita cum Valasco, Rebellus, *supra num.* 3.

1070 Dico quartò: Pater præjudicare potest filio in emphyteusi, quando ea concessa fuisset filio intuitu solius patris, ut si filius tempore successionis non esset bene meritus de concedente, & à fortiori, si nondum natus, nec conceptus. Ratio est, quia quidquid contemplatione patris datur filio, censetur profectitium; sed quidquid profectitium est pater filiis auferre potest; ergo. Ita cum Aretino, Valasco, Rebellus, *supr. num.* 4.

Dico quintò: in præjudicium filij potest pater 1071
alienare emphyteusim, si ex verbis concessionis, vel ex aliis nonjecturis constet, non obstanti cujusvis filij præjudicio, posse alienari cum domini consensu; & hoc procedit, tam quoad emphyteusim hæreditariam, quam non hæreditariam. Ita Rebellus, *supr. num.* 5.

Dico sextò: Pater non potest nocere filio, quoad 1072
emphyteusim non hæreditariam, si emphyteusis, ita ex pacto, & providentia fit, ut antiqua fit, id est, ut pater non fuerit primus ejus acquisitor, tum etiamsi nova sit, dominus tamen ad concessionem 1073
precibus meritisve, filiorum, æque ac patris, motus fuerit, vel si filij essent præsentes, & æqualiter acceptarent. Et idem dicendum est, si in emphyteusi sit nominatus aliquis filius, vel filij proprio, aut æquivalenti nomine, & emphyteusis pro illo, vel illis stipulata sit. Ita cum Valasco, & aliis, Rebellus, *supr. num.* 6. Ratio est, quia ab initio successionis, jus filiis ad emphyteusim acquisitum est, non quidem hæreditarium, sed ex conventione cum concedente, ac proinde non poterit pater illud ab invitis filiis auferre, etiam cum domini consensu; & ita habetur in ordinatione *lib.* 4. *titul.* 63. §. *e sendo*, ubi statuit patrem in accepta emphyteusi pro se, & filiis, non posse extraneam personam nominare; sed non minus præjudicat filiis per nominationem alterius extranei, quam per alienationem alteri factam; ergo. Vnde filius posset rescindere venditionem, dando emptori bonæ fidei pretium pro sua parte, si hæres fuit patris. Ita Rebellus, *supr. num.* 6. Quidquid alij contradicant. Imò nec per favorabilem transactionis contractum, potest pater filio præjudicare in emphyteusi accepta pro se uxore, & filio. Ita cum Gama, Rebello, *sup. num.* 6.

Dico septimò, si emphyteusis est hæreditaria 1074
simpliciter, potest pater uni filiorum emphyteuticum bonum donare, vel prælegare, non læsa legitima portione filiorum. Ita Clarus, *verbo Emphyteusis*, *num.* 16. Decastillus, *lib.* 2. *tractat.* 15. *d.* 1. *num.* 114. Ratio est, quia hujusmodi bona censentur potius libera, & allodalia, quam emphyteutica. Et idem dicendum est de emphyteusi nova, id est patri primitus acquisita, quamvis cum pacto, & providentia, si accedat consensus domini directi. Ita cum Claro, Layman, Molina, Decastillus, *suprà num.* 216. Ratio est, quia pater stipulando pro se, & filiis suis, censetur stipulatus cum dependentia liberorum à sua persona, itaut, nullum jus habeant ante mortem ipsius, ac proinde cum domino aliam formam contractus instituere potest, ante acquisitum jus descendentibus.

Dico octavò: Licitum est patri cum consensu 1075
domini concessionem emphyteusi filiis factam revocare, quando urgens, ac rationabilis causa revocandi beneficium, & donationem interveneric ex eventu non cogitato, qui si præsciretur non eo modo, absque dubio conferretur, idque potissimum ante rei traditionem; Secus verò si talis causa non intervenerit; nam ea sublata censentur primò contrahentes pro eo eventu habuisse intentionem concedendi, acceptandi pro se, ac pro filiis irrevocabiliter Rebellus, *suprà num.* 8. & alij.

SECTIO XIII.

Utrum Emphyteuſis tranſeat in Monaſterium per ingreſſum Emphyteutæ.

SUMMARIUM.

1076 *Si emphyteuta profiteatur religionem incapacem bonorum ſtabilium in communi, emphytheuſis tranſit ad legitimos hæredes, & ſucceſſores.*

1077 *Si emphyteuta profiteatur religionem capacem bonorum ſtabilium, ſi emphyteuſis fuerit hæreditaria tranſit ad Monaſterium, ſed debet intra annum vendi.*

1078 *Quid ſi emphyteuſis ſit de pacto & providentia.*

1079 *An religioſus ante profeſſionem poſſit nominare in emphyteuſim ipſum monaſterium?*

1080 *An monachus poſſit nominare ad emphyteuſim.*

1076 DIco primò: ſi emphyteuta profiteatur Religionem, quæ capax non eſt ſtabilium bonorum, aut reddituum, emphyteuſis pertinet ad legitimos hæredes, & ſucceſſores, nempe ſi hæreditaria eſt, ad proximum conſanguineum, ſi religioſus ante profeſſionem nihil diſpoſuit; ſi verò ſit ex pacto, & providentia, pertinet ad eos, qui ſecundum inveſtituram vocantur; ſi verò nullus talis ſit, revertitur ad proprietarium; profeſſio enim hæc morti æquiparatur. Ita cum Molina, Fragoſo, *p.3. lib.6.d.9.§.17.num.*10. Decaſtillus, *lib.2.tract.*15. *d.*1. *num.*127.

1077 Dico ſecundo: ſi religioſus profiteatur religionem capacem bonorum immobilium, ſi emphyteuſis fuerit hæreditaria, tranſit ad Monaſterium; ſed debet intra annum, ſaltem poſt mortem religioſi vendere emphyteuſim; alioquin omnem ſpem amitteret proprietarius accipiendi laudemium. Ita Fragoſus, *ſuprà num.* 10. & cum Molina, & aliis,

1078 Decaſtillus, *ſupr.num.*128. Si verò emphytheuſis ſit de pacto, & providentia, commoditas emphyteuſis, interim dum religioſus vivit, ſpectat ad monaſterium; poſt ejus verò mortem ad eum, qui eſt in ſcriptura vocatus, alioquin devolvitur ad dominum directum. Molina, *d.*482. Sanchez *cap.*15. *num.*59. Decaſtillus, *ſuprà num.*129. Si verò ſit emphyteuſis nominationis, ſi ingreſſus religionem profeſſionem emiſerit, nec ad eam nominaverit, ſi non habeat, deſcendentes, nec aſcendentes, revertitur ad dominum directum; ſecus ſi eos habuerit, nam tunc ad eos pertinet; vivente tamen religioſo, commoditas erit monaſterij. Ita habetur *in Ordinatione Luſitana, lib.*4. *tit.*36. *num.*1. & 2. Fragoſo, *ſuprà num.*10.

1079 An autem religioſus ante profeſſionem poſſit nominare in emphyteuſim ipſum monaſterium? Negant multi, quos refert Fragoſo, *ſuprà num.*1. Verum affirmandum exiſtimo. Ita cum Caldas, Molina, & aliis Fragoſo, *ſup.num.*3. tenetur tamen monaſterium prædictam emphyteuſim intra annum perſonæ privatæ vendere, ut patet *ex Ordinatione, lib.*2. *tit.*18. vel debet conſequi æſtimationem illius ab hærede. Ita cum Speculat. & aliis Fragoſo, *ſupr. num.* 4.

1080 An autem Monachus poſſit nominare ad emphyteuſim? Reſpondeo poſſe nominare ad emphyteuſim; Excipe illos qui ſunt incapaces bonorum immobilium in communi, ut ſunt Noſtri, Minores, & patres Societatis, poſt profeſſionem ſolemnem, nam hi poſt profeſſionem nominare non poſſunt, quia ſunt mortui mundo. Ita cum multis Fragoſo, *ſuprà num.*8. & 9. An autem Monachus poſſit ad emphyteuſim nominare? Reſpondeo poſſe, ſi ſit ex illis, qui bona ſtabilia habere poſſunt in communi; ſecus ſi illa habere non poſſint. Ita cum Molina, & aliis multis Fragoſo, *ſuprà num.*11.

SECTIO XIV.

Utrum emphyteuta, ſive pater ſit, ſive filius poſſit nominare aliquem ad emphyteuſim, inconſulto domino.

SUMMARIUM.

1081 *Qui ex conſenſu domini obtinuit emphyteuſim, ſive pater ſit, ſive filius, poteſt inconſulto domino nominare.*

1082 *Quid juris acquirat nominatus?*

1083 *An nominatio facta ſimpliciter, quæ præmoriente nominato in vita nominantis revocatur, fiat irrevocabilis per traditionem factam nominato abſque ulla juris emphyteutici tranſlatione?*

1081 DIco primò: qui ex conſenſu domini obtinuit emphyteuſim, ſive pater ſit, ſive non, poteſt domino inconſulto nominare. Ita habetur de jure Luſitano *in Ordinatione, tit.*36. & *tit.*37. Et hoc ſive nominatio fiat in teſtamento, ſive in contractu. Ad nominatum tamen mittendum in poſſeſſionem requiritur conſenſus domini, nam traditio eſt vera alienatio. Ita cum multis Fragoſo, *p.3. lib.6. d.9.§.22. num.*1. Debet tamen pater exprimere perſonam nominatam; ſi enim dicat nomino filios meos, nihil facit; ſi tamen dicat, nomino filias meas, Mariam, & Joannam, valet nominatio, quoad priorem; non enim emphytheuſis poteſt ad plures tranſire ſecundum formam conceſſionis. Ita cum communi ſententia Fragoſo, *ſuprà num.*4. Quod ſi quis nominet Franciſcum conſobrinum ſuum, & duo dentur Franciſci conſobrini in eodem gradu; neuter obtinebit emphyteuſim, invicem namque ſibi obſtant. Fragoſo, *ſuprà numero* 4.

1082 Sed quæres quid juris acquirat nominatus ſimpliciter, abſque traditione? Reſpondeo acquirere ſpem ſuccedendi, ſi ſupervivat pluſquam nominans, quod ſi præmoriatur nominatus, poterit nominans iterum nominare. Ita habetur ex lege Luſitana, *lib.*4. *Ordinationis, tit.*37. *num.*5. Imò præmoriens nominatus de re emphyteutica diſponere non poteſt, ſed emphyteuſis perſeverat apud nominantem, nec tranſit ad hæredes nominati præmorientis. Ita cum Caldas, Pereira, Fragoſo, *ſuprà num.*6. Si tamen ceſſerit totum jus in nominatum, tunc non poteſt amplius nominare; Imò ſi nominatus præmoriatur, poterit diſponere de emphyteuſi, & nominare loco ſui aliquam perſonam, ut colligatur *ex eod. Ordinat. lib.*4. *tit.*37. *num.*5. Fragoſo, *ſuprà num.*7.

1083 An autem nominatio facta ſimpliciter, quæ præmoriente nominato, in vita nominantis revocatur, fiat irrevocabilis per traditionem factam nominato, abſque ulla juris emphyteutici tranſlatione?

Affirmat

Affirmat Caldas, Pereira, *in dictum titulum ordinationis 37. num. 5.* Verùm contrarium existimo dicendum, cum Segura, Rub. Pinello, Barbosa, & aliis quos refert, & sequitur Fragoso, *suprà num. 9.* Nam hujusmodi nominationes habent tacitam conditionem, si non revocentur, eo quod nominatus in vita nominantis mortuus fuit, ante mortem namque nominantis non acquisivit nominatus perfecte titulum perfectum, & absolutum, unde restituendæ sunt pensiones emphyteuticæ cum fructibus nominationibus revocatis, Fragoso, *suprà num. 11.*

SECTIO XV.

Quæ nominatio sit valida, quæ invalida, quę revocabilis, quæ irrevocabilis, & quot testes sint necessarij in his nominationibus.

SUMMARIUM.

1084 *Si quis se ipsum nominet invalide nominat.*
1085 *Secunda nominatio vivente adhuc filio, qui prius fuerat à matre nominatus est nulla, si matri tantum semel integrum erat nominare.*
1086 *Si nominatio fiat in testamento nullo, regulariter nominatio est nulla.*
1087 *Nominatio in testamento nullo causa exhæredationis, seu præteritionis est valida.*
1088 *Si testamentum sit validum adhuc potest nominatio revocari.*
1089 *Quid si post nominationem sequatur traditio?*
1090 *An nominatio facta in titulũ dotis sit revocabilis?*
1091 *An nominatus cum translatione totius juris emphyteutici, possit ad libernm disponere de emphyteusi per alienationem?*
1092 *Quot testes requirat nominatio causa mortis extra testamentũ, & codicillũ ad sui firmitatẽ?*

1084 Dico primò: Si quis se ipsum nominet, invalide nominat, debet enim differre persona nominans à nominata. Ita cum Flaminio, & aliis, Fragoso, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 23. num. 1.* Idem dicendum est, si nominet animam suam pro secunda, vel tertia vita, nec enim, quoad æstimationem ei aliquid debetur, Fragoso, *suprà num. 2.*

1085 Dico secundò: secunda nominatio vivente adhuc filio, qui prius fuerat à matre nominatus est nulla, si matri tantum semel integrum erat nominare. Ita habetur de jure Lusitano, *lib. 4. ordinationis tit. 37. num. 2.* Quod si mortuus filius priori nominatus decedat ab intestato nminem nominans, tunc emphyteusis cum hæreditate veniet ad matrem; tunc tamen non poterit mater nominare filium in præjudicium filiæ nominatæ, quia quamvis nominatio filiæ facta à principio fuerit nulla, decedente fratre nominato prius convaluit nominatio filiæ irrevocabiliter facta, per textum, *in l. si quis alienum ff. ar. & empt.* Ita cum Caldas, Pereira, Fragoso, *sup. n. 7.*

1086 Dico tertiò: Si nominatio fiat in testamento nullo regulariter nominatio est nulla, per *l. Reg. lib. 4. tit. 37. ordinationis num. 4.* Quod verum est, etiam quando emphyteuta nominando variare non potest, nec revocare nominationem. Ita cum Ripa, Riminald. Fragoso, *suprà num. 8.* Quod si testamentum non revocetur, nec judicetur nullum, nominatio non est revocanda. Ita cum communi sententia Fragoso, *suprà num. 8.* modo adsint testes requisiti ad validitatẽ contractus, seu donationis causa mortis. Requiruntur autem ad probandam nominationem factam in testamento vocali, seu nuncupativo, sex testes, si præ esferat alia nominatio per instrumentum publicum antea facta, ut patet, *ex ordinatione lib. 4. tit. 9. num. ultimo.* Quod si non constet de nominatione antea facta publico instrumento, sufficiunt pauciores testes, unde in foro externo sustinebitur nominatio, quæ tribus testibus probatur, in foro tamen conscientiæ sufficiunt pauciores testes. Ita cum Molina & aliis multis, Fragoso, *suprà num. 9.* & patet, *ex ordin. lib. 4. tit. 37. num. 3.* Quod si fiat nominatio duobus testibus non valebit in foro externo. Ita cum Caldas, Pereira, Afflictio, & aliis Fragoso, *suprà. n. 9.*

Dico quartò: nominatio emphyteusis facta in testaméto nullo ex causa exhæredationis, seu præte- 1087
ritionis est valida; quia testamentum non est absolute nullum in totum, sed dumtaxat ratione præteritionis concordat lex Lusitana, *lib. 4. ord. tit. 82. §. 1. & 2.* & tenet cum Pereira, Gamma & aliis Fragoso, *suprà n. 10.* Aliud dicendum est quando posthumo nato, rumperetur testamentum, in quo ipse fuit præteritus, vel quando Pater præteriit filium, quia ignorabat se filium habere, vel credebat esse defunctum, quia in his casibus, nec fidicommissa, nec legata, nec alia similia in eo relicta, ullam vim habent. Ita cum Molina, Gamma, Fragoso, *sup. n. 11.* Quod si posthumus, præteritus, vivo testatore, natus decessit, quamvis testamentum adhuc ruptum videatur, considerata nimis juris subtilitate, sustinebitur tamen, & sic scriptus hæres obtinebit hæreditatem, *l. posthumus in princip. ff. de instit. testament.* quia causa ambigua temperari debet moderatione juris naturalis, *l. non sine,* & consequenter omnia in eo contenta firma erunt. Ita cum Mantica, Fragoso, *suprà n. 11.*

Dico quintò. Si testamentum sit validum, adhuc 1088
potest nominatio revocari. Ratio est quia per codicillum possunt legata relicta in testamento adimi, per *l. si quis ita legaverit §. cum Titio, ff. de adimend. legat.* Unde potest revocari nominatio per voluntatem declaratam coram quinque testibus. Ita cum Gamma, Fragoso, *suprà num. 12.* Excipe nisi nominatio fiat per testamentum nuncupativum in favorem Petri v. g. præsentis, & acceptantis; quia tunc est irrevocabilis, quasi facta inter vivos, unde etiam revocato testaméto firma manebit. Ita cũ Bart. Gutierres, Menchach. Fragoso, *suprà num. 12.* Extra vero casum præsentiæ, & acceptationis, nominatio in testamento nuncupativo facta revocabilis de se est, & eo revocato, revocabitur per dictam legem Regiam, *tit. 37. lib. 4. ord. n. 4.* Illo vero firmo manente, poterit testator eam dum vixerit revocare, ad instar legati, nec opus est ad hanc revocationé revocare totum testamentum. Ita Peralta, *in l. qui testam. n. 26. consil. 3. & 5.* Imò si testator emphyteusim alienat, nominatio facta in testamento evanuit. Ita cum Costa, Pereira, Fragoso, *suprà num. 12.*

Sed quid si post nominationem sequatur traditio, 1089
fietne nominatio irrevocabilis? Respondeo, quod quoties emphyteuta ex concessione domini, vel ex *l. Regia lib. 4. ord. tit. 37.* potest variare, & revocabiliter nominare, nominationem esse revocabilem, esto sequatur traditio; quo casu nominatus tenetur rem cum fructibus restituere, si emphyteuta variet; quia cum nominatio sit revocabilis, etiam traditio revocabilis est. Ita cum Caldas, Pereira, Fragoso, *suprà n. 13.* Excipe nisi emphyteuta cedat omne jus emphyteuticum tuo nominato: nam in hoc casu abstinuit à se omnem potestatem amplius variandi; quod si non ceda omne illud jus, adhuc potest variare. Ita cum Pereira, Fragoso, *suprà num. 13.*

Digitized by Google

SECTIO XVII.

Vtrum emphyteusis concessa alicui pro se, & filio suo primogenito, mortuo primogenito, deferatur secundo genito, vel filio, relicto à primogenito?

SVMMARIVM.

1096 *Mortuo primo genito in vita Patris emphyteusis transit ad secundum genitum, & non ad filium primogeniti demortui.*

1097 *Hæc dispositio non procedit in majoratibus, ubi admittitur representatio.*

1096 DIco primò: Si quis sibi accepit emphyteusim, & filio suo primogenito, cum pacto ut semper transeat ad primum genitum, mortuo primogenito in vita Patris, transit emphyteusis ad secundogenitum, & non ad nepotem filium primogeniti demortui. Ratio est, quia dispositio tempus successionis respicit: ergo qui tempore mortis Patris supervixit, censetur primogenitus; sed filius secundogenitus supervixit Patri emphyteutæ: ergo iste præferendus est nepoti filio fratris primogeniti prædefuncti; & ita colligitur, *ex ordinat. lib. 4. tit. 36. n. 2.* 1097 ubi in concessione emphyteusis excludit nepotē filium filij majoris natu, & admittit fratrem secundo, vel tertio genitum; quod tamen non accidit in majoratibus, ubi admittitur representatio ex eodem, *lege 1. tit. 100. in principio.* Ita cum multis Fragoso, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 10. num. 6.* quidquid alij in contrarium dicant.

SECTIO XVIII.

Vtrum emphyteusis concessa ad tres personas cum pacto, quod illis finitis reverta-tur libere ad dominium, sit iterum renovanda à descendentibus ultimi possessoris?

SVMMARIVM.

1098 *Posito casu inopinatæ necessitatis, cogendus est dominus directus ad faciendam renovationem in filiis ultimi possessoris, sive sit emphyteusis Ecclesiastica, sive non.*

1099 *Hæc renuntiatio petenda est intra annum, quando hic annus incipiat?*

1098 DIco primò: secluso casu supervenientis necessitatis inopinatæ, de quo infrà, non obstanti tali pacto, cogendus est dominus directus ad faciendam renovationem filiis ultimi emphyteutæ, hisque non existentibus, agnatis proximioribus, sive sit emphyteusis Ecclesiastica, sive non. Ita Bart. *in l. 1. ff. de pericul. cred. num. 9.* Ancarran. *consil.* 174. & cum Decio, Boërio, Romano, Fragoso, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 12. num. 5.* Ratio est; quia similes clausulæ non excludant petitionem, ac beneficium renovationis, saltem de æquitate, nec sunt servanda pacta de non renovando, quando nocent convictui publico, & miserabilium pauperum sustentationi. Vnde sic in supremo hujus Regni senatu fuit judicatum, anno 1564. ut testatur Cadas, Pereira, *de renuntiatione q. 8. n. 20.* eandem sententiam tenet Gabriel, Pereira, *dec. 31. n. 4.* Rebellus, *2. p. lib. 13. q. 19. n. 2.* Barbosa, *in remissionibus ad ordin. lib. 4. tit. 38. num. 65.* Cabedo, *p. 1. decis. 203.* Dixi secluso casu supervenientis necessitatis inopinatæ: nam tunc non est cogendus dominus ad renovandum. Ita Gamma, *decis. 41. num. ultimo* Cabedo, *tom. 1. decis. 203. num. 7.* Valascus, *consult. 157. num. 17.* Gozad. *consil. 39. & 68. n. 24.* contra Caldas, *de renovatione quæst. 8. n. 22.*

Adverte tamen hanc renovationem petendam 1099 esse intra annum, & eo elapso, non esse dominum cogendum ad beneficium renovandi. Ita Gozadin. *consil. 39. & 71.* Gabriel. *de jure emphyteutico conclus. 1. n. 10. tom. 3. commun. opin.* Et hic annus incipit à die scientiæ. Decius, *consil. 38.* Sed hoc procedit, quando sunt investiti ex ultimo possessore provenientes, quando vero extraneus est investitus, descendentes possunt petere usque ad 30. annos, sive qui petunt sint descendentes, sive transversales. Ita cum Alexandro, & aliis, Fragoso, *suprà num. 11.*

SECTIO XIX.

In quibus casibus publicatis bonis emphyteutæ emphyteusis transeat ad fiscum?

SVMMARIVM.

1100 *Empyhteusis sive privata, sive Ecclesiastica, quæ non potest transire ad extraneos non transit ad fiscum.*

1101 *Emphyteusis privata, quæ potest transire ad extraneos transit ad fiscum.*

1102 *Quid dicendum sit de emphyteusi Ecclesiastica si in aliquo casu possit transire ad extraneos?*

1103 *Commoditas emphyteusis privatæ, quæ non potest transire ad extraneos, & dum criminosus vivit pertinet ad fiscum.*

1104 *Quid de emphyteusi Ecclesiastica dicendū sit?*

1105 *Quid si in concessione emphyteusis, tam Ecclesiastica, quam privata pactum sit appositum, ne emphyteusim possit alienare, nec in alios transferre, nisi in eos, qui vocatur in investitura?*

DIco 1. emphyteusis, sive privata, sive Ecclesiasti- 1100 ca, quæ non potest transire ad extraneos, non trāsit ad fiscum. Ratio est, quia si hæredes extranei nihil juris habent in illa, nec à fortiori fiscus, cum non sit proprie hæres, sed quasi hæres, & habeatur loco extranei. Ita cum Bartolo, Alexandro, Mantica, & aliis Fragoso, *c. 3. lib. 6. d. 9. §. 13. num. 2.* Dixi 1101 quæ non potest transire ad extraneos: nam emphyteusis privata, quæ potest transire ad extraneos, transit ad fiscum cum publicatione bonorū delinquētis, cum obligatione solvendi pensionē. Ita Mantica, *tit. 30. n. 3.* Fragoso, *sup. n. 10.* Potest tamen dominus cogere fiscum, ut trāsferat emphyteusim in hominē illius conditionis, cujus erat delinquens, cū fiscus sit valde potens, & multis polleat indultis Fragosus, *ibi.*

Sed quid si emphyteusis sit Ecclesiastica? Respon- 1102 deo non posse transire ad fiscum. Ratio est, quia ex sua institutione, non potest transire ad extraneos, per *cap. falcidis §. quæ verb. de pœnis lib. 6.* Ita cum Castro, Alexandro, Romano, Fragoso *suprà num. 3.* Sed quid, si in aliquo casu emphyteusis Ecclesiastica possit transire ad extraneos? Respondeo adhuc tunc non transire ad fiscum. Ita cum Farinatio, Chassaneo, Ruyn, Symanchas, Romano, Baldo, & aliis late probat Fragoso, *suprà num. 11.* quidquid alij dicant. Tum quia emphyteusis Ecclesiastica non

potest

Digitized by Google

poteſt tranſire ad potentiores, *ex l. ultima, C. de vendit. & ex c. cum potuit de locato*; ſed fiſcus multis gaudet privilegiis: ergo tum quia cum fiſcus non moriatur, careret Eccleſia ſpe conſolidandi dominium utile cum directo. Tum quia hoc privilegium non publicandi ſua bona, conceſſum eſt Eccleſiæ, §. 1. *verſ. ſi vero contingat, quamlibet rem de alien. & emphit.* ergo pertinent tamen ad fiſcum meliorameta emphyteuſis: nam hæc pertinent ad emphyteutam, emphyteuſi extincta: ergo eorum pretium pertinet ad fiſcum, cum ſint bona emphyteutæ. Ita cum communi ſententia Valaſcus, *de jure emphyteutico, q. 25. à n. 6. uſque ad 11.*

1103 Dico ſecundò: commoditas emphyteuſis profanæ, quæ ex ſua inveſtitura non tranſit ad hæredes extraneos, quandiu vixerit criminoſus pertinet ad fiſcum, excepta penſione debita domino directo. Ita Molina, *tom. 2. de juſtitia d. 481.* & cum Gigas, Farinacio, & aliis Fragoſo, *ſuprà num. 6.* contra Vaſ-

1104 quium, *1. 2. quæſt. 96. art. 5. d. 167. c. 3. num. 6.* Dixi commoditas emphyteuſis profanæ: nam commoditas emphyteuſis Eccleſiaſticæ, non ad fiſcum, ſed ad dominum directum revertitur, & nullo modo publicatur; nec fiſcus eam poſſidet durante vita criminoſi emphyteuſis tranſeat, vel non tranſeat ad extraneos: nam fructus ſunt partes rei, cui adhærent. Ita cum Farinacio, Mantica, Ruin. Gabriël, Fragoſo, *ſuprà num. 7.* Et idem dicendum eſt de fructibus pendentibus tempore latæ ſententiæ; quia fructus pendentes, etiam tunc ſunt pars rei, cui adhærent. Ruin. *conſil. 117. n. 17. lib. 1.* Secus ſi fructus ſint jam percepti, hi enim reddendi ſunt fiſco. Ita cum aliis Fragoſo, *ſup. n. 7.*

1105 Dico tertiò: Si in conceſſione emphyteuſis, tam ſæcularis, quam Eccleſiaſticæ, pactum fuerit appoſitum ultra tacitam legis prohibitionem, ne emphyteuſis poſſit alienari, nec in aliquos tranferri, niſi in eos, qui vocantur in inveſtitura, non poteſt fiſcus potiri fructibus, etiam pro tempore vitæ delinquentis; ſed vel Eccleſia illos obtinebit, vel ſucceſſor ſæcularis. Ratio eſt, quia fructus emphyteuſis in hoc caſu, à dominio rei non ſejunguntur, per textum. *in l. & ex diverſo §. ubi autem ff. de rei vendit.* unde ſicut res, non defertur fiſco, ſic nec fructus durante vita criminoſi Mantica, *tit. 30. n. 13.* Gabriël, *conſil. 73. n. 11.* Sanchez, *lib. 2. Decal. c. 19. n. 23. &c. 18. n. 15.* Fragoſo, *ſup. n. 8.*

SECTIO XX.

Virum quando finitur emphyteuſis ob finitas voces illius, poſſit dominus mutare inveſtituram, ejuſque qualitates in priori inveſtitura oppoſitas?

SUMMARIUM.

1106 *Quando finitur emphyteuſis inveſtitura prima non poteſt à domino mutari.*

1107 *Quid ſi talis mutatio fiat de conſenſu eorum de quorum præjudicio agitur.*

1106 Dico 1. quando finitur emphyteuſis, inveſtitura prima non poteſt à domino mutari, ut ſit emphyteuſis conceſſa pro maſculis dūtaxat, nō poteſt poſterius concedi ad maſculos, & fœminas; ſed pro maſculis, hi vero deficientibus, pro fœminis. Ratio eſt, quia mutaretur pactio in aliorum detrimentum, quibus jam jus quæſitum eſt; unde dominus non poteſt declinare, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram à forma primarum conceſſionum. Ita Mantica, *tom. 2. c. 22. lit. 18. n. 32.* & cum multis Fragoſo *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 14. n. 1.* unde ſi quid dubij eveniat in hac innovatione, verba contractus emphyteutici accipienda ſunt ſecundum naturam prioris inveſtituræ, *c. 1. de ſucceſſionib. feud.* Ita Mantica, Caſtro, Alex. Baldo, & alij, quos refert, & ſequitur Fragoſo, *ſup. n. 7.*

Excipe niſi talis mutatio fiat de conſenſu eorum, 1107
de quorum præjudicio agitur: nam tunc poteſt mutari prior inveſtitura. Ita cum Bertrand. Tiraq. & aliis Fragoſo, *ſup. n. 6.* contra multos, quos ibi refert. Et ratio eſt, quia de ſe ipſis, & non de aliis, poſſunt cōqueri, quod novam formam induxerint. Adverte tamen hoc ſolum eſſe verum pro his, qui præſtiterunt conſenſum, pro poſteris vero, qui non poſſunt exhibere conſenſum aliter dicendum eſt, cum nullum poſſit eis fieri præjudicium. Unde poſteri poſſunt revocare emphyteuſim ad formam primæ inveſtituræ. Ita cum aliis Fragoſo, *ſuprà n. 6.*

SECTIO XXI.

Virum in emphyteuſi, tam ſæculari, quam Eccleſiaſtica poſſint ſuccedere filij naturales, aut ſpurij?

SUMMARIUM.

1108 *Jure Luſitano ſuccedunt in emphyteuſi ab inteſtato filij naturales, deficientibus legitimis*

1109 *Quid ſi emphyteuſis ſit Eccleſiaſtica?*

1110 *An emphyteuſis Eccleſiaſtica poſſit à principio dari ſpurio?*

1111 *Quoddam corollarium ponitur.*

1112 *Si emphyteuſis Eccleſiaſtica de pacto & providentia concedatur marito, & uxori, & filio utriuſque, non poteſt venire ad filios naturales, & ſpurios utriuſque.*

Dico primò: de jure Luſitano, in emphyteuſi 1108
ſuccedunt ab inteſtato filij naturales, deficientibus legitimis. Unde ſi emphyteuſis ſit conceſſa pro ſe, & filiis ſuis, ex teſtamento poſſunt ſuccedere filij naturales in emphyteuſi privata ſæculari, ut cum communi ſententia tenet Felinus, *in c. in præſentia n. 25. de probat.* & patet, *ex ord. lib. 4. tit. 36.* Non tamen in emphyteuſi Eccleſiaſtica, niſi filius naturalis ſit legitimatus à Romano Pontifice, ita cum communi ſententia Fragoſo, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 16. n. 4.* Excipe niſi emphyteuſis Eccleſiaſtica ſit cum 1109
clauſula libera ad nominandum, quem voluerit: nam tunc poteſt etiam naturalem nominare. Ita Valaſcus *conſil. 134. lib. 1. d. 2. §. 6. n. 173.* Fragoſo, *ſup. n. 3.* Idē dicendum eſt, quando à principio fuit conceſſa filio naturali. Ita cum Ripa, & aliis Fragoſo, *ſup. n. 5.*

An autem emphyteuſis Eccleſiaſtica poſſit à prin- 1110
cipio concedi ſpurio? Reſpondeo affirmative. Ita habetur, *in c. 2. §. perſonam*, & tenet cum Jaſon, Affliēto, Gamma, Riecio, Valaſco, Fragoſo, *ſup. n. 6.* Non poſſunt tamē deinde vocari ſpurij, vel naturales, etiāſi à principio fuerint vocati. Ita cum Iaſon, Decio, & aliis, Fragoſo, *ſup. n. 7.* contra Baldum, *in c. quæ in Eccleſiar. de conſt.* Excipe niſi conſtet Eccleſiā concedentem noluiſſe à conceſſione emphyteutica arcere illegitimos: nam tunc eſt neganda naturalibus, & ſpuriis, Caldas, *de nominatione q. 20. n. 8.* Fragoſo, *ſup. n. 8.* Hinc & poſſe filios naturales petere emphyteuſim Eccleſiaſticā pro filiis conceſſam, ſi concedēs non ignorabat illos extare, colq; non concludit Caldas, *citata queſt. 20. n. 13.* non tamen emphyteuſis Eccleſiaſtica conceſſa pro filiis extendenda eſt ad 1111
filios naturales naſcituros: ſed ſolum ad iam natos,

qui

Digitized by Google

qui non latebant concedentem. Fragoſo *ſup. n. 9.* & alij ab eo citati.

1112 Sed quid ſi emphyteuſis Eccleſiaſtica de pacto, & providentia concedatur marito, & uxori, & filio utriuſque? Reſpondeo non poſſe venire ad filios naturales, & ſpurios, quia nomine filiorum, non veniunt naturales, ſed legitimi, qui veri filij ſunt *l. filium definimus ff. de his qui ſunt ſui*; Ita Angel, Baldus, & alij, quos refert, & ſequitur Fragoſo *ſuprà n.* 10. Non enim eſt mens Eccleſiæ, ut ad emphyteuſim naturales filij admittantur.

SECTIO XXII.

Vtrùm Emphyteuſis conceſſa pro ſe, & pro uxore ſua Maria, & pro filio utriuſque, poſſit concedi filiis uxoris ſecundæ, & tertiæ?

SUMMARIUM.

1113 *Quando emphyteuſis fuit conceſſa pro Petro, & Maria uxore ejus, & filiis utriuſque, cenſetur conceſſa pro filiis prioris matrimonij, & non ſecundi, vel tertij.*

1114 *Idem dicendum eſt ſi conceſſa fuit Petro, & uxori, & filiis ſuis.*

1115 *Quid ſi emphyteuſis ſit conceſſa pro Petro, & Maria uxore, & eorum filiis?*

1113 DIco primò: Quando emphyteuſis fuit conceſſa pro Petro, & Maria ejus uxore, & filiis utriuſque non ſunt vocandi ad illam, niſi filij dumtaxat prioris matrimonij. Ratio eſt quia illud verbum, *filii utriuſque*, ſumitur copulativè, & non diſjunctive; ergo tantum comprehendit filios prioris matrimonij, & non ſecundi, vel tertij. Ita Iaſon, *in l. certi condit. §. ſi nummos ff. ſi certum petat. n.* 18. Speculator, & alij, quos refert, & ſequitur Fragoſo *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 18. num. 1. & 17.* quidquid alij dicant.

1114 Et idem dicendum eſt, ſi concedatur Petro, & uxori, & filiis ſuis; nam tunc ſolum comprehendit filios illius matrimonij, quia copulative fit conceſſio, dictioque, *ſuis*, tempus præſens, non vero futurum reſpicit *l. ita ff. de aur. & argent. legat.* Ita

1115 cum Afflicto, Peralta, Fragoſo, *ſup. n.* 17. Secus dicendum eſt, ſi emphyteuſis ſit accepta pro Petro, & Maria uxore, & eorum filiis, nam tunc illa clauſula ſumitur diſcretive, & concedit etiam filios poſterioris matrimonij, cum omnes ſint filij acquirentis. Ita cum Baldo, Soncin. Boër. Fragoſo, *ſup. n.* 16.

SECTIO XXIII.

Vtrùm Pater nominans ad emphyteuſim, tam liberæ nominationis, quam de pacto & providentia poſſit gravare nominatum, ſive in teſtamento ſive extra?

SUMMARIUM.

1116 *Si emphyteuſis fuerit liberæ nominationis poteſt nominans gravare nominatum, ut det centum aureos v. g. pro maritanda tali fœmina?*

1117 *Quid ſi emphyteuſis ſit de pacto & providentia, quæ accipitur pro ſe, & filiis, vel pro ſe, & deſcendentibus?*

1118 *Quid ſi Pater in vita nominet emphyteuſim, & ſtatim ſe privet uſufructu illius?*

DIco primò: Si emphyteuſis fuerit liberæ nomi- 1116
nationis, poteſt nominans ad emphyteuſim gravare nominatum, v g. det centum aureos, vel quid ſimile pro maritanda tali fœmina. Ratio eſt, quia in voluntate patris eſt nominare, quem voluerit; ergo nominando hunc potius, quam alium, cenſetur donare, & honorare nominatum; ſed quando nominatus honoratur, & accipit aliquid commodi à nominante, poteſt gravari per *l. ab eo. C. de fideicommiſſ. & l. unam ex famil. §. ſed ſi fundum ff. de legat. 2.* ergo poterit donatarium gravare. Tum quia id nullibi eſt prohibitum. Ita cum Baldo, Alexandro, Iaſon Fragoſo, *p. 3. lib. 6. d. 9. §. 25. n. 5.* Molin. *tom. 1. de juſtitia d. 177. n. 11. & 12.* Caldas Pereira, *de renovat. quæſt. 16. n. 56. & 57.*

Dico ſecundò: Quando emphyteuſis eſt de pa- 1117
cto, & providentia, quæ accipitur pro ſe, & filiis, vel pro ſe, & deſcendentibus, non poteſt nominatus gravari, quando pater hunc potius filium eligit, quam illum, niſi ille conſentiat, nam tunc illi conſentienti non fit gravamen. Ratio eſt quia non eſt in patris poteſtate omnes filios excludere, ſicut poteſt in emphyteuſi liberæ nominationis, & in ſuo tertio, ſed tenetur ex præcepto, & conceſſione domini directi nominare, & ex lege ſtatuente, ut habetur *in ordinat. lib. 4. tit. 36. & tit. 37.* Tum quia in hoc caſu pater nihil de ſuo præſtat, ſed eſt merus miniſter, dum nominat; ergo non poteſt gravare nominatum, tam in pura, quam in conditionali nominatione, per *l. Seius & Angerius 27. ff. ad l. Falcid.* ubi, ſub conditione fieri non poſſunt, quæ ſub conditione fieri prohibentur. Ita cum Decio, Romano, & aliis, Fragoſo *ſuprà num.* 8. contra Caldas Pereir. Excipe niſi pater in vita nominet 1118
emphyteuſim, & ſtatim ſe privet uſufructu illius, nam tunc poterit gravare nominatum, modo commoditas, & fructus correſpondeant gravamini, nam tunc dat aliquid de ſuo, nam cum in vita ſua poſſet fructus comedere, à ſe dimittit filio. Ita cum Peralta, Fragoſo, *ſup. n.* 8.

SECTIO XXIV.

De Renovatione Emphyteuſis.

SUMMARIUM.

1119 *Dominus directus finitis perſonis, quibus emphyteuſis conceſſa fuit, tenetur eandem renovare haredibus aut deſcendentibus accipientis.*

1120 *Hoc jus renovandi eſt hereditarium, & tranſit ad quoſcunque heredes, & ſi in conceſſione detur clauſula, quod finitis generationibus libere reddat ad dominum.*

1121 *Petens renovationem debet eſſe de linea, & agnatione ultimi poſſeſſoris.*

1122 *In petenda renovatione hæres defuncti emphyteuſa, licet ſit extraneus debet præferri cognatis defuncti, quando emphyteuſis eſt de libera nominatione.*

1123 *Ex pluribus exiſtentibus in eodem gradu poteſt dominus eligere, quem maluerit.*

1124 *Hæc renovatio petenda eſt intra annum.*

1125 *Si intra annum non petatur, deſcendentes excluduntur à jure renovationis.*

1126 *Ponuntur aliquæ exceptiones.*

1127 *Vt quis petat renovationem, non requiritur ut oſtendat melioramenta à prædeceſſoribus, ſed*

ſatis eſt quod emphyteuſis deteriorata non ſit.

1118 *In renovatione emphyteuſis, ſive Eccleſiaſtica, ſive ſecularis, augenda eſt penſio, & quomodo id faciendum ſit?*

1119 Dico primò: Dominus directus finitis perſonis, quibus emphyteuſis conceſſa fuit, tenetur eandem renovare hæredibus, ac deſcendentibus accipientis. Ita Cabedo t. *p. deciſionum deciſ.* 203. ubi tradit ſic fuiſſe judicatum. Rebell. *p.* 2. *lib.* 13. *q.* 19. Molin. *tom.* 2. *d.* 484. Valaſco *conſult.* 101. & 157. Gama *deciſ.* 41. Caldas Pereira *de renovatione quæſt.* 8. *num.* 2. Barboſa *de clauſulis clauſula* 187. *num.* 2. Excipe in emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſi perveniat neceſſitas inopinata domini, quo caſu debeant ſolvi melioramenta. Cabed. *ſup. n.* 7. Gama *deciſione* 41. *n.* 1. Hæc autem neceſſitas tanta debet eſſe; ut nulla ratione vitari poſſit, ut ſi dominus egeat fundo propriis ædibus contiguo, ad ampliandum ædificium, vel ad hortum, vel ſeptum extruendum. Ita Fragoſo *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 11. *n.* 8.

1120 Dico ſecundò: Hoc jus renovandi eſt hæreditarium, & tranſit ad quoſcunque hæredes, quamvis in conceſſione adſit clauſula, quod finitis generationibus libere reddat ad dominum, ſeu Eccleſiam. Valaſcus *conſ.* 123. *n.* 13. Gabriel Pereira *deciſ.* 31. *n.* 5. Ratio eſt, quia tales clauſulæ ſunt contra bonos mores appoſitæ, ideo tanquam convictui publico contrariæ, ac perniciosæ rejiciendæ.

1121 Dico tertiò: Petens renovationem, neceſſe eſt ut ſit de linea, & agnatione, ſeu cognatione ultimi poſſeſſoris, nec requiritur ut ſit agnatus primi acquirentis; ſed ſatis eſt, quod lineam agnationis ingrediatur, unde ſequenda eſt linea ſemel ingreſſa, & durante illa, non eſt recedendum ab ea Mol. *de primogeniis lib.* 3. *c.* 4. *n.* 14. & quandiu durat, qui ex linea ultimi poſſeſſoris procedunt, cæteris præferuntur; neque ſit diſcrimen inter cognatos, & agnatos in materia renovationis, modo ſint proximiores; ut cum Decio, Pariſ. Valaſco, *conſ.* 101. *n.* 1. Fragoſo *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 1. *num.* 3. An autem ultima perſona poſſit præl. gare jus nominandi? Reſpondeo affirmative, ita Valaſcus *conſil.* 157. *n.* 11. Gabriel Pereira *deciſ.* 31. *n.* 4. Fragoſo *ſup. num.* 4.

1122 Dico quartò: In petenda renovatione, hæres defuncti emphyteutæ, quamvis ſit extraneus, debet præferri cognatis defuncti, quando emphyteuſis eſt de libera nominatione; nam in hoc caſu ſatis eſt, quod ſit hæres, quamvis non ſit deſcendens. Ita Valaſcus *conſult.* 157. Gama *deciſ.* 326. *n.* 30. Fragoſo *ſuprà n.* 6. Secus dicendum eſt quando emphyteuſis eſt conceſſa pro ſe, & filiis, & deſcendentibus, vel in tertiam generationem; nam tunc finitis tribus vitis petens renovationē debet eſſe de illa generatione, aut ſaltem de cognatione, etiam ſi non ſit hæres ultimi poſſeſſoris. Gama *ſup. n.* 7. Valaſco *conſult.* 101. *n.* 1. & 2. & *conſult.* 111. *n.* 12. *lib.* 1. Excipe niſi ſit emphyteuſis hæreditaria, nam tunc neceſſe eſt, ut probet quod ſit hæres, & non ſufficit, quod ſit deſcendens, vel agnatus ſeu cognatus; nam tunc jus renovandi eſt hæreditarium & ſequitur hæredem; tunc autem emphyteuſis cenſetur hæreditaria, quando fit conceſſio cum mentione hæredis, ut ſupra diximus, ſecus ſi facta ſit pro deſcendentibus, vel agnatis, abſque mentione hæredum. Ita cum Graſſo, Caldas, Fragoſo *ſup. num.* 7.

1123 Dico quintò: Ex pluribus exiſtentibus in eodem gradu, ad quos renovationis jus ſpectat, poteſt dominus directus eligere, quem maluerit. Ita Caldas *de renovatione q.* 17. *n.* 16. & cum Gomez, Palati. & aliis Fragoſo *ſ. n.* 10. Vnde dominus directus, cuicunque filiorum, vel filiarum ultimæ vitæ, poteſt in hoc, cui ipſe voluerit gratificare, eligendo potius hunc, & hanc, quam illam, & illum, nec major natu poteſt impedire. Et ratio eſt, quia ſi pater poteſt nominare unum ex illis, quem voluerit, cur non poterit proprietarius, finita tertia vita. Ita Valaſcus *de jure emphyteutico quæſt.* 41. *n.* 4. Caldas *de renovatione q.* 18. *num.* 23. Fragoſo *ſup. num.* 19.

Dico ſextò: Hæc renovatio petenda eſt infra annum, *text. in c.* 1. §. *Titius filios*, ſi de feudo defuncti. Ita cum communi ſententia Fragoſo *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 2. *n.* 1. Iſte autem annus incipit ab eo die, quo emphyteuta poſſeſſionem obtinuit, & ſcivit, vel debuit ſcire, rem eſſe emphyteuticam. Quod ſi intra annum poſtuletur, deſcendentes excluduntur à jure renovationis, quia qui durante anno præfixo non petit, videtur renuntiaſſe. Caldas *de renovatione q.* 5. *n.* 11. Vnde elapſo anno, poterit nominatio fieri cui voluerit dominus directus.

Excipe primo, niſi non petens intra annum renovationem purget moram intra modicum tempus, judicis arbitrio, ut notat Clarus §. *feudum q.* 49. *n.* 9. & cum aliis Fragoſo, *ſup. num.* 3. Excipe 2. niſi detur cauſa non petendi; puta ſi peſtis graſſetur, vel ob ſententiam, vel ſi carcere, vel morbo detineatur petens, Caldas Pereira *de renovatione q.* 5. *n.* 25. Excipe 3. Si petens ſit minor quatuordecim annorū *cap. Imperialem* §. *præterea de probat. feud. alienat.* Nocebit tamen ſi minor ſit major quatuordecim annorum quamvis poſſit remedio reſtitutionis in integrum juvari. Ita cū Gama, & aliis, Fragoſo *ſ.* §. 2. Excipe 4. Si petens ignoret rem eſſe emphyteuticam, vel quando emphyteuta non eſt in poſſeſſione emphyteuſis, abſque ſua culpa; ſecus ſi ſit culpa ſua, nam tunc videtur non poſſidere ex dolo. Ita cum multis Fragoſo, *ſup. n.* 6. Excipe 5. Quando dominus à quo petenda eſt renovatio non apparet, debet tamen in hoc caſu fieri denuntiatio ad domū nō apparentis. Ita cū Rebuffo, Tiraq. & aliis, Fragoſo *ſ. n.* 6.

Excipe ſextò: Si in conceſſione fiat pactum cum domino de renovando. Nam tunc non removebitur à jure peter di renovationem intra triginta annos; cum illi competat actio ex condito, ex *l. oriens ex contract. empty.* Quæ actio cum ſit perſonalis, durat ſpatio triginta annorum; ut patet *ex l. ne cui. Cod. de locato.* Secus ſi pactum ſit expreſſum, quod emphyteuta finita emphyteuſi intra certum tempus renovationem petat, nam tunc elapſo tempore præfixo, poterit dominus emphyteuſim alteri concedere, nſi eo ipſo non petens cadit à jure ſuo ex vi pacti expreſſi. Fragoſo *ſup. n.* 4. Excipe 7. Si poſt lapſum annum dominus directus recipiat ab emphyteuta ſolitam penſionem, nam tunc cenſetur renuntiaſſe juri expetendi emphyteutam; ſed hoc procedit ſi dominus ſcienter recipiat; ita cum Iaſon, Claro, & aliis, Fragoſo *ſup. n.* 6. An autem renovatio emphyteuſis cenſeatur inducta ex tacito domini conſenſu, & perſeverantia in emphyteuſi, cum ſolutione penſionis? Reſpondeo negative de jure Luſitano, ſive emphyteuſis ſit Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, quia ſcriptura in conceſſione illius requiritur pro ſubſtantia actus. Ita Fragoſo *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 2. *n.* 12.

1124

1125

1126

Dico ſeptimò: Vt quis petat emphyteuſis renovationem, non requiritur ut oſtendat melioramenta facta à prædeceſſoribus, ſed ſatis eſt quod emphyteuſis deteriorata non ſit. Ita Caldas Pereira, *de renovatione quæſt.* 8. *num.* 19. Gabriel Pereira *deciſ.* 128 & cum aliis Fragoſo *p.* 3. *lib.* 6. *d.* 14. §. 3. *n.* 3. Si detur tamen deterioratio in re conceſſa in emphyteuſim, poteſt propter illam privari, ſicut privatur ob canonem non ſolutum. Vt patet

1127

ob

ex authent. qui rem c. de sacros. Eccles. & tenet cum Baldo, Decio, Fragoso *sup. num. 6.*

1128 Dico octavò: In renovatione emphyteusis, sive Ecclesiasticæ, sive sæcularis, augenda est pensio juxta arbitrium duorum æstimatorum, qui ad hanc rem eliguntur, quorum alter partes Ecclesiæ, seu proprietarij agat, alter vero emphyteutæ; illis vero deficientibus, præstito prius juramento, tertius de consensu partium accidat, & decidat quanta sit pensio augenda, seu minuenda secundum Deum & suam conscientiam. Ita servatur in praxi Fragoso *p. 3. lib. 7. d. 14. §. 4. n. 2.* Quando tamen fit renovatio, & nulla assignatur pensio certa, intelligitur facta cum eadem pensione, & cum eisdem qualitatibus, ac in priori concessione. Ita cum Valasco, Fragoso, *sup. n. 4.* Quod si contingat fieri augmentum in re emphyteutica, non propterea emphyteuta majorem pensionem solvet, imo potius omne augmentum pertinebit ad emphyteutam, nulla ob id pensione adita. Ita cum Claro, & aliis Fragoso, *sup. num. 5.*

SECTIO XXV.

Verùm res Ecclesiæ, quæ non solent emphyteuticari, & traduntur in emphyteusim de consensu summi Pontificis, possint iterum beneficio renovationis concedi?

SUMMARIUM.

1129 *Res Ecclesiæ non possunt, nisi justa causa, & cum certa solemnitate emphyteuticari.*

1130 *An extravagans ambitiosa sit in Lusitania recepta.*

1131 *Dato quod sit recepta, de quibus rebus sit intelligenda?*

1132 *Si res fuit à principio servata forma juris emphyteutica, potest iterum concedi beneficio renovationis in emphyteusim.*

1133 *An hæc conclusio procedat in pascalibus Ecclesiæ?*

1134 *Si agricola probet se possedisse emphyteusim cum titulo vero ab ordinario concesso per spatium quadraginta annorum, & amplius pascalia, præjudicatus est, quoad dominium utile Ecclesiæ.*

1129 SUpponо res Ecclesiasticas non posse, sine justa causa & licentia Papali emphyteuticari, ut patet ex extravaganti Ambitiosa de rebus Ecclesiast. non alien. qua sancitum est, bona Ecclesiæ alienari non posse, ultra triennium. Quæ bulla multi volunt fuisse usu receptam in hoc Regno Lusitaniæ, ut
1130 tradit Fragoso *p. 3. lib. 7. d. 14. §. 6. num. 8.* & nos latius diximus in *in nostro Directorio Regularium p. 1. t. 2. d. 1. n. 151.* licet nulli existiment nullibi esse usu receptam, saltem quoad pœnas, de quo vide me ipsum *loc. cit. sup. n. 150.* & Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 23.*
1131 *dub. 10. n. 4.* Dato tamen, quod sit usu recepta, non intelligitur de rebus exiguis, ut sunt vinulæ, seu tertulæ, quæ non excedunt valorem centum aureorum, vel latius dixi cum multis *loc. cit. n. 180.* Nec intelligitur de re sterili, ut cum multis probat Fragoso *p. 3. lib. 6. d. 14. §. 6. n. 5.* Imo addo, quod si res sterilis data in emphyteusim absque solemnitate fiat fructifera, non est necessarium quod fiant solemnitates jure requisitæ, ut iterum emphyteutisetur, sed sufficit solemnitas ordinaria; non enim dicitur alienare, qui semel alienatum iterum concedit, dum contractum renovat; ut cum Mol. & aliis late probat Fragoso *sup. n. 6.* An autem idem dicendum sit, quando alienatio, vel emphyteusis fit in evidentem utilitatem Ecclesiæ? Respondeo negative; siquidem solemnitas hæc à jure requiritur pro forma actus ad illius valorem. Ita cum multis Fragoso *sup. n. 13.* quidquid alij dicant cũ Phebo, *decis. 82. n. 35.* His suppositis,

Dico primò. Si res quæ non solet emphyteuticari, à principio fuit licite, & solemniter emphyteuticata, consulto videlicet Papa, & cæteris requisitis, ubi bulla Ambitiosa recepta est, vel servata forma juris in cap. nonnulli de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non: & in trid. *sess. 25. c. 11.* potest iterum concedi beneficio renovationis in emphyteusim. Ratio est, quia ut concedatur beneficium renovationis sufficit, etiam juxta prædictam extravagantem Ambitiosæ, quod res sit solita emphyteuticari; sed ut res dicatur solita emphyteuticari, nihil amplius requiritur, ut patet ex *c. 2. de feud.* ergo ita cum Covar. Claro, Palaus *tom. 2. tract. 12. p. 15. §. 14. n. 2.* Trullenc. *lib. 7. c. 23. §. 10. n. 5.* Et idẽ dicendum est, si præcesserunt duæ illegitimæ concessiones cum bona fide, cõcurrente spatio quadraginta annorũ. Phebus *decis. 6. n. 10.* & cum aliis, Fragoso *sup. n. 11.* Imò aliqui affirmant, sufficere unicum actum emphyteuticationis infra prædictum tempus quadraginta annorum, ut decisum fuit teste Gama *decis. 342. n. 4.* Menoch. *de præsumpt. q. 6. n. 29.* Quod verũ est, & si non constet per scripturam præcessisse debitam licentiam alienandi, nam solemnitas extrinseca præsumitur præcessisse, etiamsi in primo contractu non inveniatur, ex diuturnitate temporis triginta, aut quadraginta annorum. Ita Alexander *consil. 79. col. 1.* Anchatran. *consil. 135.* Mantic. *de tacitis, & ambiguis convent. tom. 2. lib. 22. t. 7. n. 23.* Fragoso *s. n. 12.*

An autem hæc doctrina procedat in pascalibus, 1133
seu sedeminis, vel mansibus Ecclesiæ? majus est dubium, nam hæc pascalia, cum sint necessaria ad residentiam pastorum Ecclesiæ, & sint bona dotalia Ecclesiæ, non possunt alienari inconsulto Papa, ut cum multis probat Gabriel Pereira, *decis. 22. n. 8.* Quod verum est, si loquamur de paschalibus Ecclesiæ matricis, non vero de unitis, seu annexis, ut notat Phebus *1. p. decis. 82.* Gabriel Pereira *decis. 22. n. 9.* Fragoso *sup. n. 9.*

Verum his non obstantibus Dico. Quod si agricola probet se possedisse in emphyteusim cum titulo vero ab ordinario concesso per spatium quadraginta annorum, & amplius prædicta pascalia, præjudicatum fuisse, quo ad dominium utile Ecclesiæ. Ratio est quia hæc præscriptio cum titulo, & bona fide æquiparatur immemoriali sine titulo, *cap. cum persona §. quod si talis de privil. in 6. cap. 1. de præscript. eodem lib.* Covar. *in regul. possessor. 2. q. §. 2. n. 8.* Mol. *de primogeniis c. 6. n. 56.* Fragoso *sup. n. 11.* Quod verũ esset, si res à principio data fuerit illicite, & sine debita forma, si possideatur bona fide, & cũ titulo spatio quadraginta annorum; Ita Phebus *decis. 6. n. 10. & decis. 82. n. 34.* Gama *decis. 342. n. 4.* Menoch. *de præsumptionibus q. 6. n. 29.* Quod verum est, & si ex scriptura non cõstet præcessisse licentiã summi Pontificis, nec alias solemnitates; nam poterant alia scriptura acquiri, etiam si in primo contractu illa expresse non reperiantur. Ita Alexand. *consil. 79.* Præsumitur enim licentiæ Papæ ex temporis diuturnitate, de qua non apparet. Decius *consil. 341. num. 13.* & cum Mantica, Alexandro, & aliis Fragoso *sup. n. 12.* Quod multo melius dicendum est, si præscriptio sit immemorialis, quæ habet vim tituli *l. ex hoc jure §. ductus aqua ca. de præscript. in 6. cap. super quibusdam §. præterea de verbor. signif.* & tenet cum communi sententia Fragoso, *sup. n. 12.* 1134

SECTIO XXVI.

Quæ causæ excusent dominum directum à renovatione facienda.

SUMMARIUM.

1135 *Prima causa est, si emphyteuta incidat in incommissum, & post declaratam voluntatem domini sententia est secuta.*

1136 *Secundo excusatur dominus ab onere renovandi Petro, si ipse erat præsens, & passus est investiri de pertinente ad Franciscum.*

1137 *Tertio excusatur si emphyteuta incurrit aliquod crimen per quod caducitas incurratur.*

1135 DIco primò: Prima causa excusans dominum à renovatione est, si emphyteuta incidat in commissum, & post declaratam voluntatem domini sententia est secuta: Corneus *consil.* 116. & alij communiter. Redit autem emphyteusis ad dominum directum sine ullo onere pignoris, vel hypothecæ, vel servitutis realis, vel personalis, & absque ulla obligatione renovandi, cum omni incremento acquisito, & cum fructibus pendentibus, & maturis, etiam jam conditis in horreo, à die factæ declarationis à domino. Ita Burſat. *consil.* 26. *n.* 8. Benintend. *decis.* 37. & cum aliis Fragoso *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 7.

1136 Dico secundo: Excusatur secundo dominus ab onere renovandi Petro v. g. si ipse erat præsens, & passus est investiri de re pertinente ad Franciscum. Ita textus *in cap.* 1. §. *præterea quibus modis feud. amit.* nam consentiens jus suum, etsi patiatur alium investiri, dicitur utile dominium transferre. Sed hoc procedit, quando emphyteuta concessit expressè, secus si tantùm tacuit, nam taciturnitas cũ scientia, & præsentia illi non nocet *l. si quis* §. *non videtur ff. quibus modis pign. vel hypoth. solvit.* Ita cum Tiraquello, Isernia, Curtio, Alcurat, & aliis Fragoso, *sup. num.* 6. & 8. contra Parisium, Ruyn, Glossam, Alexandrum, & alios.

1137 Dico tertiò: Excusatur tertiò Dominus à jure renovandi, si emphyteuta committat aliquod delictum, per quod caducitas incurritur, nempe si emphyteuta volens vendere emphyteusim mentitur in pretio, dum interpellat dominum, ut vel emat, vel consentiat, & majus pretium affirmat; quoniam sic mentitus privatur jure suo. Ita cum Saliceto, Iason, Grado, Rodoan, Baldo, & aliis Fragoso, *sup. num.* 9. Et idem dicendum est, si dicat se emisse emphyteusim minori pretio, ut minus laudemium persolvat domino in obtinenda investitura. Gozadin *consil.* 46. *num.* 7. Eodem modo non tenetur dominus renovare, quando emphyteuta fecit renuntiationem realem de re emphyteutica, quia propter illam renuntiationem jure renovandi privatur *cap.* 1. *de eo qui finem fecit. agnat. de feudo paterno* §. *finitur, versus item finitur instit. de usufructu*, de quibus vide Fragosum, *sup. num.* 10. Tandem excusatur dominus à jure renovandi, si emphyteuta irrequisito domino alienet emphyteusim, de quibus, & aliis vide late Fragosum *sup. n.* 14. In quibus autem casibus cognoscatur investituram esse novam, aut renovationem antiquæ emphyteusis, vide Fragosum *p.* 3. *lib.* 7. *d.* 14. §. 9 ubi etiam invenies §. 10. *an institutus in re certa possit petere renovationem?*

SECTIO XXVII.

Vtrum Dominus directus pro beneficio renovationis possit accipere pecuniam?

SUMMARIUM.

1138 *Dominus directus privatus laïcus potest aliquid accipere pro renovatione emphyteusis concedenda.*

1139 *Id quod datur pro ingressu non debet excedere limites justitiæ.*

1140 *Ecclesiastici non possunt aliquid accipere pro ingressu in concessione vel renovatione emphyteusis.*

DIco primò: Dominus directus privatus laïcus 1138
potest aliquid accipere pro renovatione emphyteusis concedenda. Non est tamen id de substantia contractus dare aliquid necessario pro ingressu, quando dominus concedit rem in emphyteusim, vel etiam renovat, ultra pensionem impositam. Ita Bart. *l.* 1. *Cod. de jure emphyt.* Bernar. *in cap. potuit, &* ibi Glossa, *de locat.* Hostiensis *in summa de locato num.* 11. accedit lex Lusitana *lib.* 4. *Ordinationis tit.* 41. ubi id prohibet certis quibusdam personis dumtaxat; ergo aliis dominis directis, qui non excipiuntur concessum est, ut possint ita convenire si voluerint. Ita etiam cum Affl. &o, Caldas, Fragoso, *3. p. lib.* 7. *d.* 14. §. 14. *num.* 15. Id tamen quod datur pro ingressu, non debet excedere limites justitiæ. Tunc autem excederet, si pro ingressu solveretur dimidium pretium ipsius rei emphyteuticæ, cum sit re vera venditio. Afflictus *decis.* 27. *num.* 9. Potest tamen res, quæ valet centum concedi in emphyteusim cum ingressu de quadraginta, dummodo diminuatur pensio, ita ut contrahentes intra limites justitiæ contineantur, de quibus vide Valascum *de jure emphyteutico quæst.* 10 *num.* 6. Fragosum *sup. num.* 3. 1139

Dico secundo: Ecclesiastici non possunt aliquid 1140
recipere pro ingressu in concessione, vel renovatione emphyteusis. Ita habetur *in constitutionibus Bracharensibus tit.* 19 *const.* 3. *Vlissponensibus tit.* 18. *const.* 5. Sub pœna solvendi in duplum, quidquid fuerit pro ingressu acceptum. Possuntque hujusmodi concessiones rescindi, ut tradit Valascus *suprà quæst.* 10. *num.* 5. Quasi factæ sint in præjudicium successorum, siquidem propter acceptam pecuniam in ingressu diminuunt annuam pensionem. Imo si constet factas esse in præjudicium successorum, sunt nullæ ut habetur in Trid. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reformatione.* Et idem dicendum est de concessione, vel renovatione Emphyteusis de bonis Regiæ Coronæ, si aliquid pro ingressu accipiatur, ut patet ex *Ordinatione lib* 4. *tit.* 41. propter eandem rationem. Valasco *suprà quæst.* 10. *num.* 4. Caldas *de renovatione quæst.* 20. *num.* 3. Fragoso *suprà num.* 6.

DISPVTA

Digitized by Google

DISPVTATIO XXII.

De Feudo.

SECTIO I.

Quid sit Feudum?

SVMMARIVM.

1141 *Ponitur feudi definitio.*
1142 *Ponuntur feudi divisiones.*
1143 *Quid sit feudum seculare, quod Ecclesiasticum?*
1144 *Quid sit feudum reale, quid personale, quid ligium?*
1145 *Quid sit feudum Francum, & non francum?*
1146 *Quid sit feudum transitorium, & non transitorium?*
1147 *Quid sit feudum de pacto & providentia, & hæreditarium?*
1148 *Quid sit feudum antiquum, & novum?*
1149 *Quid sit feudum purum, & conditionatum?*
1150 *Quid sit feudum paternum, & maternum?*
1151 *Quid sit feudum guardiæ, & castaldia?*
1152 *Quid sit feudum de camera, & cavena?*
1153 *Quid sit feudum curtæ, & extra curtam?*

1141 Dico primò: Feudum est concessio rei immobilis pro homagio, id est pro obsequio personali, quale est, associare Principem ad bellum, convenire ad publica comitia. Qui feudum concedit, dicitur dominus, qui recipit dicitur vassallus, seu feudatarius. Dicitur autem Feudum à fide, ut bene advertit Fragoso *p. 3. lib. 8. d. 16. §. 3. num. 1.* Fuerunt autem introducta feuda, ut principes abundarent delectu, ac militibus, qui prælio simul cum dominis adessent; & eos ab hostibus defenderent; ex quo deducitur feuda ex militia principium duxisse, ut notat Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi consil. 6. num. 10.*

1142 Dico secundo: Feudum dividitur in sæculare, & ecclesiasticum; in regale, & non regale; in nobile, & ignobile; in reale, & personale; in ligium, & non ligium; in masculinum, & fœmininum; in divisibile, & indivisibile; in perpetuum, & ad tempus; in francum, & non francum; in transitorium ad omnes hæredes, & non transitorium; in feudum de pacto & providentia, & in feudum hæreditarium; in antiquum, & novum; in simplex, & conditionatum; in paternum, & maternum; in feudum guardiæ, & Castaldiæ, in feudum de camera, & cavena; in feudum curtæ, & extra curtam, & foldatæ.

1143 Dico tertiò: Feudum sæculare est, quod ecclesiasticum non est, & à sæcularibus conceditur. Ecclesiasticum est, quod datur, aut accipitur ab Ecclesia, vel clerico, vel quod recognoscitur ab Ecclesia, & clerico §. *finali de capit. corradi. lib. 2. feudorum.* Regale dicitur, quod habet dignitatem Regis, Ducis, Marchionis, vel Comitis annexam, ab Imperatore, vel à Rege, vel ab alio Principe non recognoscente superiorem. Non regale est, quando res privata, ut pagus, seu castrum, vel aliæ simplices privatæ res in feudum tribuuntur. Nobile est quando à Papa, vel ab Imperatore, vel Rege confertur in Regnum, Ducatum, seu Marchionatum; ignobile est, quod conceditur ab inferioribus Papa, Imperatore, vel Rege, à quibus nulla dignitas obtineri potest.

Reale est, quod ad descendentes recipientes re- 1144
gulariter transit. Personale finitur in persona. Ligium est, quod accipitur à principe non recognoscente superiorem, & in quo quis jurat se fidelem futurum suo principi, nullo excepto. Non ligium est, quo jurat se fidelem v. g. suo duci futurum, sed iis exceptis, quæ tendunt contra Regem, seu supremum principem, contra quos nullo modo se obligat Duci fidelitatem servare. Masculinum est, vel quod non transit ad fœminas, vel quod à masculis fuit primo quæsitum, etsi transeat ad fœminas. Fœmininum est, quod ex pacto transit ad fœminas. Divisibile dicitur omne feudum regulariter loquendo. Indivisibile est feudum majorum dignitatum v. g. Ducatus, Marchionatus, &c. Perpetuum est regulariter omne feudum eo modo datum. Temporale est quod post annum statim auferri potest, & quod pro mercede alicujus rei conceditur,

Francum est, quod accipitur sine onere servitio- 1145
rum, nisi eorum, quæ continentur in forma fidelitatis. Non francum est in quo dominus in investitura retinet sibi aliquod servitium. Transitorium, 1146
est regulariter omne feudum, quod transit ad omnes hæredes. Non transitorium, est quod defertur primogenito, ut est Regnum Lusitaniæ, Hispaniæ, Angliæ, Galliæ, & Siciliæ; Feudum de pacto, & 1147
providentia est illud, quod conceditur pro se, & filiis, nulla de hæredibus facta mentione. Feudū hæreditarium est, quod conceditur pro se, & hæ- 1148
redibus. Antiquum est, quod à majoribus ultra quartum gradum est acquisitum. Novum est, quod habuit principium ab ea persona, quæ de novo fuit instituta. Feudum purum est pro quo servitium 1149
personale præstatur, secundum formam juramenti fidelitatis. Conditionatum est quod habet servitium determinatum reale, & dicitur feudum improprium, accedens ad naturam emphyteusis.

Paternum, est quod competit tantum masculis 1150
descendentibus. Maternum est quod convenit, primo masculis, deinde fœminis. Feudum guardiæ, datur pro constituendo castro, vel territorio; Guardium enim est vetus vox germanica, quod idem 1151
est ac custodia, Lusitanè, *guarda*. Feudum Castaldiæ datur pro gubernatione, & administratione rerum; nam castaldia est cura, & castaldus est perfectus, sive custos rerum. Feudum de camera, & de 1152
cavena, dicitur cum aliquid ex camera communitatis, vel fiscalis, aut principis confertur in feudum. Feudum curtæ, & extra curtam, est feudum foldatæ, quod est personalissimum, & non transit ad 1153
hæredes, dicitur autem feudum foldatæ, solutio pro servitio, de quibus vide tute Fragosum *p. 9. lib. 8. d. 16. §. 3.*

SECTIO II.

De conditionibus quas debet habere contractus ut sit feudalis?

SUMMARIUM.

1154 *Prima conditio est, ut feudum spante datum sit.*
1155 *Secunda ut dominium directum remaneat apud dantem, utile apud recipientem.*

Digitized by Google

1156 *Tertiò requiritur ut perpetuo transeat ad masculos.*
1157 *Quartò ut gratis concedatur.*
1158 *Quintò ut feudum constituatur in re immobili.*
1159 *Sextò ut vassallus quando incipit possidere feudum investiatur à domino directo, ipsique juramentum fidelitatis præstet.*
1160 *Reges Lusitaniæ numquam fuere feudatarij Regum Castellæ.*
1161 *Sunt feudatarij Ecclesiæ, & Abbatis Clavariensis.*

1154 Dico primò: De jure communi, ut feudum vocetur propriè feudum, requiritur primo, ut sponte datum sit, non autem coactè. Secundo ut
1155 dominium directum remaneat apud dantem, utile vero sit apud recipientem. Vnde omnes fructus à die possessionis pertinent ad feudatarium usque ad mortem, vel illius à se abdicationem & in hoc con-
1156 venit cum emphyteusi. Tertiò requiritur quod perpetuo transeat ad masculos liberos descendentes. Quartò ut gratis concedatur, hoc est sine pensione,
1157 & sine interventu pecuniæ. Quintò, ut feudum constituatur in re immobili, ut agro, oppido, civitate, in quo etiam convenit cum emphyteusi.
1158 Sextò ut Vasallus quando incipit possidere feudum investiatur à domino directo, ipsique juramentum
1159 fidelitatis præstet, quæ conditio est essentialis feudo, quia sine investitura non datur feudum. Gozadin *cons.* 8.*n.* 8. Fragoso *p.* 3.*lib.*8.*d.* 17.§.7. *n.* 7. per hoc enim dignoscitur feudum ab aliis contractibus, donationibus, & aliis concessionibus. Socin. Iunior *consil.*76.*n.*40. *vol.* 1. Fragoso, *sup. num.*7. & alij.

Et hinc colliges quam falsissime dicunt scriptores
1160 Hispaniæ, Lusitaniam datam fuisse ab Alphonso VI. Castellæ Rege, genero suo Comiti Henrico in feudum, cum Regina D. Theresia filia sua, cum aliquo onere, & homagio ipsi, & suis successoribus. Dicendum enim est, tale homagium non fuisse illi impositum; nec Lusitaniam fuisse datam in feudum, cum nec præcesserit investitura, nec juramentum fidelitatis, nec dominium directum remanserit apud Castellæ regem, nec alia suptradicta, quæ omnia necessaria erant ad feudum, sed fuisse solum donationem causa dotis, sine aliquo onere, vel obligatione. Ita cum Odoardo Nuñez Dolam in vita Comitis Henrici: Pater Antonius de Valconcelos, *in vita ejusdem Comitis*, Fragoso, *p.* 3.*lib.*7.*d.* 16.§. 6.*n.*6. Verum quidem est, quod anno 1141. Idem
1161 Alphonsus fecit Lusitaniam feudalem Abbati Clavariensi, ut testatur Bernard. de Brito *lib.* 1. *Chronica Cisterciensis cap.* 5. Et Romanæ Ecclesiæ sub Alexandro III. *anno* 1179. qui Pontifex hoc Lusitaniæ Regnum sub sua, & sedis Apostolicæ protectione suscepit, ut patet ex Bulla Alexandri III. quam refert Fragoso *p.* 3.*lib.*8.*d.* 16.§.6.*num.*7. Sed de his vide historicos hujus Regni.

SECTIO III.

In quibus distinguatur feudum ab emphyteusi?

SUMMARIUM.

1162 *Feudum distinguitur ab emphyteusi primo, eo quod in feudo solum fidelitas, & obsequium personale debetur.*
1163 *Secundo quia infeudans cognoscit de causa inter eos, qui feudum possident, non tamen in emphyteusi.*
1164 *Tertio Feudatarius non potest alienare, nec oppignorare feudum, bene tamen emphyteuta.*
1165 *Quarto fœmina non succedit in feudo, nisi exprimatur, bene tamen in emphyteusi.*
1166 *Feudatarius potest à se abdicare feudum, non tamen emphyteuta.*

Dico primo: Feudum differt ab emphyteusi pri- 1162
mo, quia in emphyteusi pensio realis debetur ab emphyteuta, in feudo vero puro non solvitur pensio realis, sed fidelitas, & obsequium debetur, seu servitium personale; quod si etiam pensio addatur degenerat a feudo, & participat de emphy- 1163
teusi. Secundo differt, quia infeudans retinet jus cognoscendi de causa inter eos, qui feudum possident, vel prætendunt, quod jus domino directo non com- 1164
petit in emphyteusi, sicut nec locatori. Tertiò feudatarius non potest donare, alienare, vel transferre feudum in alium, nec pignorare, sicut potest emphyteuta.

Quartò: Fœmina non succedit in feudo, nisi ex- 1165
primatur, quia non poterit servitium personale exhibere, præsertim in bello, at in emphyteusi potest, quia potest exhibere pensionem realem. Quintò Feudatarius potest à se abdicare feudum, quia est in 1166
ejus utilitatem. Emphyteuta verò non potest à se abdicare emphyteusim invito domino. Sextò Emphyteuta debet solvere pensionem, etiam non requisitus, quia dies termini interpellat. Feudatarius, vero non tenetur exhibere servitium, nisi ab infeudante requisitus. Ita Lugo de justitia *d.*29.*num.*98.

SECTIO IV.

De obligationibus, quas habet Feudatarius.

SUMMARIUM.

1167 *Feudatarius tenetur præstare juramentum fidelitatis.*
1168 *Debet præstare obsequium promissum.*
1169 *Non potest alienare feudum sine domini, & agnatorum consensu.*
1170 *Tenetur feudatarius succurrere domino in aliquibus casibus, qui referuntur.*

Dico primò: prima Feudatarij obligatio est, 1167
quod præstet juramentum fidelitatis; hoc tamen aliquando potest facere per procuratorem, ut rectè probat cũ Bald. & aliis Fragoso *d.* 3.*lib.*8.*d.*16.§.4.*n.*8. Secunda debet fundatarius præstare obsequium pro- 1168
missum sive in bello, sive alibi. An autem teneatur præstare auxilium, quando bellum est injustũ? Respondeo negative; nam juramentum fuit de justa defensione, non autem de injusta, quam jus abhorret; siquidem juramentum non est vinculum iniquitatis. Ita cum Bartholo, Fragoso, *p.* 3.*lib.*8.*d.*17.§.5.*n.*18.

Tertiò, non potest Feudatarius alienare feudum 1169
sine domini, imò & agnatorum consensu, quem tamen dare nequaquam obligantur, cum sit in eorum præjudicium. Vnde Vassallus non potest feudum donare, nec in emphyteusim tradere, nec in alium transferre. Imò si feudum datum sit à Rege, vel Imperatore, non potest feudatarius illud inter multos filios dividere, ut ob multas rationes cautum est in jure. Potest tamen feudatarius abdicare à se feudum, seu illud domino relinquere, *ut suprà* diximus.

Quartò obligatur feudatarius succurrere domino

pro-

Digitized by Google

1170 pro dotanda sua filia. Ita cum multis Fragoso, *p. 3. lib. 8. d. 17. §. 5. n. 36.* Quinta tenetur feudatarius dominum pauperem alere, captivum à captivitate redimere, in periculo mortis succurrere, & ab inimicis defendere, si dominus his omnibus indigeat; secus si ipse habeat unde se redimat, vel ejus auxilio non indigeat. Ita cum multis Fragoso, *suprà num. 37. & 38.*

SECTIO V.

Quibus ex causis amittatur feudum?

SUMMARIUM.

1171 *Si feudatarius extra casum hæresis, & læsæ majestatis accuset dominum, potest privari feudo.*

1172 *Secundo si non observet pacta, sub quibus feudum accepit.*

1173 *Tertio si feudatarius occidat suum proprium Patrem, fratrem, vel fratris filium, spe hereditatis.*

1174 *Quarta causa est lapsus termini præscripti in investitura, vel mors fratris, sine filiis, vel agnatis.*

1175 *Finito feudo ad quem transeat feudum?*

1171 Dico primò: Prima causa privandi feudatarium feudo est, si feudatarius extra casum hæresis, & læsæ majestatis accuset dominum de aliquo crimine apud judicem, etiam ex justa causa. Si fugæ se det relicto domino periclitante in bello justo, quem succurrere, sine sua morte potuisset. Si non admoneat dominum sciens illi paratas esse insidias. Vel si ipse insidias paret, rebellisque sit domino suo. Si turpiter cum filia, nepte ex filio, vel sorore, vel cum uxore domini, etiam si hæc sit vidua inventus sit.

1172 Dico secundò: Secunda causa privationis feudi est, si feudatarius non observet pacta, sub quibus feudum accepit. Si ipse vel ejus hæres non petat à domino investituram, seu renovationem feudi intra annum, & unam diem, sine justa causa differendi, qualis est morbus gravis, inimicitiæ capitales. Excipe minores, nam hi si intra prædictum tempus non petant possunt uti privilegio restitutionis in integrum. Item si alienet feudum secuta traditione, sine domini consensu, vel si vassallus vocatus à domino in curiam nolit accedere.

1173 Dico tertiò: Tertia causa est, si Feudatarius occidat suum proprium fratrem, patrem, vel patris filium, spe hæreditatem obtinendi. Sylvester *verbo feudum quæst. 16.* Vel si occidat quemcunque alium proditorie, ad incurrendam tamen hanc pœnam in his casibus requiritur prius sententia judicis. Nec feudatarius ante illam obligatur feudum à se dimittere, quia hæc est pœna. Azor *p. 3. lib. 10. cap. 34.* Filliucius *tract. 36. cap. 10. quæst. 9. num. 295.*

1174 Dico quartò: Quarta causa amittendi feudum est, ex ipso jure ut lapsus termini præscripti in investitura. Mors feudatarij sine filiis, vel agnatis. Mors civilis professionis Religionis incapacis, vel clericatus, quando investitura clericos excludit. Item præscriptio legitima triginta annorum. Adverte tamen, quod si quis amittat feudum lapsu termini, vel renuntiatione, redire ad dominum. Si amittat præscriptione transit ad eum, qui legitime præscripsit, si amittat morte naturali, vel civili per professionem in religione incapaci, transire ad agnatum strictionem in gradu, quod si non extent redit ad dominum.

Si verò amittat feudum ob alienationem, sine consensu domini, transfertur feudum ad agnatum strictiorem, non vero ad filios, quia hi magis personam partis repræsentant, quam alij agnati. Et idem dicendum est, si illud amittat ob aliam culpam ex supradictis. Si vero illud amittat ob ea crimina, ob quæ bona delinquentis confiscantur, tunc si feudum est transferibile sine licentia domini ad extraneos, transit ad Fiscum, secus si non sit transferibile, ut fere semper accidit; nam tunc redit ad dominum. Sed de his vide latius Fragosum *p. 3. lib. 8. d. 16. per totam.* Clarum *quæst. 34. 66. 84. 88.* Azorium *p. 3. lib. 10. cap. 16.* Filliucium *tract. 36. cap. 10. quæst. 2.* Tamb. *de triplici jure lib. 9. tract. 6. cap. 8.* 1175

DISPVTATIO XXIII.

De Assecuratione.

POSTQUAM explicuimus contractus onerosos, sequitur ut explicemus contractus fortunæ, qui etiam suo modo sunt onerosi: sit igitur,

SECTIO I.

Quid sit contractus assecurationis?

SVMMARIVM.

1176 *Quid sit assecurationis contractus describitur.*

1177 *Deducitur hic contractus ad contractum emptionis, & venditionis.*

1178 *Quæ sit materia hujus contractus?*

Dico primò: Assecuratio est contractus, quo quis alienæ rei in se periculum suscipit accepto pretio, obligando se ad eam compensandam, si perierit. Ita communiter DD. reducitur autem hic contractus ad contractum emptionis, & venditionis, quo pro certo pretio venditur susceptio periculi, seu obligatio solvendi æstimationem rei, si pereat. Materia autem hujus contractus sunt merces, sive maritimæ, sive non, alicui tamen periculo obnoxiæ. Vnde potest esse pecunia, quæ ab uno in alium locum cum periculo defertur; debitum ex mutuo, vel alio contractu; cum aliqua difficultate solutionis. Libertas alicujus suscipientis longinquam navigationem, fructus terræ, & tandem vita hominis. Ita cum Salon, Azor, & aliis, Bonac. *d. 3. de contract. p. 3. num. 6.* & alij communiter. 1176 1176 1178

SECTIO II.

De conditionibus quas debet habere assecuratio, ut sit licita.

SUMMARIUM.

1179 *Assecuratio debet libere, & non coacte fieri ut sit licita.*

1180 *Debet eventus rei esse incertus, saltē quoad notitiam, quam de illo uterque contrahens habet.*

1181 *Debent merces, quæ assecurantur vere existere, veroque periculo subjacere.*

1182 *Debet dari æqualitas inter pretium, & periculum.*

1183 *Assecurator debet bona habere, quibus tutius rei assecuratæ compensationem faciat, si ea tota pereat.*

1179 DIco primò: Prima conditio, ut hic contractus sit licitus, est ut libere, & non coacte fiat; siquidem est contractus sortis. In hoc conveniunt
1180 DD. Secunda, ut eventus rei sit utrique incertus, saltem quod notitiam, quam de illo uterque contrahens habet; unde si quis petat ab aliquo assecurationem navis, quam scit periisse, vel eam esse mercibus vacuam, contractus est nullus, & tenetur restituere id, quod pro assecuratione navis, & mercium accepit, & omnia damna, quæ ob id assecurator accepit. Et idem dicendum est si rumores ad dominum navis pervenerint, eam scilicet periisse, aut si habeat conjecturas id indicantes, vel si id arte dæmonis sciebat; si hæc omnia assecuratorem latebant; quod proportionaliter dicendum est de assecuratore, nam si ille sciebat navim esse in tuto, & si id arte dæmonis sciret, vel de hoc habeat magnas conjecturas, si hæc dominum navis latebant, tenetur pretium assecurationis, & omnia similiter damna solvere. Salon *sup. art 2. cond. 1.* Trullenc *lib. 7. Decalog. cap. 24. dub. 3. num. 2.* Et idem dicendum existimo. Si assecurator per astrologiam sciret non fore tempestatem, vel per amicos mare esse tutum à piratis, nam cum hic contractus sit sortis, debet uterque esse in æquali periculo; cum autem assecurator per astrologiam, & amicos sciat non esse periculum, non esset contractus sortis. Ita cum Bonacina, Tamburin. *de triplici jure lib 9. tract. 7. cap. 2. num. 4.* probabile putat Trullenc. *sup. num. 2.* contra Layman, *lib. 2. cap. 28. num. 27.*

1181 Dico secundò: Tertia Conditio est, ut merces quæ assecurantur vere existant, veroque periculo subjiciantur. Nam si merces finguntur existere, est quasi cambium fictum, deficitque materia, & si hoc sciret assecuraror non assecuraret. Vnde talis contractus est nullus, ac per consequens nec assecurator, etsi bona fide ex parte sua adimpleverit contractum, potest pretium suæ assecurationis retinere. Ita Salon *sup. condit. 2.* Lessius *sup. dub. 4. n. 28.* Trullenc. *sup. num. 3.* contra Bonacinam *sup. num. 3.* Hinc fit quod si assecurator plus mercium, quam re ipsa in navi sit impositum, assecurationem non esse validam, nisi fortè quoad valorem mercium quæ navi fuerunt impositæ, nam contrahentes non intendunt assecurare merces, quæ navi non fuerunt impositæ, nisi aliter de contrahentium mente conjiciatur. Bonac. *d. 3. p. 3. n. 3.*

1182 Dico tertiò: quarta conditio est, ut adsit æqualitas inter pretium, & periculum, idque quod certe, vel lex, vel usus communis, vel vir expertus judicabit. Ex quo fit dominum navis teneri omnia pericula, & incommoda, & portum ad quem tendit navis manifestare. Ita tenetur pacta posita in assecuratione fideliter servare: scilicet quod navis, quæ assecurata est in alium portum non tendat, nec per aliam viam non dirigatur, quam fuit dictum, nec recipiat alia onera præter ea, quæ tempore contractus fuere significata. Ita Salon, *sup. condit. 3. &* 4. Tamb. *sup. num. 2.* & alij communiter.

Dico quartò: Quinta Conditio est ut assecurator 1183
habeat bona, quibus tutius rei assecuratæ compensationem facere possit, si ea tota pereat, vel partis si solam partem assecuravit, alias contractus est injustus, nec poterit pretium recipere, imo tenebitur omnia damna inde mercatori secuta restituere. Tamb. *sup. n. 2.* & cum Salon, Bonac. *sup. n. 4.*

SECTIO II.

Vtrùm assecurator habens tantum quinque possit assecurare navim importantem decem accipiendo tantum pretium pro quinque?

SVMMARIVM.

1184 *Assecurator tantum habens quinque millia non potest assecurare navim importantem decem millia, etiam si tantum accipiat pretium pro quinque.*

1185 *Quando multi assecurant merces unius navis indistincte, si omnes pereant, eas omnes solvere tenentur unusquisque pro parte sua.*

1186 *Quid si singuli certas distinctas partes assecuraverint?*

1187 *Quid dicendum de quodam contractu, qui in Hispania celebratur. qui ibi rejertur*

DIco primò: Si assecurator tantum habeat par- 1184
tem pretij v. g. quinque millia aureorum non potest assecurare navim importantem decem millia aureorum, etiam si tantum accipiat pretium pro quinque. Ratio est; quia contractus totus fuit nullus, & si dominus navis id sciret non peteret talem ab eo assecurationem, cum dimidium æstimationis navis maneat in periculo. Vnde talis assecurator, & peccavit, & obligationem restitutionis pretij, si quod accepit incurrit; imo tenetur etiam damna reficere. Ita Salon, *sup. condit. 3.* Tamb. *sup. n. 6.* contra Bonac. *d. 3. q. 9. p. 3. n. 4.*

Adverte tamen, quod quando multi assecurant 1185
merces unius navis indistincte, si omnes pereant, eas omnes solvere tenentur, unusquisque pro parte sua. Et idem dicendum est, si pars tantum 1186
pereat, si autem singuli certas, & distinctas partes assecuraverint, tenentur quisque pro sua parte, si tota ad totum, si autem una pars designata maneat, aliis pereuntibus, alij & non, ipse tenetur. Salon *suprà condit. 5.* Bonacina *suprà num. 5.* Et idem dicendum est si mercator non totam navim, nec aliquid in particulari, sed solum certam partem in communi verbi gratia ex omnibus illis mercibus assecuravit verbi gratia duo millia aureorum, nam si tota navis pereat, tenetur assecurator duo millia aureorum solvere, si vero pereat dimidium illarum mercium, quæ æstimatæ

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt sex mille aureis, solvuntur solum mille aurei, & ita proportione eadem de reliquis mercibus, quæ perierint, si tamen pars singularis, & determinata assecurata fuerit, solum ea pereunte tenetur solvere assecurator, Molina, *d.*507.

1187 An autem quidam contractus qui in Hispania celebrãtur, in quo certa pecuniæ summa datur alicui viro ut assecuret in tanto pretio gabellas, & reditus regios, ita ut si voce præconis non inveniatur, qui plus pro eis offerat, ipse pro tali pretio teneatur eas recipere, si licitus? Respondeo affirmative, quia magistratus redditur securus de justo pretio, & vir ille pro eo quod promittit, quod quidem onus est, mercedem justam accipit, nec alij conqueri possunt, quia ille assecurator, sicut alij omnes jus habet offerendi pretium majus, & majus. Ita Azor. *p.*3. *lib.*11. *c.*21. *dub.*3. Filliucius, *tract.*3. *c.*1. *q.*10. *n.*57. Tamburinus, *de triplici jure lib.*9. *tract.*7. *c.*2. *n.*9.

DISPUTATIO XXIV.

De ludo, & sponsionibus, & sortibus.

SECTIO I.

Quid sit ludus, & an sit licitus.

SUMMARIUM.

1188 *Quid sit ludus describitur.*
1189 *Ludus natura sua est licitus, & ex se res indifferens.*
1190 *Aliqui ludi legibus prohibentur.*
1191 *Ire contra has leges, quoad laïcos non est mortale, nec veniale.*
1192 *Quid si clerici sint, & beneficiati?*
1193 *Quid si moderata quantitas ludo exponatur; & ludus pro animi recreatione sumatur?*
1194 *An præbentes domum, mensam, chartas, & taxillos ad ludendum his ludis prohibitis peccent mortaliter?*
1195 *An ministrantes domum, chartas, aquam, vinum, dulcia, &c. ludentibus possint, sine onere restitutionis retinere excessum pretij, quod accipiunt pro dictis rebus à colludentibus.*

1188 Dico primo: ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod
1189 uterque deposuit. Est autem ludus natura sua licitus & ex se res indifferens, & si debito modo sumatur, & ob finem honestum, spectat ad virtutem Eutropeliæ, seu affabilitatis. Dixi ex se: nam si adsit periculum blasphemiæ, rixarum, furti, vel transgrediendi Dei, aut Ecclesiæ præcepta: proculdubio erit illicitus. Et idem dicendum est, si adsit finis, vel alia circunstantia personæ, loci, vel temporis, mortaliter, vel venialiter mala: nam affectus lucri moderatus, si intendatur media via justa, ut fit etiam in aliis contractibus, non est illicitus, etiam venialiter; secus si fiat media via injusta, & illicita. Ita Lugo, *de justitia d.*30. *n.*4. & cum D. Thom. Trullenc. *lib.*27. *Decal. dub.*1. *n.*2. & cum Soto, Medina, Escobar, *lib.*6. *Decal. n.*64.

1190 Dico secundò: Aliqui ludi legibus prohibentur, illi scilicet, in quibus magis fortuna quam ars dominatur, ut sunt ludus alearum, & taxillorum, ut patet, *ex l.*2. 3. & 4. *ff. alea usu*, & *in authent. alearum usus, C. de aleatoribus*, & *alearum usu*, & in Regno Castellæ, & nostræ Lusitaniæ, aliæ sunt prohibitiones, quas referunt Molina, *d.*512. Pro clericis etiam in jure canonico eadem prohibitio invenitur, ut patet *ex canone* 41. & 42. *Apostolorum*, qui habentur, *in c.*1. *dist.*35. & *c. clerici de vita, & honestate clericorum*, & in Trid. *sess.*22. *c.*1. *de reformatione*, renovantur omnes antiqui canones circa hanc materiam.

Dico tertiò: ire contra has leges, quoad laïcos 1191
non est mortale, nec veniale. Ratio est, quia hujusmodi leges, tam civiles, quam canonicæ prohibentes ludum alearum, & taxillorum, quoad laïcos sunt consuetudine abrogatæ. Ita Filliucius, *tom.*1. *tract.*38. *c.*4. *n.*58. & cum Medina Sanchez, *in conf. p.*1. *lib.*1. *c.*8. *dub.*25. *n.*5. & *dub.*26. *n.*7. Diana, *p.*1. *tract.*1. *miscellan. resol.*65. Trullenc. *lib.*7. *c.*27. *Decal. dub.*1. *n.*3. *in fine.* Quod verum est etiam in clericis, & si beneficiati sint, si ludo exponitur modera- 1192
ta quantitas, & luditur pro recreatione animi. Ita Sylvester, Caietanus, Laïman, apud Dianam, *p.*4. *tract.*4. *resol.*183. Ratio est, quia æque id pro ipsis in desuetudinem abiit.

Dixi, si moderata quantitas ludo exponatur, & 1193
ludus pro animi recreatione sumatur: nam si Clerici cum magno scandalo, & in magna quantitate aleis, vel taxillis ludant, proculdubio peccabunt mortaliter. Ita cum aliis Diana, *p.*4. *tract.*4 *resol.*18. Trullenc. *lib.*7. *c.*27. *Decal. dub.*1. *n.*4. Et idem dicendum est si in publico modo laïcorum lidant pila, vel larvati incedant, nisi forte hoc breviter faciant, & absque scandalo. Ita cum Salon, Angelo, Sanchez, Trullenc. *sup. n.*4. Quoad Religiosos verò vide, quæ dixi, *in nostro Directorio Regularium p.*2. *tract.*3. *d.*6. *à n.*1505.

An autem præbentes domum, mensas, candelas, 1194
chartas, & taxillos ad ludendum his ludis prohibitis peccent mortaliter? Respondeo non peccare quoties ludentes mortaliter non peccant; secus cum ipsi mortaliter peccant, ut si indifferenter accipiant omnes ad ludendum ludis prohibitis, vel ludo exponentes ea, quæ non possunt alienare, vel ludum fraudibus injustis exercentes, vel si ludentes in blasphemias, & juramenta prorumpant; tunc namque eorum peccatis cooperantur. Unde tenentur in secundo loco ad restitutionem eorum, quæ ibi injuste lucrata sunt. Secus si lusores regulariter prædicta non faciant, vel ad minus non peccent mortaliter, Ita & bene cum Villalobos, & aliis Trullenc. *lib.*7. *Decal. c.*27. *dub.*1. *n.*6. Lugo, *de justitia d.*31. *n.*6. Tamburinus, *in Decal. lib.*8. *tract.*2. *c.*9 §.1. *n.*34. Et pro similibus lusoribus potest etiam Princeps concedere licentiam, ut quis domum suam possit exponere ludo. Secus pro aliis prædicta scelera in ludis exercentibus, vel si sit illorum periculum. Ita cum Justiniano, & aliis Trullenc. *sup. n.*7.

An autem ministrantes domum, chartas, aquam, 1195
vinum, dulcia, &c. ludentibus possint sine onere restitutionis retinere excessum pretij, quem communiter pro dictis rebus accipiunt ab eisdem lusoribus? Respondeo posse præscindendo ab alio inconvenienti, siquidem ludentes cum id bene sciant res illas non tanti valere, censentur excessum libere donare. Ita cum Navarro, Molina, Reginaldo, & aliis Tamburinus, *sup. n.*35.

SECTIO II.

De prima conditione ad juſtitiam ludi, ſcilicet quod ludens poſſit libere diſponere de his, quæ ludo exponit.

SUMMARIUM.

1196 *Ille ſolum poteſt ludo aliquid exponere, qui illius habet liberam adminiſtrationem.*
1197 *Quæ poſſit filius familias ludo exponere?*
1198 *Quid poſſit uxor ludo exponere?*
1199 *Quid poſſit ſervus ludo exponere?*
1200 *Quid, ſi quis ludo exponat rem alienam?*
1201 *Quid, ſi quis cum ei deficeret pecunia, eam ſurripiat à colludente, eaque poſtea lucratus ſit.*

1196 Dico primò: ille ſolum licite aliquid ludo exponere poteſt, qui illius habet liberam adminiſtrationem. Et ratio eſt, quia ſi ludens pecuniam non habeat propriam, quam colluſori forte vincenti ſolvere poſſit, non iniit contractum æqualem, dum vincere voluit, ſed perdere non potuit. Unde tenetur colluſori reſtituere, quod lucratus eſt, quia accepit rem invito domino. Excipe niſi colluſor ſciat alterum colluſorem alienare non poſſe, ut ſi luderet cum filiofamilias carente peculio: nam tunc non tenetur filiusfamilias reſtituere quod vincit, quia ſcienti, & volenti nulla fit injuria. Ita cum Sairo, Her. Azor. Bonacina, Diana, *p. 1. tra. 8. reſol. 67.* & cum Villalobos, Trull. *lib. 7. Decal. c. 27. dub. 5. n. 4.*

1197 Hinc fit, filiumfamilias ſolum poſſe exponere ludo abſque Patris conſenſu caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, non tamen adventitia, nec profecticia. Excipe illam quantitatem, quam ſimiles filiifamilias ſolent ad animi recreationem ludere, ut ſi filiusfamilias, qui in aula Regia, vel Academia à patre ſuſtentetur aliquid ex deſtinata ſuſtentatione ſumeret, ut ludo honeſto inſumat, nempe quatuor, vel quinque ex cento. Hanc autem ſummam poteſt, vel per totum annum ludo exponere, ſive una vice, ſive pluribus. Ita Navarrus, *cap. 20. num. 4.* Sanchez, *in conſiliis p. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 22. n. 6.* Trullenc. *ſuprà n. 4.* Lugo, *de juſtitia d. 31. n. 21.* Eſcobar *lib. 40. Decalog. n. 87.* Vnde qui ultra hanc quantitatem ſcienter ab eo aliquid lucratus eſt, tenetur hunc exceſſum reſtituere. Ita cum Sanchez, Eſcobar, *ſuprà num. 93.* Excipe ſi poſtea tantundem cum eo perdidit: nam reddit æquale. Ita cum Bonacina, Sanchez, Trullenc. *ſuprà num. 8.* Quod ſi filiusfamilias his quinque aureis à Patre tacite conceſſis lucretur centum, totum hunc exceſſum poteſt licite in eodem ludo perſeverante perdere, imò & in alia die cum eodem, vel cum altero colluſore; quia totum id videtur permittere pater; ita cum Sanchez, Baſies, Angelo, Sylveſtro, Eſcobar *lib. 40. Decalog. num. 99.*

1198 Et idem proportionaliter dicendum eſt de uxore: nam hæc ſolum poteſt perdere paraphernalia; & illa quorum habet liberam adminiſtrationem, & ea quæ expreſſe, vel tacite vir concedit, tacite autem cenſetur ei concedere ea, quæ ſimiles mulieres ludo exponere ſolent, vel in alios uſus pro ſuo arbitrio expendere. Maritus vero ſi bona ſint communia inter ipſum, & uxorem, ludere poteſt, quæ alij ſui ſtatus, divitiarum, & conditionibus communiter ludunt, & ſi excedat, ſi exceſſus non ſit ad modum notabilis, interim dum ludo non comperitur notabile detrimentum in bonis ipſius, & familiæ, non ſolùm alij dominium comparant lucratorum, ſed neque maritus tenetur quidquam uxori reſtituere, etſi quantitatem nobilem amittat, quoniam ultra ſuam oblectationem experiri potuit eum contractum, an eſſet incommodum ſocietatis, inter ipſum, & uxorem; at ſi experimento compertum jam eſſet, ex ludo ſequi notabile detrimentum uxori, tenetur à ludo abſtinere, & ſolum poteſt exponere ludo, inſcia, nolenteque uxore, ea quæ ſunt ſua, quare licet ordinariè mortaliter peccet, etiam in his exponendis contra filiorum, & familiæ charitatem, ſi propter ludum his graviter neceſſaria deſint; colludentes tamen ſi vincant non tenentur ad reſtitutionem; tenebuntur tamen ad reſtitutionem, ſi maritus ea quæ ſunt uxoris, ea invita modo dicto perdiderit, ſi aliàs maritus non habeat unde ſolvat, ſecus ſi habeat unde ſolvat; de quibus vide latius Molinam, *d. 320.* & patet ex, *lege Luſitana in ordinatione lib. 4. tit. 64.*

Servus vero, ſolum poteſt ludo exponere ea, quæ 1199
ſunt ſub pleno dominio ejus, quæ autem ſint hujuſmodi? vide quæ dixi ſupra *in hoc tract. diſp. 3 ſect. 2.* hujus operis, famulus vero pecuniis domini ludendo graviter peccaret, ſi dominus graviter invitus eſſet, quia injuria eſt velle uti re aliena, invito domino. At ſi nullum inde damnum eveniat domino, quia famulus tantum habet in promptu ad ei reddendum, ubi primum dominus illud poposcerit, poterit famulus ſine peccato ludere pecunia domini, & lucratum cum tali pecunia retinere, ſi nomine ſuo luſit; ſecus ſi domini nomine lucratus eſt: nam tunc, ſicut ſi perderet domino perderet, ita etiamſi lucratus eſt. Ita cum Villalobos, Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 27. dub. 5. num. 9.* Rebello, *2. p. quæſt. 4. num. 22.* Tamburinus, *in Decalogum lib. 8. cap. 9. §. 1.* Quid autem dicendum ſit de Religioſis? vide quæ dixi, *in noſtro Directorio Regularium p. 2. tract. d. 2. numero 1505.*

Sed quid ſi quis ludo expoſuit rem alienam fur- 1200
tivam, vel apud ſe depoſitam, vel commodatam? Reſpondeo, quod vel talis res eſt uſu conſumptibilis, vel non; ſi non eſt uſu conſumptibilis, tenetur eam ſtatim vero domino reddere, ubi primum ſcit eſſe alienam, ratione rei acceptæ, niſi alias non poſſet à fure pretium illius recuperare: nam tunc poterit ei rem lucratam dare, ut pretium lucratum recuperet; ſiquidem eam habuit ex contractu oneroſo, & fur tenebitur ei de evictione. Ita cum aliis Lugo, *d. 31. de juſtitia n. 13.* Eſcobar, *lib. 40. Decalog. n. 81.* Quid ſi res ſit uſu conſumptibilis, ut pecunia, & fur tantumdem habeat, ut domino reſtituat, validus fuit ludus, & uterque ludens poteſt lucratum retinere, ſiquidem exponendo fur talem rem ludo, eam ſibi applicavit ſubrogando in locum illius aliam, quam domi habebat, ſi vero non habeat unde tantundem domino reſtituat, tunc vel alius colluſor id ignorabat, vel non; ſi ſciebat rei vitium contractus fuit omnino nullus, ſi vero id ignorabat, contractus fuit validus, cognita tamen veritate reddenda eſt res vero domino; ratione rei acceptæ, quia adhuc manet ſub ejus dominio, & fur tenetur de evictione, ſi tamen poſſeſſor à fure pretium non poſſet recuperare, poterit eidem eandem rem lucratam reddere, ut ſuprà diximus, ut ab eo ſaltem recipiat obligationem reddendi poſtea ſibi rem æquivalentem debitam. Ita cum aliis Lugo, *d. 31. de juſtitia n. 17.* Eſcobar, *lib. 40. Decalog. n. 81.*

Sed quid dicendum eſt de eo, qui cum pecu- 1201
nia in ludo deficeret, eam à colludente ſubripuit, eaque poſtea lucratus eſt? Reſpondeo quod ſi fur non habebat unde pecuniam ſic ſubreptam reſtitueret,

Digitized by Google

restitueret, contractum ludi fuisse nullum, ac per consequens, non posse furem lucrum ex ipso retinere. Quod si habebat unde solvere, posset lucrum retinere, sicut quando exposuit pecuniam ab alio tertio furto ablatam, quod enim alteri, vel eidem colludenti ablata sit non videtur variare casum. Ita cum Sanchez, Lugo, *sup. n.* 18. Escobar, *sup. n.* 84.

SECTIO III.

De secunda conditione ad justitiam ludi, ut ludens fraudibus non utatur contra leges ludi.

SUMMARIUM.

1202 *Quæ fraudes licitæ sint in ludo?*
1203 *Qui potiores chartas habet in ludo, & securus jam est de victoria, potest adaugere sponsionem, ut plus lucretur.*
1204 *Quæ fraudes illicitæ sint in ludo?*
1205 *An qui per fraudes injustas lucratus est, si consequenter cum eodem ludendo tantundem perdat, maneat liber à restitutione?*
1206 *An fraudibus illicitis ludens, possit ex lucro illo restituendo deducere, quod dedit pro chartis, lucernis, etiam honorarium?*

1202 DIco primò: licitæ sunt in ludo eæ fraudes, & simulationes, quas leges ludi communiter permittunt: nam in hos ludentes tacita consentiunt; & in dubio standum est judicio peritorum in eo loco; quod verum est, & si adversarius ignores eas leget, quia contractus ludi, sicut & alij, censentur fieri juxta leges loci, in quo luditur. Ita Molina, *d.* 517. & cum Salas, & aliis, communiter Lugo, *d.* 31. *n.* 33. Aliæ autem fraudes, quæ sunt contra leges ludi, illicitæ sunt, & obligant ad restitutionem illius, quod his fraudibus lucratum est. Imò & ad restituendum id, quod adversarius, seclusis his fraudibus, probabiliter lucratus fuisset. In dubio tamen solum tenetur, his fraudibus lucrans, restituere lucrum, quia melior est conditio possidentis. Lessius, *lib.* 2. *c.* 26. *dub.* 2. *n.* 13. Lugo, *de justitia disp.* 31. *n.* 33.

1203 Et hinc plures deducuntur casus. Primus qui potiores chartas habet in ludo, & securus jam est de victoria; potest adhuc augere sponsionem, ut plus lucretur. Item si habeat inferiores chartas, & sit certo vincendus, potest augere sponsionem, ut alter timeat, & recuset & qui meliores chartas habet potest simulare formidinē, ut adversarius augeat sponsionē Potest tacere licet videat adversarium sumere plures chartas, quam deberet, propter quem excessum debeat postea perdere. Item si videat adversarium errare in numerandis punctis, vel in accipiendo primum locum, non tenetur eum monere, & si propter id vincat, non tenetur ad restitutionem; error enim proprius nocet erranti, dūmodo ipse non concurrat. Et propter eandem rationem idem dicendū, si videat adversarij chartas casu, vel ex negligentia illius; & propter id lucratus est, vel si eas propter peritiam, & usum chartarum à tergo cognoscat. Secus si ex industria, ita se componat, ut eas videre possit vel, aliqua nota signet, ut eas à tergo dignoscat Ita cum Sanchez, Lugo, *sup.* 36. & 37. Hæc enim, & aliæ similes fraudes sunt licitæ in ludo. Ita cum, Salas, Molina, & aliis communiter, Lugo. *sup. n.* 34.

1204 E contra vero, illicitæ reputantur, si quis suffuretur chartas, vel eas designet notis occultis, ut à tergo cognoscātur. Si supponat taxillos adulteratos, si plura in se puncta numeret, & pauciora in adversario. Si primum locum occuper, cum ad aliū pertinet, si defraudet numerando pecuniam amissam, si arte componat chartas, ut non casu, sed ex tali dispositione meliores sibi contingant, si fingat se habere chartas quas non habet, & adversario id credente, & non curante sua fictione lucretur, si ab aliquo ex circunstantibus notitiam per signa accepit de chartis adversarij, ut scire possit quando acceptare, vel recusare debeat adversarium augentem sponsionem. Hæc enim, & alia similia sunt fraudes illicitę, & cum illis lucrantes tenentur ad restitutionem Lugo, *supra n.* 34.

Sed quæres, an qui per fraudes injustas lucratus 1205
erat, & restituere tenebatur, si consequenter cum eodem ludendo tantundem perdat, teneatur amplius restituere? Respondeo affirmative, & hoc sive in eodem ludo cum eodem collutore id perdat, sive cum eodem in alio ludo. Ratio est quia singulæ sortes, sunt distincti contractus independentes à præcedentibus, in quibus uterque ludens subit novum periculum. Ita Lugo, *sup. n.* 19. Escobar, *lib.* 40. *n.* 27. Quidquid dicat Armilla, *verbo ludus, n.* 7. & probabile putat Sanchez. *lib.* 1. *consil. c.* 8. *dub.* 19. *n.* 5.

An autem prædictis fraudibus lucrans, possit ex 1206
lucro illo restituendo deducere, si qui dedit pro chartis, pro lucernis, bellariis, & etiam honorarium, hoc est, *o que deu de barato?* Respondeo posse deducere, quod dedit pro chartis, lucernis, bellariis, & his similibus, quia id ex utriusque consensu solet deduci. Secus dicendum est de honorario, hoc est, de eo quod dedit *de barato*; siquidem in eo dominus non consensit, & nemo ex alieno sine consensu domini donare potest, nisi forte bona fide putans lucrum justum donavit, alias non donaturus, atque ideo ditior non est factus: nam tunc etiam non tenebitur restituere. Ita Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 27. *dub.* 2. *n.* 7. Diana, *p.* 7. *tract.* 9. *resol.* 51. & 54. Adverte tamen quod si fraudibus ludens colluſorem vi traxit ad ludum, non posse prædicta auferre à lucro restituendo, quia hic cum invitus ad ludum ductus fuerit, non censetur in illis consentire, ut infra dicemus. Ita Trullenc. *sup. n.* 7. Diana, *sup.*

SECTIO IV.

De tertia conditione ad justitiam ludi, nempe ut alter alterum per injuriam non traxerit ad ludum.

SUMMARIUM.

1207 *Ad justitiam ludi requiritur libertas.*
1208 *An qui nolentem vi traxit ad ludum teneatur quod in ludo lucratus est restituere.*
1209 *Sententia negativa satis probabilis est.*
1210 *Idem dicendum est de illis, qui postquam amiserunt cogunt colludentes persistere in ludo; ut pecuniam deperditam iterum lucrentur.*

DIco primò: tertia conditio ad justitiam ludi est, 1207
libertas. Unde qui alterum ad ludum trahit invitum vi, minis, & convitiis, vel precibus importunis æquivalentibus, peccat mortaliter, in hoc conveniunt DD. An autem teneatur ad restitutionem 1208
illius, quod in ludo lucratus est? Affirmat cum communiori sententia Lugo, *de justitia d.* 31

*n.*28.& cum Leſſio, Sanchez, & aliis, Trullenc. *lib.*7. *c.*27.*dub.*2.*n.*2.Eſcobar, *lib.*5.*Decal.n.*105. Et ratio illorum eſt, quia metu trahens ad ludum eſt alteri cauſa damni per injuriam: ergo tenetur ei damnum,cujus fuit cauſa reſtituere,à qua obligatione excuſant tractum per injuriam, ſi forte lucratus ſit, quia compellens per injuriam à ſe illatam cenſetur cedere iuri ſuo.

1209 Verùm licet hæc ſententia communior ſit, ſatis etiam probabilis eſt ſententia excuſans etiam trahentem per vim,minis,vel precibus ad ludum:nam licet per injuriam,traxerit, & ei teneatur ſuo modo ſatisfacere, contractus tamen ſiat juſtus;æquè enim uterque colluſor perdere, & acquirere potuit, & æque ſufficiens fuit conſenſus, quamvis meticuloſus in altero,ita & bene cum Saa,Molina, Garcia, Rodriguez,Bonacina,*d.*2.*reſtitutione q.*3.*p.*2. *n.*9. & probabile putat cum Hurtado,Villalobos,Diana, 1. *p. tract.*3,*miſcellan.reſol.*37.Trullenc.*ſup.n.*2.Tam-

1213 burinus,*in Decal.lib.*8.*tract.*2. *c.*9.§.1.*n.*5.Et idem dicendum eſt de illis, qui poſtquam amiſerunt aliquam pecuniam ſolent colluſores in medio ludi cogere ad perſiſtendum in ludo, ut ab eis pecuniam perditam iterum acquirant. Ita cum prædictis doctoribus probabile putat Trullenc. *ſup.n.*2. quamvis in priori ſententia contrarium ſit dicendum cum illius authoribus.

SECTIO V.

De quarta conditione ad juſtitiam ludi, ſcilicet ut æqualis ſit utriuſque ludentis conditio.

SUMMARIUM.

1211 *Ut ludus ſit licitus requiritur ut æqualis ſit ludentium conditio.*

1212 *Habens decem nummos non poteſt primo jactu cum eadem perſona lucrari viginti.*

1213 *In toto ludo poteſt quis plus lucrari quam perdere.*

1214 *An detur inæqualitas,ſi Petrus ludat pro ſe, & Joanne, hac conditione, quod Joannes,ſolvat dimidium jacturæ,& ſolum acquirat tertiam lucri partem?*

1215 *Qui fingit ſe poſitivè imperitum ludendi,ut inducat alium inferiorem ad ludendum cum æquali conditione,tenetur ad reſtitutionem.*

1210 DIco primò ad juſtitiam ludi requiritur, ut æqualis ſit ludentium conditio, tum in capitali,tum in peritia ludi.Unde per ſe loquendo,quis lucrari non poteſt pluſquam colluſor ab eo lucrari

1211 queat, v.g. habens decem nummos aureos,non poteſt primo jactu, & cum eadem perſona lucrari viginti,vel quindecim,quia æqualis debet eſſe utriuſque conditio. Unde cum alter exponit capitale, ſi perdit ſtandum eſt capitali minori alterius,non enim poteſt plus lucrari, quam ſit ſuum capitale. Excipe ſi neutri conſtet, cujus capitale majus ſit, & rem fortunæ committant:nam tunc ſive capitalia æqualia ſint, ſive non, lucratur totum capitale. Ita cum Sanch. Lopez,& aliis communiter Lugo,*de juſtitia d.*31.*n.*51.

1212 Dixi primo jactu : nam in toto ludo, poteſt quis plusluctari, quam perdere, ſiquidem poteſt in primo jactu lucrari quatuor, ſi quatuor habeat,& in ſecundo jactu lucrari octo, cum jam octo habeat, uno debet tamen in principio fingere ſe habere, multam pecuniam: nam tunc alterum deciperet, niſi forte eam habeat in potentia, quatenus eam poteſt ab alio ſibi mutuare, vel perdere credito.Ita cum Sanchez, Lopez, Beja, Toleto, Diana, *p.*1. *tract.*8.*reſol.*67.Tamburinus,*lib.*7.*Decal. tract.*2. *c.*9.§.1.*n.*16. Dixi & cum eadem perſona:nam cum 1213 diverſis, certum eſt poſſe plus lucrari, quam habeat, ut ſi cum duabus ludens, exponat decem, lucratur viginti, quia in eo caſu exponit pecuniam ſuam duplo majori periculo. Ita Molina,*d.*519.*n.*4. & cum Bañes,Soto, Diana Escobar, *lib.*40. *Decal. num.*27.

An autem detur inæqualitas, ſi Petrus ludat pro 1214 ſe, & Joanne, cum hac conditione, quod Joannes ſolvat dimidium jacturæ, ſolum acquirat tertiam lucri partem; Reſpondeo negative, quia in ſocietate, qui operam,& induſtriam apponit, & rurſum dimidium capitalis, plus debet de lucro participare, & minus damni ſentire, cum ſemper amittat operam, & induſtriam: ergo idem dicendum eſt in ludo,ſiquidem tanta poteſt eſſe induſtria Petri in ludendo, ut alij ut illum ſocium habeant,totam indulgentiam hanc ei concedant. Tum quia ita ſæpe provenit ex liberalitate Joannis, qui partem majorem lucri illi concedit, cum medietatem jacturæ ſolvere velit. Ita Lugo, *d.*31.*juſtitia,n.*52.Eſcobar *lib.*40.*Decal.n.*110.contra Sanchez, *de ludo,caſ.*8. *dub.*23.Alcozer.*de ludo c.*44.

Dico ſecundò: qui fingit ſe poſitive imperitum 1215 ludendi, ut inducat alium inferiorem ad ſecum ludendum cum æquali conditione, certum eſt teneri ad reſtitutionem. Et ratio eſt, quia hic intervenit dolus, & fraus injuſta, in inæqualitate peritiæ ludi: ergo datur obligatio reſtituendi. Ita cum Navarro, Sylveſtro, Ledeſma,Sanchez,Molina,& aliis,communiter Lugo,*de juſtitia d.*31.*n.*32. Tamburinus, *lib.*8.*tract.*2.*c.*9.§.1.*n.*4.Aliter dicendum eſt quando neuter alterius peritiam noritnam tunc etſi unus alterum maxime excellat, non tenetur ad reſtitutionem; cum ambo æquali periculo commiſerint. Ita cum communi ſententia Lugo,*ſup.n.*43. An autem cognito clare exceſſu, debeat is, qui excellentior eſt à ludo d iſtere? Reſpondeo negative, ſive ipſe ſolus cognoſcat exceſſum, ſive etiam ejus adverſarius: nam cum abſque fictione procedat, ſi adverſarius adhuc vult continuare ludum,id potius fortunæ, quam majori peritiæ tribuens, nullam ei injuriam facit; cenſetur enim cedere juri ſuo. Et idem dicendum eſt quando alter clare ſciens alterum eſſe magis peritum,adhuc vult cum eo ludere. Ita Salas, & alij apud Dianam,*p.*7.*tract.*9.*reſol.*27. & 31.Tamburinus,*ſup.n.*4 Azor.*p.*3.*lib.*3.*cap.*25. *q.*4.Sanchez, *c.*8.*dub.*13.*n.*7. contra Lugum,*d.*31. *n.*50.Molina,*d.*517.Eſcobar.*lib.*40.*Decal.n.*118.

SECTIO IV.

Utrum qui ludit animo non ſolvendi poſſit lucrari?

SUMMARIUM.

1216 *Siquis ludat animo non ſolvendi,altero id ignorante, poteſt retinere quod lucratus eſt.*

1217 *Si quis fingat ſe habere pecuniam in crumena cum non habeat,nec animum ſolvendi,cum tamen ſolvere poſſit, ſi velit, hic licite poteſt lucrum retinere.*

1218 *An*

Digitized by Google

1218 *An unus possit ludere pecunia credita, ludente altero pecunia numerata?*

1216 DIco primò: Si quis, sive credito, sive numerata pecunia animo non solvendi ludat, altero id ignorante, potest retinere quod lucratus est; Ratio est, quia minus solvendi, vel non solvendi, vel non repetendi solutum, vel repetendi postea solutum, ex beneficio legis repetitionem concedentis, non est necessarius ad valorem contractus ludi, sicut nec animus solvendi votum, vel non petendi dispensationem est ad ejus valorem necessarius; ergo sine tali animo contractus fuit validus, & potuit ludens jus acquirere ad lucrum, sicut conjux valide contrahit matrimonium, & acquirit jus ad corpus, & ad fidem uxoris, quamvis ipse contrahat cum animo non servandi uxori fidem promissam. Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Lugo. *d.* 31. *justitia*, *num.* 53. Escobar. *lib.* 40. *Decalogi. num.* 124. contra Tamburinum *lib.* 8. *Decalogi*, *cap.* 9. § 1. *num.* 14. Lessium, *cap.* 26. *n.* 31. & alios.

1217 Et idem dicendum est, si quis fingat se habere pecuniam præsentem in crumena, cum nullam habeat, nec animum etiam solvendi, cum tamen solvere possit, si velit, hic enim licitè potest lucrum retinere; quia si penderet teneretur solvere, & sicut si pecuniam adulterinam, & falsam poneret pro vera, teneretur etiam solvere veram, si perdidisset; ita si finxit se habere pecuniam in crumena, quam non habet, teneretur postea solvere, ac per consequens sicut potest perdere, ita & lucrari. Ita Sanchez *dub.* 5. *num.* 3. Covarr. *lib. de ludo*, *p.* 3. *cap.* 14. Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi. cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 8. probabile putat Escobar. *lib.* 40. *num.* 126.

1218 contra Lugum, *d.* 31. *de justitia. num.* 58. An autem unus possit ludere pecunia credita, ludente altero pecunia numerata? Respondeo affirmativè; non enim adest inæqualis conditio, cum ludens numerata cedat juri suo; Ita cum Reginaldo, Bonacina, Trullenc. *suprà numero* 8. Lugo, *d.* 31. *numero* 57.

SECTIO VII.

Utrum is qui ludendo ad creditum perdidit, teneatur ad restitutionem?

SUMMARIUM.

1219 *Qui data fide solvendi perdidit in ludo, tenetur jure naturæ in conscientia solvere, seclusa jure civili.*

1220 *Qui ludo vetito lege humana perdidit, non tenetur in conscientia solvere, stando in jure communi Cæsareo.*

1221 *Quid dicendum sit de jure Castellæ?*

1222 *An si uterque ludens renuntiet his legibus, cedatque juri suo, possit alteruter non solvere, & solutum repetere?*

1223 *In Lusitania pecunia promissa in ludo, etiam prohibito solvenda est lucranti.*

1219 DIco primò: qui perdit in ludo, data fide solvendi, stando in jure naturæ, seclusa omni lege Civili, tenetur solvere in conscientia. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia omne promissum, quod licitè adimpleri potest, servandum est. Tum etiam, quia contractus ludi jure naturæ est licitus, & validus, unde habet transferendi dominium; ergo, &c.

Dico secundò: qui ludo lege humana vetito perdidit; non tenetur in conscientia solvere, quod perdidit credita pecunia stando in jure communi Cæsareo, nisi fortè juraverit se solvturum, quod perdidit. Ita cum Sanchez, Navarro, Lessio, Villalobos, Diana, *part.* 1. *tractat.* 3. *miscellan. resolut.* 8. *& part.* 2. *tractat.* 5. *miscellan. resol.* 94. Bonacina *de restitutione*, *d.* 2. *quæst.* 3. *part.* 5. *n.* 2. Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi tract.* 2. *cap.* 9. §. 1. *num.* 11. contra Sayram, *in Clavi Regia*, *libr.* 9. *cap.* 13. *num.* 21. Rebellum, Sanchez, Valentiam, & alios apud Bonacinam, *supr. num.* 2. Ratio est, quia jure Cæsareo *Authent. ut Alearum. Cod. de religiosis*, *& sumptibus funerum*, sancitur ut victus non cogatur solvere; atqui parum est non cogi in foro externo, si cogatur in foro interno; ergo. Dixi nisi fortè juraverit, quia tunc ratione juramenti tenebitur solvere, cum juramentum sit de re licita. Poterit tamen illud Episcopus, vel alter habens potestatem relaxare, etiam absque partis consensu. Ita Henriquez, *lib.* 7. *de irregularitate*, *cap.* 36. *num.* 7. Trullenc. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 14. *& libr.* 7. *cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 6. 1220

Dico tertiò: in Regno Castellæ, & in aliis, ubi non solum datur lex prohibens ludere credito, etiam ludis alioquin permissis, sed etiam irritans prædictum contractum, non tenetur, qui perdidit solvere; etsi solvit, potest solutum repetere; si tamen libere solvat, qui lucratus est potest solutum recipere, & retinere, donec in judicio ab eo repetatur. Prima pars est certa, quia talis lex prohibet, & irritat talem contractum, & promissionem. Secunda verò pars probatur, quia licet tales leges irritent prædictum contractum, & liberent victum ab obligatione solvendi, nunquam tamen irritavere dominij translationem. Tum quia ita viri doctissimi has leges interpretantur. Ita cum Villalobos, Salon, Sanchez, Diana, Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi*, *cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 4. & cum Molina, Veiga, Aragonio, & aliis, Escobar, *lib.* 40. *Decalogi*, *num.* 140. Tamburinus *lib.* 8. *Decalogi*, *tract.* 2. *cap.* 9. §. 1. *num.* 13. 1221

An autem si uterque ludens renuntiet his legibus, & aliis similibus, cedátque juri suo, possitne alteruter non solvere, & solutum repetere? Respondeo, quod si non intervenit juramentum posse; quia huic juri facto in favorem boni communis cedere nullus valet. Dixi si non intervenit juramentum; nam si intercessit, tenebitur ratione juramenti. Trullenc. *sup. num.* 6. Excipe si in Lusitania, ubi juramentum adjectum promissionibus, & aliis contractibus, omnino irritatur, ut in materia juramenti latius diximus. 1222

Dico quartò: in hoc Lusitaniæ Regno, pecunia promissa in ludo, etiam prohibito in conscientia solvenda est lucranti. Et ratio est, quia jure naturæ pecunia promissa ludo perdita, est solvenda, nisi lege prohibeatur; sed in hoc Regno, leges non prohibent talem promissionem, nec illam irritant, sed solum prohibent tales ludos, quæ lex, quo ad hoc est consuetudine abrogata, ut *suprà* diximus; ergo qui ludit pecunia credita, tenetur solvere in conscientia: unde in hoc Regno, non poterit fieri in hoc casu compensatio, sicut in Regnis, ubi talis promissio prohibetur, & irritatur. Ita in simili casu Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi*, *cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 5. 1223

Digitized by Google

SECTIO VIII.

Utrum acquiſita ludo prohibito obnoxia ſint reſtitutioni?

SUMMARIUM.

1224 *Lucrans ludo prohibito non tenetur lucratum reſtituere ante ſententiam judicis.*

1225 *Si victor impediat judicem vi, vel fraude, ne eum per ſententiam obliget ad reſtitutionem, tenetur reſtituere, ſecus ſi alio modo.*

1226 *Qui ludo prohibito aliquid amiſit, poteſt illud in judicio repetere intra tempus ſibi à lege conceſſum.*

1227 *Etiam in locis, in quibus lex concedit victo repetitionem coram judice, non poteſt victus ſibi occultè compenſare de re ludo prohibito perdita, nec alterum obligare ad reſtitutionem ante ſententiam judicis.*

1224 Dico primò: lucrans ludo legibus prohibito non tenetur lucratum reſtituere antequam victus petat coram judice, & à judice condemnetur. Ratio eſt, quia de jure naturæ ut *ſuprà* diximus non tenetur lucrans reſtituere, cum ludus ſit contractus licitus, ſed aliæ leges, ſive juris communis, ſive municipiales, vel non irritant tranſlationem dominij, vel ſi irritant, ſunt jam conſuetudine abrogatæ, ſed ſolum concedunt reſtitutionem in judicio poſt ſententiam, imò in Luſitania reſtitutio non eſt facienda victo, vel accuſatori, & fiſco, ut advertit Molina, *d.* 115. *n.* 2. & patet ex ordinatione, *lib.* 5. *tit.* 82. *num.* 8. Ergo lucrans ludo legibus vetito, non tenetur lucrum reſtituere, ante judicis ſententiam, ſed poteſt illud retinere. Ita cum communi ſententia Lugo *de juſtitia*, *d.* 31. *num.* 60. & cum multis Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 27. *dub.* 3. *num.* 3. Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 9. §. 1. *n.* 8.

1225 Dico ſecundò: Si victor impediat Judicem vi, vel fraude ne eum per ſententiam obliget ad reſtitutionem tenetur reſtituere; ſecus ſi alio modo. Ratio eſt quia victor non tenetur reſtituere, niſi poſt ſententiam; ergo quocunque modo impediat ſententiam, ſi id vi, vel fraude non faciat, non tenetur ad reſtitutionem; quod verum eſt, etſi judex inique eum non condemnet. Ita cum Mol. Leſſio, & aliis, Lugo *ſup. n.* 62. Trullenc. *ſup. n.* 3. An autem ſi reus interrogatus à judice neget veritatem, & propter id non condemnetur, teneatur ad reſtitutionem? Reſpondeo negative, ſi de facto non fuit condemnatus, & hoc ſive id neget juſte, quia ſcilicet caſus eſt omnino occultus, ut recte ait Molina *d.* 514. quod etiam probabile putat Leſſius, *cap.* 26. *lib.* 2. *dub.* 3. *n.* 21. Salas *dub.* 27. *n.* 3. Sive injuſte, quia eſt ſemiplena probatio, de quo alibi. Ita cum Sanchez, Trullenc. *ſup. n.* 3. & 7. Lugo *ſuprà n.* 63.

1226 Dico tertiò: Qui ludo prohibito aliquid amiſit, poteſt illud repetere in judicio intra tempus ſibi à lege permiſſum. Ita communiter DD. & hoc verum eſt, & ſi his legibus renuntiaverit abſque juramento, ut ſupra diximus, & tenet Lugo *ſup. num.* 63. Eſcobar *lib.* 40. *Decalog. n.* 133. & alij communiter. Quia hæc lex ſtatuta eſt in bonum commune, cui particularis non poteſt renuntiare. Hoc tamen non procedit in Luſitania, nam lex Luſitana non concedit victo facultatem repetendi, ſed ſolum præcipit condemnationem applicandam fiſco, & accuſanti, ut *ſuprà* diximus.

1227 Dico quartò: etiam in illis locis ubi lex concedit victo repetitionem coram judice, non poteſt victus ſibi occultè compenſare de re ludo prohibito perdita, nec alterum obligare ad reſtitutionem ante ſententiam judicis. Ratio eſt, quia prædictæ leges ſolum præcipiunt reſtitutionem poſt ſententiam judicis in pœnam; ſed nemo tenetur ſolvere pœnam; niſi poſt ſententiam; ergo. Ita Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi*, *tract.* 3. *cap.* 9. §. 1. *num.* 9 & cum Sanchez, Leſſio, & aliis, Trullenc. *ſup. num.* 6. Poterit tamen victus licitè uti compenſatione, ſi per vim, vel per fraudem aliquid ab eo fuit lucratus. Trullenc. *ſuprà n.* 6. Poterit etiam minari victori repetitionem à judice. Etſi lucratum reſtituerit, poteſt illud retinere, etſi comminatus fuit, habuerit animum repetendi coram judice, ſi quidem verè habet jus repetendi, cui juri ipſe victus cedit. Tamburinus, *ſup. num.* 10. & cum Palao, Trullenc. *ſup. num.* 6. Diana, *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 34.

SECTIO IX.

De Sponſione.

SUMMARIUM.

1228 *Quid ſit Sponſio deſcribitur.*

1229 *Hic contractus ex natura ſua eſt licitus, dummodo ſervetur æqualitas.*

1230 *Qui certo ſcit rem de qua certatur, non poteſt facere ſponſionem.*

1231 *Quid ſi res tantum ſit nota ex opinione probabili?*

1232 *Quid dicendum de eo, qui rem ſciens, poſtea dubitare incepit?*

1233 *Sponſiones cum conditione illicita ponenda ab ipſo ſpondente ſunt illicitæ.*

1234 *Si quis ſpondeat ſe non peccaturum, altero ita affirmante, talis ſponſio eſt licita.*

1235 *Quid ſi ſponſio fieret de peccato ab alio tertio committendo?*

1236 *Si quatuor aſpirent ad idem officium, ſi quis cum ſingulis certet ſeparatim eos non adepturos officium, juſtè lucratur ſponſionem.*

1237 *Cenſus vitalitius licitus eſt.*

1238 *Si Petrum ſpondeat cum Paulo quod illum in ſaltu ſuperabit, & poſtea Paulus nollet currere, tenetur ſolvere ſponſionem.*

1228 Dico primò: ſponſio eſt contractus, in quo duo de veritate, vel eventu rei contendentes ſibi viciſſim aliquid ſpondent, ut ejus ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus. Hic contractus ex natura ſua 1229
eſt licitus, dummodo ſervetur æqualitas, id eſt, quod eventus ſit utrique incertus, & uterque in eodem ſenſu accipiat id, de quo certatur, abſitque dolus, & fraus, unde qui certo ſcit rem de qua certatur, vel ex ſcientia, vel divina revelatione, vel 1230
ex ſenſuum experientia, non poteſt licitè ſponſionem facere, quia non eſt æqualis conditio ex parte utriuſque; at ſi res tantum ſit nota ex opinione probabili, aut ſignis, indiciis, conjecturiſve pro- 1231
babilibus, aut ex fide ſolum humana, licita erit ſponſio, quia hæc omnia poſſunt fallere cum certam cognitionem non pareant, ſed ſolùm probabilem. Lopez. *part.* 2. *inſtr. cap.* 18. Sanchez, *tom.* 1. *Opuſculi*, *cap.* 8. *dub.* 3. vnde ſi quis ex ipſo Pontifice ſciret aliquem creandum eſſe Cardinalem, adhuc poſſet

Digitized by Google

poſſet ſponſione certare, quia voluntas Pontificis, ſæpè mutari ſolet Diana, *part. 7. tract. 9. reſol. 67.* & alij.

1232 Idem dicendum eſt de eo, qui certò rem ſciens poſtea dubitare incepit, quia ſaltem in ſua æſtimatione ſeſe alicui periculo expoſuit, etiam ſi alios ex ſua pertinacia verè amittat. Imò ſi unus dixerit ſe rem certò ſcire, & de facto certò ſciat, nihilominus alter contendat, perſeveretque in ſuo dicto, licitè poteſt ſpondere, & lucrari: nam alteri eſt imputandum, qui voluntariè voluit amittere. Ita cum Navarro, Sanchez & aliis, Trullenc. *lib. 7. c. 27. Decalogi, dub. 6. num. 1.* An autem, qui putans rem certò ſcire ſpondet, cum tamen certus reipſa non ſit, fortè tamen contingit, poſſit retinere lucrum? Reſpondeo poſſe, quia licèt ille ex conſcientia erronea rem putaret certam, revera eventus erat incertus, & fortè contigit; peccavit tamen mortaliter ſic ſpondendo, propter conſcientiam erroneam. Molina, *diſp.* 508. Bonacina, *de reſtitutione, d. 3. part. 1. n. 18.* Eſcobar, *lib. 40. Decalogi, num. 11.* Diana, *part. 7. tract. 9. reſol. 68.*

1233 Dico ſecundò: ſponſiones cum conditione illicita poſitæ ab ipſo ſpondente, ut quod plus altero potabit, quod occidet Petrum, ſunt illicitæ, quia ſpe lucri homines inducuntur ad peccandum. Ita cum Azor. Filliuc. Diana, *p. 7. tract. 9. reſ. 69.* Si tamen de facto ſic illicitè ſpondens ſcelus illud committat, & propter id, ſponſionem lucretur, non tenetur reſtituere, etſi peccatum fuerit contra juſtitiam, quia pretium non fuit datum pro peccato committendo, ſed pro eventu futuro, ſicut non eſt Simonia ſponſionem facere circa beneficium Eccleſiaſticum obtinendum, vel non obtinendum à Petro propter eandem rationem. Lugo *ſupr. num. 75.* Cavendum tamen eſt ne prætextu ſponſionis, pallietur promiſſio, ut ſi quis ſponſione certaret cum electore affirmans ſe non fore eligendum, ut ipſe elector lucri deſiderio, ipſum eligeret, ut non jam ſemel accidiſſe teſtatur Lugo, *ſupr. num. 75.* & alicubi audio practicari, quamvis non credam.

1234 Dico tertiò: ſi quis ſpondeat ſe non peccaturum, altero id affirmante, talis ſponſio eſt licita; quia lucrum ſperatum magis impediet ſpondentem à peccato committendo. Lugo *ſupr. num. 75.* Et idem dicendum eſt, ſi ſponſio fiat de peccato ab alio tertio committendo; peccaret tamen qui ob illud lu-
1235 crum optaret fieri peccatum, vel ad id opem, vel conſilium daret. Ita cum Sanchez, & aliis, Lugo, *ſupr. num. 75.* Non erit etiam illicita de jure naturæ ſponſio ſuper eventu futuro, qui cum damno proximi eveniret. Verbi gratia, quod Petrus intra annum morietur, vel quod non fiet Epiſcopus, quia licet ſpondenti detur occaſio optandi mortem Petri, vel carentiam Epiſcopatus, id per accidens eſt. Ita cum Sanch. & aliis, Lugo, *d. 31. n. 74.* Excipe niſi ſponſio fieret circa mortem, vitam, vel creationem ſummi Pontificis, vel Cardinalium promotionem, nam hujuſmodi ſponſio prohibita eſt, & irrita fuit à Gregorio XIV. ſub excommunicatione ſibi reſervata ut teſtatur Lugo, *ſupr. num. 9.* Vnde lucrum in hoc caſu reſtituendum eſt, cum ſit ex contractu irrito. Lugo *ibi.*

1236 Dico quartò: in caſu, quo plures, verbi gratia, quatuor aſpirant ad idem officium, ſi quis cum ſingulis ſeparatim certet, eos non adepturos officium, juſtè lucratur ſponſionem, nec tenetur reſtituere, quamvis neceſſario debeat vincere tres, nec poſſit vinci, niſi ab uno. Et ratio eſt, quia contractus cum ſingulis fuit juſtus, & expoſitus lucro, & damno; ergo per concomitantiam cum contractu inito cum alio non fuit injuſtus. Ita cum Sanchez, Lugo, *d. 31. de juſtitia, num. 87.* Eſcobar, *lib. 41. Decalogi, num. 49.* contra Ledeſmam, *in ſumma, tom. 1. tract. 32. cap. 2. diffic. 2.* Villalobos, *tom. 2. tract. 28. diffic. 6. num. 3.* Dianam, *tom. 3. tract. 4. miſcellan. reſol. 185.*

Dico quintò: cenſus vitalitius licitus eſt, quia 1237
eſt virtualis ſponſio, quæ nititur fortuito eventui, an quis tandiu ſit victurus, ut recipiendo quotannis partem, ſit denique recepturus pluſquam dedit. Ita cum Filliucio, & aliis Diana, *part. 7. tract. 9. reſol. 70.* Et idem dicendum eſt; ſi pater det alicui 1238
mercatori centum cum pacto, etſi filia recens nata pervenerit ad annum 13. teneatur reddere 300. reducitur enim hic contractus ad ſponſionem de futura vita. Ita cum Philiarco, Scaccia, Diana, *p. 7. tract. 9. reſol. 71.* Et idem dicendum eſt de contractu, quo Petrus dat alicui 100. ea lege, ut hic teneatur reddere 10. ſi poſt duos annos in patriam redierit, vel uxorem duxerit, &c. Ita cum Azorio, & aliis, Diana; *ſuprà reſol. 72.* Vel ſi det 100. eo pacto, ut ſi poſt annum vixerit reddantur 200. ſin autem moriatur nihil reddatur; æquali enim ſe periculo lucri, & damni utrinque exponunt ad eventum incertum. Ita cum Azor. & aliis Diana, *ſuprà reſol. 73.*

Dico ſextò: ſi Petrus ſpondeat cum Paulo, quod 1238
illum ſaltus, vel curſu ſuperabit, & poſteà Petrus nollet currere, tenetur ſolvere ſponſionem; quia per eum ſtat, quod curſus non fiat, & cenſetur adimpleta conditio. Ita cum Azor. Filliucio, Eſcobar. *lib. 40. Decalogi, num. 13.* Adverte tamen hoc ſolum verum eſſe, quando fit per modum ſponſionis, & quaſi concertãdo de veritate rei, non tamen ſi fiat per modum provocationis ad ludum tali pœna, vel præmio addito, nam in hoc caſu ante inceptum ludum non eſt obligatio incipiendi. Lugo, *d. 31. n. 89.* Diana, *p. 7. tract. 9. reſol. 66.*

SECTIO X.

De Sortibus.

SUMMARIUM.

1239 *Quo ſenſu in præſenti ſortes ſumantur?*
1240 *Ponitur diffinitio contractus ſortium.*
1241 *Si fraudes abſint, & inæqualitates ſortium, contractus eſt licitus.*
1242 *Quomodo procedendum ſit in contractu ſortium, quod ſolet fieri in hoc regno?*

PRo explicatione hujus ſectionis adverto, hic 1239
non eſſe ſermonem de ſortibus divinatoriis, quando ſcilicet per eas inquiritur de futuro eventu, nec de ſortibus conſultoriis, quibus inquiritur Divinum Conſilium; de his enim egimus in primo præcepto Decalogi; ſed ſolum eſt ſermo de ſortibus diviſoriis, ut cum ſortes mittuntur ad aliquod commune alicui adſcribendum, vel inter multos dividendum; ut quando dividenda eſt hæreditas inter plures, & quia inter ipſos non convenit, quam partem quiſquam debeat accipere; ſortibus id committunt. Filliucius, *tract. 37. num. 35. & 360* his ergo ſuppoſitis,

Dico primò: contractus ſortium eſt ille, quo ali- 1240
qui jus habentes in re aliqua conveniunt, ut mittantur ſortes quibus conſtet, quiſnam illam debeat obtinere.

Digitized by Google

obtinere. Pro varietate autem, etiam variæ possunt esse sortes. Aliæ enim sunt lutoriæ, ut in ludo, aliæ electoriæ, quæ ad electionem ordinantur, aliæ aliis modis. Porrò electio per sortem in Ecclesiasticis beneficiis prohibita est; secus in aliis rebus. Vnde si reliqua adsint, quæ statim dicemus fieri possunt. Sic sorte eliguntur Virgines, quæ dotem recepturæ sunt ex pluribus habilibus; sic in Conclavi ad electionem summi Præsulis distribuuntur cubicula, & eliguntur, qui, in quo debeat collocari. Filliucius, *tract. 37. num. 37. 39. & 41.*

1241 Dico secundò: si fraudes absint, & inæqualitates sortium, contractus est licitus, quia quod singuli invicem in favorem ceterorum periculo sortis exponant æquale jus ad rem aliquam, vel quam partem ex ea debeant accipere, est commutatio quædam æqualis ac consequenter erit justa. Dixi si fraudes absint; nam si in sortibus mittendis aliquid fiat, quo aliqui eorum, inter quos sortes mittuntur, minùs sint expositi commodo lucrandi, vel periculo amittendi, esset contractus injustus; quare si quis rem ita disponat, ut sors unum contingat determinatum, & non alios, tenebitur restituere reliquis id totum, quod singuli contribuerant. Filliucius, *tractat. 37. num. 39.* Lugo, *d. 31. de justitia, num. 92.* & alij communiter.

1242 Et hinc colliges, quomodo procedendum sit in contractu sortium, quod communiter solet fieri in hoc regno; in quo multi contribuunt ad plures res emendas, ut sorte experiantur, ad quos ex contribuentibus spectare debeant; constituuntur namque primo authoritate publica ministri, qui ab uno quoque, pro qualibet sorte recipiant duos argenteos; Acceptis igitur singulorum contributionibus, soluto primum ex cumulo contributionum eisdem ministris publicis justo laboris stipendio, emptisque & solutis ex cumulo aliquibus rebus pretiosis, eas sortibus committunt in hac forma. Primò scribuntur nomina eorum, qui contribuerunt in schedulis, ita ut uniuscujusque nomine, tot schedulæ mittantur inscriptæ in urnam, quot correspondeant duobus argenteis contributis, & tot mittantur in alteram urnam, inter quos omnes, aliquæ in albo nihil commodi afferentes reperiuntur, aliæ in quibus vas aureum, vel argenteum ei annectitur; hisque sic peractis à puero extrahitur ab una urna sors quædam unius ex contribuentibus nomine inscripta, ab altera verò urna altera extrahitur sors, quæ aliquando est in albo, aliquando eis vas aureum annectitur, prout sors & fortuna cujuscumque ei favorabilior est; hieque contractus, si sine fraudibus, & æqualitate dicta fiat, justus & maximæ recreationis est, & non solum in Lusitania, sed etiam Romæ frequenter fit. Lugo, *d. 31. num. 92.* Escobar, *lib. 40. Decalogi. num. 19.*

DISPUTATIO XXV.

De contractu, seu quasi contractu Societatis.

POST QUAM de contractibus lucrativis, & gratuitis, & de contractibus onerosis, & fortuitis, varie disputavimus, ordo disputationis postulat, ut aliquid de contractibus adminicularijs, seu quasi contractibus suo ordine dicamus, ut hoc opus undequaque maneat perfectum. Sit igitur,

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit societas.

SUMMARIUM.

1243 *Quid sit societas describitur.*
1244 *Multiplex est omnium bonorum societas.*
1245 *Societas variis modis contrahitur, qui ibi explicantur.*
1246 *Contractus societatis licitus est, aliquibus conditionibus servatis, quæ ibi referuntur.*
1247 *Qui hunc contractum inire possint declaratur.*
1248 *Hæc societas potest contrahi ad certum tempus, aliquando ad finem certi negotij, aliquando ad vitam.*

DIco primò: societas est conventio duorum, vel plurium conferentium aliquid pretio æstimabile ad communem usum, vel lucrum. Dicitur conventio; quia hic contractus est juris gentium, & modo, ac solum pactium consensu, sine ulla formula, aut scriptura perficitur. Imò aliquando sufficit tacitus consensus, quando scilicet aliqui habent sua bona communia, & eis eo modo, quo socijin lucro, & damno utuntur. Dicitur conferentium aliquid pretio æstimabile, quia singuli socij aliquid debent conferre in commune, sive pecuniam; sive opera, & industriam, sive instrumenta, ut navim, equos, & hujusmodi, sive animalia, sive alia bona, quæ omnia nomine pretio æstimabilis comprehenduntur. Alioquin si nihil conferant, non possent licitè esse participes lucri, & commodi, quod fit in societate. Dicitur in communem usum, & lucrum, quia per hoc distinguitur hic contractus à locatione, & conductione, in qua pecora traduntur. Verbi gratia, ad custodiam in pascuis, aut pecunia ad negotiandum, ita ut commodum, & lucrum non spectet ad utrumque, tanquam quid commune, sed solum ad tradentem pecuniam, & conducentem alterius operam pro certo stipendio illi conferendo; in contractu tamen societatis requiritur, ut damnum, & lucrum sit commune, quantum est ex vi societatis, ita tamen ut fiat divisio lucri secundum proportionem sortis collatæ à singulis, nisi aliter conventum fuerit. Ita cum communi sententia Decastillus, *lib. 2. tract. 13. d. 1. num. 3.* Basæus, *verbo Societas, num. 1.* Gibalinus, *tom. 2. de usuris, lib. 5. cap. 2. art. 1. n. 11.* 1243

Dico secundò: multiplex est omnium bonorum societas; alia negotiationis, cum duo, vel plures ex negotiatione lucrum quærunt. Alia artis, ut cum unus ex sociis exercet artem, & alter facit expensas. Alia animalium, alia officiorum, ut cum quis officio fungitur, & alios sibi socios adjungit, quibus communicat fructus ex officio. Alia est viri, & uxoris, Alia fratrum inter se, de quibus latè Mol. *disp. 412.* Filliuc. *tract. 38. n. 9.* Azor. *3. p. lib. 9. cap. 1.* 1244

Dico tertiò, societas variis modis contrahitur. Primò ex parte finis, sic contrahitur ad usum tantum, aliquando ad lucrum tantum, ut in negotiatione, aliquando ad utrumque, ut in matrimonio. Secundò ex parte materiæ, & sic contrahitur societas omnium bonorum, vel lucrorum duntaxat, vel certæ alicujus partis bonorum, vel certæ negotiationis. Tertiò ex parte temporis, alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia usque ad finem certi negotij. Mol. *d. 412.* Less. *lib. 2. c. 25. dub. 1.* 1245

Dico 4. Contractus societatis licitus est servatis duobus, 1246

duobus, primum ut quisque sit expositus periculo perdendi suum capitale v.g. qui pecuniam exposuit, si forte pereat absque culpa socij, suo domino pereat, nisi aliter juste conventum sit; nam in hoc contractu dominium pecuniæ non transfertur in alios socios, sed manet semper apud priorem dominum, qui illam exhibuit, alias non esset societas, sed mutuum; unaquæque autem res suo domino periit, & qui poluit laborem, & industriam, si casu nihil lucri obveniat, laborem perdat, salva pecunia alterius. Altera conditio est, ut in lucro dividendo computetur quantum valet labor, & industria, & quantum etiam periculum hoc valeat, quod labor, & industria semper perdatur, dum nihil est lucri, at pecunia non, nam salva manere potest. Ita Navarr. *cap.* 17. *n.* 255. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 41. & cum Villalobos, Azor, Salon, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 24. *d.* 1. *n.* 5.

1247 Dico quinto: Hunc contractum inire possunt omnes illi tantum, qui de rebus suis habent facultatem libere disponendi; unde filius potest inire societatem cum patre de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, non vero de bonis profectitiis, aut adventitiis, exceptis illis adventitiis, in quibus ususfructus non pertinet ad patrem. Potest etiam filius inire societatem cum patre, ita ut pater ponat pecuniam, filius vero operam, & industriam, modo filius proprio nomine, & periculo negotietur, usus autem fructus lucri spectabit ad patrem, donec pater vixerit, eo vero mortuo absolute pertinet ad filium, ex *l. cum oportet Cod. de bonis.* Dixi modo filius negotietur, nomine proprio, nam si negotietur nomine patris, cum pecunia patris, totum lucrum pertinet ad patrem, & idem dicendum, si negotietur simpliciter, nam in dubio censetur negotiari nomine patris *l. fin. ff. quando tutor.* Si vero negotietur proprio nomine, totum lucrum pertinet ad filium *l. unum ex socijs §. si quid unus ff. pro socio.* Pupillus autem, & minor non potest societatem inire absque tutoris, & curatoris licentia. Excipe si minor contrahat in suam utilitatem, & tunc potest restitutionem in integrum petere, si notabiliter læsus sit. Possunt tamen fratres societatem inire, salvo jure patris. Religiosus autem non potest societatem inire, sicut nec contrahere. Nec medicus cum infirmo, durante infirmitate. Nec advocatus cum cliente, nec tutor, vel curator cum pupillo, vel minore; nec hi qui detinentur in carcere in sui perniciem, omnibus enim his, leges contradicunt. Bonacina *d.* 3. *quæst.* 6. *p.* 2. *de contractibus*, & cũ multis Decastillus *lib.* 2. *tract.* 13. *d.* 1. *a n.* 38. *usque ad* 49.

1248 Dico sextò: Hæc societas potest contrahi ad certum tempus, aliquando contrahitur ad finem certi negotij, aliquando ad vitam. Ad hæredes autem hic contractus non transit, etiam si expresse conventum sit, ut hæredes in eandem societatem succedant, at si socij juramento promiserint se continuaturos contractum cum hærede, tenentur si ipse velit. Similiter si testator instituat hæredem cum obligatione, ut societatem continuet, tenetur si eam acceptat. Lessius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 5. Salon *tom.* 2. *art.* 1. *de societate*, qui ait societates de reditibus regijs, vel reipublicæ transire ad hæredes. Vide Villalobos 2. *p. tract.* 26. *diff.* 10.

SECTIO II.

Vtrum in societate licitum sit pactum cum sociis, ut salvam præstent sortem, & reddant quotannis lucrum parvum pro incerto magno?

SUMMARIUM.

1249 *Non licet contractus societatis, in quo qui apponit pecuniam paciscitur per solum ipsum contractum societatis, ut periculum capitalis sit penes accipientem.*

1250 *Quid si contractui societatis annectatur assecuratio capitalis, & venditio periculi?*

1251 *Non est opus ut hujusmodi contractu expresse fiant, sed satis est si fiant tacite, & implicite.*

1252 *An societas in qua quis apponit pecuniam, alter vero solam operam, & industriam, sit vera societas, vel locatio operarum?*

DIco primò: Non licet contractus societatis, in quo qui apponit pecuniam paciscitur per solum ipsum contractum societatis, ut periculum capitalis sit penes accipientem; qui enim sentit commodum debet sentire incommodum. Ita definitum est *in bulla Sixti V.* & tenent communiter, DD. 1249

Dico secundò: Contractui societatis annecti possunt alij duo, scilicet assecuratio capitalis, & venditio periculi v. g. Si Petrus consignasset centum aureos apud Paulum mercatorem ad negotiandum inito contractu societatis, ut Petrus apponat pecunias; & Paulus industriam, ex negotiatione autem posset uterque accipere pro se duodecim ex lucro. Deinde Petrus iniit cum Paulo mercatore alium contractum assecurationis capitalis, & paciscuntur inter se, ut Paulus accipiat quatuor pro assecuratione capitalis, ita ut jam tantum remaneant octo pro Petro, octo tamen dubia subjecta fortunæ, neque enim certum, ut supponimus, totum id lucrum fore percipiendum; Petrus ergo volens habere aliquod certum securum luctum, etiam si minus sit, quam illa octo, quæ non certo poterat sperare, iniit tertium alium contractum cum Paulo mercatore assecurationis lucri, seu potius vendit illi illa octo incerta, pro quinque certis, & jam de primo ad ultimum, positis his contractibus, habet in eo casu Petrus pro centum pecuniæ appositæ quinque in singulos annos, & securum capitale centum, quod apposuit; quod autem totum hoc sit licitum probatur; quia omnes hi tres contractus seorsim sumpti sunt liciti; ergo etiam sunt liciti, si simul sumantur, dummodo ex alio capite servetur æqualitas, nempe ut tantum, & non amplius detur pro assecuratione capitalis, quanti æstimatur ipsa assecuratio prudentis arbitrio, & judicio, & tantum, & non amplius detur de lucro minori certo, quanti æstimatur lucrum majus incertum; sic videtur colligi *ex cap. per vestras de donat. inter virum, & uxorem*, & tenet cum Sylvestro, Navarro, Molina, Reginaldo, Covar. Salon, Mantica, Lessio, Valentia, Decastillus *lib.* 2. *tract.* 16. *d.* 2. *n.* 438. Basæus *verbo societas, n.* 1. Diana *tr. de contract. reso.* 3. *p.* 1. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 2. *n.* 1 contra Azor. Rebellum, Sotum, & alios quos refert, Decastillus *sup. n.* 438. 1250

Nec opus est ut hujusmodi contractus expresse fiant, 1252

cum Bonacina, Salon, Villalobos, & aliis Trullenc. *ſuprà num.* 5. Decaſtillus *ſuprà numer.* 112. eſt enim id magis juri conforme, juxta *lib. ſecundum Julianum l.* 1. *fratres* §. *ſi quis ex ſociis ff. pro ſocio*, quidquid dicant Angeles Rebellus, Baldus, & alij, quos refert Decaſtillus, *ſuprà num.* 111. Idem dicendum eſt de expenſis factis à ſocio in curatione morbi, quem ex cauſa ſocietatis contraxit, modo ſumptus non fuerint ſuperflui. Ita ex *l. Julianum*, & ex aliis viribus colligit Molina, *d.* 118. Et idem dicendum eſt de expenſis, quæ ſocius fecit pro defendenda pecunia, aut re ſocietatis, vulneratus à latronis in vulnera curanda, id enim patitur ex cauſa proxima ſocietatis. Decaſtillus *ſup. n.* 115. Et idem dicendum eſt quando unus ex ſociis iter agens, cauſa ſocietatis, à Turcis captus fuit, & pecunia redemptus, nam alij tenentur ad ratam pecuniæ, qua ſe redemit. Decaſtillus *ſup. n.* 120. Idem dicendum eſt de eleemoſinis moderatis, quæ unus ſocius apponens induſtriam fecit intuitu felicis exitus ſocietatis. Trullenc.

1259 Dico tertiò: Quando pro conſervatione mercium, vel capitalis, vel acquiſitione lucri, faciendæ ſunt aliquæ expenſæ, nec poteſt extrahi pecunia ex ſocietate ad eas expenſas faciendas, tenetur ſocius non ſolum ex charitate, verum etiam ex juſtitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere pecuniam ad eas faciendas; quia ſocius ratione contractus ſocietatis, tenetur eam diligentiam exhibere, quam adhibuiſſet circa res proprias, ſed pro conſervandis rebus propriis, acciperet propriam pecuniam, vel ab aliis mutuo peteret; ergo. Ita cum Molina, Leſſio, Layman, Decaſtillus *ſup. n.* 121. Ius tamen illi competit repetendi à ſociis, quod inſumpſit gerendo negotia ſocietatis. Ita cum Leſſio, Molina, Reginaldo, Salon, Decaſtillus, *ſup. n.* 122. Baſæus *verbo ſocietas numer.* 10.

SECTIO V.

De requiſitis ad ſocietatem circa animalia.

SUMMARIUM.

1260 *Variis modis contrahitur hæc ſocietas qui explicantur.*

1261 *Ad ſocietatem animalium tres conditiones requiruntur, quæ explicantur.*

1262 *Iniqua eſt ſocietas, in qua traduntur animalia paſtori cum pacto ut ea cuſtodiat, & paſcat, & ſemper ſerventur in eodem numero, ita ut ſi aliqua pereat compleatur numerus ex fœtibus, & paſtor in fine annorum ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum.*

1263 *Illicita eſt ſocietas, in qua quis tradit Petro duas vaccas cum pacto, quod in fine temporis præſcripti lucrum dividetur, pretium vero illarum tradatur Franciſco juxta æſtimationem, quam vaccæ habebunt tempore conditionis, niſi gravamen juſta mercede compenſetur.*

1264 *Socius, cujus culpa animalia tradita cum æſtimatione ſimpliciter perierunt, tenentur ad reſtitutionem illorum juxta æſtimationem, quam habent tempore amiſſionis.*

PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono variis modis poſſe tradi alicui animalia. Primo vendendo illa, ſecundo lucrando, Tertio tradendo illa in cuſtodiam. Quarto ut meliora efficiantur, & meliora facta, ut ſint utrique communia, de quibus, & aliis modis vide Trullenc. *lib.* 7. *capite* 24. *dub.* 3. *à num.* 1. Tandem traduntur alicui animalia ad commune quæſtum, & lucrum, & hoc eſt vera ſocietas, quæ poteſt etiam variis modis iniri. Primo ut ſinguli ſocij confera nt ad æqualitatem animalia, laborem, & induſtriam, & ſolvant expenſas, & dum nam in ſocietate facta, quæ ſocietas dicitur cujuſdem rationis, ac proinde in hac ſocietate lucrum, & damnum debet eſſe commune. Secundo hæc ſocietas poteſt eſſe diverſæ rationis, quando ſcilicet unus confert animalia, & alter induſtriam. His ſuppoſitis, 1260

Dico primò: Ad ſocietatem animalium, tres conditiones requiruntur. Prima ut unuſquiſque ſociorum aliquid conferat in ſocietatem, ſive conferat animalia, ſive cuſtodiam, ſive induſtriam. Hæc enim eſt natura ſocietatis, ut quiſque ſociorum aliquid conferat in commune. Secunda ut ſervetur æqualitas, ita ut damna, & expenſæ, & lucro provenientia ex cauſa ſocietatis, ſint communia, prout aliquis plus, vel minus, in ſocietatem contulit. Tertia eſt ut animalia ſtent periculo apponentis, ita ut ſi pereant, pereant apponenti, nam apponens eſt dominus, res autem domino periit, hoc tamen intelligitur, niſi periculum animalium in totum, vel in partem, in alterum rejectum ſit; poteſt enim periculum in alterum rejici, facta gravaminis compenſatione per contractum aſſecurationis Ita cum aliis Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 13. *d.* 1. *à num.* 124. *uſque* 127. Trullench. *libr.* 7. *capit.* 24. *dub.* 5. *num.* 8. 1261

Dico ſecundò: Illicitus, & iniquus eſt contractus ſocietatis, quo quis tradit animalia paſtori cum pacto, ut ea cuſtodiat, & paſcat, & ſemper ſerventur in eodem numero, ita ut ſi aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus, & paſtor in fine annorum ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum. Et ratio eſt, quia huic contractui deeſſe videtur æqualitas, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur, quam valeat numerus animalium, illi conſtitutus, & aſſignatus. Secus ſi non pluris ipſius opera, & induſtria æſtimetur. Similiter illicita videtur ſocietas, in qua quis tradit alteri animalia hoc pacto, ut ſi pereant æqualiter pereant apponenti, & recipienti, ſi vero non pereant, capitale detur apponenti, fructus vero æqualiter dividantur; tum quia non ſervatur æqualitas, quia ſors ſtare debet periculo apponentis, niſi alter ſocius periculum ſortis in ſe ſuſceperit per contractum aſſecurationis, aut niſi apponens animalia fecerit alterum ſocium condominum animalium. Ita Azor *c.* 7. *q.* 10. Bonacina *q.* 6. *p.* 5. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 38. *n.* 102. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 24. *dub.* 5. *n.* 11. & 12. 1262

Dico tertiò: Illicita eſt ſocietas, in qua quis tradit Petro duas vaccas, hoc pacto ut in fine temporis præſcripti, lucrum dividatur, pretium vero illarum tradatur Franciſco, juxta æſtimationem, quam vaccæ habebunt tempore conditionis, niſi gravamen juſta mercede compenſetur. Ita cum Bonacina, Trullenc. *ſup. n.* 13. & cum Rebello, Decaſtill. *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 1. *n.* 141. & alij. 1263

Dico quartò: Socius, cujus culpa animalia tradita cum æſtimatione ſimpliciter perierunt, tenentur, 1264

nentur ad reſtitutionem illorum, juxta æſtimationem, quem habent tempore amiſſionis, ſiquidem ad dominum pertinet incrementum, & detrimentum rei, niſi aliud in pactum juſtum deducat. Ita cum Bonacina, Trullenc. *ſup. n.* 4. Decaſtillus *ſup. num.* 139.

SECTIO VI.

Quando incipiat, vel diſſolvatur ſocietas.

SUMMARIUM.

1165 *Quando incipiat ſocietas exponitur.*
1166 *Societas finitur primo tempore conſtituto.*
1167 *Societas finitur ſecundo per renuntiationem.*
1168 *Societas finitur tertio per mortem alicujus ſocij.*
1169 *An non ſolum morte naturali, ſed etiam civili finiatur ſocietas?*
1170 *Societas quarto finitur egeſtate alicujus ſocij, & quando id locum habeat?*

1165 Dico primò: Societas incipit, quando id partes expreſſerunt, quod ſi nihil expreſſerunt; ſtandum erit actibus, qui in ſimili ſocietate fieri ſolent, juxta patriæ uſum. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 24. *dub. ultimo n.* 1.

1166 Dico ſecundò: Diſſolvitur ſocietas primo, finito tempore conſtituto *l. actione* §. *item ff. pro ſocio.* Quod commune eſt omnibus obligationibus, omnes enim, quæ certum tempus, aut negotium habent, eo elapſo, & finito ceſſant. Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 13. *d.* 1. *n.* 168.

1167 Dico tertiò: Secundo modo finitur ſocietas per renuntiationem; res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, naſcitur autem ſocietas mutuo conſenſu; ergo eodem pariter diſſolvetur. Ita cum Filliuc. & aliis Decaſtillus, *ſup. num.* 169. Sufficit autem renuntiatio tacita, qualis cenſetur, ſi quis ſociorum ſeparatim in proprium commodum negotiari incipiat, *l. itaque cum ſeparatim ff. pro ſocio.* Tunc enim cenſetur mutuus conſenſus. Si verò renuntiatio fiat abſque tacito, vel expreſſo conſenſu ſociorum, non valet, ſed quilibet tenetur ſtare contractui, & ſi non ſtetit, reſarcire damna, quantum interetat ſociis ſtetiſſe contractui; ſemper enim ſaltem tacitus conſenſus requiritur ex *l. actio. ne ff. pro ſocio.* Quapropter ſocius qui ante tempus præfixum ſocietati renuntiat, commodum quidem ſocietatis non ſentiet, cum ex parte ſua, jam cedat ſocietati; ſentiet tamen damnum, ſi id fecerit, ſine aliorum conſenſu, vel ſine neceſſitate, juxta *l. actiones, citatam.* Ita cum Rebello, Mol. Layman, Decaſtillus, *ſup. n.* 172. Gomez, & alij, quos refert, Filliuc. *de ſocietate c.* 35.

1168 Dico quartò: Tertio modo diſſolvitur ſocietas per mortem alicujus ſocij *l. verum* § *fin. ff. pro ſocio*, etiamſi ſocietas cum pluribus contracta fuerit. Excipe niſi cautum ſit, ut ſocietas etiam illo decedente in alios perſeveret. Ita cum Filliuc. Decaſtillus, *ſup. n.* 173. Hinc fit ſocietatem non neceſſario tranſire ad hæredes defuncti, etiam ſi deducatur in pactum, ut ad hæredes tranſeat *l. verum in hæredem ff. pro ſocio.* Excipe niſi hæres conveniat cum aliis ſociis; nam tunc cenſetur ſocietas de novo inita, *l. plane ſi hi. 37. ff. pro ſocio.* Sufficitque hoc loco tacitus conſenſus, ut ſocietas continuetur nemine repugnante. Gibalinus *tom.* 2. *de uſuris lib.* 5. *cap.* 2. *art.* 4. *num.* 2. Excipe 2. niſi ſocietas morte ſocij intempeſtive finiatur cum præjudicio rerum, negotiorum, & hæredum, unde non finitur ſocietas morte alicujus ſocij, quando triticum verbi gratia eſt ſeminatum, & nondum collectum, & quando ſocietas eſt circa vectigalia, vel alias reſpublicas conductas: in his namque caſibus tran ſit ad hæredem, modo aptus & idoneus ſit ſocietati. Ita Mol. *d.* 414. Filliuc. *c.* 321. *n.* 9. Decaſtill. *ſup. n.* 175. Gibalin. *ſup. n.* 2.

An autem non tantum morte naturali, ſed etiam civili finiatur ſocietas? Reſpondeo finiri etiam morte civili; ſcilicet per maximum exilium, per deportationem ad inſulas. Decaſtillus *ſup. n.* 176. Gibalinus *ſup. n.* 3. Finitur etiam per profeſſionem ſolemnem in Religione *l. verum* §. *fin. ff. pro ſocio.* Ita cum Molina, Mantica, Azor, Decaſtillus *ſup. n.* 177. Interim tamen dum mors ſocij ignoratur, valent quæ inter in ſocietatis jure aguntur *l. actione* §. *morte.* Decaſtillus *ſup. n.* 173. 1169

Dico quintò: Quarto modo finitur ſocietas egeſtate alicujus ſocij, quod locum habet quando ſocius non poteſt contribuere rem, aut pecuniam, ad quem modum finiendi ſocietatem reducitur caſus, quo bona ipſius ſocij publicantur, aut ære alieno adſtrictus cedit bonis *l. actioni ff. pro ſocio.* Ita cum Azorio, Molina, & aliis Decaſtillus *ſup. n.* 179. Gibalin. *ſup. num.* 4. & 5. Et quod dictum eſt de re, aut pecunia promiſſa, intelligendum etiam eſt de opera, aut induſtria ſocij, quam jam præſtare non poteſt morbo, carcere, captivitate, aliiſque ſimilibus impeditus. Huc accedit quando res, & materia in qua fundatur ſocietas periit, in quo caſu cum ſocietas finiatur, perempta ſorte non tenetur ſocius, etiamſi poſſit, aliam rem ſimilem, aut pecuniam ſubſtituere; quinimo ſocius, qui confert operam, & induſtriam, non tantum liber eſt, quando tota pecunia alterius periit, ſed etiam quando aliqua modica, & exigua remanſit, neque enim cenſetur voluiſſe ſe obligare ad præſtandam in eo caſu operam ſuam longe majoris valoris. Ita cum Rebello, Sylveſtro, & aliis Decaſtillus *ſup. n.* 181. Gibalinus *ſup. n.* 7. & 8. Et quod dictum eſt de re, aut pecunia pereunte, dicendum eſt de re notabiliter variata, ita ut non ſit idonea ad ſocietatem, ut habetur *l. verum* §. *fin. ff. pro ſocio.* 1170

DISPUTATIO XXVI.

De Fidejuſſione.

SECTIO I.

Quid ſit Fidejuſſio?

SUMMARIUM.

1171 *Quid ſit fidejuſſio deſcribitur.*
1172 *Ut fidejuſſio ſit licita debet eſſe contractus acceſſorius ſupponens alium debitorem.*
1173 *Non debet fidejuſſor ad plus obligari, quam debitor principalis.*

1174 *Exi*

Digitized by Google

1174 *Existente invalida obligatione debitoris, nulla debet etiam esse fidejussio.*

1175 *Non debet fidejussor conveniri, nisi facta executione principalis debitoris.*

1171 Dico primò: fidejussio est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit. Perficitur autem hic contractus jure civili verbis, quia sine forma stipulationis, non parit actionem in foro externo, jure tamen canonico, & in foro conscientiæ, non requiritur forma stipulationis, sed sufficit consensus expressus; ut communiter notant DD.

1172 Dico secundò: ad fidejussionis justitiam, quatuor requiruntur conditiones. Prima ut hic contractus sit accessorius, supponens alium debitorem, & aliam obligationem præsentem, vel futuram; ortam sive, ex contractu, vel delicto, vel lege, vel ex judicis sententia, vel ex alio capite. Vnde si quis principaliter pro aliquo se obliget, non est proprie fidejussio, sed assecurationis contractus, ac per consequens, & si principalis debitor ex aliquo justo capite liberetur, ut quia contractus non fuit rite confirmatus à suo superiore, vel quid simile, non liberatur assecurator, siquidem hic non adhibetur in subsidium, & accessorie, sed ut debitor principalis Lugo, *d.* 32. *num.* 2. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 2. & alij communiter.

1173 Dico tertiò: secunda conditio est, ut fidejussor non ad plus obligetur, quam debitor principalis. Non dixi, non plus, sed, non ad plus obligetur: nam fidejussor potest strictius obligari, quam debitor principalis, non tamen ad plus; posset enim obligari cum juramento, hypotheca, instrumento publico, quod DD. vocant, garentigium, eo quod paratam habeat executionem, etiamsi principalis debitor ita non sit obligatus. Et potest obligari naturaliter, & civiliter, licet principalis debitor solum naturaliter sit obligatus, potest se obligare ad pœnam, & ad standum juramento creditoris in litem circa interesse ex mora ipsius fidejussoris in solvendo, licet ad hæc debitor se non obligaverit, non potest tamen ad plus obligari, quam debitor, hoc est, ad majorem quantitatem solvendam, nec in alio loco, vel tempore, nec aliquid determinatum, quando obligatio debitoris erat ad disjunctum. Ita cum Molina, Lugo, *d.* 32. *num.* 4.

1174 Dico quartò: tertia conditio est ut existente invalida obligatione debitoris, nulla sit fidejussio, *l. cum lex ff. de fidejussionibus*, sufficit tamen quod debitor habeat obligationem naturalem, ut fidejussor possit etiam civiliter obligari. An autem fidejussor teneatur in foro externo expectare sententiam judicis, an teneatur solvere ante sententiam judicis? Respondeo regulariter non teneri solvere ante sententiam judicis, nisi ad id se intenderit obligare, & ratio est, quia fidejussor solum se intendit obligare secundum usum receptum, & communem; sed usus communis est, ut fidejussor non solvat, nisi coactus à judice: ergo ita & bene Tamburinus, *de triplici jure lib.* 9. *tract.* 7. *cap.* 1. §. 1. *num.* 11. & alij apud Bonacinam, *de contractibus d.* 3. *quæst.* 9. *p.* 1. *num.* 3.

1175 Dico quintò: quarta conditio est, ut fidejussor conveniri non possit, non facta executione principalis debitoris. Hinc fit fidejussorem hodie, etiam juratum non teneri, nec cogi posse ad solvendum, nisi postquam facta est executio in bonis debitoris. Excipe nisi fidejussor renuntiaverit huic privilegio, vel si constet principalem non esse solvendo, aut procul abesse, & non habere bona in eodem territorio ex quibus sumi pretium ad solvendum possit, vel si fidejussor conventus neget se fidejussorem: nam tunc amittit hoc privilegium, ut prius conveniri principalis debeat, *l. si dubitetur* §. 1. *ff. de fidejuss. & lib.* 4. *ordinationis Lusitanæ, tit.* 59. §. 1. Tamburinus, *suprà numero* 14. Lugo, *suprà numero* 8. & 10.

SECTIO II.

Quis possit fidejubere?

SUMMARIUM.

1176 *Omnes qui bona habent, & eorum liberam administrationem, nec à jure repelluntur, possunt fidejubere.*

1177 *Clerici fidejubere non possunt in Ecclesia præjudicium.*

1178 *Religiosus non potest esse fidejussor, sine prælati & majoris partis capituli consensu.*

1179 *Mulier non potest fidejubere pro marito, & si fidejubeat, fidejussio est nulla.*

1180 *Mulier pro aliis potest fidejubere cum quibusdam solemnitatibus.*

1181 *Mulier potest rescindere etiam validam fidejussionem, si voluerit uti privilegio Velleiani.*

1182 *In aliquibus casibus, qui referuntur non potest mulier uti privilegio Velleiano.*

1183 *Qui extra hos casus aliquid recipit à muliere fidejubente, totum ei tenetur restituere.*

1176 Dico primò: omnes, qui bona habent, & eorum liberam administrationem, nec à jure repelluntur, possunt fidejubere. Hinc pauperes, pupilli, filijfamilias, non habentes peculium castrense, vel quasi castrense, religiosi, à fidejubendi munere repelluntur, minor vero 25. annis, si pro aliquo fidejubeat obligatur naturaliter, potest tamen obligationem elidere per beneficium restitutionis in integrum, pro patre tamen carceri addicto efficax est obligatio, quia ad id tenetur. Reginaldus, *lib.* 25. *numero* 220. Filliucius, *tractatu* 38. *numero* 156. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 2. *numero* 11. Tamburinus, *de triplici jure lib.* 9. *tractatu* 7. *cap.* 1. §.... *numero* 1. Lugo, *disputat.* 32. *numero* 14.

1177 Dico secundò: Clerici fidejubere non possunt in Ecclesiæ præjudicium; ex consuetudine tamen pro aliis clericis, & suis Ecclesiis possunt ex bonis patrimonialibus, & fructibus beneficiorum, quos faciunt suos, ita tamen quod relinquatur congrua, *cap. Odoardus de solut.* Filliucius, *tractatu* 38. *numero* 158. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 2. *num.* 19. Prohibentur tamen fidejubere pro laïcis extra necessitatem sub pœna depositionis, si fiat frequenter, *cap. te quidem* 11. *quæstion.* 1. At si fidejubeant tenet fidejussio, *cap. ultimo de fidejussionibus.* Possunt tamen fidejubere clerici pro laïcis, si adsit urgens necessitas in causa dotis, vel si non fide jubendo daretur aliquod animæ, vel corporis periculum, *d.* 540. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 28. *numero* 19. Lugo, *d.* 32. *numero* 13. Escobar, *lib.* 41. *Decalog. numero* 113. In casibus tamen, in quibus clerici possunt fidejubere, non possunt coram judice laïco conveniri, Ita Bonacina, Riccio, quos refert, & sequitur Trullenc. *lib.* 7. *capitul.* 26. *dub.* 1. *numero* 9.

Dico tertiò: Religiosus non potest esse fidejussor 1178

sine prælati, & majori partis capituli consensu, & si aliter factum sit, conventus non tenetur, nisi quatenus versum est in ejus utilitatem? imò in re magni momenti repellitur ipse superior à fidejussione, nisi major capituli partis consensus adsit, *cap. quod quibusdam de fidejussione*, Lessius, *suprà dub.* 2. *num.* 10. Bonacina, *d.* 3. *de contract. p.* 2. *num.* 2. Sanchez, *in Decalogum lib.* 6. *cap.* 14. *à num.* 38. Escobar, *lib.* 4. *Decalog. num.* 19.

1279 Dico quartò: mulier non potest fidejubere pro marito, & si pro illo fidejubeat, fidejussio est nulla. Pro aliis vero valide fidejubere potest, cum quibusdam solemnitatibus, cum instrumento publico, adhibitis tribus testibus, cum subscriptione hanc tamen
1280 fidejussionem, & si validam, potest ipsa mulier, si voluerit rescindere, si voluerit uti privilegio Sena-
1281 tus consulti Velleiani, sed ante sententiæ executionem, & tunc ipsa ad nihil obligabitur, etiam in foro conscientiæ Lugo, *d.* 32. *numero* 11. & alij communiter.

1282 Quinque tamen casus excipiuntur, in quibus mulier non potest uti privilegio Velleiano. Primò si pretio conducta fidejussit. Secundò si huic privilegio renuntiavit cum juramento, aut coram magistratu. Sed hoc de juramento non procedit in Lusitania, ubi irritum est juramentum, & contractus, cui adjungitur, si sine licentia Regis adhibitum sit ut notat Molina, *d.* 540. *num.* 12. Tertiò si fidejussit pro dote, vel pro suo creditore, vel pro libertate servi. Quartò si fidejussit in fraudem. Quintò si post annum à fidejussione pignus dedit, aut obligationem iterum suscepit. Ita habetur *lib.* 4. *Lusitaniæ ordinationis tit.* 61. §. 1. 2. 3. & 4. Molina, *d.* 540. *n.* 14. *& sequentibus.*

1283 Vnde qui extra hos casus aliquid à muliere fidejubente accepit, totum ei tenetur restituere, quia cum acceptio fuerit invalida, non est translatum dominium Sanchez, *de matrim. lib.* 4. *disp.* 9. *num.* 14. Reginaldus, *lib.* 25. *num.* 220. Rebellus, Gomez, Lessius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina, *d.* 3. *de contractibus quæst.* 9. *p.* 2. & cum aliis Trull. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 26. *dub.* 1. *num.* 4. & 5.

SECTIO III.

An si plures fidejubeant, singuli teneantur in solidum.

SUMMARIUM.

1284 *Quando duo, vel plures pro parte se solum obligant, pro illa solum conveniri possunt.*
1285 *Quid si omnes pro individuo se obligarunt?*
1286 *Qui in solidum convenitur, excipere potest ex epistola D. Adriani, ut quilibet pro sua parte conveniatur.*
1287 *Quid dicendum sit in Lusitania, ubi hæc exceptio non admittitur.*
1287 *Si unus fidejussor totum solvit, potest creditorem compellere, ut sibi cedat actionem quam in reliquos fidejussores habebat.*
1289 *Si conventione non præcedente fidejussor totum solvit, non potest jam creditor hujusmodi actionem fidejussori cedere.*

1284 1285 1286 Dico primò: quando duo, vel plures fidejussores expresse pro parte se obligarunt, pro illa solum converti possunt, si tamen singuli, & omnes pro indiviso se obligarunt, sive exprimendo singuli in solidum, sive non exprimendo, possunt singuli in solidum à creditore conveniri. Qui tamen in solidum convenitur, excipere potest exceptione ex Epistola D. Adriani, ut quilibet pro sua parte conveniatur. Excipe in Lusitania, ubi hæc exceptio non admittitur, nec opus est illi renuntiare, sed prout creditor maluerit ab uno, vel ab omnibus potest totum debitum exigere, ut patet, *ex lib.* 4. *ordinationis tit.* 59. *num.* 4. stando tamen in jure communi, hæc exceptio ex Epistola D. Adriani, debet apponi ante sententiam definitivam, qua solvere videbatur, non competit autem ei, qui vel sponte, vel compulsus per sententiam definitivam solvit, vel si fidejubendo huic privilegio renuntiavit. Verum si unus fidejussor totum solvit, potest creditorem compellere ut sibi cedat actionem, quam in reliquos fidejussores habebat, ut exigat ab illis partes, quas à singulis creditor poterat exigere Lessius, *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 3. Molina, *d.* 644. Reginaldus, *lib.* 25. *numero* 221. Filliucius, *tract. tu* 38. *num.* 163. 1287 1287

Dico secundò: si conventione non præcedente fidejussor totum solvit, non potest jam creditor hujusmodi actionem fidejussori cedere, quia creditor integre satisfactus, nullum jus habent jam contra fidejussores. Vnde solum remanet fidejussori, qui totum solvit actio contra debitorem, & debitor tenetur ei solvere id, quod pro ipso solutum est creditori, & totum interesse, & damnum, quod ea causa emersit Molina, *d.* 544. Lugo, *d.* 31. *num.* 19. 1289

SECTIO IV.

Utrum fidejussor possit agere contra debitorem, ut liberetur à fidejussione?

SUMMARIUM.

1290 *In aliquibus casibus potest fidejussor agere contra debitorem, ut liberetur à fidejussione qui ibi explicantur.*
1291 *Non potest fidejussor agere adversus debitorem, si potest defendere causam exceptione peremptoria, eam non apposuit, aut si potens appellare non appellavit.*
1292 *Si solvat ante diem, vel ante impletam conditionem, petere non potest à debitore.*

1290 Dico primò: fidejussor in aliquibus casibus potest agere contra debitorem, ut liberetur à fidejussione. Primò quando fidejussor condemnatus fuit ad solvendam fidejussionem, *cap. fin. de fidejuss.* Secundò quando debitor vergit ad inopiam, *arg. legis in omnibus ff. de judiciis.* Tertiò quando debitor fuit in mora solvendi post elapsum tempus constitutum ad solvendum. Quartò ubi, & quando de hoc inter contrahentes fuit conventum. Quintò si fidejussor adveniente termino, timore pœnæ, aut aliter offert solutionem, & quia non oportet eam minori creditori dare deponit in loco sacro, & deputato Molina, *d.* 546. Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 8. 9. & 13. Reginaldus, *lib.* 25. *numero* 221. Lugo, *d.* 31. *numero* 20.

1291 Dico secundò: non potest fidejussor agere adversus debitorem, pro quo solvit, si potens defendere causam exceptione peremptoria, quæ debitori competebat, eam non apposuit, aut si potens

Digitized by Google

potens appellare non appellavit, aut ſi ſolvit procuratori facto creditoris, quia tunc vere non ſolvit creditori. Item ſi cum poſſet monere debitorem de ſolutione jam facta, non monuit, & ideo debito iterum ſolvit. Denique ſi ſolvat ante diem, vel ante
1292 impletam conditionem, petere non poteſt a debitore; etiam ſi exceptionem ſolum dilatoriam, vel declinatoriam non oppoſuerit, vel exceptionem, etiam peremptoriam, quæ fidejuſſori competebat, & non debitori principali, ſi vero e contra exceptio peremptoria competebat debitori, & non fidejuſſori, petere poterit, quando ea exceptio non competit etiam adverſus creditorem principalem; ſed de his vide late Mol. *d.* 546. *n.* 14.

SECTIO V.

Utrùm fidejuſſor aliquando liberetur ab obligatione fidejuſſionis?

SUMMARIUM.

1293 *Fidejuſſor qui ſe tantum ad aliquod tempus obligavit liber manet, ſi creditor prorogavit terminum debitori.*

1294 *Fidejuſſor qui ſe obligavit ad Petrum exhibendum, liberatur ab hac obligatione, ſi Petrus pro quo fideiuſſit poſt fidejuſſionem perpetravit crimen capitale propter quod aufugit.*

1295 *Fidejuſſor liberatur ab onere fidejuſſionis, ſoluto debito à debitore principali.*

1296 *Si fidejuſſor ſolum fuit indemnitatis liberatur, ſi adveniente tempore exigendi debitum, debitor negligens fuit in eo petendo, & poſtea debitor factus eſt impotens.*

1297 *Fidejuſſor qui fidejuſſit pro reo, cui periculum capitis, vel mutilationis impendebat, reo fugiente abſque illius culpa capite plectendus non eſt.*

1293 Dico primò: Fidejuſſor, qui ſe tantum ad aliquod tempus obligavit v. g. ad annum liber manet à fidejuſſione, ſi creditor prorogavit terminum debitori, obligatio namque non ſe extendit ultra partium conventionem, ſi tamen fidejuſſor ſe obligavit ſimpliciter ſine determinatione temporis non manet liber ab obligatione fidejuſſionis; quia obligatio indefiniti temporis lapſu non tollitur *l. Celſus, ff. de arbitris.* Azor *p.* 3. *lib.* 11. *c.* 12. *q.* 12. Saa, *verbo fideiuſſio. n.* 5. Navarr. *de reſt. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 160. Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 9. *p.* 1. *n.* 7. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 26. *dub.* 2. *n.* 1.

1294 Dico ſecundo: Fidejuſſor qui ſe obligavit ad Petrum exhibendum, & conſtituendum, liberatur ab hoc onere, & obligatione, ſi Petrus pro quo fidejuſſit, poſt fidejuſſionem perpetravit crimen capitale propter quod fuit condemnatus, vel proſcriptus, & aufugit *l. ſed & ſi quis, ff. ſi quis caut.* Leſſius *c.* 28. *dub.* 7. *n.* 4. Bonacina *ſup. n.* 9.

1295 Dico tertiò: Fidejuſſor liberatur ab obligatione fidejuſſionis, ſoluto debito à debitore principali. Excipe niſi id, quod in ſolutum datum eſt poſtea evincatur. Secundo liberatur fidejuſſor remiſſione creditoris, vel ſi fidejuſſor ſuccedat debitori in bonis, ut eius hæres; ſi tamen obligatio fidejuſſoria utilior erat creditoribus, quam obligatio debitoris, ut ſi arctius obligatus eſſet, & firmiori obligatione, perſeverat hæc obligatio, quoad illum exceſſum. Lugo *d.* 31. *n.* 22.

Dico quartò: Si Fidejuſſor ſolum fuit indemnitatis, hoc eſt, qui datos fidejuſſores pro debitore principali profitetur illos habere bona competentia ad debitum integre ſolvendum, & in caſu quo non habeant ipſe ſolvet quod defuerit, qui Luſitane dicitur, *Abonador*; liberatur, ſi adveniente tempore exigendi debitum creditor negligens fuit in eo petendo, & poſtea debitor factus eſt impotens. Et idem dicendum eſt, ſi ſolum fidejuſſiſſet debitorem habere ſufficientia bona unde ſolveret, quamvis poſtea ante terminum ſolutionis caſu aliquo fortuito inops factus eſſet; ſolum enim allecuravit ſtatum præſentem, non fortuitum futurum. Molin. *d.* 546. *n.* 13. Si vero fuit fidejuſſor communis, ſi ante impotentiam debitoris fidejuſſor requiſivit creditorem, ut adveniente termino ab eo exigeret, & creditor ob negligentiam omiſit, ſi poſtea debitor factus eſt impotens, fidejuſſor liberatur, ſi non renuntiavit beneficio Authent. Secus ſi non requiſivit creditorem ante debitoris impotentiam Lugo *d.* 31. *n.* 21. & Gomez, Mol. *d.* 546. *n.* 13. 1296

Dico quinto: Fidejuſſor, qui fidejuſſit pro reo, cui periculum capitis, vel mutilationis impendebat, reo fugiente abſque illius culpa capite plectendus non eſt, nec pœna mutilationis, aut flagellationis afficiendus; quia hæc ſunt criminum ſupplicia, non ſolutiones debitorum. Unde ex hujuſmodi fidejuſſione ſolum obligabitur ad pœnam pecuniariam poſt ſententiam judicis. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 7. *n.* 42. Sylveſter *verbo fidejuſſor q* 6. *n.* 6. Eſcobar *lib.* 41. *Decal. n.* 25. 1297

SECTIO VI.

Utrum fidejuſſor poſſit pecuniam accipere à debitore pro fidejuſſione?

SUMMARIUM.

1298 *Fideiuſſor licite poteſt pecuniam accipere pro fideiuſſione.*

1299 *Ponitur quoddam corollarium.*

1300 *Debitor tenetur ſolvere non ſolum debitum, quod fideiuſſor pro eo ſolvit, ſed omnes expenſas, & damna, quæ ipſe ſubiit, modo culpa debitoris interceſſerit.*

Dico primò: Fidejuſſor licitè poteſt pro fidejuſſione pecuniam recipere; quia hujuſmodi onus, & obligatio, quam in ſe ſuſcipit eſt pretio æſtimabilis; neque quis tenetur eam gratis ſuſcipere quod verum eſt, etſi fidejuſſor nullum periculum, vel moleſtiam ſubeat fidejubendo, quia pecunia, ſeu pretium recipitur pro obligatione ſolvendi pro debitore, quæ obligatio cum civilis ſit, & foro externo ſubjecta pretio eſt æſtimabilis Navarr, *ſumma c.* 17. *n.* 185. Azor *p.* 3. *lib.* 11. *c.* 12. *q.* 5. Reginald. *lib.* 25. *n.* 218. Saa, *verbo fideiuſſio. n.* 1. Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 9. *p.* 1. *num.* 11. & cum Salon Trullenc. *lib.* 7. *c.* 26. *dub.* 2. *n.* 5. 1298

Hinc fit creditorem poſſe etiam aliquid licite accipere à fidejuſſore volente ſe à fidejuſſionis obligatione liberare; quia fidejuſſio eſt pretio æſtimabilis, non ſolum ratione obligationis, ſed etiam ratione periculi, cui ſe exponit creditor debitum amittendi. Ita cum Azorio, Covarruvias, Saa, & aliis Trullenc. *ſup. n.* 5. 1299

Dico ſecundò: Debitor tenetur non ſolum reſtituere debitum, quod fidejuſſor pro eo ſolvit, ſed 1300

omnes

omnes expensas, & damna, quæ ipse subiit, modo culpa debitoris intercesserit, si autem nulla debitoris culpa intercesserit, sed non solvit ob impotentiam, non tenetur solvere expensas, vel damna, sed tantum debitum principale. Ratio est, quia non adest radix ob quam ad hujusmodi restitutionem sit obligandus. Ita Azor *p.3.lib.11.cap.22.quæst.10.* Bonacina *de contract. d.3.quæst.9 p.1.n.13.* Sylvester, *verbo fidejussor, num.11.* & alij.

DISPUTATIO XXVII.

De Pignore, & Hypotheca.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit pignus?

SUMMARIUM.

1301 *Quid sit pignus describitur?*
1302 *In quo differat ab hypotheca ostenditur.*
1303 *Pignus prout comprehendit etiam hypothecam dividitur in conventionale, prætorium, & judiciale.*
1304 *Quid sit pignus conventionale, prætorium, & judiciale?*

1301 DIco primò: Pignus est res, quæ traditur creditori ad securitatem crediti. Hypotheca vero est res, quæ obligatur creditori ad securitatem crediti. 1302 Differt autè pignus ab Hypotheca in eo, quod pignus traditur creditori, unde frequenter solet fieri in rebus mobilibus. Hypotheca vero non traditur, sed res hypothecata remanet in manu debitoris; obligata tamen ipsi creditori, quod communiter fieri solet in rebus immobilibus, quamvis etiam mobilia possint hypothecari, & immobilia oppignorari, ut advertit Lugo, *d.23.n.23.* Alia differentia est, quod pignus semper est res determinata, siquidem traditur in manu creditoris. Hypotheca vero cum non tradatur, licet possit esse res determinata, ut fundus, &c. quo casu dicitur hypotheca particularis, aliquando tamen potest esse res indeterminata, ut quando imponitur in omnibus bonis præsentibus, & futuris; quo casu vocatur hypotheca generalis. In utroque autem casu dominium rei remanet apud eum, qui pignus, vel hypothecam dat; per quod distinguitur hypotheca à re censui subjecta; nam hæc subjectio non est propriè hypotheca, in qua nullum transfertur dominium, sed venditio partialis dominij utilis illius fundi, ut notat Lugo, *d.27.de justitia num.20.*

1303 Dico secundò: Pignus, prout etiam comprehendit hypothecam, dividitur in conventionale, prætorium, & judiciale; conventionale est, quod solum partium conventione fit. Prætorium est quando judicis mandato ante sententiam ob contumaciam alicujus, alter contendentium mittitur in possessionem, seu tentionem rei illius; per eam quippe immissionem comparat jus in rem illam, eaque res sortitur rationem pignoris prætorij. Iudiciale vero est, quando unus contendentium in executione sententiæ prius latæ mittitur in possessionem rei alterius, ut satisfiat. Mol. *d.528.num.5.* & cum aliis Escobar *lib.41. Decalog. num.28.*

SECTIO II.

Quis possit oppignorare, & quæ bona?

SUMMARIUM.

1305 *Prælati possunt subjicere hypothecæ universali omnia bona Ecclesiæ.*
1306 *Non solum res, quæ existunt, & vendi possunt, sed quæ sperantur, ut fructus pendentes, &c. possunt oppignorari.*
1307 *De jure Lusitano res pretiosæ Ecclesiæ, ut lampades, cruces &c. non possunt oppignorari sub gravi pœna, quæ ibi refertur.*

1305 DIco primò: Subjicere res pignori, vel hypothecæ possunt, qui possunt alienare; Prælati tamen quamvis sine justa causa, ac debita solemnitate non possint bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare, nec subjicere pignori, aut hypothecæ particulari, possunt tamen in contractibus, quos alias possunt celebrare, subjicere omnia bona Ecclesiæ hypothecæ universali. Ita cum communi sententia Mol n *d.519.n.13.* Lugo *d.32. de justitia, n.27.* An autem creditor, qui rem in pignus accepit, possit eam oppignorare alteri? Respondeo affirmative, præscindendo ab alia implicita, vel tacita conventione; quia potest jus suum, quod in eo pignore habet, non tamen amplius, alteri in pignus dare; at ubi primum ipse solutionem accepit, desinit secūda oppignoratio; quia desinit prima, in qua fundatur secunda. Lessius *lib.2.cap.28.dub.7.n.44.* & cum multis Bonacina *d.3.de contractibus quæst.3.p.2.num.6.*

1306 Dico secundò: Subjici possunt pignori, & hypothecæ, non solùm omnes res corporeę, quæ existunt, & vendi possunt, sed etiam quæ futuræ sperantur, ut fructus pendentes, pecorum fœtus, ancillarum partus, etiam si nondum fuerint concepti, imo jura, nomina debitorum, seu debita, quæ ad aliquem pertinere videantur, usus fructus, emphyteusis, sine præjudicio tamen proprietarij, census, vectigalia, jurisdictio. Mol. *d.529.* Lessius *lib.2.cap.28.d.7.* Bonac. *de contractibus d.3.q.10.p.1.n.5.* Illa autem nō possunt subjici pignoti, vel hypothecæ, quæ vendi nequeunt ut Ecclesia, cœmeterium, sepulchrum, jus patronatus, mobilia pretiosa cultui divino dicata, ut calices, casulæ, res publica, ut plateæ, & alia usui communi deputata, imo homo liber, nisi in casibus, in quibus in servitutem legitime redigeretur; potest tamen dari obses in causa belli, ut fietur pactis. Filliuc. *tr.38.cap.9.quæst.5.* Lessius *lib.2.cap.28.dub.7.*

1307 Dico tertiò: de jure Lusitano, non solum calices, & casulæ, & alia cultui divino dicata, sed etiam lampades, & alia hujusmodi aurea, & argentea, quæ vocantur *loias* Ecclesiarum, aut monasteriorum, non possunt dari in pignus, etiam in casibus jure præmissis, nisi res prius Regi manifestetur, atque id ex ejus facultate fiat, alioquin cogitur accipiens, id gratis Ecclesiis restituere & insuper novies valorem ejus rei, ut patet ex Ordinatione *lib.2.tit.24. imo l.3.tit.86.§.23.* prohibentur oppignorari, *os Desembargadores, Cavallarios, e fidalgos em os camalos que saon necessarios pera suas pessoas, nas armas, e proprios vestidos, e camas e de suas molheres, eo mesmo se dispoin dos que trasen armas, e cavalos per sa serviso de Rei, nem nos bois do arado dos lauradores, ou na semente, que tem pera semear* de quo videre potes prædictam legem, & Molin. *d.530.num.8.*

SECTIO

SECTIO III.

Vtrum fructus pignoris debeat in ſortem computari?

SVMMARIVM.

1308 *Si res fructifera detur in pignus, fructus pignoris ſunt computandi in ſortem.*
1309 *Quædam corollaria proponuntur.*
1310 *In aliquibus caſibus poteſt pignoratarius accipere fructus ex pignore, & quales ſint?*
1311 *An in pignoribus licitum ſit pactum legis commiſſoriæ?*
1312 *Quid ſi fiat pactum, quod debitore non ſolvente debitum in ſuo termino, pignus remaneat venditum pro juſto pretio, an ſit hoc pactum licitum?*

1308 DIco primò: ſi aliqua res fructifera detur in pignus, ſive pro mutuo, ſive pro alio debito, fructus pignoris ſunt computandi in ſortem. Et ratio eſt, quia res domino ſuo fructificat, ſed dominium pignoris remanet apud debitorem; ergo fructus ad debitorem ſpectant, & ei debentur dari, vel in ſortem computari, niſi ſit alius titulus eos extra ſortem accipiendi, ut damni emergentis, lucri ceſſantis, pœnæ conventionalis juſtæ. Ita cum Molina, Leſſio, Salas, & aliis communiter, Lugo, *de juſtitia, d.* 25. *num.* 130. Quæ reſolutio procedit, non ſolum de fructibus perceptis, ſed etiam de illis, quos creditor ex negligentia ſua non percepit. Sylveſter, *verbo Pignus, quæſt.* 12. *num.* 11 Reginaldus, *lib.* 25. *n.* 593. & cum Bonacina, Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi, cap.* 16. *num.* 22. debent autem fructus computari in ſortem deductis expenſis, & labore creditoris. Ita cum Mercado, Salas, Veiga, Toleto, Lugo, *ſupr. num.* 130.

1309 Hinc fit creditorem non poſſe uti pignore cum damno debitoris, niſi adſit illius expreſſus, vel tacitus conſenſus; ſiquidem creditor non habet jus utendi re aliena cum damno Domini. Secus ſi non adſit damnum, ut quando pignus uſu non conſumitur, quale eſſet vas argenteum, torquis aureus, ſecus ſi veſte uteretur, niſi forte ſemel, aut iterum, nec à tineis corroderetur, præſumitur enim tunc tacitus domini conſenſus, niſi aliàs dominus omnino nolle judicaretur. Adverte tamè creditorem utentem pignore de conſenſu domini, debere in ſortem computare valorem uſus, ut ſi equo uteretur; alioquin committeret uſuram, niſi præſumatur dominum conceſſiſſe gratis, ut in uſu vaſis argentei, libri, &c. Ratio eſt quia ut diximus fructus pignoris debent in ſortem computari, deductis expenſis; ſed iſte uſus eſt fructus pignoris, & prætio æſtimabilis; ergo ſi non computetur in ſortem, deductis expenſis, committeret creditor uſuram; ſiquidem ob dilationem ſolutionis, aliquid ſuprà ſortem reciperet. Ita cum Sylveſtro, Salon, Navarro, Bonacina, Trullenc. *ſuprà num.* 22.

1310 Dico ſecundò, in aliquibus caſibus poteſt pignoratarius accipere fructus ex pignore, non computando eos in ſortem. Primò gener, quando fundus ei datus fuit à ſocero in pignus, ob dotem, quam dandam poſt aliquos annos promiſerit, & interim ipſi pignus dedit; ut patet *ex cap. ſalubri-*

ter de uſuris, de quo vide latè Lugum, *d.* 25. *à num.* 152. Secundò poteſt recipere fructus ex pignore, non computando illos in ſortem, dominus directus fundi, quando feudatarius ob aliquod debitum dedit ei in pignus feudum, ut habetur *in capite primo de feudis, & cap. conqueſtus de uſuris*; de quo, & de ejus limitationibus, vide Lugum *ſup. num.* 140. Et idem cum eiſdem limitationibus poteſt etiam dominus directus, ſi fortè emphyteuta illi oppignoraret prædium conceſſum in emphyteſim. Lugo, *ſuprà numero* 146.

1311 An autem in pignoribus licitum ſit pactum legis commiſſoriæ, *titulo ff. de lege commiſſoria*, ſecundum quam dabatur pignus ea lege, ut ſi debitor intra certum terminum non ſolveret, pignus pro ipſo debito, vel pro certo pretio fieret creditoris, debitore nimirum incidente in commiſſum amittendi pignus? Reſpondeo negative. Reprobatur namque, & irritum redditur hoc pactum in omnibus pignoribus. *l. ultim. Cod de pactis pignor. & cap. ſignificante de pigno.* Et meritò, quia aliquando pignus eſt majoris valoris, quam creditum. Vnde ad pericula injuſtitiæ amovenda rectè hujuſmodi pactum leges reprobarunt, Lugo, *d.* 25. *num.* 176. & cum aliis communiter Tamburinus, *de triplici jure, libr.* 9. *tractat.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 2.

1312 An autem ſi fiat pactum, quod debitore non ſolvente debitum in ſuo termino, pignus remaneat venditum, non pro credito, nec pretio aliquo determinato, ſed pro pretio juſto, quod tunc curret, vel quod boni viri arbitrium ſecundum occurrentes circumſtantias decernetur, reddito exceſſu, ſi quis remaneat, licitum ſit? Reſpondeo affirmativè, ſi tale gravamen imponatur, ut creditor habeat ſuum, indemniſque reddatur; quilibet namque juſte poteſt poſtulare ſecuritatem ſuæ rei; ſed hoc pactum ſolum ponitur ad ſecuritatem rei, ut ſuppono, & non ad habendum plus, ſicut cum poſtulatur fidejuſſor, & hypotheca in bonis debitoris ad ſecuritatem debiti; ergo ita Molina, *d.* 324. & cum aliis Lugo, *d.* 25. *de juſtitia, num.* 176. Tamburinus, *de triplici jure, lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 4.

SECTIO IV.

An ſi res data in pignus, vel hypothecam varietur, remaneat pignus, & quomodo reddendum?

SVMMARIVM.

1313 *Si remaneat aliquid de ſubſtantia rei oppignoratæ, id manet ſemper in pignus.*
1314 *Si nihil ex variatione de ſubſtantia remanſit, ſed tantum aliquid pertinens ad rei qualitatem, res non remanet pignori ſubjecta.*
1315 *Si res oppignorata in melius varietur remanet tota pignori ſubjecta.*

PRo explicatione hujus ſectionis ſuppono; rem oppignoratam, ſive ſit fructifera, ſive non, poſſe variari, vel in pejus, ut ſi vinea, verbi gratia, deſtruatur, domus corruat, ſilva cædatur, vel in melius, ut ſi vinea de novo plantetur, domus amplior efficiatur, &c. His ſuppoſitis,

1313 Dico primò: ſi res oppignorata in pejus varietur, ita tamen quod aliquid pertinens ad ejus ſubſtantiam maneat, remanet oppignoratum, id quod de ſubſtantia ejus ſuperſit, dum in aliam diverſam formam non fuerit mutatum. Verbi gratia, cæditur ſilva remanet oppignoratum ſolum, & ligna, quæ ſunt partes ſubſtantiales ſilvæ; at ſi ex lignis fiat navis, jam non manent oppignora-
1314 ta, quia in aliam formam tranſierunt. Secus dicendum eſt, ſi id quod ſuperſit non pertineat ab ſubſtantiam rei, ſed ad qualitatem; nam tunc etſi in aliam formam non mutetur non manet pignori ſubjectum, Verbi gratia, remanet corium, & carnes ex bone oppignorato, ligna ex navi deſtructa, nec corium, aut carnes, nec ligna manent ſubjecta pignori, niſi id peculiariter fuiſſet cautum. Ita habetur *l. ſi convertit. 2. §. Si quis. ff. de pignor. actione*, & tenet cum Lopez, Bartholo, Fragoſ. & aliis, Molina, *d. 533. num. 3.* Tamburinus, *de triplici jure, libr. 9. tractat. 7. cap. 3. §. 4. num. 3.*

Ratio differentiæ eſt, quia pignus fundatur in ſubſtantia, & non in qualitate rei, ergo ſi periit tota res pignori ſubjecta quoad ſubſtantiam, etſi aliquid, quoad qualitatem remaneret, periit pignus, ſed ligna ſunt de ſubſtantia ſilvæ; ergo dum immutata remanent, pignori manent ſubjecta. Secus dicendum eſt de lignis ex nave deſtructa remanentibus, & de carnibus, vel corio ex bove; nam cum navis, quoad ſubſtantiam tota conſiſtat in artefacto, & bos in ſuppoſito bovis, ſi artefactum, & ſuppoſitum periit, nihil remanet de ſubſtantia, ſed de qualitate; ſed pignus non fundatur in qualitate, ſed in ſubſtantia rei; ergo ſi periit reſtota quoad ſubſtantiam, periit etiam pignus, etſi aliquæ qualitates remanerent. Ita & benè Tamburinus, *ſup. n. 4.*

1314 Dico ſecundò: ſi res pignorata in melius varietur, ut ſi prædium, Verbi gratia, fuit à poſſeſſore melioratum; quia in eo plantavit vineam, vel domus amplior fuit effecta, &c. manet totum ipſum augmentum pignori ſubjectum; quia acceſſorium ſequitur naturam principalis; Vnde ſi debitor ſolvat debitum principale, & melioramenta neceſſaria, & utilia, non tamen inutilia, & ſuperflua, quæ ad ornatum pertinent, tenetur creditor, ſive alius tertius, ad quam res oppignorata fortè pervenit, reddere rem oppignoratam cum omnibus melioramentis, quia cum prædium ſit verum pignus, domini eſt, & poteſt illud repetere, ſive ſit in manu creditoris, ſive alterius tertij. Ita & benè cum Covarruvias, Tamburinus, *de triplici jure, lib 9. tractat. 7. cap. 3. §. 4. num. 7.* Sanchez, *in ſumma, lib. 2. cap. 23. num. 139.*

SECTIO V.

Vtrum creditor poſſit licitè vendere pignus, debitore non ſolvente tempore conſtituto?

SUMMARIUM.

1316 *Si detur pactum quod non ſolvente debitore pignus, juſto pretio vendatur, & exceſſus reddatur debitori, licita eſt talis venditio.*

1317 *Si non præceſſit tale pactum, de jure communi non poteſt creditor vendere pignus conventionale, niſi aliquibus præmiſſis conditionibus, quæ ibi aſſignantur ex jure.*

1318 *Hæc juris diſpoſitio non obligat, niſi in foro externo.*

1319 *An ſi pignus ſit judiciale, poſſit à creditore vendi ſecundum jus commune?*

1320 *Quid dicendum de jure Luſitano?*

1321 *An creditor teneatur reddere pignus debitori eo indigenti, & aliud idoneum offerenti.*

DIco primò: Si inter creditorem, & debitorem intervenit pactum, ut debitore intra talem 1316
terminum non ſolvente creditor poſſet pignus vendere, & ex pretio ſibi pro debito ſatisfacere, etſi quod ſupererit debitori reddat, quod pactum ſuprà licitum eſſe diximus, poteſt creditor debitore non ſolvente tempore præfixo, pignus vendere bona fide, & quo majori pretio potuerit, ſubhaſtatione. *leg. ultima, Cod. de jure dom. impetrandi*, nec in hoc caſu requiritur, quod dominus pignoris admoneatur; ſiquidem hujuſmodi admonitio non fuit deducta in pactum ut ſuppono. Ita Azor. 3. *parte, libr. 5. queſt. 3.* Reginaldus, *libr. 25. num. 605.* Tamburinus, *de triplici jure, lib. 9. tractat. 7. cap. 3. §. 6. num. 2.* Si tamen debitor voluerit ipſi vendere, & ad hoc petat ſibi pignus oſtendi, debet creditor conſentire, accepta prius cautione, vel fidejuſſoria, vel alterius pignoris. Lugo, *d. 32. num. 36.*

Dico ſecundò: Si non præceſſit prædictum pactum; nec de hujuſmodi pignoris venditione facien- 1316
da, vel non facienda, aliquid eſt conventum, de jure communi non poteſt creditor propria authoritate vendere pignus conventionale, niſi permiſſa una monitione, & tranſacto biennio, & tunc præſente, & ſciente domino. Ita habetur, *leg. final. §. Sin autem*, & cum communi ſententia tenet Molina, *d. 538. num. 4.* Lugo, *d. 32. num. 37.* quod ſi non inveniatur, qui velit emere, convemendus eſt judex, monito domino, qui ſi nolit comparere, certum tempus ei aſſignatur judice ad comparendum, quo non comparente, poterit creditor petere à judice, ut pignus ſit ipſius creditoris cum conditione, ut ſi intra alios duos annos compareat debitor, ſatisfaciátque creditori, ſi ſibi pignus recipiat. Ita Molina *d. 538. n. 10.* Lugo, *d. 32. n. 38.*

An autem hujuſmodi legis diſpoſitio obliget 1318
ſolum pro foro externo, vel etiam in foro conſcientiæ? Obligare ſolum in foro externo, & non in conſcientia, videtur tenere Tamburinus, *lib. 9. de triplici jure, tractat. 7. cap. 3. §. 6. num. 9.* quamvis id abſolutè non affirmet, & ratio illius eſt, quia hæc lex conſtituta eſt ad fraudes tollendas; ubique fraudes non fuerint, non tenetur creditor illos duos annos expectare; ſed ſtatim poteſt vendere pignus. Tum quia quando præceſſit pactum, quod non ſolvente debitore termino præfixo, creditor venderet pignus, poteſt creditor ſtatim tranſacto termino pignus vendere, ut ſuprà diximus; ſed hoc pactum cenſetur adeſſe, quoties pignus in manu creditoris traditur; ergo ſi tranſacto termino conſtituto, debitor non ſolvat, poteſt creditor pignus vendere modo dicto. Sed quamvis hæc ſatis acutè à Tamburino dicta ſint; ego tamen illi omnino adhærere non audeo; nam cum de venditione facienda, vel non facienda: nullum præceſſerit pactum, non videtur rationi conſonum, quod debitor non admoneatur de termino ſolutionis tranſacto. Addo tamen, quod ſi monitus non ſolverit, tunc poſſe creditorem

in

in conscientia vendere pignus modo dicto; nam debitor monitus non solvens censetur in tali venditione consentire.

1319 Dico tertiò: si pignus non sit conventionale, seu judiciale, illud scilicet, quod capitur in executione sententiæ definitive, qua reus condemnatur ad solvendam quantitatem aliquam, vel quod capitur pro executione solutionis similis debiti, quod reus in judicio se debere confessus est; tunc jure communi decernitur, quod tale pignus non tradatur creditori, nisi post quatuor menses à lata sententia judicis. *l. 2. & 3. Cod. de usuris rei judicatæ.* Potest tamen hoc à judice arctari, vel produci, ex justa causa, *l. 2. ff. de re judicata.* Postea verò expectantur alij duo menses, illis tamen transactis, potest pignus vendi authoritate judicis intercedente. Ita habetur. *l. debitoribus, ff. de re judicata, & l. 1. & sequentibus, Cod. si in causa judicati pignus captum sit.* & docet Molina, *sup. num.* 7. Qui etiam *num.* 12. notat idem posse facere creditorem in pignore conventionali, si recurrat ad judicem, ut convertat pignus conventionale in judiciale, hoc est ut illud pignus conventionale detur ipsi creditori authoritate publica; nam cum ex authoritate judicis reddatur judiciale illius naturam sequi necesse est.

1320 Dixi jure communi, nam de jur. Lusitano, sententiæ, quæ transierunt in rem judicatam debitorum, de quibus loquimur, statim mandatæ sunt executioni, ac debitor id à judice exigit; monito tamen prius debitore, ut solvat, vel pignora tradat sufficientia ad debita, & expensarum satisfactionem; facta tamen hac admonitione, non est necesse ut postea tempore venditionis pignorum, ut iterum admoneatur; sed quidquid debitor excipiat, debet nihilominus peragi executio, & ex pignorum pretio persolvi victori debitum, modo cautionem fidejussoriam sufficientē exhibeat quod, si lata fuerit adversus eum sententia, circa eas exceptiones restituet omnia, & expensas; alioquin pecunia unde debitum solvendum est, deponitur apud competentem depositarium, quousque circa exceptiones sententia feratur. Ita habetur in ordinatione Lusitana, *lib. 3. tit. 86. num.* 12. ubi plura de his pro foro judiciali stabilita invenies, *tit. 86 per totum.*

1321 Sed quæres an creditor teneatur reddere pignus debitori illo indigenti, & aliud idoneum offerenti? Respondeo in foro conscientiæ teneri, nisi adsit aliqua rationabilis causa non reddendi. Ratio est quia quilibet tenetur proximo indigenti subvenire, quoties potest absque suo notabili incommodo; sed creditor reddendo pignus in hoc casu nullum patitur incommodum; ergo. Ita cum Rebello, Bonacina, *d. 3. de contract. p. 1. num.* 10. Trullenc. *lib. 7. cap. 26. num.* 26.

SECTIO VI.

Vtrum creditor vendens pignus teneatur de evictione?

SUMMARIUM.

1322 *Creditor qui ut creditor vendit pignus, non tenetur de evictione.*

1323 *In aliquibus casibus tenetur creditor de evictione, qui ibi referuntur.*

1324 *An in omnibus casibus, in quibus creditor non tenetur de evictione, si debitor solvendo non sit, teneatur creditor in ejus defectum reddere emptori pretium receptum, si non existat, vel si existat id in quo factus est ditior?*

Dico primò: creditor qui ut creditor, & non ut dominus pignus vendit, non tenetur de evictione. *l. 1. & 2. C. creditorem evictionem pignoris non habere. l. periculum. ff. de pignor.* Et ratio est, quia creditor tantum vendidit, ut procurator debitoris, ergo non ipse; sed debitor tenebitur de evictione, tenetur tamen creditor, quoties de evictione non tenetur, cedere emptori jus, quod habet adversus debitorem, qui tunc de evictione tenebitur. Lugo, *d. 32. num.* 42. Molina, *d. 538. num.* 28. 1322

Dico secundò, in aliquibus casibus tenetur creditor de evictione; Primò si rem hypothecatam vendidit tanquam ejus dominus, hoc est si non constat emptori, rem, ut pignus alienum vendi. Secundò, si non probet rem fuisse sibi obligatam. Tertiò, si non constat eum fuisse anteriorem creditorem, sed alius eum jure Prælationis evinceret. Quartò, si mala fide vendidit, sciens rem non esse debitoris. Quintò, si vendidit quando nec ex pacto, nec ex lege, aut judicis decreto vendere poterat, nisi justo errore deceptus vendidisset. Sextò, si promisit emptori de evictione. Lugo, *d. 32. num.* 31. Molina, *d. 538. num.* 27. 1323

Sed quæres an in omnibus casibus, in quibus creditor non tenetur de evictione, si debitor solvendo non sit, teneatur creditor in ejus defectum reddere emptori pretium receptum, si existat, vel si non existat, id in quo factus est ditior? Affirmat Molina *suprà num.* 28. Sed contrarium dicendum existimo. Et ratio est, quia creditor vendidit rem ut procurator debitoris, & pretium statim transit in dominium debitoris; sed si debitor accepisset pretium, & debitum creditori solveret, creditor non teneretur in defectu debitoris reddere pretium emptori, siquidem solutionem sui debiti à vero domino accepit; ergo idem dicendum est quando pretium a b ipso venditore fuit receptum pro debito, siquidem non illud recepit titulo emptionis, sed ad solutionem factam sibi à debitore; quæ in vim solutionis validè fieri potuit. Ita Lugo, *d. 32. num.* 43. 1324

SECTIO VII.

Quid, & quotuplex sit Hypotheca?

SVMMARIVM.

1325 *Hypotheca alia est expressa, alia tacita.*

1326 *Quid utraque sit?*

1327 *Qui sint contractus, in quibus juris dispositione resultat hypotheca?*

1328 *An eadem res possit pluribus hypothecari?*

CVm jam supra sectione prima hujus disputationis dixerim, quid sit hypotheca, & in quo à pignore, & fundo subjecto censui distinguatur, & quomodo dominium rei hypothecatæ maneat apud eum, qui rem hypothecæ tradit, non est cur ea iterum repetamus. Vnde solum in hac sectione quotuplex sit hypotheca dicemus, & in sequenti quodnam jus habeat creditor in re sibi hypothecata.

Digitized by Google

1325 Dico igitur primò. Hypotheca alia eſt expreſſa, alia tacita, expreſſa eſt, quæ ex pactium conventione habetur. Tacita eſt, quæ involvitur in alio contractu, ſeu diſpoſitione juris. Rurſus utraque hypotheca, tam expreſſa, quam tacita, duplex eſt; alia ſpecialis, alia generalis. Specialis eſt, quando res certa obligatur, generalis eſt obligatio omnium bonorum præſentium, & futurorum. Hæc tamen non impedit, quod res poſſit liberè vendi, quia loco ejus ſuccedit pretium. Particularis verò ſemper afficit rem ad quemcumque perveniat, donec debitum fuerit ſolutum, vel obligatio condonata. Leſſius *lib. 2. cap. 28. dub. 6. n. 38.* Bonacina, *d. 3. de contract. quæſt. 10. p. 2. num. 2.*

1327 Si tamen quæras, qui ſint hi contractus in quibus ex juris diſpoſitione reſultat hypotheca ſtatim ac illi celebrantur? Reſpondeo plures eſſe, quorum aliquos breviter referam, ceteros apud authores paſſim invenies. Manent igitur primo, bona mariti hypothecata pro dote. Secundò, bona Monaſteriorum, & Eccleſiæ pro mala adminiſtratione. Tertiò, bona promittentis dotem, donec illam ſolvat. Quartò bona contrahentis cum fiſco. Quintò, bona tutoris, & curatoris, pro adminiſtratione bonorum pupilli, & minoris. Sextò, bona eorum qui adminiſtrant civitatum res, quia civitas fruitur privilegio pupilli. Septimò, bona patris adminiſtrantis adventitia filij. Octavò, omnia bona defuncti pro legatis. Nonò, fructus rei conductæ ſunt hypothecati domino fundi pro penſione; ſed de his; vide latiùs Molinam, *d. 536.* Bonacinam, *d. 3. de contract. quæſt. 10. part. 2.* & alios communiter Doctores.

1328 Sed quæres an eadem res poſſit pluribus hypothecari? Reſpondeo negativè, niſi res hypothecata ſufficiens ſit ad ſolvendum omnibus, aut niſi poſteriores admoneantur de priori hypotheca; ſic enim nulla fit injuria poſteriori, cum ſcienti, & volenti nulla fiat injuria. Secus ſi non admoneatur, eo quod pignus non ſufficiat ad ſolutionem omnium creditorum, quod ſi ſcirent nullo modo contraherent. Bonac. *ſupr. quæſt. 10. part. 1. num. 5.* Tamburinus, *de triplici jure, lib. 9. tractat. 7. cap. 3 §. 1. num. 5.*

SECTIO VIII.

Quidnam juris habeat creditor in rem ſibi hypothecatam?

SUMMARIUM.

1329 *Res alicui hypothecata ad quemcumque tranſeat ſemper creditor habet in ea jus.*
1330 *Si debitor vendat rem alteri hypothecatam, ſemper defert ſecum hanc obligationem.*
1331 *Quædam advertentia ponuntur.*

1329 Dico primò: cum res alicui in ſecuritatem debiti obligatur, ſive ei ſtatim tradatur ut accidit in pignoribus, ſive non, ſed maneat apud debitorem ut accidit in hypotheca, ut diximus ſectione prima, ſemper creditor habet in eam rem jus, & ad quemcumque tranſit talis res ſemper differt ſuum onus illud reale, ideòque hypotheca dicitur, quaſi res ſuppoſita, ſeu ſubjecta. Lugo, *d. 32. num. 23.*

1330 Dico ſecundò: ſi debitor vendat, vel alio titulo transferat ad tertium poſſeſſorem rem alteri hypothecatam, licèt res hypothecata ſecum ſemper deferat hanc obligationem, creditor tamen non poteſt etiam in hypotheca expreſſa agere contra tertium poſſeſſorem, niſi facta priùs executione in bonis debitoris, & fidejuſſorum, ut habetur in *authentica de fidejuſſoribus. §. ſed neque*, debet ergo probare creditor, rem illam fuiſſe debitoris tempore contracti debiti, vel poſteà, & fuiſſe comprehenſum in hypotheca, factámque fuiſſe executionem in bonis debitoris, & fidejuſſorum; & quando poſſeſſor rei hypothecatæ cogatur ſolvere, debet ei dictus creditor cedere jus quod habet contra debitorem principale, & fidejuſſores. Lugo, *d. 32. num. 33.*

Adverte tamen, quod ſi tertius poſſeſſor ſol- 1331
vat non præcedente hac ſeſſione juris in debitorem principalem, & fidejuſſores à creditore, non poſſe poſteà creditorem hujuſmodi actionem ei cedere, quia creditor integrè ſatisfactus, nullum jus habet contra debitorem principalem, aut fidejuſſores; quare ſi poſſeſſor rei hypothecatæ neglexit prædictam conventionem ante ſolutionem debiti, nullum aliud remedium ei ſuppetit, niſi agere contra debitorem, non tamen contra fidejuſſores, quod pro praxi eſt valde notandum. Tamburinus, *de triplici jure, libr. 9. tractat. 7. cap. 3. §. 5. num. 1. & cap. 1. §. 2. num. 3.*

Secundò adverte, hanc executionem faciendam in bonis debitoris non procedere in fundo ſuper quo cenſus aliquis impoſitus eſt, hic enim ſi vendatur, vel alienetur defert ita ſecum onus illud, ut non debeat priùs à venditore cenſus peti redditus, ſed immediatè ab ipſo tertio poſſeſſore. Et ratio eſt quia illa non eſt propriè hypotheca de qua hic agimus, ut dixi ſectione prima, ſed venditio partialis dominij utilis fundi, quod non habet hypotheca de qua hic agimus, in qua nihil venditor, ſed totum dominium etiam utile remanet apud dominum, & ſola res manet alteri hypothecata, ſeu obligata. Lugo, *d. 32. numero 34.*

DISPVTATIO XXVIII.

De contractu mandati, negotiorum geſtorum, de tutela, & cura, de compromiſſo, de arbitris, de tranſactione, & compoſitione.

SECTIO I.

De mandato.

SVMMARIVM.

1332 *Quid ſit mandatum deſcribitur.*
1333 *Mandatum reducitur ad contractum innominatum, perficiturque ſolo conſenſu inter mandatum, & mandatarium exterius expreſſo.*
1334 *Mandatum generale non extenditur ad illicita, de re licita validum eſt.*
1335 *Omnes qui poſſunt contrahere, poſſunt etiam dare vel accipere mandatum, niſi jure prohibeantur.*

1336 De

1336 *De ſubſtantia mandati ſunt, tam mandantis, quam mandatarij conſenſus.*

1337 *Mandatarius ſolum tenetur ex dolo, & lata culpa.*

1338 *Poſterius mandatum non derogat primum, niſi de eo faciat expreſſam mentionem, vel poſterius eſſet arctius, vel pertineret ad publicam utilitatem, & primum reſpiceret tantum privatam.*

1339 *Quomodo, & quando finiatur mandatum*

1340 *In aliquibus caſibus non finitur mandatum morte mandantis, & qui illi ſint?*

1332 Dico primò: mandatum eſt gratuita ſuſceptio aliquid agendi, quod alius formaliter, aut virtualiter ei injunxit. Dicitur gratuita ſuſceptio, quia ſi fiat pro mercede non erit mandatum, ſed locatio; ſi tamen fiat cum ſpe, vel promiſſione remunerationis, non deſinit eſſe mandatum Trullenc. *lib.* 7. *c.* 28. *dub.* 1. *n.* 1. Sicut etiamſi mandatario ſolvantur expenſæ neceſſariæ, & ab eo factæ, in exequendo mandato; hæc enim tenetur mandans ſolvere. Azor *p.* 3. *lib.* 9. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Trullenc. *ſuprà n.* 12. Debetur autem ſtipendium pro executione mandati ſi pactum de illo ſolvendo præceſſit, vel ſi mandatarius conſuevit exercere hujuſmodi mandata pro mercede, vel circumſtantiis colligatur mandatarium non exercere gratis mandatum, qualia ſunt obſequia præſtita à famulis, qui ſerviunt nullo conſtituto ſtipendio, imo dedignarentur ſervire pro certa mercede, in his tamen caſibus mandatum tranſit in locatum, & conductum late ſumptum Mol. *d.* 548. Laïman, *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *c.* 26. *n.* 1. *&* 2. & cum
1333 aliis Trullenc. *lib.* 7. *Decal. c.* 28. *dub.* 1. *n.* 1. *&* 4.

Dico ſecundò: mandatum reducitur ad contractum innominatum perficiturque ſolo conſenſu inter mandantem, & mandatarium exterius expreſſo, celebratique poteſt inter abſentes, & per verba, *volo, mando, & rogo*, vel per aliud æquivalens, & dari poteſt uſque ad certum tempus, vel ſub conditione; ſi hoc, vel illud contingat, id mandetur executioni. Filliucius, *tract.* 29. *c.* 1. *q.* 4. Dicitur autem contractus propter obligationem, quæ utrimque reſultat, & dicitur quaſi contractus, quia ſæpe per mandatarium exercetur, altero non expreſſe, ſed
1334 tacite mandante.

Dico tertiò: mandatum generale non extenditur ad illicita, & de re illicita invalidum eſt, & mandatarius tenetur illud non admittere, & in foro conſcientiæ tenetur reſtituere quidquid accepit pro eo faciendo antequam mandatum adimpleat, poſt adimpletum vero mandatum poteſt illud retinere in conſcientia; at in foro externo repetit fiſcus, damna verò quæ mandatarius intulit ex iniquo mandato reſtituenda ſunt principaliter à mandante, & in ſecundo loco à mandatario. At ſi mandatarius excedat fines mandati, non eſt ratum quod fecit, & tenetur reſtituere omne emolumentum, quod ex mandato ſuſcepit Filliucius, *tract.* 39. *c.* 6. *q.* 4. Ipſe vero mandans non tenetur ad totum delicti pœnam, ſed partem arbitrio prudentis. Unde ſi aliquis mandavit percutere, & non occidere, ſi occiſio fuit ſecuta, mandans non punitur ordinaria pœna, ſed mitiori Molina *d.* 550. Filliucius, *tract.* 39. *c.* 1. *q.* 2.

1335 Dico 4. omnes qui poſſunt contrahere, poſſunt etiam dare, vel accipere mandatum, niſi jure prohibeantur; prohibentur autem in aliquibus caſibus milites, curiales, pupilli, & minores, Religioſi, & filij familias, mulier conjugata, excommunicati, & ſervi, de quibus vide ſi placet Filliucium, *tract.* 39. *c.* 1. *quæſt.* 8. Azor ium. *ſuprà*, *quæſt.* 4. 5. & 6. Trullenc *ſuprà num.* 8. mandatum autem fieri poteſt de omnibus illis rebus, de quibus alij contractus fieri poſſunt, non tamen de re illicita, bene tamen de re incerta, ut de fundo emendo abſque expreſſione, qualis ſit emendus in particulari, quia eligitur induſtria mandatarij. Unde intelligi debet, ut ematur fundus utilis, & commodus, & quod pretium ſit juſtum, & proportionatum rei, & dominio, de re autem propria emenda, mandatum non valet. Filliucius, *ſuprà*, *quæſt.* 9. Trullenc. *ſuprà num.* 9.

Dico quintò: de ſubſtantia mandati ſunt, tam 1336
mandantis quam mandatarij conſenſus. Secundò præceſſio obligationis; datur enim mandatum ad faciendum quod volumus. Tertiò ut ſit de re bona. Quartò ut in eo dando mandans formam præſcribat, quam mandatarius obſervet, quod ſi mandatarius mandatum abſque ulla forma expreſſa accepit, tenetur prudenter, diligenter, & rationabiliter negotia præſtare, & ſic præſtita tenetur mandans rata habere, quia cenſentur facta ſecundum rationabilem mandantis voluntatem. Unde quis mandavit alicui ut ſibi emat equum, valide emit quocunque pretio emat, dummodo ſit juſtum, *l. præterea Cod. mandati.* Azor. *p.* 3. *lib.* 8. *cap.* 23. *quæſt.* 8.

Dico ſextò: mandatarius regulariter ſolum tene- 1337
tur ex dolo, & lata culpa, quia regulariter mandatum eſt ſolum in gratiam mandantis, quando autem eſt in commodum utriuſque, teneretur etiam de culpa levi, quod ſi mandatarius conveniſſet etiam de culpa leviſſima, de ea teneretur, Filliucius, *tract.* 39. *cap.* 2. *quæſt.* 1. Unde mandans tenetur de caſu fortuito, qui ab ipſo mandante prævideri poterat, ac per conſequens tenetur omnia damna mandatario reſtituere, quæ eventura vero ſimiliter prævidere poterat ex tali mandato; at ſi caſus fortuitus prævideri non poterat, ad illum mandans non tenetur, *l. inter caſus §. non omnia ff. mandanti.* Azor. *ſuprà quæſt.* 2.

Dico ſeptimò: poſterius mandatum non derogat 1338
primum, niſi de eo faciat expreſſam mentionem, vel poſterius eſſet arctius, vel pertineret ad publicam utilitatem, & primum reſpiceret tantum privatam, *cap. grave ff. jud. ordin.* mandatum ſpeciale derogat generale, & ſi de eo non meminerit. Mandatum generale ſolum prohibet illicita. Unde ſi ſit de aliquo eligendo, intelligitur ſi ſit idoneus. Item mandatum generale non ſolum comprehendit illa, quæ ad ſubſtantiam mandati pertinent, & quæ expreſſa ſunt, ſed quæ conjuncta mandato, ut ea ſine quibus ad mandatum pervenire non poteſt. Azor. *cap.* 6. *quæſt.* 5. Filliucius, *ſuprà*, *quæſt.* 7.

Dico octavò: finitur mandatum primo per tem- 1339
poris conſtituti lapſum, quia contractus non durat ultra contrahentium conventionem. 2. per revocationem mandati factam ab ipſo mandante, quia hic poteſt revocare mandatum quoties res eſt integra, etiamſi juraſſet non revocaturum, quamvis enim in hoc caſu eſſet perjurus, revocatio tamen valeret, & geſta per mandatarium eſſent invalida, ſi revocatio mandati illi innotuit. Secus ſi ei non innotuit, excepto caſu matrimonij, quod non valet, revocato mandato, & ſi procuratori non innotuerit revocatio. Re autem jam cepta, non poteſt mandans revocare mandatum, niſi vel conſenſerit procurator, vel alia juſta cauſa ſubſit revocandi mandatum, ut capitalis inimicitia, vel affinitas cum adverſario, &c. Filliucius, *ſup. q.* 6. Azor. *ſup. c.* 6. *q.* 6. Tandem finitur mandatum per mortem mandatoris, vel mandatarij, modo res ſit adhuc integra Filliucius, *tract.* 39. *cap.* 2. *quæſt.* 7. Reginaldus, *lib.* 25. *num.* 608. Molina *d.* 552. Laïman, *lib.* 3. *ſect.* 5 *tract.* 4. *c.* 26. *num.* 7.

Digitized by Google

1340 Dico nonò: aliquibus caſibus non finitur mandatum mo te mandantis. Primò quando fuit datum ad exequendum aliquid, poſt mortem mandatoris. Secundò quando fuit datum in gratiam mandatarij Tert ò quando facta fuit gratia dotis. Quartò quando delegata eſt alicui facultas & juriſdictio ſub nomine dignitatis, & non ſub nomine proprio illius à qtio fuit præſtitum mandatum. Quintò quando mandans dicit ſe concedere juriſdictionem, donec revocaverit, ſed poſtmodum re ipſa ante obitum non revocavit. Sextò ſi ſit in gratiam Religionis, & fidei. Sed de his vide Filliucium; *ſuprà, c.* 2. *queſt.* 31. Azor. *c.* 7. Trullenc. *ſup. num* 18. & alios communiter.

SECTIO II.

De negotiis geſtis.

SUMMARIUM.

1341 *Quæ dicantur negotia geſta deſcribitur.*
1342 *Quatuor modis geritur negotium alterius, & qui ſint declaratur?*
1343 *Negotiorum geſtor, qui gerit negotium abſentis ſolum tenetur de dolo, & lata culpa.*
1344 *Quid ſi negotium non erat deſertum?*
1345 *Si is cujus negotium geritur expreſſe ſignificavit ne ullus id gereret, non tenetur ad expenſas factas, etſi negotium utiliter geſtum ſit?*
1346 *Qui negotium fecit alicui animo gratuito non poteſt petere expenſas.*
1347 *Quid ſi fuit cum animo ſibi compenſandi?*

1341 DIco primò: negotia geſta dicuntur, cum abſque mandato formaliter, vel virtute negotium alterius utiliter geritur. Bonum enim commune poſtulat, ne res, & negotia abſentium damnum patiantur, ut inter illum, qui talia negotia gerenda ſuſcepit, & illius cujus negotium geſſit, oriatur obligatio, tum ex parte gerentis negotia reddendi rationem eorum, quæ geſſit, & ſolvendi ea, quæ ad ipſum ex tali negotio geſto pervenerunt, ut fructus rei adminiſtratæ, pecuniam à debitoribus ſolutam. Tum ex parte ejus cujus negotium geſſit, obligatio ſolvendi expenſas in ipſius bonum factas, & valorem ſuæ induſtriæ, & laboris quæ quidem obligatio ex utraque parte reſultans eſt perſonalis, & tranſit ad utriuſque hæredes, *l.* 3. §. *hæc autem ff. de negotiis geſtis.* Molina, *d.* 553. *num.* 7. & alij communiter. Dixi cum abſque mandato formali, vel virtute, negotium alterius geritur: nam ſi præceſſit mandatum formale, vel virtuale, tunc non reſultaret actio negotiorum, ſed mandati utrinque Molina, *ſup. n.* 2. & alij communiter.

1342 Dico ſecundò: quatuor modis geritur negotium alterius primo cura, & officio, ut in curatore, & tutore. Secundò re ipſa, ut cum in utilitatem alterius aliquid impeditur. Tertiò ratihabitatione, ut cum unus ratum habet id, quod alter ejus nomine fecit, & niſi hic ratum haberet, nihil ad ipſum pertingeret. Quartò ipſa actione negotij geſti, ut ſi quis creditori alterius ſolvat, eo abſente, vel ignorante; nihil autem refert, ſi quis in hoc contractu gerat negotia alterius per ſe, vel per alium, poteſt enim alium ſubſtituere, ſicut procuratorem, ſuo tamen periculo Azor. *p.* 3. *lib.* 11. *c.* 14. Filliucius, *tract.* 39. *c.* 3. *q.* 2. & alij.

1343 Dico tertiò: negotiorum geſtor, ſi geſſit negotium abſentis, quod deſertum erat, tenetur tantum 1344
de dolo, & lata culpa. Quod ſi negotium non erat deſertum, tenetur etiam de levi, etſi diligentiſſimus ſe ſe offerat ad illud agendum, aliqui tenent teneri etiam de culpa leviſſima, ſed verius eſt etiam in hoc caſu, teneri tantum de levi Molina, *d.* 553. *num.* 6. Filliucius, *ſuprà, queſt.* 4. De caſu autem fortuito regulariter non tenetur negotiorum geſtor, *l. negotium Cod. de negot. geſt.* Dixi regulariter, quia ſi dominus negotiorum admoniſſet, ne ageret ſua negotia in ejus abſentia, niſi eo pacto, ut teneretur de caſu fortuito, tunc ſi ea agat in abſentia domini tenetur. Secundò tenetur ex mora culpabili, ut ſi rem culpabiliter non reſtituit domino, & interim periit. Tertiò ſi fuit in culpa, ut res periret, ut ſi fuit cauſa culpabilis incendij. Quartò ſi aliqua aggrederetur, quæ nec ipſe dominus, ſi præſens eſſet egiſſet, nec facere conſuevit. Quintò ſi geſta ſunt negotia pupilli, Filliucius, *ſuprà, cap.* 3. *queſt.* 5.

Dico quartò: quando is, cujus negotium geritur 1345
expreſſe ſignificavit, ne ullus id gereret, non tenetur ad expenſas factas poſt admonitionem, & ſi negotium utiliter factum ſit, bene tamen ad antea factas, *l. fin. Cod. de negot. geſt.* ſi tamen nulla præceſſit admonitio, & negotium alioquin utiliter geſtum eſt, tenetur ſolvere expenſas, *l. ſi ex duobus ff. de negot. geſt.* Si tamen expenſæ factæ in negotio abſentis majores ſint, quam rei utilitas, non tenetur abſens eas ſolvere, niſi pro utilitatis in re illa ſubſecutæ ratione. Et idem dicendum eſt ſi quis deceptus ſit, putans ſe utiliter gerere negotium alterius, cum revera tamen non geſſerit: nam tunc non tenetur is, cujus negotium geſtum eſt, ſolvere expenſas. Secus ſi quis rem utiliter geſſit, & poſt factum per accidens deterior facta eſt, ut ſi domum refecit, & poſt refectionem ſubverſa eſt: nam tunc ſolvendæ ſunt expenſæ factæ in ea reficienda Molina, *d.* 554. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 30. *cap.* 3. *q.* 7. Azor. *p.* 3. *lib.* 11. *dub.* 5.

Dico 5. qui negotium fecit alicui, animo gratui- 1346
to, & liberali, non poteſt petere expenſas; eo enim ipſo donavit, ſi tamen fecit animo ſe compenſandi, tunc poteſt petere id, quod expendit Filliucius, *tract.* 39. *num.* 48. præſumitur autem negotium factum animo gratuito, & cauſa pietatis. Primò 1347
quando geſtor negotiorum, & is cujus negotia geſſit, ſunt conſanguinei, tam conjuncti, ut ex pietate teneantur unus alteri alimenta præbere, Secundò ſi famulus ægrotavit, & paterfamilias ſumptus in infirmitate ejus fecit competentes famulo, convenientes autem nobilitati, ac divitiis patrisfamilias Molin. *d.* 554. *num.* 14. Filliucius, *ſuprà queſt.* 9.

SECTIO III.

De tutela & cura.

SUMMARIUM.

1348 *Quid ſit tutela deſcribitur.*
1349 *Triplex datur tutela, & quæ unaquæque ſit?*
1350 *Inſtitui poteſt tutor ille, qui alterius curam ſuſcipere valet, & à jure non prohibetur.*
1351 *Tutor, & curator tenentur ex eadem culpa ac negotiorum geſtor.*
1352 *Si ad æs alienum vendenda ſunt aliqua bona pupilli, quæ bona prius vendenda ſint, à tutore, vel curatore?*
1353 *Pupillus, & minor tenentur ſolvere tutori, & curatori ſalarium conſtitutum à principio.*

1354 *Tu*

Digitized by Google

1354 *Tutor, & curator tenentur quam primum facere inventarium de rebus pupilli, & minoris, niſi cauſa juſtiſſima impediantur.*

1348 Dico 1. tutela eſt jus,& poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe tueri nequit à jure civili data,& permiſſa. Vnde tutor dicitur,qui pupillum vel pupillam morte patris, vel emancipatione ſui juris factum,factăve tuetur.Hinc tutor principaliter datur ad perſonã, ſecundario ad res illius tuendas;è contra vero curator,primo datur ad res, ſecundo ad perſonam tuendam. Tutor datur impuberi, curator vero minori, hoc eſt illi,qui quatuordecim annos explevit,uſque ad 25.Filliucius, *tract.* 39.*num.* 53.

1346 Dico ſecundò:triplex datur tutela, ſicut & tutoria, teſtamentaria, ut cum pater in teſtamento dat filio tutorem. Secunda legitima, ut quæ datur à lege; nonnullus ſit tutor teſtamentarius, & defertur ei qui primo loco debebat ſuccedere pupillo ab inteſtato, is enim tenetur ſuſcipere tutelam ejus. Tertiò dicitur dativa, quæ ſcilicet datur à judice, ut cum nec datur tutor in teſtamento, nec adſunt conſanguinei ad tutelam idonei, Iudex ex officio dat tutorem Durat autem tutela uſque ad 14.annum completum in mare, & uſque ad. 12. in fœmina, & inde incepit cura, & durat uſque ad 25. annum completum in utroque, *inſtit. quibus modis tutel. & inſtit. de jure.* Bonacina, *de contract. d.* 3.*queſt.* 19. *p.* 2. Filliucius, *tract.* 39.*cap.* 4.*queſt.*2. & alij communiter.

1350 Dico tertiò:poteſt conſtitui tutor ille, qui alterius curam ſuſcipere valet,& à jure non prohibetur. Vnde impubes, prodigus, mutus, ſurdus, ſervus, nec furioſus,mente captus,debitor pupilli,non poſſunt inſtitui tutores,quia omnes hi à jure repelluntur. Porro mater, & avia, tutelam filiorum ſuſcipere poſſunt ſi velint, & aliis tutoribus legitimis, & dativis præferuntur, non vero teſtamentariis; at ſi mater,& avia tranſeant ad ſecundas nuptias, contracto matrimonio, tutelam ipſo jure amittunt; & bona ſecundi conjugis obligata manent pro reddenda, adminiſtrationis ratione. Filiusfamilias præſtito alio impedimento,poteſt tutor conſtitui;Clerici autem non poſſunt cogi ad tutelam ſuſcipiendam, quia eo gaudent privilegio, poſſunt tamen ſi velint recipere tutelam legitimam, non autem dativam, vel teſtamentariam;*l. ſi hæreditas* §. *ſi furioſus ff. de teſtam. tut.* Bonacina, *de contract. d.* 3.*queſt.* 19.*p.* 3. Filliucius, *tract.* 39.*num.* 55.

1351 Dico quartò: tutor, vel curator tenentur ex eadem culpa, ac negotiorum geſtor, nempe ex dolo, & lata culpa, & lævi præcipue ſi officium tutoris pretio exerceant,quia tunc eſt in gratiam utriuſque. Tenentur autem tutor, & curator conſervare pupillos,& minores à criminibus illæſos, eoſque bonis moribus imbuere, & ad hunc finem poſſunt magiſtris ſtipendia ex bonis pupilli, vel minoris aſſignare, juxta eorum qualitates. Secundò tenentur res eorum ab injuria præſervare. Tertiò tenentur ſi poſſint pecuniam, & alia bona mobilia, quæ ad nihilum valent,ſi aſſervantur, vendere, & eorum pretia convertere in prædia, ea quibus fructus recipiant. Filliucius, *tract.* 39.*num.* 57.Rebellus, *p.* 2.*lib.* 17. *queſt.* 1.*num.* 10.

1352 Dico quintò: ſi ad æs alienum ſolvendum vendenda ſunt aliqua pupilli bona,tutor primo loco debet alienare res inutiles,deinde res minus utiles, & ultimo loco bona ſtabilia, ſi reliqua non ſufficiant ad ſolvenda debita. Vnde infero nefas eſſe tutori, vel curatori,vendere bona ſtabilia pupilli, vel minoris,niſi ex urgenti cauſa,*l. ob æs Cod. de præd. min.* Res autem pupilli, aut minoris non poſſunt emi à tutore,vel curatore,niſi ſub haſta ac bona fide. Sylveſter, *verbo tutor,queſt.* 4.Tabiena,*ibi* §.2.

Dico ſextò:pupillus, & minor tenentur tutori, 1353
& curatori ſolvere ſalarium conſtitutum à principio, quod ſi non fuit conſtitutum, cenſetur tutor, vel curator tutelam, & curam gratis ſuſcepiſſe, ſuoque ceſſiſſe juri. *d.* 555. *num.* 1. Bonacina, *de contract. d.* 3. *queſt.* 19. *p.* 4. *n.* 2. tenentur etiam pupillus, & minor ſolvere tutori, vel curatori expenſas neceſſarias,imò & utiles,& ſi neceſſariæ non fuiſſent Molina, *ſupra num.* 2.Filliucius, *tract.* 39. *cap.*4.*queſt.*6.& alij.

Dico ſeptimò: tutor, vel curator tenetur quam 1354
primum poterit facere inventarium de rebus pupilli,vel minoris, niſi cauſa neceſſaria, vel juſtiſſima impediatur, cauſa autem neceſſaria eſt morbus, cauſa vera juſtiſſima dicitur,ſi teſtator remiſit confectionem inventarij, niſi contrarium videretur in judicio: in duobus tamen caſibus non tenetur; primo ſi conſuetudo eſſet, quod non fieret; ſecundo ſi judex ex cauſa remiſerit, Filliucius,*tract.* 39.*cap.* 4. *queſt.*7. Trullenc. *l.b.*7.*cap.*28.*d.*2.*num.*9. Hoc tamen inventarium fieri debet in præſentia publicarum perſonarum, ſufficit tamen notarius, nec eſt neceſſaria judicis præſentia, niſi ut fides fiat contra debitores,quorum nomina in inventario ſcribuntur. *ſuprà num.* 60.& 61.

Adverte tandem aliquos doctores hic agere de ſtipulatione,& acceptilatione. Verùm quia hi contractus jam fere non ſunt in uſu, & de illis eo modo,quo ſunt in uſu, aliqua jam diximus agentes de promiſſione,ideo eos omittimus,ſi tamen velis,vide de eis Molinam, *d.*252.& 254. Eſcobar. *lib.*41. *Decaleg.cap.*7.*à num.* 57.

SECTIO IV.

De Compromiſſo.

SUMMARIUM.

1355 *Quid ſit compromiſſum deſcribitur.*
1357 *Quæ in compromiſſo exprimi debeant?*
1357 *Clauſula quæ ſolet apponi in compromiſſo, quod procedat ſummarie,& de plano, & ſine figura judicij, ſervata tamen æquitate, quomodo ſit intelligenda?*
1357 *Invalidum eſt compromiſſum, in quo ponitur clauſula ut compromiſſarius in judicando aliquem conſulat, ejuſque ſequatur judicium.*
1359 *Compromiſſum quod ſolo pacto nudo fuit celebratum, quando obliget ad illud ſervandum?*
1360 *Si arbitri conſentiant in compromiſſo facto ſolo pacto, nudo, quando obligentur?*
1361 *Si compromiſſum firmetur ſtipulatione, arbiter quomodo cogatur progredi in cauſa?*
1362 *Quando cenſeatur ſententia arbitri emologata?*
1363 *Iure communi à ſententia arbitri non admittitur appellatio, ſive pœna apposita ſit, ſive non.*
1364 *Quid ſi compromiſſum fuit ſtipulatione confirmatum, & oppoſita fuit pœna contravenientis ſententiæ?*
1365 *Quid ſi addita ſit clauſula rato nihilominus manente compromiſſo?*
1366 *Compromiſſum juramento confirmatum prohibitum eſt.*

1367 Com

1367 *Compromissum potest facere quispiam super rebus, quas potest alienare.*

1355 Dico primò: compromissum est contractus quidam, quo alicui mutuo consensu in sententiam arbitri, aut arbitratoris rejiciunt controversiam aliquam dirimendam, spondentes se illis parituros. Dixi esse contractū, quia unusquisque compromittentium se adstringit arbitri, aut arbitratoris definitioni. Dixi quo aliqui mutuo consensu, quia est illis voluntarium, & liberum ut fiat, postquam autem factum est adstringit compromissorios ad standum arbitrio. Dixi arbitri, vel arbitratoris, quia arbiter est, qui eligitur ut judex ad hoc, ut servata in substantialibus judicij ordine, de compromissa controversia sententiam ferat. Arbitrator vero eligitur, ut aliquid existimet, & dicat de re aliqua, quid sibi videatur, sine ordine judiciario. Molina, *d.* 556. Sylvester, *verbo arbiter*, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 3. *num.* 1.

1356 Dico secundò: in compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum, ac definiendum à compromittētibus in arbitris, aut arbitratoribus facultas eis conceditur; quia arbitrium ac definitio excedere non potest facultatem à compromittentibus concessam, & in compromisso contentam; si autem excedat est nullum, quoad id, arbitrium, ac definitio. Ita habetur. *l. non distinguendus §. de officio ff. de recept. arbitr.* Possunt tamen clausula multa comprehente exprimi, ea multa in eo compromisso, ut si dicatur, compromittimus in talem, vel tales quæstiones omnes, quæ inter nos sunt, aut si similis alia clausula multa comprehendens apponatur, *l. si dies §. plenum ff. de recept. arbitr.*

1357 Dico tertiò: in compromisso solet apponi clausula, quod arbitri procedant summarie, & de plano sine figura judicij, servata tamen æquitate quæ clausula valida est, quia arbitri à partibus habent totam vim judicandi. Vnde eis præscribere possunt modū, quē servare in judicando inter eos debeant. Vnde si partes ita cōpromittant non possunt arbitri illis, vel aliqua eorū invita, formam judicij servare. Quod si in cōpromisso non exprimatur modus, quē in judicando servare debent, nec ex circunstantiis colligitur; tūc datur arbitratori optio, ut judicet, vel servata judicij forma, vel non, prout vellet, arbiter vero tenetur judicare servata judicij forma; alias invalida essent, quæ talis arbiter ageret, ea integre non servata. Ita communiter DD. in casu tamen, quod partes compromitterent, ut tam arbiter, quam arbitrator procederet non servata judicij forma, semper debent servari ea, quæ sunt de jure naturali, quale est ut audiat partes, &c.

1358 Dico quartò: invalidum est compromissum, quo aliqui in aliquam compromittunt eum adstringendo, ut in judicando aliquem consulat, ejusque consilium sequatur; arbiter enim liber relinqui debet, ut id judicet, quod sibi justum & æquum visum fuerit, *l. item si unum §. Item Pomponius, ff. de recept. arbitr.* Non tamen prohibentur arbitri consulere peritiores. Molina, *d.* 33. Filliucius, *tract.* 39. *num.* 77.

1359 Dico 5. quando compromissū solo pacto nudo fuit celebratum, neq; pœna apposita, stipulatione, non inducit jure civili obligationem ad illud servandum, nisi ex alia parte traditione sit completum, & sic transeat in pactum vestitum; si enim alter implevit, habet actionem contra alterum, ut vel cogat illum implere ex parte sua, vel solvere interesse, quod ex hoc, qui implevit passus esset, vel ut repetat quod dedit, optioque est ex parte ejus, qui pactum implevit agere adversus alterum, ad quod ex illis tribus malueri; jure tamen communi civili conceditur, ut quod ex tali pacto nudo solutum esset retineri possit: nam cum ex eo oriatur obligatio naturalis, & in foro conscientiæ, ideo saltem jus civile concedit retentionem. Sed de his vide Molinam, *tract.* 2. *d.* 255. & 257. & *tract.* 5. *d.* 34. *num.* 1. & 2.

1360 Dico sextò: arbitri licet consentiant in compromisso facto solo pacto nudo, jure communi civili cogi non possunt ulterius progredi in causa sibi commissa; at si pœna appositа sit partibus non stantibus arbitrio, possunt ad instantiam partium, aut partis petitionem, à judice ordinario cogi in causa progredi; & idem dicendum est si partes pignora, vel fidejussores dederint, quod arbitrio stabunt. Quāvis ex pacto nudo non detur actio adversus pacisc entēs ipsos, datur tamen adversus fidejussores datos, quod partes id pactū implebunt, *l. litigatores §. arbit. & l. nō distinguamus §. non cogetur ff. de recept. arbitr.*

1361 Dico septimò: si compromissum fiumetur stipulatione, arbiter cogitur progredi in causa, & suo tempore sententiam ferre, lata autem sententia jure communi civili parti, quæ illi vult stare conceditur actio contra alterum nolentem ei parere. De jure autem canonico hæc competunt, etiamsi nudo pacto compromissum sit celebratum, modo sententia manifeste non sit iniqui Molina, *tract.* 2. *d.* 35.

1362 Dico octavò: quamvis de jure civili, & sententia arbitri censeatur expresse emologata, necesse sit partes se se illi subscribere, ut constat ex *l. ne in arbitris §. ult. Cod. de recept. arbitr.* De jure tamen canonico satis ad id esset, si verbo, aut quovis alio modo in eam sententiam consentiant, *cap. per tuas de arbitr.* Imò esto sententia alias esset nulla, quia procurator sine sufficienti ad id commissione celebravit compromissum, nihilominus si sententia approbaretur à parte cujus ille erat procurator, censetur emologata, hoc est uti iusq; compromittentis cōsensu acceptata, quia eo ipso, ea pars censetur habere ratum antecedens compromissum. Ita habetur ex, *l. diem proferre §. si quis litigatorum ff. de recept. arbitr.*

1363 Dico nonò: jure communi à sententia arbitri non admittitur appellatio, sive apposita fuerit pœna, sive non. *l. 1. Cod. de recept. arbitr.* quia illa quatenus sententia non habet vim obligandi, sed solum vis obligandi, ut illi stetur provenit ex compromisso, ac pœna in illa appositа; quando autem post sententiam ab arbitro latam appellandum est, appellatur ad judicem rei, qui ad arbitri sententiam appellat, ille enim futurus est sententiæ arbitri executor, postquam verò à sententia arbitri appellatum est ad judicem ordinarium, pars gravata ea appellatione, & sententia lata ab eo judice ordinario, potest ulterius appellare ad judicem alium superiorem, ad quem appellari solet à tali judice. Ita Molina, *tract.* 5. *d.* 35. *num.* 4.

1364 Dico decimò: quando compromissum stipulatione fuit confirmatum, & apposita fuit pœna contravenienti sententię, tunc si apposita non fuit clausula, rata manente sententia, de jure communi, si is, qui ea fuit damnatus expresse illam emologavit, victor agit ad sententiæ executionem, si victus eam implere moretur, quia damnatus ea sententia, jam eligit potius illi parere, quam solvere pœnam, *l. diem proferre §. ultim. ff. de recept. arbit.*

1365 Dico undecimò: in compromisso firmato stipulatione, apposita pœna, non statui compromisso, ac sententiæ, si addita sit clausula, tato nihilominus manente compromisso, tunc secuta sententia, & emologata expresse, de jure communi civili, agitur solum

Digitized by Google

ſolum ad ſententiæ executionem, ſi damnatus ſit in mora eam adimplendi, non autem agitur ad pœnam, eo quod pœna incurſa non ſit, quandoquidem ſententiæ ſtetur non repugnando ac contradicendo, ſi tamen minor, vel Eccleſia ſe læſam ea ſententia inveniret, poſſet petere reſtitutionem in integrum abſque incurſu prædictæ pœnæ, quia uteretur jure ſuo, ac privilegio, jure communi ſibi conceſſo.

1366 Dico duodecimo: Licet compromiſſum juramento confirmatum pareret olim obligationem ad illud ſervandum etiam in foro civili, tamen ob frequentiam perjurij vetitum eſt *in Authentic. decernit. Cod. de recept. arbitr.* Hinc partes non tenentur ſervare compromiſſum, quod juramento confirmarunt; tenentur tamen de jure canonico, & in conſcientia, quia tale juramentum non eſt malum in ſe, nec contra bonos mores naturales ad ſummum, Molina *tract. 2. d. 36.* Filliuc. *tract. 39. num. 91.*

1367 Dico decimotertiò: Compromiſſum poteſt facere quiſpiam ſuper rebus, quas poteſt alienare: in aliis autem, quas alienare non poteſt, abſque certa ſolemnitate; etiam ſine illa ſolemnitate compromittere non valet. Sylveſter verbo compromiſſum. Item ſi compromiſſum prorogetur, intelligitur in tantundem tempus, vel uſque ad tres menſes, vel uſque ad annum. Alexander *conſ. 20. p. 2.* Per arbitrum autem poteſt prorogari ad tres menſes, ex poteſtate prorogandi ſibi à partibus conceſſa. Alexander *conſil. 70. p. 2.* Non poteſt autem prorogare ultra duas vices, vel tres ad ſummum. Baldus *ad c. tua nos de appellat.* An autem compromiſſum poſt annum expiret? Reſpondeo affirmative Bart. *ad l. ſi de meis, §. ex compromiſſo ff. de arbitris.* Scio alios dixiſſe, durare triennio; alios arbitrio judicis relinquendum, ex æquitate. An autem compromiſſum ſuſpendat cauſæ principalis inſtantiam? Reſpondeo affirmative. Baldus *ad l. properand. Cod. de jud.* Quod verum cenſeo, ſi ſit factum à domino litis, vel à procuratore ante litis conteſtationem habente ſpeciale mandatum. Tandem poteſt fieri compromiſſum etiam poſt ſententiam intra appellandi tempus, non autem poſt, quia ſententia tranſit in rem judicatam, & rem liquidam fecit *l.* eleganter in principio. Filliuc. *tract. 3. num.* 100.

SECTIO V.

De Arbitris.

SUMMARIUM.

1368 *Judices alij ſunt ordinarij, alij arbitrarij.*
1369 *Judices arbitri, alij dicuntur compromiſſarij, alij arbitri juris.*
1370 *Qui dicantur arbitri compromiſſarij, qui arbitri juris.*
1371 *Arbiter communi modo loquendi quis dicatur?*
1372 *Arbitrator quis dicatur?*
1373 *Qui poſſint, vel non poſſint eſſe arbitri?*
1374 *Qua ſit materia compromiſſi, & arbitrij.*
1375 *Arbitri poteſtas limitata eſt, & extra compromiſſum judicare non poteſt.*
1376 *Arbiter electus à judicantibus ut juxta ſuum judicium ſententiam ferat, non poteſt ſequi opinionem alienam.*
1377 *Quando ſunt plurimi arbitri, ſtandum eſt plurium ſententiæ.*

1378 *Quando finiatur arbitrium, & compromiſſum.*

PRo hujus ſectionis intelligentia notandum eſt, 1368
Judices alios eſſe ordinarios, qui poteſtatem, & officium à principibus ſæcularibus, vel Eccleſiaſticis accipiunt, alios vero arbitrarios, qui cum nullam à ſuperioribus habeant poteſtatem eliguntur in judices de conſenſu litigantium, ut eorum ſententiæ ſtetur. Ex his autem arbitrarij, alij dicuntur 1369
compromiſſarij, alij vero arbitri juris. Arbitri compromiſſarij ſunt, in quos partes compromittunt, eorum ſententiæ, & definitioni ſtare, nulla lege, aut ſtatuto eos ad id cogente; & hi nullam habent 1370
juriſdictionem; juriſdictio enim eſt à lege, vel à principe mediate, vel immediate, & non à partibus privatis; unde definitio horum, arbitrium potius, aut arbitramentum eſt dicendum, quam ſententia; & illi dicuntur arbitratores. Arbitri verò juris, illi dicuntur, qui diſponente lege, aut ſtatuto, aut principis juſſu, eliguntur, & ſententiam proferunt; & hi juriſdictionem habent, non ſolum ad judicandum ea, de quibus eſt controverſia, ſed etiam ea; quæ neceſſaria ſunt ad ita judicandum. Cum arbitris juris computantur Arbitratores, qui non à partibus, ſed à judice eliguntur, ut juxta ipſorum peritiam dicant, quid cenſeant de aliqua re, ſive quoad valorem, ſive quoad dimenſionem, & ſimilia, & quia hi arbitrantur juxta præſcriptum legum, & publica judicis authoritate, ſtatur illis in judicio, niſi conſtet irrationabilia judicare. Ideo pertinent hi ad arbitros juris, non ad arbitratores compromiſſarios. Molina *tract. 5. d. 31. n. 3.* Filliuc. *cap. 7. q. 1. n. 102.* Baſæus *in ſupplemento verbo arbiter. n. 11. & 12.* His ſuppoſitis,

Dico primò: Arbiter communi modo loquendi 1371
ille dicitur, qui in judicio coram partibus inito, ſive ſervata integra forma judicij, ſive non, res ex compromiſſo partium definit. Arbitrator vero ille dicitur, qui extra judicium, quoad contractus, & alias 1372
res ex compromiſſo partium, aut juſſu judicis definit. Arbitrium vero eſt ſententia prolata ab arbitro; arbitramentum vero eſt ſententia prolata ab arbitratore. Tam autem arbiter, quam arbitrator, dici poſſunt amicabiles compoſitores, quatenus ut partes fugiant lites, eas componunt amicabiliter, hoc eſt, extra judicium, & ſine concertatione in publico judicio; qui etiam vocantur mediatores inter ipſaſmet partes; de qua re plura Molina, *tract. 5. d. 30. num. 9.* Hinc fit non poſſe quampiam eſſe arbitrum in propria cauſa, cum ſervato juris ordine procedat, bene tamen poteſt eſſe arbitratorem, cum extra judicium, & ut amicabilis compoſitor procedat. Sylveſter *verbo arbiter n. 2. & 5.* Filliuc. *tract. 39. n. 104.* Sanch. *lib. 6. moralium c. 13. n. 53. & 54.*

Dico ſecundò: Non poſſunt eſſe arbitri minores, 1373
& ſi forte arbitrium acceptent, ſi ſe læſos reperiant, ſubveniuntur reſtitutione in integrum. Nec mutus, aut ſurdus, ſervus, aut mulier, niſi eſſet Duciſſa, aut Marchioniſſa, aut loci juriſdictionem exerceret. Nec religioſus, niſi de prælati licentia, cum id expedit monaſterio. Nec excommunicatus, quia non poteſt cum aliis communicare. Judex ordinarius jure civili prohibetur eſſe arbiter *l. ſed & ſi ſervum ff. de recept. arbitr.* Laïci eſſe nequeunt in cauſis ſpiritualibus, niſi de licentia Papæ ut laïcus ſimul cum clero arbitri eſſe poſſunt de ordinarij licentia, aut judicis delegati ejus cauſæ; *c. contingit de arbitr.* Denique arbitri eſſe poſſunt alij omnes, qui jure prohibiti non fuerint Sanch. *lib. 6. Decal. c. 13. n. 55.* Mol. *d. 39.* Laym. *lib. 4. c. 11. tract. 5. n. 6.*

1374 Dico tertiò : Materia arbitrij , & compromiſſi eſt in omni cauſa, & re , quæ non invenitur prohibita. Prohibetur autem in his. Primo in cauſis criminalibus Mol. *d.*40. *n.*10. Secundò in cauſis ad communitatem ſpectantibus. Tertiò in cauſa pertinente ad libertatem. Quartò in cauſa vinculi matrimonij.Quintò in ſententia , quæ tranſit in rem judicatam , niſi quoad dubia orta poſt illam. Poſſunt autem compromittere omnes illi,qui poſſunt tranſigere , excepta cauſa beneficiali , in qua aliquando dari poteſt compoſitio , non vero tranſactio, ut cum duo contendunt de beneficio , & cauſa eſt dubia,& componuntur , ut unus obtineat beneficium, & ex reditibus certam aliquam partem alteri tribuat,non pro compenſatione juris beneficij , ſed pro bono pacis. Ut docet Mol. *d.*40.*n.*7.Trullenc.*lib.*7.*c.*28. *dub.*5.*n.*10. & alij in materia ſimoniæ.

1375 Dico quartò : Arbitri poteſtas limitata eſt , & extra compromiſſum judicare non poteſt. Debet autem arbiter partibus præſentibus ferre ſenten-
1376 tiam.Judex electus arbiter à collitigantibus ſub conditione , ut juxta judicium ſuum judicare debeat, & non juxta judicium aliorum , non poteſt alienam opinionem ſequi , ſi tamen æque probabiliter ſuſtineat duas opiniones , juxta quamlibet poterit judicare. Filliuc. *tract.*39. *à n.*107. Molin. *d.*40. &
1377 *ſequentibus* , & alij. Quando ſunt multi arbitri, ſtandum eſt plurium ſententiæ , niſi aliud expreſſum ſit,debent tamen de jure civili omnes adeſſe, de jure tamen canonico , ſufficit quod adſit major pars , reliquis juſto impedimento detentis. Molina *d.*42. *n.*1. & 3. Tandem morte arbitri,vel cujuſuis compromittentis ante ſententiam definitivam ex-
1378 pirat compromiſſum & arbitrium , ea vero lata, ante mortem partium , tranſit ad hæredes : & hæc locum habent tam in arbitro , quàm arbitratore ; ſed de his & aliis vide Molinam *d.*43. & 45. Filliuc. *tract.*93.*c.*7. *quæſt.*9. Trullenc. *lib.*7. *cap.* 28. *dub.*5.

SECTIO VI.

De Tranſactione.

SUMMARIUM.

1379 *Quid ſit tranſactio deſcribitur.*
1380 *Tranſactio eſt contractus innominatus facio ut facias habens ſimilitudinem cum locatione.*
1381 *Ad juſtitiam tranſactionis requiritur ut ſervetur æqualitas inter tranſigentes.*
1382 *Qui non poteſt bona aliqua alienare , non poteſt circa illa tranſigere.*
1383 *Aliqui dantur caſus , in quibus qui alienare non poteſt , poteſt tranſigere,& qui ſint ?*
1384 *Tranſactio in teſtamentis prohibita eſt , ſi fiat ſine ſcientia eorum , quæ in teſtamento continentur.*
1385 *Tranſactio particularis ad alias res non extenditur , bene tamen ad annexa , & dependentia.*

1379 Dico primò : Tranſactio eſt de re dubia , & lite incerta, nec dum finita , non gratuita pactio, ſed aliquo dato , vel retento, vel promiſſo.Ita communiter DD. Dicitur tranſactio , quia qui tranſigit , recedit ab actione, quæ ſibi competebat.Dicitur de re dubia, quia ſi conſtet rem de qua eſt controverſia eſſe alterius , invalida eſt tranſactio. Et idem dicendum eſt, ſi ſit de re de qua jam lata ſit ſententia ; quæque in rem tranſierit judicatam *l.ſi eamſam. Cod.de tranſact. & l. eleganter* §. *ſi poſt. ff. de condit. indebit.* Si tamen haberet locum reſtitutio in integrum , ut in minoribus , vel aliud remedium, ex quo de meo controverti jure poſſit, vel ignoranter ſententia lata , valida eſſet tranſactio. Dicitur pactio non gratuita , quia utrique tranſigenti aliquod onus imponitur ; nam ſi abſque compenſatione uni res concederetur, eſſet compoſitio , vel condonatio , & non tranſactio.Mol.*tract.*2.*d.*556.*n.*4. Filliuc. *tract.*39.*c.*8.*q.*1. Villalob.2.*p.tract.*29.*dif.* 1.*n.*1.

Dico ſecundò : Tranſactio eſt contractus inno- 1380
minatus , facio ut facias , do ut des , habet autem ſimilitudinem cum locatione , & juxta illam eſt regulanda. Tranſit in nominatam , ſi ſtipulatione veſtiatur. Si fiat ſub certa pœna,nolenti illi ſtare,cogi poteſt vel ad illi ſtandum , vel ad ſolvendum pœnam. Quod ſi tranſactioni, in qua appoſita eſt pœna , addatur clauſula , rato nihilominus manente pacto , tunc contraveniens cogi poteſt , ut ſolvat pœnam , & ut ſtet pacto tranſactionis. Filliuc. *ſup. q.*7. Mol.*ſup. n.*13. Idem dicendum eſt , ſi jurata ſit tranſactio, & pœna contravenienti appoſita,Filliuc. *tract.*39. *c.*8. *quæſt.*5.& 6.& 7. Mol. *d.*556. *n.*7. 8.9. & 10.

Dico tertiò :'Ad juſtitiam tranſactionis requiri- 1381
tur, ut inter tranſigentes ſervetur æqualitas. Unde ſi alter tranſigentium deceptus ſit, ultra , aut infra dimidium juſti valoris , datur actio decepto, ut vel contractus reſcindatur , vel reducatur ad æqualitatem , juxta voluntatem ejus , qui decepit , quod præcipuè poteſt in ruſtico , aut muliere contingere *l. Lucius* Filliuc. *tract.*39.*c.*8.*q.*11.

Dico quartò : Qui non poteſt bona aliqua alie- 1382
nare , non poteſt circa illa tranſigere ; quia qui tranſigit , etiam alienat. Hinc fit non poſſe tranſigere eum , qui habet bona vinculata. Nec feudatarium circa feudum , nec hæredem gravatum aliquid reſtituere. Nec prælatum circa bona Eccleſiæ , abſque ſolemnitate , quæ ad alienandum requiritur. Nec minorem , tutorem , aut curatorem , abſque judicis decreto.Nec procuratorem ad agendum conſtitutum , abſque ſpeciali mandato , etiam ſi detur clauſula , ut poſſit omnia exequi ; at ſi concederetur , ut poſſit in particulari aliquid agere, quod requirit ſpeciale mandatum, & adderetur clauſula generalis , quod poſſet etiam exequi omnia , quæ requirunt ſpeciale mandatum, tunc poſſet exequi alia non expreſſa , quæ ſpeciale mandatum requirunt, ac proinde poſſet tranſigere ; ut habetur *cap.qui ad agendum de procurat. in* 6. & cum communi ſententia tenet Molin. *d.*559. *n.*19. Baſæus *in ſupplemento verbo tranſactio.n.*2

Dico quintò : Aliqui dantur caſus , in quibus, 1383
qui alienare non poteſt , poteſt tranſigere. Primo ſi tranſactio fiat authoritate ſupremi principis , & in Eccleſiaſticis Papæ authoritate.Secundò ſi tranſactione fiat , ut res , quæ alienari non poteſt , maneat apud eum, qui eam poſſidet , & is det alteri pecuniam , vel aliquid quod alienari poſſit.Tertiò ſi tranſactio eſſet neceſſaria , ſtatuto aut ſententia judicis, vel principis præcepto, ad vitanda ſcandala; prohibitio enim intelligitur de alienatione, quæ ſit voluntaria. Quarto ſi in tranſactione conſentiant omnes , in quorum favorem prohibita eſt alienatio , & ubi requiritur ſolemnitas ea etiam adſit , ut in rebus minoris , & Eccleſiæ. Molina *ſuprà numero* 10. Filliucius *ſuprà quæſt.*3.

Dico

1384 Dico sextò: Transactio in testamentis prohibita est, si fiat sine scientia eorum, quæ in testamento continentur. Sententia autem super iis, quæ in testamento non viso continentur, etiam si eo viso aliter judicandum esset, valida est, sed rescindenda. Si ignorentur contenta in ultima defuncti voluntate, & facta sit transactio cum debitore hæreditatis invalida est, etiamsi fiat cum renuntiatione jurium, quæ disponunt eam esse validam *l. non solum C. de pred. minor. l. de his, ff. de transact.* Mol. *tract.* 2. *d.* 157. Filliuc. *tract.* 39. *c.* 9. *q.* 5. *&* 6. Transactio autem super alimentis, si relicta sint ex ultima voluntate in futurum absque judicis authoritate invalida est, si autem juramento firmetur valet *l. cum hi ff. de transact.* Mol. *sup. n.* 18. Filliucius *sup. q.* 7. *n.* 156. & alij.

1385 Dico sextò: Transactio particularis ad alias res non extenditur; licet extendatur etiam ad annexa, est transactio generalis, tunc etiam circa incognita intelligenda generaliter transactio est, modo absit dolus. Si generalis sequatur, post petitionem particularem, & restringi potest ad illa sola particularia, non intelligitur de aliis rebus *l. Ago cum, Cod. de transact.* Mol. *tract.* 2. *d.* 538. Filliuc. *tract.* 39. *cap.* 9 *q.* 9. *&* 10.

SECTIO VII.

De Compositione.

SUMMARIUM.

1386 *Quid sit compositio describitur.*

1387 *Compositio dividitur in eam, quæ est de re circa quam nullum est dubium, & in eam quæ est de re, circa quam aliquod est dubium, ad quem pertineat.*

1388 *Ultra dividitur in eam, qua amicabiliter lis, & controversia componitur prudentis arbitrio.*

1389 *Hæc compositio intervenire etiam potest in rebus spiritualibus, & beneficiis.*

1386 DIco primo: Compositio latius patet, quam transactio. Est enim pactio de re aliqua, vel circa quam nulla est controversia, aut esse potest. Quare quando Summus Pontifex in bulla Cruciatæ, aut per se ipsum, aut per summum pœnitentiarium, debitori summæ personis incertis, condonat majorem partem, & minorem applicat in subsidium belli contra infideles, aut in aliud opus pium, non dicitur id esse transactio, sed compositio, quia gratis remittit debitum, de quo non est controversia, cum reliquum quod solvitur in auxilium belli, sit etiam debitum, ac obnoxium restitutioni. Quod vero cum recompensatione aliqua controversia dirimitur, & unus alteri concedit rem, vel jus, de quo controvertebatur, tunc propriè esset translatio, & lato modo diceretur compositio. Molin. *d.* 556. *n* 5. Filliuc. *tract.* 39. *c.* 8. *q.* 4. *num.* 130.

1387 Dico secundò: Compositio dividi potest in eam, quæ est de re, circa quam nullum est dubium, & in eam, quæ est de re, circa quam aliquod est dubium, ad quem pertinent, vel pertinere in futurum debent, & hæc subdividitur in eam, qua unus contendentium aliquid quasi in pretium tribuit alteri, ut recedat à lite, & condonet eis, quod protendere poterat, circa rem illam, & hæc propriè est translactio; quia vero comprehenditur sub compositione amplè, & latè sumpta, merito interdum compositio nuncupatur. Dividitur præterea in eam, qua amicabiliter lis, & controversia componitur, 1388 prudentis arbitrio, sive dividendo rem, aut emolumentum, quod ex ea speratur inter contendentes, sive compensando aliunde pro qualitate, & quantitate juris dubij, ut lites finiantur, & servetur 1389 pax; & hæc intervenire etiam potest in rebus spiritualibus, ac beneficialibus, non autem alia prior, quia aliquid datur in pretium, vel quasi pretium, ut supra diximus. Mol. *tract.* 556. *n.* 6. Filliuc. *tr.* 39. *n.* 131.

DISPUTATIO XXIX.

De obligatione restituendi, quæ oritur ex cooperatione ad furtum, vel damnum injustum.

SECTIO I.

An ut cooperantes ad damnum injustum teneatur restituere, sit necesse eos ita influere, & concurrere ad damnificationem, ut sine illis damnificatio injusta non fieret?

SUMMARIUM.

1390 *Præter exequentem, novem personæ possunt cooperari ad damnum, quæ referuntur.*

1391 *Si aliqua ex enumeratis personis concurrit ad damnum injustum, sive partialiter, vel etiam, si absque aliquo ejus concursu adhuc damnum sequeretur, censetur causa damni, & tenetur ad restitutionem.*

1392 *Quando cooperatio alicujus non movit aliquem ad inferendum malum, sed solùm ad modum non fuit causa damni, nec tenetur ad restitutionem.*

1393 *Qui sua præsentia, vel actione aliquem audaciorem reddit ad damnum inferendum, tenetur ad restitutionem.*

1394 *Quando consilium alicujus non movit, quia is qui consilium accepit jam à se, vel ab alio consilio erat ad malum determinatus, is qui secundo consilium dedit, non tenetur ad restitutionem.*

PRo hujus sectionis intelligentia suppono, cum 1390 communi sententia, præter personam exequentem damnum injustum, de qua huc usque late dictum est, novem personas damno dato cooperari mediate posse, quæ omnes his versiculis continentur.

Quilibet in solidum reddat prius injuriator.
Jussio, consilium, consensus, Palpo. Recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans

Hæ igitur novem personæ possunt cooperari damno injusto; sex primæ positive, & tres ultimæ negative, seu privative. His suppositis,

Dico primò: Si aliquis ex enumeratis novem per- 1391

ſonis ad aliquod damnum injuſtum concurrerit, ſive partialiter, ut cum ex ſuo, & alterius concurſu, quis taliter moneatur ad inferendum damnum, quod aliquo ex his concurſibus deficiente, effectus, non fieret, vel etiamſi abſque eius concurſu, adhuc damnum ſequeretur, cenſetur cauſa damni, & tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt quia eſſe cauſam per ſe damni, non eſt, quod illa deficiente, effectus non fiat; ſed ſatis eſt, quod illa etiam influat de facto influxu proportionato in ſuo genere; ſed tunc re vera illius conſilium v.g. influit, cum ab illo moveatur fur ad furandum, licet non ab illo ſolo; ergo revera denominat conſulentem cauſam damni, ac per conſequens facit eam reum reſtitutionis. Ita cum Caietano, Soto, Maldero, Vaſquius, *de reſtit. c.9.§.1.n.3.* Leſſius *lib.2.c.13. dub.2.n.1.* Molina *d.736.n.5.* & cum aliis communiter Lugo *d.19. n.37.& 38.* Eſcobar *lib.37.Decal.num.238.* Tamb. *lib.8.Decal.tract.4.c.2.§.2.n.3.* contra Adrianum, Ricardum, Paludanum, & alios, quos refert Eſcobar, *ſup.n.136.*

1392 Dico ſecundò: Quando cooperatio, ſeu conſilium v.g. alicujus non movit aliquem ad inferendum malum, ſed ſolum ad modum, ut ſi volenti furari, quis conſulat quod occulte, & caute id faceret, vel quod ad diem craſtinam differret, non fuit vera cauſa damni, nec tenetur ad reſtitutionem. Ita cum citatis doctoribus Lugo *ſup. n.6.* Ratio eſt quia tunc illa cooperatio non fuit cauſa furti, ſed illius circunſtantiæ. Et idem dicendum eſt, ſi volenti furari veſtem, quis conſuluit, ut furaretur etiam arma? nam ſolum arma tenetur reſtituere, ſiquidem ſolum illorum furtum conſuluit. Et idem dicendum eſt, ſi quis volenti furari rem valentem, 100. conſuleret, ut potius furaretur aliam rem valentem etiam 100. nam hic ad nihil tenetur reſtituere; quia hic non fuit cauſa illius damni, ſed tantum commutationis unius pro alio, ſuppono enim conſulentem non conſuluiſſe abſolute, ſed tantum conditionaliter furtum, hoc eſt, quod ex ſuppoſitione, quod furari decreverat, illam potius rem, quam alteram furaretur, quæ commutatio cum eſſet æqualis, nullum damnum intulit. Lugo *ſuprà num.4.* Idem dicendum eſt, ſi quis determinatò inimicum occidere conſuluerit, ut crudelius occideret; ſiquidem hic non conſuluit, nec influit in ſubſtantiam, ſed in modum homicidij. Ita & bene cum Hurtado, & aliis, Tamburin. *lib.8. Decalog. tract.4.c.2.§.2. num.6.* Et idem affirmant alij, ſi determinato occidere aliquem abhinc decem dies quis conſulat, ut citius occidat. Ita Hurtadus *de irregularitate d.2.diſ.6.* Bauni apud Dianam *p.8.tr.7. reſol.92.* probabile putat Tamb. *ſup.* quod quidem verum exiſtimo, ſi conſilium non ſit abſolutum, ſed conditionatum ut, ſi occiſurus ſis abhinc decem dies, occide eras; nam tunc ſolum concurrit conſulens ad circunſtantiam temporis, & non ad ſubſtantiam homicidij. Ita Lugo *d.19.n.15.* Eſcob. *lib.37.Decal. n.241.* quidquid alij dicant.

1393 Dico tertiò: Si quis ſua præſentia, vel actione aliquem audaciorem reddit ad damnum inferendum, tenetur ad reſtitutionem, & ſi de facto nullam actionem exerceat, ut ſi aliqui v.g. furari volentes conſtituant Petrum vigilem, ut ipſos admoneret, ſi aliquis veniret, ut ipſi tutius furarentur: nam tunc licet non fuerit neceſſaria talis monitio, quia nullus advenit, adhuc Petrus, qui vigil remanſit, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia re vera auxilium illud confirmavit fures, ut audacius furarentur; atque adeo aliquem influxum in ipſum furtum habuit. Ita Lugo *ſup.n.31.*

Dico quartò: Si quis determinatus eſt à ſe, vel ab aliorum conſilio, ad inferendum malum, ſi alterius conſilium acceſſit, ille tamen non motus illo, ſed conſilio antecedenti, intulit malum, is qui ſecundum conſilium dedit, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia quamvis ille conſulens etiam damnum, peccaverit contra juſtitiam inefficax tamen fuit eius conſilium ad actionem injuſtam, cum tota efficacia à præcepto ab aliis conſilio proveniret. Ita cum Molina, Leſſio, Vaſquio, Tamb. *ſuprà num.3.* An autem quando facta diligentia, adhuc datur dubium, An ex tua omiſſione, vel actione, ſecutum ſit revera damnum, teneatur ſic dubitans, reſtituere ſaltem in parte? Reſpondeo negative: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Ita Rebellus, Sayrus, Tabiena, apud Sanchez *lib.1.Decalog.cap.10.num.44.* Diana *p.2.tract.3.reſol.84.& p.3.tract.3. reſol.20.& 63.* & cum Salon, Leſſio, Sanchez, Bonacina, Palaus, *tom.1.tract.1.d.3.p.4.num.3.* Trullenc. *lib.7.cap.13. dub.1. num.6.* Excipe quando conſtat aliquem ex quatuor damnum intuliſſe, abſque mutuo conſenſu, vel conſilio; ſed dubitatur quiſnam illorum damnum intulerit; nam tunc unuſquiſque tenetur ad reſtitutionem, ad ratam dubij majoris, vel minoris; nam poſſeſſio ſtat pro delicto, nec eſt major ratio, cur unus obligetur, quam alter. Ita cum Bonacina, Reginaldo. Trullenc. *ſup. num.6.*

SECTIO II.

De Mandante.

SUMMARIUM.

1395 *Mandans tenetur in ſolidum reſtituere, ſi effectus ſequatur.*

1396 *Mandans non ſolum tenetur reſtituere damnum tertio, ſed etiamipſi mandatario, ſi quod ex illo mandatum ſit ſecutum.*

1397 *Si mandans revocavit mandatum, & id intimavit debito tempore mandatario, ſi poſtea ſequatur effectus, non imputabitur mandanti, ſed mandatario?*

1398 *Mandans ſi iam non valet intimare revocationem mandati, tenetur ſi poteſt monere illum, cui damnum inferendum eſt, ut ſibi conſulat.*

1399 *Qui non mandavit fieri damnum ſed poſtea ratum habuit, non tenetur ad reſtitutionem.*

1395 Dico primò: Certum eſt mandantem teneri in ſolidum reſtituere, ſi effectus ſequatur, & illius cauſa efficax exiſtat, executore ſcilicet non reſtituente. Ita communiter DD. Dixi ſi effectus ſequatur; nam ſi effectus non ſit ſequutus, nulla datur reipſa injuſtitia. Dixi & illius cauſa efficax exiſtit, quia neceſſe eſt, quod efficaciter juſſerit, vel expreſsè, ut ſi dicat famulo occide, volo ut occidas, vel tacite, ut, vtinam? quis hoc obſequium mihi præſtaret. Ita cum communi ſententia Bonacina *d.1. de reſtitutione quæſt.2.p.6. numer.3.* Leſſius *lib.2. capit.13. dub.3. numer.11.* Hinc fit, quod ſi mandatarius excedat limites mandati in re extraordinaria, non teneri mandantem ad illius reſtitutionem; nam talis exceſſus non extitit cauſa efficax, ſed imputabitur mandatario. Ut ſi mandans juſſit leviter verberare, &

mandata

Digitized by Google

mandatarius occidit. Ita cum Azorio, & aliis communiter Diana, *p.* 8. *tract* 7 *reſol.* 33. Dixi in re extraordinaria, nam ſi exceſſus fuit ex communiter contingentibus, ut ſi juſſit furari centum, & mandatarius furatus eſt centum, & quinque, ſi juſſit graviter vulnerare, & ipſe occidit, ad totum damnum tenetur mandans, quia cum hæc ſint tam proxima mandato, meritò mandanti imputantur. Ita cum communi ſententia, Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *c.* 2. §. 1. *num.* 1.

1396 Dico ſecundò: Non ſolum tenetur mandans reſtituere damnum tertio, ſed etiam ipſi mandatario; ſi quod illi ex mandato ſit ſequutum. Ita cum Villalobos, Rebello, Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 1. & alij communiter. Adverte tamen hoc damnum debere eſſe ejus generis, quod communiter ſolet contingere mandatario ex re mandata, ut ſi propter homicidium, vel grave furtum, mandatarius condemnaretur ad triremes, &c. nam id ex talibus delictis communiter ſequitur. Secus ſi damnum eſſet extraordinarium: nam tunc, nec indirectè eſſet voluntarium mandanti, ſed omnino per accidens, ac per conſequens non ei teneretur reſtituere; ut ſi advocatus graviter vulneraretur, eo quod ob mandatum litigantis, ejus litem defenderet. In judicio; hoc enim damnum accidentarium fuit reſpectu mandantis, cum communiter accidere, non ſoleat. Tamburinus *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 3. Secundo adverte, quod ſi mandatarius libere, & ſponte ſe obtulit mandato, vel ob id reportat lucrum, tunc nihil ei mandantem teneri reſtituere, etiam ex damnis ſecutis communiter contingentibus; quia volenti nulla fit injuria. Tamburinus *ſup. num.* 3. Secus ſi ſeductus, & coactus fuit ad mandatum; nam tunc ſequitur damnum mandatario ex injuria illi à mandante illata in tali mandato per coactionem, Decaſtillus *ſup. num.* 86.

1397 Dico tertiò: Si mandans poſt mandatum, pœnitentia ductus, debito tempore, revocavit mandatum, & id intimavit mandatario, vel per ſe, vel per nuntium, qui re ipſa intimavit mandatario revocationem, ſi poſtea ſequatur effectus, non imputabitur mandanti, ſed mandatario. Ita cum communi ſententia Lugo *d.* 19. *num.* 23. Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 2. Tamburinus *ſuprà num.* 8. Excipe ſi mandatarius putavit revocationem non ſerio fieri à mandante, nam tunc, & ſi ſerio fieret, damnum imputabitur mandanti; nam tunc primum mandatum non fuit efficaciter impeditum abſque culpa mandatarij, qui ut ſuppono, ex ignorantia invincibili exiſtimavit revocationem non ſerio fuiſſe factam. Ita Lugo *d.* 19. *num.* 26. Eſcobar *lib.* 38. *Decalog. num.* 247. Tamburinus *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 6. contra Dianam *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 14. ubi alios refert. Idem dicendum eſt, ſi mandatarius accipiat revocationem mandati, & poſtea illius invincibiliter oblitus, mandatum exequatur; nam tunc licet per errorem, etiam ex vi prioris mandati operatus eſt. Tamburinus ibi. Lugo *ſuprà num.* 27. Secus dicendum eſt, ſi mandatarius accipiens revocationem mandati, finxit ſe non accepiſſe revocationem, & mandatum executus fuit, ad lucrandum præmium, quod illi promiſſum erat, nam tunc damnum non mandanti, ſed mandatario imputabitur. Lugo *ſuprà numero* 24. Tamburinus *ſuprà numero* 5.

1398 Dico quartò: Si quis mandavit damnum inferri Petro v. g. & jam non valet mandatum revocare, ſi poteſt Petrum admonere, ut ſibi conſulat, & eſt ſpes damnum effugiendi, ad id tenetur, cum minori vel æquali damno, non tamen cum majori. Ita cum Corneio, Turriano, Hurtad. Eſcob. *lib.* 37. *Decalog. n.* 250. Tamb. *lib.* 8. *Decal. tra.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 7. Lugo *d.* 19. *n.* 3. contra Dianam 3. *p. tract.* 2. *de irregularitate reſol.* 14. ubi alios citat. Ratio eſt, quia ſi damnum eſſet illatum, teneretur mandans illud cum minori, vel æquali damno reſarcire, ut omnes ſentiunt; ergo à fortiori, quando nondum eſt illatum, debet illud, ſi poteſt, abſque longe majori proprio damno, impedire. Hinc fit quod ſi non poteſt impedire damnum fortunarum, niſi cum damno vitæ, vel famæ, vel longe majori damno fortunarum, ad id non teneri, ſed ſufficere, poſtea damnum illatum reſtituere, ad quod plane tenetur; quia ex ejus mandato proceſſit. Eſcob. *ſup. n.* 250. Lugo *ſup. n.* 31. Tamb. *ſup. n.* 7.

Dico quintò: Qui non mandavit fieri damnum, 1399
ſed ratum poſtea habuit, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia ratihabitio ſubſequens, non poteſt ratihabentem facere cauſam damni illati; ergo non tenetur reſtituere ex læſione injuſta, cum non produxerit effectum præteritum, nec ex re accepta, cum illa ad eum non pervenerit, ut ſuppono; ſolum ergo tenebitur reſtituere, ſi ſua ratihabitione ſit cauſa, quod exequens damnum illud, non reſtituat. Ita Lugo *d.* 19. *n.* 31. Leſſius *lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 3. *n.* 12. Vaſq. *de reſtit. c.* 9. §. 1. *n.* 19. & cum Med. Eſcob. *lib.* 37. *Decal. n.* 253. contra Navar. *in ſumma c.* 17. *num.* 133. Angelum *verbo furtum* §. 20. & alios. Hinc fit ratum habentem homicidium ſuo nomine patratum, non incurrere irregularitatem, quia ratihabitio non æquivalet mandato, niſi ad effectus, ad quos à jure acceptatur, nec irregularitas incurritur, niſi in caſibus in jure expreſſis; ſed hic caſus nullibi à jure exprimitur, nec ei aſſignatur irregularitas, nec ratum habens fuit cauſa homicidij; ergo. Ita cum Suario, Vaſq. Turrian. Hurtad. Avila, Lugo *ſup. n.* 34. Diana *p.* 4. *tra.* 2. *de irregularitate, reſ.* 13. contra Molinam *tract.* 3. *d.* 33. & alios, quos ibi refert Diana.

SECTIO III.

De Conſulente?

SUMMARIUM.

1400 *Conſulens ſi ſuo conſilio cauſa fuit efficax actionis injuſtæ, tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, exequente non reſtituente.*

1401 *Exequens conſilium, ſi bona fide putabat conſilium juſtum eſſe, nihil tenetur reſtituere.*

1402 *Qui conſilium ad inferendum damnum dedit, ſi debito tempore revocavit & revocationem intimavit illi, cui conſilium dedit, non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi poſtea damnũ ſequatur.*

1403 *Si Petrus eſt determinatus furari ab Antonio centum, poſſum ego illi licite conſulere ut potius ab eo furetur decem.*

1404 *Si quis anceps ſit, à quo ex duobus furetur, poſſum ego ei conſulere ut potius à Petro quam à Paulo amico meo furetur.*

1405 *Qui dubitat an ſuo conſilio motus fuerit conſiliarius ad inferendum damnum, ad quid teneatur?*

Dico primò: Conſulens, (& idem eſt de hortante, dirigente, inſtruente, &c.) ſi ſuo conſilio fuit cauſa efficax actionis injuſtæ, tenetur in ſolidum ad reſtitutionẽ, exequente non reſtituẽte. Ratio eſt quia conſiliarius motus fuit ad male agendum ex conſilio 1400

accepto. Ita cum communi ſententia Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 2. §. 1. *num.* 2. Dixi ſi ſuo conſilio fuit cauſa efficax; nam ſi conſilium non influit, eo quod alter paratus jam erat, non tenetur reſtituere. Ita cum Molina, Leſſio, Vaſquio, & aliis communiter, Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. cap.* 2. *tract.* 4. §. 2. *n.* 3. Et idem dicendum eſt, ſi conſilium non exequentem movit ad homicidium; ſed ad citius, animoſius, crudelius, & ſeverius agendum; nam tunc ſolum fuit cauſa modi, non tamen homicidij, ad quod jam homicida determinatus erat. Ita cum D. Th. Petro Navarra, Tamb. *ſup. num.* 3. probabile putat Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 2. *num.* 11. & nos jam ſupra diximus, ſectione prima hujus diſputationis *dicto* 2. & 4. contra Rebellum, Molinam, & alios. Excipe, niſi quis conſuleret aliquem exceſſum, ut ſi determinato ad furandum decem, quis conſuluit, ut furaretur quindecim, nam tunc tenebitur ad exceſſum, cum revera illius damni cauſa fuerit. Tamb. *ſupr. num.* 7.

1401 Dico ſecundò: Exequens conſilium, ſi bona fide putabat conſilium juſtum eſſe, nihil tenetur reſtituere, ſed tota obligatio reſtituendi incumbit conſulenti, niſi exequens in aliquo factus ſit ditior, vel aliquid ex re aliena apud ipſum maneat. Ratio eſt, quia exequens authoritate conſulentis, opus executus eſt, putans id eſſe ſibi licitum; ergo cum ipſe non peccaverit, non ipſi, ſed conſulenti damnum imputabitur. Ita & bene cum communi ſententia Lugo *d.* 19. *num.* 35. Requiritur tamen ad hoc, quod conſulens peccaverit mortaliter, ſive ſcienter, ſive ex ignorantia craſſa, aut graviter culpabili. Lugo ibi. Adverte tamen, quod ſi quis conſilium alicui dedit malum faciendi, unde qui conſilium accepit damna paſſus eſt, non obligari conſulentem, ad aliquod ex his damnis reſtituendum; quia liberum fuit conſulto tale conſilium acceptare; ſcienti enim, & volenti nulla fit injuria. Et idem dicendum eſt de mandatario libere mandatum ſuſcipiente, ut ſupra diximus. Ita cum Clavi Regia, Leſſio, Decaſtillus, *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 4. *num.* 85. Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 7. An autem ſi quis alicui conſuluit duellum, & is qui conſilium accepit occiſus eſt, conſulens incurrerit irregularitatem? Reſpondeo negative; & ratio eſt, quia irregularitas ex conſilio homicidij, non eſt in jure inflicta, niſi quando conſilium directe tendit ad ipſam occiſionem; ſed hic non tendit ad illam; ergo. Ita cum Turriano, Hurtado, Vaſquio, Henriquez, Eſcobar, *lib.* 37. *Decal. n.* 238. Lugo *d.* 19. *num.* 4. Excipe, niſi eo animo conſilium quis dederit, ut ille occideretur. Lugo *ſup.* Eſcob. *ſup. num.* 259.

1402 Dico tertiò: Qui conſilium aliquod ad inferendum damnum dedit, ſi tempore congruo illud retractavit, & intimavit ei, cui conſilium dedit, conſilij ſui retractationem, non tenetur poſtea damnum ſecutum reſtituere. Ratio eſt, quia operator damni, jam proprio marte rem gerit, ſicut diximus, de mandatario. Ita cum Layman, Avila, Tannero, Diana, *p.* 2. *tract.* 5. *miſcellan. reſol.* 83. Salon. Navarra, quos refert, & probabile putat Leſſius *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *num.* 15. Præpoſitus *in* 3 *p. q.* 5. *de irregularitate dub.* 8. *n.* 62. & 64. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 14. probabile putat Tamb. *lib.* 6. *Decalog. cap.* 4. §. 5. *n.* 4. Contra Mol. Vaſq. & alios, quos refert, & probabilius putat Eſcob. *lib.* 37. *Decalog. n.* 255. Lugo *d.* 19. *n.* 53. Hinc fit, quod ſi quis conſuluit fœminæ abortum, ſi conſilium ſerio revocavit, ſi ſemel perſuaſam non potuit revocatione conſilij removere eam ab aborto procurando, non incurrere irregularitatem effectu ſecuto. Ita Henriq. *lib.* 14. *c.* 16. *n.* 5. Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 21. *dif.* 20. *n.* 8. Diana 3. *p. tract.* 2. *de irregularitate reſol.* 11. quidquid in contrarium dicat Lugo *ſuprà num.* 19.

Dico quartò: Si Petrus eſt determinatus furari 1403
ab Antonio centum, poſſum ego illi licite conſulere, ut potius ab eo furetur decem. Et idem eſt, ſi volenti occidere conſulem, ut manum imputet &c. Ratio eſt, quia id cedit in gratiam domini. Unde & poteſt illum juvare ad minus furtum, ut avertat eum à majori, reſpectu ejuſdem. Ita cum communi ſententia Lugo *d.* 19. *n.* 44. Eſcobar *lib.* 37. *Decalog. num.* 260. Et idem dicendum eſt, quando utrunque malum reſpicit diverſas perſonas; ſit fur de utroque malo inferendo, jam cogitabat, & anceps erat, cui ex duobus illud inferret, nam tunc poteſt quis ei conſulere, ut minus malum amplectatur, nam tunc ſolum conditionate conſulit, & ei explicat veritatem honeſtam. Lugo *ſup. num.* 46. ubi multos refert Eſcobar *lib.* 37. *Decalog. n.* 263.

Imo ſi quis anceps ſit, à quo ex duobus furetur 1404
centum; poſſum ego ei conſulere, ut potius à Petro, quam à Paulo amico meo furetur, in gratiam mei; nam per hoc non inclino illum ad furandum alteri, ſed averto illum à damno inferendo amico, licet ex hoc indirecte ſequatur damnum alteri, propter firmum propoſitum, & decretum, quod fur habet furandi ab uno ex duobus. Eſcobar *ſup. n.* 267. Lugo *ſup. n.* 54. Secus dicendum eſt, ſi Petrus ſit determinatus furari à Paulo centum, & nihil cogitet de Franciſco, nam ſi tunc ei conſulo, ut potius furetur à Franciſco decem, & pecco contra juſtitiam, & teneor reſtituere. Ratio eſt, quia id eſt inducere latronem, ad hoc furtum, & facere hoc furtum Franciſci poſſibile, quod alias erat impoſſibile, propter oblivionem, & eſt idem, ac aperire portas domus Franciſci latroni, ut potius ibi furetur, quam alibi, quod quidem illicitum eſt. Lugo *ſuprà n.* 47. Excipe niſi damnum Franciſci eſſet adeo leve, ut ipſe teneretur ex charitate illud pati ad vitandum majus alterius; tunc enim dives, qui damnum leve patitur, ad vitandum magnum pauperis, non videtur rationabiliter invitus. Ita cum Bonac. Vaſquio, Trullenc. *lib.* 7. *Decalog. c.* 13. *dub.* 1. *n.* 6. & nos latius diximus *tract.* 2. *d.* 3. *ſect.* 7. & 8.

Dico quintò: Qui dubitat, an ſuo conſilio mo- 1405
tus fuit conſiliarius ad inferendum damnum, tenetur primo eum interrogare, & ſi ille ſerio dicat, ſe non ex ejus conſilio motum fuiſſe ad occidendum, furandum, &c. liberatur à reſtitutione, & irregularitate, ſi homicida ſit fide dignus, vel dentur aliæ circunſtantiæ id perſuadentes. Ita Sanch. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 10. *n.* 44. Palaus *tract.* 1. *d.* 3. *p.* 4. *n.* 3. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 5. Diana *p* 4. *tract.* 3. *reſol.* 28. Quod ſi talis interrogatio non ſit poſſibilis, colligendum id eſt, ex circunſtantiis; nam ſi ſtatim poſt conſilium ſecutum fuit furtum, homicidium, &c. tunc cenſendum eſt fuiſſe ex vi conſilij. Secus ſi poſt multum tempus ſecutum ſit damnum, nam tunc poteſt præſumi fuiſſe ex alia cauſa. Trullenc. *ſup.* Quod ſi omnibus tentatis, adhuc conſulens maneat dubius, tunc liber eſt ab obligatione reſtituendi; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Ita Trullenc. *ſup. n.* 5. & cum Medin. Henriq. Diana *p.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 84. dummodo paratus ſit reſtituere, dum ſciverit, ſuum conſilium fuiſſe cauſam damni. An autem in hoc caſu cenſeatur irregularis? vide quæ dixi *in tractatu de irregularitate præcedenti tomo*; interim vide Trullenc. *ſup.*

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Consentiente.

SUMMARIUM.

1406 *Consentiens si suo suffragio, & consensu causa fuit actionis injustæ, tenetur ad restitutionem.*
1407 *An teneatur ad totum damnum, vel tantum ad partem?*
1408 *Quoddam corollarium ponitur.*
1409 *Qui non consensit ubi consentire tenebatur ex justitia injustum est, & tenetur ad restitutionem.*
1410 *Quoddam corollarium ponitur.*

1406 DIco primò: Consentiens dicitur, qui suo suffragio iniquæ actioni consentit, favet, approbat, &c. is ergo, si suo consensu, vel suffragio fuit causa actionis injustæ, & peccavit, & tenetur restituere. Secus si ejus suffragium, & consensus nihil profecit, quia Rex v.g. jam erat determinatus ad bellum injustum inferendum; nam tunc licet peccaverit, non tenetur restituere, cum non ejus consensus, sed Regis determinatio, causa fuerit belli injusti. Ita cum communi sententia Bonacina *d.* 1. *de restit. quæst.* 2. *p.* 8. *num.* 3. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 13. §. 2 *num.* 2. In casu tamen, quod consentiens sit causa damni suo consensu, satis probabile est, non teneri tutum damnum restituere, sed solum partem sibi correspondentem. Ita cum Henriquez, Strovesdorff; Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 79. & probabile putat Trullenc. *suprà num.* 2. Idem affirmat cum Lessio Escobar *lib.* 37. *Decalog. num.* 287. Quando consentiens, vel consulens, non fuit causa totalis, & sufficiens damni, sed partialis, ac insufficiens; sed de his statim redibit sermo.

1407

1408 Hinc fit ferentem suffragium in electiones si vota sint publica, si inique vovit, postquam jam electio completa erat, nec erat spes contrario suffragio eam impediendi, non teneri ad restitutionem, licet peccaverit, quia non influit in illam. Secus si voto suo completa est, vel nondum alij suffragati sint, & si sciat alios ita etiam suffragaturos. Ita cum Caietano, Lessio, Navarro, Trullenc. *sup. num.* 3. Quod si electio fiat per vota occulta, tunc si ei constet alios antecedentes inique jam elegisse suis suffragiis; idem dicendum est; ac si vota essent publica. Si tamen id ei certo non constet, & si sit ultimus, quod suffragatur, & peccavit, & tenetur ad restitutionem; nam cum vota sint occulta, non est cur magis uni, quam alteri, damnum imputetur, & possessio stat pro damno. Ita cum Bonacina, Navarro, Rebello, Trullenc. *suprà num.* 3. Et idem dicendum est, de suffragiis posterioribus, si jus habeant confirmandi factum à prioribus suffragiis, quia sunt vera damni causa, cum præcedentibus. Sayr. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 8.

1409 Dico secundò: Sicut injustus est, qui per suum suffragium actioni iniquæ consentit, ita est injustus, qui non consentit, ubi consentire per justitiam deberet; hoc est, ubi suffragium negat, quando in favorem alicujus, vel in bonum Reipublicæ illud ferre oportebat. Hinc si quis in capitulo renuntiavit suffragio, & ob id electio injusta evadit, si alias is, qui renuntiavit suffragio tenebatur ex officio suffragari, ut sunt prælati, qui ex officio ob bonum publicum, & non solum in eorum gratiam, & favorem votum concessum est, & peccavit, & tenetur restituere damna inde secuta. Secus si suffragium non competeret ex officio, sed solum ex favore, vel ex gratia respectu illius, qui illi renuntiavit, ut in aliquibus Religionibus conceditur his, qui tot annos Theologiam docuerint, & scholasticis in academiis, quoad cathedras; nam tunc nec peccavit renuntiando, nec tenetur ad restitutionem. Ita & bene cum Armill. Gutierr. & aliis Lugo *d.* 19. *num.* 61. Hinc fit scholasticos nolentes suffragari in electione ad cathedram, non peccare contra justitiam, nec teneri ad restitutionem, etsi suis votis damnum possent impedire; siquidem ad id non tenentur ex officio, sed ex sola gratia in favorem ipsorum, cui possunt renuntiare, nisi fortè aliquando ex charitate teneantur, quando scilicet absque gravi damno possunt impedire alienum damnum grave, nec aliqua rationabili causa excusantur. Lugo *sup. n.* 63. Escobar *lib.* 37. *Decalog. num.* 277.

1410

SECTIO V.

De Adulatore, & Receptore.

SUMMARIUM.

1411 *Adulator, & Palpo tunc ad restitutionem tenetur, cum adulatione causa est, quod vel damnum fiat, vel factum non restituatur.*
1412 *Receptio, seu reversus tunc obligationem restituendi inducit, cum influit ad injustitiam inferendam.*
1413 *Ponitur quoddam corollarium*

DIco primò: Adulator, qui, & Palpo, seu Palpator dicitur; tunc ad restitutionem tenetur, cum adulatione, seu laudibus causa est, quod vel damnum fiat, vel factum non restituatur. Et idem dicendum est de eo, qui ita alicui exprobrat, vel irridet, si his opprobriis, vel irrisionibus, motus ill damnum injustum intulit, vel illatum non compensat; hæc enim sunt quasi consilia, unde qui sic concurrit perinde obligatur, ac si concurreret. Ita Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *Decalog. c.* 2. §. 3. *n.* 3. Lugo *d.* 19. *n.* 70 Escob. *lib.* 37. *Decalog.* 278. Trullenc. *lib.* 7. *Decal c.* 13. §. 3. *num.* 1. 1411

Dico secundò: Receptio, seu Recursus, tunc obligationem restituendi inducit, cum influit ad injustitiam inferendam, ut cum quis concurrit, furem recipiendo, prædam servando, vel occultando, securitatem præbendo, quibus fur animosior fit ad damnum inferendum, vel retinêdum. Lugo *d.* 19. *n.* 70. Tamb. *sup.* §. 4. *n.* 1. Escob. *sup. n.* 278. Secus dicendum est, si post furtum factum, quis casu recipiat furem, ne à lictoribus comprehendatur. Ita Tamb. *sup. num.* 1. 1412

Hinc excusantur advocati defendentes latronem in illis, in quibus ipsi fures se in jure possunt defendere. Defendere autem se possunt, quando culpa est occulta, imo & quando non est semiplene probata, & quando injuste vexantur, non servato juris ordine; quod verum est, & si ex hac defensione sequatur, quòd ipsi fures postea non restituant, nam id per accidens sequitur. Ita cum Mol. Decastillo, Tamburin. *sup. n.* 1. & cum Lugo, Escob. *lib.* 37. *Decalog. n.* 281. 1413

Secundò fit, excusari à restitutione dantes domum, mensam, chartas filiis familias ad ludendum, de quibus est suspicio, quod res, quas ludunt esse alienas nam illa cooperatio dandi domum, mensam, aleas, &c. est nimis remota, & indifferens, & potest sæpe intervenire causa rationabilis illam à peccato gravi contra justitiam excusans, prout de locante domum usurario, saltem indigenæ fatentur multi, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 1. *Decalog. c.* 7. *n.* 20. Ita Lugo *d.* 19. *n.* 76. Escob. *lib.* 37. *Decalog. num.* 284.

SECTIO

SECTIO VI.

De Participante.

SUMMARIUM.

1414 *Quis dicatur particeps criminis?*
1415 *An particeps teneatur reſtituere totum damnum?*
1416 *Qui ſuo ſuffragio fuit cauſa partialis damni, non tenetur reſtituere totum damnum, ſed partem.*
1417 *Quid dicendum ſit de milite pugnante in bello injuſto?*

1414 DIco primò: Particeps criminis dicitur ille, qui furem v. g. vel homicidam comitatur qui adſtat, qui explorat feneſtras, & ſubminiſtrat neceſſaria ad hoc ut alij damna inferant; & hos vocamus cauſas minus principales damni. Vnde in illarum defectu, omnes modo dicto tenentur reſtituere. Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *cap.* 2. §. 4.
1415 *num.* 1. Lugo *d.* 19. *num.* 70. An autem prædicti ſic participantes teneantur reſtituere totum damnum; vel ſolùm partem? Melior ſententia docet, tunc teneri reſtituere totum damnum, quando eorum auxilium ex ſe erat cauſa totalis totius damni, & ſi aliæ concauſæ non concurrerent, vel ſi tantum erat cauſa partialis, ſubtrahendo tamen ſuum concurſum, poterat totum damnum impedire, nam tunc ſingulæ cauſæ particulares æquivalent totalibus. Secus quando ex ſe talis concurſus non erat ſufficiens ad inferendum totum damnum, vel impediendum, ſed ſimul conjunctus cum aliis conſociis, nam tunc ſolum tenebitur ad partem pro damno. Ita cum Leſſio, Rebello, Lugo, *d.* 19. *n.* 83. Eſcobar *lib.* 37. *Decalog. num.* 287. & nos *ſup.* tetigimus *ſect.* 4. hujus diſputationis dicto primo.
1416 Hinc fit eum, qui ſuo ſuffragio fuit cauſa partialis damni, non teneri reſtituere totum damnum, ſed partem, niſi forte, ſi ſuo ſuffragio poterat damnum impedire. Eſcobar *ſup. num.* 290. Et idem dicendum eſt de milite pugnante in bello injuſto, ſiquidem non fuit cauſa hujuſmodi damni, nec illud
1417 poterat impedire. Vnde ſolum tenetur ad partem damni ſibi correſpondentem. Ita Vaſquius *de reſtitutione cap.* 9. §. 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. Et dato quod de rigore juſtitiæ miles ad id teneretur quatenus omnes, & ſinguli milites, concurrunt ad damnum quod unus inferat, ſiquidem ipſe damnum non inferret, niſi ab aliis protegeretur, ut bene notat Lugo *ſup. num* 88. Eſcobar *lib.* 37. *Decalog. num.* 293. Attamen hac reſtitutione partiali contenti ſunt hi, qui damnum paſſi ſunt, quia totalis reſtitutio, cuilibet eſt moraliter impoſſibilis, præcipuè ſi ſit magna, ut excidium civitatis. Ita cum Lugo, Eſcobar, *ſup. n.* 293.

SECTIO VII.

De concurrentibus negative ad damnum, & eorum reſtitutione.

SUMMARIUM.

1418 *Quæ ſint cauſæ negativè concurrentes ad damnum, & quid per eas intelligatur?*
1419 *Qui ſe negative gerit, ſi poſſit, & debeat ex juſtitia damnum impedire, tenetur ad reſtitutionem, ſi non impedivit.*
1420 *Qui negative ſe gerit, ſi ex juſtitia non tenebatur impedire, non tenetur reſtituere, & ſi aliquando non impediendo peccaverit contra charitatem.*
1421 *Qui ſine vi, vel fraude ſuadet alicui, ne furtum Petro inferendum impediat, qui tamen non tenebatur ex juſtitia impedire, non tenetur ad reſtitutionem.*
1422 *An ſi fur alicui det aliquam rem ne ejus furtum impediat quod non tenebatur ex juſtitia impedire, teneatur ad reſtitutionem rei ſic à fure acceptæ?*
1423 *An famulus cui non eſt commiſſa ſpecialis cuſtodia domus, teneatur reſtituere, ſi tacendo non impediat furtum ab exteris, vel ab aliis famulis fieri?*
1424 *Quodam corollarium ponitur.*

1418 PRo hujus ſectionis intelligentia ſuppono, cauſas concurrentes negative ad damnum eſſe, mutum, non manifeſtantem, non obſtantem, ut *ſup.* diximus. Secundo ſuppono mutum dici illum, qui loquendo, reprehendendo, clamando, conſulendo, poteſt impedire damnum proximi, & tamen tacet. Non obſtans dicitur, qui facto, vel auxilio ſuo, ſuove opere, poteſt impedire damnum, & non impedit. Non manifeſtans dicitur, qui poteſt revelare damnum inferendum, vel illatum, quo pacto non inferretur, vel reſarciretur, & non revelat. His ſuppoſitis,

1419 Dico primò: Qui non loquitur, non auxiliatur, non revelat, & uno verbo, qui ſe negative gerit, ſi poſſit, & debeat damnum impedire ex juſtitia, peccat, teneturque ad reſtitutionem. Ratio eſt quia munus, & officium quodcunque, affert ſecum impoſitam hanc obligationem juſtitiæ. Excipe, niſi adſit periculum grave nocumenti in vita, honore, vel re familiari; ſiquidem non cum tanto onere, hæc officia aſſumuntur, niſi alias amplius poſcat pactum, ut in milite, Parocho, &c. Ita Petrus, Navarra, *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 123. Molin. *d.* 735. Decaſtill. *lib.* 2. *d.* 4. *tra.* 2. *dub.* 8. *n.* 138. Tamb. *lib.* 8. *Decalog. tract.* 4. *cap.* 2. §. 6. *num.* 2.

1420 Dico ſecundò: Qui negative ſe gerit tacendo, non auxiliando, vel revelando, ſi ad id non tenetur ex officio, vel contractu, ſed ſolum ex charitate, eſto aliquando peccet contra charitatem, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia obligatio ex ſola charitate non affert ſecum obligationem reſtituendi. Ita cum communi ſententia Mol. *d.* 735. *num.* 2. & cum Leſſio, Vaſq & aliis, Lugo. *d.* 19. *n* 99. Tamb. *ſup. n.* 2. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 2. Eſcob. *lib.* 37. *n.* 297. Quod verum eſt, & ſi quis negative ſe in his habeat ex odio, ut damnum alteri inferatur; nam tunc quamvis peccet ex malo affectu, ex nulla tamen parte eſt cauſa externa damni. Ita Decaſtill. *ſup. n.* 131. Tamb. *ſup. n.* 3. Trullenc. *ſup. n.* 2. Eſcob. *ſup. n.* 300.

1421 Dico tertiò: Qui ſine vi, vel fraude, ſuadet alicui, ne furtum Petro inferendum impediat, qui tamen non tenebatur ex juſtitia impedire, ſed ſolum ex charitate, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia ceſſante vi, vel fraude, is qui impedit bonum alterius, quod illi ex juſtitia non debetur, etiamſi id ex odio faciat, non peccat contra juſtitiam, ſed tantum contra charitatem, ergo non tenetur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 10. *n.* 66. Lugo *d.* 19. *n.* 101. Eſcob. *lib.* 37. *Decal. n.* 303. Tamb. *lib.* 8 *Decal. tract.* 4. *cap.* 2. §. 6. *n.* 4. quidquid alij dicant.

An

Digitized by Google

1422 An autem si fur, alicui det aliquam rem, ne ejus furtum impediat, quod non tenebatur ex justitia impedire, teneatur ad restitutionem rei, sic à fure acceptæ? Respondeo teneri, si res sit pars ipsius furti: nam tunc non solùm, non impediret, sed ad furtum concurreret. At si res non sit ex re furata, sed ex rebus ipsius furis, existimo accipientem non teneri restituere. Et ratio est, quia sicut iste poterat non impedire ob preces furis, ita & ob munera. Ita Lugo, *d.* 19. *n.* 102. & cum aliis Escobar, *lib.* 37. *Decal. n.* 307. Tamb. *sup. n.* 5. & 6. contra Lessium, Dianam, & alios, quos ibi refert Escobar. Sed quid, si fur alicui det aliquid, ut taceat, vel ne revelet, tenebiturne acceptum restituere? Respondeo teneri, quoties tenetur saltem ex charitate revelare: nam tunc si taceret, peccaret, & acciperet rem pro re illicita. Secus si nec ex charitate teneretur revelare, ut cum ex manifestatione timet sibi, vel amico grave damnum: nam tunc, etiam posset pretium retinere Lugo, *d.* 19. *n.* 104. & cum Soto, Navarro, Lessio, Escob. *lib.* 37. *Decal. n.* 310.

1423 An autem famulus, cui non est commissa specialis domus custodia, tacendo, vel non impediendo damnum ab exteris fieri, peccet, & teneatur ad restitutionem? Respondeo affirmative quia aliqua cura domus saltem respectu exterorum, non tamen respectu aliorum famulorum ejusdem domus, ei commissa est, licet non cum speciali vigilantia, & ita communis hominum sensus habet. Ita Navar. *de restit. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 224. Lessius, *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 71. Lugo, *d.* 19. *n.* 106 Escob. *lib.* 37. *Decal. n.* 313. Dixi non tamen respectu aliorum famulorum ejusdem domus: nam hos non tenetur impedire, etsi absque suo incommodo, id facere possit, & non faciat, peccabit tantum contra charitatem. Tamb. *sup. n.* 8. Excipe, nisi videat noctu famulum res domini congregantem ad eum eis fugiendum: nam tunc tenetur clamare, siquidem tunc famulus furans censetur extraneus Lugo, *d.* 19. *n.* 106. Tamb. *sup. n.* 8. quando autem sunt multi famuli quibus incumbit onus custodiendi domum, si taceant, vel non impediant, cum impedire possent, obligantur singuli in solidum ad restitutionem, si singuli separatim poterant impedire totum damnum, vel si poterant adjuti à conservis, & tunc etiam tenentur ad totum damnum, si eos non vocant, & si sciant alios non adjuturos. Ita & bene Tamb. *sup. n.* 9. nam dum non clamarunt, & se promptos non exhibuere ad impediendum damnum, fuerunt in causa, ut quilibet putaret conservos non accessuros.

1424 Hinc etiam fit custodem vineæ contrahere onus restitutionis, si non clamat, furemque impediat. Tamburinus, *suprà num.* 10. Et idem dicendum est de custodibus portarum, seu gabellarum, nemorum, &c. nisi manifestent fures: nam hi tenentur ex officio. Non tamen tenentur ad restituendum pœnam actori, & fisco, quam condemnatus solveret, si eum revelaret. Et ratio est, quia hæc pœna, non debetur, nisi post sententiam judicis. Unde quacumque ex causa impediatur sententia, cum actor, nec fiscus nondum jus acquisierit, ad nihil tenebuntur non manifestantes Diana, *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 54. Decastillus, *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 4. *n.* 165. Tamburinus, *sup. n.* 12. Et idem dicendum est, quoad pœnas de judicibus, qui reos non condemnant, esto cum peccato, ad solvendum aliquid actori, vel fisco, vel alteri, quod ex pœna etiam conventionali debebat reus. Ita cum Tamero, Lessio, Sanc. Vasquio, Diana, *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 35 Lugo. *d.* 37. *n.* 97. Tamb. *suprà n.* 12. Et idem de facientibus etiam positive fugere eos, qui essent condemnandi ad pœnam pecuniariam, propter eandem rationem tenet Diana, *sup.* Lugo, *sup.* Tamb. *sup.*

SECTIO VIII.

Quo ordine hæ concausæ restituere debeant?

SUMMARIUM.

1425 *Illæ sex personæ, quæ positivè concurrunt ad damnum, prius tenentur restituere quam illæ tres, quæ solum permissive concurrunt.*

1426 *Inter causas positivas, ille tenetur primo loco, qui apud se habet rem alienam.*

1427 *Si res aliena apud nullum sit, sed tantum damnum datum sit, ille tenetur primo loco restituere, qui jussit, suasit, mandavit, & coegit.*

1428 *Inter causas secundarias positivas, non datur ordo prioris, vel posterioris.*

1429 *Si principalis causa restituit, cæteri manent liberi à restitutione.*

Dico primò: illæ sex personæ, quæ positive concurrunt ad damnum, prius tenentur, quam tres, quæ solum permissive concurrunt. Ratio est, quia causa positiva magis influit in effectum. Quod si contingat malefactorem animari ex maxima superiorum, vel custodum negligentia, tunc ipsa superiorum negligentia censetur concurrere positive, & computatur, quoad restitutionem inter causas positivas Lessius, *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 11. *n.* 81. 1425

Dico secundò: inter causas positivas, ille tenetur primo loco, qui apud se habet rem alienam, sive sit mandans, consulens, &c. quia tenetur ratione rei acceptæ, quæ est omnium maxima obligatio. Excipe, nisi de mandato alicujus damnum quis dederit, & in præmium rem alienam receperit: nam tunc mandans, etiam ante hunc tenetur restituere, quia tunc ipse est causa principalis damni Tamburinus, *lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *cap.* 2. §. 7. *n.* 3. Quod si quis rem alienam accepit, eam consumpsit mala fide, adhuc tenetur pretium ejus restituere, si bona fide consumpsit, tenetur restituere in quo factus est ditior? illo autem restituente cæteræ concausæ liberæ manent à restitutione, & si una ex aliis concausis prius rem alienam restituit, is qui rem habet, ei & non domino, tenetur restituere, cum iam domino sit satisfactum. Ita cum Lessio, Bonacina, & aliis Trullenc. *lib.* 7. *Decal. c.* 13. *dub.* 5. *n.* 3. 1426

Dico tertiò: si res aliena apud nullum sit, sed tantum damnum alicui datum fuit, puta incendium domus, segetum, occisio, vulneratio, &c. primo loco tenetur restituere qui jussit, suasit, mandavit, vel coëgit, exequutores vero in defectu jubentium. Ratio est, quia jubentes in casu, licet non sint causæ exequentes morales, sunt tamen causæ principales damni, ut ex se patet. Excipe, nisi exequutores in damno inferendo à se moti fuerint; quia tunc certum est esse causas principales Vasquius, *& restit. cap.* 9. §. 1. *dub.* 3. *n.* 54. *&* 56. & cum Villalobos, & aliis Trullenc. *suprà num.* 4. Hinc fit imperantem, solum teneri primo loco, quando habet vim imperandi respectu exequentis, ut sunt duces respectu subditorum, dominus respectu famuli, pater respectu filiorum, maritus respectu uxoris, vel alius, qui minis, metuve, alteri præcipit, si enim inferens talem vim coactivam non habet, tunc imperium non est causa principalis exe- 1427

quentis, sed tantum consiliaria, & exequens motus illius consilio operatus est. Unde in hoc casu in primo loco tenetur exequens. Ita cum Navarro, Sairo, Bonacina, Trullenc. *sup. n.* 5.

1428 Dico quartò: inter causas secundarias positivas, quæ tenentur ad restitutionem post jubentem, & exequentem verius est non dari ordinem prioris, & posterioris, sed omnes æque primo, una tamen magis, alia minus, secundum quod magis, vel minus videtur quod exequutorem movisset, tenentur ad restitutionem. Ratio est, quia quælibet ex his causis non est operata damnum tanquam alterius instrumentum, sed unaquæque per se in suo ordine. Unde qui est causa sine qua non damnum fieret absolute prius tenetur restituere, quam ille, qui est causa solum sine qua non fieret tali modo, id est, ita celeriter, ita audacter, vel atrociter. Hinc, quod aliquando magis teneatur consulens, quam consentiens, vel receptans, & è contra, prout exequutor ab hac, vel illa, magis motus fuit. Hinc etiam fit, quod quando causæ sunt ejusdem speciei, ut duo consulentes, duo consentientes, non reperiri ordinem prioris, & posterioris, sed omnes teneri restituere unum, altero non expectato. Ita cum Lessio, Bonacina, Trullenc. *sup. n.* 7. & cum Vasquio, Tamb. *sup. n.* 5. Et idem dicendum est de causis negativis in defectu causarum positivarum: nam etiam inter eas non datur ordo prioris, & posterioris, sed omnes tenentur æque primo, in defectu positivarum Trullenc. *ibi.*

1429 Dico quintò: si principalis, qui suo nomine jussit, vel coëgit, vel fraude induxit, restituit in solidum, cæteri manent liberi à restitutione. Item si exequutor restituat, eo quod jubens nolit, ceteri inferiores etiam manent liberi, non tamen jubens: nam is tenetur exequutori restituere id, quod ille restituit, & sic de ceteris causis; siquidem is succedit in jure, quod dominus habebat in jubentem, sicut si fidejussor solvat pro suo principali, tenetur ei postea principalis solvere; sic ergo dicendum est in his causis. Ita cum Lessio, Salon, Trullenc. *sup. n.* 9. Advertere tamen, quod si lætus remisit uni ex concausis, non statim censendum est omnibus remisisse, sed distinguendum est, si remisit principali, ceteri liberi manent; si vero remisit alicui ex causis secundariis, tunc principalis tenetur ad restituendum totum, id est, majorem partem ipsi læso, & suam partem ipsi remisso, cæteræ vero causæ secundariæ, quibus non est remissum, casu quo in defectu principalis debeant restituere, non obligantur ad totum, quia debet tolli illa pars, de qua una ex concausis obtinuit remissionem. Decastillus, *lib. 2. tract. 2. d. 4. dub. 1. & 11.* Tamb. *sup. n. 6.* Trullenc. *lib. 7. Decal. c. 13. dub. 7. n. 3.*

SECTIO IX.

Quando plures æque secundariæ, vel æque principales sunt causa damni, ad quid teneantur?

SUMMARIUM.

1430 *Si is qui accepit prædam restituit, cæteri liberi manent.*

1431 *Quid si is nolit restituere?*

1432 *Quando una ex concausis totum restituit in defectu aliarum, tenentur cæteri pro sua parte ei restituere.*

Dico primò: si is, qui accepit prædam restituit, cæteri liberi manent; siquidem domino jam satisfactum est, ut *suprà*, diximus. Quod si is nolit restituere, omnes tenentur suis æquis portionibus concurrere ad restitutionem damni: nam cum æqualiter concurrerint ad damnum, æqualiter debent concurrere, ad illius reparationem. Ita cum aliis Trullenc. *lib. 7. Decal. cap. 13. dub. 6. num. 1.* sed quid si cæteri nolint restituere, tenebiturne usus in totum restituere? Vide quæ dixi *sect. 6* hujus disputationis, ibi enim huic difficultati jam satisfactum est. 1430 1431

Dico secundò: quando una ex concausis totum restituit in defectu aliarum, tenentur cæteræ pro sua parte ei restituere; quia jus quod habebat dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui pro socius æqualibus in crimine satisfecit, & alias ut suppono, non est causa principalis damni. Ita cum Lessio, Bonacina, Trullenc. *lib. 7. Decal. cap. 13. dub 6. num. 1.* An autem quando plures comitantur aliquem, non animo adjuvandi, sed ad damnum impediendum, contrarius autem videns plures in comitatu, timens mortem aufugit, veste, aut alia re relicta, quam fur accepit, teneantur illi ad restitutionem? Respondeo negative, si alias in furto non consenserunt: nam tale damnum per accidens secutum fuit ex tali comitatu. Trullenc. *sup. n. 5.* 1432

DISPUTATIO XXX.

De ordine, loco, & tempore, restitutionis, & expensis in ea factis.

Vppono circunstantias restitutionis in his versibus contineri, quos afferunt communiter DD.

Quis, quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando, Ordine, quoque loco, qua causa excusset iniquum.

In eis namque in summa continetur, quo ordine, & loco facienda sit restitutio, quem etiam ordinem in hac disputatione sequemur, sic igitur.

SECTIO I.

De circunstantia Quis.

SUMMARIUM.

1433 *Ille restituere tenetur, qui peccavit contra justitiam.*

1434 *An pauper fingens paupertatem teneatur restituere?*

1435 *An religiosus qui post professionem debita contraxit, teneatur, vel conventus restituere?*

1436 *Quid si impediatur a prælato?*

Dico primò: Is restituere tenetur, qui peccavit contra justitiam; qui autem hi sint? huc usque late diximus in toto hoc tractatu. An autem pauper fingens paupertatem teneatur restituere; vide quæ dixi, *disp. 7. hujus tract. sect. 4. §. 8. dict. 7. & sequentibus.* An autem Religiosus, qui post professionem debita 1433 1434 1435

Digitized by Google

vel ex delicto, vel ex contractu teneatur reſtituere? Reſpondeo teneri, ſive ipſum, ſive religionem, ſi res ipſa furto, vel injuſtè ablata extet. Si vero non extet, non tenetur Religio reſtituere, quia delictum religioſi, etiam prælati, ſi non eſt commiſſum modo capitulari ab ipſa communitate, non debet vergere in damnum monaſterij, tenetur tamen reſtituere Religioſus, ſi fruitur peculio, vel ſi poteſt ex his, quæ ſibi dantur à religione detrahere de non neceſſariis commoditatibus; ſiquidem tenetur facere æqualitatem quantum commode poterit.

1436 Advertè tamen, hoc debere intelligi, niſi impediatur à prælato: nam cum totum, quod ſibi Religioſus ſubtrahit de ſua commoditate, ſit ſub dominio religionis, poteſt prælatus illud nolle à ſe abdicare, ut reddatur extraneo. Secus ſi furtum ſit reſpectu ipſius conventus: nam tunc non poteſt prælatus impedire reſtitutionem, quia eſſet in detrimentum monaſterij, niſi obſtet cauſa proportionata. Ita, & bene cum aliis Tamburinus, *lib.8. Decalog.tract.4. c.1.§.1.n.17. & ſequentibus.* Quod ſi religioſus ex vi contractus oneroſi, vel gratuiti, alicui damnificavit, tunc ſi iniit nomine Religionis, tenetur religio, ut probat Sanch. *lib.1. Decal.c.31.n.97.* Secus ſi iniit nomine proprio, & abſque licentia prælati, & conventus: nam tunc ex delicto Religioſi, non debet monaſterium damnum pati, ut *ſuprà*, diximus Tamburinus, *ſup. n.22.* ſed de his, & aliis, vide quæ dixi abundanter, *in noſtro Directorio Regularium.*

SECTIO II.

Quid, & quantum reſtituendum ſit.

SUMMARIUM.

1437 *Habens rem alienam tenetur eam in individuo reſtituere.*

1438 *Reſtituendum eſt quantum ſat eſt ad æqualitatem delicti, vel damni dati reſarciendum.*

1439 *An fur, vel bonæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus, vel melioramenta, & damnum emergens, &c.*

1437 Dico primò: habens rem alienam tenetur eam in individuo reſtituere. Excipe, ſi eam non poteſt reddere ſine propria infamia, vel alia rationabili cauſa: nam tunc ſufficit reddere ejus æſtimationem. Ita cum Sylvio, Petro, Navarro, & aliis Trullenc. *lib.7.cap.14.dub.1.n.2.* ſed de his vide, quæ *ſuprà*, dixi, *diſp.9.huius tractatus ſect.1.dict.1.* Ubi etiam habes, quid dicendum ſit, de re uſu conſumptibili, vide etiam Tamb. *lib.8. Decal.tract.4.c.7.§.2.*

1438 Dico ſecundò: reſtituendum eſt quantum ſat eſt ad æqualitatem delicti, vel damni dati reſarciendum, ſi damnum certum ſit: Quod ſi non ſit certum, ſtandum eſt judicio prudentis viri. Ita cum Navarro, Bonacina, & aliis Trullenc. *lib.7. Decal.c.14. dub.2.n.1.*

1439 An autem fur, vel bonæ fidei poſſeſſor, teneatur reſtituere fructus, & melioramenta, expenſas, & lucrum ceſſans, & damnum emergens? Vide, quæ dixi, *d.9. huius tractatus ſect.2. per totam.* Quæ autem teneatur reſtituere moroſus debi or, vel detentor rei alienæ; Vide quæ dixi, *in eodem tract. diſp.8. ſect.4.§.12.*

SECTIO III.

Cui facienda ſit reſtitutio?

SUMMARIUM.

1440 *Reſtitutio regulariter facienda eſt vero domino, à quo res ablata eſt.*

1441 *Si res ablata eſt ab eo, qui nec dominium, nec juſtam poſſeſſionem, vel cuſtodiam illius habet, vero domino reſtituenda eſt.*

1442 *Quid ſi dominus rem ſuam petat, ut ſibi, vel aliis inferat damnum?*

1443 *Cui facienda ſit reſtitutio, quando dominus eſt certus, eſt tamen abſens?*

1444 *Cui facienda ſit reſtitutio ſi dominus rei eſt mortuus?*

Dico primò: reſtitutio regulariter facienda eſt vero domino, à quo res ablata eſt, vel cui damnum illatum eſt: hoc enim expoſtulat juſtitia commutativa, ut inæqualitas reficiatur. Per dominum autem intelligitur ille, qui habet rei ablatæ dominium, vel qui habet rei juſtam poſſeſſionem, vel cuſtodiam. Unde qui aufert rem à ſartore, fullone, ſutore, depoſitario, commodatario, œconomo, & pignorario, tenetur his reſtituere, & ſi reſtituat vero domino, peccat, facit enim eis injuriam, privans eos juſta poſſeſſione, vel cuſtodia, non tamen peccat contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem, niſi ex hoc aliquod damnum ſuprà dictis ſequatur, ut ſi quis à depoſitario furetur pecunias, quas habebat depoſitas ad annum, quibus etiam lucrabatur: nam ſi illi lucrum ceſſat, eo quod fur eas domino reddat, tenetur depoſitario reſtituere lucrum ceſſans. Et idem de aliis dicendum eſt. Ita Saïrus, *in Clavi Regia, lib.10. tract.5. c.1.à n.1.uſque ad 6.* Navarrus, *lib.5.c.2.à n.1. uſque ad 7.* & alij communiter. Item quando fur rem reddit vero domino, & non ei à quo ablata eſt tenetur monere eum, à quo ablata eſt, ne iterum domino reſtituat. Ita cum Caietano, Salon, Saïrus, *ſuprà num.7.* 1440

Dico ſecundò: Si res ablata eſt ab eo, qui illius, nec habet dominium, nec juſtam poſſeſſionem, vel cuſtodiam, non ei, ſed vero domino reſtituenda eſt. Unde qui aliquid à Religioſo, ſervo, vxore, famulo, filiofamilias, &c. eripuit, de quo non poterant libere diſponere, non ipſis, ſed prælato, domino, marito, patri, &c. reſtituendum eſt. Excipe niſi ſit ſpes probabilis, quod aliquis ex dictis, à quo res non ſua ablata eſt, eam ſtatim fore reſtituturum patri, domino &c. nam tunc, illi poteſt fieri reſtitutio, ut illorum honori, & conſcientiæ conſulatur, tunc enim ſolum utimur illis tanquam inſtrumento reſtitutionis. Ita Salon, 2.2. *quæſtion.62.art.5.* Saïrus, *ſuprà numero 9.* Et idem dicendum eſt, ſi quis non poteſt reſtituere domino, ſine magno ſuo damno vitæ, honoris, vel bonorum, ut ſi timeat mortem à filio inferendam, niſi ei reſtituat, tunc poterit ei, & non patri, reſtituere, & ſic de aliis. Ita cum Saïro, Trullenc. *lib.7. cap.14. dub.3.n.2.* 1441

An autem quando dominus rem ſuam petit, ut ſibi, vel aliis inferat damnum, teneatur, qui illam habet, eam ei reſtituere? Vide quæ dixi, *diſp.13. huius* 1442

tract. ſect. 7. An autem accipiens rem à fure, poſſit eam furi reſtituere? Vide quæ dixi, *in eodem tractatu diſp.* 9. *ſect.* 3. & 4. Cui autem facienda ſit reſtitutio quando dominus ignoratur? Vide, quæ dixi, *diſp.* 4. *hujus tractatus ſect.* 10. ubi *de theſauris, gemmis, & metallorum venis, & ſect.* 11. *vbi de bonis incertis, vacantibus, & inventis, quæ pro derelictis habentur.* Quando autem acceptum ob cauſam turpem ſit reſtituendum, & cui? Vide, quæ dixi *diſp.* 8. *ſect.* 4. §. 3. *ejuſdem tractatus.* Cui autem ſit reſtituendum acceptum ob cauſam honeſtam, quam quis facere, vel omittere tenebatur? Vide quæ dixi, *eadem diſp.* 4. *ſect.* 2. §. 4.

1443 Cui autem ſit reſtituendum, quando dominus eſt certus, eſt tamen abſens? Reſpondeo, quod ſi res ad dominum abſentem poteſt mitti, ſine magnis expenſis, ad eum eſt mittenda; ſi tamen ſperatur dominum brevi venturum, res in loco tuto deponenda eſt, uſque is adveniat. Quod ſi nec venturus eſt, nec res ad eum poteſt mitti, ſine magnis expenſis; tunc pauperibus reſtituenda eſt, vel conſanguineis illius, patri ſcilicet, vel matri, filiis, &c. ſi id de illius præſumatur voluntate, præſertim ſi ſint pauperes: poteſt etiam in hoc caſu, qui rem apud ſe habet, uti bulla compoſitionis. Ita cum Ludovico à Cruce, & aliis Tamb. *l.* 8. *Decal. tract.* 4. *c.* 1. §. 8. *n.* 5. & 7. ſed de his iterum redibit ſermo, *infrà.*

1444 Sed quæres, cui facienda ſi reſtitutio, ſi dominus rei ſit mortuus? Reſpondeo debere fieri eius hæredibus, id eſt, illis, qui legitime ſuccedunt defuncto per teſtamentum, vel ab inteſtato, ſecundum leges. Hæres enim ſuccedit in omnia jura realia defuncti. Quod ſi defunctus nullum habeat hæredem, nec de bonis ſuis diſpoſuerit; tunc bona ab ipſo relicta ſunt bona vacantia, & ex ſe, & jure naturæ, ſunt primi occupantis, habentur enim pro derelictis, nulliuſque domini ſunt. Dixi ex ſe, & ex jure naturæ: nam in aſiquibus regnis, applicantur fiſco, ut latius dixi, *diſp.* 4. *huius tract. ſect.* 11. *dict.* 7. Ubi quid de illis faciendum ſit in hoc Luſitaniæ Regno invenies. Vide etiam Tamb. *lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *c.* 1. §. 3. *n.* 14. Aliqui etiam exiſtimant, poſſe in hoc caſu prædicta bona diſtribui inter pauperes pro anima defuncti, ſi Chriſtianus ſit. Ita Trullenc. *lib.* 7. *Decal. c.* 14 *dub.* 3 *n.* 14. talis enim cenſetur voluntas domini, quidquid contradicat Tamburinus, *ſup. num.* 14.

SECTIO IV.

Quomodo facienda ſit reſtitutio?

SUMMARIUM.

1445 *Reſtitutio facienda eſt eo modo, quem cauſa cur debetur, poſtulat.*

1446 *Qui miſit rem ad dominum per nuntium à domino electum, quovis modo res pereat, non tenetur ad reſtitutionem.*

1447 *Quid ſi mittat rem per nuntium fidelem ſuo arbitratu, & res erat debita ex re accepta?*

1448 *Quid ſi debitum foret ex delicto?*

1449 *An qui vovit dare calicem Eccleſiæ, & illum miſit per nuntium, ſi nuntius, cum illo aufugiat teneatur dare alterum?*

1445 DIco primò: reſtitutio facienda eſt eo modo, quem cauſa cur debetur poſtulat. Quare ſi delictum ſit publicum, publice reſtitui debet, ut publico ſatisfiat ſcandalo, at ſi ſecreto fiat, non eſt iterum reſtituendum. Si vero delictum ſit ſecretum, ſecreto, fieri debet teſtitutio, per tertiam perſonam, vel per Confeſſarium, imò reſtitutio furti occulti, quæ non poteſt fieri ſine manifeſtatione furis, cum damno famæ, poteſt differri uſque ad tempus, quo ſine tali damno fieri poſſit. ita cum communi ſententia Saïrus, *in Clavi lib* 10. *tract.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Bonacina, *de reſtit. d.* 1. *q.* 6. *p. unico, n.* 1. & 2. Trull. *lib.* 7. *c.* 14. *dub.* 11. *n.* 1.

Dico ſecundo: qui miſit rem ad dominum per 1446
nuntium ab eo electum, quamvis juſte, vel injuſte rem habuerit quovis modo pereat, non iterum tenetur eam reſtituere: nam cenſetur iam domino reſtituta, & ei periit, non mittenti. Ita cum Navarro, Salas. Saïro, Bonacina, & aliis communiter Trull. *ſup. n.* 3. Et idem dicendum eſt, ſi dominus commiſit alicui, ut eligeret nuntium: nam ſi elegit quem bona fide putabat fidelem, in conſcientia non tenetur iterum reſtituere; imò nec in foro exteriori, ſi id probet. Ita cum communi ſententia Trullenc. *ſup. num.* 4.

Dico tertiò: ſi quis miſit rem per nuntium fide- 1447
lem ſuo arbitratu electum, & res pereat, vel nuntius aufugiat, tunc ſi res erat reſtituenda ex re accepta, & res erat in individuo reſtituenda, ut veſtis, equus, &c. ſi abfuit culpa Theologica gravis ex parte mittentis, quia bona fide fidelem nuntium putavit eligere, &c. non tenetur iterum reſtituere; res enim domino periit, & non mittenti. Tamburinus, *lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *c.* 1. §. 4. & Nos *ſup.* diximus, *diſp.* 13. *hujus tract. ſect.* 5. *dict.* 3. Et idem dicendum eſt, ſi debitum erat ex contractu, & in individuo reſtituenda, ut veſtis, equus, &c. qui erat commodatus, depoſitus, &c. quod ſi debitum, ſive ex re accepta, ſive ex contractu, erat uſu conſumptibile, ut pecunia, oleum, &c. ſi in itinere periit, mittenti periit, quia dum non pervenit ad manus creditoris, erat ſub dominio debitoris, ut latius dixi, *diſp.* 13. *hujus tract. ſect.* 5. *dict.* 3. & tenet Tamb. *ſup. n.* 6.

Quod ſi debitum erat ex delicto, v.g. furto, & 1448
ſit reſtituendum, ſive in individuo, ſive ejus pretium, ſi fur illud mittat per Confeſſarium, vel hominem fidelem, ſi periit, non domino, ſed ipſi periit, quia cum fur in ſuam utilitatem acceperit, tenetur dominum ſemper ſervare indemnem. Ita Trullenc. *ſup. n.* 6. & cum Molina, Leſſio, Rebello, Navarro, Lugo, Decaſtillo, Tamburinus, *ſup. n.* 7. quamvis ſatis probabile ſit, nec in hoc caſu teneri iterum furem reſtituere, ut tenet Cenedo, *de paupertate religioſa diſp.* 634. *n.* 8. Diana *p.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 3. *miſcellan. reſol.* 2. & probabile putat Leſſius, *lib.* 2. *c.* 16. *dub.* 6. *n.* 67. Filliuc. *tract.* 32. *c.* 5. *n.* 135. & alij, quos refert Diana, *p.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 2. Hinc fit ſatis probabile eſſe, quod ſi Confeſſarius miſit rem alienam dare pauperibus, vel ex errore, vel defectu ſcientiæ, ſi pœnitens bona fide eam pauperibus diſtribuit, non teneri eam iam melius edoctus, ſive ab eodem, ſive ab alio Confeſſore, iterum vero domino reſtituere, ſiquidem in tanta furis pietate, dominus rationbailiter non eſt invitus, ut non conſentiat illi eleemoſynæ. Ita & bene Tamb. *ſup. n.* 8. & ſequitur ex ſecunda ſententia *ſup.* relata.

An autem, qui vovit dare calicem Eccleſiæ, ſi 1449
illum mittat per nuntium putatum fidelem, teneatur alium dare, ſi nuntius cum eo aufugit; Reſpondeo negative, jam enim cenſetur votum, vel

vel juramentum impletum per illam mediatam traditionem. Ita cum Tancred. Diana, *p.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 57. Tamburinus *ſupr. num.* 9. An autem nuntius ſi calicem, vel pecuniam Deo debitam per votum deferens illum amiſit, teneatur eam reſtituere? Reſpondeo negative, ſi abſque ejus culpa gravi amiſit, quia ipſe non obligatur ex voto, nec juramento, nec ex re accepta, cum illam amiſerit, nec ex injuſta acceptione, ut patet; ergo ex nullo capite obligatur. Adverte tamen, quod ſi nuntius pecuniam acceptam à vovente conſumpſit, commutans eam cum altera ſua, quam ſecum deferebat, ſi eam amiſit, teneri æquivalentem aliam Eccleſiæ tradere, quia infortunium amiſſionis non debet in damnum Eccleſiæ cedere. Ita cum Tancred. Diana, Tamburinus *ſupr. num.* 10. An autem nuntius, qui rem ab aliquo donatam alicui deferebat; ſi eam malitioſe detineat, ita ut interim donatarius moriatur, teneatur eam ejus hæredibus, vel iterum mittenti reſtituere? vide quæ dixi *diſp.* 11. *hujus tractatus ſect.* 2. *dicto* 1. *verſu excipe niſi donatio.*

SECTIO V.

Quando, quis teneatur reſtituere.

SUMMARIUM.

1450 *Unuſquiſque tenetur reſtituere ſtatim, & quid per hoc intelligatur.*

1451 *Ponitur quoddam corollarium.*

1452 *An qui mille debet aureos, ſi nolit reſtituere, niſi per partes, peccet mortaliter.*

1453 *Qui ſciens ſe debere, nolit tamen ſolvere, niſi à judice cogatur, peccat, & tenetur ad reſtitutionem damnorum.*

1454 *Debitor poteſt anticipare ſolutionem, & creditor tenetur acceptare, quando terminus fuit appoſitus in commodum debitoris, ſecus ſi fuit poſitus in commodum creditoris.*

1450 DIco primò: Unuſquiſque tenetur reſtituere ſtatim, id eſt, data opportunitate, ac novit rem eſſe alienam, ſi poſſit. Quod ſi non poſſit, tenetur habere propoſitum reſtituendi, quam primum potuerit, vel petendi dilationem, aliter eſt in peccato actuali injuſtæ detentionis. Ita cum communi ſententia Bonacina *d.* 1. *de reſtitut. q.* 6. *p.* 1, *num.* 1. & 6. Illud tamen, ſtatim, non eſt accipiendum mathematice, quaſi ſtatim, in inſtanti facienda ſit reſtitutio, ut diximus *diſp.* 8. *hujus tractatus ſect.* 4. §. 2. *dicto* 2. ſed moraliter, expectata ſcilicet opportunitate reſtituendi, abſque dolo, & fraude. Unde dum quis exiſtit ad menſam, decumbit in lecto, ſi recordetur delicti, non tenetur ſtatim ſurgere, ut reſtitutionem faciat, ſufficit, ut reſtituat poſtea data opportunitate. Excipe niſi forte illa modica dilatio, vergat in notabile damnum creditoris. Ita Navarrus *c.* 17. *n.* 54. & cum aliis communiter Bonac. *ſupr.* Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi, c.* 14. *dub.* 10. *n.* 2.

1451 Hinc fit, quod differre per unam, vel alteram diem reſtitutionem, ſi domino grave damnum non emergat, non eſſe gravem dilationem. Imo ſi ſolutio facienda eſt ex contractu, & certa futura ſit ſolutio, dilatio per aliquot dies non eſt cenſenda mortalis, quando dilatio non affert damnum creditori. Unde illè, qui ſingulis calendis Septembris ſolvit centum aureos annuos, & eos non ſolvit, niſi à creditore requiratur, non peccat mortaliter, quia hic eſt modus humanus ordinarius hujuſmodi oneris cenſum ſolvendi. Excipe niſi creditor judicetur rationabiliter invitus; ut ſi propter potentiam debitoris, creditor inops non audeat cenſum repetere. Ita cum Molina, Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi tract.* 4. *cap.* 1. §. 6. *num.* 4. Imò aliqui non improbabiliter addunt, quod etiamſi creditor ſæpius petat debitum, ſi dilatio ei non afferat grave detrimentum, nec ſit periculum amittendi debitum, & debitor habeat intentionem ſolvendi, non facilè condemnandum eſſe debitorem de mortali, quando eſt in mora reſtituendi; quia hujuſmodi mora non videtur admodum injurioſa creditori, præſertim quando debitor non poteſt commode reſtituere. Ita cum Molina, Bonacina, *ſupr. num.* 4. Trullenc *ſupr. n.* 4. Unde ait Diana *p.* 1. *tract.* 3. *miſcellan.* non eſſe denegandam abſolutionem viro nobili, qui eſt in mora ſolvendi, verbi gratia 200. ex contractu, qui ſæpius confitetur, & non reſtituit, habet tamen animum reſtituendi, modo creditor ex hac dilatione grave damnum non patiatur. Ita etiam Trullenc. *ſupr. n.* 4.

Dico ſecundò: Peccatum mortale eſt, Si quis cum 1452
debeat mille aureos, ſtatim ſolvendos, nolit eos ſolvere, cum alias commodè poſſit, niſi per partes, ſingulis menſibus. Ita cum Soto, Medina, Molina, Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 2. *d.* 10. *num.* 6. Tamburinus *ſupr. num.* 1. Quod verum eſt, etſi dominus non patiatur grave detrimentum, quia cum debitor commode poſſit totum reſtituere, tenetur ad æqualitatem reſtituere, ſive debitum ſit ex contractu, ſive ex delicto, vel ex re accepta, & reſpectu illius reſiduæ partis eſt injuſtus detentor, & remanet in peccato actuali. Salon. 22. *quæſt.* 62. *art.* 8. & cum multis Saitus *lib.* 10. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. & cum Bonacina, Trullenc. *ſuprà num.* 8. Dixi, quia cum commode poſſit totum reſtituere, nam ſi commode non poteſt totum reſtituere, poteſt per partes reſtituere, talis enim cenſetur conſenſus creditoris. Trullenc. *ſuprà num.* 8. Imò aliqui volunt, quod ſi debitor, qui poteſt ſtatim totum reſtituere, nolit reſtituere, niſi per partes, ob aliquod emolumentum ſibi inde proveniens, etiam ſi creditor nolit concedere dilationem parum ſibi nocivam, & confeſſor credat, quod negata abſolutione, & dilatione, nunquam, vel non ita utiliter reſtituet, poſſe confeſſarium illum abſolvere. Ita Diana *p.* 2. *tract.* 6. *miſcellan. reſol.* 5. Navarrus *cap.* 17. *num.* 25. Petrus Navarrus *lib.* 4. *cap.* 4. *d.* 15. probabile putat Trull. *ſuprà num.* 8. Sed ego huic ſententiæ ſolum aſſentior, quando pœnitens cum prædictis conditionibus, habet etiam ignorantiam, ex qua ſit in bona fide, putans ſe modo ſatisfacere ſuæ obligationi, neque teneri ad amplius, quia tunc Confeſſarius ſi prævideat ſe nihil profuturum monendo de ipſius majori obligatione, poteſt eum abſolvere, ne abeat deſperatus, in quo non ſolum creditoris, ſed & pœnitentis, & Dei negotium agit. Ita cum Sylveſtro, Armilla, Petro Navarra, Tamburinus *lib.* 8. *Decalogi tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Decaſtillus *lib.* 2. *tract.* 12. *d.* 1. *num.* 6. Excipe niſi Confeſſor interrogetur à pœnitente, an amplius ſit neceſſarium: nam tunc debet illi veritatem aperire, & ſi nolit acquieſcere, inabſolutum remittere. Ita cum Decaſtillo, Tamburinum *ſupr. num.* 2.

Dico tertiò: Qui ſciens vere debere, nolit tamen 1453
ſolvere, niſi à judice cogatur, graviſſimè peccat, & tunc præter peccatum dilationis, debet ſolvere expenſas debitori. Tamburinus *ſupr. num.* 1. Item in-

firmus, qui in articulo mortis poteſt ſolvere debitum, & non ſolvit, ſed illud ſolvendum hæredibus relinquit in teſtamento, vel qui dubitat an res ſit ſua, & cum poſſit diligentiam adhibere, ut id cognoſcatur, illam facere negligit, volens ut eam faciant hæredes, peccat mortaliter, nec eſt abſolvendus; quia regulariter culpa gravis eſt, obligationem propriam velle transferre in alios; qui regulariter erunt ipſo teſtatore negligentiores. Tum quia impœnitens decedere videtur; præſumendum namque eſt non habere firmum propoſitum, ſiquidem cum ipſe poſſit ſtatim reſtituere, relinquit hanc obligationem hæredibus. Ita Molina *d.* 753. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 11. Rebellus *quæſt.* 17. *n.* 6. Vaſquius *p.* 2. *d.* 75. *cap.* 3. *num.* 14. Tamburinus, *ſuprà num.* 3. Trullenc. *ſuprà num.* 12. Excipe, niſi dum vivit, non poſſit reſtituere, niſi ipſius peccatum manifeſtetur; nam tunc poterit hoc in teſtamento demandare, vel ſi ibi non adſit creditor, vel ſi commodius poſt ejus mortem fiet reſtitutio ab hæredibus, eo quod in vita res ſuas vilißime cogatur vendere. Ita cum Saïro, Navarro, Trullenc. *ſupr. num.* 17.

1454 Dico quarto: Debitor poteſt anticipare ſolutionem, & creditor tenetur acceptare, quando terminus fuit appoſitus in commodum debitoris. Secus ſi fuit appoſitus in commodum creditoris. Hinc mutuum, & commodatum ad ſex menſes, poteſt ante lapſos ſex menſes reſtitui; quia terminus fuit appoſitus, reſtitutio ultra differatur; non vero, ne anticipetur. Vnde ſi creditor nolit acceptare debitum, & poſteà res perierit, interitus creditori imputabitur, & non debitori. Ita cum Sylveſt. Medina, Tamburinus *ſuprà num.* 5. An autem creditor poſſit aliquando petere debitum ante tranſactum terminum? Reſpondeo poſſe, quando debitor perveniat ad inopiam, aut poſt contractum fiat ſuſpectus de fuga; tunc enim poteſt cogi ad ſolvendum. *l. ad præſtandam cautionem.* Trullenc. *ſuprà numero* 13. Econtra vero, ſi terminus fuit appoſitus in favorem creditoris, ut in locato, non poteſt debitor prævenire terminum; nam id eſſet in damnum creditoris. Ita cum Bonacina, & aliis Trullenc, *ſupr. num.* 3. Quando autem morоſus debitor teneatur ad ſolvendum lucrum ceſſans, & damnum emergens, & alia hic pertinentia? vide quæ dixi *diſp.* 8. *hujus tractatus. ſect.* 4. §. 2. *per totam.* Quomodo autem ob defectum reſtitutionis neganda, vel differenda ſit pœnitenti abſolutio? vide quæ latius *dixi in prima parte hujus Directorij in tractatu de pœnitentia*, ubi latiſſime hanc materiam tractavi ne eadem repetamus, & pauca *infrà* dicemus.

SECTIO VI.

Quis ordo ſervandus ſit in reſtitutione, quando bona non ſufficiunt ad ſatisfaciendum omnibus creditoribus?

SUMMARIUM.

1455 *Ante omnia reſtituenda ſunt, quæ manent in eadem ſpecie.*

1456 *Debita certa prius ſolvenda ſunt quam incerta.*

1457 *Inter debita certa prius ſolvenda ſunt expenſæ funeris &c.*

1458 *Poſt expenſas funeris ſolvenda ſunt debita, quæ habent hypothecam.*

1459 *Inter hypothecarios, ſecluſo privilegio, his prius ſolvendum eſt, qui priores ſunt.*

1460 *Idem dicendum eſt de priori hypotheca generali reſpectu poſterioris hypotheca ſpecialis poſterioris.*

1461 *Quædam exceptiones ponuntur.*

1462 *Aliqui caſus dantur, in quibus ex privilegio poſterior tempore in hypotheca præfertur priori habenti etiam hypothecam.*

1463 *Poſt habentes hypothecam ſolvendum eſt creditoribus perſonalibus, & inter eos primo his, qui habent privilegium prælationis.*

1464 *An debita ex delicto prius ſolvenda ſint, quam debita ex contractu.*

1465 *An creditor pauper diviti præferendus ſit.*

1466 *An debitor ſciens ſuum ſtatum labentem poſſit non petenti integrè, reſtituere, quando alios creditores habet.*

SUppono. In præſenti non eſſe dubium, quando omnibus creditoribus ſolvi poteſt, nam tunc non eſt neceſſe ullum ordinem ſervare, nam omnibus integrè ſatisfieri poteſt. Vnde tunc ſolùm ſervandus eſt ordo, quando bona non ſufficerent, vel dubium eſt, an ſufficiant, his ſuppoſitis,

Dico primo: Ante omnia reſtituenda ſunt ea, 1455
quæ manent in eadem ſpecie, & quorum dominium non fuit tranſlatum in debitorem, quod procedit, ſive juſte, ſive injuſte accepta ſit res. Vnde ſi res furtiva, commodata, locata, vel depoſita, adhuc extat, ea ſuo domino reſtituenda eſt, quamvis aliis bona non ſufficiant. In hoc conveniunt. DD. ut teſtatur Eſcobar. *lib.* 37. *Decalogi. num.* 318. Et idem dicendum exiſtimo de re accepta ad creditum, pretio non ſoluto, ſive ſit datus, vel non fidejuſſor, vel pignus, tunc enim, vel pretium eſt reddendum, vel res; alienum enim videtur ab æquitate naturali, ut res mea; quam à me, quis emit, non ſoluto pretio, extans in ſua ſpecie, aliis aſſignetur, & ego pretio, & re mea fraudem; quatenus namque res mea extat apud emptorem, cenſetur hypothecata pro pretio. Secus dicendum eſt, ſi res empta non extat. Ita Navarrus *cap.* 17. *num.* 49. Villalobos *tract.* 11. *tomo* 2. *diff.* 24. *num.* 6 & 7. Bonacina *d.* 2. *de reſtitut. quæſt.* 8. *p.* 2. *num.* 5. & 8. Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 12. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 2. *numer.* 11. Rebello *lib.* 2. *quæſt.* 19. *num.* 2. quidquid in contrarium dicat cum Molina, Vaſquio, Turriano, & aliis Eſcobar, *ſupr. num.* 320.

Dico ſecundò: Debita certa prius ſolvenda ſunt, 1456
quam incerta, ſi debitum incertum non maneat in eadem ſpecie; nomine autem debiti incerti intelligo, cum dominus eſt incertus, certum tamen eſt debitum. Ratio eſt, quia debita certa jure naturæ debentur dominis ſuis, debita vero incerta ſolo jure poſitivo ſunt debita pauperibus, & locis piis, ut patet ex cap. cum tamen de uſuris, & late probat cum multis Trullenc. *lib.* 7. *Decalogi cap.* 14. *dub.* 4. *num.* 4. & nos *ſuprà* diximus, ſed obligatio ex jure naturæ, ſtrictior eſt altera; ergo. Ita Navarrus *cap.* 17. *num.* 47. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 1. *num.* 4. Saïrus *in clavi lib.* 10 *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 4 Bonacina *de reſtitut. d.* 1. *quæſt.* 1. *p.* 2. *num.* 9. Trullenc. *ſuprà num.* 3. Vaſquez *de reſtitut. cap.* 11. *num.* 3. & alij communiter, contra Molinam *d.* 760. *num.* 2. cujus ſententiam probabilem putat Lugo. *d* 20. *num.* 5. & in parte ſequitur Eſcobar. *lib.* 37. *Decalogi num.* 317. Dixi ſi debitum incertum non maneat in eadem

eadem ſpecie, nam ſi maneat in propria ſpecie, prius reſtituendum eſt pauperibus, vel Eccleſiæ, quam debita certa, & non poteſt debitor ex tali re incerta, debitoribus certis ſolvere. Ita & bene Trullenc. *ſupr. n.* 3.

1457 Dico tertiò: Inter debita certa, prius ſolvendæ expenſæ moderatæ pro funere, tum debitoris, tum uxoris, filij, vel mancipij ejus, & quæ fuerant contracta ad faciendum inventarium, ad cuſtodiam ſupellectilis, & ſimilia opportuna. Vnde ſi quis fecit pro debitore defuncto has expenſas, facienda in primo loco eſt ei reſtitutio; ut patet ex *l. final. ff. de religioſis*, & *ſumptibus*. Adverte tamen, quod ſi omnia bona defuncti ſint debita, tunc non poſſe ſumi ad expenſas funeris, niſi illud, quod ſimpliciter neceſſarium eſt ad ſepeliendum moderate cadaver defuncti, nam cenſetur tunc extrema neceſſitas. Villalobos *ſupr. n.* 8. Bonacina *ſupr. n.* 25. Navarrus *lib.* 4. *cap. fin. n.* 23.

1458 Dico quartò: Poſt expenſas funeris, prius ſolvenda ſunt debita, quæ habent hypothecam, id eſt, obligationem realem fundatam in aliquare, ut in fundo, agro, &c. quam perſonalia, illa ſcilicet, quibus ſola perſona debitoris manet obligata. Ratio eſt, quia per hypothecam, non ſolum debitor, ſed res ipſa manet obligata, & quaſi ex parte aliena. Ita habetur *in l. eos Cod. qui potior. in pig.* & tenet cum communi ſententia Lugo *de juſtitia d.* 20. *n.* 39. & cum Leſſio, Villalobos, Bonacina, & aliis, Trullenc. *libr.* 7. *Decalogi cap.* 14. *dub.* 12. *numero* 5.

1459 Dico quintò: Inter creditores Hypothecarios, hi præferendi ſunt, ſecluſis privilegiis, qui priores ſunt, in his enim maxime locum habet illa regula, qui prior eſt tempore, potior eſt jure. Ratio eſt, quia res ſemel alienata, ex parte, qua in alterius jure, vel dominio eſt, non poteſt ſine ejus voluntate in alterius jus tranſire; ergo res hypothecata Petro, non poteſt alteri obligari, ſine Petri conſenſu tacito, vel expreſſo, ergo ſi hypothecetur, ſine tali conſenſu, potius Petro, quam aliis reſtituenda eſt. Ita cum communi ſententia Lugo, *ſupr. n.* 40. Quod verum eſt; & ſi prior hypotheca, tantum fuerit tacita, & ſecunda non ſolum tacita, ſed expreſſa. Ita cum communi ſententia Molina *d.* 563. & cum Vaſquro, Lugo, *ſupr. n.* 41. contra Navarrum, Sylveſtrum, & alios.

1460 Idem dicendum eſt de priori hypotheca generali, ſive tacita, ſive expreſſa, ſecluſis privilegiis, reſpectu hypothecæ ſpecialis poſterioris, ſive tacitæ, ſive expreſſæ. Ita cum Vaſquio, Molina, Lugo, *ſupr. n.* 42. contra Angelum, Sylveſtrum, & alios. Adverte tamen, quod ſi prior habet generalem hypothecam in bonis omnibus, & ſpecialem in aliquibus, non præferri poſteriori, habenti ſpecialem in aliquibus aliis, quando prior ex illis bonis, in quibus habet ſpecialem hypothecam, poteſt debitum ſuum recipere, ut colligitur *ex l.* 2. *Cod. de pignorib. & hypothec.* Lugo *ſupra num.* 41. Et hæc omnia procedunt, etiam ſi res alicui prius hypothecata, ſecundo creditori tradatur. Ita cum multis Lugo *ſupr. numer.* 43.

1461 Excipe, quando executio fit authoritate publica in bonis debitoris in præſentia creditoris hypothecarij, aut ipſo ſciente, & non petente prælationem; tunc enim amittit jus prælationis. *lib.* 2. *ſi hypothec. Cod. de remiſ. pig.* Molina *d.* 536. Et idem dicendum eſt, quoties res hypothecata de conſenſu prioris creditoris venditur, alienatur, aut in dotem datur ut conſtat *ex l. ſi debitor. §. primo.* Idem Paulus. *ff. eodem titulo.* Idem dicendum eſt; ſi primus creditor ſubſcribat inſtrumento debitoris, quó debitor profitetur rem illam non eſſe aliis hypothecatam, etiam ſi ſubſcribat ut teſtis. Lugo *ſupra n.* 45. Non cenſetur tamen creditor renuntiare prælationi, quando conſentit alienationi ejuſdem rei, proteſtando, quod maneat ſibi ſalvum ſuum jus, vel ut venditare, ſibi ſolvatur. Ita Lugo *ſupra num.* 46. & alij.

Præter autem prædictos caſus, in quibus ſecundus creditor in hypotheca præfertur priori, alij dantur in quibus ex privilegio poſterior in tempore in hypotheca, præfertur priori habenti hypothecam tacitam, vel expreſſam. Primus mutuantis ad refectionem, vel conſeruationem alicuius rei. Secundus mutuantis pro re cuſtodienda. Tertius hypothecæ dotalis. Quartus empti pecunia pupilli. Quintus mutui ad aliquid emendum. Sextus contrahentis cum fiſco; manent enim ipſius bona hypothecata cum priuilegio prælationis. Septimus credentis pecuniam ad militiam. Ita Bonacina *de reſtitutione. d. c. quæſt.* 8. *p.* 2. *num.* 16. & cum Filliucio, & aliis, Baſſæus *verbo reſtitutio.* 4. *paragraph. & num.* 25. 1462

Dico Sextò: Poſt hos, qui habent hypothecam, ſolvendum eſt creditoribus perſonalibus; & inter hos, primo iis, qui habent privilegium prælationis, abſque hypotheca, ut eſt ille, qui dedit expenſas ad funus debitoris, ut *ſupra* diximus. Secundò quando ſponſa deſuturo dedit dotem ſponſo, non ſecuto matrimonio. Tertiò quando aliquis depoſuit pecunias, vel aliquid aliud apud depoſitarium à republica conſtitutum, ut ex multis legibus probat Lugo *ſupr. num.* 34. Secundò loco ſolvendum eſt creditoribus chirographis ex titulo honeſto, eique pro rata, non habita ratione temporis prioris vel poſterioris. Tertio loco creditoribus ex titulo gratuito, ut ſi defunctus piæ cauſæ aliquid voverit; cetera ſunt pro hæredibus, & legatariis, hæredes tamen præferuntur in ſua legitima, ſi ſint hæredes neceſſarij, vel in quarta bonorum, quæ dicitur Falcidia, ſi non ſint neceſſarij Leſſius *ſupra dub.* 4. *num.* 35. 1463

An autem debita ex delicto ſolvenda ſint prius, quæ debita ex contractu juſto? Reſpondeo negative: ſed ex æquo omnibus creditoribus perſonalibus ſolvendum eſt pro rata, modo res in propria ſpecie non extet; nullo enim jure id cautum eſt. Ita cum Leſſio, Turriano, Bonacina, Reginaldo, & aliis communiter, Eſcobar. *lib.* 37. *Decalogi, n.* 324. Lugo *d.* 20. *num.* 36. contra Medinam, Salon, Cajetanum, Navarrum, & alios. An autem prius ſolvenda ſint debita ex contractu oneroſo, quam ex promiſſione gratuita? Reſpondeo affirmative: quia in gratuita promiſſione ſemper cenſetur conditio, dabo quantum potero ſine magna difficultate. Ita cum Rebello, Leſſio, & aliis Eſcobar, *lib.* 37. *Decalogi num.* 338. contra Turrianum, & alios. 1464

An autem creditor pauper diviti præferendus ſit? Reſpondeo negative ſed omnibus creditoribus perſonalibus, ſi debita ſint paria, ſolvendum eſt pro rata; nec habenda eſt ratio prioris, vel poſterioris, in tempore, nec divitis, vel pauperis. Ita Turrianus 2. 2. *d.* 19. *dub.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. & 16. & alij, quos refert, & probabile putat Eſcobar *ſupra num.* 342. & 345. An autem primus petens debitum etiam inter creditores æquales non privilegiatos, ſit aliis præferendus? Reſpondeo affirmative; quia id debetur ei, ob majorem vigilantiam in petendo, dummodo hi, quibus præfertur, hypothecarij non ſint; nec habeant prælationis privilegium. Ita cum Sylveſt. Villalobos, Bonacina, Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 14. 1465

Digitized by Google

cap. 14. *dub.* 12. *n.* 18. Molina *d.* 526. contra Vaſquium *de reſtit. cap.* 11. *dub.* 5. Turrianum, & alios, quos refert, & ſequitur. Eſcobar, *ſuprà numero* 348.

1466 An autem debitor ſciens ſuum ſtatum labentem, poſſit non petenti integre ſatisfacere? Reſpondeo negative: ſed tenetur pro rata omnibus creditoribus perſonalibus non habentibus privilegium prælationis, nec hypothecæ reſtituere. At ſi creditor accepit rem, non tenetur eam reſtituere; quia non accepit rem alteri obligatam; quod verum eſt, etſi alij habeant privilegium prælationis, ſine hypotheca tamen tacita, vel expreſſa. Ita Diana *p.* 2. *tract.* 5. *miſcell. reſol.* 10. & cum aliis, Trullenc. *ſup. num.* 18. contra Bonacinam, Azorium, & alios. Imò in hoc caſu valida eſt compenſatio in foro conſcientiæ, & ſi ſint alij creditores anteriores, verbi gratia habeo rem Petri valentem 100. aureis, ſi tantum Petrus mihi debet, poſſum in tali re facere compenſationem. Et hoc verum eſt, etſi res data ſit in depoſitum. Ita Diana *ſuprà*, & cum Fernandes, & aliis Trullenc. *ſup. n.* 18. Quomodo autem primus emptor præferendus ſit ſecundo emptori, quando nulli eorum res tradita fuit? Vide quæ dixi *diſp.* 17. *hujus tractatus ſect.* 14. *dicto* 2. An autem creditor, qui non eſt creditoribus ſolvendo, non ſolum peccet contra juſtitiam, ſed teneatur ad reſtitutionem damni, quod paſſi ſunt creditores? Vide quæ dixi *diſp.* 8. *hujus tractatus ſect.* 4. §. 2.

SECTIO VII.

Quo loco, & cujus expenſis facienda ſit reſtitutio ex delicto.

SUMMARIUM.

1467 *Reſtitutio ex radice delicti exhibenda eſt, ubi degit dominus.*

1468 *Hujuſmodi res debent deponi à debitore in loco, ubi creditor reperitur, expenſis debitoris, exceptis illis expenſis, quas aliàs dominus eſſet facturus, ſi res furata non eſſet.*

1469 *Si facienda ſint magna expenſa ad reponendam rem in loco ubi creditor moratur, quid faciendum ſit.*

1467 DIco primò: Reſtitutio facienda ex radice delicti, quodcunque illud ſit in hac materia, exhibenda eſt uti degit dominus. Et hoc ſive dominus ſit abſens, quia debitor ex Conimbrica verbi gratia detulit rem ad Uliſiponem, vel quia creditor ex Conimbrica, ubi commiſſum fuit delictum, ſe tranſtulit ob ſua negotia ad Uliſiponem, quo erat ſecum rem furatam tranſlaturus. Ratio eſt, quia creditor nullum ex injuſta acceptione debet pati damnum, ut ſervetur æqualitas; ergo ſi aliquis furetur equum, quem dominus ſecum ducturus erat è Conimbrica ad Uliſiponem, vel pecuniam, quam dominus in longinquam Provinciam mittebat, ratio poſtulat, ut debitor ibi equum, & pecuniam reddat; quia culpa furis illuc, ut ſuppono, non fuere tranſlata. Tamburinus *lib.* 8. *Decalogi tract.* 4. *cap.* 1. §. 8. *num.* 2.

1468 Dico ſecundò: Hujuſmodi res debent deponi à debitore in loco, ubi creditor reperitur, expenſis debitoris, exceptis illis expenſis, quas alias dominus erat facturus, ſi res non fuiſſet furata, ut ſi ſecum delaturus erat equum, è Conimbrica ad Uliſiponem, debet deferri expenſis furis, exceptis illis expenſis, quas creditor ultra eas, quas de facto geſſit, addidiſſet, ſi rem ſecum aſportaſſet. Ita cum communi ſententia Lugo *d.* 20. *num.* 181. Eſcobar. *lib.* 37. *Decalogi, num.* 352. & cum Decaſtillo, Leſſio, & aliis Tamburinus, *lib.* 8. *Decalogi tract.* 4. *c.* 1. §. 8. *n.* 3. Hinc fit, quod ſi ex induſtria debitoris, minores fuere facti ſumptus, in aſportanda re in locum ubi eſt dominus, tunc illud lucrum accreſcit debitori, quia ipſe ſolus tenetur dominum indemnem ſervare, deductis expenſis, quas dominus feciſſet, non tamen tenetur peculiarem induſtriam adhibere, ut ſine expenſis, nunc res mittatur, & quod dominus lucretur illas expenſas, quas feciſſet. Secus dicendum eſt, ſi diminutio accidiſſet, ex eo quod decreſcit pretium trajectionis rerum, vel ſi triticum per mare transferendum erat, decrevit pretium nautæ ſolvendum, nam tunc illa decretio facta eſt in domini utilitatem, ſicut ſi res in pretio creviſſet, domino creviſſet, licet hac occaſione delicti provenerit. Eſcobar. *ſupr. num.* 355. Lugo *ſupr. numero* 181.

Dico tertiò: Si facienda ſint magnæ expenſæ ad reſtituendum rem in loco, ubi creditor immoratur, tunc ſi expenſæ ſint æquales debito, debent fieri à debitore, magis enim æquum eſt, ut delinquens amittat centum, verbi gratia ex bonis ſuis, quam quod creditor innocens cogatur eandem jacturam in bonis ſuis ſuſtinere; nam fur ex delicto ſuo, malum illud patitur, creditor vero ſine ulla culpa pateretur. Ita cum Vaſquio, Lugo, *ſupr. num.* 86. Quod ſi expenſæ facturæ multo ſuperent debitum, tunc æquitas poſtulat, ut ſolutio differatur, aut ut aliquo modo per literas cum domino conveniatur, hæc enim rationabiliter præſumitur voluntas creditoris; non enim credendum eſt velle ſibi reſtitui, cum tam intolerabili damno creditoris. Tamburin. *ſupr. num.* 4. Quod ſi nec poſſit differri ſolutio, propter abſentiam creditoris in loco remotiſſimo, & carentiam ſpei veniendi tempus tranſmittendi rem ad illum moderatis expenſis, nec per literas poſſit domini voluntas explorari; tunc res illa danda eſt creditoris conſanguineis, ut patri, matri, filio, præſertim ſi pauperes ſint, ſi adſint; Ita cum Vaſquio, & aliis Lugo, *d.* 20. *num.* 191. Tamburin. 1470
ſuprà num. 5. Quod ſi nec hi dentur, tunc diſtribuenda eſt pauperibus, vel operibus piis. Ita cum Vaſquio, & aliis Lugo, *ſuprà num.* 191. & cum Leſſio, Molina, Eſcobar. *lib.* 37. *Decalog. n.* 358. vel componendus eſt debitor vi bullæ compoſitionis, nam in hoc caſu moraliter judicatur dominus, ac ſi eſſet incertus. Ita cum Ludovico à cruce, Tamburinus *lib.* 8. *Decalogi, tractat.* 4. *cap.* 1. *paragr.* 8. *num.* 5. Et idem dicendum eſt, quando debitor propter inopiam nullo modo poteſt expenſas, etiam mediocres facere vel ad tranſmittendam rem, vel ad dominum admonendum. Ita Tamburin. *ſupr. num.* 5.

SECTIO VIII.

Quo loco & cujus expenſis debet fieri reſtitutio ex re accepta.

SUMMARIUM.

1470 *Quando res reſtituenda eſt ex re accepta bona fide, faciēda eſt reſtitutio in loco, ubi eſt debitor.*

1471 *Quid*

1471 *Quid si facienda sint magna expensa in mittenda re ad dominum?*

1472 *Quid si dominus admoneri non possit, nec sit spes inveniendi modum, quo res illi mittatur?*

1470 DIco primò: quando res restituenda est ex re accepta bona fide, tunc facienda est restitutio
1471 in loco, ubi est debitor. Quod si res ad dominum sit transmittenda, vel ille admonendus, totum id expensis domini fieri debet, vel ex re ipsa detrahendum, quod si majores expensæ faciendæ sint, quam res valet, vel etiam æquales, tunc admonendus est dominus, si commodè fieri potest, interim res custodienda, est sine tamen superfluis, & magnis expensis; nam si superfluas vel magnas expensas, sine rationabili voluntate domini debitor faceret, illas amitteret, ut si rem cum majoribus expensis, quam res valet ad dominum mitteret, vel si sine morali custodia mitteret, quo casu, si res periret, vel furto fuisset ablata, ob gravem negligentiam custodiæ, debitori esset imputanda ex injusta damnificatione Tamb. *suprà lib.*8. *Decal. tract.*4. *c.*1. §.8. *n.*7.

1472 Quod si, nec dominus posset admoneri, si esset aliqua spes modica, quod dominus venturus sit, vel inveniendus sit modus transmittendi ad dominum rem ipsam, vel pretium; tunc expectandum est commodum illud tempus; & tunc expensæ factæ in custodiéda tali re, debent postea solvi à domino, vel ex re ipsa detrahi; quia in gratiam domini factæ sunt, & necessariæ erant ad custodiam, Lugo, *d.*20. *n.*193. quod si non detur talis spes, tunc ex præsumpta voluntate domini, res vendi debet, & applicari operibus piis, pro anima domini, vel danda est ejus cognatis, præsertim pauperibus, Lugo, *sup. n.*193. Tamb. *sup. n.*7. vel utendus est debitor bulla compositionis, ut *sup.* diximus Tamb. *sup. n.*7. imò non est improbabile, posse tunc debitorem, rem secum retinere, quia tunc res comparatur rei habenti dominum ignotum. Ita Tamb. *sup n.*7.

SECTIO IX.

Quo loco, & cuius expensis restitui debeat quod ex contractu licito debetur?

SUMMARIUM.

1473 *Quando in contractibus nihil redditur, tunc solutio debet fieri loco, in quo erat promissor, vel donator.*

1474 *Si contractus sit, in quo redditur eadem res, vel pretium, tunc si locus non est assignatus, standum est intentioni contrahentium.*

PRo hujus sectionis notitia suppono contractus esse in triplici differentia, in aliis namque redditur eadem res, ut in depósito, commodato in aliis redditur pretium, ut in emptione, & venditione; in aliis nihil redditur, ut in donatione, promissione, & legato. His suppositis,

1473 Dico primò: quando in contractibus nihil redditur, ut fit in promissione, &c. tunc solutio debet fieri in loco in quo erat promissor, vel donator, & si alibi facienda sit, debet fieri expensis donatarij, non vero donatoris. Ita Vasquius, *de restit. c.*10. *n.*50. & cum Lessio, Bonacina, Escobar, *lib.*37. *Decalog.*
1474 *n.*361. si vero contractus sit, in quo redditur eadem res, vel pretium, tunc si locus designetur in contractu, ille servandus est. Si vero nullus designatus sit, ibi debet fieri solutio, ubi quando contractus fuit factus, intelligebatur debitorem solutionis tempore habiturum domicilium; quare si debitor præter id, quod tunc credebatur, alio migret, debet suis expensis mittere solutionem ad creditorem in eum locum, ubi debitor permansurus credebatur. Ita Molina *d.* 752. *n.*2. Escob. *sup. n.*361.

DISPUTATIO XXXI.

De causis excusantibus à restitutione.

SECTIO I.

Quomodo impotentia, vel inopia excuset à restitutione?

SUMMARIUM.

1475 *Impotentia, seu inopia est legitima causa cur omitti, vel differri possit restitutio.*

1476 *Major impotentia, & inopia requiritur ad omittendam, quam ad differendam restitutionem.*

1477 *Quæ impotentia liberet omnino à restitutione?*

1478 *Quæ impotentia, & inopia sufficiens sit ad differendam restitutionem?*

DIco primò: impotentia, seu inopia, est legitima 1475
causa, cur omitti, vel quod minus est, differri possit restitutio. Ad impossibile enim nemo tenetur, in hoc conveniunt DD. major tamen impotentia, & 1476
inopia requiritur, ad omittendam totaliter restitutionem, quam ad differendam illam, illa ergo inopia seu impotentia omnino à restitutione liberat, qua 1477
primo debitor, vere non habet unde solvat. Secundò qua si solvat fiet extremè indigens. Tertiò qua si solvat fiet graviter indigens, ut si incidat in periculum vitæ, membrorum, jacturæ notabilis, & diuturnæ propriæ sanitatis, gravis infamiæ, notabilis casus à suo statu, ita ut ejus filij, vel pater, non habeant unde alantur. Ita Tamb. *lib.*8. *Decal. tract.*4. *c.*1. §.9. *n.*2. & 4. & nos latius diximus, *disp.*9. *hujus tract. sect.*8. An autem in his casibus, si debitor forte perveniat ad meliorem fortunam teneatur restituere? vide quæ dixi in eodem loco.

Dico secundò: illa impotentia, seu inopia suffi- 1478
ciens est ad differendam solutionem, qua debitor incidit in periculum magnum salutis animæ suæ, vel suorum, ut si periculum sit, ne uxor, vel filia præ inopia se prostituant, ne filij fiant latrones, ne debitor præ impatientia in desperationem incidat, si periculum sit notabile, & nulla alia suppetat via. Ita cum Lessio, Navarro, Bonacina, Trullenc. *lib.*7. *Decal. c.*15. *dub.*1. *n.*11. Item sufficit magnum detrimentum in rebus non debitis, ut si quis debens centum, non possit restituere, nisi vendendo prædium multo minoris, quam valet, nisi forte credito simile detrimentum accepturus putetur. Bonacina: *de restit. q. vlt. p.*1. Trullenc. *sup. n.*12. Ratio horum est, quia in omnibus his casibus, creditor secundum rectam rationem, tenetur in omissionem, vel dilationem restitutionis consentire; aliter esset irrationabiliter invitus. Villalobos, *tom.*2. *tract.*11. *diff.*21. *num.*16. Trullenc. *suprà n.*12.

SECTIO II.

Utrum quis teneatur reſtituere cum jactura ſtatus.

SUMMARIUM.

1479 *Creditore exiſtente in eadem neceſſitate cadendi ab ſtatu, tenetur debitor cum eadem jactura ſtatus reſtituere.*

1480 *Creditore non exiſtente in æquali neceſſitate ſi ſtatus fuit juſte acquiſitus non tenetur debitor reſtituere cum jactura ſtatus.*

1481 *Quoddam corollarium ponitur.*

1482 *Qui ſtatum injuſtè acquiſivit, etiam creditore non exiſtente in eadem neceſſitate, tenetur cum jactura ſtatus reſtituere.*

1483 *Ponuntur aliqua exceptiones.*

1484 *In his caſibus non ſolum non eſt peccatum mortale differre reſtitutionem, ſed nec unquam reſtituere ſi predicta cauſa perſiſtant.*

1485 *An caſibus, in quibus debitor excuſatur à reſtitutione, teneatur poſtea reſtituere creditori damnum emergens, vel lucrum ceſſans.*

1479 Dico primò: creditore exiſtente in eadem neceſſitate cadendi à proprio ſtatu, tenetur debitor cum eadem jactura ſtatus reſtituere. Ratio eſt, quia tunc potior eſt jus creditoris, & jactura rei familiaris non tribuit tantum jus, quantum extrema, vel gravis neceſſitas, nec facit uſum rerum communem. Ita communiter DD.

1480 Dico ſecundò: creditore non exiſtente in æquali neceſſitate, ſi ſtatus eſt juſte acquiſitus, non tenetur debitor cum jactura ſtatus reſtituere, ſive juſte bonis propriis, ſive injuſte bonis alienis illum conſervet, ſive contraxerit debita per infortunia, ſive ex delicto. Ratio eſt, quia dominus, qui vellet ſua reſtitui cum tali jactura ſtatus juſte acquiſiti, eſſet irrationabiliter invitus, ſed retinere aliena, domino irrationabiliter invito, non eſt peccatum contra præceptum reſtituendi: ergo &c. tenetur tamen talis diminuere de ſtatu in victu ſui, & familiæ, in numero famulorum, &c. ut quantum commodè poſſit reſtituat. Ita Leſſius, *lib.* 2. *c.* 16 *dub.* 1. *n.* 26. & cum aliis Bonacina, *diſp.* 1. *de reſtit. q. vlt. p.* 1. *n.* 24. Villalobos, *tom.* 2 *tract* 11. *d.* 20. *n.* 7. & cum multis Saïrus, *lib.* 10. *tract.* 2. *in clavis c.* 3. *n.* 27.

1481 Hinc ſit, comitem non teneri vendere comitatum juſte acquiſitum, nec nobilem ad ſerviendum, vel laborandum, aut privare ſe obſequio famulorum, vel equorum, nec artificem ad vendendum ſupellectilem, vel artis inſtrumenta, & ad mendicandum, ſed ſolum tenentur ex ſumptibus ſuperfluis reſecare, & ex illis reſtituere. Ita cum aliis Bonacina, *ſup. n.* 23. Et idem dicendum eſt de eo, qui bona fide comparavit multam pecuniam ad aliquem ſtatum, quem bona fide acquiſivit, ſi deinde intelligat illam pecuniam eſſe alienam, v. g. ex uſuris acquiſitam; unuſquiſque namque jus habet ad conſervandum ſtatum bona fide acquiſitum; ſed iſte bona fide acquiſivit ſtatum, quocumque modo injuſte comparatum: ergo non tenetur illum dimittere. Ita Salon, 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *contr.* 3 *conc.* 1. Tamb. *lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *c.* 1. §. 9. *n.* 5.

1482 Dico tertiò: qui ſtatum injuſte acquiſivit, v. g. furto, vel uſuris, etiam creditore non exiſtente in eadem neceſſitate, tenetur cum jactura ſtatus reſtituere, quia id non eſt cadere à ſtatu, ſed redire ad ſuum. Ita cum multis Saïrus, *ſup. n.* 36. Tamb. *ſup.*

1483 *n.* 5 Excipe niſi talis homo ſit, vir bonæ famæ, & adſit periculum infamiæ: nam tunc non tenetur reſtituere, cum damno boni ſuperioris ordinis, ſed ſufficit ſi paulatim, non dimittendo ſtatum, reſtituat. Ita Leſſius, *ſup. n.* 29. Bonac. *ſup. n.* 24. Saïrus, *ſup. n.* 43. Imò in caſu, quo dimittat ſtatum, poteſt ſemper ſervare ſibi, & ſuis, quæ ſimpliciter videt, eſſe neceſſaria, ut parce vivat, ſecundum illum priſtinum ſtatum, quamvis reſtituendæ ſint uſuræ Salon, *ſuprà, concl.* 2. Trullenc. *ſup. n.* 4.

Dico quartò in his, & ſimilibus caſibus, non 1484
ſolùm non eſt peccatum mortale differre reſtitutionem, ſed nec unquam reſtituere, ſi prædictæ cauſæ perſiſtant? non enim eſt major ratio, cur hodie, magis quam cras, eadem cauſa rationabili perſeverante, excuſetur debitor à reſtitutione. Unde confeſſarius non debet negare, abſolutionem pœnitenti, qui ob prædictas cauſas non reſtituit Bonacina, *ſuprà n.* 25. Rebellus, *p.* 1. *lib.* 2. *q.* 17. *ſect.* 4. *n.* 61. & probabile putat Eſcobar, *lib.* 37. *Decal. n.* 393.

An autem in his caſibus, in quibus debitor ex- 1485
cuſatur à reſtitutione, teneatur poſtea domino reſtituere damnum emergens, vel lucrum ceſſans; Reſpondeo, quod ſi debitor ex contractu juſto non ſolvit, quia non poteſt reſtituere, niſi incidat in gravem, vel extremam neceſſitatem, vel in amiſſionem ſtatus, famæ, & honoris, non teneri ſolvere lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Et idem dicendum eſt, quando dilatio debiti facta fuit de conſenſu creditoris. Ita cum Navarro, Leſſio, Bonacina, & aliis Trull. *ſup. n.* 11. Secus dicendum eſt de debitore ex contractu injuſto, quia tunc debitor fuit in culpa, & potuit, & debebat hoc advertere. Ita cum Leſſio, Bonacina, Salon, & aliis, Trullenc. *ſup. n.* 14. & cum aliis, Eſcobar, *lib.* 37. *Decal. n.* 391.

SECTIO III.

Utrum remiſſio creditoris excuſet à reſtitutione?

SUMMARIUM.

1486 *Remiſſio creditoris excuſat à reſtitutione.*

1487 *Quæ conditiones requirantur, ut hæc remiſſio valida, ſit?*

1488 *Explicantur conditiones, ut remiſſio creditoris valida ſit.*

Dico primò: certum eſt remiſſionem creditoris 1486
excuſare à reſtitutione. Ita communiter DD. remiſſio enim, eſt quædam debiti donatio. Ut autem hæc remiſſio ſit valida, plures requiruntur conditiones. Prima ut ſit libera. Unde ſi vi, metu, minis, fraude, precibus nimis importunis, quæ vi æquiparantur, obtineatur, nihil valet. Ita cum communi ſententia Bonac. *d.* 1. *de reſtit. q. vlt. p.* 2. *n.* 1. Secus dicendum eſt, ſi ex parte debitoris, non interve- 1487
nit culpa, nec fraus, metus, &c. ſed ſolum creditor remittit debitum, eo quod deſperavit recuperatum. Ita cum aliis Bonac *ſup. n.* 3. Sanc. *de matr. lib.* 4. *d.* 6. *n.* 17. unde debitor, qui ob verum inopiam ſe compoſuit, abſque fraude cum creditore, qui contentus fuit minori ſumma, liber eſt ab onere ſolvendi reliquum, & ſi ad meliorem fortunam perveniat. Secus ſi aliqua fraude utatur, cum habeat facultates ſufficientes ad ſatisfaciendum debito: nam tunc remiſſio, non valet, ut pote ex dolo obtenta. Ita cum Nav. Sylveſtro, Trull. *lib.* 7. *c.* 14. *dub.* 4. *n.* 3.

Secunda conditio eſt ut remittens poſſit remittere: 1488
nemo autem poteſt remittere, qui non poteſt donare. Unde filius familias, nō poteſt remittere debita patrona, nec uxor marito Leſſius, *ſup. n.* 36. Tertia conditio eſt, ut remiſſio nō fiat in caſibus jure exceptis, quales ſunt. Primò ſi Epiſcopus viſitans Eccleſiā accipiat aliquid

Digitized by Google

quid, præter id, quod eſt neceſſarium ad ſumptus, & victum illis diebus, quibus viſitat, ut habetur, *cap. exigit. de cenſibus & exactionibus.* Secundò ſi Judex delegatus aliquid acceperit à partibus, niſi forte eſculentum, vel poculentum, *cap. ſi tantum §. inſuper de reſcript. in 6.* Tertiò ſi inquiſitores prætextu officij inquiſitionis pecuniam extorſerint, *Clement. nolentes de hæreticis in 6.* Quartò ſi canonicus, qui officio non intereſt, acceperit diſtributiones, ex Tridentino, *ſeſſ. 24. cap. 22.* de quibus vide latius Trullenc. *ſuprà num. 6.*

SECTIO IV.

Utrum ceſſio bonorum excuſet à reſtitutione?

SUMMARIUM.

1489 *Ceſſio bonorum excuſat à reſtitutione in foro externo, non tamen interno, niſi vere impotens ſit.*

1490 *Si mulier, vel filij videant, quod poſt mortem mariti, vel parentum bona omnia pro debitis auferenda, poſſint occultare ea, quæ ſufficiant ad vitam, ſummque ſtatum honeſtè conſervandum.*

1491 *Qui bonis ſuis cedunt, ſi veniant ad meliorem fortunam, tenentur reſtituere.*

1489 Dico primò: ceſſio bonorum excuſat à reſtitutione in foro externo, non tamen in foro conſcientiæ, niſi vere impotens ſit, qui cedit. Ideo enim hæc ceſſio ſufficagatur debitori, quia talis impotentia in debitore à principe ſupponitur. Unde debitor in foro conſcientiæ retinere, & occultare poteſt ex bonis, quibus gaudebat ante ceſſionem; ſive poſt ceſſionem acquiſitis, illa, quibus ſecundum ſuum ſtatum parce vivat; ſiquidem ad propria alimenta, quilibet jus habet, cum is, qui illis caret ſit in gravi neceſſitate conſtitutus, in qua etiam aliena poſſe ſumi diximus, *diſp. 9. huius tractatus, ſect. 8.* quanto magis propria occultare. Ita cum Leſſio, Navarro, & aliis Trullenc. *lib. 7. cap. 15. dub. 5. num. 1.* Diana, *p. 4. tr. 4. reſ. 78.* Tamburinus, *lib. 8. Decal. tr. 4. cap. 1. §. 9. n. 8.*

1490 Dico ſecundò: ſi mulier, & filij videant poſt mortem parentis, vel mariti, creditores omnia bona ablaturos eſſe pro debitis illorum, poſſunt occultare ea, quæ ſufficiunt ad vitam, ſummque ſtatum honeſtè conſervandum. Ita cum Navarro, Sylveſtro, Bonac. Trullenc. *ſuprà n. 3.* Tamburinus, *ſuprà n. 9.* Imò ſic occultantes in judicio requiſiti poſſunt cum æquivocatione congrua jurare, ſe nihil occultaſſe hoc eſt, non ipſis debitum, & propter eandem rationem, non incurrent excommunicationem forte latam contra occultantes ea bona. Ita Cæleſtinus, Soto, Azor. & alij, quos refert, Diana, *p. 5. tr. 14. reſol. 57.* Tamburinus, *lib. 8. Decalog. tr. 4. c. 1. §. 9. num. 9.*

1491 Dico tertiò: qui bonis ſuis cedunt, etiamſi id fiat cum actibus ignominioſis, ſecundum conſuetudinem loci, ſi forte poſtea veniant ad meliorem fortunam tenentur reſtituere, dummodo acquirant pluſquam neceſſaria ſunt ad decentiam ſtatus. Ita cum Leſſio, Trullenc. *ſuprà num. 4.* nam per ceſſionem non fuit debitum extinctum, ſed conſopitum. Unde ſi debitor fuerit officialis, non ſe poteſt dare otio, ſed debet ſi valet ſuum officium, ut antea exercere, & ſi ex lucratis ultra neceſſaria ad decentiam ſui ſtatus poſſit reſtituere, ad id tenetur enim adhibere media ordinaria, quæ conducant ad finem, ad quem quis obligatur. Ita & bene cum Leſſio, Molina, Palao, Tamburinus, *ſuprà num. 10.*

SECTIO V.

Utrum ille, qui ſolvere non poteſt debita, ſperat tamen quod poſtea manens in ſæculo poterit, poſſit omiſſa reſtitutione ingredi Religionem?

SUMMARIUM.

1492 *Si debitor brevi tempore ſperans in ſæculo, quòd poterit debita reſtituere, tenetur differre ingreſſum religionis.*

1493 *Quid ſi neceſſe ſit longius differre ingreſſum?*

1494 *Quid ſi detur ſpes ſolvendi debita, ſuper biennium differat ingreſſum religionis?*

1492 Dico primò: ſi debitor brevi tempore, hoc eſt per biennium, ſperans in ſæculo poterit debita in totum, vel in magna parte ſolvere, tenetur differre ingreſſum religionis. Secus autem ſi neceſſe ſit longius tempus ſperare. Ratio eſt, quia perſona hominis liberi, non eſt creditoribus obligata; ſed ejus bona: ergo cedendo bonis in favorem creditorum, illis ſatisfacit, nec ad aliud tenetur. Ita D. Th. 2. 2. *q. 189 art. 6. ad 3.* quod autem ſi detur ſpes ſolvendi debita, ſi per biennium differat ingreſſum religionis, ad id teneatur; patet quia ad id videtur ſe obligaſſe debitorem, ex vi contractus, quod cum poſſit impleri, ad id tenetur. Ita cum Sanchez, Leſſio, Navarra, & aliis Eſcobar, *lib. 37. Decalog. num. 436.* Trullenc. *lib. 7. cap. 15. dub 9. num. 3.*

1493

1494

SECTIO VI.

Utrum diſpenſatio, vel compoſitio cum prælato excuſet à reſtitutione?

SUMMARIUM.

1495 *Quando dominus ignoratur, excuſat compoſitio per bullam à Pontifice.*

1496 *Idem dicendum eſt quando dominus ſcitur, attentis tamen circunſtantiis juxta mentem creditoris debita diſtribuenda eſſent pauperibus.*

1497 *Qui habet multa debita certa, & incerta, ſi obtineat compenſationem à Pontifice pro incertis, tenetur ex illis incertis reſtituere.*

1495 Dico primò: quando dominus ignoratur ſive debitum ſit juſte, ſive injuſte contractum, excuſat compoſitio per bullam cum Pontifice. Ratio eſt, quia quando dominus ignoratur hæc debentur pauperibus ſolo jure poſitivo, ut *ſuprà*, diximus, ſed Papa diſpenſare poteſt in jure poſitivo: ergo. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 16. dub. 11.* & alij communiter. Idem dicendum eſt, quando etſi dominus ſciatur, attentis tamen circunſtantiis, juxta mentem creditorum, debita diſtribuenda eſſent pauperibus, ut *ſuprà*, diximus, & tenet Ludovicus à Cruce, *d. 6. de bulla cruciata num. 3.* Tamburinus, *lib. 8. tr. 4. cap. 1. §. 8. n. 5. & 7.* Eſcobar, *lib. 37. Decalog. n. 460.* Lugo, *tom. 1. d. 21. n. 193.* An autem in hoc caſu, comparente domino, debeat res, ſi extat reſtitui illi? Reſpondeo regulariter debere reſtitui, quia cenſetur non fuiſſe factam ſufficientè diligentiâ pro domino; at ſi ſufficiens

1496

1497

diligentia facta fuit, arbitrio prudentis viri, res sive applicata loco pio, sive pauperibus non est domino reddenda, etiam si forte compareat. Ita & tenet Escobar *libro 37. Decalogi numero* 448.

1497 An autem habens multa debita certa, & incerta, si à Pontifice obtineat compensationem super incertis, teneatur illis debita certa solvere? Respondeo affirmative: quia jam facta sunt propria, & habet cum quo satisfaciat. Ita Bonacina *disp. 1. de restitutione quæst. ultim. p. 2. num. 28.* Trullenc. *lib. 7. cap. 15. dub. 11. num. 3.* An autem Pontifex possit sine causa liberare à restitutione debitores. Si creditores sint noti, Respondeo negative: siquidem Pontifex non est bonorum temporalium subditorum dominus, vel dispensator. Potest tamen cum causa, quia habet supremam potestatem in bonis temporalibus omnium Christianorum, quatenus opus est ad regimen spirituale. Unde potest ponere mulctas pecuniarias, & confiscationem bonorum pro criminibus, & consequenter condonare restitutionem hujusmodi hominibus faciendas. Et idem potest princeps sæcularis, respectu suorum subditorum. Ita cum Sylvestro, Lessio, & aliis Trullenc. *suprà num.* 2. An autem episcopus possit etiam hanc compositionem concedere? Respondeo negative, quia Pontifex hoc sibi de facto reservat. Ita cum Turriano, Molina, & aliis Escobar. *suprà num.* 454. contra Trullenc. *in bullam cruciata lib. 3. dub. 1. n. 3.* Dianam *p. 3. tract. 4. resol. 112.* cujus opinio non est improbabilis.

SECTIO VII.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum pœnitens, cum possit, non restituit, nec debita solvit.

SUMMARIUM.

1498 *Quoties pœnitens accedit ad confessionem cum impotentia restituendi, si habeat propositum restituendi cum possit, danda est ei absolutio.*

1499 *Pœnitenti, qui prima vice confitetur se culpabiliter non restituisse alienum, habere tamen propositum statim restituendi, non est ei neganda absolutio.*

1500 *Quid si bis, vel ter fuerit jussus restituere & non restituit.*

1498 Dico primò: Quoties pœnitens accedit ad confessionem cum impotentia restituendi, si dicat se habere propositum restituendi, absolvendus est etsi sæpe ante culpabiliter restituere omiserit. Idque, etsi restitutio facienda sit ex decimis Deo debitis: quia Tridentinum quando præcipit confessariis, ne absolvant debitores decimarum, quocunque eas solvant, intelligendum est de debitoribus potentibus restituere. Unde impotentes absolvi possunt, etiam si in foro externo habeantur excommunicati si in conscientia excommunicationem non incurrerunt, quia jam erant impotentes, quando lata fuit excommunicatio. Ita cum Decastillo, Tamburinus, *lib. 8. Decalogi tractat. 4. cap. 4. num.* 12. Et idem dicendum est, si esset casus reservatus, ipse tamen pœnitens numquam fuit potens ad solvendum; nam reservatio solum comprehendit eos, qui cùm possint non solvunt decimas, ut latius dixi *in prima parte hujus Directorij, tractatu de pœnitentia*, nunc quæ omitto ne eadem repetamus.

1499 Dico secundò: Pœnitenti, qui prima vice confitetur se culpabiliter non restituisse alienum, habere tamen nunc propositum statim restituendi, non est neganda absolutio. Si tamen bis, vel ter ad summum, fuit jussus restituere in aliis confessionibus, & cum posset non restituit, regulariter non est absolvendus, quoadusque fecerit re ipsa restitutionem. 1500 Ratio prioris partis est, quia sicut in omnibus aliis confessarius credere debet pœnitenti, ita & in hoc. Ratio posterioris quia talis homo est in periculo proximo, experientia ipsa comperto, iterum non restituendi, sicut ille qui proponit ejicere concubinam semel, & iterum, & numquam ejecit. Ita & bene Tamburinus *lib. 8. Decalogi tract. 4. cap. 4. num.* 10. Dixi regulariter, nam talis posset esse pœnitens, tales circumstantiæ possent concurrere, ut confessarius debeat esse contentus solo proposito restituendi, etiam si antea sæpe jussus nunquam restituerit; ita cum Navarro, Molina, Valentia, Tamburinus, *suprà*. Sed de his vide quæ late dixi *in prima parte hujus Directorij in tractatu de pœnitentia*.

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO

Ne falsum testimonium dices.

1 ABSOLUTO jam septimo magno Decalogi præcepto, jam animum pulsat octavum præceptum aggredi, & quamvis in eo aliqui non solum de judicio temerario, & de testimonio falso; & aliis huic annexis, extra judicium, sed etiam in judicio agant; ego solum de illo, tam interne, quam externe, extra tamen judicium, nisi obiter forte solum agam, remittendo tractationem testimonij falsi in judicio & ordinis judicialis ad aliud opus, quod mente conceptus sum, Deo dante, interim vide, quæ dixi *in nostro Directorio Regularium, de ordine judiciario, in ordine ad regulares*. Sit igitur,

DISPUTA

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

De falso, seu temerario judicio.

SECTIO I.

Vtrum judicium temerarium sit peccatum?

SUMMARIUM

1 *Quot sint actus judicij temerarij?*
2 *Judicium temerarium ex se est peccatum mortale contra justitiam.*
3 *Quid si indicia habeant maximam probabilitatem?*
4 *Quid si desit plena advertentia?*
5 *Quid si materia sit levis?*
6 *Quid si quis temere de alio judicet esse illegitimum, vel ex genere Hebræorum, aut hæreticorum?*
7 *Quid si quis non certo judicet, sed tantum dubitet, opinetur, vel suspicetur?*

1 PRo explicatione hujus sectionis, suppono Doctores cum D. Thoma 2.2.*quæst.*60.*art.*3. constituere quatuor actus judicij temerarij, nempe dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium. Dubitatio, est propriè animus anceps in neutram partem inclinans; suspicio vero est, quando intellectus ex insufficientibus indiciis in alteram partem inclinat, nondum tamen absolute assentitur. Opinio vero est, quando ex eisdem indiciis adhæret alicui parti determinatæ, licet cum aliqua formidine oppositi, undè suspicio est veluti inchoata, & imperfecta opinio, ab eaque distinguitur secundum magis, & minus; judicium vero est assensus certus moraliter sine formidine veritati oppositæ. Dixi assensum certum moraliter, nam id satis est ad judicium certum practice, nam ad judicium certum speculative, requiritur evidentia, per quam judicet intellectus aliter rem se habere metaphysice non posse. His suppositis,

2 Dico primò: Iudicium temerarium ex se est peccatum mortale contra justitiam. Ratio est, quia gravis irrogatur proximo injuria dum sine causa habetur improbus. Vnusquisque enim habet jus ad bonam sui existimationem, seu famam, donec de eo crimine dignoscatur; ergo infert illi injuriam, qui illum in corde suo temere judicat. Ita D. Thomas 2.2.*quæst.*60.*art.* 3. & cum communi sententia Diana *p.*2.*tract.*5.*resol.* 31.

Dixi ex se. Nam aliquando judicium temerarium non est peccatum mortale. Primo si indicia, etsi sint insufficientia ad certum judicium, habent tamen maximam probabilitatem, & credulitatem; nam tunc judicare solum erit veniale; ut si quis juvenem inveniat solum cum puella in cubiculo, & inde judicet eos tractare turpia. Imò si adsint indicia sufficientia, judicium nec erit temerarium, nec veniale, sed judicium prudens; tunc autem indicia dicentur sufficientia, quando fuerint proportionata cum tali judicio, ut si quis ex eo quod aliquis noctu scalarum adminiculo fenestram alienæ domus aperire intentet, judicet eum esse latronem; tale judicium non erit temerarium, sed prudens, si vero ex eo quod videat vitum bonæ famæ de die transire per viam, ubi mulier inhonesta degit, judicet eum adulterum, tale judicium erit temerarium, siquidem illa indicia non habent proportionem, nec sunt sufficientia ad tale judicium.

Secundò: Non erit judicium temerarium mortale, si desit plena advertentia, & deliberatio. Hinc si videnti hominem egredientem ex aliena domo repræsentetur eum esse furem, is non vere judicat, sed potius ei proponitur objectum de quo est judicandum, vel ex suggestione dæmonis, vel ex quadam sagacitate naturæ; unde cum judicium adhuc non sit, sed repræsentatio ejus, quod judicari debet, adhuc judicium temerarium non est. Quod si tunc intellectus sine voluntatis motu deliberato judicet aliquid siniſtrum, cum sit motus primo primus judicium temerarium non est. Quod si detur aliqua deliberatio, non tamen plena, erit veniale, ad peccatum autem mortale requiritur plena deliberatio, & advertentia. Ita cum communi sententia Lessius *lib.*2.*cap.*29.*dub.*2.*n.*9.& 10. Filliuc.*tract.*40.*cap.* 1.*q.*3.*n.*6. & 7. 4

Tertiò non erit judicium temerarium peccatum mortale, sed tantum veniale, si materia sit levis. Colligitur autem gravitas in hoc casu, non solum ex qualitate materiæ, sed etiam ex qualitate, & professione personarum, de quibus sit judicium. Vnde non erit mortale temere certo judicare de milite, provocasse ad duellum, & de juvene parum honesto, quod ex pravo fine per aliquem locum transierit; quia ipsi de hujusmodi criminibus gloriantur, quare non judicantur honoris læsionem pati. Item non erit mortale de aliquo prorsus ignoto temere judicare in re gravi, ut si quis videat mulierem pallio omnino coopertam per plateam ambulare, & male de ea judicet; quia cum illa sit ignorata, moraliter perinde est, ac si de nullo judicaret. Quod si forte postea cognoscatur, non potest, nisi secundum conjecturas judicari. Tamb. *lib* 9. *Decalog.cap.*2.§.1.*num.*10. E contra vero erit mortale, si quis temere certo judicet de religioso gravi, vel Episcopo, esse mendacem ex habitu, & numquam dicere veritatem, quia hujusmodi res reddunt tales personas contemptibiles, & indignos muneribus, & prælaturis. Ita cum Soto, Sayro, Filliuc. Trullenc. *sup.n.*6. Tamb. *sup.n.*6. 5

Idem dicendum est, si quis temere de alio judicet esse illegitimum, vel ex genere Hebræorum aut hæreticorum; quia inter homines probos hæc multi æstimantur. Decastillus *de justitia, tract.* 2.*lib.*2. *d.*12.*num.*4. Tamb. *lib.*9. *Decalog.cap.*2.§.1.*num.*6. contra Lessium, *lib* 2.*cap.*29.*dub.*2.*num.*34. Trullenc.*lib.*8.*cap.*1.*dub.* 1. *num.* 10. qui existimant id tunc solum esse mortale, quando idcirco quis illum contemnat, aut infamet, vel ab aliquo bono, vel officio impediat. Secus si solum id interius secum judicet, nam id apud sapientes vitio caret, sicut & judicare aliquem ex levibus conjecturis ignarum, stultum, claudum, cæcum, imprudentem, & impertinentem, si ob id eum ab aliquo bono non impediat, ut cum Filliuc & aliis docet Trullenc. *suprà.* Sed ego à contraria sententia non decedo, siquidem gravissime homines præcipuè in hoc Regno ferunt, si ex genere Hebræorum ab aliquo judicentur, quod tamen non ita ægre ferunt, si imprudentes, stulti, &c. judicentur. 6

Tandem non erit mortale si quis non certo, & sine formidine ex levibus conjecturis judicet, sed tantum dubitet, opinetur, vel suspicetur cum formidine 7

midine alterius partis; nam tunc non est judicium firmum, & certum moraliter, quod requiritur ad peccatum mortale, ut sectione sequenti videbimus.

SECTIO II.

Utrum temerè suspicari de re gravi sit peccatum mortale?

SUMMARIUM.

8 *Suspicio, sive dubium, sive opinio deliberata temeraria non est peccatum mortale.*

9 *Si fiat ex sufficientibus indiciis nec erit veniale.*

10 *Aliquando suspicio temeraria deliberata ex levibus indiciis est peccatum mortale, & quando id accidat?*

11 *Ponuntur aliqua exceptiones.*

8 Dico primò: Suspicio, sive dubium, sive opinio deliberata, & sine sufficientibus indiciis, atque adeo temeraria, non est peccatum mortale. Ratio est, quia suspicio, sive dubium, vel opipio, in genere judicij est actus imperfectus; ergo non est plene temerarius, nec necessario conjunctus cum contemptu, saltem gravi proximi; ergo sicut cetera peccata contra justitiam non sunt, nisi venialia ex parvitate materiæ; ita in casu suspicionis. Antecedens patet, quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas; nec est læsio gravis, quando ille qui suspicatur habet actualiter, vel saltem virtualiter formidinem oppositi, & quasi facilè est paratus hujusmodi suspicionem deponere.

Confirmatur, quia suspicio in se quandam ambiguitatem claudit, ergo non est firmum judicium, sed tantum existimatio temeraria; sed persona proximi non contemnitur, nisi quando prorumpitur in definitivam sententiam; ergo suspicio, dubium, sive opinio deliberata, ex levibus, & insufficientibus indiciis, tantum est peccatum veniale. Etsi fiat
9 ex sufficientibus indiciis, nec etiam erit veniale. Ita Cajetan. Sotus, Sylvester, Filiuc. quos refert, & sequitur Diana *p. 2. tract. 5. miscellan. resol. 31.* Trullenc. *lib. 8. Decalog. cap. 1. dub. 2. num. 4.* Navarr. & alij, quos refert, & sequitur Decastillus *lib. 2. de justitia tract. 2. d. 12. nu. 46.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 3.* Molina *tract. 4. de justitia d. 16. concl. 3.* Azor *p. 3. lib. 13. cap 11. dub. 3.* Tamburin. *lib. 9. Decalog. cap. 1. num. 11.* Valentia, Fagund. Medina, quos refert, & sequitur Escobar *lib 35. Decal. n. 200. & n. 73.* contra Bañez, Salon, Aragonium, & alios, quos ibi refert.

Et hæc sententia vera est, & si quis suspicetur deliberate quodcunque peccatum, etiam hæresis, & proditionis, &c. de persona gravi, & honestata nam cum hæc suspicio sæpissime procedat ex nostra humana fragilitate adversus quoscunque, etiam sanctissimos; non debet judicari prudenter afferre læsionem notabilem; ut enim ait Augustinus suspiciones vitare non possumus. Ita Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 2. num. 6.* Tamb. *lib. 9. Decalog. cap. 1. num. 16.* Probabile putat Trullenc. *suprà n. 4.* Diana *p. 2. tract. 5. resol. 31.* contra Sot. Valentiam, quos refert, & sequitur Escob. *lib. 35. Decalog. num. 200. in fine.*

10 Dico secundò: Aliquando suspicio temeraria deliberata ex levibus indiciis per accidens est peccatum mortale. Primo si ex odio gravi procedat, ut si quis propter odium grave inimici, delectetur de malo gravi ipsius, quod temere suspicatur, ut si quis suspicetur esse mortuum inimicum, deque ea morte sic complaceat. Secundo si suspicans adderet interius aliud malum, ut si interius contemneret proximum, quasi si ille tale peccatum revera commisisset. Tertiò si ex suspicione procederet ad aliquod malum inferendum exterius proximo, ut si judex levibus indiciis reum condemnaret, vel superior religiosum subditum ab officio privaret. Quartò si suspicionem aliis manifestaret, experientia enim constat, quod ex tali manifestatione sequitur contemptus personæ, de qua suspicatur.

Excipe si quis uni, vel alteri personæ timoratæ 11
conscientiæ, unde prudenter non timeatur adesse hujusmodi periculum, suam patefaceret suspicionem; nam tunc non esset saltem mortale, ut bene advertit Tamburin. *suprà num. 15.* Manifestare autem iis, quibus potest; aut ex aliquo capite debet, nullum est peccatum Tamburin. ibi. Ex quibus colliges, raro lethaliter peccari per temerarium judicium, cum nisi ex gravi odio, vel stultitia, nemo ex indiciis levibus certo judicet malum grave de proximo, ut recte cum Molin. & Decastillo, advertit Tambur. *suprà num. 19.*

SECTIO III.

De quibusdam ad judicium temerarium pertinentibus.

SUMMARIUM.

12 *Omnia judicia temeraria sunt ejusdem speciei.*

13 *An judicium temerarium distinguatur specie à detractione?*

14 *An judicans temere teneatur ad restitutionem?*

Dico primò: Omnia judicia temeraria sunt 12
ejusdem speciei. Ratio est, quia omnia judicia temeraria conveniunt in unam rationem formalem offensivam famæ; ergo sunt omnes ejusdem speciei, de materiali enim est, quod quis judicet de alio, quod ebrius, sodomita, vel hæreticus sit. Unde sufficit, si pœnitens in confessione dicat, se temere in re gravi de proximo judicasse. Ita Filiuc. *d. & cap. 1. tract. 40. num. 9.* Trullenc. *lib. 8. Decalog. cap. 1. dub. 4. num. 1.*

An autem judicium temerarium distinguatur 13
specie à detractione? Affirmat cum Lugo, Escob. *lib. 38. Decalog. num. 197.* Verum melior sententia docet non distingui. Et ratio est, quia peccatum cordis, & oris sunt ejusdem speciei; sed judicium temerarium, est peccatum cordis, & detractio peccatum oris; ergo non distinguuntur specie. Ita Mol. *d. 13. tom. 5. num. 1.* Trullenc. *sup. num. 1.* Filliuc. *supr. num 9.* Unde sufficit dicere in confessione, graviter læsi famam proximi, quod autem fuerit per judicium temerarium apud me solum, vel per detractionem apud alios, de materiali, & per accidens se habet. Mol. *suprà num. 1.*

An autem judicans temere, teneatur ad restitu- 14
tionem? Respondeo negative. Siquidem per illud proximus efficaciter damnificatus non fuit; tenetur tamen temere judicans, deponere judicium; hoc tamen non est propriè restitutio, cum nihil externum proximo reddatur. Aliter tamen dicendum est, quando judicium temerarium aliis manifestatur;

nam

nam tunc tranſit in detractionem,& tunc datur obligatio reſtituendi, ut infra dicemus. Ita Filliuc.*ſup. quæſt.*44.*num.*9. Navarrus *lib.*2.*cap.*4.*num.*314

SECTIO IV.

Utrum in dubio ſemper ſit judicandum in meliorem partem?

SUMMARIUM.

15 *Dubia de rebus tenetur quis judicare in meliorem partem.*
16 *Dubia de perſonis ſunt in meliorem partem interpretanda.*
17 *Quale judicium ferre poſſit qui mala audit de proximo?*

15 Dico primò: Dubia de rebus, hoc eſt, an contractus ſit licitus, vel propoſitio ſit hæretica, necne, non tenetur quis judicare in meliorem partem, ſed res ſuis momentis æſtimanda eſt. Ratio eſt,quia in hoc judicio tantum agitur de rei veritate, nec eſt timor, ut alicui injuria inferatur; ergo unuſquiſque poteſt judicare, prout de veritate rei ſibi videbitur, nec facit alicui injuriam, non interpretando in meliorem partem.Ita Leſſius *lib.*2.*c.*29. *dub.*4. *num.*31.

16 Dico ſecundò: Dubia de perſonis ad bonam,vel malam æſtimationem pertinentia;ſunt in meliorem partem interpretanda. Ita communiter DD. cum D.Thoma 2.2.*quæſt.*60. *num* 4. Hoc tamen axioma non debet accipi affirmative, quaſi exiſtentibus ſufficientibus argumentis, ad dubitandum de proximi probitate, nihilominus exiſtimare debeat eſſe innocentem; nemo enim obligatur, ut errandi ſe ſe exponat periculo, cum autem exiſtimatio repugnet dubitationi, eo ipſo quod quis habet ſufficientia argumenta dubitandi de alicujus probitate, non ſine erroris periculo intellectum ad alteram partem,quamvis benigniorem inclinat, ſed dictum illud debet accipi ex hypotheſi, videlicet, æqualibus utrinque exiſtentibus indiciis, tum pro hominis innocentia,tum nocentia, ſi judicium ferre quis velit, melius faceret, ſi negative ſe haberet, nec probum nec improbum judicando, ſed ſuſpendendo actum.

17 Ex hypotheſi tamen quod velit judicare, potius inclinandum eſſe intellectum in partem benigniorem, quia ſatius eſt in dubio frequenter falli bene opinando de proximo, quam male opinando, vel ſemel decipi. Ita & bene cum Cajetano, Molina, *tr.*4.*diſp.*17.*n.*1.Leſſius *lib.*2.*cap.*19.*dub.*4.Ricardus *in* 3. *diſt.*33. *art.*3. *quæſt.*7.*ad* 1. & cum aliis Trullenc.*lib.*8. *Decalog.cap.*1. *dub.*3. *num.*4. & ſequentibus, & Apoſtolus monet 1.*Corint.*4. nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.

Sed quæres,quale judicium ferre poſſit, qui audit mala de proximo? Reſpondeo,quod ſi is,qui refert, probus ſit,& aliàs non ſit male affectus, & refert de non probo,& honeſto,poſſe credere.Secus è contra. Si autem ſint pares, ſuſpendendus eſt actus. At ſi conſtaret talem virum referentem procedere bono zelo,& animo peccatum, ſeu damnum impediendi, & non eſſe male affectum, poſſet audiens in favorem illius inclinari.Aliter in dubio ſuppoſito quod ſit judicandum, favendum eſt Deo, ut ſupra diximus. Ita Villalobos 2.*p.tr.*14.*def.*19.*num.*6. Salon 2.2.*quæſt.*6.*art.*4. *dub.ultimo.* Hinc fit in dubio de probitate alicujus, non poſſe ſuperiorem ei officium, vel beneficium denegare, ſi officio aliàs dignus eſt, ſi ex illius denegatione ſequatur ei infamia. Si tamen nulla ei infamia ſequatur, adſitque alter æqualis in meritis, licet illi negare officium, vel beneficium,& alteri dare.Cajetanus *verbo judicium temerarium*, Salon *ſuprà* & nos latius diximus *in noſtro Directorio Regularium.*

DISPUTATIO II.

De Detractione in fama, & honore.

SECTIO I.

Qnid ſit fama, & honor, & quibus modis lædantur.

SUMMARIUM.

18 *Ponitur famæ deſcriptio, & explicatur.*
19 *Ponitur honoris deſcriptio, & explicatur.*
20 *In quo differat fama ab honore.*
21 *Fama detractione læditur, honor verò læditur contumelia.*

18 Dico primò: Fama eſt bona multorum æſtimatio, de aliquo concepta, circa ejus vitam, & mores. E contrario infamia eſt mala multorumæſtimatio, de aliquo concepta,circa ejus vitam, & mores. Diſtinguitur autem fama à rumore,tanquam ſuperius, & inferius; nam omnis fama eſt rumor, non tamen omnis rumor eſt fama, quia rumor eſt parva fama, ut quando minor pars viciniæ aliquid atteſtatur; fama vero quando major pars populi,vel viciniæ atteſtatur. Toletus *lib.*5. *cap.*63. Navarr. *lib.*1.*c.*4.*n.*462. & alij communiter.

19 Dico ſecundò: Honor eſt teſtificatio quædam bonæ opinionis, & excellentiæ alterius, verbis, vel ſignis exterius facta: verbis fit quando quis alterum honorifice appellat ſapientem,eximium,magnificum, &c. ſignis, ut genuflexione, corporis inclinatione, ſeſſione primi loci, erectione, cum enim homines volunt honorari, teſtimonium excellentiæ ſuæ publice capiunt exhiberi. Ita D. Thomas 1.2.*quæſt.*103.*ad* 1. & 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.*1. *num.*3. & 4.

20 Dico tertiò: Fama differt ab honore in eo,quod fama conſiſtit formaliter in judicio,& æſtimatione interna hominum, circa aliquem, ejuſque vitam, & mores. Honor vero conſiſtit in externa ſignificatione noſtræ æſtimationis de excellentia alterius, & ſubmiſſionis noſtræ. Hinc fit, ut honor ſit excellentius quid, quam fama: nam includit famam, ſeu opinionem excellentiæ,& præterea ejus teſtificationem, & æſtimationem. Leſſius *ſuprà num.*3.& alij communiter.

21 Dico quartò: Fama detractione læditur, honor vero læditur contumelia. Differt autem Detractio à contumelia, quia detractio fit occulte, & in abſentia, contumelia vero potiſſimum fit in præſentia, ſicut enim honor non fit,niſi præſenti, vel abſenti, tanquam præſenti, ut quando deſiderat honorans, ut honorato abſenti innoteſcat. Ita con-

Digitized by Google

tumelia non fit, nisi præsenti. Differt autem detractio à contumelia specie, sicut furtum, & rapina. Bonacina *de restitutione q.4.p.1.n.2.*

SECTIO II.

Quid sit Detractio?

SUMMARIUM.

22 *Ponitur detractionis definitio.*
23 *Octo dantur modi detractionis, & quales sint?*
24 *Detractio alia est formalis, alia materialis.*
25 *Detractio tam formalis, quam materialis possunt esse peccatum veniale, tum ratione indeliberationis, tum parvitatis materiæ.*
26 *Unde sumenda sit gravitas materiæ in hoc casu?*
27 *Omnes detractiones sunt ejusdem speciei.*

22 DIco primò: Detractio est alienæ famæ occulta, & injusta denigratio. Dico enim ad detractionem requiruntur. Primum ut aliquid dicatur animo extinguendi bonam opinionem in animo alterius existentem. Secundum ut id fiat occulte; unde si quis de peccato alterius etiam occulto loquatur, absque famæ proximi læsione, ut fieri potest, si loquatur de peccato occulto cum eo, qui illud scit, non dicitur propriè detrahere, quia non lædit illius famam, quamvis aliunde peccare possit ob pravum finem, vel affectum. Navarr. *lib.2.c.4.n.6.*

23 Dico secundò: Octo dantur modi detractionis, quatuor, quibus directè, & quatuor, quibus indirecte fama læditur. Primò directe læditur, imponendo alteri crimen falsum scienter. Secundo peccatum alterius signis, vel factis ampliando. Tertiò pandendo crimen occultum. Quarto honestum alterius factum in partem sinistram explicando. Indirecte vero læditur. Primo negando rectè facta, vel dotes alterius: Secundo ea diminuendo. Tertiò tacendo bona alterius eo loco, ac tempore, quo silentium pro tacita vituperatione accipitur. Quartò frigide laudando, si id in opprobrium laudati cedat, Reginaldus *lib.24.num.49.* Molina *tract.4.disp.27.* & alij communiter.

24 Dico tertiò: Detractio alia est formalis, alia materialis. Detractio formalis est, qua defectus, vel peccatum alterius manifestatur animo infamandi. Materialis vero est, quando aliquid natura sua difamativum dicitur, sine animo infamandi. Utraque autem ex natura sua est peccatum mortale: formalis quia directe intendit læsionem famæ proximi. Materialis quia licet directe non intendat famam lædere, virtualiter, & implicite defectus proximi propalat; quod sufficit ad peccatum mortale. Lessius *lib.2.cap.11.dub.3.num.12.* Diana *p.5.tr.5. resol.69.*

25 Dico quartò: Tam Detractio formalis, quam materialis possunt esse peccatum veniale, tum ratione indeliberationis, tum ratione parvitatis mate-
26 riæ. Gravitas tamen materiæ in hoc casu, non solum est sumenda ex parte rei narratæ, sed etiam ex parte personæ. Unde licet defectus narrati in se sint veniales, aliquando ob gravitatem personæ, eorum narratio erit mortale; ut si quis de gravi persona diceret esse mendacem, vel de Religioso Carmelita excalceato in suo conventu carnes edere, sine licentia, & necessitate, nam licet res narratæ sint veniales, in talibus tamen personis censentur magni momenti. Econtra verò, si quis diceret de milite provocasse ad duellum, habere concubinam, fuisse puellæ deceptorem, non graviter ejus famam lædere; quia ipse de his potius gloriatur quam offenditur. Lessius *suprà n.14. & 17.* Bonacina *de restitutione d.3.qu.4.p.2.n.5.& 6.*

Dico quintò: Omnes detractiones sunt ejusdem 27
speciei. Omnes enim conveniunt in hac ratione formali, videlicet in denigratione famæ in absentia, & quod una sit de majori vel minori peccato, de materiale quid est. Per accidens tamen possunt habere alteram malitiam adjunctam, ut si fiant ex odio, vel vindicta. Ita cum Saa, & aliis, Trullenc. *lib.7.Decalog. cap.10.dub.2.num.4.* An autem Detractio contra patrem, vel Episcopum, Regem, &c. habeant circunstantiam specie distinctam necessario confitendam? Respondeo negative, quia detractio solum est contra famam alterius; fama autem unius hominis non distinguitur ab alia. Quod autem detractio sit de Patre, Episcopo, Prælato, &c. solum est circunstantia aggravans. Ita Azor *p.3. lib.13. cap.5.dub.1.* Diana *p.1. tract.de circunst. resol.28.* & cum Bonacina, Trullenc. *lib.7.Decalog cap.10. dub.2. num.4.*

SECTIO III.

Utrum sit peccatum mortale detractionis defectus proximi occultos, tam naturales, quam morales aliis propalare.

SUMMARIUM.

28 *Revelare defectus naturales alicujus, ut esse imprudentem, ignarum, &c. si his vere laboret, non est mortale.*
29 *Quid si defectus naturales sint, ut esse spurium, Hebræum, vel ex Mahometanis natum?*
30 *Detegere defectus morales in genere, ut esse avarum, iracundum, &c. regulariter non est mortale.*
31 *Qui tacito nomine dicit, in tali loco multi improbi sunt, & unus ex eis adulterium commisit, non est mortale.*
32 *Qui de statu religionis in communi detrahit, incurrit hæresis suspicionem.*
33 *Quando quis de uno, vel altero crimine infamis est, non est mortale detegere illius alia crimina, quæ sunt valde affinia, & conjuncta graviori crimine.*
34 *Non est peccatum detractionis infamare hominem, qui fictis virtutibus cum damno proximi opinionem in republica adeptus est.*

DIco primò: Revelare defectus naturales ali- 28
cujus, ut esse imprudentem, ignarum, cocleum, claudum, &c. si his vere laboret, non est mortale, dummodo ex tali revelatione notabile damnum non intendatur, aut illi sufficiens causa detur, vel in faciem non objiciantur, cum magnæ contristationis alterius periculo. Ita Reginaldus, 29
Sayrus, Navarrus, quos refert, & sequitur Diana, *p.5.tr.5.resol.69.* Lessius *lib.2.cap.11.num.13.* Basæus *verbo Detractio num.6.* Trullenc. *lib.7.cap.10. dub.3.num.7.* Et idem dicunt prædicti DD. de defectibus natalium, ut esse spurium, ex Hebræis, hæreticis, vel Mahometanis ortum; sed ego de his defectibus natalium contrarium dicendum existimo, si

Digitized by Google

si occulti sint, maximè enim homines sentiunt, quod de eis tales defectus publicentur, & plus vellent habeti concubinarij, quam Hebræi &c. Ita Decastillus *lib. 2. tract. 2. d. 12. num. 41.* Bonacina *d. 3. de restitut. quæst. 4. p. 2. num. 11.* Sayrus *in Clavi lib. 11. cap. 6. num. 8.* & alij. Excipe quando bonus, ac finis justus movet hujusmodi defectus revelare, quamvis alter damnum inde patiatur, ut v. g. cum ad informationem interrogatus, veritatem aperit. Ita cum aliis Diana *p. 5. tract. 5. resol. 63.*

30 Dico secundo: Detegere defectus morales alicujus in genere, ut esse avarum, superbum, iracundum, regulariter non est mortale. Ratio est, quia, hæc nomina ordinarie, non ita accipiuntur, ut sonant peccata mortalia, sed ut notant naturalem inclinationem, vel defectus veniales. Idem dicendum est de eo qui de aliquo dixit habere morbum gallicum; quia hic morbus, non tantum ex libidine, sed etiam ex aliis causis solet evenire. Ita cum Sayro, & aliis, Trul. *lib. 7. cap. 10. dub. 3. n. 10. &* 11. Diana *tom. 1. p. 2. tract. 5. resol. 17.* Tamb. *lib. 9. Decalog. c. 3. §. 2. n. 4.*

31 Dico tertiò: Qui presso nomine dicit, in tali oppido multi improbi adiunt, & unus ex eis adulterium commisit, non peccat mortaliter, quia nullum in particulari infamavit. Secus dicerem de eo, qui peccatum unius Religiosi, explicato monasterio, vel Religione, quamvis persona taceatur, propalaret. Et ratio disparitatis est, quia personæ læculares, non tantam perfectionem profitentur, ut Religiosi. Mol. *tom 5. d. 27.* Sayrus *in Clavi lib. 11. cap. 6. n. 21.* Basæus *sup. n. 8.* Et idem dicendum est, si referat aliquid de aliquo, quod redundet in infamiam familiæ. Trullenc. *sup. num. 21.*

32 Dico quartò: Qui de statu religionis in communi detrahit, ultra peccatum mortale detractionis, hæresis etiam suspicionem incurrit, quasi male sentiens de statu religioso. Peccat etiam mortaliter, qui totam unam Religionem, vel monasterium infamat dicendo, in tali monasterio non est observantia regularis, nisi id alias esset notorium. Et idem dicendum est de eo, qui peccatum alicujus Religiosi detegit, personam nominando, quia infamia non solum in personam, sed in totam religionem solet redundare. Ita cum Sayro, Soto, Sylvest. & aliis, Basæus *sup. num. 7.*

33 Dico quintò: Quando quis de uno, vel alterius crimine infamis est, non est mortale detegere illius alia crimina, quæ sunt valde affinia, & ordinarie conjuncta graviori crimini, quod publicum est; quia non creditur nova infamia; si vero crimina non sint ita connexa, non solum est contra charitatem, sed etiam contra justitiam illa referre, præsertim si sint alterius generis; quia qui infamis est in uno genere vitij, non ideo amisit jus, quod habet in aliis virtutibus; ergo non potest in aliis vitiis infamari. Ita Reginald. *lib 24. n. 81.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 14.* Basæus *verbo detractio num. 9.* & cum aliis Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 13. num. 1.*

34 Dico sextò: Non est peccatum detractionis infamare hominem qui fictis virtutibus per hypocrisim, vel falsas impostoras famam virtutum moralium, vel intellectualium est in republica adeptus, quando ipse est noxius, & pernicioſus populo, & Reipublicæ; ut si quis se fingeret medicum, Theologum famosum, quem scio esse ignarum, aut falsum docere. Si autem per talem famam inique acquisitam nemini nocet, minime eum infamare licebit, sicut nec illum alium occultum peccatorem. Valent. *t. 2. disp. 5. quæst. 17. p. 2. dub. 3.* Soto *de justitia lib. 4. 10. art. 2.* Lessius *lib. 2. c. 11. dub. 10.* & alij communiter Dd.

SECTIO IV.

Vtrum audiens detractorem peccet mortaliter?

SUMMARIUM.

35 *Audiens detractorem, si illum induxit peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, detractore non restituente.*

36 *Audiens detractorem si non induxit, nec lætatur, nec restitit, cum possit, an peccet mortaliter?*

37 *Ponitur quoddam corollarium.*

Dico primò: Audiens detractorem, si illum induxit, etiam paratum ad detrahendum, sive interrogando, juvando, incitando, laudando, approbando, peccat mortaliter, non minus, quam ipse detractor, & tenetur restituere famam, detractore non restituente, nisi invincibiliter ignorasset detractionem gravem esse futuram; est enim causa damni contra justitiam. Ita cum D. Thoma 2. 2. *q. 73. art. 4.* & cū aliis communiter Sanch. in Cōciliis *p. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 7.* Bonac. *de restitut. d. 2. quæst. 4. p. 11. num. 1.* Audiens tamen detractorem, si non induxit, nec incitavit ad continuandum, lætatur tamen, peccatum mortale commisit contra charitatem; quia de malo lætatur; non peccavit tamen contra justitiam, quia ex sola charitate impediri tenebatur, suppono namque, esse personam particularem, nam de prælato aliter dicendum est. Excipe, nisi solum delectetur de eloquentia detractoris, vel de curiosa cognitione factorum, nam tunc solum peccaret venialiter. Ita cum communi sententia Lessio *lib. 2. cap. 12. dub. 4. n. 20.* Sanch. *sup. n. 2.* 35

Dico secundò: Audiens detractorem, si non induxit, nec lætatur, nec resistit, cum possit, aliquando mortaliter, aliquando venialiter delinquit, aliquando nullius criminis reus est. Lethalis culpa est, si infamia sit gravis, & facile posset eam impedire, unde si superior sit, qui ex officio tenebatur infamiam subditi impedire, obligatur in defectu inferioris detrahentis ad restitutionem. Veniale est si detractio sit levis, vel si fuerit de re gravi, sed solum apud unum, vel duos, qui rem omnino silentio involvent, si nimia verecundia, vel animi pusillanimitate, quis non audeat resistere detrahenti, Nullum autem erit peccatum, si quis detrahenti non resistat, ob bonum finem, nempe ex necessitate, vel pietate, vel ex justo timore, vel quia fructus nullus ex resistentia expectatur, sed potius timetur, quod detrahens ex ea deterior fiat. Debet tamen audiens, si commode posset discedere, vel faciem tristiorem ostendere, vel sermonem aliò divertere. Ita Reginal. *lib. 24. n. 95.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 4. n. 21.* & cum Navarr. Tolet. & aliis, Diana *p. 3. tract. 5. resol. 23.* Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 4. num. 4.* & 5. Basæus *verbo detractio num. 17.* 36

Hinc fit privatas personas sæpius excusari à mortali, detrahenti non obstando; tum quia sæpe non est spes fructus, tum quia audiens non debet in dubio præsumere loquentem malum, nisi habeat sufficientes conjecturas in contrarium, & cum ipse nesciat, an delictum, quod ab alio narratur, sit publicum, vel occultum, & utrum juste, vel injuste narretur, non peccat non obsistendo narrationi; fieri cum potest, ut juste narretur, & quod obstando faciat injuriam narranti, ac si corriperet de peccato, quod nescit 37

esse peccatum ; tum quia sæpe timore, & verecundia, vel alia causa non audet, quo casu tantum peccabit venialiter, cum non delectetur de malo, nec sit causa detractionis, ut *suprà* diximus. Ita Bonac. *d.* 11. *num.* 8. Diana *p.* 1. *tract.* 3. *miscellan. resol.* 24. & *p.* 1. *tract.* 5. *miscellan. resol.* 35. & alij communiter.

SECTIO V.

Vtrum semper sit peccatum mortale peccata occulta proximi aliis propalare ?

SUMMARIUM.

38 *Alterius occultum crimen revelans regulariter, peccat mortaliter.*
39 *Multi dantur casus, in quibus licet peccatum occultum proximi revelare, & qui sint ?*
40 *Quoddam corollarium ponitur.*
41 *Quid si detur alia via ad damnum impediendum, ut correptio paterna &c.*

38 Dico primò : Alterius crimen occultum revelans, regulariter peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, eo modo, ac si illud imponeret. Occulta namque solius Dei judicio reservantur, & est talis revelatio contra jus naturæ, quod tibi non vis, alteri ne facias, & contra jus divinum *Matthei* 18. *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum intra te. & ipsum solum,* Et contra jus humanum *cap. si quis* 5. *quæst.* 1. Ita cum communi sententia Sayrus, *in Clavi lib.* 11. *c.* 4. *num.* 1.

39 Dico secundò: Multi dantur casus, in quibus licet peccatum occultum proximi revelare, & si quis illud vi, vel fraude extorserit, vel sub secreto naturali, extra confessionem, acceperit. Primo in defensionem propriam, ut quando testi falso crimina etiam occulta objiciuntur. Secundo in emendam proximi, ut fit in correctione fraterna, coram duobus testibus. Tertiò in bonum commune, ut si quis vellet rempublicam prodere, vel esset hæreticus occultus. Quartò ad petendum consilium ; vel remedium tam in bonum peccantis, quam innocentis, si absque manifestatione personæ fieri non potest. Quintò ad vitanda gravia tormenta, etiam si inde alteri infamia, vel mors sequenda, modo inde gravissima incommoda non timeantur, ut si esset secretum principis, vel exercitus, vel reipublicæ; nec tenetur postea se retractare, si verum dixit. Sextò ad impediendum damnum aliquod spirituale, vel temporale proximo, quod sit alicujus momenti si nolit à tali damno desistere ; nemo enim habet jus tuendæ suæ famæ cum tanto damno. Ita cum communi sententia Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 8. & 10. Basæus, *verbo detractio n.* 2. & 22.

40 Hinc, cum quem novi furem, possum propalare furem iis, quibuscum habitat, quem novi imperitum medicum, advocatum, confessorem, artificem possum manifestare iis, quibus damnum fieri ex illorum imperitia potest quem novi homicidam, vel habere impedimentum dirimens, possum aperire judici, vel parocho, ut innocentem liberem, & ne matrimonium celebretur. Et quem novi ex Sarracenis, Hebræis, vel hæreticis descendere, vel aliud habere crimen, ob quod à Religione, vel à beneficio depellatur, possum detegere infamatori, ne fiat religionis parochus, &c. Imo aliquandò in his debeo ex charitate, quando scilicet innocenti magnum malum obveniret, & nocenti modicum, & in dubio inclinandum est pro innocente, supponendo adesse semper spem mali avertendi.

Si tamen alia via minus noxia supersit, ut correctio fraterna, si profutura operatur, præter quam in casu hæresis, vel suspicionis illius, aut si personæ manifestatio, nihil juvaret ad damnum impediendū, talis via accipienda, nec persona manifestanda, alias peccabitur contra charitatem ; imo & contra justitiam, ut tenet cum communi sententia Lessius, *sup. dub.* 10. Trullenc. *sup. dub.* 10. *num.* 2. licet satis probabile sit non fore contra justitiam ut tenet Bonac. *disp.* 2. *de restitutione quæst.* 4. *p.* 8. *num.* 2. Trullenc. *sup. num.* 2.

SECTIO VI.

41

Vtrum sit peccatum mortale revelare crimen proximi uni, vel duobus, quibus dicere perinde sit, ac si nulli diceretur.

SUMMARIUM.

42 *Revelare crimen occultum proximi uni, vel duobus amicis taciturnis, si nullum aliud damnum timeatur, aliqui dicunt non esse mortale.*
43 *Ponitur sententia Authoris.*
44 *An sit peccatum mortale injuriam sibi ab altero illatam alteri referre?*
45 *An referre occulta peccata alterius sine affecuratione sit peccatum detractionis ?*
46 *An sit peccatum mortale sine causa de aliorum vita, & moribus inquirere ?*

42 Dico primò : Licet aliqui Authores excusent à mortali eum, qui ex levitate, vel loquacitate crimen occultum proximi revelat uni, vel duobus viris prudentibus, apud quos ita secretum manebit, ac si dictum non fuisset, modo nullum aliud damnum proximo secuturum timeatur, quia sic moraliter perinde est, ac si crimen taceretur, ut tenet Caietanus 2. 2. *quæst.* 73 *art.* 2. *dub.* 1. Navarrus *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 198 Corduba *tract. de donat. quæst.* 2. *conclusione* 5. Tamburin. *lib.* 6. *Decalog. cap.* 3. §. 2. *num.* 7. Decastillus *lib.* 2. *de justitia tract.* 2. *d.* 12. *num.* 133. Reginald. Bonacina, quos refert Basæus *verbo detractio num.* 11. & cum Lessio, probabile putat Trullenc. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *n.* 1. Escob. *lib.* 35. *Decalog. num.* 94.

Ego tamen huic sententiæ numquam acquiescere potui. Nescio enim, quomodo in praxi hæc sententia possit tanquam probabilis admitti, cum ex ea occultissimum alias peccatum possit paulatim fieri publicum apud multos ; si enim licet uni, vel duobus crimen occultum fratris revelare, his etiam licebit aliis duobus revelare, & sic deinceps ; non enim minus his licebit, quam aliis, revelare aliis probris, & prudentibus. Vnde contrariam sententiam libentissime amplector, hanc tenent Soto, Medina, Salon, Lessius, Valentia, Filliuc. Molina, Fagundez, quos refert, & probabilius putat, Escob. *suprà num.* 94. Trullenc. *sup. num.* 2. Basæus *sup. num.* 1. 43

Ratio est quia quamvis ille, cujus crimen detectum est, non sit infamis juridice, nec sit perfectè notatus infamia, aliquam tamen famam amisit apud illos viros prudentes, quod sæpe magis æstimat, quam si ejus peccatum pluribus aliis plebeis notum fuisset. Tum quia maximum bonum est, esse bonę existimationis apud illos viros probos, ergo notabile malum est illa bona existimatione spoliari, ergo

Digitized by Google

ergo illa spoliantes, sive alia causa, peccant mortaliter, & tenêtur ad restitutionem. Hinc, nec uxor cum marito potest de occultis alterius peccatis confabulari, quidquid cum doctoribus contrariæ sententiæ dicat Tamburin. *sup. num.* 8. Nec filiorum, aut famulorum crimina potest marito referre, nisi alias non sit spes, quod monitu emendetur, nam tunc in emendam, & correctionem id efficere licebit, ut cum Bonac. docet Trullenc. supra. Sed de his vide, quæ latius dixi *in nostro Directorio Regularium p. 3. tract. 4. d. 3. à n. 21. & seq.*

44 An autem sit peccatum mortale injuriam sibi ab altero illatam alteri referre? Respondeo, quod si quis id faciat intentione detrahendi ad se vindicandum, peccat mortaliter, si res gravis sit, si tamen eam referat, ut consolationem, aut consilium ab amico recipiat, vel ut dolorem mitiget, non peccat; quia utitur jure suo, & per accidens est, quod alterius crimen detegatur. Sed hoc intelligendum est, modo non referat pluribus, quam opus est ad consilium, vel solamen. Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 12.* Diana *p. 9. tr. 5. res 32.* Mol. *tom. ... d. 27. n. 5.* Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 11. num. 5.*

45 An autem referre occulta peccata alterius absque assecutione, sit peccatum mortale detractionis? Respondeo negative, si referens non sit persona tantæ authoritatis, ut sit illi credendum, & dummodo non augeat, & confirmet magis audita, & non referat coram iis, qui postea rem eandem sint aliis manifestaturi, sine hujusmodi restrictione, & modo crimina non sint atrocia, ut hæresis, proditionis, præpostera libidinis; nam si talia sint, & ex narratione illorum verosimile sit auditoribus malam suspicionem narrati criminis subiturum, esset peccatum mortale contra justitiam; quia talis suspicio est magnum respectu honestæ personæ nocumentum. Ita cum Sayro, Navarr. Azor. Aragonio Sylvest. Diana, *p. 3. tract. 5. resol. 18.* Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 5. n. 1. & 2.*

46 An autem sit peccatum mortale sine causa justa, & honesta de aliorum vita, & moribus inquirere, ob meram curiositatem, & levitatem? Respondeo affirmative; quia nemo jus habet inquirendi de vita & fama alterius, nisi superior sit, cui id ex officio incumbat, vel nisi id necessarium sit ad recipiendum aliquem ad Religionem, vel ad matrimonium, vel ad aliud officium, vel beneficium; nam tunc hæc justa causa ab omni peccato excusat. Ita & bene cum aliis Fagund. *in Decalogum lib. 8. cap. 3. n. 6.* & cum aliis Escobar *lib. 35. Decalog. n. 97.* contra Petrum Nav. Cordub. & alios, quos *ibi* refert *n. 95.*

51 *Si religiosus sit in suo conventu notatus aliqua infamia, non potest apud saculares sine peccato diffamari.*

52 *An sit contra justitiam referre crimen alterius propter quod abhinc multis annis infamatus fuit.*

SECTIO VII.

Utrum crimen proximi quod publicum est in aliqua civitate liceat alibi patefacere?

SUMMARIUM.

47 *Crimen dici potest publicum, vel si sit notorium juris, vel facti, vel famosum.*

48 *Revelare crimen proximi quocunque ex predictis modis publicum in alio loco ubi ignoratur non est contra justitiam.*

49 *Quid si reveletur ex odio, & cum intentione inferendi damnum?*

50 *Quid si non ex odio, sed ex quadam loquacitate, vel levitate reveletur?*

SUppono: Crimen tripliciter dici posse publicum. Primo si sit notorium jure, quod sit per judicem sententiam, vel per confessionem rei in judicio, vel per legitimam testium depositionem. Secundo si sit notorium facto, id est, si in præsentia multorum est perpetratum. Tertiò si sit famosum, cujus fama ex sufficientibus iudiciis orta, ad multos pervenit. Ita ut major pars civitatis, vel pagi, vel parochiæ, vel congregationis, vel collegij, illud norit. His suppositis, 47

Dico primo: Revelare crimen proximi, quocunque ex prædictis modis publicum in alio loco, ubi ignoratur, sive infamia illuc brevi perventura sit, sive non, non est contra justitiam. Ratio est, quia quando crimen est tribus illis modis publicum, delinquens amisit jus ad famam; ergo illud manifestans non facit illi injuriam; quod verum est, etsi crimen per injuriam factum fuerit publicum. Ita cum Bañez, Lessio, Sa, Navar. Balæus, *verbo detractio n. 14.* & cum Cajet. & aliis Trull. *lib. 7. c. 10. dub. 12. n. 5.* Fag. *in 2. præcepto Ecclesiæ lib. 5. c. 3. n. 7.* Diana *p. 3. tr. 5. res. 17.* Dicastill. *lib. 2. de justit. tract. 2. d. 12. dub. 14.* Tamb. *lib. 9. Decal. cap. 3. §. 2. n. 11.* Escob. *lib. 35. Decal. n. 24.* 48

Dico secundò: Revelare crimen proximi, quocunque ex tribus modis publicum, in alio loco, ubi ignoratur, sive fama illuc brevi perventura sit, sive non, ex odio, & cum intentione inferendi damnum aliquod grave, præter ipsam infamiam, vel impediendi aliquod bonum infamato, est peccatum mortale contra charitatem. Ratio est quia charitas dictat, ut quando sine incommodo possumus, impediamus malum grave proximo. Ita & bene Tamb. *sup. n. 15.* Trull. *sup. n. 3.* Non datur tamen in hoc casu peccatum contra justitiam, nec obligatio restitutionis, quia cum ille iam re vera sit infamatus, non læditur infamia. Trull. *ibi.* 49

Sed quæres: An quando, nec ex odio nec prædicta mala intentione id fit, sed ex quadam loquacitate, vel levitate, an tunc etiam sit peccatum mortale contra charitatem? peccatum enim veniale esse nemini dubium est. Et non esse mortale contra charitatem affirmat Fagund. *in 2. præcepto lib. 5. c. 3. n. 17.* Diana *p. 2. tract. 5. resol. 15.* Tamb. *sup. n. 12.* Verum ego existimo, quod si ille ibi habebat bonam famam, eaque alibi esset fruiturus, contra charitatem ire, qui eum illa privaret, etsi enim non habeat jus ad famam, attamen quia ipsam, sine cujusquam injuria, & sine fraude possidet, erit contra charitatem cum bono nomine spoliare. Excipe nisi inde aliis damnum obveniat, quia scilicet, in crimine noxio perseverat; vel nisi fuerit infamatus per publicam sententiam, nam tunc expedit narrari, ad bonum publicum, & ad publicam emendam. Et idem dicendum est quando ille parum curat infamari. Ita cum Soto, Sayro, Villalob. & aliis Trull. *sup. n. 7.* Diana *sup.* Balæus, *sup. n. 14.* 50

Adverte tamen, quod si aliquis Religiosus sit notatus aliqua infamia, etiam ex prædictis in suo conventu, vel religione, non posse apud extraneos in civitate diffamari. Et idem dicendum est de crimine solum publico intra familiam. Et ratio est, quia collegium, Religio, seu monasterium, vel familia, reputantur veluti una persona, 51

& malum unius habitantis, redundat in malum alterius, propter conjunctionem moralem, quam habent; quæ moralis conjunctio, non est tam arcta in civitate. Hinc fit, quod si apud sæculares crimen unius Religiosi pandatur, offendi monasterium, vel familiam, quæ habent jus retinendi res suas secretas, & occultas; quod jus non habet civitas, vel vicinia, atque adeo peccaretur non solùm contra charitatem, vel etiam contra justitiam. Ita & bene Tamburin. *suprà num.* 16.

52 An autem sit contra justitiam referre crimen alterius, propter quod alias fuit ab hinc multis annis infamatus, quamvis nunc famam honestè vivendo recuperaverit? Respondeo negative, modo non detur occasio opinandi, illum adhuc improbum esse; quia etsi ille jus habeat ad famam, quam ex eo tempore bene vivendo comparavit; nihilominus ratione delicti, alias patrati, fuit infamis, & nunquam acquisivit jus, ut dicatur probus pro eo tempore, quo fuit improbus, & infamis, ut dictum est, & docent Doctores supra citati, & cum Sayro, Azor, & aliis, Basæus *verbo detractio num.* 15. Tamb. *suprà num.* 18. quamvis hic cum Fagund. etiam affirmet, nec contra charitatem peccari, quod tamen ut *suprà* dixi, non approbo. Erit tamen contra justitiam crimen falso impositum, quocunque modo publicum, vel alio tempore propalare, siquidem talis propalatio esset injusta cooperatio ad damnum injustum famæ alterius, qui semper habet jus intrinsecum fundatum in sua probitate, ne falsum de se narretur, vel affirmetur, quod tamen non accidit, quando verum crimen, etiamsi injuste fuerit publicatum, narretur: nam supposita publicitate, sive justa, sive injusta, jam infamatus non habet jus ad famam, non enim remanet illi illud jus intrinsecum, ex eo quod peccatum non commiserit, jam enim supponimus commississe, nec ex eo quod occultum sit, quia jam est publicum. Ita cum Lessio, Tamb. *suprà num.* 19.

SECTIO VIII.

Quomodo peccent detrahentes de defuncto.

SUMMARIUM.

53 *Qui de defuncto aliquod crimen occultum detegit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem.*

54 *Minus peccatum est infamare defunctum, quàm vivum.*

55 *Quid si constet defunctum esse damnatum.*

56 *Quoddam corollarium ponitur.*

53 DIco primò: Qui de defuncto aliquod crimen occultum detegit, peccat mortaliter, & tenetur se retractare, etiamsi infamia in vivos ei propinquos non redundet. Ratio est, quia fama etiam post mortem possidetur; nec sufficit quod ex infamia temporarium damnum ille non censeat, vere enim damnum infamiæ patitur intrinsecum. At minus peccatum erit mortuum, quam vivum infamare.

54 An autem si constet defunctum esse damnatum, teneatur qui eum diffamavit ejus famam restituere? negat Molina *tract.* 4. *d.* 29. *num.* 1. Basæus *verbo detractio* 1. *num.* 24. & alij. Sed contrarium dicendum

55 est, quia licet damnatus jam non sit ordinatus ad finem supernaturalem, adhuc manet noster proximus, quoad naturam humanam. Ergo non debemus illi negare, quæ ut homini ei debentur. Ita Lugo *de justitia d.* 14. *num.* 46. Escob. *lib.* 31. *Decalog. num.* 235.

Hinc fit, Peccare mortaliter Historiographos, 56 qui occulta aliquorum peccata in suis historiis scribunt, esto illi de quibus scribunt defuncti jam sint. Tenenturque restituere damnum famæ, quod ea ratione inferunt. Quæ autem non sunt ita occulta, fas est illis scribere, præsertim si hominum sint jam defunctorum, & non redundet in totam familiam, nisi aliàs utilitas, quam capient audientes ex eorum narratione præponderet infamiæ: nam tunc etiam licebit ea historiis mandare, ob bonum publicum, tum ut notitia rerum gestarum historiis habeatur, tum ut homines spe famæ comparandæ, quæ historiis æternitati mandatur, timoreque infamiæ perpetuæ: in historiis incurrendæ, alliciantur ad res præclaras gerendas, & ad turpia fugienda, & vitanda. Ita Mol. *tract.* 4. *d.* 28. *num.* 2. & cum aliis Trullenc. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 15. *num.* 3.

SECTIO IX.

Utrum sit peccatum mortale se ipsum infamare?

SUMMARIUM.

57 *Proprios defectus, tam culpæ, quam naturæ propalare ex suo genere non est mortale, nec contra justitiam.*

58 *Ex accidenti poterit esse mortale, ut si de illis glorietur.*

59 *Quid si talis infamatio vergat in vitæ propriæ periculum?*

60 *Quid si vergat in sociorum incommodum?*

DIco primò: Proprios defectus tam culpæ, quam 56 naturæ propalare, ex suo genere non est mortale, nec contra justitiam, nec contra charitatem: quia homo est dominus suæ famæ, & illam dissipando, nulli facit injuriam. Unde si hoc faciat sine causa, peccabit venialiter, esset enim prodigalitas. Si fiat ex causa bona, & honesta, non solum non erit peccatum, etiam veniale, sed erit meritorium, ut testantur multa facta sanctorum, qui ad majorem sui humilitatem, & aliorum ædificationem peccata sua in suis scriptis propalarunt. Ita Molina *tract.* 4. *d.* 27. *num.* 3. & cum Lessio, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 6. *n.* 1. & 2.

Dixi ex se, nam ex accidenti poterit esse pecca- 58 tum mortale se ipsum infamare, ut si quis referens delicta sua, de illis glorietur, & complaceat, vel si se infamet de hæresi, sacrilegio, sodomia, vel proditione, quia id redundat in scandalum audientium. Item si ipsius fama sit necessaria muneri, vel officio, quod gerit, ut si sit Episcopus, Abbas, Prior, vel Parochus. Item quando talis infamatio vergit in propriæ vitæ periculum, ut si aperiat ultro peccatum, ex quo sua, vel alterius damnatio ad mortem, vel membri mutilatio sequatur; vel quando quis se infamat sociorum gravi incommodo, ut si religiosus crimen suum detegat, ex quo religioni notabilis hæreat infamia; vel quando filij, vel familia damnificantur; vel quando falsum crimen de se profert cum juramento, omne enim perjurium peccatum est lethale. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. Reginald. *lib.* 24. *num.* 89. & cum Azor, & aliis Trullenc. *sup. num.* 3. *& sequentibus.*

SECTIO

SECTIO X.

Utrum possit quis sibi falsum imponere ad vitanda tormenta, præsertim si ob id esset ultimo supplicio damnandus?

SUMMARIUM.

61 *Falsum sibi imponere ad tormenta levia vitanda, ob quod morte sit plectendus, est peccatum mortale.*

62 *Qui suum crimen verum pandit judici injuste interroganti ad tormenta levia vitanda, nec venialiter peccat, etsi ob id morte damnandus sit, nisi esset persona maximæ authoritatis, & valde utilis reipublicæ.*

63 *Non peccat graviter, qui sibi falsum imponit ad vitanda tormenta valde gravia, etsi ob id esset morte plectendus, secluso perjurio.*

64 *An possit quis licite crimen falsum proximo affingere ad torturam in judicio, vel extra illud, damnum grave vitandum?*

61 Dico primò: Falsum sibi imponere ad tormenta levia vitanda, ob quod morte sit plectendus, est peccatum mortale. Tenetur enim quis vitam conservare, etiam cum aliquo dolore. At si nullum aliud damnum præter infamiam timeatur, solum peccat venialiter sibi falsum crimen imponens. Nam cum sit dominus suæ famæ, sicut non peccat mortaliter eam sine causa prodigendo, ita nec nisi ex aliqua, quamvis levi. Bonac. *d. 2. de restitut. qu. 4. p. 10. n. 6.*

62 Dico secundò: Qui crimen occultum suum verum pandit judici injuste interroganti, ad vitanda levia tormenta, & si ob id plectendus sit morte, nec venialiter peccat, nisi esset persona maximæ authoritatis, & utilis Reipublicæ, & sic se tradendo maximum scandalum aliis delinquendi pareret, vel damnum familiæ grave sequeretur, nam tunc peccaret mortaliter. Ita cum Bonacina, Lessio, & aliis Trullenc. *lib. 7. Decalog. cap. 10. dub. 7. num. 2.* Ratio est, quia cum hic, ob sua delicta promeritus sit mortem, sicut ob bonum publicum posset se sistere coram judice, ut vindictam suorum scelerum exhiberet absque ullo peccato; ita & interrogatus, licet injuste, posset ea propalare.

63 Dico tertiò: Non peccat mortaliter, qui ad vitanda tormenta valde gravia, quibus merito posset celebrem mortem præoptare crimen sibi falsum imponit, quamvis certo ob id sit morte plectendus, secluso perjurio. Ita cum Soto, Sylvio, Toleto, Lessio, Sayro, Bonacina, & aliis Diana *p. 2. tract. 5. resol. 8.* Trullenc. *sup. num. 5.* Basæus *verbo detractio num. 20.* Escobar *lib. 35. Decalog. num. 30.* Non enim tenetur homo cum tanto cruciatu vitam suam tueri. Imo non tenetur illud postea revocare, quamvis perjurio illud confirmasset, si prudenter timetur, se rursus ad tormentum raptum iri; sed potest sine peccato mortali in eo persistere, & mori. De perjurio autem si forte commisit debet coram Deo pœnitere, sed si Religioni, vel familiæ, ex confessione falsi criminis sequeretur gravis infamia, prudenter expendendum an tormenta ipsi infamiæ præponderent, an è contra, & in pari casu, potior est conditio innocentis. Ita cum Soto, Navarro, & aliis Diana *p. 3. tract. 5. resol. 7.* & cum Bonac. Trullenc. *supra num. 6.*

64 An autem possit quis licite crimen falsum proximo affingere, ad torturam in judicio, vel extra illud, damnum grave vitandum? Affirmat Cassianus apud Sylvestrum, *verbo mendacium num. 2.* Verum contraria sententia omnino tenenda est, & contraria delenda. Ratio est, quia mendacium perniciosum, quod alteri est graviter nocivum, nunquam est licitum proferre, sive in judicio, sive extra illud proferatur; sed qui crimen falsum valde nocivum alteri impingit, profert perniciosum mendacium; ergo illicite, ac injuste illud profert. Ita Sot. *lib. 4. de justitia quæst. 6. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 7.* Fagund. *in Decalogum lib. 8. cap. 5. num. 3.* Sylvest. *ubi supra* D. Thomas *2. 2. qu. 72. art. 3. & quæst. 100. artic. 2. & 4.* Cajetanus *ibi.* Navarr. *summa cap. 18. num. 3.* Escobar *lib. 35. Decalog. num. 130.*

SECTIO XI.

Utrum sit peccatum mortale revelare sententiam prolatam in aula sancti Officij contra delinquentem solicitantem fœminas in confessione, vel sodomitam illis, qui prolationi talis sententiæ non fuere vocati?

SUMMARIUM.

65 *Mortale est talem sententiam cuicunque, etiam religioso, aut sacerdoti revelare.*

66 *Domini inquisitores debebant in hoc casu onere excommunicationem, vel dare juramentum de secreto servando.*

65 Dico primò: Mortale est talem sententiam cuicunque, etiam religioso, aut sacerdoti manifestare. Ratio est, quia ideo in aula sancti Officij coram certis personis sententia profertur, ut delinquens non amplius infametur, & tribunalis limites non excedat, & ne delinquens illud ingerat fidelibus scandalum; ergo revelare arcanum illud aliis, non potest non esse reus culpæ mortalis. Ita & bene Sousa *de confess. sollicit. p. 2. cap. 16. n. 8.* Freitas *in addit. ad tract. de sollicit. qu. 24. num. 49.* ubi dicit Dominos inquisitores debere imponere excommunicationem, vel dare juramentum de secreto illo servando. Et *lib. 35. num. 164.* contra Dianam, *p. 4. tr. 5.* 44.

66

DISPUTATIO III.

De restitutione.

SECTIO I.

Quænam requiratur, ut quis infamans famam restituere teneatur?

SUMMARIUM.

67 *Ut restitutio, requiritur primo, ut*

68 *Secundo requiritur ut fama injuste ablata*

Digitized by Google

69 *Tertiò ut infamatus non poſſit alia via famam ſuam recuperare.*

70 *Quartò quod delictum, ob quod aliquis fuit infamatus alia via non ſit factum publicum.*

71 *Quintò ut infamatus non remiſerit infamiam?*

67 DIco primò: Ut obliget reſtitutio famæ, vel honoris plura requiruntur. Primum ut fama vere fuerit ablata, nam etſi quis animum infamandi habuerit, & re ipſa verba detractionis dixerit, ſi effectus non fuit ſecutus, non tenetur reſtituere. Secundò requiritur, ut fama injuſte auferatur; nam
68 ſi juſte aufertur, vel ſolum contra charitatem, vel aliam virtutem, & non contra juſtitiam, non eſt obligatio reſtituendi; quia ſola ea peccata inducunt obligationem reſtituendi, quæ ſunt contra juſtitiam. Tertiò requiritur, ut infamatus alia via non
69 recuperaverit ſuam famam, quia jam cenſetur reſtituta, at ſi ratione infamiæ aliquod damnum accepit, ut ſi impeditus fuit à conſecutione beneficij, vel officij, vel legati, teneor ad reſtitutionem, ut infra dicemus: quia illud damnum ex mea injuſta infamatione obvenit; pro medio autem tempore quod inter famæ ablationem, & illius recuperationem intervenit, aliqua eſt exhibenda ſatisfactio, puta ſignificatio doloris, & veniæ petitio, ſi eam poſtulet infamatus, alias eam ſatisfactionem offerre non eſt in uſu Molin. *de juſtit. tract.* 4. *d.* 24. *n.* 3. & 40. Leſſius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 17. Bonac. *d.* 2. *de reſtit. q.* 4. *p.* 11. *n.* 1. & 2.

70 Quartò requiritur, ut delictum de quo aliquis fuit infamatus non fuerit alia via factum publicum; nam ſi ita factum fuit iam qui de illo primo infamavit, deobligatur à reſtitutione. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 11. *dif.* 39. *n.* 6. Trullenc. *lib.* 7. *Decal. c.* 10. *dub.* 19. *n.* 3. Et idem dicendum eſt, quando infamia iam penitus abiit in oblivionem, ut ſi per triginta annos nulla facta fuerit mentio criminis, ſive veri, ſive falſi narrati, & periculum non ſit, vt infamia aliquando reviviſcat, quia ſic cenſetur reſtituta. Ita cum Caietano, Leſſio, Navarro, Trullenc. *ſup n.* 5. At quia moraliter loquendo non poteſt dari certitudo oblivionis, ideo regulariter tenetur infamans ad reſtitutionem. Ita Villalobos
71 *tom.* 2. *tract.* 11. *dif.* 37. & cum Salon Trullenc. *ſup. n.* 6. Quintò requiritur, ut infamatus non remiſerit infamiæ ſuæ reſtitutionem; ſi enim gratis remiſit vel nolit ſibi reſtitui, quando infamia non eſt conjuncta cum infamia alterius, ad nihil tenetur infamator. Trullenc. *ſup. n.* 4.

Adverte tamen, quod non dicitur infamia conjuncta cum infamia alterius, quando alter ſolum dicitur infamis, eo quod ſit filius, vel cognatus perſonæ infamatæ, ſed quando ita in alium redundat, ut revera, & de facto, vel jure infamis habeatur, quale eſt crimen hæreſis, proditionis, ſodomiæ, quod facit Patrem, & filium, & nepotes uſque ad quartam generationem infames; remiſſio ergo hujus infamiæ facta à Patre, non valet pro filio, vel nepote, quia fama filiorum non eſt Patris, ac proinde non poteſt eam condonare. Ita cum Leſſio, Sayro, & aliis, Trull. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 18. *n.* 3.

SECTIO II.

Utrum qui famam abſtulit, teneatur non ſolum ad famæ reſtitutionem, ſed ad reſtitutionem aliorum damnorum ex infamia ſecutorum?

SVMMARIVM.

72 *Qui contra juſtitiam in re gravi alterum infamavit, tenetur non ſolum ad famæ, ſed ad omnium damnorum ex infamia ſecutorum reſtitutionem.*

73 *Qui per ſuam infamiam fuit cauſa, ne aliquis conſequeretur aliquod bonum tenetur ad reſtitutionem quanti valebat ſpes obtinendi illud bonum.*

74 *Quid ſi infamans fuit cauſa, ut quis privaretur officio iam obtento?*

DIco primò: Qui contra juſtitiam in re gravi 72
alterum infamavit, tenetur ſub mortali, non ſolum ad famæ reſtitutionem, ſed ad omnia damna inde ſecuta, ſive infamaverit verum crimen revelando, ſive falſum imponendo. Ratio eſt, quia fuit cauſa injuſta illius damni. Ita cum Navarro, & aliis communiter Trullenc. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 20. *num.* 2. contra Sotum, & nonnullos alios exiſtimantes detractorem, qui alium infamavit verum crimen dicendo, non teneri ad integram reſtitutionem, ſed ad partialem arbitrio prudentis viri.

Dico ſecundò: Qui per ſuam infamiam fuit 73
cauſa, ne aliquis conſequeretur aliquod bonum, ut officium, vel beneficium, non tenetur ad reſtitutionem quanti valebat officium, ſed quanti valebat ſpes obtinendi officium, vel beneficium; quia bonum in ſpe, minus valet, quam in re. Si tamen deſtructor fuit cauſa, ut alter privatus fuerit offi- 74
cio, vel beneficio, vel alio bono iam obtenta, tenetur ad reſtitutionem quanti revera valet officium vel aliud bonum; quia reſtitutio facienda eſt ſecundum æqualitatem pro damno illato. Leſſius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 19. Nav. *de reſtit. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 373. Navarr. *in ſumma c.* 18. *n.* 43. Bonac. *de reſtit. q.* 4. *p.* 16. *dub.* 2. *n.* 1. & alij communiter.

SECTIO III.

Utrum fama reſtituenda ſit cum jactura, ſeu periculo vitæ?

SUMMARIUM.

75 *Quatuor dantur bonorum ordines animæ, vitæ, famæ, & honoris, & fortunarum.*

76 *Nemo tenetur famam reſtituere cum periculo vitæ.*

77 *Quid ſi ex infamia periculum vitæ infamato impendat?*

78 *Nemo tenetur cum notabiliter maiori damno ſuæ famæ, famam alterius reſtituere.*

79 *Quoddam corollarium ponitur.*

SUppono: Quatuor dari bonorum ordines, ſcili- 75
cet animæ; vitæ, famæ, & honoris, & fortunarum;

narum. In ſupremo loco eſt anima. In ſecundo vita. In tertio fama & honor. In quarto bona fortunæ. Pretioſiora autem ſunt bona animæ, quam bona ſecundi ordinis. Et bona ſecundi, quam tertij. Et bona tertij quam quarti. Ac per conſequens, nemo tenetur reſtituere bona vitæ, cum damno animæ. Nec bona famæ cum damno vitæ. Nec bona fortunæ, cum damno famæ. Et ratio eſt, quia in reſtitutione debet ſervari æqualitas; ſed ſi reſtituatur vita cum damno animæ, &c. jam non ſervaretur æqualitas; cum pretioſior ſit anima, quam vita, & vita quam fama, & fama quam divitiæ; ergo. Ita cum communi ſententia Faullo *diſp.* 21. & 70. *n.* 4. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 11. *dif.* 21. *n.* 2. Trullenc. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 17. *n.* 1. & alij communiter. His ſuppoſitis,

76 Dico primò: Nemo tenetur famam reſtituere cum jactura, ſeu periculo vitæ. Ita cum multis Diana *p.* 1. *tract.* 5. *miſcellan. reſol.* 30. & alij communiter. Ratio eſt, quia cujuſcumque hominis vita præſtat qualicunque famæ, etiam illuſtriſſimi, & honoratiſſimi viri, & tocius ejus familiæ; eſt enim ordinis ſuperioris; ergo cum periculo illius non eſt fama reſtituenda, ſicut nec vita cum periculo animæ. Alias non ſervaretur æqualitas. Poſſet tamen homo, ſi vellet ſic reſtituere, ſed ad id nõ obligatur.

77 Dico 2. ſi ex infamia periculum vitæ uni, vel pluribus impendat, ut ſi quis aliquem de hæreſi, aut proditione infamavit, ob quod comburendus, vel plectendus eſt, tenetur quis cum periculo vitæ reparare; non ratione infamiæ, ſed ratione damni dati in vita. Ita cum Leſſio. Nav. Vill. Trull. *ſup. n.* 3.

78 Dico quartò: Nemo tenetur ex juſtitia cum notabiliter majori damno ſuæ famæ, famam alterius reſtituere. Daretur namque tunc ultra æqualitatem, quam exigit juſtitia commutativa, ad quod nemo rationabiliter obligari poteſt. Tenetur tamen cum æquali, vel paulo majori damno famæ, famam alterius reſtituere. Nam juſtitia commutativa quando ægritudine æquali, vel paulo majori damno exigit, ut potius illud patiatur, qui damnum intulit, quam innocens. Ita Molina *tract* 4. *d.* 47. & cum aliis Bonacina *de reſtit. d.* 2. *q* 4. *p. vlt. n.* 12. & cum Salone Val. Azor, Leſſio. Tamb. *lib.* 9. *Dec. c.* 3. § 3. *n.* 21.

79 Hinc fit primo, neminem teneri reſtituere cum magna infamia infamato parem, aut nihil in eadem fama periclitante. Secundo qui inculpate, vel ſine gravi culpa infamavit, ſolum tenetur reſtituere, quando non incurreret damnum notabile ſiquidem minus obligandus eſt, qui ſine culpa infamavit, quam qui cum culpa gravi. Ita & bene cum Leſſio, Molin. Tamb. *ſup. n.* 24. Tertiò Epiſcopus, vel alius princeps non tenetur reſtituere famam hominis communis cum jactura famæ, nam tunc jam non ſervaretur æqualitas, ut advertit cum Soto, & Villalobos. Trull. *ſup. n.* 5. An autem teneatur quis reſtituere bona fortunæ cum jactura famæ? Reſpondeo negative; quæcunque enim fama præſtat omnibus divitiis; ergo cum jactura illius, non ſunt bona fortunæ reſtituenda. Ita cum communi ſententia Trull. *ſup. n.* 4.

SECTIO IV.

Utrum ſi fama reſtitui non poſſit ſine vitæ periculo, debeat pecuniis compenſari?

SUMMARIUM.

80 *Quando fama reſtitui non poteſt ſine vitæ periculo, non tenetur infamans pecunia compenſare.*

81 *Probabile eſt quod ſi quis non poteſt reſtituere famam, non teneri pecunia compenſare, etſi infamatus id velit.*

82 *Quoddam corollarium ponitur.*

83 *Quando quis poſſet, & nollet famam reſtituere, & infamatus compenſatione pecuniæ contentus ſit, ad id tenetur infamator.*

DIco primo: Quando fama reſtitui non poteſt ſine vitæ periculo, vel ſine maxima ſeditione, & ſcandalo, vel quia tam non credetur, quantumcunque ſe infamans retractet, non tenetur ex juſtitia infamator pecuniis compenſare, ſi nullum aliud damnum ſit ſecutum in bonis. Ratio eſt, quia fama, & honor nullo pretio ſunt æſtimabilia, ſed ſuperant omne pretium, ſed pecunia ſolum eſt pretium rerum, quæ æſtimari pretio poſſunt, ergo fama non eſt pecunia compenſabilis, ac per conſequens reſtitutio cenſetur impoſſibilis. Ita Sylveſter *verbo detractio q* 4. *caſu* 2. Navarr. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 174. Lefius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 26. *n.* 92. Navarr. *c.* 17. *n.* 90. Bonac. *de reſtit. p. vlt. n.* 14. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 21. *diffi.* 39 *n.* 6. Diana *p.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 50. Ele. *lib.* 35. *Decal. n.* 81. & cum Saa, Reginald. Azor. Baſæus, *verbo detractio* 2. *n.* 6. Trull. *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 18. *n.* 1. contra Sotum, Sayrum, & alios, quos refert Diana *p.* 2. *tract* 5. *reſol.* 30. 80

Dico ſecundò: Probabile eſt, quod ſi quis non poteſt reſtituere famam injuſte ablatam, non teneri compenſari pecunia, etiamſi infamia notatis pecunia ſibi ſatisfieri petat. Ita Layman, Filliuc, Turrianus, Navarr. Sylveſter, & alij, apud Diamm *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 30. Tamb. *lib.* 9. *Decal. c.* 3. § 3. *n.* 23. contra Leſſium, Bonac. & alios, quos refert, & ſequitur Trull. *ſup. n.* 3. Eſcob. *ſup. n.* 81. Baſæum *ſup. n.* 7. Qui dicunt in hoc caſu teneri infamatorem pecunia compenſare ex charitate, & ex æquitate. Sed noſtra ſententia probabilior eſt. Ratio eſt, quia nemo reſtituere tenetur, niſi quod ablatum eſt, & in eodem genere, juſtitia enim ſolum exigit, ut fiat æqualitas in eo, in quo damnum alter incepit, ergo in eodem genere, & non in alio. Tum quia dari non poteſt æqualitas à juſtitia intenta, niſi detur æquivalens, at nulla pecunia æquivalet famæ; ergo. 81

Hinc fit, quod ſi infamatus damnificavit in pecunia ſuum infamatorem, non poſſe pro tota infamiæ ei denegare pecuniæ reſtitutionem; liquidem compenſatio famæ non poteſt fieri cum pecuniis, excedit enim fama omne pecuniarum pretium, neque eſt vendibilis, aut pretio æſtimabilis: ergo qui ab aliquo fuit infamatus aſſerens, non poteſt retinere pecuniam, quam abſtulit ab eo in compenſationem famæ ſibi ab eo non reſtitutæ. Ita Malderus de juſtitia *tract.* 7. *c.* 2 *dub* 8. Pont. Bañez, Fag. quos refert, & ſequitur Ele. *lib.* 35. *Dec. n.* 225. contra Sayrum, Salon, Molinam, Rebellum, & alios contrarium aſſerentes, quos ibi refert Eleobar. 82

Dico tertiò: In eo ſolo caſu tenetur quis pecunia famam compenſare, quando quis poſſet in ſuo genere reſtituere, ſed nollet, & infamatus hac compenſatione contentus eſſet, vel quando accederet judicis ſententia infamantem agens ad reſtitutionem in pecunia. Ita cum Leſſio. Tamb. *ſup. n.* 23. Ratio prioris aſſerti eſt, quia pacta, & conventiones juſtæ obligant, & infamatus poteſt, ſi velit hac ſatisfactione eſſe contentus. Secundi vero aſſerti ratio eſt, quia judex ratione debiti poteſt tunc pœnam imponere, cui reus tenetur ex juſtitia obedire. Vide Trullenc. *ſup. n.* 4. 83

SECTIO

SECTIO V.

Quomodo fama ſit reſtituenda?

SUMMARIUM.

84 *Qui alterum infamavit falſum crimen imponendo, quomodo debeat famam reſtituere.*

85 *Quid ſi infamator ſit perſona illuſtris, & infamatus plebeius?*

86 *Qui alterum infamavit, verum crimen propalando, quomodo debeat famam reſtituere?*

87 *Qui alterum infamavit in uno genere criminis, an poſſit in alio genere criminis reſtituere?*

88 *Apud quos teneatur infamator famam læſam reſtituere?*

89 *An hæredes infamatoris teneantur famam reſtituere?*

84 DIco primò: Qui alterum infamavit falſum crimen imponendo, debet coram eiſdem affirmare, falſum dixiſſe, etiam cum æquali, vel paulo majori dedecore, & ſi hoc non ſufficiat, tenetur cum juramento, ſe retractare. Ratio eſt, quia diffamator tenetur quantum in ſe eſt facere ut infamatus ſuum decus recuperet; ſed adhibendo juramentum, id conſequi poteſt, ut ſuppono; ergo ad id tenetur. Imo ſi neque adhibito juramento id conſequi poſſit, bene tamen adhibendo teſtes ad id etiam eum obligarem, niſi inde notabile majus damnum infamatori obveniret. Ita Turrian. Navarr. & alij, quos refert, & ſequitur Diana *p. 3. tract. 5. reſol* 30. Tamb. *lib. 9. Decal. c. 3. §. 4. n. 2.* & cum aliis Bonac. *d. 2. de reſtit. q. 4. p. 15. num. 44.* & cum Molin. Eſcob. *lib. 35. Decal. n. 250.* Lugo. *d. 15. de juſtitia n. 17.* quod tamen de teſtibus negat cum Navarr. Tull. *lib. 7. c. 10. dub. 21. n. 1.* Leſſius *lib. 2. c. 11. dub. 11.* & alij communiter, quorum ratio eſt, quia ſic conſuetudine introductum eſt, ut ſufficiat jumento ſe retractare; nam ſi juramento non credunt, malitiæ auditorum imputari debet, & non infamatori; qui fecit, quod in ſe erat, ut famam læſam reſtitueret. Imo non deſunt DD. qui probabiliter putent, ſufficere retractationem ſerio coram illis, apud quos quis proximum diffamavit, falſum crimen imponendo, abſque juramento, & abſque teſtibus, ut tenent Faber, Alenſis, quos refert Diana *ſup. reſol. 29.* probabile putat Trullenc. *ſup. n. 2.* Eſcob. *lib. 35. Decal. n. 245.* ſed tu ne à noſtra ſententia decedas.

85 Dico ſecundò: Si infamator, etiam falſum crimen imponendo, ſit perſona illuſtris, ut epiſcopus, prælatus, comes, & infamatus eſt plebeius, vel vir ignobilis, non tenetur dicere ſe eſſe mentitum, & cum tanto detrimento honoris famam reſtituere; ſed ſufficit, quod reſtituat famam meliori modo, quo poteſt, laudando videlicet eum, & honorifice de illo loquendo in illo genere virtutis, in quo infamavit, vel officio, aut beneficio, aut pecuniis infamiam compenſando. Ita cum aliis Villalob. *p. 2. tract. 11. dif. 37. n. 3.* Diana *p. 2. tract. 5. reſ. 29.* Trull. *ſup. n. 1.* Tamb. *lib. 9. Dec. c. 3 §. 4. n. 1.* Ratio autem eſt, quia aliàs non ſervaretur æqualitas, quam juſtitia commutativa intendit, & magna damna, & ſcandala ſequerentur.

86 Dico 3. Qui alterum infamavit verum crimen occultum propalando, non tenetur, nec poteſt dicere ſe mentitum fuiſſe, quia hoc eſſet mendacium patrare, quod intrinſece eſt malum; ſed debet coram eis, apud quos diffamavit infamatum laudare, virtutes ejus commemorando, cum ſe occaſio obtulerit, nulla facta criminis detecti mentione. Ita cum Nav. Reg. A ag Mol Bon. *ſup. q 4 p. 15. n. 2.* & cum Leſſ. 10, Vill. Diana *p. 2. tr. 5. reſol. 30* Eſc. *l b. 35. Decal. n. 83.* contra Nav. Medin. Solon, Faultum, & alios; quos refert, & ſequitur Trull. *ſup. n. 3.* qui exiſtimant teneri dicere ſe mentitum fuiſſe, vel illum hominem crimen illud non commiſiſſe, intelligendo publice, quod etiam affirmat Tamb. *lib. 9. Dec. c. 3. §. 4. n. 2.* ſed noſtra ſententia probabilior eſt.

Sed quæres, An qui infamavit in uno genere 87
peccati v. g. caſtitatis, verum crimen, ſed occultum detegendo, poſſit famam reſtituere laudando eum in aliis materiis, quando non poteſt in eadem materia laudare, nec adeſt alius modus famam læſam reſarciendi? Affirmat Leſſius *lib 2. c. 11. dub. 20. n. 100.* Lugo *de juſtitia d. 15. n. 12.* Eſc. *Decal. n. 253.* Ratio eſt, quia juſtitia non ſemper intendit æqualitatem, ita ut velit idem omnino reſtitui, ſed ſatis eſt, quod reſtitutio fiat in æquivalenti, ſed laudatio in aliis materiis, licet non reſtituat eandem famam amiſſam, reſtituit tamen rem æquivalentem, ſiquidem poteſt deſervire ad alios uſus humanos; ergo.

An autem infamator teneatur læſam proximi fa- 88
mam reſtituere, non ſolum apud eos, apud quos eam læſit, ſed etiam apud illos, quibus ipſi poſtea dixerunt? Reſpondeo quod ſi crimen revelavit hominibus gravibus communiter reputatis ut probis, qui prudenter ab eo credebantur, aliis non revelantibus, ea, quæ ab eo, etiam injuſte infamante acceperunt, certum eſſe non obligari; niſi ad reſtitu endam famam coram his, non vero coram aliis, quibus ipſi propalaverunt; quia per accidens eſt reſpectu infamatoris, ipſorum revelatio, & ipſorum malitiæ imputanda eſt. Ita cum Vill. Diana, & aliis Trull. *lib. 7. c. 10. dub. 12. n. 5.* Eſc. *l. b. 55. Dec. n. 255.* Si verò quis un crimen proximi aperuit, ut hoc alios patefaceret, tenetur coram omnibus quantum moraliter poſſit, famam proximi reſtituere; quia tunc ille fuit inſtrumentum illius, diffamator verò cauſa principalis. Tamb. *lib. 9. Dec. c. 3. § 5 n. 2.*

Et idem dicendum eſt, ſi rem narravit coram aliquibus, quos prævidet facile coram aliis oblocuturos ea, quæ illis manifeſtat, nam tunc videtur eſſe cauſa directa hujuſmodi oblocutionis, peccando non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam; ſiquidem ponit detractionem in ore illius, quem certo moraliter videt paratum, ad diffamandum proximum. Ita cum aliis Bonac. *2. de reſtit. q. 4. p. 14.* & cum Diana, Trull. *ſup. n. 5* Tamb. *ſup. n. 3.* Quod ſi nec advertat auditores eſſe probos, nec eſſe improbos, nec advertat, an ſint oblocuturi, vel non ut ſæpe accidit, cum à detractore ſæpiſſime non fiat animadverſio de bonitate, vel fidelitate audientium. tunc ſufficit, ſi reſtituat famam coram illis, quibus rem propalavit, non vero eſt neceſſe ut fiat coram illis, quibus ipſi propalarunt, quia cum nemo præſumendus ſit malus, nec male oblocuturus, non cenſetur diffamatus, quando præcipue dicto modo ſe habuit cooperati cum ipſorum peccato, ut cenſetur in antecedenti caſu. Ita cum Fabro, Tamb. *ſup. n. 5.*

An autem hæredes infamatoris teneantur famam 89
reſtituere, ſi infamator non reſtituit? Reſpondeo negative, quia reſtitutio famæ eſt debitum perſonale, ac proinde ſolus infamàs tenetur ad reſtitutionem; quod ſi infamatus iam obierit, tenetur infamator reſtituere famam ipſi defuncto, tum etiam hæredibus, ſi ipſi inde aliquid damnum paſſi ſint in fama. Damna autem temporalia ſecuta ex infamia, tenentur

hæredes

Digitized by Google

hæredes infamatoris restituere; quia hæc obligatio est realis & afficit quodammodo bona infamatoris, ac proinde qui succedit in bonis illius, succedit in obligatione reali. Ita cum Navarro, Bonacina, *de restitutione, quæst. 4. d. 2. q. ultimo num.* 15. Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 24. num. 1.*

SECTIO VI.

Vtrum teneatur famam restituere is, qui bona fide existimans esse verum, & publicum narravit, & infamavit proximum.

SUMMARIUM.

90 *Qui prædicto modo infamavit, tenetur deprehenso errore, ex justitia famam restituere.*

91 *Si is, qui infamatus est sine culpa infamatoris interim aliquod damnum patiatur, non tenetur infamator illud restituere.*

92 *Si te narrante de Petro aliquid, auditores de Paulo intelligant, ad quid teneatur infamator?*

Dico primò: qui prædicto modo proximum infamavit, tenetur ex justitia cum errorem de-
90 prehendit ad restitutionem; quia dum in aliorum mente pravam opinionem reliquit, detinet quodãmodo alienam famam, non tamen tenetur eam restituere cum gravi suo incommodo, vel cum propria infamia, & jactura fortunarum, ut *suprà*, diximus, quia sine culpa eam abstulit. Vnde solum cum modico damno tenetur restituere, prout prudentia, & veritas dictaverit. Ita Lessius, *lib. 2. cap. 11. dub. 22.* Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 25.* & cum aliis Tamburinus, *lib. 9. Decalog. cap. 3. §. 3. num. 6.*

Dico secundò: si is, qui infamatus est, sine culpa
91 infamatoris interim aliquod damnum patiatur, non tenetur infamator ad restitutionem, quia non censetur hujus causa injusta, sicut nec infamiæ, antequã advertat suum errorem. At si postquam errorem deprehendit, fuit in mora culpabili restituendi, & interim damnum eveniat, tenetur illud ex justitia restituere; quia ex eo tempore, in quo fuit in mora, censetur causa injusta illius damni Lessius, *sup.* Bonac. *sup. q. 4. p. 5. n. 11.* Trul. *sup. n. 2.* Tambutinus, *suprà n. 8.*

92 Dico tertiò: si te narrante de aliquo, v. g. de Petro, auditores de alio, v. g. de Francisco intelligant, sicque Francisco oriatur infamia, teneris ex charitate ad restitutionem, si commode potes; non tamen ex justitia. Ita Lessius *lib. 2. cap. dub. 22. n. 119.* & cum Bonac. Trull. *lib. 7. Decal. cap. 10. dub. 25. n. 3.* contra Mol. *d. 4. n. 3. tom. 5.* Esc. *lib. 35. Dec. n. 238.* Prima pars patet, quia charitas postulat, ut damnũ proximi avertamus, quando absq; notabili damno possumus. Altera probatur, quia tua narratio non est causa directa illius infamiæ, sed auditorum prava intelligentia.

SECTIO VII.

Vt Prælatus non impediens diffamatorem teneatur ad restitutionem?

SUMMARIUM.

93 *Prælatus, vel Superior non impediens ut suus subditus detrahat, etiam de non subdito, si detractio fiat in sua præsentia peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem.*

94 *Quid si subditus detrahat in ejus absentia.*

95 *Quid si non impediat detractorem non subditum detrahentem de suo subdito?*

93 Dico primò: Prælatus, seu Superior, non impediens, ne suus subditus detrahat, etiam de non subdito, si detractio fiat in sua præsentia, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, quia ex officio ei incumbit suum subditum coripere, & impedire, ne alteri noceat. Quod si subditus in absentia prælati famam alterius violaverit, non tene- 94
tur eam Superior restituere subdito, quia tunc non censetur causa damni, tenetur tamen compellere subditum, ut restituat. Ita & benè Trull. *lib. 7. c. 10. dub. 26. num. 2.*

Dico 2. Prælatus, seu Superior non impediens detractorem non subditum detrahentem de suo sub- 95
dito, non tenetur ex justitia ad restitutionem, sed solum peccat contra charitatem. Ita Lessius *lib. 2. c. 11. dub. 23.* Soto *lib. 1. de justit. q. 10. art. 4.* Ratio est, quia Prælatus, vel Superior, non suscipit ex officio obligationẽ defendendi subditi famam. Excipe nisi bona fama putaretur necessaria saluti spirituali subditi ne scilicet licentiùs viveret, nã tunc teneretur Prælatus ex justitia impedire, & non impediens famam restituere, siquidem tenetur ex officio impedire ea, quæ saluti spirituali subditorum adversantur. Ita cum Lessio, & Fausto, Trullenc. *suprà n. 4.*

SECTIO VIII.

An qui se mutuo infamarunt excusentur à mutua restitutione?

SUMMARIUM.

96 *Quando duo se mutuo infamarunt, neuter tenetur ex justitia restituere.*

97 *Altero restituente, tenetur alter restituere.*

98 *Quædã advertentia pro restitutionis intelligẽtia.*

Dico primo: Quando duo se invicem infamarunt, neuter ex justitia tenetur ad famæ restitu- 96
tionem. Ratio est quia quando jura sunt æqualia, censetur utraque pars satisfacta, & tacitè invicem se compensasse. Altero tamen restituente, tenetur alter restituere, & si infamiæ fuere notabiliter in- 97
æquales, excessum ab altero debet meliori modo, quo possit, restitui. Ita cum Lessio, Maldero, Diana, *p. 3. tract. 5. resol. 30.* & cum Bonac. Tambur. *lib. 9. decalogi, c. 3. §. 3. n. 16.* & cum Rebello, Filliuc. & aliis, Escobar *lib. 35. Decal. n. 232.*

Adverte tamen me non dicere, licere cuipiam aliũ infamare, solum quia illi infamiam intulit, hoc enim 98
esset vindictam sumere, quod non licet privato. Sed solum dicimus, quod ex suppositione æqualis infamiæ ex utraque parte illicitè factæ, neutrum ad restitutionem obligari. Secundo adverte, quod si propter infamiam secutum est alteri damnum reale, hoc esse restituendum, nisi forte ex utraque parte fuerit æquale damnum illatum, nam tunc fieri poterit etiam compensatio, vel si fuerit inæquale, faciendæ erit sola restitutio excessus.

SECTIO IX.

Vtrùm restitutio famæ possit condonari?

SVMMARIVM.

99 *Homo privatus potest famæ restitutionẽ condonare, modo infamia non redundet in familiã ejus.*

100 *Quando infamia redundat in familiam, à quo tunc facienda sit condonatio famæ.*

101 *Quid si vir privatus sit valdè utilis reipublicæ*

102 *Persona publica: ut Prælatus, rex, pastor, &c. peccat contra justitiam famæ propriæ restitutionem condonando.*

Dico primò: Homo privatus potest famæ restitutionem condonare, modo infamia non re- 99
dundet

dundet in familiam ejus, itaut liberi ejus maneant de jure infames, ut ſi infamatus fuit de hæreſi, proditione, ſacrilegio, ſodomia, &c. Et idem dicendum eſt de infamia Religioſi, quando redundat in Monaſterium: ut ſi de religioſo dicatur eſſe hæreticum, proditorem, vel ſodomitam; redditur enim tota communitas valde ſuſpecta plebi. Ita Leſſius *lib. 2. c. 11. dub. 24. n. 124.* & cum Sylu. Navar. & aliis communiter Fagund. *in 8. præcep. Dec. lib. 8. c. 16. n. 6.* & 10. Et ratio eſt, quia cum hæc condonatio ſit in præjudicium tertij, non valet pro infamia familiæ; quia infamia filij, non eſt infamia patris, nec infamia religionis, eſt infamia religioſi; & licet pater, vel religioſus ſit dominus ſuæ famæ, non tamen famæ filiorum, aut religionis, unde & peccaret mortaliter contra juſtitiam in filios, & cognatos, & contra religioſos, & contra charitatem in ſemetipſum, ſi id efficeret, & condonatio non valeret, ut benè advertit cum præcitatis Doctoribus Fag. *ſup. n. 11.*

100 Sed quæres, à quo tunc validè facienda ſit remiſſio? Reſpondeo quod ſi infamiam redundavit in totam religionem, vel familiam, debere fieri de conſenſu omnium Religioſorum, vel perſonarum familiæ, cum omnes ſint infamati. Ita cum Petro Navarra, Soto, Fag. *lib. 8. in 8. præcept. Dec. c. 4. n. 15.* Tamb. *lib. 9. Decal. c. 3. §. 3. n. 10.* Secus ſi religioſus particularis fuerit infamatus, de aliquo crimine, in quo alij cum illo non participant, ut quod ſit iracundus, ebrius, &c. nam tunc ſatis eſt, ut à tali privato Religioſo fiat remiſſio. Ita cum Soto, Nau. & aliis Fagund. *ſup.* Tamb. *ſup. n. 10.*

101 Dico 2. Si homo privatus condonans famæ reſtitutionem ſit vir valdè utilis reipublicæ, peccabit mortaliter contra charitatem erga omnes illos, quibus prodeſſe poterat, ſi ita reſtitutionem famæ condonet, ut poſtea ob id impediatur fructus conſuetus; infamatur tamen ſi ipſe de facto condonet, nihil amplius ei tenebitur reſtituere ex juſtitia, benè tamen ex charitate, ſi commodè poſſit; quia tenetur ex charitate non impedire illud bonum, quod omnibus evenire poterat, cujus impeditionis cauſam det. Ita Leſſ. *ſup. n. 125.* Saïr. *in clavi, lib. 11. c. 3. n. 36.*

102 Dico 3. Perſona publica, ut Prælatus, Epiſcopus, Rex, Paſtor, aut quælibet alia perſona gerēs munus publicum, peccat mortaliter contra juſtitiam reſtitutionem famæ propriæ condonando, niſi velit, & poſſit officium demittere, vel niſi humilitate, & aliis virtutibus poſſit hanc jacturam apud ſubditos reſarcire; nam tunc benè poſſet condonare licitè, & abſque peccato. Ita Navar. *in ſumma c. 18. n. 43.* Salon. Aragō. quos refert, & ſequitur Saïrus, *ſup. n. 36.* Ratio eſt, quia fama eſt neceſſaria ad Prælati munus rectè exercendum. An autem ſi Prælatus officium retinendo, de facto condonet, condonatio ſit valida? Reſpondeo negativè: quia id eſt in præjudicium ſubditorum, quos rectè cum tali infamia non poteſt gubernare, ſi alio modo famam recuperare non poſſit. Ita Leſſius *lib. 2. c. 11. n. 127.* & cum Soto, Maldero, Fag. *ſup. n. 9.* Trull. *lib. 7. c. 10. dub. 28. n. 2. in fin.*

SECTIO X.

Utrùm accuſatus de vero crimine, ſi illud neget teneatur famam accuſanti reſtituere?

SUMMARIUM.

103 *Si reus neget delictum non probatum, non tenetur famam accuſanti reſtituere.*

104 *Si aliqua infamia in hoc caſu accuſatori ſequatur, non à reo, ſed ab accuſatione non probata procedit.*

105 *Ex eo quod reus neget crimen, non ob id accuſator aliquam infamiam incurrit.*

Dico primò: Sive reus legitimè, ſive illegitimè ſit à judice interrogatus, etiamſi crimen publicum ſit, ſi de facto tamen non probetur, & reus interrogatus illud neget in judicio, non tenetur famam accuſanti reſtituere. Ratio eſt, quia reus non tenetur ex juſtitia erga accuſatorem adjuvare eum, & facere bonam ejus accuſationem, & defendere eum ab infamia, quam ob hanc cauſam poteſt incurrere; non enim eſt cauſa poſitiva hujus damni, ſed tantum negativè, quatenus eum non adjuvat, cum poſſit, ad quod ex juſtitia non tenetur. 103

Confirmatur quia ſi aliqua infamia oritur in his caſibus accuſatori, non à reo procedit, ſed ab accuſatione non probata, nec ideo accuſatoris fama læditur, quia reus negat propriè loquendo; ſed quia accuſator objicit id, quod non verificatur, nec comprobatur. Tum quia ex eo, quod reus neget crimen, non inde accuſator acquirit aliquam infamiam, ſiquidem omnes ſupponunt reum abnegaturum ſemper eſſe crimen, etſi verum ſit, dum ei non probatur. Ita & benè Lugo *b. 15. de juſtit. n. 13.* Eſcob. *lib. 35. Dec. n. 144.* contra Mol. *d. 43. tom. 5. n. 1. 2.* & 4. 104

SECTIO XI.

Quæ excuſent à reſtitutione famæ?

SUMMARIUM.

106 *Prima cauſa excuſans eſt juſta condonatio.*

107 *Secunda juſta compenſatio.*

108 *Tertia ſi fama ſit alia ratione recuperata.*

109 *Quarta ſi fama abijt in oblivionem.*

110 *Quinta ſi crimen de quo quis fuit diffamatus alia ratione fuit factum publicum, vel ſi reſtitutio ſit impoſſibilis.*

111 *Alia cauſa excuſantes referuntur.*

Dico primò: Cum in præcedentibus ſectionibus cauſas excuſantes à reſtitutione famæ latè retulerimus, in hac ſectione, veluti in compendium facilè eas redigemus: ſunt igitur. Prima juſta condonatio facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios, modo dictos. Secunda juſta compenſatio, ut ſi ab eo, quem quis infamavit pari modo ſit infamatus. Tertia ſi fama ſit alia ratione recuperata. Quarta ſi infamia prudenter exiſtimetur abijſſe in oblivionem. Quinta ſi crimen occultum, quod quis aliquibus dixit, alia via, & ratione fiat publicum. Sexta ſi reſtitutio ſit impoſſibilis, vel non poſſit fieri, niſi cum periculo vitæ. Septima ſi non poſſit fieri ſine amiſſione famæ, quæ ſit longè majoris momenti fama infamati. Octava ſi quis bona fide perſuaſus eſſe verum, & publicum aliquid narravit, nec poſſit ſine damno ſuæ famæ reſtituere. Nona ſi revera nulla fuit infamia ſecuta, eo quod infamatus eſſet nullius fidei, vel quia apud quos infamavit ſciebant ſimilia, ita ut infamia non fit notabiliter aucta. Ita Navarr. *ſumma cap. 17. n. 89.* Bonac. *de reſtit. d. 2. q. 4. p. ult. n. 15.* Trull. *lib. 7. c. 10. dub. 30.* Eſcob. *lib. 35. Decalogi num. 84.* 106 107 108 109 110 111

DISPUT.

Digitized by Google

DISPUTATIO IV.

De Contumelia.

SECTIO I.

Quid sit contumelia?

SUMMARIUM.

112 *Quid sit contumelia describitur.*
113 *In quo differat contumelia à detractione.*
114 *Omnes contumeliæ sunt ejusdem speciei.*
115 *Cõtumelia formalis ex se est peccatum mortale.*
116 *Qui unico fervore plures contumelias addit unum tantum peccatum co mmittit.*

112 Dico primò: contumelia est injuria, qua quis alteri honorem aufert dictis, vel factis, in præsentia
113 prolatis. Differt autem contumelia à detractione primo, quia detractio fit in absentia, contumelia in præsentia. Secundo, quia detractio offendit famam, contumelia honorem. Tribus autem modis offenditur honor per contumeliam. Primo directè, verbis vel signis injuriosis in præsentia ejus prolatis, cujus honori officit, quod dicitur improperium. Secundo impropriè, verbis injuriosis, in absentia prolatis, ea intentione ut in notitiam dehonorati veniant, quod dicitur convitium, gravius tamen est improperium, quam convitium, ut ex se patet. Tertio factis, vel signis, ut quando læditur honor litteris, & libello. Ita ut ad notitiam dehonorati veniant, vel quando læditur honor per injuriam corporalem, ut percutiendo baculo, impingendo alapam, abscindendo aures, tunc namque præter læsionem corporis, læditur, & honor, cum per illa tractetur quis, ut latro, ut infamis. Quarto offenditur irrisionibus, quod fit tam verbis, quam factis, ut cum ludibrio aliquid in faciem objicitur, vel quis ludibrio habetur, & verbis, seu factis illuditur, quibus si motus corporis, ac membrorum adjiciantur, dicetur subsannatio, Lusit. *escarnecer*, ut latius explicat Mol. *tr.* 4. *disp.* 21. per totã, qui modi auferendi honorem, omnes lato vocabulo dicuntur cõtumelia, siquidem omne illud, quod injustè fit in præjudicium honoris, pertinet ad contumeliam, ut benè Mol. *tr.* 4. *d.* 18. *n.* 5. & 21. *per tot.*

114 Dico 1. Omnes contumeliæ sive sint propriæ sive impropriæ, ut convitium, & improperium, sunt ejusdem speciei. Ratio est; quia omnium est una ratio formalis, nempè inhonoratio in præsentia, & solum differunt secundum magis, & minus, quod non facit differentiam specificam, sed accidentalem. Ita Filliuc. *tract.* 40. *c.* 3. *n.* 77. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 1. *de restit. q.* 5. *n.* 5. & cum multis Diana *p.* 1. *tr. de circ. resol.* 28. Trull. *lib.* 8. *decal. c.* 8. *dub.* 2. *n.* 2. Advertè tamen, quod aliunde potest adjungi alia species contumeliæ, si enim quis prævidet magnam commotionem ad vindictam in eo, quem contumelia illudit, addet peccatum scandali; si contumeliam facit occidendo, mutilando, virginem defforando, consanguineam prostituendo, erit non solum contumeliosus, sed homicida, stuprator, & incestuosus. Et si contumelia fiat parentibus, vel Deo, erit etiam impius, & blasphemus. Ita & benè Tamb. *lib.* 9. *Decal. cap.* 3. §. 8. *n.* 4. Trullenc. *sup. n.* 2. An autem contumelia differat specie à detractione. Respondeo affirmativè, quia detractio fit in absentia; quasi detractur revereatur detractum, contumelia verò fit in præsentia cum contemptu ejus, qui dehonoratur; unde contumelia gravius peccatum est detractione. Ita cum Filliuc. Trullenc. *suprà n.* 5. & cum aliis Escobar *lib.* 35. *Decal. n.* 45.

Dico 3. Contumelia formalis, ut quando quis 115
intendit honorem lædere, ex se est mortalis. Ita cum communi sententia Trul. *sup. n.* 6. Potest tamen esse venialis, ratione parvitatis materiæ, vel si absit plena deliberatio. Ita cum communi sententia Filliuc. *tr.* 4. *n.* 77. Contumelia verò materialis, quando scilicet quis verba contumeliosa profert sine inhonorandi intentione, quamvis ex suo genere lethalis non sit, aliquando erit culpa mortalis, aliquando venialis, aliquando nullum peccatum. Erit culpa mortalis si ex ipsa probatione verborum alter notabiliter in honore lædatur, quando id ex ignorantia crassa, vel culpabili negligentia provenit. Erit venialis, si parum noceat, ut accidit cum mulierculæ, ac homines viles se ad invicem convitiis, ac contumeliis afficiunt, quibus parva, aut nulla fides adhiberi solet, parumque læditur honor, deestque communiter intentio graviter nocendi. Non erit autem peccatum, imo erit licitum, si animo corripiendi fiat, dummodo non excedatur, nec in modo, nec in qualitate verbi contumeliosi, ut si Prælatus, Pastor, aut frater, dominus, maritus, magister, vel alius Superior, verbis contumeliosis inferiorem objurgat, ut fecit Paulus ad Galatas 3. vocans Galatas insensatos; & Christus Lucæ 24. Apostolos stultos, & tardos corde ad credendum. Ita Filliuc. *tra.* 40. *c.* 3. *q.* 14. Reginald. *lib.* 24. *n.* 101. Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *d.* 18. *n.* 3.

Dico 4. Qui unico contextu injurias, contume- 116
liasque addit, I. peradditque, unico fervore iræ, licet interponat aliqua alia verba ad injurias minimè pertinentia, unum tantum peccatum committit, quare sufficit si dicat in confessione, injuriavi proximum. Lugo *de pœnit. d.* 16. *n.* 561. Tambur. *in meth. confess. lib.* 2. *c.* 1. §. 8. *n.* 54. Et idem dicendum est de eo, qui unico veluti contextu continuat de altero graviter detrahere, licet occasione data aliquantulum detractionem interrumpat, & licet alias diversas de eodem detractionis materias tangat. Unde sufficit si dicat in confessione, semel graviter de quodam detraxi. Ita Lugo *sup. n.* 559. Tambur. *sup. n.* 53. Nec est necesse explicare in confessione, an contumelia, vel detractio, fuerit coram duobus, vel decem, vel an fuerit contra Regem, Sacerdotem, prælatum, &c. sed sufficit si dicat graviter detraxi, contumeliam contuli ter, vel quater. Excipe, nisi contumelia, vel detractio fuerit in parentes, quo nomine, etiam comprehendantur avi, & proavi, nam hæc circumstantia explicanda esset à filio, vel à nepte, cum addat speciem impietatis. Ita Lugo *de pœnit. d.* 16. *n.* 112. & cum Molina, Azor. Tamb. *in meth. confessionis, lib.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 2. & *cap.* 5. §. 1. *n.* 2.

SECTIO II.

An conficientes libellos famosos peccent mortaliter? & ad quam restitutionem teneantur.

SUMMARIUM.

117 *Qui libellos famosos conficiũt peccant mortaliter.*
118 *Quis dicatur libellos famosos conficere?*
119 *Conficientes libellos famosos contra Papam, vel Cardinales sunt excommunicati.*
120 *Invenientes hos libellos, si scienter eos divulgent peccant gravissimè.*
121 *Conficiens libellos famosos non tenetur se manifestare, etsi detur censura ut manifestetur.*

117 Dico primò: Qui libellos famosos conficiunt, divulgantes aliorum peccata, quibus ex inde fama, & honor eorum graviter læditur: peccant

contra justitiam, & charitatem, tantóque gravius est hoc peccatum, quantum scripta hæc, magis divulgantur, & memoriæ hærent, quam verba: Hi autem libelli, aliquando pertinent ad detractionem, aliquando ad contumeliam. Quando enim libelli author nomen suum occultat, spectat ad detractionem, si verò ipsum nominet, ad contumeliæ nequitiam pertinet. Teneturque ad famæ, & honoris restitutionem, ac damna, quæ ex inde secuta sunt refarcire.

118 Dico secundo: Non dicitur libellum conficere, qui privatis litteras mittit ad privatum, occultum vitium exprimendo, nec habet vim libelli, si scriptura contineat publicum vitium. Unde ille totum dicitur conficere libellum infamatorium, qui scripturam aliquam, etiam brevem conficit, continentem alicujus infamiam, ut publica fiat. Item libellum dicitur conficere ille, qui schedulam defert ad Superiorem continentem delictum occultum, & ponit eam super mensam, vel alio loco, si id faciat, ut Superior de crimine inquirat, illudque notum, ac publicum efficiat notoritate juris, quamvis in ea scriptura exprimantur, quinam conscij sint, & qui testari possint de illo crimine. Ita cum Molina, Bonacina, *d.2. de restit. q.4.p.9. n.5.* consentit etiam author libelli infamatorij ille, qui apponit aliquod signum, quo alter infametur, ut si aliquid depingat ad indicandam alterius infamiam, aut si cornu ad januam apponat, ad indicandum aliquem habere conjugem adulteram. Ita cum Claro, Bonac. *sup. n.6.*

119 Dico tertiò: Conficientes hos libellos contra Pontificem, vel Cardinales, sunt excommunicati in quadam extravaganti Pij V. Eodem dicendum est, si eos faciant contra religiosos mendicantes: conficientes autem hos libellos contra alios Prælatos, vel religiosos, aut alias personas Ecclesiasticas, non sunt excommunicati, sed veniunt excommunicandi, *ex c. quidam maligni, & c. qui invenit:* quas pœnas renovarunt Pius V. & Gregorius XIII. si verò tales libelli sint contra seculares: jure civili pœna capitis jubentur puniri, *l.1. Cod. de libellis famosis*, per leges autem Ecclesiasticas virgis cædendi sunt *cap. qui in alterius.* Sairus *l.b.11.c.6.n.24. & lib.12.c.4.n.10.* & alij communiter.

120 Dico quartò: Invenientes hujusmodi libellos, scientes esse infamatorios, peccant gravissime, nisi eos statim, antequam eos alijs manifestent, corruperint, aut ignitæ tradiderint, habeturque debet tanquam cooperatores, & eisdem pœnis subjiciuntur, ut habetur *in c. qui in alterius, & c. si quis famosum 5. q.1.* An autem dicatur libellum manifestare qui unum tantum eum perlegit? Respondeo negative, quia Pontifex jubet, quod invenies libellum rumpat, nec ejus vim manifestet; sed manifestum id dicitur, quod pluribus innotescit: ergo ita Bursatus, *Consil. 99. lib.1.n.17.* Cepol. *l.1. cons. 541. n.28.* Escob. *lib.35. Decal. n.109.* contra Cherubinum, ad bullam præfatam Pij V. *fol.1.*

121 An autem conficiens libellum famosum teneatur le manifestare, si superior edito, vel tab centura jubeat, ut se prodat? Respondeo negative si occultus sit, quia nemo tenetur se prodere, juxta illud C. Chrysostomi *in occultis non dico ut te ipsum prodas.* Ita cum Sayro, Filliucio, & alijs Trullenc. *lib.7. cap.10. dub.27.n.4.* Escob. *lib.35. Decal. n.112.*

SECTIO III.

Utrum liceat contumeliam, contumelia, convicium, convicio aliquando repellere?

SUMMARIUM.

122 *Nemo animo conciliandi potest sive peccato contumeliam contumelia repellere.*

123 *In justam defensionem potest quis contumeliam modo justo repellere.*

124 *Aliquando licitum est repellere contumeliam, etiam crimen infamantis, quod facit ad minuendam fidem, audaciam &c. aperiendo.*

DIco primò: contumeliam contumelia repellere, animo conviciandi, vel vindicandi propriam injuriam nemini privato licet, sed tenemur omnes contumelias patienter sufferre, quoad animi præparationem; nunquam enim licet velle facere quod malum est, sed malum est, contumeliam contumelia repellere, animo convitiandi, vel vindicandi: ergo nemini hoc licitum est; sed quisque debet esse paratus ad ferendas injurias, quando opus fuerit, juxta legem Dei, & dictamen rectæ rationis. Ita cum D. Thoma, & alijs communiter Filliuc. *tract. 40. c.3. q.100. n.85.* 122

Dico secundò: in justam defensionem, al quando licitum est cuilibet privato, contumelias medijs licitis repellere. Ratio est, quia præceptum Christi circa injurias toleramendas est affirmativum, & non obligat pro tempore, sed cum ratio id postulaverit; sed aliquando recta ratio postulat, ut contumelia repellatur, ut quando id necesse est ad bonum contumelioso, ut temperantius animum infringamus, ne detractionibus audeat, vel ob bonum aliorum quorum profectus impediretur, nisi propulsetur injuria, vel ob honorem suæ domus, & religionis: ergo in his tribus casibus, cuilibet licitum erit, contumeliam repellere, non animo, vel talium crimen contumelioso inferendo, neque defectum illum occultum, vel etiam publicum, impertinentem tamen ad effectum, vel per modum vindictæ obiciendo, sed per modum defensionis, vim vi repellendo, obiciendo etiam, si opus fuerit crimen, quod directe facit ad minuendam fidem; & authoritatem ejus, & ad reparationem honoris proprij, qui semper læsus manet, quandiu calumniator creditur; sic ergo poterit vocare eum mendacem, & poterit ei dicere mentiris, & ad hoc confirmandum propalare aliqua mendacia illius, quibus veritas confirmetur, & calumnia illata repellatur, quod quidem non vindictæ, sed propriæ defensioni tribuendum est. Ita Filliuc. *tract. 40. c.3 q.10. n.85.* & cum D. Thoma, Soto, Sairo, Lugond. & alijs, Escobar, *lib.35. Decal. n.87.* & cum Hurtado, Pascalgo, & alijs Billuart, *verbo contumelia n.7.* 123

124

SECTIO IV.

Quomodo sit honor restituendus.

SUMMARIUM.

125 *Qui alterum inhonoravit tenetur ad restitutionem.*

126 *Quomodo contumelia sit resarcienda?*

127 *An mera familiaritas sufficiens sit ad satisfaciendum honori læso?*

128 *An quando in occulto læsus fuit alicujus honor detur obligatio restitutionis?*

DIco primò: certum est, quod si aliquis alterum inhonoravit, sive id fecerit privative, non exhibendo scilicet honorem debitum, ut si prælato transeunti caput non aperiat, sive positivè afficiendo scilicet aliquem contumelia, convicio, vel opprobrio, tenetur ad restitutionem, exhibendo scilicet honorem negatum, si privativè tantum illum negavit, vel positive satisfaciendo pro injuria, si positive 125

tive honor fuit violatus, & hoc ſive inhonorans fuerit inferior, ſive ſuperior, in hoc omnes conveniunt, & difficultas ſolum eſt de modo reſtituendi.

126 Dico igitur ſecundò: in contumeliis non magni momenti, & in contortis à ſuperiore, ſufficit amica ſalutatio, & aliquando neceſſaria erit invitatio ad menſam, & aliquãdo laudatio apud eos, coram quibus læſus fuit honor. Pro graviſſimis vero offenſis, ſufficiens & poſſibilis ſatisfactio erit, petitio veniæ privata, vel publica, juxta conditiones privatæ, vel publicæ culpæ, nec neceſſario addenda eſt genuflexio, quia hæc nimis exceſſens ſatisfactio eſt. Ad hanc tamen ſatisfactionem non obligo ſuperiorem, vel virũ nobilem reſpectu inferioris, vel plebei, quia poterit alia ſatisfactio per alia ſigna æquivalentia his dari, ſolum: ergo hic petitione veniæ debent uti inferiores erga ſuperiores, & æquales inter ſe, ſi amica ſalutatio, & invitatio ad menſam ad id ob criminis atrocitatem non ſufficiant. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 11. dub. 27. n. 144.* Villal. *tom. 2. tra. 12. def. 42. num. 7.*

127 An autem mera familiaritas, ſeu familiaris conſuetudo cum eo, cum quo quis familiariter agere ſolebat, ſufficiens ſit ad ſatisfaciendum honori læſo? Reſpondeo negative, niſi addantur alia arctioris familiaritatis ſigna. Et ratio eſt, quia communis illa, & contueta familiaritas, exhibetur ſæpe à læſo, ad vitandum ſcandalum, ad declinandas majores inimicitias, ob conſuetum modum vivendi, non vero ad injuriam reſarciendam. Tamburinus, *lib. 9. cap. 3. Decalog. §. 8. num. 7.* Trullenc. *lib. 7. cap. 10. dub. 5. n. 13.* An autem neceſſe ſit, quod qui publice alium contumelia offendit, per ſe ipſum poſtulet veniam? Reſpondeo negative, ſed ſufficit, ſi per amicum, vel confeſſarium, vel aliam perſonam, publice id faciat. Ita cum Navarro, Corduba, Trull. *ſup. num. 11.*

128 An autem quando in occulto læſus fuit honor alicujus, adſit ſatisfaciendi obligatio? Negat Mol. *tom. 5. d. 46. n. 5. 6. & 7.* quando nullum aliud damnum in fama, vel alijs bonis poſt ſe reliquit, ut ſi quis v. g. in occulto aliquem alapa cæderet. Sed contrarium omnino dicendum eſt, etſi contumelia fuerit inter ipſos tantum, nemine præſente, illata. Ratio eſt, quia omnis gravis dehonoratio ex debito juſtitiæ parit obligationem reſtituendi, ex contumelia namque præterita, quandiu contumelioſus non ſatisfacit, aliquod damnum cenſetur permanere in eo, qui contumelia fuit effectus; videmus namque contumeliam paſſum, dolere nimium de contumelia accepta, quandiu ei non ſatisfit; quod quidem non agit poſtquam vindicavit injuriam; ergo fatendum eſt, ex contumelia præterita, quandiu per ſatisfactionem, vel vindictam, non auferitur, manere aliquod malum morale præſens, quod ſit objectum doloris, & triſtitiæ, nam de dolore capitis præterito non triſtamur. Ita & bene Lugo *de juſtitia d. 15. n. 54. 55. & 56.* & cum alijs communiter Eſcob. *lib. 35. Decal. n. 262.*

DISPUTATIO V.

De mendacio, & ſecreti revelatione.

SECTIO I.

Quid, & quale peccatum ſit mendacium?

SUMMARIUM.

129 *Quid ſit mendacium deſcribitur.*

130 *Mendacium aliud eſt formale, aliud materiale & quid utrumque ſit?*

131 *Omne mendacium eſt peccatum.*

132 *Mendacium pernicioſum ex natura ſua eſt peccatum mortale.*

133 *Mortaliter non peccat, qui ſine gravi proximi damno mendacium etiam in judicio profert.*

DIco primò: Mẽdacium eſt ſignificatio falſi, cum intentione falſum dicendi; unde ad mendacium tria requiruntur, & quod falſum dicatur, & quod falſum eſſe credatur, & quod deceptio audientis intendatur. Opponitur autem mendacium veritati, eo quod dicitur cum intentione fallendi, & ideo dicitur mendacium, quia contra mentẽ itur. Poteſt autem hoc fieri, & vocibus, & ſignis, ſi fiat vocibus, dicitur mendacium, ſi fiat geſtu, nutu, vel alia corporis motione, dicitur ſimulatio. Ita cum communi ſententia Bonac. *d. 1. q. 1. & 2.* Filliuc. *tr. 40. cap. 2. n. 23.* 129

Dico ſecundò: Mendacium dividitur. Primo in formale tantum, & in materiale tantum, & in formale, & materiale ſimul. Formale tantum, eſt cum quis dicit aliquid re ipſa verum, putãs eſſe falſum. Materiale tantum, eſt cum aliquis dicit aliquid re ipſa falſum, putans eſſe verum. Formale, & materiale ſimul eſt, cum quis dicit re ipſa falſum, cum intentione falſum dicendi. Hinc fit, uti amphibologia, quando id licet, non eſſe mendacium, quia non intenditur falſum. Secundo dividitur mendacium in mendacium, quod tranſcendit veritatem in majus, quod pertinet ad jactantiam, & in mendacium, quod tranſcendit veritatem in minus, quod pertinet ad Ironiam. Tertiò dividitur in jocoſum, officioſum, & pernicioſum. Jocoſum eſt, quod cauſa voluptatis ſuæ, vel alienæ dicitur: officioſum eſt, quod cauſa utilitatis propriæ, vel alienæ dicitur: pernicioſum eſt, quod alicui injuſte nocet. Leſ. *lib. 2. cap. 47. dub. 6. n. 44.* & alij communiter. 130

Dico tertiò: Omne mendacium eſt peccatum: dicit enim intrinſecam, & directam oppoſitionem virtuti veritatis. Vnde in nullo caſu etiam ad ſalvandam vitam ſpiritualem hominis, licet mentiri, nec in hoc cum ſit intrinſecè malum, poteſt Pontifex diſpenſare. Non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona. Leſſius *ſup. n. 36.* Bonac. *ſup. p. 2. n. 1.* Licet autem omne mendacium ſit peccatum, non tamen omne mendacium eſt peccatum mortale, nam mendacium jocoſum, & officioſum, ex genere ſuo tantum eſt peccatum veniale, & ſolum ratione ſcandali, vel juramenti annexi, poterit eſſe mortale. Sayrus *in Clavi Regia lib. 12. cap. 2. num. 18.* & alij communiter. 131

Dico 4. Mendacium pernicioſum ex natura ſua eſt peccatum mortale, directè enim contrariatur Dei, & proximi dilectioni. Excipe niſi ex indeliberatione, vel ex parvitate materiæ excuſetur. In hoc conveniũt DD. Hinc mentiri in rebus fidei, ſcripturæ, vel morum, in doctrinis moralibus, ſi ad vitij, vel virtutis praxim pertineant, quamvis omne ſcandalum ſecludatur, eſt mortale. Sic etiam peccat mortaliter prædicator falſa miracula prædicans, vitam ſanctorum fingens aliter quam ſit, falſas indulgentias prædicans, falſas reliquias proponens. Imo qui falſa, vel incerta miracula populo denuntiat in prædicationibus, incurrit excommunicationẽ à Leone X. ubi etiam excommunicantur ſcandaloſe detrahentes prælatis. Bonac. *ſup. p. 2. n. 7.* Item Hypocrita, qui vitæ fingit ſanctitatem, ut facilius ſeminet errores, colligat eleemoſynas ſuperfluas, peccat mortaliter. Et idem dicendum eſt de quocunque mendacio in nocumentum grave proximi. Filliuc. *tr. 40. n. 38.* & alij communiter. 132

Dico quintò: Mortaliter non peccat, qui ſine gravi proximi damno mendacium profert, etiam ſi in judicio, & in ſacramento confeſſionis proferat, modo non ſit, cum juramento, nec circa materiam neceſſariam, vel totalem confeſſionis. Item non peccat mortaliter ſecluſo ſcandalo, vel aliqua lege prohibente 133

hibente ſub mortali, qui mentitur ſexũ habitu fæmineo, vel virili; quia non eſt mendacium perniciosum; nec mulier quæ ſe bonis mediis virginẽ fingit, quia cum non intentet alterum decipere, ſed ſuũ jus tueri, non dicitur mentiri, ſed hoc modo vir ob defectum non manifeſtatum grave damnum non patietur, vel niſi expreſſerit ſe nolle contrahere cum illa, ſi re ipſa virgo non ſit, quia tunc virum decipit. Sanch. *de matrim. l.2.d.27.n.8.* Navar. *c.inter verba l.1. corollario 6.n.60.* Sot. *in 4.diſt.29.q.2.a.3.* & cum multis Trul. *l.8.cap.8. dub.1.n.9.* Balæus *verbo mendacium n. 6.*

SECTIO II.

De obligatione ſecreti, & de reſtitutione ob ſecreti revelationem.

SUMMARIUM.

134 *Quid ſit ſecretum deſcribitur.*

135 *Qui revelat ſecretum redundans in alterius grave damnum peccat graviter contra juſtitiã.*

136 *Detegere ſecretum uni, vel duobus taciturnis an ſit mortale?*

137 *Plures dantur cauſæ juſtæ revelandi ſecretum abſque peccato, quæ referuntur.*

138 *Quoddam corollarium ponitur.*

139 *Qui ſecretum revelat abſque juſta cauſa cum alterius detrimento tenetur ad reſtitutionem.*

134 DIco primò: Secretum eſt res alicui clanculum manifeſtata, quæ in plurium notitiam nondum pervenit. Eſt autem ſecretum virtutis fidei actus, prout fides eſt idem, quod fidelitas. Daturque præceptum naturale, divinum, & humanum, ſervandi ſecretum, ut probat Sot. *lib.de ſecreto, membro 1.q.2.* ubi plures ſecreti aſſignat gradus. In primo gradu eſt ſecretum confeſſionis, de quo egimus in tractatu de pœnitentia poſteriori tomo. In ſecundo eſt ſecretum publicum, id eſt ad quod quis tenetur ex officio publico, aut legali debito. In tertio eſt ſecretum, quod quis per injuriam extorſit, ut ſi quis literas alienas aperuit. In quarto in quo quis data fide recepit arcanum amici, in quibus omnibus tenetur quis ſervare ſecretum ex juſtitia. In quinto eſt, quando quis viſu, vel relatione alterius novit ſecretum, & ad hoc tenetur quis ex præcepto fidelitatis, prout eſt pars potentialis juſtitiæ. Ita Sot. *ſup. queſt. 2.*

135 Dico ſecundò: Qui revelat ſecretum redundans in alterius grave damnum, præſertim ſi commiſſum fuit illi ſecretum ſub ſigillo, peccat mortaliter contra fidelitatem, ac juſtitiam. Ratio eſt, quia violat fidem, quam jure naturæ ſervare tenemur. Excipe niſi ratione parvitatis materiæ, vel niſi bona fide, facta debita diligentia putaret, ſecretum eſſe exigui momenti, cum alias eſſet magni, nam tunc etiã bona fides eum excuſat. Secus ſi fuerit negligens negligentia gravi. Procedit autem hæc concluſio, non ſolum quando quis dedit fidem de ſervando ſecreto, ſed etiam quando ex modo dicendi, & dicentis mente colligitur animum fuiſſe ſub ſecreto committere. Ita cũ aliis Sanch. *in conciliis p.2.lib.6.c.6.d.1.n.5.*

136 Dico tertio: Detegere ſecretum uni, vel duobus, quos quis certo novit celaturos ſecretum, non eſt mortale; quia hujuſmodi revelatio non redundat in alterius grave damnum. Bonac. *de reſtitut.d.2.q.11. c.13.q.3* Filliuc. *tr.4.n.63.ſect.2.* Eſcob. *lib.35. Decal.n.36.* Balæus *verbo ſecretum 1.n.3.* Azor. *p.3.c.31. dub.3.* Trullenc. *lib.7.c.10.d.32.n.3.* Excipe niſi revelet illi, cui creditur committentem noluiſſe revelare, & modo ſecretum quod revelatur, non ſit aliquod peccatũ vergens in alterius infamiam. Ita Bonac. loco citato, Trullenc. *ſ.n.3.* Baſæus *ſuprà num. 3.*

Dico quartò: Plures dantur cauſæ juſtæ revelandi 137
ſecretum abſq; peccato. Prima ſi cedat in grave Reipublicæ detrimentum. Secunda ſi cedat in grave nocumentum ejus, qui commiſit, vel illius, cui ſecretum commiſſum eſt; Quod ſi ex revelatione ſecreti periclitetur vita illius, qui commiſit, & ex eo quod celetur ſecretum periclitetur vita illius, cui commiſſum eſt, tunc videndũ eſt arbitrio prudentis, an ille, cui ſecretum commiſſum eſt, tantã obligationem in ſe ſuſcipere voluerit, necne. Layman, Leſſius, & alij, quos refert, & ſequitur Baſæus *ſuprà num. 4.*

Hinc fit ſecretum Reipublicæ, vel exercitus, quo- 138
rum revelatio cederet in pernicié reipublicæ, teneri quempiã ſervare, etiam cum vitæ diſpendio. Et idem dicendum de illis, qui ex officio tenentur ſecretum celare, etiã in cauſis magni momenti privatorum, ut judex, & ſcriba, quando agitur de vita, de mutilatione, vel de majoratu, vel maximo honore, quando ex revelatione vita, vel membrũ alterius partis periculo exponeretur. Secus ſi tantum pœna pecuniaria, aut ex illis damnanda eſſet altera pars, modo aliunde talis revelatio nõ vergeret in magnum Reipublicæ damnũ. Ita cum Sanch. Nau. Sot. & aliis Trul. *ſ.n.9.*

Dico 5. Qui ſecretum revelat abſque juſta cauſa 139
cum alterius detrimento, tenetur ad reſtitutionem; quia eſt cauſa injuſta damni. Quod procedit non ſolum quando ſecretum commiſſum fuit, cum pacto expreſſo ne manifeſtaretur, ſed etiam quando fuit commiſſum cum pacto tacito, ut accidit quãdo quis gratia petendi conſilium, aliquid manifeſtat advocato, vel confeſſario, intendens ſecretum celari. Bonacina *ſuprà p.unico, n.4.* & alij communiter. Hinc fit illum cui commiſſum eſt ſecretum, poſſe judici interroganti reſpondere, etiam cum juramento, ſe nihil ſcire, addita reſtrictione, ut ei aperiat, habet enim ad id juſtam cauſam. Ita Navar. *de reſtit. lib.2.c.4. n.229.* Bannez *2.2.q.6.art.2.*

SECTIO III.

Vtrùm qui aperit litteras alterius peccet mortaliter.

SUMMARIUM.

140 *Qui alterius litteras ſigillo munitas, quæ obſervabantur, etiam apertæ in loco ſecreto aperit, & legit prævidens inde aliquid damnum ſecuturum peccat graviter.*

141 *Quid ſi illas aperiat, & legat, ſine periculo gravis damni?*

142 *An qui litteras laceratas colligit, & legit, peccet mortaliter?*

DIco primò: Qui alterius litteras ſigillo munitas, 140
quæ ſervabantur, etiam apertæ, in ſecreto loco aperit, & legit, ſi hoc faciat prævidens inde aliquod notabile damnum oriturum, aut ſi ille, qui litteras clauſas mittit, vel aſſervat valde cupit ea, quæ continentur in litteris occulta retineri, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia in his caſibus fieri poteſt, ut quamvis non adſit notabile detrimentum, nihilominus, tanta ſit injuria, quæ pertingat ad peccatum mortale, cui periculo ſe voluntariè exponit tales litteras legendo. Ita Navarr. *c.18 n.53.* Lopez *2.p.inſtit.c.43.* Sà *verbo littera*, Bonac. *d.2.de reſtit.q.1.p.unico, n.5.* Eſcobar *lib.31. Decal.n.40.* Baſæus *verbo ſecretum, n.7.*

Dico 2. Qui litteras etiam ſigillo alterius munitas 141
aperit, & legit, ſine periculo gravis injuriæ, vel ob curioſitatem, cauſa ſciẽdi nova, vel ridendi ob compoſitionis inelegantiam, vel ſi ratione amicitiæ, vel

alia

Digitized by Google

alia de causa credat adesse interpretativã voluntatẽ ejus, qui scripsit, vel ejus ad quem litteræ mittuntur, vel si id faciat legitima authoritate, ut facere cõsuevêre Superiores regularium, non peccat mortaliter. Ita cum Rodrig. Azor. Navar. Bonac. & aliis Trull. *sup. n. 6.* Et idem dicendum est de legente litteras sui adversarij, quas probabiliter putat in suum damnum, vel alterius scribi, vel si illas aperiat ad præcavendum proprio periculo, ut faciunt duces in bello, cum litteræ exercitus contrarij capiuntur; & eadem ratione excusantur, qui intercipit litteras sui capitalis inimici. Ita cum Nav. Bon. Trull. *sup. n. 7.*

142 Dico 3. Ille qui literas laceratas, & in publicum projectas, earum fragmenta colligens legit, solum ut sciat, aut ut sibi provideat, commodisque suis studeat, non peccat mortaliter. Ita cum Sylvestro, Laym. & & aliis Diana, *p. 2. tr. 6. res. 55.* Trull. *sup. n. 7.* Lug. *d. 14. n. 150.* Escob. *lib. 35. dec. n. 137.* contra Rebell. *p. 2. lib. 9. q. 7. n. 9.* Advertè tamen eum, qui in hoc casu illas litteras legit teneri ex charitate non manifestare aliquod secretum in illis contentum, si in damnum alicujus cederet. Tantùm advertè eum, qui litteras alicujus injustè aperuit, teneri ad restitutionem damnorum, quæ inde provenerunt, siquidem illa intulit contra justitiam, ut patet ex dictis. Ita Bonac. *sup. n. 7.* Trull. *sup. n. 8.*

DISPUTATIO VI.

De Susurratione, irrisione, & maledictione

SECTIO I.

De Susurratione.

SUMMARIUM.

143 *Quid sit susurratio describitur.*
144 *Susurratio formalis est peccatum mortale contra justitiam.*
145 *Non licet ob propriam utilitatem, per susurrationem aliquẽ excludere ab alicuius amicitia.*
146 *Omnes susurrationes sunt ejusdem speciei.*

143 Dico primo: Susurratio est occulta locutio, ad seminandas inter fratres discordias, ac honestam amicitiam dissolvendam; cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utraqiparte, utriusque amicitiam rumpere, & ideo duabus linguis utitur, uni dicens malum de altero, ob quam causam dicitur *Eccles. 28. susurro, & bilinguis maledictus*, & statim addit, *multos turbavi pacem habentes.* Dicitur autem occulta locutio, quia in hoc convenit cum detractione, & differt à contumelia. Dicitur secundo, quæ pacem dissolvit, quia in hoc distinguitur à detractione, & à ceteris, nam detractio famam denigrat. Susurratio vero amicitiam dissolvit, quamvis sæpè cum susurratione conjungatur detractio, & contumelia, quia ad seminandas discordias, sæpè susurro refert crimen alterius falsum, vel verum, & occultum in absentia, vel in præsentia. Ita cum Saïro, Nav. Fill. & aliis communiter Basæus, *verbo susurr. n. 1.* Fag. *lib. 8. in 8. præcep. Dec. c. 12. n. 1.*

144 Dico 2. Susurratio formalis, illa scilicet, quæ fit intentione dissolvendi honestam amicitiam, ex genere suo est peccatum mortale contra justitiam; tollit enim amicitiam, quæ est maximum bonũ, unde gravius peccatum est detractione, & contumelia; quia bonum amicitiæ præstat bono famæ, & honoris. Excipe nisi indeliberatio, vel inadvertentia, vel parvitas materiæ, aut imperfectio actus excuset, ut si non tollat omnino amicitiam, sed excessum amicitiæ, vel nimiam familiaritatem. Ita cum communi sententia Trull. *lib. 7. c. 7. dub. 3. n. 1.* Susurratio vero materialis, illa scilicet, quæ non fit animo dissolvendi amicitiam, sed ex loquacitate, aliquando est peccatum mortale, ut si dicatur malum grave advertenter, quod sit dissolutivum amicitiæ, aliquando erit veniale, ut si non dicatur malum grave, vel non sit aptum generare graves discordias, aliquando verò non erit peccatum ut quando quis manifestat alterius defectum publicum, ad dissolvendam amicitiã pernicioſam, ut si diceret meretricem esse deformem, ignobilem, publicam meretricem, ut amasius ab ejus turpi amicitia discederet. Ita cum Mol. Sa- 144
lon & aliis Basæus, *sup. n. 2. & 3.* & cum aliis communiter Trull. *sup. n. 5.*

Dico 3. Non licet ob propriam utilitatem, per susurrationem alium excludere ab alicujus amicitia, 145
quam ipse ambit mediis illicitis, id est fraude, dolo, infamando proximum, seminando odia, aut spoliando fratrem re aliqua, in quam habet jus; esset enim grave contra justitiam crimen, si tamen id agatur solum narrando defectus aliquos naturales, aut alios veros, sed non occultos, ex quibus nec sequatur infamia, nec dissolutio amicitiæ, ad tantum familiaritatis illius primariæ, quam quis cum principe, vel Prælato habebat, quamvis aliqui id excusent à mortali, etiam contra charitatem, ut facit cum Soto, Arag. Bon. *d. 2. de res. q. 7. p. 2. n. 6.* Ego tamen existimo, adhuc id esse mortale contra charitatem, nam quamvis amicitia sit bonum gratuitum, postquam tamen quis in illam admissus est, aliquod jus habet, ne ab illa ab aliquo tertio, sine causa privetur cum damno suo, nisi obstet majus bonum, vel principis, vel, ipsius expulsi, vel populi; quia tamen illud jus non erat jus propriè justitiæ, alias non posset eo, etiam ipse princeps absque injustitia privare, sed quædam tantum determinatio voluntatis principis, ideo illum privans tali familiaritate, non peccat contra justitiam, sed contra charitatem, sicut ille, qui precibus consequitur à testatore, ne relinquat centum Petro, quæ decreverat relinquere. Ita cum Filliuc. & aliis Trull. *sup. n. 7.* Fag. *sub. c. 12. n. 8.* Escob. *lib. 35. n. 171.*

Dico 4. Omnes susurrationes sunt ejusdem spe- 146
ciei infimæ. Et ratio est, quia susurratio non respicit, cui bono nitatur amicitia, sed solum intendit illam destruere, abstrahendo ab hac, vel illa amicitia; sicut odium est infima species, licet mala, quæ per odium proximis desiderantur sint specie distincta, quia ad odium tantum pertinet velle malum proximo, abstrahendo ab hoc, vel illa specie mali. Basæus *supr. 3. numer. 6.* & alij. Potest tamen alia species susurrationi annecti, ut si quis conjugum amicitiam dirimere conetur, ut abutatur alterius uxore; nam tunc susurrationi annectitur adulterium, vel si quis susurratione detrahat aliquem ab amicitia regis, ut illius officium consequatur, nam tunc simul cum susurratione erit ambitio. Ita cum communi sententia Basæus, *sup. n. 5.* Escob. *lib. 35. Decal. n. 174.*

SECTIO II.

De Irrisione.

SUMMARIUM.

147 *Quid sit irrisio describitur.*
148 *Derisio ex se si absit contemptus personæ est tantum peccatum veniale.*
149 *Aliquando est peccatum mortale, & quando.*
150 *Derisio quæ fit per contemptum personæ eo gravius peccatum est, quo persona derisa gravior est.*

Dico primò: Derisio est actus, quo honor alterius verbis, vel factis violatur, cum intentione offen

offendendi confuſionem, vel erubeſcentiam. Poteſt autem fieri verbis, vel ſignis; ſi fiat verbis dicitur deriſio, ſi fiat ſignis dicitur ſubſannatio: Hi tamen duo modi non diſtinguuntur inter ſe ſpecie, ſiquidé in eodem fine cóveniunt; differt tamen deriſio ſpecie à contumelia, quia deriſio fit joco, & habet pro fine confuſionem, erubeſcentiam proximi, contumelia vero fit ſerio, quare deriſio majus peccatum eſt contumelia, ratione majoris contemptus, qui invenitur in deriſione, Ita D. Thom. 2.2.q.75.art.2. Bon. d.2.de reſtit.q.5.p.1.n.12. & alij communiter.

148 Dico 2. Deriſio ex ſe, ſi abſit contemptus perſonæ, ſolum eſt peccatum veniale, quia ex ſe, tantum dicit ludum, & non contemptum. Aliquando tamen eſt mortale, ut quando eſt intentio proximum graviter confundendi; vel quando grave peccatum manifeſtatur, vel quando deriſus graviter contriſtatur.

149 Aliquando eſt veniale, ut ſi leve malum obiiciatur: at ſi leve obiiciatur perſonæ admodum gravi, erit mortale, ut ſi quis dicat Religioſo honeſto, ſolum fuiſſe locutum in cubiculo cum puella. Quod ſi alter erubeſcat ob vile ingenium, tantum erit veniale, niſi quis prævideret illum, ob vile ingenium graviter contriſtandum, agit enim cõtra charitatem. Saïr. lib.12.c.5.n.9. Fag. lib.8. in 8. prac. dec.c.12. n.12. Aliquando nec veniale erit, ut ſi fiat ad corrigendum proximum, vel honeſtæ recreationis cauſa, & tunc eſt actus virtutis Eutrapeliæ, quæ ad honeſtas recreationes inclinat, adhibenda tamen ſemper eſt prudens moderatio, cum graviter ſæpè delinqui poſſit, ratione gravis erubeſcentiæ, qua deriſus afficitur. Ita cum D Th. Azor. Val. Fill. & aliis, Eſcob. lib.35.dec.n.49. Trull. lib.7. dub.43. n.10. & alij.

150 Dico 3. Deriſio, quæ fit per contemptum perſonæ, tantum fotura, eſt gravius peccatum mortale, quantum perſonæ, quæ ſic irridetur major debetur reverentia. Unde primum locum, improbitatis obtinet, deriſio Dei, quæ ſpecie non diſtinguitur à blaſphemia. Secunda tenet irriſio Parentum. Tertia deriſio juſtorum, quatenus juſti ſunt, unde graviter peccant illi, qui virtutem riſui, & deſpectui habent; per illam namque homines à virtute impediuntur. Ita cum Soto, & aliis, Fag. ſup.n.14.15.& 16.

SECTIO III.

De Maledictione.

SUMMARIUM.

151 *Quid ſit maledictio deſcribitur.*

152 *Maledictio materialis ex ſuo genere tantum eſt peccatum veniale.*

153 *Maledictio materialis, qua quis imprecatur alteri malum ſub ratione boni juſti, vel utilis, non eſt peccatum.*

154 *Qui eodem impetu plures maledictiones ex corde in alium jactat, unum numero peccatum committit.*

155 *An qui ex habitu maledicunt ex corde proximo ſint in ſtatu peccati mortalis?*

156 *Parentes debent abſtinere à maledicendis filiis ob plura quæ ibi referuntur.*

151 DIco 1. Maledictio eſt imprecatio, ſeu exoptatio mali alicui, facta ſub ratione mali. Alia eſt formalis, ut quando malum ex corde deſideratur: altera eſt materialis, ut quando malum non deſideratur ex corde, ſed tantum ore profertur, vel quando alicui imprecatur malum ſub ratione boni, juſti, aut utilis. Maledictio formalis ex genere ſuo eſt peccatũ mortale, quia procedit ex odio interno, & proximi charitati directè repugnat, & grauiº peccatum eſt, quãto ſtrictius tenemur perſonã, cui maledicimus deligere, erit tamen aliquando veniale ratione parvitatis materiç, aut ex indeliberatione & hac de cauſa ſæpè parentes excuſantur maledicta in filios coniiciendo quia deſinit conſenſus, & plena deliberatio, ut cum Azor. not. Dia. tr.9. reſ.13.p.3. An autẽ omnes maledictiones ſint ejuldẽ ſpeciei: Verior ſententia affirmat: nam maledictio omnia mala reſpicit ſub unica ratione formali odij proximi. Ita cum Led. probabile putat Trull. li.7.c.7. lib.4.n.2. Fag. lib.8. in 8. prec. dec.c.12.n.27. Lug. d.14.n.143. Eſc. l.35. dec.n.178.

152 Dico 2. Maledictio materialis ex ſuo genere tantum eſt veniale, quia deeſt intentio, & nocumentum minime infertur, cum verba ſine intentione vim ad illud inferendum non habeant. Imo ſi loco dicantur, ut ſolet fieri in comediis, & ludis, ad honeſtam recreationem, nec veniale erit. Aliquando tamen erit mortale ratione ſcandali, ut ſi prælatum ſubditus in facie maledicat, vel filius parentes, ob gravem irreverentiam. Eſc. ſup.n.181. Maledictiones autem ſuperiorum reſpectu inferiorum, ut plurimum ſunt venialia peccata, quia deeſt intentio. Sic parentes communiter excuſantur filios maledicẽdo. Secus de minimis dicendum eſt, nam hi regulariter ex corde maledicunt. Diana p.2. tract.6. reſ.13. & cum Fill. Trull. ſup.n.64. An autem qui ſe ipſum ex ira Diabolo commendat peccet ſemper mortaliter: Reſpõdeo Regulariter peccare mortaliter, præcipuè ſi aliquis adeſſet; nam qui hæc verba proferunt, apprehendunt in illis gravem deformitatem, quod ſufficit ad culpam gravem. Excipe niſi ira taliter rationem perturbaret, ut non adverteret, quod dicebat. Ita cum Lugo, Eſcob. ſup.n.181.

153 Dico 3. Maledictio materialis, qua quis imprecatur malum ſub ratione boni, vel juſti, vel utilis, non eſt peccatum, ſed licita, quia ſic potius bonum, quã malum ei deſideramus. Unde licitum eſt ob gloriam Dei mala peccatoribus imprecari, ut ſæpe fecerunt prophetæ, vel ob bonum commune, qua ratione deſideramus, ut Turcæ, & alij noxij convertantur, vel de mundo tollantur; vel ob juſtitiam & ſic deſideramus, ſceleratos à Deo, vel à judice puniri; vel ob proprium bonum honeſtum, & ſic puella, quæ ſolicitatur à juvene, poteſt deſiderare, ut egritudine corripiatur, aut obeat; vel ob bonum utile, ut infirmetur, aut fiat pauper, qui mecum litem init, aut, reſipiſcat. Ita Pal. tr.6.d.4.p.2.n.9. Sayr. in cl. lib.2.c.5. n.12. Fill. tr.40.n.149. quando autem maledictio in creaturas ſit peccatũ? vide quę dixi ſup. tr.4.d.1 ſec.3

154 Dico 4. Qui eodem tempore moraliter continuato plures maledictiones ex corde in alium jactat, unum numero peccatum committit; quia omnes moraliter reputantur unico actu prolatæ. Ita cum Azor. & aliis Palaus tr.2.d.3.p.3.n.5. Eſc. lib.35. Dec.n.187. Jo. Sanc. in ſel.d.6.n.1.2.& 3. An autem ille qui unico actu uni familiæ maledicit tot peccata committat, quot ſunt perſonæ? Vide quæ dixi in pr.p.hujus dir. in tr. de pœn. An autem qui ex habitu, & conſuetudine maledicunt proximo ex corde, ſint in ſtatu peccati mortalis? Reſp. affirmativè. Unde non ſunt abſolvendi, niſi corrigantur. Vill. tr.3.dif.9.n.7. & alij communiter, monuerim etiam parentes, à maledictionib. in filios abſtinere, memores Deum non ſemel permittere, imprecata eis obvenire, non quia verba ad id vim habeant, ſed quia hoc malum, Deus peccatorum filiis diſpoſuit in pœnam, de quo mirabiles caſus referuntur à DD. Ita Vill. ſup.n.7. & alij communiter. Et hæc in Dec. ſatis dixiſſe ſufficiant; nam 9. præc. continetur in 6.& 10. in 7. de ordine autem judiciario, dabit ſequens volumen Deo dante, ut ſup. dixi. interim, gratias Deo, & B.V. de Monte Carm. & Seraphicæ Matri noſtræ Thereſiæ. S. Joſep S. Ant. qui ad finem hujus operis nos perduxerunt, utinam cedat in bonum S. Eccleſiæ, cujus judicio ea libenter committo. Vale.

INDEX.

INDEX RERVM

Insignium, quæ in hoc Tomo continentur.

Littera N, numerum marginalem P, paginam designat.

A

Acedia.

UOMODO definiatur acedia, n. 156. pag. 31
Acedia specialis semper est mortale, n. 157. ibid.
Acedia generalis aliquando est mortale, aliquando veniale, aliquando malum est peccatum, n. 158. ibid.
Ex acedia speciali fere omnia alia vitia nascuntur, n. 159. ibid.
Filiæ acediæ numerantur, n. 160. ibid.

Adoratio.

Ponitur definitio adorationis, n. 1. p. 40
Adoratio alia est absoluta, alia respectiva, num. 2. ibid.
Adoratio tam absoluta, quam respectiva dividitur in latriam, hyperduliam, & duliam, num. 3. ibid.
Quid sit latria absoluta, n. 4. ibid.
Quid latria respectiva, n. 5. ibid.
Hyperduliâ adoratur B. Virgo Maria, num. 6. pag. 41.
Sancti adorantur Dulia, n. 7. ibid.
Usus imaginum licitus, & honestus est, n. 8. ibid.
Datur præceptum de Deo adorando, n. 9. ibid.
Quando obliget hoc præceptum, n. 10. ibid.

Adulterium.

Ponitur definitio adulterij, n. 28. p. 274
Adulterium est gravissimum peccatum contra justitiam etiam si alter conjux in illud consentiat, n. 29. ibid.
Quibus modis possit hoc peccatum committi? n. 30. ibid.
Tenetur adulterium committens hanc circunstantiam in confessione explicare, n. 31. ibid.
Conjux qui sodomiam, vel mollitiam commisit cum mare, vel fœmina committit adulterium, n. 32. ibid.
Quid si hæc habeat cum propria uxore? num. 33. pag. 274
An adulterium sit gravius peccato incesti, n. 34. ibidem

Adulator.

Adulator, & Palpo tunc ad restitutionem tenentur cum adulatione causa est quod vel damnum fiat, vel factum non restituatur, n. 1411. p. 473

Apostasia.

Apostasia quomodo differat ab hæresi? n. 73. p. 10
An sit necessariò explicanda in confessione? n. 74. ibid.
Apostata à fide externus incurrit pœnas hæreticorum, n. 75. p. 11

Arbitri.

Judices alij sunt ordinarij, alij arbitrarij, n. 1368. p. 467
Judices arbitri alij dicuntur compromissarij, alij arbitri juris, n. 1369. ibid.
Arbitri compromissarij, & arbitri juris qui dicantur? n. 1370. ibid.
Arbiter communi modo loquendi quis dicatur? n. 1371.
Arbitrator quis dicatur? n. 1372. ibid.
Qui possint, vel non possint esse arbitri, n. 1373. p. 467.
Quæ sit materia compromissi, & arbitrij? n. 1374. p. 468
Arbitri potestas limitata est, & extra compromissum judicare non potest, n. 1375. ibid
Arbiter electus à litigantibus ut juxta suum judicium sententiam ferat, non potest sequi opinionem alienam, n. 1376. ibid.
Quando sunt plurimi arbitri, standum est plurium sententiæ, n. 1377. ibid.
Quando finiatur arbitrium, & compromissum, n. 1378. ibid.

Assecurator.

Assecurator tantum habens quinque millia non potest assecurare navem importantem decem millia, etiam si tantum accipiat pretium pro quinque, n. 1184. p. 442
Quando multi assecurant merces unius navis indistincte, si omnes pereunt eas omnes solvere tenentur unusquisque pro parte sua, num. 1185. ibid.
Quid si singuli certas distinctas partes assecuraverint? n. 1186. ibid.
Quid dicendum de quodam contractu, qui in Hispania celebratur qui ibi refertur? num. 1187. pag. 443

Assecuratio.

Quid sit assecurationis contractus describitur, n. 1176. p. 441
Reducitur hic contractus ad contractum emptionis, & venditionis, n. 1177. ibid.
Quæ sit materia hujus contractus, n. 1178. ibid.
Assecuratio debet libere, & non coacte fieri, ut sit licita, n. 1179. p. 442
Debet eventus rei esse incertus saltem quoad notitiam quam de illo uterque contrahens habet, n. 1180. ibid.
Debent merces quæ assecurantur vere existere, verò que

Digitized by Google

Index Rerum.

que periculo ſubiacere, n.1181. ibid.
Debet dari æqualitas inter pretium, ac periculum, n.1182. p.442
Aſſecurator debet bona habere quibus tutius rei aſſecuratæ compenſationem faciat, ſi ea tota pereat, n.1183. ibid.

B

Beneficium.

Vide verbum *ſimonia in beneficiis.*

Beſtialitas.

POnitur beſtialitatis definitio,n.101. p.282
Ad Beſtialitatem reducitur concubitus cum dæmone, n.102. ibid.
Non eſt neceſſe explicare in hoc peccato genus animalis,bene tamen ſi ſit concubitus cum Dæmone,n.103. ibid.
In peccatis contra naturam quod gravius ſit explicatur,n.104. ibid.

Blaſphemia.

Ponitur Blaſphemiæ definitio,n.15. p.70.
Alia eſt in Deum, alia in ſanctos,n.16. ibid.
Alia hæreticalis, alia non hæreticalis, num.17. ibid.
Quæ ſit hæreticalis? n.18. ibid.
Quæ dicatur ſimplex, ſeu non hæreticalis? n.19. pag.71
Quædam corollaria proponuntur, n.20. ibid.
Jurare per corpus, per inteſtina Chriſti, vel ſanctorum non eſt blaſphemia, n.21. ibid.
Si quis non abſolutè, ſed ſub conditione verba blaſphemiæ hæreticalis proferat,committit blaſphemiam hæreticalem, n.22. ibid.
Qui maledicit proximo, ut creatura Dei committit blaſphemiam non hæreticalem, n.23. ibid.
An maledicens creaturas irrationales peccet mortaliter? n.24. ibid.
Committitur blaſphemia non hæreticalis blaſphemando res ſacras,& ſpernendo ſanctos, & quomodo, n.25. ibid.
Committitur blaſphemia hæreticalis dum ea quæ ſunt Dei propria tribuuntur creaturis, num.26. pag.72.
Idem ſcelus committunt jurantes per falſos deos, n.27. ibid.
Non committitur blaſphemia dicendo coram Deo, n.28. ibid.
Committitur blaſphemia hæreticalis, ſi quis dicat, hæc facturus ſum velit nolit Deus, num.29. pag.72.
Non committitur blaſphemia hæreticalis ſi quis dicat hoc verum eſt ſicut Deum eſſe verum eſt, n.30. ibid.
Blaſphemia opponitur virtuti religionis, num.31. pag.72
Blaſphemia ex genere ſuo eſt graviſſimum peccatum mortale, n.32. p.73
Non datur in hoc peccato parvitas materiæ, niſi ex indeliberatione, vel inadvertentia, num.33. ibid.
Quid ſi aliquid in ſanctos dicatur per locum,n.34. ibid.
Quomodo blaſphemans ex habitu peccet;num.35. ibid.
Blaſphemia in Deum & ſanctos differt ſpecie,n.36. ibid.
Blaſphemia in ſanctos etiam eſt contumelia, n.37. pag.73
In confeſſione debet explicari an blaſphemia fuerit in Deum,vel beatam virginem, vel in ſanctos, n.38. ibid.
Qui uno verbo multos ſanctos maledicit tot peccata committit, n.39. ibid.
Blaſphemiæ nullæ ſunt in jure compoſitæ pœnæ. Unde pœnis arbitrariis punienda eſt, num.40. pag.74.
Blaſphemus ſimplex abſque hæreſi non eſt de jure excommunicatus, n.41. ibid.
Blaſphemia publica eſt caſus reſervatus in aliquibus diœceſibus Luſitaniæ, & in quibus, n.42. ibid.
Blaſphemi hæreticales intra ſex dies à die notitiæ ſunt Dominis inquiſitoribus denuntiandi,n.43. pag.74
Non eſt eis danda correctio fraterna, numero 44. ibid.

Breviarium.

Breviarium Romanum recitandum eſt in omnibus choris exceptis illis,qui per ducentos annos ante decretum Pij V. alio breviario recitabant *n.*53. pag.45
Qui ad horas canonicas obligantur tenentur eas recitare ſecundum præſcriptum Breviarij Romani, exceptis illis, qui alio breviario utebantur per ducentos annos ante decretum Pij V. *num.*57. pag.48
Qui recitat aliud Breviarium à Romano poteſt cum cauſa uti una, vel altera vice Breviario Benediction, Bracharenſi, &c. ſi non detur præceptum in contrarium, n.58. p.49
Quid ſi utatur Breviario Romano? n.59. ibid.
Si Religioſus careat proprio breviario an poſſit uti alieno,n.60.
Clericus habens duplex beneficium in duabus Eccleſiis utentibus diverſis breviariis poteſt uti quo voluerit, ſi ſingulariter recitat, numer.61. pag.49
Qui utuntur Breviario Romano tenentur uti breviario emendato ab Urbano VIII.n.62. ibid.

C

Canonici.

Vide verbum *Horæ Canonicæ.*

Cambium.

QUid ſit Cambium deſcribitur, n.926. p.409
Eſt contractus innominatus,do ut des,n.927. ibid.
In quo differat à venditione, & ab aliis contractibus, n.928. ibid.
Cambium dividitur in verum, & fictum, ſeu reale, & ſiccum,n.929. ibid.
Quid ſit Cambium reale, quid ſiccum? num.930. ibid.
Cambium reale ſubdividitur in cambium minutum, & in cambium locale,n.931. ibid.
Cambium ſiccum eſt illicitum,& uſurarium,n.932 pag.410
Cambium reale minutum,ſeu manuale licitum eſt, non ſolum publicis campſoribus, ſed etiam privatis perſonis, ſi id eis lege non prohibetur,numero 933. ibid.
Cambium minutum privatis perſonis prohibitum eſt jure Luſitano, n.934. ibid.
An privatus pro cambio minuto poſſit accipere lucrum, ſi ſua nihil interſit has,vel illas pecunias habere,n.935. ibid.

Quædam

Digitized by Google

Index Rerum.

Quædam corollaria deducuntur, n.936. p.410
Licitum eſt cambium locale reale cum certo lucro juſto, n.937. ibid.
Licitum eſt cambium locale, quo campſor accepit pecunias; v.g. Ulisipone cum certo pretio, ut eas Romæ ſolvat, n 938. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.939. p.411
Licitum eſt nuntio ab uno conducto ad ferendas litteras Ulisiponem; v.g. ſe iterum ad eundem locum conduci utraque mercede integra accepta, n.940. ibid.
Ponuntur alia corollaria, n.941. ibid.
Qui certo ſit illum cui pecuniam ad cambium concedit, nullam pecuniam habiturum, nec per ſe, nec per alium etiam ad cambium ſumptum, quo poſſit ſolutionem in loco deſtinato præſtare, n latenus poteſt auctorium ullum accipere, n.942. pag.411
Cambium reale per litteram cum recambio licitum eſt, n.943. ibid.
An ſi campſarius Romæ, v.g. non habeat correſpondentem, poſſit pro campſario licitè reſpondere procurator campſoris, n.944. ibid.
Ponitur multorum non improbabilis ſententia, numero 945. p.412
Probatur hæc ſententia à priori, n.946. ibid.
Ponitur Authoris ſententia de hac re, n.947. ibid.
Campſor poteſt obligare campſorem, ut ſi termino conſtituto non ſolvat, ut lucrum ceſſans, & damnum emergens compenſet, n.948. p.412
Poteſt eum aſtringere ad ſubeundam aliquam pœnam culpæ proportionatam, n.949. ibid.
Poteſt exigere à campſorio fidejuſſores, vel pignora, n 950. ibid.
An licitum ſit campſori paciſci cum campſorio, quod ſi termino deſignato non ſolvat eandem ſummam accipiat in recambium, numero 951. p.413
An campſor obligare poſſit campſarium non ſolum ad ſolvendam pecuniam Romæ quam Ulisipone accepit per cambium ad Romam; ſed ad eam cum lucro ſuis expenſis reducendam Ulisiponem, n.952. ibid.
Quando commutantur pecuniæ eiuſdem valoris in diverſis locis, & contrahentes æqualiter ſe præveniunt, & uterque ſimul indicat ſe eo mmutatione illa indigere, nulli eorum licet lucrum aliquod ab alio exigere, n.953. p.413
Secus ſi unus alterum præveniat, n.954. ibid.
Campſor non tenetur ſolutionem ſortis acceptare, non ſoluto cambiorum intereſſe, numero 955. pag.413.
Hic non dantur plura debita diverſa, ſed unum habens alterum annexum, n.955. ibid.
Qui ex officio tenetur cambire non poteſt licitè compellere ut campſarius accipiat cambium in locum ſibi magis lucroſum, n.957. p.413
Qui non ex officio, ſed liberè cambit, ſi ſciat campſarium habere pecuniam, vel creditum in loco ſibi magis lucroſo, poteſt eum adſtringere ut eo accipiat cambium, denegato cambio in locum in quem ipſe petit, n.958. p.414
Prima conditio ad cambium aſſignata à Pio V. eſt ne ratione dilationis ultra terminum aſſignatum lucrum aliquod exigatur, n.959. 414
Secunda conditio eſt, ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe, etiam in eventu quo ſors ſoluta non fuerit, n.960. ibid.
Tertia conditio eſt ne realia cambia ad nundinas proximas inſtituant, n.961. ibid.
Quæ proximæ nundinæ dicantur, n.662. ibid.
An liceat cambium, quo quis tradit alteri pecuniam ſibi ſolvendam non in eo loco ubi fiunt nundinæ, ſed alibi cum eodem tamen lucro, quod ſolvitur ad proximas nundinas, n 963. ibid.
Quarta conditio eſt, ut deſignentur ſolutionum termini juxta longitudinem in quibus ſolutio deſtinatur, n.964. p.415
Campſor, ſive bancarius juſtè poteſt moderatam mercedem à deponentibus exigere pro prædicta cuſtodia, & obligatione, n.965. p.415
Licet hoc ita ſit, conſuetudine tamen introductum eſt, ut pro hac obligatione ſtipendium non accipiatur, n.966. ibid.
An bancarius poſſit aliquid reci e ab illis, quibus ex præſcripto deponentium pecuniæ ſolvendæ ſunt, eo quod numeratas pecunias ſolvat, & non per chirographa ad alios bancarios, aliam in caſu quo deponens pecuniam deponeret in chirographis, & non numerato, num.967. ibid.
Campſarius obligans ſe ad ſolvenda debita illius, qui nullam apud ipſum habet depoſitam pecuniam poteſt recipere lucrum, n.968. ibid.
Reponens pecuniam apud bancarium non poteſt ab eo aliquam mercedem exigere, n.969. ibid.

Cenſus.

Nomen cenſus quomodo hic accipiatur, num.886, pag.404.
Ponitur Cenſus definitio, n.887. ibid.
Cenſus aliquando ſumitur pro contractu, ex quo reſultat jus ad exigendum cenſum ex una parte, & obligatio ex ltera, n.888. ibid.
Contractus cenſualis alius eſt conſignativus, alius reſignativus, & quid uterque ſit, num. 889. ibid.
Cenſus alius eſt fructiferus, alius pecuniarius, & quid uterque ſignifice, n.890. ibid.
Cenſus realis, tam realis quam pecuniarius, tam perpetuus, quam temporalis, etiam vitalitius, ſi juſto pretio fiat eſt licitus, n.891. p.404
Licitus eſt cenſus realis cum pacto redimendi ex parte creditoris, n.892. ibid.
Probabile eſt cenſum utrique, redimibilem licitum eſſe, n.893. ibid.
Probabile eſt cenſum perſonalem tam irredimibilem, quam ſolum ex parte creditoris redimibilem jure naturali, non tamen poſitivè licitum, numero 894. pag.405
Cenſus perſonalis utrinque redimibilis non improbabiliter tolerari poteſt, n.895. ibid.
Cenſum utrique redimibilem, præſertim realem pacto aſſecurationis probabile eſt licere, n.896. ibid.
Uſura eſt cenſum realem, vel perſonalem cum perſona non habente reditus annuos, ſive ex fundo, ſive ex propria induſtria, n. 897. ibid.
Prima concluſio de jure naturæ eſt, ut adſit intentio emendi, & vendendi, n.898. p.405
Secunda conditio ut fiat juſto pretio, num. 899. ibid.
Tertia conditio eſt, ut periculum rei ſuper quam cenſus conſtituitur pertineat ad emptorem, numero 900. ibid.
Quarta conditio ut cenſus ſit ſuper re aliqua libera, n.901. p.406.
Aliqua corollaria ponuntur, n.902. ibid.
Quinta conditio eſt quod fundetur cenſus ſuper re frugifera, n.903. ibid.
An Bulla Pij V. recepta ſit in Luſitania? Et in aliis Regnis, n.904. p.406
Prima conditio Bullæ eſt, ut cenſus non conſti-

tuatur niſi ſuper re immobili natura ſua frugifera, certis finibus deſignata, n.905. ibid.
Non poteſt conſtitui cenſus ſuper rem, quæ facta eſt ſterilis omnino, n.906. p.407
An cenſus vitalitius ſit licitus ſtante Bulla Pij V. num.907. ibid.
Secunda conditio eſt, ut non celebretur hic contractus niſi numerata pecunia in actu celebrationis inſtrumenti coram notario, & teſtibus, num.908. ibid.
Valet cenſus, ſi Petrus qui debet centum Franciſco vendat eidem cenſum valentem centum, & accepto pretio ſtatim ei ſolvat centum accepta, num.909. ibid.
An qui emit cenſum minori pretio quam valet poſſit illius integram penſionem accipere, n.910. pag.407
Tertia conditio eſt, ne penſiones anticipatæ deducantur in pactum, n.911. ibid.
Quarta conditio eſt ne venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos, vel ad alia onera ad quæ ex natura contractus non obligatur, numero 912. ibid.
An quando domus combuſta fuit, & iterum reædificata ſolvendus ſit cenſus antea poſitus ſuper ipſam domum, n.913. ibid.
Penſio ſolvenda eſt juxta conſuetudinem, vel pactum, quod ſi nec conſuetudo, nec pactum detur ſolvenda eſt in fine anni, numero 914. pag.408
Quinta conditio eſt ne fiat pactum reſtringens libertatem alienandi rem cenſu ſubjectam, & ne fiat pactum ſolvendi cenſori laudemium, n.915. ibid.
Sexta conditio eſt, ut dominus rei cenſitæ volens eam vendere admoneat cenſitorem ut poſſit ſi velit eam emere, n.916 ibid.
Quid ſi cenſuarius non admonito cenſualiſta rem vendit, n.917. ibid.
Septima conditio eſt ne fiat pactum quod cenſuarius exiſtens in mora, aut non ſolvens penſionem conſtituto tempore teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, vel admittendam rem cenſitam, num.918. p.408
Octava conditio eſt, ne cenſus antea conſtitutus augeatur ex penſionibus iam debitis non ſolutis, n.919. ibid.
Nona conditio eſt ut ſemper liberum ſit cenſuario redimere cenſum; reddito eodem pretio, non obſtanti quavis præſcriptione, n.920. ibid.
Si cenſuarius voluerit cenſum redimere, debet admonere cenſitorem per duos menſes antequam redimat, n.921. ibid.
Ad redemptionem cenſus non eſt neceſſarium ut fiat numerata pecunia, n.922. p.409.
Decima conditio eſt, ut cenſuarius non cogatur ad redimendum cenſum, n.923. ibid.
Undecima conditio eſt, ut pretium ſemel conſtitutum non poſſit augeri, vel minui, ſed æquale pretium reddendum ſit, n.924. ibid.
Ubi Bulla Pij V. recepta eſt, his conditionibus deficientibus, contractus eſt nullus, numero 925. ibid.

Charitas.

Charitas eſt virtus Theologica, n.8. p.13
Quomodo definiatur, n.9. ibid.
Quid ſit objectum charitatis, n.10. ibid.
Datur præceptum affirmativum charitatis, num.11. ibid.
Quo tempore obligat hoc præceptum, numero 12. ibid.
Quomodo peccet homo contra hoc præceptum, n.13. p.14.
Tenemur ex charitate proximum ſicut nosmetipſos diligere, & quomodo id intelligatur? n.14 ibid.
Homo non tenetur diligere proximum actu interno diſtincto ab amore Dei, n.15. p.14.
Quomodo id intelligatur? n.16. ibid.
Tenetur homo non habere odium internum proximi, n.17. ibid.
Vide etiam verbum *inimicus*.

Codicillus.

Quid ſit codicillus deſcribitur, n.773. p.386
Ad quid deſerviat codicillus, n.774. ibid.
Poteſt quis facere plures codicillos, modo inter ſe contrarij non ſint, n.775. ibid.
Teſtamentum factum ſine ſolemnitate, ſi in eo habeat clauſulam ut valeat ſicut codicillus, caſu quo non poſſit valere ſicut teſtamentum, tale teſtamentum minus ſolemne cenſetur codicillus, n.776. ibid.
Qui ſint effectus clauſulæ codicillaris, ſive expreſſe ſive tacitè intellectæ? n.777. ibid

Collatio Bonorum.

Filia Religioſa ſi conventus velit ingredi ad collationem tenetur adducere totam dotem, n.112. p.251
Non tenetur afferre propinas, n.113. ibid.
Filius ordinatus in ſacris tenetur adducere ad collationem patrimonium, n.114. ibid.
Quæ pater, vel mater dedit filio ſub ſua poteſtate conſtituto, pro bello, militia, vel aſſiſtentia in aula Regis, non tenetur filius adducere ad collationem, n.115. p.251
Quid ſi quid mobile dedit filio conjugato ad bellum proficiſcenti? n.116. ibid.
Filius non tenetur adducere ad collationem ſumptus cum eo factos in ſtudiis Grammaticæ, Theologiæ, &c. n.117. ibid.
Pater non tenetur filios alere in ſtudiis cœptis uſque ad gradum doctoratus, aut formaturam, n.118. ibid.
Libri dati à parentibus filiis ſub patria poteſtate conſtitutis ad ſtudendum non ſunt adducendi ad collationem, n.119. ibid.
Expenſæ factæ à patre cum filiis ſub patria poteſtate conſtitutis pro doctoratu, pro gradu aliquo, vel commenda militari, vel pro militia ingrediendæ, vel pro aliqua arte addiſcenda non ſunt conferendæ ad collationem, n.120. p.252
Idem dicendum eſt de expenſis factis pro conſequendo beneficio Eccleſiaſtico, numero 121. ibid.
Quid dicendum ſit de expenſis pro expediendis bullis, n.122. ibid.
Expenſæ factæ à patre pro redimendo filio à captivitate, vel pro eo à delicto aliquo eruendo, aut pœna illius ſolvenda, non ſunt adducendæ ad collationem, n.123. ibid.
Si pater jam habet collectos fructus bonorum adventitiorum non poteſt eos donare filio ſub patria poteſtate conſtituto, quin teneatur eos adducere ad collationem, n.124. p.252
Si antequam pater illos reſpiciat remittat illos filio non tenetur eos adducere ad collationem, n.125. ibid.
Bona profectitia remiſſa à patre filio ſub patria poteſtate conſtituto adducenda ſunt ad collationem, n.126. p.253
Idem dicendum eſt ſi pater in vita ſua remiſit emphyteuſim, vel fructus illius, n.127. ibid.
Filius qui bonis parentum ſuſtentatur, & cum eis tractat,

Digitized by Google

tractat, si quid lucretur totum ad parentes pertinet, & ad collationem adducendum est, n. 128. p. 253
Si filius sub patria potestate constitutus in re patris aliquid laboravit, & pater pro eo servitio aliquid ei dedit in vita, aut in morte reliquit, tenetur filius id ad collationem adducere nisi illud in tertio accipiat, n. 129. ibid.
Quid si filius sub patria potestate constitutus aliis servivit, tenebiturne adducere ad collationem salaria parta, n. 130. ibid.
Officia donata à Rege patri pro filiofamilia, pro meritis paternis, non sunt adducenda ad collationem, n. 131. p. 253.
Quid si officia sint pecunia paterna empta, n. 132, ibid.
Quid si pater pro se officia emit, & transacto aliquo tempore, quo ea servivit de licentia Regis dedit ea in dotem filio, n. 133. p. 254
Quæ filius à parentibus subripuit ut ludo, vel luxuriæ indulgeret, si excedant alimentorum fines tenetur ea adducere ad collationem, num. 134. ibid.
Si peracta divisione bonorum hæredes conveniunt ut nullus amplius de evictione teneatur in posterum, nullus de evictione tenetur, num. 135. p. 254
Facta decisione coram cohæredibus & ab omnibus subscripta, non potest deinceps revocari etiamsi aliquis vellet opponere, n. 136. ibid.

Commodatum.

Ponitur commodati definitio, n. 559. p. 358
In quo distinguatur à mutuo declaratur, num. 560, ibid.
Commodatum ex parte contrahentium dividitur in eum quod fit in bonum commodatarij, & in eum quod fit in bonum utriusque, n. 561. ibid.
Sub qua culpa obliget quod fit in bonum commodatarij, commodantis, & utriusque, num. 562. ibid.
Si commodater indigentiam suam non prævidit potest juste repetere commodatum, num. 563. p. 359
Si commodator prævidit indigentiam suam, & adhuc commodavit non potest juste repetere commodatum ante tempus præscriptum, n. 564. ibid.
Finito tempore quo res fuit commodata, tenetur commodatarius eandem rem accommodanti reddere, n. 565. ibid.
Commodatarius non tenetur de casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum, n. 566. p. 359
An commodatarius mittens commodatum per hominem fidelem commodanti, si nuntius rem furetur teneatur commodatarius ad dandum æquivalens? n. 567. ibid.
Aliæ de commodato remissive tractantur, n. 568. ibid.

Compromissio.

Quid sit compromissio describitur, num. 1355. p. 466
Quæ in compromissio exprimi debeant, num. 1356. ibid.
Clausula quæ solet apponi in compromisso, quod procedat summarie, & de plano & sine figura judicij, servata, tamen æquitate quomodo sit intelligenda, n. 1357. ibid.
Invalidum est compromissum in quo ponitur clausula ut compromissarius in judicando aliquem ejus sequatur judicium, n. 1358. ibid.
Compromissum quod solo pacto nudo fuit celebratum quando obliget ad illud servandum n. 1359. ibid.
Si arbitri consentiant in compromisso facto solo pacto nudo quando obligentur, n. 1360. p. 466
Si compromissum firmetur stipulatione arbiter quomodo cogatur progredi in causa, n. 1361. ibid.
Quando censeatur sententia arbitri emologata, n. 1362. ibid.
Iure communi à sententia arbitri non admittitur appellatio, sive pœna apposita sit, sive non, n. 1363. ibid.
Quid si compromissum fuit stipulatione confirmatum, & appolita fuit pœna contravenienti sententiæ? n. 1364. ibid.
Quid si addita sit clausula, rato nihilominus manente compromisso, n. 1365. ibid.
Compromissum juramento confirmatum prohibitum est, n. 1366. p. 467
Compromissum potest facere quispiam super rebus quas potest alienare, n. 1367. ibid.

Concubinatus.

Quid sit concubinatus explicatur, n. 15. p. 273
In quibus casibus hic sit absolvendus, num. 16. ibid.
Si ter ab Episcopo admonitus nolit concubinam ejicere potest excommunicari, n. 17. ibid.
Quid si quis non habet domi concubinam, habet tamen illam in loco ubi quando vult accedit? n. 18. ibid.

Conductor.

Prima obligatio conductoris est reddere rem conductam integram, n. 998. p. 419
Tenetur conductor de damno seu culpa illata in re locata, n. 999. p. 420
Tenetur conductor solvere pensionem in fine anni, nisi aliter conventum sit, n. 1000. ibid.
An si superveniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ ob quod ea non potest conductor uti teneatur adhuc totam solvere pensionem? n. 100. ibid.
Quid si conductor rem relinquat domino nolens ea uti ob qualemcunque rationem? num. 1002. ibid.
Quando hæc pensio sit solvenda? num. 1003. ibid.
Conductor tenetur facere expensas necessarias ad colligendos fructus ex agro, n. 1004. p. 420
An teneatur facere expensas quæ necessariæ sunt ad evertenda mala quibus res conducta periret n. 1005. ibid.
Si inter contrahentes intercesserit aliquod pactum justum illi standum est, n. 1006. ibid.
An sit pactum justum quando omnia pericula etiam fortuita, & insolita conjiciuntur in conductorem? n. 1007. ibid.
Quoddam corollarium ponitur; num. 1008. p. 421
An si locetur grex ovium cum pacto ut in fine conductionis reddatur in eodem numerro, bonitate, & ætate, qua nunc traditur, talis contractus sit licitus, n. 1009. ibid.
An pactum quod duo ad invicem locent unus alteri prædium, & alius alteri domum, cum conditione quod nullus teneatur solvere donec ambo velint reddere acceptum sit justum? num. 1010. ibid.

Contractus.

Ponitur contractus definitio; numero 422. pag. 339.
Ponitur contractuum divisio, n. 423. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Contractus alius dicitur ſtricti juris, alius bonæ fidei, & quid uterque ſit? n.424. p. 340

Contractus alius dicitur pactum nudum, alius veſtitum, & quid uterque ſit? numero 425. ibid.

Contractus alius eſt oneroſus, alius lucrativus, & gratioſus, & quid uterque ſit? num. 426. ibid.

Omnis contractus, ſi contrahentes ſint habiles parit obligationem naturalem, niſi jure poſitivo ſit irritus, n.427. p. 340.

In quo hæc obligatio conſiſtat? num. 428. ibid.

Ex pacto nudo regulariter non oritur actio civilis, n.429. ibid.

Ex pacto veſtito oritur, & datur actio; num. 430. ibid.

Ad validitatem contractus requiritur conſenſus liber contrahentium, n.431. p. 431

Quid ſi ſit animus ſe obligandi, non tamen implendi promiſſum? n.432. ibid,

Impoſſibile eſt quod detur intentio efficax promittendi, & non ſe obligandi? numero 433. ibid.

Omnes qui habent adminiſtrationem ſuorum bonorum poſſunt contrahere, numero 434. p.321.

An & quomodo poſſint minor & pupillus contrahere? n.435.

Filiusfamilias, an & quomodo poſſit contrahere? n.436. ibid.

Servi quomodo poſſint contrahere, n.437. ibid.

Monaſterium quomodo teneatur ex contractibus initis à religioſis, n.438. ibid.

Solemnitas accidentalis ſi deſit non reddit contractum nullum, n.447. p.343

Contractus celebratus ſine ſolemnitate ſubſtantiali ju e requiſita eſt nullus, etiam in foro interno, n.448. ibid.

Ponitur quoddam corollarium, n.449. ibid.

An contractus, quoties à jure prohibetur ſit invalidus? n.450. ibid.

An pœna apponi poſſit in contractibus non obſervanti illos? n.451. ibid.

Conſulens.

Conſulens ſi ſuo conſilio fuit cauſa efficax actionis injuſtæ tenetur in ſolidum ad reſtitutionem exequente non reſtituente, numero 1400. p.471.

Exequens conſilium, ſi bona fide putabat conſilium juſtum eſſe nihil tenetur reſtituere, n.1401. p 472

Qui conſilium ad inferendum damnum dedit ſi debito tempore revocavit, & revocationem intimavit illi cui conſilium dedit non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi poſtea damnum ſequatur, n.1402. ibid.

Si Petrus eſt determinatus furari ab Antonio centum, poſſum ego illi licite conſulere, ut potius ab eo furetur decem, n. 1403. ibid.

Si quis anceps ſit à quo ex duobus furetur, poſſum ego ei conſulere ut potius à Petro quam à Paulo amico meo furetur, numero 1404. ibid.

Qui dubitat an ſuo conſilio motus fuerit conſiliarius ad inferendum damnum ad quid teneatur, .1405. ibid.

Conſentiens.

Conſentiens ſi ſuo ſuffragio, & conſenſu cauſa fuit actionis injuſtæ tenetur ad reſtitutionem, n.1406. p.473.

An teneatur ad ſolum damnum, vel tantum ad partem? num.407. ibid.

Quoddam corollarium ponitur, num. 1408. ibid.

Qui non conſentit ubi conſentire de juſtitia tenebatur, injuſtus eſt & tenetur ad reſtitutionem, num. 1409. ibid.

Quoddam corollarium ponitur, num. 1410. ibid.

Contumelia.

Quid ſit contumelia deſcribitur, numero 112. pag.501.

In quo differat contumelia à detractione? n.113. ibid.

Omnes contumeliæ ſunt ejuſdem ſpeciei, num. 114. ibid.

Contumelia formalis ex ſe eſt peccatum mortale, num.115. ibid.

Qui unico fervore plures contumelias addit, unum tantum peccatum committit, num. 116. ibid.

Qui libellos famoſos conficiunt peccant mortaliter, num. 117. ibid.

Quis dicatur libellos famoſos cõficere? n.118. p.502.

Conficientes libellos famoſos contra Papam, vel Cardinales ſunt excommunicati, num. 119. ibid.

Invenientes hos libellos, ſi ſcienter eos divulgent peccant graviſſime, n. 120. ibid.

Conficiens libellos famoſos non tenetur ſe manifeſtare, & ſi detur cenſura ut manifeſtetur, n. 121. ibid.

Nemo animo convitiandi poteſt ſine peccato contumeliam contumelia repellere, n. 122. ibid.

In juſtam defenſionem poteſt quis contumeliam mediis juſtis repellere, num. 123. ibid.

Aliquando licitum eſt repellere contumeliam etiam crimen infamantis ad minuendam fidem audientium aperiendo, num. 124. ibid.

Correctio fraterna.

Datur præceptum naturale & divinum de correctione fraterna, num. 113. p. 164.

Vnde oriatur hoc præceptum, numero 114. ibid.

Quando obliget hoc præceptum. n. 115. ibid.

Materia hujus præcepti eſt peccatum moraliter certum pendens in futurum nondum emendati m, num. 116. ibid.

Requiritur probabilis ſpes emendæ, numero 117. ibid.

Quid ſi peccator ſit in articulo mortis, num. 118. ibid.

Nemo tenetur peccata proximi indagare ut corripiat, num. 119. ibid.

Quid ſi ſit prælatus, num. 120. ibid.

Quid dicendum de concionatoribus? n. 121. ibid.

Raro concurrunt circunſtantiæ ut præceptum correptionis obliget præterquam in prælatis, n. 122. pag. 27.

Correptio pro venialibus non eſt ſub mortali niſi pro prælatis, n. 123. ibid.

Non tenetur privatus aliquis vitam ſuam emendare ut proximum utilius corripiat, num. 124. ibid.

Quid ſi aliis ſit ſcandalum? numero 125 ibid.

Hoc præceptum non obligat niſi detur ſpes fructus. num. 126. ibid.

Ordo præſcriptus à Matthæo 18. obligat ſub mortali, num. 127. ibid.

Nec in religionibus denunciandum eſt peccatum occultum

Index Rerum.

occultum prælato etiam ut patri, niſi prævia correctione niſi aliud ſtabilitum ſit, num. 118. p. 27.

Prælatus qui manifeſtat provinciali delictum occultum ſubditi quod ipſe poteſt emendare peccat mortaliter, n. 119. ibid.

Prælatus ob delictum occultum non poteſt à ſubdito miniſterium ſuum auferre, numero 130. ibid.

Quando peccatum occultum fratris vergit in damnum commune ſtatim denuntiandum eſt, n. 131. ibid.

Idem dicendum eſt quando peccatum eſt notorium, num. 132. ibid.

Peccatum enim occultum de quo eſt ſuſpicio hæreſis ſtatim denuntiandum eſt Dominis Inquiſitoribus abſque ulla correctione fraterna; num. 133. ibid.

D

Decima.

Ponitur decimæ definitio, n. 121. p. 58.

Decimæ diſtinguuntur in perſonales, prædiales, & miſtas, & quæ unaquæque ſit, numero 122. ibid.

Decima ut eſt ſuſtentatio miniſtrorum Eccleſiæ eſt debita ex juſtitia commutativa, num. 123. ibid.

Si conſideretur ut res quæ datur Sacerdotibus in recognitionem divini Dominij eſt actus Religionis, n. 124. ibid.

Non ſolvens decimam duplex peccatum committit, & quale, n. 125. ibid.

Quota decimæ minui poteſt ex conſuetudine non tamen decima ſimpliciter, n. 126. ibid.

Decima perſonalis ſolvenda eſt de omnibus lucris juſte acquiſitis, n. 127. p. 58

Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt de omnibus fructibus & frugibus arborum, & terræ, num. 128. ibid.

De quibus ſolvenda ſit decima mixta, num. 129. ibid.

In decimis ſolvendis potius attendenda eſt conſuetudo quam jus ſcriptum, n. 130. ibid.

Decimæ perſonales ſolvendæ ſunt propriæ parochiæ è qua quis recipit Sacramenta, n. 131. p. 59

Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt de jure communi illi parochiæ ubi ſunt prædia, n. 132. ibid.

Decimæ miſtæ quando animalia paſcuntur intra terminos unius parochiæ, & ibi fœtus producunt eidem parochiæ ſolvendæ ſunt, & ſi dominus in alia parochia habitet, n. 133. ibid.

Si animalia in hieme paſcantur in una parochia, & æstate in altera dividenda eſt decima pro rata temporis, quo paſcuntur, n. 134. ibid.

Si animalia in una parochia paſcuntur, & in altera accubant, decima debetur illi parochiæ, in qua paſcuntur, n. 135. p. 59

Quid ſi detur conſuetudo in contrarium; num. 136. ibid.

Decima novalium pertinet ad parochiam intra cujus terminos novalia ſunt, n. 137. ibid.

In decima perſonali ubi fuerit in uſu deducendæ ſunt expenſæ, n. 138. p. 60

Decima prædialis ſolvenda eſt non deductis expenſis, n. 139. ibid.

Decima mixta ſolvenda eſt non deductis expenſis, n. 140.

Decima ſolvenda eſt eo loco & tempore quo præſcripſit conſuetudo, n. 141. p. 60

Quid dicendum ſit de jure communi, n. 142. ibid.

Præciſa conſuetudine præſcripta, fideles non tenentur deferre decimam in horrea vel loca parochorum, n. 143. ibid.

Parochi non poſſunt prohibere parochianis ne fructus ex area aſportent, niſi prius in area coram eo vel ejus miniſtris decimentur, numero 144. ibid.

Eccleſia habet verum dominium decimæ partis fructuum antequam ſeparentur à cumulo fructuum vi præcepti ſolvendi decimas, n. 145. p. 61

Quædam corollaria ponuntur, n. 146. ibid.

Parochus non poteſt propria authoritate recipere decimas, n. 147. ibid.

Eccleſia non poteſt petere decimas non ſolutas ab illis qui prædia è quibus decimæ debentur emerant vel alio titulo poſſident, n. 148. ibid.

Jus exigendi decimas eſt ſpirituale, numero 149. pag. 62.

Cauſa decimarum non pertinet ad judices Laïcos ſive lis ſit juris, ſive facti, n. 150. ibid.

Decima petenda eſt coram judice Eccleſiaſtico & non coram judice laïco, n. 151. ibid.

Judex ſæcularis nec ſimul cum Eccleſiaſtico poteſt judicare de cauſa decimarum, n. 152. ibid.

Conductor decimarum convenire debet coram judice Eccleſiaſtico quando pretium decimæ conductæ, vel locatæ non vult ſolvere, num. 155. ibid.

Idem dicendum eſt quando detur lex inter clericos & laïcos circa præſcriptionem vel conſuetudinem decimarum, n. 154. ibid.

Omnes baptizati tenentur ſolvere decimas ſi alias aliquo privilegio non ſint exempti, numer. 155. pag. 62.

Quæ tam corollaria ponuntur, n. 56. ibid.

Religioſi & clerici in communi viventes ex privilegio non tenentur ſolvere decimas de prædiis, quæ propriis manibus & ſumptibus excolunt, num. 157. p. 63

Mendicantes non tenentur ſolvere decimas etiam de prædiis quæ per colonos & conductores excolunt, n. 158. ibid.

Non tenentur ſolvere decimas de terris emptis & donatis locatis & in emphyteuſim habitis ſi propriis manibus excolunt vel excoli faciant ubi etiam quid dicendum ſit de colonis, numer. 159. ibid.

Hæc privilegia etiam competunt monialibus, n. 160. ibid.

Equites Chriſti Calatravæ; Avis, &c. etiam uxorati tenentur ſolvere decimas de prædiis patrimonialibus, n. 161. ibid.

Contraria ſententia non eſt improbabilis, num. 162. ibid.

Hoc privilegium regularium amittitur ſi incipiat eſſe enormiter nocivum Eccleſiæ, vel perſonæ ad quas ſecluſo privilegio tales decimæ pertinent, num. 163. ibid.

An amittatur hoc privilegium per non uſum, n. 164. ibid.

Amittitur hoc privilegium per partium conventionem, n. 165. ibid.

Amittitur hoc privilegium per alienationem prædiorum ſi tranſeant ad perſonas non privilegiatas quocumque titulo tranſeant, numero 166. ibid.

Conſuetudo legitima efficere poteſt ut decima minuatur in parte, vel in totum, ſive ſit perſonalis, ſive prædialis dummodo alia via parocho proviſum ſit, n. 167. ibid.

Conſuetudo efficere poteſt quod decima quæ quondam

Index Rerum.

dum uni Eccleſiæ ſolvebatur nunc alteri Eccleſiæ ſolvatur, num. 168. p. 64
Conſuetudo poteſt efficere ut ex certis fructibus decima non ſolvatur, n. 169. ibid.
Ad hanc conſuetudinem introducendam requiritur ſpatium quadraginta annorum, num. 170. ibid.
Præſcriptio ſufficit ad eximendum à ſolutione decimarum, num. 171. ibid.
In quo differat præſcriptio à conſuetudine, n. 172. pag. 64
Qui præſcripſit decimam vini ſi vineæ fiunt terræ arabiles etiam præſcripſit decimam de fructu terræ, num. 173. ibid.
Qui præſcripſit decimam in una parte fundi eo quod ea ſola coleretur acquirit in toto fundo etſi poſtea colatur, num. 174. ibid.
Quid ſi ex tali parte fundi parochus perciperet decimam fœni paſti & ligni, &c. num. 175. ibid.
Laïcus non poteſt præſcribere jus percipiendi decimas ita ut ſibi ab aliis ſolvantur, numero 176. p. 65
Religioſi & clerici poſſunt ſibi præſcribere decimas, num. 177. ibid.
Quid ſit compoſitio, quid tranſactio, numero 178. ibid.
Compoſitio ſuper decimas ſi præcedat cognitio cauſæ & lic ia ſuperioris eſt valida, num. 179. ibid.
Cujus ſuperioris debeat eſſe iſte conſenſus, n. 180. ibid.
Si compoſitio fiat inter curatos & laïcos ſuper locum & tempus & perſonas quibus ſolvendæ ſint decimæ ſufficit Epiſcopi authoritas, n. 181. pag. 65
Si compoſitio de non ſolvenda vel minuenda decima inter parochum & laïcos tantum ſit pro vita parochi & non ultra poteſt fieri ſolo conſenſu parochi, n. 182. ibid.
An tranſactio poſſit fieri ſuper decimis num. 183. ibid.
Pauperes communi paupertate laborantes tenentur ſolvere decimas, n. 184. ibid.
Pauperes qui ſunt in extrema vel quaſi extrema neceſſitate non tenentur ſolvere decimas num. 185. pag. 66
Decimæ parochiales debentur parocho etſi ille opibus abundet vel malus ſit, num. 186. ibid.
Laïci non poſſunt habere jus ad decimas, num. 187. ibid.
Non ſolventes decimas veniunt excommunicandi non tamen ſunt excommunicati, numero 188. ibid.
Privantur ſepultura, num. 189. p. 66
In omnibus epiſcopatibus Luſitaniæ eſt caſus reſervatus, num. 190. ibid.
Exigentes decimas & reditus beneficiorum quaſi ſibi deberentur excommunicantur in bulla cœnæ, n. 191. ibid.
Religioſi qui ſine titulo decimas uſurpant vel impediunt ne decimæ Eccleſiæ debitæ illis ſolvantur ſuſpenduntur & excommunicantur, num. 192. ibid.

Depoſitum.

Ponitur depoſiti definitio, n. 528. p. 354
In quo differat à commodato & precario, n. 529. ibid.
Poteſt fieri à judice vel à perſona privata & quid ſit utrunque, n. 530. ibid.
Quot conditiones ad depoſitum requirantur, n. 531. ibid.
Si depoſitarius rem non conſumptibilem de conſenſu tacito vel expreſſo Domini accepit in uſum, ſibi accreſcit, & decreſcit, non vero deponenti, num. 538. p. 355
Si rem ita non accepit ſed depoſitum habuit ut pecuniam obſignatam in ſacculo &c. tunc res accreſcit & decreſcit deponenti, n. 539. ibid.

Depoſitarius.

Depoſitarius non poteſt uti depoſito invito Domino, n. 552. p. 354
Poteſt uti depoſito quando creditur uſum non displicere domino, n. 553. ibid.
Poteſt depoſitarius uti depoſito quando dominus uſum conceſſit, n. 524. ibid.
Si depoſitarius de licentia expreſſa vel tacita Domini utatur; vel negotietur depoſito uſu conſumptibili juſte retinere poteſt ſibi lucrum ex tali negotiatione receptum, num. 545. ibid.
Quid ſi depoſitarius utatur depoſito uſu conſumptibili invito Domino, n. 536. ibid.
An peccet mortaliter utens invito Domino depoſito uſu conſumptibili, n. 537. p. 355
Omnes ratione utentes etiam pupilli & fœminæ Clerici & Religioſi poſſunt eſſe depoſitarij, numero 540. ibid.
Religioſus acceptans depoſitum rei gravis in meram cuſtodiam ſine licentia Superioris non peccat mortaliter contra votum paupertatis, n. 541. ibid.
Omnes ratione utentes qui alicujus rei adminiſtrationem habent, eam deponere poſſunt, num. 542. ibid.
De jure naturæ nemo tenetur de damno dato in re alterius etiamſi apud ipſum ſit ex contractu niſi ob dolum, vel latam culpam Theologicam, numero 543. pag. 355
Quid dicendum ſit inſpecto jure poſitivo, n. 544 pag. 356.
Hoc jus poſitivum ſolum obligat poſt ſententiam judicis, n. 545. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 546. ibid.
In foro externo liberantem rem ſuam alienis neglectis præſumitur in dolo feciſſe, & cogunt depoſitarium depoſitum ſolvere ſi contrarium non probet, num. 547. p. 356
Si res propriæ pretioſiores vel æque pretioſæ ſint ac depoſitæ in foro conſcientiæ poteſt depoſitarius res ſuas depoſitis præferre ſi utraſque non poteſt liberare, n. 548. ibid.
Si res depoſita pretioſior eſt propria ſi depoſitarius certus eſt non eſſe recuperandum valorem rei propriæ, non tenetur præferre rem alienam pretioſiorem propriæ, ſecus ſi talem certitudinem non habeat, n. 549. p. 357
Si res depoſitarij ita vilis ſit ut per ejus jacturam non ſit notabile detrimentum incurſurus debet rem alienam pretioſiorem præferre ſuæ, n. 550. ibid.
Depoſitum reddi debet quoties petitur à deponente, n. 551. p. 357
Depoſitarius non tenetur reddere depoſitum donec expenſæ factæ in depoſito cuſtodiendo non ſolvantur, n. 552. ibid.
Non tenetur reddere depoſitum quando bona deponentis publicata & addicta ſunt fiſco ſed reddendum eſt fiſco, n. 553. ibid.
Non tenetur depoſitarius reddere depoſitū ſi inveniat rem depoſitam eſſe ſuam vel quando res depoſita eſt furto ablata, numero 554. ibidem.
Non tenetur depoſitarius reddere depoſitum quando

do deponens illud petit in ſuum & aliorum damnum, n. 555. ibid.
In hoc caſu debet dari certitudo deponentem velle abuti re depoſita, n. 556. p. 358,
An depoſitarius reddens deponenti depoſitum quo male uſurus eſt peccet mortaliter contra charitatem vel juſtitiam, n. 557. ibid.
An depoſitarius ex depoſito poſſit ſibi compenſare quod ipſi à domino rei depoſitæ debetur, n. 558. ibid.

Detractio.

Ponitur detractionis definitio, n. 22. p. 490
Octo dantur modi detractionis & quales ſint, n. 23. ibid.
Detractio alia eſt formalis, alia materialis, n. 24. ibid.
Detractio tam formalis quam materialis poſſunt eſſe peccatum veniale tum ratione indeliberationis tum parvitatis materiæ, n. 25. ibid.
Unde ſumenda ſit gravitas materiæ in hoc caſu, n. 26. ibid.
Omnes detractiones ſunt ejuſdem ſpeciei, n. 27. ibid.
Revelare defectus naturales alicujus ut eſſe imprudentem, ignarum &c. ſi his vere laboret non eſt mortale, n. 28. p. 490
Quid ſi defectus naturales ſint ut eſſe ſpurium, Hebræum vel ex Mahometanis ortum, num. 29. ibid.
Detegere defectus morales in genere ut eſſe avarum, iracundum &c. regulariter non eſt mortale, n. 30. p. 491.
Qui tacito nomine dicit in tali loco multi improbi ſunt & unus ex eis adulterium commiſit non eſt mortale, n. 31. ibid.
Qui de ſtatu religionis in communi detrahit incurrit hæreſis ſuſpicionem, n. 32. ibid.
Quando quis de uno vel altero crimine infamis eſt non eſt mortale detegere illius alia crimina quæ ſunt valde affinia & conjuncta graviori crimini. n. 33. ibid.
Non eſt peccatum detractionis infamare hominem qui fictis virtutibus cum damno proximi opinionem in re publica adeptus eſt, n. 34. ibid.
Audiens detractorem ſi illum induxit peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem detractore non reſtituente, n. 35. p. 461
Audiens detractorem ſi non induxi, nec lætatur, nec reſiſtit cum poſſit an peccet mortaliter, n. 36. ibid.
Ponitur quoddam corollarium, n. 37. ibid.
Alterius occultum crimen revelans regulariter peccat mortaliter, n. 38. p. 492
Multi dantur caſus in quibus licet occultum peccatum proximi revelare & quæ ſint, numero 39. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n. 40. ibid.
Quid ſi detur alia via ad damnum impediendum ut correptio fraterna &c. n. 41. ibid.
Revelare crimen occultum proximi uni vel duobus taciturnis amicis ſi nullum aliud damnum timeatur aliqui dicunt non eſſe mortale, n. 42. p. 492
Ponitur ſententia authoris, n. 43. ibid.
An ſit peccatum mortale injuriam ſibi ab altero illatam alteri referre, n. 44. p. 493
An referre occulta peccata alterius ſine aſſecuratione ſit peccatum detractionis, n. 45. ibid.
An ſit peccatum mortale ſine cauſa de aliorum vita & moribus inquirere, n. 46. ibid.
Crimen dici poteſt publicum vel ſi ſit notorium juris vel facti, vel famoſum, n. 47. p. 493
Revelare crimen proximi quocunque ex prædictis modis publicum in alio loco ubi ignoratur non eſt contra juſtitiam, n. 48. ibid.
Quid ſi reveletur ex odio & cum intentione inferendi damnum, n. 49. ibid.
Quid ſi non ex odio ſed ex quadam loquacitate vel levitate reveletur, n. 50. ibid.
Si religioſus ſit in ſuo conventu notatus aliqua infamia non poteſt apud ſæculares ſine peccato diffamari, n. 51. ibid.
An ſit contra juſtitiam referre crimen alterius propter quod abhinc multis annis diffamatus fuit, n. 52. p. 494
Qui de defuncto aliquod crimen occultum detegit peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem, n. 53. ibid.
Minus peccatum eſt diffamare defunctum quam vivum, n. 54. ibid.
Quid ſi conſtet defunctum eſſe damnatum, n. 55. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n. 56. ibid.

Dies feſti.

Datur præceptum obſervandi dies feſtos, num. 1. p. 215
Quid hoc præcepto præcipiatur, n. 2. ibid.
Solus Pontifex poteſt pro tota Eccleſia dies feſtos indicere, n. 3. ibid.
Idem poteſt facere pro tota Eccleſia legitima conſuetudo & qualis ſita ſit, n. 4. ibid.
Poteſt populus ſe obligare obligatione perſonali ad obſervandum aliquem diem feſtum, num. 5. ibid.
Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt dies feſtos inſtituere, n. 6. ibid.
Parce hac poteſtate utendus eſt his temporibus, n. 7. ibid.
Ad ſervandum diem feſtum pro tota Eccleſia tenentur omnes fideles qui habent uſum rationis & non habent aliquam excuſationem legitimam, n. 8. p. 215
Idem dicendum eſt de feſtis diœceſanis, numero 9, ibid.
An itinerantes & tranſeuntes teneantur feſta loci per quem tranſeunt obſervare, n. 10. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 11, ibid.
Quid ſi quis ex ſua patria recedat in die in quo feſtum v. g. Sancti Franciſci obſervatur & pervenit ante meridiem ad locum ubi feſtum Sancti Anſelmi obſervatur, n. 12. p. 216
Duo præcipiuntur in hoc præcepto auditio Miſſæ & ceſſatio ab operibus ſervilibus, n. 13. ibid.
Hoc præceptum obligat ſub mortali, n. 14. ibid.
Excuſat levitas materiæ, n. 15. p. 216.
Fideles non tenentur in die feſto concionem audire, n. 16. ibid.
An parochi teneantur paſcere oves prædicatione verbi Dei, n. 19. ibid.

Diſcordia.

Proponitur definitio diſcordiæ, n. 213. p. 39
Diſcordia ex genere ſuo eſt peccatum grave, n. 214. ibid.
Contentio charitati contrariæ eſt effectus diſcordiæ num. 215. ibid.

Diſpenſatio.

In pœnis ferendis probabilius eſt poſſe epiſcopum diſpenſare, n. 425. p. 133
In pœnis ipſo jure latis etſi ſint Papæ reſervatæ ſi

ſint occultæ poteſt epiſcopus diſpenſare, n.426. ibid.
Quid dicendum ſit de regularibus, per ſua privilegia, n.427. ibid.
Epiſcopus poteſt diſpenſare in inhabilitate quam contrahunt recipientes ſimoniace beneficium tam ad idemmet beneficium quam ad aliud ſi crimen ſit occultum, n.428. ibid.
Diſpenſatus ab Epiſcopo in hac inhabilitate poteſt ſine alia collatione poſſidere beneficium, n.429. p.154
Quid dicendum ſit de regularibus, numero 430. ibid.
Aliquæ advertentiæ ponuntur pro diſpenſatione epiſcopi, n.431. ibid.
Pontifex conferens inhabili beneficium cenſetur cum eo diſpenſare ſi illi conſtitit eſſe inhabilem, n.432. ibid.
Ut Pontifex diſpenſationem licite concedat in his diſpenſationibus requiritur aliqua cauſa, n.433. ibid.
Si ſine cauſa in ſua lege diſpenſet non peccat mortaliter, n.434. ibid.
Quid dicendum ſit de epiſcopis & aliis prælatis diſpenſantibus in lege ſui ſuperioris, num.435. ibid.

Diſputare de rebus fidei.

Fideles etiam clerici ſi indocti ſint tenentur ſub peccato mortali de fidei dogmatibus non diſputare, n.80. p.11
Datur præceptum ſub excommunicatione ferenda ne laïci diſputent cum hæreticis & infidelibus de rebus fidei, n.81. ibid.
Quid ſi laïci ſint docti & detur neceſſitas & utilitas fidelium, n.82. ibid.
An hoc præceptum ſit alicubi abrogatum conſuetudine, n.83. ibid.
Ubi non eſt conſuetudine abrogatum tantum obligat ſub veniali, n.84. ibid.

Divinatio.

Unde dicatur divinatio, n.58. p.76
Ponitur eius definitio, n.59. ibid.
Dæmones multa poſſunt cognoſcere de rebus futuris & quomodo, n.60. ibid.
Quomodo dæmon divinatores doceat, num, 61. p.77
Divinatio alia eſt expreſſa, alia tacita & quæ utraque ſit, n.62. ibid.
Duplici modo dæmon expreſsè invocatur & quali, n.63. ibid.
Divinatio ex pacto implicito quando fiat, num.64. ibid.
Hujus divinationis tacitæ ſunt varij modi, & quales n.65. ibid.
Omnes modi invocandi Dæmonem ſunt intrinſecè mali, n.66. ibid.
Divinatores alligantes dæmones vel eos invocantes non ſunt ipſo facto excommunicati, num.67. ibid.
Aſtrologia alia eſt naturalis, alia judiciaria, & quæ utraque ſit, num.92. p.81.
Aſtrologia naturalis licita eſt, n.93. p.82
Non eſt per ſe malum prædicere ex aſpectu ſtellarum inclinationem pueri, n.94. ibid.
Aſtrologia judiciaria eſt graviſſimum peccatum n.95. ibid.
Erroneum eſt dicere futura contingentia certo poſſe cognoſci ex aſtris, n.96. ibid.
Aſtrologus poteſt futuros eventus prædicere non certò, ſed probabiliter & conjecturaliter ſeclusò ſcandalo, n.97. ibid.
Homines qui dicunt videre aquas in viſceribus terræ ſuperſtitioſi ſunt, n.98. ibid.
Quatuor ſunt modi divinandi per elementa ſcilicet Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, & Pyromantia, n.99. p.82
Quid ſit Geomantia & an fiat ex pacto Dæmonis, n.100. p.83.
Quid ſit Hydromantia & an fiat ex pacto Dæmonis, n.101. ibid.
Quid ſit Aeromantia & an fiat ex pacto dæmonis, n.102. ibid.
Quid ſit Pyromantia & an fiat ex pacto dæmonis, n.103. ibid.
Tres modi divinandi ſumuntur ex avium ſignis ſcilicet augurium, auſpicium & aruſpicium & quid ſint, n.104. ibid.
Ex his prædicere futura ſuperſtitioſum eſt, n.105. ibid.
Ex avium obſervatione licet probabiliter prædicere eventus futuros naturales, n.106. ibid.
Hæc divinatio communi nomine vocatur phyſionomia, n.107. p.83
Dividitur in Chiromantiam, pedomantiam, metoſcopiam, phyſionomiam & artumantiam ſeu ſpatulantiam & quæ utraque ſit, n.108. ibid.
Phyſiognomia alia eſt naturalis, altera Aſtrologica & quæ utraque ſit, n.109. ibid.
Phyſiognomia naturalis licita eſt, n.110. p.84
Phyſiognomia Aſtrologica eſt ſuperſtitioſa, n.111. ibid.
Chiromantia naturalis licita eſt, n.112. ibid.
Ex motibus humani corporis nulla capi poteſt firma conjectura ad pronuntiandum aliquid de futuris, n.113. ibid.
Divinatio per ſomnium dicitur Chiromantia, n.114. p.84
Quid ſit ſomnium, n.115. ibid.
Quando conſtat vel eſt probabile ſomnium eſſe à Deo fas eſt illi fidem adhibere, numero 116. ibid.
Ponuntur ſigna ad cognoſcendum an ſomnium ſit à Deo vel à Dæmone, n.117. ibid.
Quando ſomnium eſt à cauſa naturali ex eo poteſt conjecturari de eventibus naturalibus, n.118. p.85.
Dare fidem Dæmoniacis ſomniis eſt peccatum grave & ſuperſtitioſum, n.119. ibid.
Quoties non eſt probabile ſomnium eſſe à Deo non licet prænotionem ex eo ſumere de eventibus, n.120. ibid.
Qui temere credit ſomniis non excuſatur à gravi culpa, n.121. ibid.
Uſus ſortium hodie jam non eſt in uſu, n. 122. p.85
Sortes aliæ ſunt divinatoriæ, aliæ conſultoriæ, aliæ diviſoriæ, n.123. ibid.
Sortes diviſoriæ ſtando in jure naturæ ſunt licitæ in caſibus in quibus jus humanum eas non contradicit, n.124. ibid.
In quibus caſibus jus humanum eas contradicat vel non, n.125. p.86
In beneficiis & officiis eccleſiaſticis providendis prohibetur uſus ſortium, n.126. ibid.
Electio per ſortes ad officia eccleſiaſtica non ſolum eſt illicita ſed nulla, n.127. ibid.
In caſibus in quibus ſortes diviſoriæ ſunt licitæ non debet lædi juſtitia, nec debent fieri cum irreverentia rerum ſactarum, n.128. ibid.

Sortes

Digitized by Google

Index Rerum.

Sortes conſultoriæ ad cognoſcendum in rebus dubiis divinam voluntatem regulariter ſunt illicitæ, n. 129. ibid.
In quibus caſibus & quibus conditionibus ſint aliquando licitæ, n. 130. ibid.
Sortes divinatoriæ ſunt omnino illicitæ, num. 131. ibid.
Quædam corollaria referuntur, num. 132. ibid.

Dominus.

Herus tenetur proſpicere ſaluti tam ſpirituali quam corporali famuli, n. 91. p. 247
Quid ſi famulus ægrotet, n. 92. p. 248
Tenetur herus famulos pravis moribus correptos è domo ejicere ſi credat hoc ſupplicio meliores brevaſuros, n. 93. ibid.
Quid ſi electione pejores fiant, n. 94. ibid.
Si dominus accepit famulos ſine aſſignatione ſtipendij debet eis ſolvere ſpectata qualitate ſervorum & obſequiorum, n. 95. ibid.
Quid dicendum ſit de capellanis & famulis Epiſcoporum & Dynaſtarum qui gratis illis inſerviunt, n. 96. ibid.
Domini qui famulis ad furta propenſis non auferunt occaſionem furandi ut in furto comprehenſi corrigantur non peccant mortaliter, n. 97. ibid.
Famulo locato ad ſollicitanda negotia non tenetur Dominus augere ſalarium ad augmentum cauſarum, n. 98. ibid.
Domini ex juſtitia tenentur curare ne ſervi prave vivant, n. 81. pag. 246
Quædam corollaria ponuntur, n. 82. ibid.
An licitum ſit dominis vendere ſervos conjugatos, n. 83. ibid.
Dominus non obligatur de contractu & delicto ſervini, ſi in certis caſibus qui ibi referuntur, n. 84. ibid.
An inter dominum & ſervum poſſit eſſe civilis actio, n. 85. ibid.

Dominium.

Ponitur dominij definitio, n. 24. p. 285
Dividitur in dominium juriſdictionis & proprietatis, n. 25. ibid.
Ponitur dominij juriſdictionis definitio, num. 26. ibid.
Ponitur dominij proprietatis definitio, num. 27. ibid.
Dominium proprietatis quomodo dividatur, n. 28. ibid.
Jus & dominium cauſam habere debent nempe donationem, emptionem, conceſſionem à lege, &c. n. 29. ibid.
Sola natura rationalis eſt capax dominij, num. 42. pag. 287
Deus in omnes creaturas habet dominium, n. 43. ibid.
Angeli propriè non habent dominium ſed ſolum hominibus convenit dominium in res creatas externas, n. 44. ibid.
Parvuli ante uſum rationis & amentes habent verum dominium, n. 45. ibid.
Vere ſervi ſi habent dominium perfectum & independens à dominorum poteſtate, n. 46. p. 287
Plures dantur caſus in quibus ſervi dominio patiuntur etiam in foro conſcientiæ, n. 47. ibid.
Ponuntur caſus in quibus habent dominium, n. 48. ibid.
An dominus in prædictis caſibus ſi prædicta bona à ſervo auferat faciat ei injuriam, n. 49. p. 288
Ponitur Authoris ſententia, n. 50. ibid.
Si ſervus moriatur ab inteſtato hæc bona de quibus habet dominium vi acquirantur, n. 51. ibid.
Explicatur quid ſit peculium caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, adventitium & profectitium, num. 52. ibid.
Filius familias in peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi habet plenum dominium, n. 331. ibid.
In peculio adventitio habet dominium non vero uſum, n. 54. ibid.
In peculio profectitio habet tam dominium directum quam utile & apud patrem plenumero 55. ibid.
Religioſi profeſſi ſolemniter ſunto incapaces dominij, uſus fructus, poſſeſſionis, &c. num. 56. pag. 288
Qui tantum habent votum ſimplex paupertatis ſunt capaces dominij, privantur tamen poteſtate utendi abſque conſenſu ſuperioris, num. 57. ibid.
Religioſi beneficiati etſi ſint incapaces dominij poſſunt habere adminiſtrationem fructus ſuorum beneficiorum, n. 58. ibid.
Eos poſſunt expendere in pios uſus & ſui ſuſtentationem, n. 59. ibid.
Idem dicendum eſt de religioſis factis epiſcopis, n. 60. ibid.
Clerici non religioſi habent verum dominium bonorum patrimonialium, numero 61. pagina 289
Idem dicendum eſt de bonis quaſi patrimonialibus quæ ut clerici acquirunt, numero 62. ibid.
Idem dicendum eſt de parte fructuum beneficiorum quæ eis datur pro eorum ſuſtentatione, n. 63. ibid.
An habeant dominium in ea parte fructuum quæ eſt ſuperflua ſuæ ſuſtentationi, numero 64. ibid.
Omnes res externæ uſibus humanis ſubjectæ cadunt jure naturæ ſub dominio hominis, n. 65. ibid.
Quomodo id ſit intelligendum explicatur, n. 66. ibid.
Rerum diviſio & privatum earum dominium non repugnat juri naturali, numero 67. ibid.
Dominiorum diviſio poſt Adæ peccatum licitum fuit & commodum generi humano, num. 68. ibid.
Rerum diviſio introducta eſt jure gentium, n. 69. ibid.
Ex legibus ad acquiſitionem dominij requiritur titulus & traditio, n. 70. p. 289
Duplex eſt titulus verus & præſumptus & quid uterque ſit, n. 71. ibid.
Dantur aliqui caſus in quibus dominium datur ſine traditione qui referuntur, numero 72. p. 290
Jure naturæ non eſt neceſſaria traditio, num. 73. ibid.
Licitum eſt homini dominium in alterum hominem tanquam in ſervum, numero 74. ibid.
De jure Cæſareo quatuor dantur tituli quibus acqui-

ritur dominium in homines qui ibi exponuntur, n.75. p.290
Ut venditio libera hominis licita ſit aliquæ requiruntur conditiones de jure Cæſareo, numero 76. ibid.
Ubi jus Cæſareum non eſt receptum venditio ſine prædictis conditionibus valida eſt de jure naturæ, n.77. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, numero 78. ibid.
An apud barbaros fas ſit emi in ſervum qui extrema, vel gravi neceſſitate compellitur ſe vendere, n.79. ibid.
Quid dicendum ſit de venditione Æthiopum, Braſilenſium, &c. n.80. p.291
Domini debent tantum uti ſervis ad juſta & rationabilia ſervitia, n.81. ibid.
Domini poſſunt ſervos corrigere & eorum crimina moderatè punire, n.82. ibid.
Si Dominus hac poteſtate abutatur poſſunt ſervi implorare officium judicis, n.83. ibid.
Servus bello juſto captus poteſt licite fugere ad ſuos non inferendo tamen vim Domino, n.84. ibid.
Servus emptitius non poteſt licite fugere niſi, vel inducatur ad peccatum, vel inhumaniter tractetur, n.85. ibid.
Animalia alia ſunt natura manſueta, alia fera, n.92. pag.292
Animalia, natura ſua manſueta non licet alicui capere etſi longe aberrent, numero 93. ibid.
Quid ſi hominum induſtria manſueta ſint & dominum fugiunt, n.94. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.95. ibid.
Quando aves natura ſua feræ quæ alicujus induſtria manſuetæ ſunt, cenſeantur recuperare priorem libertatem, n.96. p.293
Dominium feræ percuſſæ eſt penes ferientem ſi eam inſequebatur & moraliter eſſet capturus, n. 97. ibid.
Quid ſi fera quam unus proſequitur incidit in laqueum alterius, n.98. ibid.
Quid ſi quis naſſam in flumine poſitam à piſcatore elevet, & piſces in ea incluſos extrahat & naſſam eodem loco reponat, n.99. ibid.
Mare adjacens terræ quæ proptium dominium habet illius eſt cujus eſt terra cui adjacet, num. 106. pag.295
Quouſque extendatur hæc juriſdictio maris adiacentis, num. 110. ibid.
Mare in alius Principis Dominio eſt quoad uſum piſcandi & navigandi & à ſolo ſummo Pontifice poteſt hæc juriſdictio, ſeu uſus alicui concedi, n.111. ibid.
De facto Pontifex diviſit commercium & navigationem totius orbis Orientalis & Occidentalis inter Reges Luſitaniæ & Caſtellæ, num. 112. ibid.
Reges Luſitaniæ poſſunt hanc navigationem & maris uſum cauſa commercij aliis prohibere vi & armis, n.113. ibid.
Piſcatio in mari adjacenti terræ alicujus Principis libera eſt ſubditis illius, n.114. ibid.
Poteſt quis præſcribere jus piſcandi in certo loco fluminis vel maris, n.115. ibid.
Quid dicendum ſit de receptaculis quæ in litore maris fiunt quæ dicimus *cambas*, numero 116. ibid.
Alia corollaria ponuntur, numero 117. ibid.
Quid dicendum ſit de piſcibus grandibus ſi expiſcentur, n.118. ibid.
Quid de Ambaro in litore invento, numero 119. ibid.
Silvarum & paſcuorum dominium competet populo cui vicina ſunt, numero 120. pagina 196
Si Oppidani ex ſilva communi ligna cædunt, vel paſcuis utantur contra prohibitionem, non peccant nec tenentur ad reſtitutionem niſi forte inde notabile damnum adveniat, num. 121. ibid.
Quilibet in ſuo agro poteſt interdicere paſtum & lignationem de jure communi, numero 122. ibid.
Quid dicendum ſit de jure Caſtellæ & Luſitaniæ, n.123. ibid.
Ex eo quod aliquis juriſdictionem civilem & criminalem in populum habeat, non inde infertur habere dominium ſylvarum & paſcuorum illius territorij, numero 124. ibidem.
Lapilli, gemmæ, ambarum ſi inveniantur in litore maris ſunt primo occupantis, numero 125. pag.297
Metallorum venæ ſub nullius dominio ſunt, n.126. ibid.
Quando principes illorum jus ſibi reſervarunt, n.127. ibid.
Quid ſi Theſaurus explicatur, numero 128. ibidem.
Theſaurus impropriè dictus, totus eſt illius qui illum depoſuit & illius hæredis, numero 129. ibid.
Theſaurus propriè dictus jure naturæ eſt inventoris illum occupantis, numero 130. pagina 297
Quid ſi Dominus conduxit Petrum, ut foveam aperiret & hic ollam auri plenam invenit cuinam erit inventoris vel conductoris, &c. numero 131. ibid.
Qui emit locum ubi ſcit eſſe Theſaurum ſit Dominus illius, n.132. ibid.
De jure ſpeciali quibus competant Theſauri inventi explicatur, n.133. ibid.
Bona quæ nullius fuere ut ſunt gemmæ, margaritæ, &c. ſunt primo occupantis niſi lege humana alteri acquirantur, numero 134. pagina 298
Bona quæ à Domino pro derelicto habentur ſunt primo occupantis numero 135. ibidem.
Quæ bona dicantur pro derelictis, numero 136. ibid.
Quid dicendum ſit de rebus quæ tempore naufragij mittuntur in mare, numero 137. ibidem.
Quid de rebus quæ ab incendio vel à faucibus feræ eripiuntur, n.138. ibid.
Quid de lignis quæ vi fluviorum inundantium aſportantur, n.139. ibid.
Quid de rebus in platea inventis, numero 140. ibid.
Quid faciendum, ſi Dominus conſumptæ re, inveniatur, n.141.
Quam diligentiam debeat facere inventor, n.142. pag.299
Qui bona dicantur incerta & cui applicanda ſint, n.143. ibid.
Cui reſtituenda eſt res quando Dominus ignoratur ſi

Digitized by Google

ſi res reſtituenda venit ex tradite injuſtæ acceptionis, num. 144. ibid.

Cui reſtituenda eſt quando venit reſtituenda ex contractu juſto, vel ex re bona fide accepta ſi dominus ignoratur, numero 145. ibidem.

Cui pertineant bona vacantia, numero 146. ibidem.

Alluvione acquiritur dominium, & cui acquiratur, num. 147. p. 300

Quando res aliena adjungitur rei alicujus, ita ut non poſſit ſalva re ab ea ſeparari cui pertineat dominium, num. 148. ibid.

Quid ſi poſſit ſalva re ſeparari, numero 149. ibid.

Quid dicendum ſit de plantis in ſolo alieno poſitis, num. 150. ibid.

Quid ſi quis ex aliena materia ſpeciem fingat, numero 151. ibid.

Quid ſi ex diverſorum materiis per confuſionem fiat unum tertium, num. 152. ibid.

Quid ſi duæ res duorum dominorum inter ſe miſceantur, num. 153. ibid.

Fur ſi immiſceat rem furatam cum ſua ita ut diſcerni nequeat efficitur Dominus illius cum obligatione reſtituendi æquivalens, num. 154. pag. 301.

Si eam alicui dedit an recipiens fiat illius dominus, num. 155. ibid.

Quid ſi fur rem furatam cum ſua non immiſcuit, ſed ſolum alicui dedit an iis teneatur ad reſtitutionem ſive bona, ſive mala fide acceperit, numero 156. ibid.

Donatio.

Ponitur donationis definitio, numero 476. pagina 346

In quo donatio differat à promiſſione, numero 477. ibid.

Donatio dividitur, inter donationem inter vivos & donationem cauſa mortis, & quæ utraque ſit, num. 478. p. 347

Donatio cauſa mortis ſi conſideretur ſecundum ſuum initium dicitur contractus, ſi conſideretur ſecundum ſtabilitatem, poteſt aliquo modo vocari ultima voluntas, num. 479. ibid.

Solum illi donare poſſunt qui habent dominium & adminiſtrationem cum facultate donandi, n. 480. pag. 347

Uſu rationis carentes, minores, prodigi, &c. donare non poſſunt, num. 481. ibid.

Filiusfamilias donare non poteſt, numero 482. ibid.

Religioſi ſine conſenſu ſuperiorum donare non poſſunt, num. 482. ibid.

Clerici beneficiarij non poſſunt donare in uſus profanos, quæ ſuperſunt beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi, num. 483. ibid.

An beneficiati poſſint ex fructibus beneficij filios, & filias, fratres, &c. alere & dotare, num. 484. ibid.

An ſi beneficiatus aliquid de ſua congrua ſuſtentatione detrahit poſſit majoratum inſtituere, n. 486. ibid.

Uxor donare non poteſt ex bonis communibus niſi eleemoſynas & donationes moderatas ſecundum ſuum ſtatum, num. 487. p. 348

An maritus donare poſſit ſine uxoris conſenſu, numero 488. ibid.

An donationes & promiſſiones factæ à militibus & clericis ſuis concubinis pro ſervitiis ſibi impenſis in concubinatu ſint validæ, numero 489. ibidem.

Dona omnes gratuitò facta à patre filiofamilias ſub ſua poteſtate conſtituto regulariter eſt invalida, num. 490. p. 348

Donatio facta à patre filio emancipato eſt valida, num. 491. ibid.

Donationes remuneratoriæ factæ à patre filiofamilias ſub ſua poteſtate conſtituto licitæ & validæ ſunt, num. 492. ibid.

Valet donatio facta à patre filiofamilias dotis titulo, num. 493. ibid.

Idem dicendum eſt de donatione facta à patre filio pro ingreſſu religionis, n. 494. p. 349

Donatio facta à patre filio in præmium emancipationis eſt valida, numero 495. ibidem.

Donatio inter conjuges regulariter jure communi eſt nulla, num. 496. ibid.

Hæc donatio inter conjuges morte donantis confirmatur dummodo res donata tradita ſit ante mortem donantis, n. 497. ibid.

Quid ſi in donatione non interfit inſinuatio, n. 498. ibid.

Alij referuntur caſus in quibus hæc donatio etiam ante mortem donantis confirmatur, numero 499. p. 350

An annuli, veſtes & ſimilia quæ uxoribus tradi conſueverunt à maritis cenſeantur donata ita ut uxor non teneatur poſt mariti mortem ea adducere ad collationem, num. 500. p. 350

Sponſalitia largitas ſi ſimul cum pacto fiat ne ad donantem ullo caſu redeat ſtatim irrevocabiliter donatio acquiritur, numero 501. ibidem.

Quid ſi tale pactum non interſit, numero 502. ibidem.

Quid ſi caſu aliquo, vel morte ſponſi vel ingreſſu in religione matrimonium non fuit ſecutum, vel conſummatum, num. 503. ibid.

Quid ſi matrimonium fuit celebratum per Arrhas n. 504. ibid.

Iure Luſitano donationes virorum quæ excedunt ſummam trecentorum aureorum invalidæ ſunt quo ad exceſſum ſi ſine Regia inſinuatione fiant, num. 505. p. 350

Hinc inſinuationi renuntiari non poteſt etiam de conſenſu partium, num. 506. ibid.

In aliquibus caſibus donatio abſque inſinuatione facta excedens dictam ſummam eſt valida & caſus referuntur, numero 507. pagina 351.

Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum eſt nulla, num. 508. ibid.

Quid ſi fiat Eccleſiæ, num. 509. ibid.

Si donatio vel promiſſio fiat in diem futurum certum, incertum tamen ſit quando ille dies adveniat, valida eſt donatio, numero 510. pagina 351

Si donatio fiat in diem incertum qui incertus eſt quando futurus ſit, tunc dies appoſita facit donationem conditionalem, numero 511. ibidem.

Quando donatio fit ad diem certum, verbi gratia, Kalendas Ianuarij, & dubitatur de quibus Kalendis Ianuarij, loquatur intelligenda eſt de proximioribus, numero 512. ibidem.

Index Rerum.

Conditio præteriti, vel præſentis temporis addita donationi non ſuſpendit illam, ſed ſi conditio exiſtit valet, vel è contra, numero 513. ibid.

Conditio re ipſa impoſſibilis irritam reddit ſtatim diſpoſitionem ſive ſit de præterito, præſenti, vel futuro, num. 514. p. 352

Conditio ſi nupteris appoſita ultimæ voluntati habetur pro non adjecta, n. 515. ibid.

Quando aliquis donat ad certum finem ſi non intendat ad illum obligare, ſed allicere, donatio eſt valida, etſi finis non ſequatur, num. 516. ibid.

Donatio ad certum finem facta ſi finis principaliter intendatur fine non aſſecuto donatio eſt irrita, n. 517. ibid.

Donatio ob cauſam præteritam, vel futuram ſi cauſa finalis non ſubſiſtit eſt nulla, numero 518. ibid.

Donatio liberalis revocari poteſt primo ob ingratitudinem, num. 519. p. 352

Quæ ingratitudo requiratur, numero 520. ibidem.

Si mulier mortuo primo viro ſecundo nubat non poteſt revocare donationem factam filio prioris viri ob ingratitudinem niſi in tribus caſibus qui ibi explicantur, n. 521. p. 353

An donatio facta Eccleſiæ revocari poſſit, num. 522. ibid.

Donatio revocari poteſt ratione prolis ſuſceptæ, num. 523. ibid.

Quid ſi donatio alicui aſcendentium facta ſit, n. 524. ibid.

Donatio revocari poteſt ſi ſit inofficioſa, num. 525. ibid.

Hæc donatio inofficioſa non revocatur niſi poſt mortem patris, num. 526. ibid.

Donatio cauſa mortis ſemper revocari poteſt, numero 527. ibid.

Duellum.

Quid ſit duellum explicatur, numero 55. pagina 265.

Duellum prohibitum eſt ſub excommunicatione Papæ reſervata & aliis pœnis, numero 56. pagina 266.

An provocatus ad duellum, ſi pugna non ſequatur incurrat prædictas cenſuras & pœnas, num. 57. ibid.

Offerre ſeu acceptare duellum ad vanam oſtentationem virium, ad veritatem indagandam, ad vindictam ſeu recuperandam injuriam eſt omnino illicitum, num. 58. ibid.

Vir nobilis non poteſt licitè duellum acceptare nevilis, vel timidus, vel puſillanimis eo quod non acceptat duellum videatur, numero 59. ibidem.

Aliqui dantur caſus in quibus licitum eſt acceptare duellum qui explicantur, n. 60. ibid.

E

Eleemoſyna.

QVid ſit Eleemoſyna & à qua virtute procedat, num. 60. p. 19

Quæ dicatur neceſſitas extrema gravis & communis, num 61. p. 20

In extrema neceſſitate proximi tenetur quis de ſuperfluis vitæ tamen neceſſariis ſtatui, dare eleemoſynam, num. 61. ibid.

Quid ſi pro ſuccurrenda neceſſitate extrema alicujus privati deberet quis neceſſario cadere à ſuo ſtatu, num. 63. ibid.

In neceſſitate gravi tenetur quis ſub mortali occurrere proximo ex bonis ſuperfluis ſtatui præſenti, num. 64. ibid.

Quando in neceſſitate communi teneatur quis ſuccurrere proximo, num. 65. ibid.

Si proximus ſolum indiget rei uſu non tenetur quis ei dare niſi uſum, n. 66. p. 21

Si proximus ſic indigens alibi habeat bona nemo tenetur ei dare rem quæ indiget, ſed ſufficit ſi eam mutuo det, vel vendat, numero 67. ibid.

Proximo extreme indigenti tenetur quis rem qua indiget illi abſolute dare & non ſatisfacit ſi mutuo, vel ſub conditione det, numero 68. ibid.

Quando quis eleemoſynam mutuo dat non poteſt ducere in factum lucrum ceſſans, num. 69. ibid.

Eccleſiaſtici in caſibus in quibus ſæculares tenentur elargiri eleemoſynam arctius obligantur, num. 70. p. 21

Eccleſiaſtici de bonis patrimonialibus non tenentur facere eleemoſynam niſi in caſibus in quibus tenentur ſæculares, num. 71. ibid.

Eccleſiaſtici ſi bona patrimonialia in propriam ſuſtentationem, vel opus pium inſumant totidem poſſunt compenſare ex fructibus beneficij, num. 72. ibid.

Beneficiarij tenentur expendere in eleemoſynas, vel pia opera quæ ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, n. 73. p. 22

Graviter peccat beneficiarius qui ſuperflua ſui ſtatus in re gravi donaret venatoribus, hiſtrionibus, &c. num. 74. ibid.

Quæ quantitas cenſeatur gravis, numero 75. ibidem.

Quantum ex fructibus qui ſuperſunt congruæ ſuſtentationi teneatur beneficiarius pauperibus elargiri, num. 76. ibid.

Beneficiarius ex charitate ſolum tenetur quæ ſuperſunt ex fructibus beneficij ſuæ congruæ ſuſtentationi pauperibus elargiri, numero 77. pagina 22.

Si ſuperflua in profanos uſus inſumat non tenetur ad reſtitutionem, n. 68. ibid.

Beneficiarij ſunt domini ſuorum redituum, num. 79. ibid.

Idem dicendum eſt de penſionariis Eccleſiaſticis, num. 80. ibid.

Beneficiarij regulares non habent dominium ſuper fructus beneficij, ſed monaſterium, num. 81 ibid.

Si aliqua alienarent in uſus ſuperfluos, alienatio eſt nulla, num. 82. p. 23

Religioſus aſſumptus ad epiſcopatum non habet dominium redituum illius, ſed tantum eſt penes Eccleſiam. num. 83. ibid.

Si aliquid prodigè diſtribuat, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, num. 84. ibidem.

Eleemoſyna danda eſt ex bonis propriis, num. 93 pag. 24.

Quando facienda de bonis quæ in communi poſſidentur, num. 94. ibid.

Ad ſublevandam extremam neceſſitatè proximi poteſt

teſt quis ſurripere alienum ſi proprium non habeat, num. 95. ibid.
Turpiter acquiſita ob circunſtantiam accidentalem actionis poſſunt dari in eleemoſynam, n. 96. ibid.
Turpiter acquiſita per actionem injuſtam ut furto, uſuris &c. non poſſunt dari in eleemoſynas, n. 97. ibid.
Quid ſi dominus ignoretur & alienum fuerit per minutas actiones acquiſitum, numero 98. ibid.
Ille cujus bona ſunt fiſco addita ob aliquod crimen dum illa poſſidet poteſt in eleemoſynas diſtribuere ſi id in fraudem fiſci non faciat, n. 99. ibid.
Solum qui habent dominium & adminiſtrationem rerum ſuarum poſſunt facere eleemoſynas, n. 100. pag. 24
Quid dicendum ſit de ſervo, num. 101. ibid.
Quid de famulis, num. 102. ibid.
Quid de filiofamilias, num. 103. p. 25
Quid de Religioſi adminiſtratore bonorum conventus, num. 104. ibid.
Quid de aliis religioſis qui talem adminiſtrationem non habent, numero 105. ibidem.
Quid dicendum de uxoribus, numero 106. ibidem.
Eleemoſyna danda eſt pauperi etiam inimico modo inimicitia eleemoſynam non foveatur, n. 107. pag. 25.
Non eſt danda vagabundis niſi in gravem incidant neceſſitatem, n. 108. ibid.
Qui ſimulata paupertate accipit eleemoſynam & peccat tenetur ad reſtitutionem, num. 109. ibid.
Cui in hoc caſu facienda ſit reſtitutio, num. 110. ibid.
Magis indigenti facienda eſt eleemoſyna, num. 111. ibid.
Quid ſi fuerit plures æqualiter indigentes & quomodo dividendum ſit legatum relictum pauperibus an poſſit uni ſoli dari, numero 112. ibid.

Emphyteuſis & Emphyteuta.

Ponitur Emphyteuſis definitio, num. 34. p. 280
Vnde dicatur Emphyteuſis, n. 1015. p. 422
Ponitur emphyteuſis deſcriptio, numero 1016. ibid.
Explicatur definitio emphyteuſis, numero 1017. ibid.
In quo differat à livello exprimitur, numero 1018. ibid.
Emphyteuſis alia eſt perpetua, alia ad tempus, alia eccleſiaſtica, alia profana, numero 1020. pag. 422
Emphyteuſis alia eſt nova, alia antiqua, num. 1021. pag. 423.
Emphyteuſis alia eſt hæreditaria ſimpliciter, alia hæreditaria mixtè, alia familiaris ſeu de pacto & providentia, num. 1022. ibid.
Pacta contrahentium præcipuè videnda ſunt in hoc contractu & quare, num. 1023. p. 423
Prima conditio ad emphyteuſim eſt ſcriptura, num. 1024. ibid.
Si emphyteuta perdit ſcripturam quando probandus ſit contractus emphyteuticus, num. 1025. ibid.
Emphyteuta tenetur ſolvere proprietario penſionem in pecunia vel in fructibus, num. 1026. p. 423
Aliqua dantur quibus jure Luſitano non poteſt imponi penſio vini, & olei, ſed debet fieri ſub penſione pecuniaria, num. 1027. ibid.
Non eſt de neceſſitate emphyteuſis ut emphyteuta aliquid ſolvat pro ingreſſu, numero 1028. ibid.
Aliqua dantur in quibus jure Luſitano prohibetur aliquid dare pro ingreſſu, numero 1029. ibid.
Per quantum tempus non ſolvens emphyteuta penſionem incurrat incommiſſum tam in emphyteuſi eccleſiaſtica, quam profana, num. 1030. pag. 424
Quid ſi fructus non ſingulis ſed alternis annis colligantur, num 1031. ibid.
Emphyteuta non ſolvens penſionem non incidit in commiſſum dum dominus voluntatem exigendi illam pœnam declaret, numero 1032. ibid.
Emphyteuta non tenetur ſolvere penſionem, ſi citra ſuam culpam res tota pereat, numero 1033. ibid.
Excuſatur à pœna incommiſſi, ſi non ſolvat penſionem tempore quo deſiit poſſidere, num. 1034. ibid.
Non incidit in commiſſum ſi poſtquam emphyteuta dignus fuit ea pœna dominus ab eo ſequentis temporis penſiones accepit, n. 1035. ibid.
An emphyteuta poſſit præſcribere dominium directum, num. 1036. ibid.
An ſint tempora præfixa in quibus ſit penſio ſolvenda, num. 1037. p. 424
An ſi emphyteuſis perveniat ad multos hæredes uno non ſolvente cæteri ſolventes incidant in commiſſum, numero 1038. ibid.
An emphyteuta teneatur hanc pœnam ſubire ante ſententiam judicis, numero 1039. ibid.
In emphyteuſi eccleſiaſtica ſi poſt elapſum annum celeritate ſolutionis emphyteuta purget moram non poteſt expelli ab emphyteuſi, num. 1040. p. 425
In emphyteuſi ſæculari de rigore juris non poteſt emphyteuta purgare moram celeritate ſolutionis, num. 1041. ibid.
Quanta celeritate ſit purganda mora in emphyteuſi eccleſiaſtica, numero 1042. ibidem.
Quid ſi res ſit ſolita emphyteuticari, num. 1043. ibid.
Res eccleſiaſtica non poteſt tradi à prælato in emphyteuſim niſi ex legitima cauſa & cum certa ſolemnitate, num. 1044. ibid.
Quid ſi res ſit ſolita emphyteuticari, numero 1045. ibid.
An ut res ſolita emphyteuticari, iterum tradatur in emphyteuſim requiratur major utilitas Eccleſiæ, num. 1046. p. 425
Emphyteuta non poteſt emphyteuſim alienare irrequiſito domino, alias incidit in commiſſum, num. 107. ibid.
Non incurritur incommiſſum per ſolam venditionem ſi non ſequatur traditio de jure communi, ſecus de jure Luſitano, n. 1048. p. 426
Si res emphyteutica non ſit Eccleſiæ vel alicujus privati non cadit in commiſſum emphyteuta, qui eam oppignoravit, permutavit, hypothecavit,

hypothecavit,legavit, vel donavit,vel tradidit in debiti ſolutionem ſecundum jus quod in ſe habet,num.1049. ibid.
Non incurrit incommiſſum vendendo ſervitutem in fundo emphyteutico,num. 1050. ibid.
Non currit in commiſſum ſi rem vendat de conſenſu implicito domini, n.1051. ibid.
Si resemphyteutica vendatur,donetur, permutetur, locetur ad decennium ſolvendum eſt laudemium domino directo,n.1052. p.426
Quid ſi aliud conſuetudo ferat, n.1053. ibid.
An laudemium debeat ſolvi ab emptore vel à venditore,num.1054. ibid.
Quid ſit laudemium tam de jure communi quam Luſitano,num.1055. ibid.
Multi dantur caſus in quibus non debetur laudemium qui ibi explicantur, num.1056. ibid.
Senſus quæſtionis eſt de emphyteuſi hæreditaria vel ſimpliciter vel mixte vel de pacto & providentia,num. 1057. p.427
Quæ dicatur emphyteuſis de pacto & providentia, num.1058. ibid.
Quæ dicatur emphyteuſis hæreditaria num. 1059. ibid.
Si emphyteuſis ſæcularis alicui concedatur pro ſe & pro illo qui nominaverit ac pro eo quem à ſe nominatus nominaverit eſt ex pacto & providentia, num.1060. ibid.
Quiſnam ex hæredibus ab inteſtato præferendus ſit in emphyteuſi,n.1061. ibid.
In emphyteuſi ex pacto & providentia ſucceſſor non tenetur ratione ipſius ad debita ſui anteceſſoris etiam ſi ſit patris, num.1062. p.428
Hæredes extranei non ſuccedunt in emphyteuſi eccleſiaſtica etiamſi ſit hæreditaria, n.1463.ibid.
Si filius renuntiavit hæreditati patris non ſuccedit in emphyteuſim quam pater pro ſe & filiis & hæredibus acceptavit ſive ſæcularis ſive eccleſiaſtica ſit,num.1064. ibid.
In emphyteuſi quæ conceditur pro aliquo & filiis & hæredibus ſuccedunt hæredes quamvis filii non ſint præſertim ſi ſæculares ſint,n.1065. ibid.
Si emphyteuſis concedatur pro ſe & pro hæredibus & ſucceſſoribus ſuis cenſetur data cum facultate transferendi ad extraneos,num. 1066. ibid.
Quamvis emphyteuſis hæreditaria ſit conceſſa pro quibuſcunque hæredibus & ſucceſſoribus non poteſt transferri in aliquem potentiorem & magis privilegiatum, num.1067. ibid.
Pater licite poteſt cum domini conſenſu vendere emphyteuſim pro toto vitæ tempore conceſſam etſi filij pro quibus conceſſa fuit contradicant ſive hæreditaria,ſive non hæreditaria ſit,n.1068. p.429.
Si emphyteuſis ſit acquiſita ex re patris poteſt pater de domini licentia communi ex filiis prælegare vel in extraneum alienare, num.1069. ibid.
Pater in emphyteuſim poteſt præjudicare filiis ſi tantumdem de propriis bonis relinquat filio cui in emphyteuſi præjudicavit, num.1070. ibid.
In præjudicium filij poteſt pater alienare emphyteuſim ſi ex verbis conceſſionis id fieri poſſe colligatur,num.1071. ibid.
Pater non poteſt præjudicare filiis ſi emphyteuſis ſit ex pacto,& providentia,& antiqua num. 1072. ibid.
Quid ſi ſit nova, num. 1073. ibid.
Si emphyteuſis ſit hæreditaria ſimpliciter poteſt pater uni filiorum emphyteuſim dare non læſa legitima portione filiorum,num. 1074. ibid.
Licitum eſt patri cum conſenſu domini conceſſionem emphyteuſis filiis factam revocare quando urgens cauſa intervenerit, num.1075. ibid.
Si emphyteuta profiteatur religionem incapacem bonorum ſtabilium in communi emphyteuſis tranſit ad legitimos hæredes & ſucceſſores, num.1076. p.430
Si emphyteuta profiteatur religionem capacem bonorum ſtabilium in communi ſi emphyteuſis fuerit hæreditaria tranſit ad monaſterium,ſed debet intra annum vendi, num.1077. ibid.
Quid ſi emphyteuſis ſit de pacto & providentia, num.1078. ibid.
An religioſus ante profeſſionem poſſit nominare in emphyteuſim ipſum monaſterium, n. 1079. ibid.
An monachus poſſit nominari ad emphyteuſim, num.1080. ibid.
Qui ex conſenſu domini obtinuit emphyteuſim ſive pater ſit ſive filius poteſt inconſulto domino dominari,n.1082. p.430
Quid juris acquirat nominatus,num.1081. ibid.
An nominatio facta ſimpliciter, quæ præmoriente nominato in vita nominantis revocatur fiat irrevocabilis per traditionem factam nominato abſque ulla juris emphyteutici tranſlatione,n.1083. ibid.
Si quis ſe ipſum nominet invalide nominat,n.1084. pag.431.
Secunda nominatio vivente adhuc filio qui prius fuerat à matre nominatus eſt nulla ſi matri tantum erat integrum ſemel nominare, num.1085. ibid.
Si nominatio fiat in teſtamento nullo regulariter nominatio eſt nulla, num.1086. ibid.
Nominatio in teſtamento nullo cauſa exhæredationis ſeu præteritionis eſt valida, numero 1087. ibid.
Si teſtamentum eſt validum adhuc poteſt nominatio revocari, num.1088. ibid.
Quid ſi poſt nominationem ſequatur traditio, num. 1089. ibid.
An nominatio facta in titulum dotis ſit revocabilis,num.1090. p.432
An nominatus cum tranſactione totius juris emphyteutici poſſit ad libitum diſponere de emphyteuſi per alienationem, num.1091. ibid.
Quot teſtes requirat nominatio cauſa mortis extra teſtamentum & codicillum ad ſui firmitatem, num.1092. ibid.
Si concedatur alicui emphyteuſis pro ſe & filiis & nepotibus maſculis nepotes maſculi ex filiabus veniunt ad illam ſi conceſſio non fuit tacita ad conſervandam agnitionem, num.1093. p.432
Si emphyteuſis concedatur pro ſe & filiis tantum extenditur ad fœminas, num.1094. ibid.
Ponuntur quædam corollaria,num.1095. ibid.
Mortuo primogenito in vita patris emphyteuſis tranſit ad ſecundum genitum & non ad filium primogeniti mortui, num.1096. p.433
Hæc diſpoſitio non præcedit in majoratibus ubi admittitur repræſentatio,num.1097. ibid.
Præciſo caſu inopinatæ neceſſitatis cogendus eſt dominus directus ad faciendam nominationem in filiis ultimi poſſeſſoris ſive ſit emphyteuſis eccleſiaſtica ſive non, num.1098. ibid.
Hæc renovatio petenda eſt intra annum & quando hic annus incipiat, num.1099. ibid.
Emphyteuſis ſive privata ſive eccleſiaſtica quæ non poteſt tranſire ad extraneos non tranſit ad fiſcum, n.1100. p.433
Emphyteuſis privata quæ poteſt tranſire ad extraneos

neos transit ad fiscum, n.1101. ibid.
Quid dicendum sit de emphyteusi Ecclesiastica si in aliquo casu possit transire ad extraneos, n.1102. ibid.
Commoditas emphyteusis privatæ quæ non potest transire ad extraneos dum criminosus vivit pertinet ad fiscum, n.1103. p.434
Quid de emphyteusi Ecclesiastica dicendum sit, n.1104. ibid.
Quid si in concessione emphyteusis tam Ecclesiasticæ quam privatæ pactum sit appositum ne emphyteusis possit alienari nec in alios transire, nisi in eos qui vocantur in institutione, num.1105. ibid.
Quando finitur emphyteusis investitura, prima non potest à domino mutari, numero 1106. p.434.
Quid si talis mutatio fiat de consensu eorum de quorum præjudicio agitur, n.1107. ibid.
Jure Lusitano succedunt in emphyteusim ab intestato filij naturales deficientibus legitimis, num. 1108. ibid.
Quid si emphyteusis sit Ecclesiastica, num.1109. ibid.
An emphyteusis Ecclesiastica possit à principio dari spurio, n.1110. ibid
Quoddam corollarium ponitur, n.1111. ibid.
Si emphyteusis Ecclesiastica de pacto & providentia concedatur marito & uxori & filio utriusque non potest venire ad filios naturales & spurios utriusque, n.1112. p.435
Quando emphyteusis fuit concessa pro Petro & Maria uxore ejus, & filiis utriusque censetur concessa pro filiis prioris matrimonij & non secundi vel tertij, n.1113. ibid.
Idem dicendum est si concedatur Petro, & uxori, & filiis suis, n.1114. ibid.
Quid si emphyteusis sit concessa pro Petro & Maria uxore, & eorum filiis, n.1115. ibid.
Si emphyteusis fuerit liberæ nominationis potest nominans gravare nominatum ut det centum aureos, v.g. pro maritanda tali fœmina, n.1116 p.435
Quid si emphyteusis sit de pacto & providentia quæ accipitur pro se & filiis, vel pro se & descendentibus, n.1117. ibid.
Quid si pater in vita nominet emphyteusim & statim se privat usufructu illius, numero 1118. ibid.
Dominus directus finitis personis quibus emphyteusis concessa fuit, tenetur eandem renovare hæredibus ac descendentibus accipientis, n.1119. p.436
Hoc jus renovandi est hæreditarium & transit ad quoscumque hæredes & si in concessione detur clausula quod finitis generationibus libere reddat ad dominum, n.1120. ibid.
Petens renovationem, debet esse de linea & generatione ultimi possessoris, n.1121. ibid.
In petenda renovatione hæres defuncti emphyteutæ, licet sit extraneus debet præferri cognatis defuncti quando emphyteusis est de libera nominatione, n.1122. ibid.
Ex pluribus existentibus in eodem gradu potest dominus eligere quem maluerit, n.1123. ibid.
Hæc renovatio petenda est intra annum, n. 1124. ibid.
Si intra annum non petatur, descendentes excluduntur à jure renovationis, n.1125. ibid.
Ponuntur aliquæ exceptiones, n.1126. ibid.
Ut quis petat renovationem non requiritur ut ostendat melioramenta à prædecessoribus, satis est quod emphyteusis deteriorata non sit, n.1127. ibid.
In renovatione emphyteusis sive Ecclesiasticæ sive sæcularis augenda est pensio, & quomodo id faciendum sit, n. 1128. p.437
Res Ecclesiasticæ non possunt nisi justa causa & cum certa solemnitate emphyteuticari, n. 1129. ibid.
An extravagans ambitiosa sit in Lusitania recepta, n.1130. ibid.
Dato quod sit recepta de quibus rebus fit intelligenda, n.1131. ibid.
Si res fuit à principio servata forma juris emphyteuticata potest iterum concedi beneficio renovationis in emphyteusim, n.1132. ibid.
An hæc conclusio procedat in pallalibus Ecclesiæ, n.1133. ibid.
Si Agricola probet se possedisse in emphyteusim cum titulo vero ab ordinario concesso per spatium quadraginta annorum & amplius pallalia præjudicatus est quoad dominium utile Ecclesiæ, n.1134. ibid.
Prima causa excusans dominum directum à renovatione facienda ut si emphyteuta incidat in commissum & post declaratam voluntatem domini sententia esset secuta, n.1135. p.438
Secundò excusaretur Dominus ab onere renovandi Petro si ipse erat præsens, & pallus est investiri de pertinente ad Francilcum, n.1136. ibid.
Tertiò excusatur si emphyteuta incurrit aliquod crimen per quod caducitas incurratur, num.1137 ibid.
Dominus directus privatus laicus potest aliquid accipere pro renovatione emphyteusis concedenda, n.1138. p.458
Id quod datur pro ingressu non debet excedere limites justitiæ, n.1139. ibid.
Ecclesiastici non possunt aliquid recipere pro ingressu in concessione vel renovatione emphyteusis, n.1140. ibid.

Emptio.

Quid sit emptio & venditio describitur, num.778. p.387.
Hic contractus perficitur quoad substantiam per solum mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum, n.779. ibid.
Ad substantiam venditionis non est necesse ut traditio rei venditæ actu fiat ob quod sit ex natura sua translativa dominij, n.780. ibid.
Ad substantiam venditionis non est necesse ut pretium actu tradatur venditori, sed sufficit quod venditor teneatur in conscientia illud tradere, n.781. ibid.
Dominium rei venditæ transfertur quando traditur res emptori à venditione & solvitur ab emptore pretium, n.782. ibid.
Quid si gabella solvenda sit ex venditione stando in jure Lusitano, n.783. ibid.
An statim post utriusque consensum contrahentis incipiat deberi gabella etiam ante rei venditæ & pretij traditionem, n.784. p.388
An quando in venditione initio contractus datur aliqua pecunia vel in partem pretij vel in signum postea faciendi venditionem in arrham in signum initi contractus pro securitate sit obligatio solvendi gabellam, n.785. ibid.
An quando contrahentes in instanti resiliunt à contractu debeatur gabella, n.786. ibid.
Omnes personæ sæculares quæ contrahere possunt, possunt etiam emere & vendere, n.787. p.388.

Digitized by Google

Index Rerum.

Negotiatio & mercatura mere lucrativa eſt clericis & beneficiariis etiam in ſacris non conſtitutis & religioſis mortaliter prohibita, num. 788. ibid.

Non eſt negotiatio illicita ſi beneficiarius vendat ea quæ ſuæ familiæ ſuſtentationi ex fructibus beneficij, & bonorum patrimonialium ſuperſunt, n. 789. p. 389

Non eſt negotiatio illicita ſi ex proprijs ſalinis ſalem efficiant ad vendendum, n. 790. ibid.

An coloni qui conducunt prædiæ Eccleſiaſticorum, vel religioſorum, vel fructus beneficij teneantur ad gabellas, n. 791. ibid.

De jure Luſitano & jure communi prohibitum eſt publicis miniſtris juſtitiæ emere, vel vendere aliqua ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam in terris in quibus adminiſtrationem juſtitiæ exercent, n. 792. ibid.

Ponuntur hujus prohibitionis aliquæ limitationes, n. 793. ibid.

Tutores, & curatores de jure Luſitano non poſſunt, per interpoſitam perſonam aliquid ſibi, vel aliis emere de bonis minorum, & pupillorum, n. 794. ibid.

Idem prohibitum eſt eis de jure communi ſi clam vel per interpoſitam perſonam id faciant, n. 795. p. 389

An Curatores, & Tutores, palam de licentia judicis poſſint emere bona minoris & quid ſtando in jure Luſitano, n. 796. ibid.

Executoribus teſtamentorum prohibitum eſt jure Luſitano aliquid emere per ſe, vel per alios de bonis eorum quorum ſunt executores, n. 197. ibid.

Venditio facta inter virum, & uxorem de rebus quorum plenum uſum, dominium, & adminiſtrationem unuſquiſque habet, valida eſt, n. 798. p. 390

De jure Luſitano & jure communi invalidæ ſunt omnes venditiones, & permutationes inter patrem & filium, vel nepotem, vel alium deſcendentem, n. 799. ibid.

Omnia quæ pecunia æſtimantur vendi poſſunt niſi abſit aliqua ſpecialis prohibitio, n. 800. p. 390.

Poteſt vendi creditum actioque quam quis habet in emptorem, vel in rem debitam, pignus, hypothecam vel fidejuſſionem, n. 801. ibid.

Poteſt quis vendere omnia bona ſua tam præſentia quam futura, n. 802. p. 391

Non ſolum Principes ſupremi, ſed Principes regibus ſubjecti ſecluſo ſpeciali jure alicujus Regni poſſunt vendere officia ſæcularia quæ ipſorum ſunt, vel ipſis abſolutè ducta, n. 803. ibid.

Quid dicendum ſit de jure Luſitano, numero 804. ibid.

Proteges & gubernatores exercituum de jure Luſitano, & communi non poſſunt vendere officia juſtitiæ adminiſtrativa, n. 805. ibid.

An cum teſtator commiſit, ut eleemoſyna inter pauperes divideretur, vel Dynaſta cui Princeps commiſit, ut prædicta officia diſtribueret inter digniores, poſſit pretium accipere pro danda eleemoſyna, vel officio huic, vel illi quando eligendi ſunt æquales ſine onere reſtitutionis, numero 806. ibid.

Sententia authoris proponitur circa diſtributionem eleemoſynæ, n. 807. ibid.

Authoris ſententia circa diſtributionem officiorum, n. 808. ibid.

Judex quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles non poteſt pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio n. 809. p. 392

Solvuntur contrariorum fundamenta. n. 810. ibid.

An detur lex venditionem officiorum ſæcularium prohibens ſub mortali Dynaſtis, vel illis quibus conceſſum eſt prædicta officia tribuere, n. 811. ibid.

Quid de vendente, vel renuntiante pro pretio officia ſibi à Rege collata ſine licentia Regis, n. 812. ibid.

Venditio rei alienæ eſt invalida quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, n. 813. p. 393

Venditio rei alienæ valida eſt quo ad transferendum dominium pretij in venditore, licet ipſe teneatur ad reſtituendum quantum intereſt emptorem non eſſe factam ſuam, n. 814. ibid.

Executor Teſtamenti.

Omnes tam Eccleſiaſtici quam laïci poſſunt eſſe executores teſtamentorum, imo clericus & laïcus ſimul, n. 762. p. 385

Religioſus non poteſt ſumere munus executoris teſtamenti niſi de Prælati licentia & cujus Prælati debeat eſſe licentia, n. 763. ibid.

Executor teſtamenti non poteſt hoc munus transferre in alium, n. 764. ibid.

Quando teſtator non nominavit executorem teſtamenti cui pertineat hoc munus, n. 765. ibid.

Quid ſi executores nominati nullus eorum hoc munus acceptaverit, n. 766. ibid.

Executor univerſalis poteſt vendere bona teſtatoris ad exequenda legata, n. 767. ibid.

Quid dicendum de executore particulari, n. 768. ibid.

An executor poſſit invito hærede ſolvere legata & creditoribus defuncti, n. 769. ibid.

Executores tenentur reddere rationem judici ſæculari, ſive Eccleſiaſtico, n. 770. p. 386

Intra quod tempus teneantur executores exequi teſtamentum, n. 771. ibid.

An poſſit teſtator prohibere ne executio devolvatur ad Epiſcopum, n. 772. ibid.

F

Fama.

POnitur famæ deſcriptio & explicatur, num. 18. p. 489

Ponitur honoris deſcriptio & explicatur, n. 19. ibid.

In quo differat fama ab honore, n. 20. ibid.

Fama detractione læditur, honor vero læditur contumelia, n. 21. ibid.

Ut obliget famæ reſtitutio, requiritur primo ut fama vere ablata ſit. p. 496

Secundo requiritur ut fama injuſtè ablata ſit, n. 68. ibid.

Tertio ut infamatus non poſſit alia via famam ſuam recuperare, n. 69. ibid.

Quarto quod delictum ob quod aliquis fuit infamatus alia via non ſit factum publicum, n. 70. ibid.

Quinto ut infamatus non remiſerit infamiam, n. 71. ibid.

Qui contra juſtitiam in re gravi alterum infamavit tenentur non ſolum ad famæ, ſed ad omnium damnorum ex juſtitia ſecutorum reſtitutionem, n. 72. p. 469

Qui per ſuam infamiam fuit cauſa ne aliquis conſequeretur aliquod bonum, tenentur ad reſtitutionem quanti valebat ſpes obtinendi illud bonum. n. 73. ibid.

Quid

Digitized by Google

Index Rerum.

Quid ſi infamans fugerit cauſa ut quis privetur officio iam obtento, n.74. ibid.
Quatuor dantur bonorum ordines animæ vitæ famæ & honoris & fortunarum, n.75. ibid.
Nemo tenetur famam reſtituere cum periculo vitæ, n.76. p.497
Quid ſi ex infamia periculum vitæ infamato impendat, n.77. ibid.
Nemo tenetur cum notabiliter majori damno ſuæ famæ famam alterius reſtituere, n.78. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n.79. ibid.
Quando fama reſtitui non poteſt ſine vitæ periculo non tenetur infamans pecunia compenſare, n.80 p.497
Probabile eſt quod ſi quis non poteſt reſtituere famam, non teneri pecunia compenſare etſi infamatus id velit, n 81. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n.82. ibid.
Quando quis poſſet & nollet famam reſtituere & infamatus compenſatione pecuniæ contentus ſit, ad id tenetur infamator, n.83. ibid.
Qui alterum infamavit falſum crimen imponendo quomodo debeat famam reſtituere, num. 84. p.498.
Quid ſi infamator ſit perſona illuſtris & infamatus plebejus, n.85. ibid.
Qui alterum infamavit verum crimen propalando quomodo debeat famam reſtituere, numer.86. ibid.
Qui alterum infamavit in uno genere criminis an poſſit in alio genere criminis reſtituere, n.87. ibid.
Apud quos teneatur infamator famam læſam reſtituere, n.88. ibid.
An hæredes infamatoris teneantur famam reſtituere, n.89. ibid.
Qui prædicto modo infamavit tenetur deprehenſo errore ex juſtitia famam reſtituere, num.90. p.499
Si quis infamatus eſt ſine culpa infamatoris, ſi interim aliquod damnum patiatur non tenetur infamator illud reſtituere, n. 91. ibid.
Si te narrante de Petro aliquid auditores intelligant ad quid teneatur infamator, n.92. ibid.
Prælatus, vel Superior non impediens ut ſuus ſubditus, detrahat etiam de non ſubdito, ſi detractio fiat in ſua præſentia peccat contra juſtitiam & tenetur ad reſtitutionem, n. 93. ibid.
Quid ſi ſubditus detrahat in ejus abundantia, n. 94. ibid.
Quid ſi non detrahat detractionem non ſubditum detrahentem de ſuo ſubdito, n.95. ibid.
Quando duo ſe invicem infamant neuter tenetur ex juſtitia reſtituere, n.97. p.499
Altero reſtituente tenetur alter reſtituere, num.97. ibid.
Quædam advertentia pro reſtitutionis intelligentia ponitur, n.98. ibid.
Homo privatus poteſt famæ reſtitutionem condonare modo infamia non redundet in familiam ejus, n.99. ibid.
Quando infamia redundat in familiam à quo tunc facienda ſit condonatio famæ, n 100. p.500
Quid ſi vir privatus ſit vir valde utilis reipublicæ, n.101. ibid.
Perſona publica ut Prælatus, Rex, Paſtor, &c. peccat contra juſtitiam famæ propriæ reſtitutionem condonando, n.102. ibid.
Si reus neget delictum non probatum, non tenetur famam accuſanti reſtituere, n.103. ibid.
Si aliqua infamia in hoc caſu accuſatori ſequatur non à reo, ſed ab accuſatione non probata procedit, n.104. ibid.
Ex eo quod reus neget crimen, non ob id accuſator aliquam infamiam incurrit, numero 105. ibidem.
Prima cauſa excuſans à famæ reſtitutione eſt juſta condonatio, n.106. p.560
Tertia ſi fama ſit alia ratione recuperata, n. 108. ibid.
Quarta ſi fama abjit in oblivionem, num. 109. ibid.
Quinta ſi crimen de quo quis fuit infamatus alia ratione fiat publicum, n.110. ibid.
Aliæ cauſæ excuſantes referuntur, numero 111. ibid.

Famuli.

Famuli tenentur Dominis honorem, reverentiam, & obedientiam exhibere dum famuli ſunt n. 86. p.246
Famulus qui promiſit ſervire integro anno ſi tranſactis aliquibus mentibus recedit a ducta fide de jure Luſitano nihil ei ſolvendum eſt, ſecus in foro conſcientiæ, n.87. p.247
Famulus qui intra triennium ſalarium non petivit ſervitij non poteſt illud petere finito triennio de jure Luſitano, ſecus in foro conſcientiæ, n.88. ibid.
Famulus qui ex metu, vel ex aliqua cauſa ſervivit minus conſueto dipendio poteſt ſe compenſare de bonis Domini, n.89. ibid.
Famulus qui minori pretio infimo Domino ſervivit ſperans à Domino aliquod beneficium ſi illud poſtea minimè accepit non poteſt ſe compenſare de bonis Domini, n.90. ibid.

Feudum.

Quid ſi feudum explicatur, n.36. p.286
In quo differat ab emphyteuſi explicatur, num.37 ibid.
Ponitur feudi definitio, n.1141. p.439
Ponuntur feudi diviſiones, n.1142. ibid.
Quid ſit feudum ſæculare quid Eccleſiaſticum, numero 1143. ibid.
Quid ſit feudum reale, quod perſonale, quid ligium, n.1144. ibid.
Quid ſit feudum francum & non francum, n.1145 ibid.
Quid ſit feudum tranſitorium, & non tranſitorium, n.1146. ibid.
Quid ſit feudum de pacto & providentia & hæreditarium, n.1147. p.439
Quid ſit feudum antiquum, & novum, num. 1148. ibid.
Quid ſit feudum purum & conditionatum, n.1149. ibid.
Quid ſit feudum paternum & maternum, n.1150. ibid.
Quid ſit feudum guardiæ & caſtaldiæ, num.1151. ibid.
Quid ſit feudum de camara & cavena, num.1152. ibid.
Quid ſit feudum curtæ & extra curtam, n. 1153. ibid.
Prima conditio ad contractum feudi eſt ut feudum ſponte datum ſit, n.1154. p.440
Feudum ut dominium directum remaneat apud dantem utile apud recipientem, numero 1155. ibid.

Tertio requiritur ut perpetuo tranſeat ad maſculos, n.1156. ibid.
Quarto ut gratis concedatur, n.1157. ibid.
Quinto ut feudum conſtituatur in re immobili, numero 1158. ibid.
Sexto ut vaſſallus quando incipit poſſidere feudum inveſtiatur à domino directo, n.1159. ibid.
Reges Luſitaniæ, nunquam fuere feudatarij Regum Caſtellæ, n.1160. ibid.
Sunt feudatarij Eccleſiæ & Abbatis Clavarienſis n.1161. ibid.
Feudum diſtinguitur ab emphyteuſi primo eo quod in feudo ſola fidelitas & obſequium perſonale debetur, n.1162. p.440
Secundo quia infeudans cognoſcit de cauſa inter eos qui feudum poſſident non tamen in emphyteuſi, n.1163. ibid.
Tertio feudatarius non poteſt alienare, nec oppignorare feudum benè tamen emphyteuta, n.1164. ibid.
Quarto fœmina non ſuccedit in feudo niſi exprimatur, bene tamen in emphyteuſi, num.1165. ibid.
Feudatarius poteſt à ſe abdicare feudum non tamen emphyteuta, n.1166. ibid.
Feudatarius tenetur præſtare juramentum fidelitatis, n.1167. p.440
Debet præſtare obſequium promiſſum, num.1168. ibid.
Non poteſt alienare feudum ſine domini & agnatorum conſenſu, n.1169. ibid.
Tenetur feudatarius ſuccurrere Domino in aliquibus caſibus qui referuntur, n.1170. p.441
Si feudatarius extra caſum hæreſis, & læſæ Majeſtatis accuſet domino poteſt privari feudo, numero 1171. ibid.
Secundo ſi non obſervet pacta ſub quibus feudum accepit, n.1172. ibid.
Tertio ſi feudatarius occidat ſuum proprium patrem, fratrem, vel patris filium ſpe hæreditatis, n.1173. ibid.
Quarta cauſa eſt lapſus termini præſcripti in inveſtitura, vel mors feudatarij ſine filiis vel agnatis, num.1174. ibid.
Finito feudo ad quem tranſeat feudum, n.1175. ibid.

Fidejuſſio.

Quid ſit fidejuſſio deſcribitur, n.1271. p.455
Ut fidejuſſio ſit licita debet eſſe contractus acceſſorius ſupponens alium debitorem, num. 1272. ibid.
Non debet fidejuſſor ad plus obligari quam debitor principalis, n.1273. ibid.
Exiſtente invalida obligatione debitoris nulli debet etiam eſſe fidejuſſio, n.1274. ibid.
Non debet fidejuſſor conveniri niſi facta executione principalis debitoris, n.1275. ibid.
Omnes qui bona habent, & eorum liberam adminiſtrationem nec à jure repelluntur poſſunt fidejubere, n.1276. p.455
Clerici fidejubere non poſſunt in Eccleſiæ præjudicium, n.1277. ibid.
Religioſus non poteſt eſſe fidejuſſor ſine Prælati & majoris partis capituli conſenſu, num.1278. ibid.
Mulier non poteſt eſſe fidejuſſor pro marito, & ſi fidejubeat fidejuſſio eſt nulla, numero 1279. pag.456
Mulier pro aliis poteſt fidejubere cum quibuſdam ſolemnitatibus, n.1280. ibid.
Mulier poteſt reſcindere etiam validam fidejuſſionem ſi ſolverit ubi privilegio Velleiano, n.1281. ibid.
In aliquibus caſibus qui referuntur non poteſt mulier ut privilegio Velleiano n.1282. ibid.
Qui extra hos caſus aliquid recipit à muliere fide jubente totum ei tenetur reſtituere, num. 1283. ibid.
Quando duo, vel tres, vel plures pro parte ſe ſolum obligant pro illa ſolum conveniri poſſunt, num. 1284. p.456.
Quid ſi omnes pro individuo ſe obligarunt, n.1285 ibid.
Qui in ſolidum convenitur excipere poteſt ex Epiſtola D. Adriani, ut quilibet pro ſua parte conveniatur, n.1286. ibid.
Quid dicendum ſit in Luſitania ubi hæc exceptio non admittitur, n.1287. ibid.
Si unus fidejuſſor totum ſolvit poteſt creditorem compellere, ut ſibi cedat actionem quam in reliquos fidejuſſores habet, n.1288. ibid.
Si conventione non præcedente fidejuſſor totum ſolvit non poteſt jam creditor hujuſmodi actionem fidejuſſori cedere, n.1289. ibid.
In aliquibus caſibus poteſt fidejuſſor agere contra debitorem, ut liberetur à fidejuſſione qui ibi explicantur, n.1290. p.456
Non poteſt fidejuſſor agere adverſus debitorem ſi potens defendere cauſam exceptione peremptoria eam non appoſuit aut ſi potens appellare non appellavit, n.1291. ibid.
Si ſolvat ante diem, vel ante impletam conditionem petere non poteſt à debitore, num.1292. p.457
Fidejuſſor qui ſe tantum ad aliquod tempus obligavit liber manet ſi creditor prorogavit terminum debitori, n.1293. ibid.
Fidejuſſor qui ſe obligavit ad Petrum exhibendum liberatur ab hac obligatione ſi Petrus pro quo fidejuſſit poſt fidejuſſionem perpetravit crimen capitale propter quod aufugit, numero 1294. ibid.
Fidejuſſor liberatur ab onere fidejuſſionis ſoluto debito à debitore principali, n.1295. ibid.
Si fidejuſſor ſolum fuit indemnitatis liberatur ſi adveniente tempore exigendi debitum creditor negligens fuit in eo petendo & poſtea debitor factus eſt impotens, n.1296. ibid.
Fidejuſſor qui fidejuſſit pro reo cui periculum capitis, vel mutilationis impendebat re fugiente abſque illius culpa capite plectendus non eſt, n.1297. ibid.
Fidejuſſor licitè poteſt pecuniam accipere pro fidejuſſione, n.1298. p.457
Ponitur quoddam corollarium, n.1299. ibid.
Debitor tenetur ſolvere non ſolum debitum quod fidejuſſor pro eo ſolvit, ſed omnes expenſas, & damna quæ ipſe ſubjit modo culpa debitoris interceſſerit, num.1300. ibid.

Fides.

Fides eſt virtus Theologica, n.1. p.1
Quomodo definiatur, n.2. ibid.
Fides eſt Dei donum, n.2. ibid.
In qua potentia ſit habitus fidei, n.4. ibid.
Fides habitualis infuſa omnibus fidelibus eſt neceſſaria etiam peccatoribus, & infantibus; fides verò actualis ſolum ratione utentibus competit, n.5. p.2
Fides actualis alia explicita, alia implicita & quid utraque ſit, n.6. ibid.
Quid dicatur neceſſitate medij, quid præcepti, n.7. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Fides habitualis neceſſaria eſt neceſſitate medij tam parvulis quam adultis, num. 8. ibid.
Fides actualis eſt adultis uſu rationis utentibus neceſſaria neceſſitate medij & præcepti, num. 9. ibid.
Ad quæ objecta ſe debeat actus fidei explicitus in adultis ratione utentibus extendi neceſſitate medij, num. 10. p. 2
Quæ debeat Chriſtianus ſcire ex præcepto divino fidei, num. 11. ibid.
Quæ debeant rudes neceſſario ſcire, numero 12. ibid.
Quid debeant paſtores confeſſarij & curati neceſſario ſcire, num. 13. ibid.
Aliquando tenetur fidelis neceſſitate medij elicere actum fidei, num. 14. p. 3
Quo tempore debeat illum elicere, numero 15. ibid.
Ex vi præcepti fidei tenetur fidelis elicere actum fidei, num. 16. ibid.
Quo tempore teneatur fidelis ex vi præcepti elicere actum fidei, num. 17. ibid.
Datur præceptum exterius fidem confitendi & illam non negandi, num. 18. p. 3
Quando teneatur homo ex præcepto exterius fidem confiteri, num. 19. ibid.
An quando quis interrogatur an ſit catholicus cum periculo vitæ teneatur ſe talem fateri, numero 20. ibid.
Quid ſi interrogetur ab infideli an ſit ſacerdos monachus, &c. num. 21. p. 4
Quid ſi Tyrannus præcipiat ut omnis catholicus à ſuo regno exeat vel deferat ſigna ſuæ religionis, num. 22. ibid.
Quid ſi fidelis videat ſacras imagines conculcari, num. 23. ibid.
Fidelis tenetur numquam fidem exterius negare ex præcepto negativo fidei, numero 24. ibid.
Quid ſi utatur veſtibus infidelium, numero 25. pag. 4.
Quid ſi ſit periculum mortis vel neceſſarium ſit uti veſte infidelium, num. 26. ibid.
Catholicus ex magna cauſa poteſt comedere carnes diebus vetitis inter infideles, numero 27. pag. 5.
Sacerdotes poſſunt omittere officium divinum ex gravi cauſa inter infideles, numero 28. ibid.
Quando poſſit fidelis ingredi templa falſæ religionis, num. 29. ibid.
Quas actiones poſſit Rex animo catholicus efficere inter infideles ne dignoſcatur, num. 30. ibid.
An deficiente catholico qui baptiſmum miniſtret poſſit quis ab hæretico baptiſmum recipere, n. 31. ibid.

Filij.

Filius tenetur parentes diligere, num. 1. p. 236
In quo conſiſtat ſic amor, num. 2. ibid.
Filij qui parentes odio proſequuntur peccant mortaliter, num. 3. ibid.
Tenentur hanc circunſtantiã in confeſſione explicare, num. 4. ibid.
Filij tenentur parentibus reverentiam exhibere, n. 5. pag. 236.
Filius qui parentes percutit peccat graviter, n 6. ibid.
Idem dicendum eſt ſi eis maledicat, num. 7. ibid.
Idem ſi ex contemptu non agnoſcat patrem, num. 8. ibid.
Filius qui parentes de aliquo crimine accuſat excepto crimine divinæ vel humanæ majeſtatis peccat mortaliter, num. 9. ibid.
Non poteſt filius patrem proſcriptum occidere, n. 10. pag. 237
Quid ſi pater ſumat arma in patriam, numero 11. ibid.
Filij tenentur parentibus obedientiam præſtare in his in quibus ſunt illis ſubjecti, numero 12. ibid.
Filius non tenetur in rebus parvis parentibus obedire, num. 13. ibid.
Non tenetur eis obedire in his quæ pertinent ad vitæ ſtatum & quomodo hoc ſit intelligendum, num. 14. ibid.
An pater poſſit compellere filium ad matrimonium num. 15. ibid.
Quid ſi pater impediat filium à Religione vi vel fraude, num. 16. ibid.
Quid ſi ſolum precibus vel promiſſionibus averteret etiam filium à religione, numero 17. ibid.
Filij tenentur ſubvenire parentibus tam in neceſſitate ſpirituali quam corporali modo eis ſubvenire poſſint, num. 18. p. 238
Filius ſi ſit hæres patris tenetur ejus debita & legata ſolvere poſt acceptam hæreditatem, n. 19. ibid.
An filius teneatur ex bonis vinculatis ſolvere debita patris, num. 20. ibid.
Quid ſit de jure Luſitano, num. 21. ibid.
Quid ſi majoratus ſit inſtitutus ex bonis liberis, num. 22. ibid.
Filius etiam ex coïtu damnato tenetur parentes catholicos egenos ſuſtentare, numero 23. ibidem.
Quid ſi ſint Pagani, Iudæi, &c. numero 24. ibid.
Quid ſi pater paganus, vel Iudæus ſit in extrema neceſſitate, num. 25. ibid.
Filij qui relictis patribus in gravi vel extrema neceſſitate Religionem ingrediuntur ubi eis non poſſunt ſubvenire peccant mortaliter, n. 26. pag. 239
Filius profeſſus ingreſſus Religionem poteſt petita & non obtenta licentia exire ad parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis ſubveniendum, num. 27. ibid.
Parentibus & creditoribus ad extremam neceſſitatem redactis tenentur filij potius patribus quam creditoribus ſubvenire quando utriſque ſubvenire non poſſunt, num. 28. ibid.

Fornicatio.

Ponitur fornicationis definitio, numero 1. pagina 171
Fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale, num. 20. ibid.
Non eſt majus peccatum peccatis quæ ſunt contra Deum vel proximum, num. 3. ibid.
Fornicatio prout opponitur bono prolis non ſolum opponitur caſtitati ſed etiam juſtitiæ, n. 4. ibid.
Fornicatio ſimplex eſt intrinſecè mala, num. 5. ibid.
Probatur multiplici ratione concluſio, num. 6. ibid.
Quædam objectiones proponuntur, numero 7. ibid.
Caſtitas perfecta & virginitas ſunt virtutes morales, num. 8. p. 171
De peccat fornicationis non poteſt dari ignorantia

Digitized by Google

rantia invincibilis inter Chriſtianos in civitatibus ed ucatos, num. 9, ibid.
Quid dicendum ſit de nationibus barbaris, num. 10. ibid.
Si Ruſticus neget fornicationem eſſe peccatum debet inſtrui & non ſtatim denunciandus niſi inſtructus perſiſtat in ſuo errore, numero 11. ibid.
Qui committit fornicationem cum tribus fœminis ſufficit ſi dicat in confeſſione ter fornicatus ſum, num. 12. p. 272
Vir vel fœmina qui primum actum fornicationis committit non tenetur id explicare, num. 13. ibid.
Si quis non ſervet debitum modum in copula ſi non ſit periculum extra vas legitimum effundendi ſemen non tenetur id explicare, num. 14. pag. 273.

Fratres.

Frater tenetur fratribus extreme vel graviter indigentibus alimenta præſtare, numero 100. pag. 248.
Frater tenetur ſororem pauperem alere & dotare convenienter ad genus ſuum, numero 101. pag. 249.
An frater ſolum habens majoratum teneatur ex fructibus illius ſorores pauperes alere & dotare, num. 102. ibid.
Non tenetur frater dotare ſororem quando eam pater legitime exhæredavit, numero 103. ibid.
Filius non tenetur dotare matrem inopem ſi velit nubere, num. 104. ibid.
An frater Religioſus poſſit exire à Religione pro ſubvenienda ſorore graviter vel extreme indigente, num. 105. ibid.
Frater volens ingredi collationem cum aliis fratribus quæ bona de jure Luſitano teneatur adducere ad collationem, numero 106. pagina 250
Quid ſi filia dotata noluerit eſſe hæres & renunciaverit ſucceſſioni paternæ, numero 107. ibid.
An ad hanc collationem adducendæ ſint donationes modicæ quas pater minutatim fecit alicui filio in caſu quo excedant legitimam, n. 108. ibid.
Filius ingrediens collationem non tenetur adducere ſumptus pro convivio nuptiarum bene tamen alios ſumptus, num. 109. ibid.
Filius & filia de jure Luſitano tenentur adducere veſtes & ornamenta data ſibi à parentibus pro tempore nuptiarum, num. 110. ibid.
Si filius vel filia nupſit per communicationem bonorum tenetur adducere ad collationem mortuo utroque parente totam dotem vel illius medietatem ſi uno tantum fuerit orbatus, num. 111. ibid.

H

Habitatio.

Ponitur habitationis definitio, numero 33. pag. 280.

Hæreſis.

Quid ſit hæreſis, num. 43. p. 7
Dubius in fide hæreticus eſt, num. 44. ibid.
Hæreſis ſupponit baptiſmum, num. 45. ibid.
Si conſtet aliquem invalide fuiſſe baptizatum non poteſt Eccleſia eum cogere ut iterum recipiat baptiſmum, num. 46. ibid.
Hæreſis alia interna alia externa & quid utraque ſit, num. 50. p. 8

Hæredes.

Qui ob crimen aliquod redduntur inteſtabiles à jure non poſſunt hæredes nec legatarij inſtitui & qui hi ſint num. 671. p. 373
Fratres minores non poſſunt inſtitui hæredes, num. 672. p. 344
Poſſunt inſtitui hæredes non ſolum privati ſed etiam communitates ut eccleſia, civitas, &c. n. 673. ibid.
Filij ſpurij tam jure communi quam Luſitano non poſſunt à Patre aliquid accipere ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato vel ex contractu inter vivos, num. 674. ibid.
Quid ſi pater inſtituat hæredem Petrum cum obligatione ut hæreditatem reſtituat filio ſuo ſpurio, num. 675. ibid.
An ſpurius ſubſtitutus pupillariter filio legitimo abſenti poſſit ſuccedere bonis paternis virtute talis ſubſtitutionis, num. 676. ibid.
An pater poſſit inſtituere hæredem filium ſpurium ſi à principe legitimetur, num. 677. ibid.
Spurius non poteſt ſuccedere matri etiam ſi nulla alia proles ſuperſit, num. 678. ibid.
Parentes non poſſunt ſuccedere filiis ſpuriis, n. 679. ibid.
Filij naturales poſſunt tam de jure communi quam Luſitano inſtitui hæredes univerſales à parentibus non habentibus filios legitimos aut aſcendentes, num. 680. ibid.
Filij naturales hominis mechanici ſuccedunt patri in legitima de jure Luſitano, non tamen filij hominis nobilis, num. 681. p. 375.
Multiplex eſt ſubſtitutio, vulgaris, pupillaris & exemplaris & fideicommiſſaria reciproca, n. 682. ibid.
Quid ſit ſubſtitutio vulgaris, numero 683. ibid.
Quid ſit ſubſtitutio pupillaris, numero 684. ibid.
Quando ceſſet ſubſtitutio pupillaris, num. 685. ibid.
Quid ſit ſubſtitutio exemplaris, numero 686. ibid.
Quid ſit ſubſtitutio fideicommiſſaria, num. 687. ibid.
In quo differat Trebellianica à Falcidia, num. 688. pag. 376
Quid ſit ſubſtitutio reciproca ſeu brevi loca, n. 689. ibid.
Quis ſit hæres neceſſarius, n. 690. ibid.
Quæ ſit legitima hæredibus neceſſariis debita, n. 691. ibid.
Quomodo hæc legitima dividenda ſit inter filios, num. 692. p. 376
Hæc legitima portio de jure communi civili debet relinqui filio ut hæredi, ut teſtamentum validum ſit, num. 693. ibid.
Quid dicendum ſit de jure Luſitano, numero 694. ibid.
Quæ ſint cauſæ exhæredationis filiorum, num. 695. ibid.
Qui dicatur mori ab inteſtato, n 696. p. 377
Deficientibus deſcendentibus ſuccedunt ab inteſtato aſcendentes & quo ordine, 697. ibid.

Index Rerum.

Deficientibus aſcendentibus ſuccedunt tranſverſales & quo ordine, num. 698. ibid.

Quando conſanguinei intra decimum gradum præter fratres & filios fratrum repræſentantes patrem ſuccedunt, debent hi omnes ſuccedere per capita & non per ſtipitem, numero 699. ibid.

His omnibus deficientibus ſuccedit conjux ſi non præceſſit divortium, non tamen ſponſa de futuro, num. 700. ibid.

Si non extent conſanguinei intra decimum gradum vel uxor, ſuccedit fiſcus, num. 701. ibid.

Liberum eſt hæredi acceptare vel repudiare hæreditatem, num. 722. p. 380

Si hæres acceptavit hæreditatem tenetur ſolvere debita realia teſtatoris non tamen perſonalia, num. 723. ibid.

Hæres qui confecit inventarium non tenetur ad debita defuncti etiam in foro externo niſi juxta vires hæreditatis, num. 724. ibid.

Hæres non ſolum tenetur ad debita realia defuncti ſed etiam ad legata à teſtatore relicta, num. 725. ibid.

Hæres in foro externo habet annum ad ſolvenda legata profana, in foro tamen conſcientiæ ſtatim tenetur ſolvere ac primum poteſt, numero 726. ibid.

Hæres cui teſtator in teſtamento mandavit ut faciat quod ei confeſſor dixerit ad quid teneatur, n. 727. ibid.

An ſi teſtator legatum reliquit cujus annui redditus in pauperes expenderentur juxta ſuorum hæredum placitum poſſit hæres totam illam quantitatem ſemel applicare alicui hoſpitali ut ex illis redditibus ibi pauperes alantur, num. 728. p. 381

Qui ſine vi vel fraude curavit aliquod teſtamentum mutari an teneatur ad reſtitutionem, num. 729. ibid.

Homicidium.

Homicidium eſt hominis occiſio, n. 1. p. 258

Authoritas publica licite poteſt per juſtitiam punitivam malefactores occidere, numero 2. ibidem.

An princeps non cognoſcens ſuperiorem poſſit malefactores occidere ſine ullo ſummario, numero 3. ibid.

Poteſtas publica poſt latam ſententiam poteſt concedere privatis ut occidant bannitum, n. 4. ibid.

Ut hæc occiſio banniti ſit licita debet fieri in territorio præſcribentis, num. 5. ibid.

Qui per ſententiam non ſunt banniti non poſſunt occidi, num. 6. ibid.

Maritus non poteſt licite occidere uxorem deprehenſam in adulterio, nec pater filiam deprehenſam in concubinatu, num. 7. ibid.

Quid ſi poſt datam ſententiam judicis authoritate uxor marito tradatur occidenda, numero 8. ibid.

Qui clericum inventum cum uxore occidit licet peccet non incurrit excommunicationem, n. 9. ibid.

Numquam licet directe innocentem occidere, n. 10. pag. 256

Quid ſi tyrannus minetur excidium civitatis niſi innocentem ei tradant, num. 11. p. 259

Quid ſi Tyrannus à gubernatoribus peteret ut caput innocentis ei traderent alioquin civitatem combuſturum, num. 12. ibid.

An in hoc caſu innocens teneatur ſe tradere Tyranno, num. 13. ibid.

Quid ſi traditio iſtius civis traheret in conſequentiam vitam aliorum civium, numero 14. ibid.

An virgo teneatur ſe tradere violandam ad rempublicam ab incendio liberandam, numero 15. ibid.

Princeps non poteſt innocentem probatum talem condemnare, ſed tenetur eum liberare ſi ei conſtet certo de ejus innocentia, num. 16. p. 259.

Iudex inferior tenetur omnem viam tentare ut talē innocentem liberet, num. 17. ibid.

Si nihil proficiat nec aliud remediū ſuppetat judex inferior in judicando tenetur judicare ſecundum allegata & probat, num. 18. ibid.

Idem dicendum eſt de carnifice & aliis miniſtris qui exequuntur ſententiam, numero 19. pag. 260

Iudex inferior non poteſt probatum innocentem occidere, etſi privata ſcientia eum ſciat morte dignum, num. 20. ibid.

Princeps in nullo caſu poteſt ex privata ſcientia occidere delinquentem, & multo fortiori ſi in judicio probetur innocens, numero 21. ibidem.

Quid ſi delictum in judicio probari poſſet, ex citatione tamen delinquentis gravia timerentur ſcandala, num. 22. ibid.

In aliquibus caſibus poteſt indirecte occidi innocens qui numerantur, num. 23. p. 261

Mulier licite poteſt ſumere pharmacum vel ſectionem venæ tendens directe ad ſanitatem, licet per accidens ſequatur mors fœtus, num. 24. ibid.

Quando medicamenta æque tendunt in ſanitatem matris & in mortem fœtus non licet illa ſumere ſi eſt ſpes quod mortua matre filius extrahatur & baptizetur, num. 26. ibid.

Quid ſi talis ſpes non ſit, num. 26. ibid.

Numquam licet ſumere medicamentum tendens directe ad occiſionem fœtus animati licet per accidens ſequatur ſalus matris, num. 27. ibid.

Quid ſi certum ſit fœtum non eſſe animatum, n. 28. ibid.

An mulier poſſit abortum procurare ſi fœtus non eſt animatus ad evadendum periculum vitæ ex partus manifeſtatione, numero 29. ibid.

Vtrum liceat ad evadendum periculum vitæ ſumere potionem directe tendentem ad effuſionem ſeminis, num. 30. p. 262

Quilibet poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere ſuum invaſorem quicunque ille ſit, n. 31. pag. 262

In quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ, n. 32. ibid.

An clericus vel religioſus teneatur fugere ne occidat ſuum injuſtum invaſorem, num. 33. ibid.

An plebei teneantur fugere ne occidant nobilem ſuum invaſorem, num. 34. ibid.

Invaſus poteſt ſe licite defendere contra Regem & Papam & principem injuſte eum aggredientem, etſi ſit perſona vilis, numero 35. ibid.

Injuſte invaſus poteſt occidere invaſorem non ſolum ad vitandam mortem ſed & mutilationem vel grave vulnus, alapam, &c. numero 36. pag. 263

Injuſte invaſus non tenetur regulariter occidere invaſorem, n. 37. ibid.

Quando

Index Rerum.

Quando invaſor actu non invadit, ſed eſt in procinctu ad invadendum, poteſt eum innocens occidere, num. 38. ibid.

Poteſt quis occidere eum qui ſolvit leonem vel canem ut eum laceret, num. 39. ibid.

Quid ſi aliquis decrevit alterum occidere & id amico manifeſtavit à quo occidendus id deprehendit poſtea eum occidere, num. 40. ibid.

An ſi Petrus Antonium falſis calumniis & teſtibus contendat per judicem interficere & de facto condemnandus ſit ad mortem, poſſit Antonius Petrum & ipſos falſos teſtes præveniendo occidere num. 41. ibid.

Licite poteſt quis occidere aggreſſorem proximi injuſtum ut defendat ejus vitam, num. 42. p. 264

An teneatur quis defendere vitam injuſte aggreſſi cum moderamine inculpatæ tutelæ, num. 43. ibid.

Quilibet etiam clericus vel regularis licite poteſt interficere volentem ſua bona magni momenti injuſte accipere, num. 44. ibid.

Quæ res dicatur magni momenti, num. 45. ibid.

Poteſt quis inſequi latronem qui res ſuas magni momenti defert & ſi eas nolit relinquere, poteſt eum occidere ut eas recipiat, num. 46. ibid.

Pro tuendis bonis proximi magni momenti poteſt quis licite occidere invaſorem, num 47. ibid.

Ob defenſionem honoris & pudicitiæ poteſt quis licite interficere injuſtum invaſorem, num. 48. pag. 264

An poſſit quis inſequi eum qui ei alapam impegit in continenti ut eum occidendo ſuum honorem recuperet, num. 49. p. 265

Quid ſi poſt tranſactum congreſſum invaſor alibi jam quietus exiſtat, num. 50. ibid.

Si quis ab alio atroci contumelia afficiatur, ſi ſimili verbo poſſit honorem ſuum recuperare non poteſt eum occidere, num. 51. ibid.

Sed quid ſi niſi occidendo poſſit honorem ſuum recuperare, num. 52. ibid.

Ob defenſionem honoris proximi poteſt quis licite occidere injuſtum invaſorem, num. 53. ibid.

Ob tuendam pudicitiam poteſt quis licite occidere invaſorem, num. 54. ibid

Nemini licet ipſum directe occidere, num. 61. pag. 267

Cuilibet licitum eſt cum juſta cauſa ſe ipſum indirecte occidere, num. 62. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, num. 63. ibid.

Qui contra regulas prudentiæ ſuam carnem macerat peccat mortaliter, num. 64. p. 268

Alia corollaria ponuntur, num. 65. ibid.

Homicidium voluntarium proximi intentum ab agente privato eſt peccatum mortale, num. 69. pag. 269

Quid ſi dante aliquo operam rei illicitæ mors ex ejus actione illicita ſequatur præter ejus intentionem, num. 70. ibid.

Quid ſi dante operam rei illicitæ mors alterius indirecte ſequatur, num. 71. ibid.

Quoties quis omiſit aliquid ad quod tenebatur ex juſtitia ſi ex ejus omiſſione ſequatur mors vel damnum alterius, tantum peccat quanta eſt omiſſionis malitia, num. 72. ibid.

Quid ſi quis Paulum occidat & homicidium non occidenti ſed alteri imputetur, numero 73. ibid.

Qui occidit Paulum putans eſſe Antonium peccavit; ſi tamen Paulus erat clericus non, incurrit excommunicationem, num. 74. p. 270

Quid ſi Antonius quem intendebat occidere eſſet etiam clericus, num. 75. ibid.

Homicida debet explicare in confeſſione, an occiſus eſſet ei perſona conjuncta ſaltem primo gradu an ſit clericus vel dignitas Eccleſiaſtica, an ſit perſona quam ſpecialiter protegit ſedes Apoſtolica, num. 76. ibid.

Tenetur explicare circunſtantiam loci, an fuerit in Eccleſia, num. 77. ibid.

An alios convocaverit, num. 78. ibid.

An per multum tempus duraverit in illo propoſito occidendi, num. 79. ibid.

Honor.

Qui alterum inhonoravit tenetur ad reſtitutionem, num. 125. p. 502

Quomodo contumelia ſit reſarciendâ. num. 126. p. 503

An mera familiaritas ſufficiens ſit ad ſatisfaciendum honori læſo, num. 127. ibid.

An quando in occulto læſus fuit alicujus honor detur obligatio reſtitutionis. num. 128. ibid.

Horæ canonicæ.

Perſolvere divinum officium in choro ſive contra ſive ſine illo ſanctum & laudabile eſt, num 14. pag. 43

Datur præceptum dicendi divinum officium in choro quoad canonicos & præbendatos cathedralium & collegiatarum, num. 25. ibid.

Hæc obligatio ſub præcepto non comprehendit regulares ſed ad id ſolum tenentur ex Regula, n. 26. pag. 44.

Præbendatus qui recitans in choro vel cum alio non attendens ad partem quam unus vel alter recitat non ſatisfacit ſuæ obligationi, numero 27. ibid.

Contraria opinio non eſt improbabilis, num. 28. ibid.

Quid dicendum ſit de cæco & ſubdaſtro, num. 29. ibid.

Si totam horam canonicam muſici cantent cantu organico præbendatus vel Religioſus ſatisfacit ſuæ obligationi attendendo illi cantui etſi nihil reciter, num. 30. ibid.

Præbendatus qui ita ſubmiſſâ voce recitat ut non audiatur ab alia parte etſi ſatisfaciat præcepto non facit ſuas diſtributiones quotidianas, n. 31. ibid.

Præbendatus qui in choro ſolum aſſiſtit attendendo ad omnia quæ recitantur etſi nihil recitet ſi domi recitet facit fructus ſuos non tamen diſtributiones quotidianas, num. 32. ibid.

Præbendatus qui dum chorus recitat impeditur à ſomno, ſi ejicere procuret non ſatisfacit præcepto facit tamen ſuas diſtributiones quotidianas, n. 33. pag. 45

Præbendatus qui dum alij recitant cum aliis confabulatur, ſi legitime recitet quæ ſunt à ſe recitanda non amittit diſtributiones quotidianas, num. 34. ibid.

Invertere ordinem breviarij v.g. recitanda prius Tertiam quam Primam etiam in Choro etiam ſi fiat ſine cauſa ſecluſo ſcandalo non eſt mortale, num. 36. p. 45

Quid ſi detur interpolatio vel ceſſatio chori ſine cauſa, num. 37. ibid.

Quid ſi ſine cauſa in totum vel in parte omittatur, num. 38. ibid.

Officium divinum publice cantandum eſt in Eccleſia, num. 39. ibid.

Beneficiati non intereſſentes ſine cauſa choro amittunt diſtributiones quotidianas, num. 40. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Prima cauſa excuſans eſt infirmitas, n. 41. ibid.
Quid per infirmitatem intelligatur, n. 42. ibid.
Secunda cauſa eſt corporalis neceſſitas juſta & rationabilis & quæ hæc ſit, n. 43. p. 46
Tertia cauſa eſt evidens Eccleſiæ utilitas, num. 44. ibid.
Ponuntur aliqua corollaria, n. 45. ibid.
Ut diſtributiones licite diſtribuantur abſentibus non poteſt ſola conſuetudine introduci, niſi illa ex rationabili cauſa inducatur, n. 46. ibid.
Diſtributiones quas quis ob abſentiam perdidit accreſcunt aliis intereſſentibus, n. 47. ibid.
Si tantum ſint duo canonici qui non ſint infirmi adhuc tenentur alternatim recitare ut lucrentur diſtributiones, n. 48. p. 47.
Clerici in ſacris tenentur divinum officium recitare. n. 49. ibid.
Ponuntur aliquæ exceptiones, n. 50. ibid.
Omnes Religioſi profeſſi choro deſtinati tenentur ſub mortali horas canonicas recitare, num. 51. ibid.
Contrarium non eſt improbabile quoad non ordinatos in ſacris, n. 52. ibid.
Omnes qui beneficio gaudent tenentur ſub mortali horas canonicas recitare, n. 53. p. 48
Intruſus in beneficium non tenetur recitare ex hoc capite, n. 54 ibid.
Beneficiarius qui non recipit fructus beneficiarij quacumque ex cauſa ſine ſua culpa non tenetur recitare, n. 55. ibid.
Quid ſi ex conſuetudine Eccleſiæ ubi eſt beneficium per duos primos annos privetur omnibus fructibus, n. 56. ibid.
Regulares tenentur recitare de feſto Diœceſis in qua habitant, n. 63. p. 49
Epiſcopus poteſt præcipere ut una vel altera vice clerici ſuæ Diœceſis recitent feſtum alicujus ſancti extra Calendarium Breviarij, num. 64. ibid.
Capellanus monialium qui ex officio ſolet miſſam diei celebrare poteſt privatim recitare officium quod recitant moniales, n. 65. ibid.
Clerici tertiarij mendicantium poſſunt recitare de feſtis illorum ordinum, n. 66. p. 50
Quid dicendum ſit de confratribus Carmelitarum qui tantum differunt ſcapulare, n. 57. ibid.
Qui notabiliter de divino officio minuit peccat mortaliter, n. 68. ibid.
Qui addit aliquid ſine animo mutandi ritum ſatisfacit præcepto, n. 69. ibid.
Addere aliquid in miſſa etiam privatè dicta, eſt peccatum mortale, n. 70. ibid.
Quæ ſit pars gravis in Divino officio ſi omittatur, explicatur, n. 71. ibid.
Omittere veſperas in Sabbato ſancto non eſt pars gravis, n. 72. p. 51
Qui omittit officium dicere defunctorum in die commemorationis defunctorum unum tantum peccatum committit, n. 73. ibid.
Non datur præceptum ſub mortali recitandi officium defunctorum etiam in choro pro his qui utuntur Breviario Romano, n. 74. ibid.
Idem dicendum eſt de Pſalmis Pœnitentialibus & Gradualibus, & de officio parvo Beatæ Virginis, in feriis Adventus, & Quadrageſimæ extra chorum, n. 75. ibid.
Idem dicendum eſt de Litaniis in die ſancti Marci & tribus diebus rogationum, n. 76. ibid.
Omittere officium divinum etiam ſemel in anno eſt peccatum mortale, n. 77. ibid.
Qui privatim recitat officium Divinum in lingua vulgari ſatisfacit præcepto recitandi, peccavit tamen graviter quia ſine diſpenſatione mutavit ritum Eccleſiæ, & quia uſus eſt libro prohibito, n. 78. ibid.
Recitatio officij Dominicæ in officium Sancti, vel è contra etiam ſi ſine cauſa & ſemper fiat non eſt mortale, dummodo abſit contemptus vel animus introducendi novum ritum, n. 79. p. 52
Quid ſi quis loco officij alicuius ſancti recitet officium Paſchæ reſurrectionis, n. 80. ibid.
Qui ex errore vel oblivione non recitavit in propria die de Sancto, poteſt de eo recitare prima die non impedita, n. 82. ibid.
Qui per errorem recitavit matutinum de feria, cognito poſtea errore poteſt recitare horas de Sancto, n. 82. ibid.
Recitans debet habere intentionem ſaltem implicitam recitandi, n. 83. ibid.
In recitatione habenda eſt intentio interna, n. 84. ibid.
Quid ſi voluntarie deſit intentio interna, adeſt tamen attentio externa, n. 85. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 86. ibid.
Qui recitat ſincopando notabiliter officium Divinum peccat graviter, n. 87. p. 53
Qui tantum mentaliter recitat non ſatisfacit Divino officio, n. 88. ibid.
Quid dicendum ſit de Regularibus mentaliter recitantibus, n. 89. ibid.
An recitans privatim debeat ſe ipſum audire, n. 90. ibid.
Recitans cum ſociis ſolum poſſunt facere duos non tamen tres choros, n. 91. ibid.
Quid ſi unus dicat lectiones & alter audiat vel ſi unus recitet unum Pſalmum & alter aliud, n. 92. ibid.
Quæcumque interruptio ſive intra, ſive extra chorum dummodo continuatio fiat intra eandem diem naturalem non eſt mortale, n. 93. ibid.
Qui prius veſperas quam matutinas recitat non peccat mortaliter, n. 94. ibid.
Signatur tempus pro unaquaque hora recitanda, n. 95. p. 53
Dicere matutinum poſt miſſam non eſt mortale nec veniale, n. 96. p. 54
Qui intra totum diem naturalem recitat divinum officium quacumque hora recitet ſive totum ſimul ſive non, non peccat mortaliter, n. 97. ibid.
Poteſt quis à ſecunda hora poſt meridiem diei antecedentis recitare matutinum cum laudibus officij ſequentis diei, n. 98. ibid.
In Quadrageſima poterit incipere recitare matutinum ſequentis diei poſt prandium, n. 99. ibid.
Qui paulo ante mediam noctem incipit recitare probabile eſt poſſe proſequi officium etiam poſt mediam noctem & cum hoc officio ſatisfacere diei antecedenti, n. 100. ibid.
Non poteſt quis cum matutino matutinis decem dierum ſatisfacere, n. 101. ibid.
Religioſus die qua profitetur ſolum tenetur ſub præcepto ad horas quæ ſequuntur poſt profeſſionem, n. 102. ibid.
Probabile eſt nec etiam ad horas ſequentes profeſſionem eo die obligari, n. 103. ibid.
Qui ante profeſſionem recitavit horas canonicas poſt profeſſionem, non tenetur alias recitare, n. 104. ibid.
Prima cauſa excuſans à recitatione divini officij eſt impotentia, n. 105. p. 55
Aliqua corollaria quæ inde ſequuntur, num. 106. ibid.

Secunda causa est gravis occupatio, num. 107. p. 56
Referuntur plures casus qui inde sequuntur, n. 108. ibid.
Tertia causa est dispensatio, n. 109. ibid.
Aliqua corollaria referuntur, n. 110. ibid.
Beneficiati omittentes divinum officium primis sex mensibus à pacifica possessione peccant mortaliter non tenentur tamen ad restitutionem, n. 111. ibid.
Elapsis primis sex mensibus beneficiarius non recitans & peccat, & tenetur ad restitutionem ante judicis sententiam, n. 112. p. 57
Beneficiarius non recitans una die, tantum tenetur restituere fructus illius diei correspondentes, n. 113. ibid.
Episcopus & parochus tenentur tantum restituere quintam partem fructuum pro omissione officij diei qua omiserunt correspondentem, n. 114. ibid.
Canonicus tenetur restituere quartam partem, n. 115. ibid.
Beneficiarij & Capellani & pensionarij tenentur restituere tertiam partem, n. 116. ibid.
Hæc restitutio sola est facienda ex omissione notabili, & quæ ista sit, n. 117. ibid.
Qui officium sine attentione recitant probabile est non teneri restituere, n. 118. ibid.
Hæc restitutio cui facienda sit, n. 119. ibid.
Beneficiarius liberatur ab hac restitutione si altera die recitat duplicatum officium divinum, n. 120. ibid.

I

Idololatria.

Quale peccatum sit idololatria & unde dicatur & quomodo definiatur, n. 52. p. 75
Qui actus concurrant ad idololatriam, n. 53. ibid.
Idololatria opponitur Religioni, n. 54. ibid.
Tribus modis committitur, qui explicantur, n. 55. ibid.
Qui absque errore & affectu propter mortem colit idolum committit peccatum infidelitatis contra fidei confessionem, n. 56. p. 76
Qui ficte adorat idolum absque errore non est in Bulla Cœnæ excommunicatus bene tamen excommunicatione non reservata, n. 57. ibid.

Jejunium.

Omnibus fidelibus in jeiuniis Quadragesimæ, sive in aliis, ejus carnium prohibetur, n. 85. p. 224
Excipiuntur pueri ante usum rationis, n. 86. ibid.
Quid si dubium sit an pueri habeant usum rationis, n. 87. ibid.
Quid nomine carnis intelligatur, n. 88. ibid.
Non solum caro sed & jus carnis, & sanguis, medulla, laridum, axungia hoc præcepto prohibentur, n. 89. ibid.
Quoties quis in die prohibito comedit carnem, talis peccat mortaliter, n. 90. ibid.
Quid si jeiunium sit ex voto, n. 91. p. 225.
Dispensatione ex quacumque causa ad carnes edendas liber est à jeiunio, n. 92. ibid.
Qui est dispensatus ad carnes in die jeiunij & si habeat sufficientes vires non tenetur jeiunare, n. 93. ibid.
Dispensatus ad carnes potest simul comedere pisces n. 94. ibid.
Dispensatus ad carnes potest comedere quancumque carnem etiam porcinam, &c. numero 95. ibid.
Quid si ei sit nocitura, n. 96. ibid.
Dispensatus ad carnes in jeiuniis Quadragesimæ potest etiam comedere lacticinia, numero 97. p. 225
Lacticinia in jeiuniis extra Quadragesimam nec in aliis diebus in quibus à carnibus abstinetur extra Quadragesimam non sunt prohibita, n. 98. ibid.
Quid dicendum in jeiuniis Quadragesimæ, n. 99. ibid.
An hæc prohibitio non comedendi lacticinia comprehendat dies dominicos Quadragesimæ, n. 100. ibid.
An dispensatus ad lacticinia in die jeiunij teneatur jeiunare, n. 101. ibid.
An in diebus jeiunij adhiberi possit fagimen, n. 102. p. 226
Unica comestio est de essentia jeiunij, num. 103. ibid.
In sola secunda comestione gravi peccat mortaliter qui frangit jeiunium, numero 104. ibid.
Qui in hac unica comestione insumit unam vel alteram horam non frangit jeiunium secus si per multum tempus comestio protrahatur, num. 105. ibid.
An quis postquam statuit amplius non comedere possit abhuc comestionem continuare, num. 106. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 107. ibid.
An si postquam incepit comedere ex urgenti gravi negotio possit recedere & iterum redire ad comestionem, n. 108. ibid.
Potus verus non frangit jeiunium, numero 109. ibid.
Quid per potum intelligatur, n. 110. ibid.
Vapa, acetum, oleum, mel & lac in magna quantitate frangunt jeiunium, n. 111. p. 227
An potio Chocolatis frangat jeiunium, n. 112. ibid.
Reficiuncula vespertina potest sumi in die jeiunij, n. 113. ibid.
Hæc reficiuncula sumitur ad noctem, num. 114. ibid.
Si absque causa mane sumatur & comestio principalis ad noctem omittatur, erit peccatum veniale, n. 115. ibid.
Quid si quis mane inadvertens esse diem jeiunii sumeret reficiunculam, n. 116. ibid.
Quæ quantitas sumi possit in reficiuncula, n. 117. ibid.
Ex quibus cibis sumenda sit reficiuncula, n. 118. ibid.
In jeiunio vigiliæ natalis Domini quæ collatio sumi possit, n. 119. p. 228.
Prandij hora in die jeiunij est sub hora meridiana, n. 120. ibid.
Prævenire huiusmodi horam non est contra substantiam jeiunij. n. 121. ibid.
Si detur justa causa non veniale anticipare hanc horam, n. 122. ibid.
Omnia fidelium jeiunia obligant jure Ecclesiastico, vel etiam consuetudine, numero 123. p. 228
Consuetudo si fuerit in aliquo loco communis obligat etiam religiosos, secus si tantum sit quoad seculares, vel clericos, n. 124. ibid.
Obligatio jeiunij est sub mortali, numero 125. ibid.
Jejunium non potest per alium adimpleri, n. 126. p. 229.
Jeiunium Ecclesiasticum incipit à media nocte usque

Digitized by Google

uſque ad mediam noctem ſubſequentem & quando hoc ſit intelligendum numero 127. ibid.
Quid ſi plura ſint horologia, n. 128. ibid.
Ponuntur dies in quibus ex præcepto Eccleſiæ tenentur fideles jejunare, n. 129, ibid.
Quandi jejunium incidit in Dominica perſolvitur in Sabbato antecedenti, n. 130. ibid.
Qui jejunium quando tenetur ex duplici præcepto frangit, unum peccatum committit, n. 131. ibid.
Qui initio quadrageſimæ ſtatuit nunquam in illa jeiunare unum peccatum commiſit æquivalens multiplici omiſſioni, n. 132. ibid.
Qui cauſa eſt ut alij frangant jejunium peccat mortaliter, n. 133. p. 230
Pater & Dominus non tenentur cogere filios, & ſervos, ut jeiunent, n. 134. ibid.
Dominus iniungendo famulis opus jejunio incompatibile non peccat, n. 135. ibid.
Quando Caupones apponendo cibos accedentibus peccant, n. 136. ibid.
Qui urbanitatis cauſa incitat alium ad cœnam paratam ad alibi cœnandum non peccat, num. 137. ibid.
Hoc præceptum omnes Chriſtianos uſum rationis habentes obligat completo vigeſimo primo anno, n. 138. p. 230
Pueri ante vigeſimum primum annum poſſunt obligari ad jeiunium, n. 139. ibid.
Senes ſexagenarij deobligantur à jejunio, n. 140. p. 231
An adoleſcens teneatur jejunare in die quæ vigeſimum primum annum attigit, & ſenex in die qua implet ſexageſimum, n. 141. ibid.
An adoleſcens qui dubitat an adimpleverit vigeſimum primum annum teneatur ad jejunium, num. 142. ibid.
Prima cauſa excuſans à jejunio eſt impotentia non ſolum Phyſica ſed & moralis, numero 143. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 144. ibid.
Magna difficultas in jejunando non eſt cauſa ſufficiens ad excuſandum à jejunio, numero 145. ibid.
Quid ſi procedat ex mala corporis diſpoſitione, numero 146. ibid.
Prægnantes & lactentes parvulos excuſantur à jejunio, 147. p. 232
Pauperes & mendici qui non poſſunt habere unum prandium completum excuſantur à jejunio, n. 148. ibid.
Si pauperes non habent cibos quadrageſimales poſſunt veſci carnibus & quomodo id intelligendum ſit, n. 149. ibid.
Qui non habet unde alat familiam poteſt laborare in die jejunij, ut familiam ſuſtentet etiam non jeiunando, n. 150. ibid.
Secunda cauſa excuſans à jeiunio eſt labor corporalis incompatibilis cum jejunio, numero 151. ibid.
Numerantur qui ex hac cauſa excuſantur, n. 152. ibid.
An ſi qui numerantur poſſint famulos & operarios, ad laborandum conducere cum obligatione, ut laborantes non jeiunent, numero 153. ibid.
Excuſantur à jeiunio curſores, iter pedibus agentes, n. 154. p. 233
Quid de ſcriptoribus, notariis, pictoribus, nentibus lanam, vel linum & famulis comitantibus Dominum dicendum ſit, n. 155. ibid.
An pedibus itinerantes deobligentur & quomodo, n. 156. ibid.
An peccet mortaliter qui libere, & non ex officio aſſumit labores incompatibiles cum jeiunio, n. 157. ibid.
Quid ſi labor aſſumatur ex aliqua cauſa notabili, n. 158. ibid.
Tertia cauſa excuſans à jeiunio eſt pietas, n. 159. p. 233
Quoddam corollarium ponitur, n. 160. ibid.
Concionatores quando excuſentur à jeiunio. n. 161. p. 234
Confeſſarij quando excuſentur à jeiunio, n. 162. ibid
Coniux quando excuſetur à jeiunio, n. 163. ibid.
An puella nubere volens ſi jeiunando deformis reddatur teneatur jeiunare, n. 164. ibid.
Quarta cauſa excuſans à jeiunio eſt metus cadens in virum conſtantem, n. 165. ibid.
Ponitur quoddam corollarium, n. 166. p. 234
Quid ſi vir hæreticus abſque religionis contemptu compellat uxorem non jeiunare, n. 167 ibid.
Quid dicendum de captivis apud Barbaros, ſi eis alij cibi non apponuntur, n. 168. ibid.
Quinta cauſa excuſans à jeiunio eſt diſpenſatio, n. 159. ibid.
Pontifex poteſt concedere hanc diſpenſationem, & quomodo, n. 170. p. 235
Quilibet etiam ſine aliqua cauſa poteſt petere à Papa jeiunij diſpenſationem, n. 171. ibid.
Epiſcopi & gaudentes Epiſcopi iuriſdictione, & Prælati regulares poſſunt in hoc diſpenſare cum ſuis ſubditis, n. 172. ibid.
Idem poteſt facere parochus etiam præſente Epiſcopo, n. 173. ibid.
An Prælatus teneatur quoties ab eo poſtulatur concedere hanc diſpenſationem, n. 174. ibid.
An occurrente aliqua cauſa poſſit Epiſcopus diſpenſare in jeiuniis quadrageſimæ pro tota diœceſi, n. 175. p. 235.
An poſſit transferre jeiunium vigiliæ S. Mathiæ ſi incidat in diebus bachanalibus, n. 176. ibid.
Ad has diſpenſationes ſemper requiritur cauſa, n. 177. ibid.
Confeſſarius, medicus, & Abbatiſſa poſſunt declarare in aliquo caſu non obligare jeiunium, n. 178. ibid.
Qui bona fide putat ſe habere cauſam licitam non jeiunandi quam revera non habet, non peccat, non jeiunando, n. 173. ibid.

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis excuſat ab hæreſi, n. 47. p. 7.

Inceſtus.

Ponitur definiti inceſtus, n. 38. p. 215
Copula inter agnatos agnatione legati reducitur ad inceſtum, n. 39. ibid.
Idem diſcendum eſt de copula inter cognatos cognatione ſpirituali, n. 40. ibid.
An in Confeſſione explicandus ſit gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, n. 41. ibid.
An confeſſor peccans cum filia, vel filio confeſſionis cõmittat inceſtum, vel ſacrilegium, n. 42. ib.
Coniux qui habuit copulam completam cum conſanguinea non verò affine ſuæ uxoris uſque ad cundum gradum privatur iure petendi debitum etiam ante iuriciis ſententiam, num. 43, ibid.
Quid ſi ſemen non fuit deciſum intra vas, n. 44. pag. 276
Quid ſi uterque non ſeminavit, n. 45. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Quædam corollaria ponuntur, n.46. ibid.
Quis poſſit diſpenſare cum inceſtuoſo ad petendum debitum, n.47. ibid.
Si inceſtus ſit caſus reſervatus in aliquo loco, ſi unus ſeminavit, & alter non, ille qui ſeminavit incurrit caſum reſervatum, n.48. ibid.
Ex copula ſodomitica inter conſanguineos ejuſdem ſexus uſque ad quartum gradum oritur inceſtus, n.49. p.276
In confeſſione non eſt neceſſarium explicare gradum conſanguinitatis niſi primum, & ſecundum, n.50. ibid.
An eadem malitia inceſtus detur in ſodomia commiſſa inter affines ſaltem in primo gradu, n.51. ibid.
Quid ſi quis copulam ſodomiticam habeat cum aliquo & poſtea cum ejus fratre, n.52. ibid.
Quid ſi eam habeat cum perſona à ſe baptizata, vel cognata cognatione legali, n.53. ibid.
Inceſtus eſt crimen mixti fori, n.54. p.276
Si perſona punienda fuerit Eccleſiaſtica, ad judicem Eccleſiaſticum tantùm pertinet ejus punitio, n.55. ibid.
Si fuerit ſæcularis ad judicem Eccleſiaſticum ſive ſæcularem pertinet, n.56. ibid.
Quid ſi inceſtus fuit commiſſus cum adulterio, n.57. ibid.

Inducere.

Nemini licet inducere aliquem ad falſo jurandum, vel per falſos Deos, n.72. p.147
Non eſt licitum inducere aliquem ad teſtificationem falſi quod tamen jurans putabat, eſſe verum, n.73. ibid.
Contraria ſententia etiam eſt probabilis, num.74. ibid.
Quoties alicui non conſtat alium eſſe falſo juraturum, vel per falſos Deos, poteſt ab eo petere juramentum, n.75. ibid.
Stante legitima cauſa licitum eſt tam in judicio quam extra petere juramentum, ab eo quem quis ſcit eſſe peieraturum, vel per falſos Deos juraturum, n.76. ibid.
Si aliquis ſit determinatus ad jurandum falſum, vel per falſos Deos, neque alia via jurare velit, non poteſt qui hoc ſcit petere, ut juret, eſto, juret falſo, vel per falſos Deos, n.77. ibid.
An ſit petendum juramentum promiſſorium, ab eo quem quis ſcit illud eſſe violaturum, num.78. p.48

Infamare.

Proprios defectus tam culpæ quam naturæ propalare ex genere ſuo non eſt mortale, nec contra juſtitiam, n.57. p.494
Ex accidenti poterit eſſe mortale, ut ſi de illis glorietur, n.58. ibid.
Quid ſi talis infamatio vergit in vitæ propriæ periculum, n.59. ibid.
Quid ſi vergit in ſociorum incommodum, n.60. ibid.
Falſum ſibi imponere ad tormenta levia vitanda ob quod morte ſit plectendus, eſt peccatum mortale, n.61. p.495
Qui ſuum crimen verum pandit judici injuſtè interroganti, ad tormenta levia vitanda, nec venialiter peccat, & ſi ob id morte damnandus ſit, niſi eſſet perſona maximæ authoritatis & valde utilis reipublicæ, n.62. ibid.
Non peccat mortaliter qui ſibi falſum imponit ad vitanda tormenta valde gravia, etſi ob id eſſet morte plectendus ſecluſo periurio, num. 63. ibid.
An poſſit quis licitè crimen falſum proximo affingere ad torturam in judicio, vel extra illud damnum grave vitandum, n.64. ibid.
Mortale eſt ſententiam latam in aula ſancti Officij cuicumque etiam Religioſo, aut Sacerdoti revelare, n.65. p.495
Domini inquiſitores debebant in hoc caſu ponere excommunicationem, vel dare juramentum de ſecreto ſervando, n.66. ibid.

Infidelitas.

Duplex eſt infidelitas negativa, & poſitiva, & quid utraque ſit, n.32. p.5.
Quotuplex ſit infidelitas negativa, n.33. ibid.
Quotuplex infidelitas poſitiva, n.34. ibid.

Inimicus.

Proximus poteſt conſiderari, ut peccator, vel ut amicus & inimicus, n.18. p.14
Charitatis præceptum obligat non ſolum ad diligendos juſtos, ſed & peccatores, n.19. ibid.
Tenetur præcepto divino diligere non ſolum amicos, ſed & inimicos, n.20. p.15
Injuriam paſſus tenetur diligere ſaltem in genere inimicum, n.21. ibid.
Deducuntur aliqua corollaria, n.22. ibid.
Nemo tenetur ex præcepto exhibere ſigna ſpecialia dilectionis erga inimicum, bene tamen ex conſilio, n.23. ibid.
Aliqua corollaria deducuntur, n.24. ibid.
Filius tenetur exhibere ſemper ſigna ſpecialia dilectionis erga patrem, n.25. ibid.
Proponitur ſententia Vidal negativa, n.26. p.15
Opinio Vidal non abſolute, ſed aliquando admittitur, & quomodo, n.27. p.16
Si injuria læſus prævideat ex ſua ſalutatione fore ut inimicos odium deponat, tenetur eum ſalutare ſi ſine gravi incommodo poteſt, n.28. ibid.
Quid ſi lædens prius læſum ſalutet, numero 29. ibid.
Si injuriam paſſus graviſſimam accepit injuriam licite poteſt aliis cum animo occurrentibus ſalutatis inimicum non ſalutare, n.30. ibid.
Secus ſi injuria non fuit adeo gravis, numero 31. ibid.
Quid dicendum de Religioſo qui graviſſimam accipiens injuriam ab alio religioſo illum per multos annos obvium non ſalutat, n.32. ibid.
Quid ſi per aliquos dies omittat ſalutationem ob levem rixam, n.33. ibid.
Non reſalutans inimicum ſalutantem etiam ſi graviſſima præceſſerit injuria peccat mortaliter, n.34. p.16.
Quid ſi ſalutans ſit inferior, n.35. ibid.
Quid ſi diſſimularet ad ſalutationem non advertiſſe, n.36. ibid.
Qui prævidet inimicum non reſalutaturum ſibi ſalutanti non tenetur eum ſalutare, numero 37. ibid.
Quid ſi ſemel ſalutavit, & alter non reſalutavit, n.38. ibid.
Injuriam paſſus tenetur ſtatim deponere odium, & deſiderium vindictæ, n.39. p.17
Si offenſor non exhibeat debitam ſatisfactionem, offenſus non tenetur pacem, & veniam concedere, n.40. ibid.
Si offenſor offerat debitam ſatisfactionem adhuc poteſt offenſus coram judice petere vindictam offenſæ, n.41. ibid.
Quando offenſa reſalutat in alios læſus ſolus non poteſt concedere veniam offenſæ, n.42. ibid.
Lædens ut plurimum tenetur à læſo veniam petere, n.43. ibid.

Excipium

Index Rerum.

Excipiuntur aliqui caſus in quibus non tenetur veniam poſtulare, num. 44. ibid.
Quid ſi non detur aliud remedium ad reſarciendam injuriam, num. 45. ibid.

Invidia.

Quomodo invidia definiatur, num. 151. p. 30
Dolere de bono alterius quatenus meam æſtimationem diminuit etiamſi nullam vim inferat non eſt malum, num. 152. ibid.
Invidia conſiſtit in apprehenſione per quam quis falſo credit bonum alterius prout bonum alterius eſt eſſe cauſam proprij mali, num. 153. ibid.
Quomodo id ſit intelligendum, num. 154. ibid.
Invidia ex genere ſuo eſt peccatum veniale, n. 155. ibid.

Inſuſurratio.

Quid ſit inſuſurratio deſcribitur, n. 143. p. 505
Inſuſurratio formalis eſt peccatum mortale contra juſtitiam, num. 144. ibid.
Non licet ob propriam utilitatem per ſuſurrationem aliquem excludere ab alicujus amicitia, num. 145. ibid.
Omnes ſuſurrationes ſunt ejuſdem ſpeciei, n. 146. ibid.

Inventarium.

Quid ſit inventarium deſcribitur, num. 702. p. 278
Inventarium ſolemne tenetur efficere hæres coram judice laïco, num. 703. ibid.
Quid ſi Epiſcopus decedat inteſtatus vel clericus inſtituens hæredem clericum, num. 704. ibid.
Obligatio conficiendi inventarium à quo die incipiat de jure Luſitano, num. 705. ibid.
Ex confectione inventarij plura reſultant privilegia & quæ, num. 706. ibid.
Hæres non conficiens inventarium non tenetur in foro conſcientiæ ſolvere creditoribus & legatariis ultra vires hæreditatis, num. 707. p. 278
Præter hæredes tenentur filii conficere inventarium ſicut hæres extraneus, num. 708. ibid.
Præter adminiſtrans bona filij de jure Luſitano tenetur efficere inventarium, num. 709. ibid.
Confecto inventario poteſt hæres ſolvere creditoribus & legatariis prout quilibet eorum primus venerit quamvis nihil aliis creditoribus reſervetur. num. 710. ibid.
In inventario pleno debent ſcribi res omnes tam mobiles quam immobiles quæ ad hæreditatem pertinent, num. 711. ibid.

Irriſio.

Quid ſit irriſio deſcribitur, num. 147. p. 506
Irriſio ex ſe ſi abſit contemptus perſonæ eſt tantum peccatum veniale, num. 148. ibid.
Aliquando eſt peccatum mortale & quando, n. 149. ibid.
Irriſio quæ fit per contemptum perſonæ eò gravius peccatum eſt quo perſona irriſa gravior fuit, numero 150. ibid.

Irreligioſitas.

Ponitur definitio irreligioſitatis, num. 1. p. 68
An ſit vitium unum in unitate ſpecifica in ſpecie infima, num. 2. ibid.
Quomodo dividatur, n. 3. p. 69
Quod ſit irreligioſitatis objectum, n. 4. ibid.
Alia ſubdiſtinctio irreligioſitatis proponitur, n. 5. ibid.

Judicium temerarium.

Quot ſint actus judicii temerarii, num. 1. p. 487
Judicium temerarium ex ſe eſt peccatum mortale contra juſtitiam, n. 2. ibid.
Quid ſi indicia habeant maximam probabilitatem, num. 3. ibid.
Quid ſi deſit plena advertentia, num. 4. ibid.
Quid ſi materia ſit levis, num. 5. ibid.
Quid ſi quis temere de alio judicet eſſe illegitimum vel ex genere Hebræorum Hereticorum, n. 6. ibid.
Quid ſi quis non certo judicet, ſed tantum dubitet, opinetur vel ſuſpicetur, num. 7. ibid.
Suſpicio, ſive dubium, ſive opinio deliberata temeraria non eſt peccatum mortale, num. 8. p. 488
Si fiat ex ſufficientibus indiciis nec erit veniale, num. 9. ibid.
Aliquando ſuſpicio temerariò deliberata ex levibus indiciis eſt peccatum mortale & quando id accidat, num. 10. ibid.
Ponuntur aliquæ exceptiones, num. 11. ibid.
Omnia judicia temeraria ſunt ejuſdem ſpeciei, n. 12. ibid.
An judicium temerarium diſtinguatur ſpecie à detractione, num. 13. ibid.
An judicans temere teneatur ad reſtitutionem, n. 14. ibid.
Dubia de rebus tenetur quis judicare in meliorem partem, num. 15. p. 489
Dubia de perſonis ſunt in meliorem partem interpretanda, num. 16. ibid.
Quale judicium ferre poſſit qui malè audit de proximo, num. 17. ibid.

Juramentum.

Vnde dicatur juramentum, num. 1. p. 134
Ponitur definitio juramenti, num. 2. ibid.
Invocatio falſorum Deorum non eſt juramentum niſi in paganorum exiſtimatione, n. 3. p. 135
Juramentum formaliter conſiſtit in intellectu, requiritur tamen actus voluntatis ut conditio ſine qua non, num. 4. ibid.
In quo conſiſtit graviſſima perjurij culpa, num. 5. ibid.
Juramentum reſpectu Dei ſolo actu intellectus & voluntatis completur, num. 6. ibid.
Ponuntur diviſiones juramenti ex parte modi jurandi, num. 7. ibid.
Omnes diviſiones juramenti in ratione juramenti non differunt ſpecie, num. 8. ibid.
Juramentum ex parte rei juratæ dividitur in aſſertorium, promiſſorium, & comminatorium, num. 9. pag. 136
In omni juramento promiſſorio includitur aſſertorium, num. 10. ibid.
Juramentum puro aſſertorium non differt ſpecie ab promiſſorio, num. 11. ibid.
Quid addat promiſſorium aſſertorio, num. 12. ibid.
In eodem actu non poſſunt eſſe duæ rationes formales juramenti ſpeciei diverſæ, numero 13. ibid.
Formulæ juramenti ad duo capita reducuntur & qualia ſint, num. 15. ibid.
Quomodo in eodem actu poſſint reperiri duæ ſpecies diverſæ, num. 14. ibid.
Aliqua ſunt verba quæ ex communi modo loquendi non continent juramentum & qualia ſint, n. 16. pag. 137
Abſolute proferens verbum juro & ibi fiſtens non cenſetur jurare niſi ex circunſtantiis aliud colligatur, num. 17. ibid.
Ponuntur aliqua verba in quibus eſt dubium an ſit juramentum, num. 18. ibid.
Aliqua ſunt verba indifferentia quæ aliquando continent juramentum, aliquando non & quomodo id intelligatur, num. 19. ibid.

Index Rerum.

Verba quibus quis divinæ veritati humanam comparat quibus casibus sint juramentum, num. 20. pag. 138

An sit blasphemia jurare per creaturas, num. 21. ibid.

An juramentum per Deum & creaturas differat specie, num. 22. ibid.

Quid si creaturæ sint in quibus Deus specialiter relucet, num. 23. ibid.

Iuramentum est actus virtutis, numero 24. p. 138

Christus tantum prohibuit juramentum sine necessitate, num. 25. ibid.

Iuramentum non est simpliciter necessarium, n. 26. pag. 139

Iuramentum non est adhibendum nisi gravis causa necessitasve id expostulet, numero 27. ibid.

Iuramentum ut sit actus virtutis debet illud comitari veritas, justitia & judicium, numero 28. ibid.

Quid nomine veritatis, intelligatur, numero 29. ibid.

Quid nomine justitiæ intelligatur, numero 30. ibid.

Quid nomine judicij intelligatur, numero 31. ibid.

Ponuntur circumstantiæ quibus saltem juramentum in foro judiciali fieri debeat, numero 32. ibid.

Iuramentum assertorium cui deest veritas semper est peccatum mortale, num. 33. p. 139

Veritas in juramento assertorio consistit, non ex formatione juramenti cum re asserta in se, sed in mente jurantis, num. 34. pag. 140

Ad assertionem formaliter veram sufficit quod prudenter res ita existimetur, numero 35. ibid.

Quando defectus justitiæ in juramento assertorio sit peccatum mortale, num. 36. ibid.

Defectus judicij si præcisè consideretur nunquam excedit limites peccati venialis, num. 37. ibid.

Defectus veritatis præsentis in juramento promissorio semper est mortale, num. 38. ibid.

Quid si quis juret commissurum peccatum grave, num. 39. ibid.

Quid si juret fracturum brachia filij, numero 40. ibid.

Ponuntur quædam corollaria, num. 41. p. 141

Quando res proxima cum juramento est gravis tenetur eam jurans exequi sub mortali, num. 41. ibid.

Quid si res promissa sit levis, num. 43. ibid.

Defectus justitiæ in juramento promissorio si materia proxima est gravis est peccatum mortale, numero 44. ibid.

Quid si materia levis sit, numero 45. ibid.

Ponuntur quædam corollaria, numero 46. ibid.

Reus in judicio legitime interrogatus non potest uti amphibologia, num. 47. p. 142

Iurare etiam extra judicium sine necessitate & utilitate est peccatum saltem veniale secluſa injustitia, vel alia circunstantia, numero 48. ibid.

Quando detur amphibologia, numero 49. ibid.

Iurare amphibologice si adsint alij comites juramenti non est peccatum, num. 50. ibid.

Quid si amphibologica non in solis verbis consistat sed sit necessarium ut aliquid mentale subintelligatur, num. 51. ibid.

Quoties licitum est uti oratione ambigua vel tacita restrictione licitum est uti juramento, si necessitas vel utilitatis causa id postulet, num. 52. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, numero 53. ibid.

An in aliquo casu possit falsificari scriptura publica sine peccato, numero 54. pagina 143

Quid si quis scripturam privatam ut syngraphum falsificet, num. 53. ibid.

Alia corollaria ponuntur, numero 56. ibid.

Quotiescumque aliqua causa honesta se offert tegendi veritatem potest quis absque peccato uti amphybologia, n. 55. p. 144

Iurare sive in judicio sive extra sive animo implendi juramentum est peccatum mortale, num. 58. ibid.

Iurare falsum sine animo jurandi tam in judicio quam extra est peccatum mortale, num. 59. ibid.

Iurare verum sine animo jurandi extra judicium & contractus, tantum est veniale, numero 60. ibid.

Iuramentum verum sine animo jurandi in judicio & contractibus est peccatum mortale, num. 61. pag. 145.

Qui aliquid promittit cum juramento sine animo implendi sed cum animo non se obligandi peccat mortaliter, num. 62. ibid.

Qui aliquid promittit cum juramento cum animo implendi, sed cum animo non se obligandi extra judicium & contractus peccat venialiter, n. 63. ibid.

Quando detur consuetudo jurandi explicatur, n. 64. ibid.

Consuetudo quæ inclinat ad multoties jurandum, sed cum advertentia ut verum juretur non constituit hominem in statu peccati mortalis, n. 65. ibid.

Quid si cum hac consuetudine jurandi veram haberet consuetudinem mentiendi, numero 66. ibid.

Consuetudo quæ inducit ad jurandum falsum cum advertentia, vel sine advertentia, an sit verum vel falsum quando quis jurat constituit hominem in statu peccati mortalis, numero 67. pag. 146

Qui ex tali consuetudine sine advertentia sufficienti ad mortale jurat falsum tantum peccat in causa num. 68. ibid.

Consuetudo qua fit quod homo juret falsum sine advertentia est culpabilis in se & debet auferri, num. 69. ibid.

Explicatur assertio, num. 70. ibid.

An sit differenda absolutio illi qui fiat prava consuetudine est affectus etiam si proponat emendationem, num. 71. p. 147

Iuramentum extra judicium potest emitti ab omnibus dummodo usum rationis habeant, n. 79. pag. 148

Viris ante decimum quartum annum & fœminis ante duodecimum interdicitur juramentum in judicio in causis civilibus, num. 80. ibid.

Perjurij, infames & inimici repelluntur à juramento emittendo in judicio, num. 81. ibid.

Socius criminis extra delicta excepta repellitur à juramento in judicio, n. 82. ibid.

Prælati & sacerdotes juvare non possunt in judicio sine

Digitized by Google

Index Rerum.

ſine gravi cauſa, num.83. ibid.
Licitum eſt ſacerdotibus jurare in judicio in aliquibus caſibus qui ibi referuntur, num.84.ibid.
In aliquibus caſibus non poteſt clericus juvare in manu laïci ſine Epiſcopi licentia & quales ſint, num. 85. p.149
Deus poteſt juvare & quomodo,num.86. ibid.
Chriſtus de facto numquam juravit, poterat tamen jurare, num.87. ibid.
Angeli in ordine ad nos poſſunt jurare,n.88. ibid.
Angeli in ſtatu beatifico non habent neceſſe jurare quo ad ſe, num.89. ibid.
Quid dicendum eſt in ſtatu naturæ,num.90. ibid.
In juramento promiſſario aliquando reperitur obligatio voti ſimul cum juramento aliquando ceſſat hæc obligatio voti, num.94. p.150
An in promiſſionibus juratis inſit obligatio juſtitiæ, num. 95. ibid.
An in omni juramento de re futura facienda in honorem Dei ſemper vinculum voti reperiatur vel ſi fiat in gratiam hominis obligatio juſtitiæ,n.69. ibid.
An in juramentis in quibus rigoroſa promiſſio non invenitur reperiatur duplex veritas & duplex obligatio de præſenti & de futuro, numero 97. ibid.
An major ſit obligatio juramenti quam voti, n.98. ibid.
De jure Luſitano omne juramentum appoſitum in contractibus &c.irritatur; immo etiam ipſi contractus quibus apponitur, irritantur,n.99.p.151
Iuramentum aliquando poteſt obligare & non confirmare contractus & quando id accidat, n.100. ibid.
Quando contractus non ſolùm jure eſt nullus,ſed etiam prohibitus in conſcientia juramentum illi adjectum nec confirmat contractum nec obligat, num.101. ibid.
Quando juramentum ſervari poteſt ſine mortali & veniali etiamſi cadat ſupra contractum nullum obligat in conſcientia,num.102. ibid.
Ponuntur aliquæ limitationes,num.103. ibid.
Iuramentum quod confirmat contractus,non id habet ex natura ſua,ſed ex diſpoſitione juris,n.104. p.152
Contractus alij ſunt non ipſo jure reſciſſi ſed reſcindendi, alij ſunt ipſo jure irriti & invalidi.n.105. ibid.
Contractus non ipſo jure reſciſſi, ſed reſcindendi adhibito juramento confirmantur quando reſcindibiles erant jure poſitivo ſecus ſi reſcindibilitatem haberent jure naturæ, numero 106. ibid.
Aliqua corollaria ponuntur, num.108. ibid.
Numerantur contractus jure irriti,quibus ſi adjiciatur juramentum, confirmantur, numero 109. ibid.
Omnes contractus jure Luſitano irriti confirmantur juramento,num.107. ibid.
Ponuntur contractus in quibus juramentum adiectum obligat ſed non confirmat contractus, num.110. p.153
Ponuntur contractus in quibus juramentum adjectum non obligat nec confirmat contractus num. 111. ibid.
Iuramentum factum contra prius juramentum non obligat, num.112. ibid.
Actus qui ſecluſo juramento firmitatem habent validi ſunt & ſi priori juramento adverſentur, n. 113.ibid.
Actus qui omnem firmitatem habent à juramento ſi fiant contra prius juramentum validi ſunt & firmantur ſecundo juramento, n.114. ibid.
Contractus alij ſunt ſtricti juris & alij bonæ fidei & quales unicuique ſint,num.115. p.154
Duplex error poteſt dari in contractibus antecedens,concomitans, ſubſequens vel incidens, n. 116.ibid.
Error poteſt verſari vel circa ſubſtantiam vel circa accidentia contractus, num.117. ibid.
Error poteſt cauſari in contractibus vel à contrahente vel ab alio tertio, num.118. ibid.
Error contingens circa ſubſtantiam contractus ſive ſit antecedens ſive concomitans reddit contractum nullum, num.119. ibid.
Si error verſetur circa qualitatem contractus & ſit concomitans, valet contractus jure naturæ, num.120. ibid.
Si error contingat circa qualitatem non ſubſtantialem etiamſi cauſam dederit contractui, contractus eſt validus tam de iure naturæ quam poſitivo irrevocabiliter tamen ex parte decipientis & revocabiliter ex parte decepti, n.121. p.155
Quid ſi qualitates pertineant ad ſubſtantiam contractus,num.122. ibid.
Si iuramentum adiiciatur contractui nullo ex errore vel dolo nullum eſt, num.123. ibid.
Si adiiciatur contractui valido ſed reſcindendo eodem modo obligat iuramentum,n.124. ibid.
Si error vel dolus fuit circa ſubſtantiam contractus ſive fuerit antecedens, ſive concomitans iuramentum adiectum contractui eſt nullum, n.125. ibid.
Si error verſetur circa qualitates contractus & ſit concomitans iuramentum valet, numero 126. ibid.
Quid ſi qualitates ſint veluti ſubſtantiales, n. 127. ibid.
In quibus contractibus perfecta doctrina intelligatur,num.128. ibid.
In promiſſionibus & donationibus gratuitis aliter philoſophandum eſt ac in aliis contractibus & quomodo ſit philoſophandum, numero 129. ibid.
Ad invaliditatem promiſſionis non ſufficit quod adſit aliqua circunſtantia quam ſi quis noviſſet non promiſiſſet, num.130. p.156
Contractus ex metu levi celebratus validus eſt iure naturæ, num.131. ibid.
Si metus levis dedit cauſam contractui tenetur decipiens reſcindere contractum ſi à decepto requiratur, num.132. ibid.
Contractus ex metu gravi iuſte celebratus validus eſt tam iure naturæ quam poſitivo & iuramentum illi adiectum validum eſt,n.133. ibid.
Quando metus gravis eſt iniuſte illatus iuramentum tali contractui adiectum obligat iure naturæ, num.134.
Talis contractus ex metu factus eſt reſcindibilis ex parte illius qui paſſus eſt metum, num. 135. ibid.
Iuramentum extortum per metum iniuſtum cadentem in virum conſtantem eſt validum de iure poſitivo,modo ſervari poſſit ſine peccato,n.136. ibid.
Quanta ſit obligatio huius iuramenti explicatur, num.137. p.157
An qui iuravit rediturum ad carcerem teneatur ſub mortali hoc iuramentum ſervare, numero 138. ibid.
An iuramentum redeundi ad carcerem relaxari poſſit,num.139. ibid.

Index Rerum.

Materia juramenti debet eſſe res licita & non peccaminoſa, num. 140. ibid.

Materia juramenti non eſt res indifferens, aut impoſſibilis, aut impeditiva majoris boni, vel contraria divinis Conciliis, vel quam melius eſt non fieri, num. 141. ibid.

Quid ſi res non maneat indifferens, ſed fiat bona ex aliqua circumſtantia, n. 142. p. 158

Qui abſolutè juravit numquam ludere intelligitur de immoderato, non verò moderato ludo, n. 143. ibid.

Qui juravit numquam ludendi non intelligitur per interpoſitam perſonam, n. 144. ibid.

An qui juravit abſolutè non ludendi poſſit nomine alieno ludere, num. 145. ibid.

An qui juravit abſtinendi ſe ab aliquo ludo excuſetur aliquando ratione parvitatis materiæ, n. 146 ibid.

Iuramentum de re indifferenti, vel quam melius eſt non fieri ſi fiat in favorem alterius non obligat, num. 147. ibid.

An juramentum non mutuandi, non fidejubendi, &c. ſit validum, n. 148. ibid.

An juramentum non denuntiandi aliquem delinquentem ſit obligatorium, n. 149. p. 159

Medicus ſi infirmus eſt periculoſus tenetur illum monere per ſe, vel per alium, ut Sacramenta recipiat, n. 150. ibid.

Iure Canonico non poteſt medicus ultra tertium diem inviſere infirmum ſi ei non conſtet Sacramenta recepiſſe, n. 151. ibid.

Vniverſitates tenentur dare juramentum medicis de hoc adimplendo, n. 152. ibid.

Quod juramentum emittant decuriones & quando illi obligentur, n. 153. ibid.

Juramentum ſervandi ſtatuta alicujus Collegij obligat eo modo quo ſtatuta obligant, num. 155. pag. 160

Quid de aliis judiciis ordinariis, & delegatis dicendum ſit, num. 156. ibid.

Scribæ quod juramentum emittant & qualiter illo obligentur, num. 154. ibid.

Qui iuravit alicui dare aliquam rem determinatam non ſatisfacit iuramento dando æquivalens, numero 157. p. 160

Qui iuravit alicui dare illi centum aureos poteſt facere compenſationem non ſolvendo ſi alter totidem illi debebat, num. 158. ibid.

Quid ſi quis intentionem haberet quando iuravit non utendi compenſatione, num. 159. ibid.

Aliqui dantur caſus in quibus compenſatio locum non habet & quales ſint, num. 160. ibid.

Hæres iurantis non tenetur illius iuramentum implere ex vi juramenti, num. 161. p. 161

Obligatio contractus ſuper quem cadit iuramentum tranſit ad hæredes modo contractus ſit validus vel firmetur iuramento, num. 162. ibid.

Hæres illius qui iuravit ſoluturus uſuras non tenetur eas ſolvere, num. 163. ibid.

Coram quo iudice conveniri poſſit laïcus ratione iuramenti, num. 194. ibid.

Iuramentum præſtari poteſt per procuratorem niſi contrarium iure vel conſuetudine cautum ſit, num. 165. p. 161

Vt procurator nomine alterius valide & licite iuret debet habere ſpeciale mandatum, numero, 166. ibid.

Quid ſi procurator minoris firmandus ſit contracto iuramento, num. 167. pri62

Aliqui dantur caſus in quibus iuramentum præſtari non poteſt per procuratorem & quales ſint, num. 168. ibid.

Iure Canonico impediri poteſt obligatio juramenti illud irritando, num. 169. ibid.

Poteſtas civilis poteſt impedire vires iuramenti & de facto in Caſtella & Luſitania impeditæ ſunt in multis caſibus, num. 170. ibid.

An id ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, num. 171. ibid.

Si conſtet de intentione iurantis iuramentum non indiget interpretatione, num. 172. ibid.

Quædam corollaria deducuntur, numero 173. pag. 163.

An iuramentum faciendi quidquid alter petat ſit peccatum morrale, num. 174. ibid.

Iuramentum reſtringendum eſt iuxta naturam actus ſuper quem cadit, num. 175. ibid.

Plures caſus ex hac regula deducuntur, n. 176. ibid.

Iuramentum obligat rebus in eodem ſtatu permanentibus, ſecus ſi notabiliter fuerint mutatæ ſecundum intentionem iurantis, n. 177. p 164

Plures ex hac regula caſus deducuntur, num. 178. ibid.

Iuramentum debet reſtringi ne cenſeatur factum in tertii præiudicium, n. 179. ibid.

Si quis dubitet an iuramentum, vel votum emiſerit non tenetur tali voto, vel iuramento ſive dubium ſit negativum ſive poſitivum, num. 160. ibid.

Quid ſi dubitet de intentione iurandi, aut ſe obligandi, n. 181. ibid.

Quid ſi dubitetur an quis executioni mandaturus ſit iuramentum, vel an res ſint ita notabiliter mutatæ ut eum ab illius executione excuſent, n. 182. ibid.

Gaudentes poteſtate irritandi vota Deo facta, gaudent etiam poteſtate irritandi iuramenta facta in honorem Dei, num. 183. e. 165

Habentes poteſtatem diſpenſandi, vel commutandi vota habent poteſtatem diſpenſandi, vel commutandi iuramenta in honorem Dei facta, n. 184. ibid.

An propria authoritate poſſit quis hæc iuramenta ſicut, & vota in rem evidenter meliorem commutare, num. 185. ibid.

Omnes qui poteſtatem habent dominationum poſſunt irritare iuramenta ſubditorum de materia ſibi ſubiecta, num. 186. p 165

Quæ iuramenta poſſit Pontifex irritare, num. 187. ibid.

Quæ poſſit irritare Prælatus regularis, num. 188. ibid.

Quæ vir reſpectu uxoris, n. 189. ibid.

Quæ Dominus reſpectu ſervi, n. 160. ibid.

Demiſſione creditoris de materia ſibi promiſſa ceſſat iuramenti obligatio, n. 191. ibid.

An creditor poſſit iuramentum principaliter præſtitum in honorem Dei remittere eo quod tota obligatio in ſui favorem cadat, numero 192. ibid.

Iuramentum promiſſorium homini factum licitum ex parte utriuſque, ut plurimum relaxari non valet ſine conſenſu creditoris, n. 193. p. 166

Iuramentum cadens ſuper contractum nullum relaxari poteſt ſaltem in aliquibus caſibus, num. 164. ibid.

In quibus caſibus poſſit relaxari iuramentum & in quibus non, num. 195. ibid.

A quo debeat fieri relaxatio iuramenti quando iuramentum firmat contractum, n. 196. ibid.

An princeps temporalis poſſit ſuis ſubditis relaxare iuramenta homini facta, n. 197. ibid.

Index Rerum.

Juspatronatus.

Quid ſi juſpatronatus explicatur, n. 344. p. 120
Venditio juriſpatronatus ſi pretio fiat eſt ſimonia jure Eccleſiaſtico, & jure divino, num. 345. ibid.
Tribus modis juſpatronatus ad alios transferri poteſt & quales ſint, n. 346. ibid.
An per venditionem juriſpatronatus in venditione villæ conſtituatur venditio ſimoniaca, n. 347. ibid.
An juſpatronatus non cohærens fundo, ſed perſonæ intelligatur transferri venditio bonis illius perſonæ, n. 348. ibid.
Extra prædictos caſus juſpatronatus nec vendi, nec transferri poteſt licitè, aut valdè, n. 349. p. 121
Unus compatronus poteſt alteri compatrono donare ſuum jus conſenſu Epiſcopi abſque ſimonia, n. 350. ibid.
Vendere officia Eccleſiæ temporalia eſt ſimonia; n. 351. ibid.

Juſtitia.

Ponitur juſtitiæ definitio, n. 1. p. 283
Juſtitia eſt virtus ab aliis diſtincta, n. 2. ibid.
Inter Deum & hominem, Patrem & filium, maritum & uxorem, dominum & ſervum non reperitur propria juſtitia, n. 3. ibid.
Inter patrem & filium, maritum & uxorem, ſervum & dominum, dari poteſt juſtitia ſecundum quid, n. 4. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n. 5. ibid.
Juſtitia propriè dicta dividitur in legalem, diſtributivam, & commutativam, n. 6. ibid.
Ponitur juſtitiæ legalis definitio, n. 7. p. 283
Juſtitia legalis eſt virtus diſtincta à pietate, num. 8. ibid.
Homo tenetur vitam exponere pro bono communi, n. 9. p. 284
Contra hanc virtutem peccant principes leges iniquas & bono communi noxias condentes, n. 10. ibid.
Civis particularis peccat ſi rempublicam tradere inſtituat, ſi principem, &c. occidat, n. 11. ibid.
Violatio hujus virtutis præciſè ſumptæ non obligat ad reſtitutionem, n. 12. ibid.
Ponitur juſtitiæ diſtributivæ definitio, num. 13 ibid.
Hæc virtus principaliter reſidet in principibus & magiſtratibus, n. 14. ibid.
Violatur per acceptionem perſonarum, num. 15. ibid.
Ponitur juſtitiæ commutativæ definitio, num. 16. p. 284.
Diſtinguitur à diſtributiva, n. 17. ibid.
Violatio juſtitiæ commutativæ niſi excuſet parvitas materiæ, ſemper eſt peccatum mortale & obligat ad reſtitutionem, n. 18. ibid.
Quid dicendum de juſtitia vindicativa, num. 19. ibid.

Jus.

Ponitur juris definitio, n. 20. p. 284
Jus quod eſt objectum juſtitiæ dividitur in jus in re, & jus in rem, n. 21. ibid.
Ex jure ad rem tantum oritur actio perſonalis, n. 22. p. 285
Ex jure in re oritur actio quæ rei vindicatio appellatur, n. 23. ibid.

L

Legatum.

Quid ſit legatum explicatur, n. 730. p. 381
Qui poſſint legari explicatur, n. 731. ibid.
Legatum aliud eſt ad cauſas pias, aliud ad profanas, n. 732. ibid.
Quid ſit legatum ad cauſas pias, n. 733. ibid.
Quid ſit legatum profanum, n. 734. ibid.
E legatis piis non poteſt detrahi Falcidia, nec Trebellianica, n. 735. ibid.
Papa poteſt legata pia in aliud commutare ſine cauſa ex parte rei, non tamen ex parte Papæ, n. 736. ibid.
Quid dicendum ſit de ordinario, n. 737. ibid.
Legatum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum, & quid utrumque ſit, n. 738. ibid.
Legatum etiam pium eſt in dubio ſtrictè & ſecundum minus interpretandum niſi aliud ex circunſtantiis colligatur, n. 739. ibid.
Legatum relictum pauperibus, vel monaſterio, quibus pauperibus, vel monaſterio tradendum ſit, n. 740. p. 382
Si teſtator committat hæredi facultatem eligendi pauperes, vel monaſterium non tenetur eligere pauperiores, ſufficit ſi pauperes ſint, & ſi ſint religioſi mendicantes, n. 741. ibid.
Legatum relictum canonicis quomodo ſit interpretandum, n. 742. ibid.
Legans triticum quod domi habebat ſi illud conſumpſit ad nihil tenetur hæres, n. 743. ibid.
Legatum relictum conſanguineis pauperibus quos executor elegerit tradendum eſt pauperibus quos executor elegit, n. 744. ibid.
Legato principali cenſetur legatum acceſſorium, n. 745. ibid.
Quid ſi acceſſorium non extet, n 746. ibid.
Quid ſi demonſtratio ſit falſa circa perſonam, n. 747. p. 383
Quid ſi teſtator jubeat fieri ædificium inſtar alterius quod nominat, cum tamen tale ædificium non ſit, n. 748. ibid.
Fructus rei legatæ cui competat, n. 749. ibid.
Legatum relictum puellæ vel Petro pauperi ſi ſit pro anima teſtatoris vel cauſa pietatis, & ſi puella vel Petrus ſit mortuus validum eſt legatum, & dandum eſt alteri puellæ vel pauperi, num. 750. ibid.
Quid ſi pauper mortuus eſt executore in mora exiſtente, n. 751. ibid.
Legatum relictum pro liberatione incarceratorum quolibet anno poteſt expendi in impediendo ne quis in carcerem detrudatur, n. 752. ibid.
Legatum pro virgine maritanda non patitur commutationem cum alio pio opere, n. 753. ibid.
Si pater relinquat filio legatum cum conditione quod ſi religioſus fiat, illud filia obtineat per ingreſſum religionis amittit filius legatum & acquiritur filiæ, n. 754. p. 384
Legata ſolvenda ſunt pro rata quando bona pro omnibus non ſufficiunt, n. 755. ibid.
Quid ſi teſtator rem determinatam plutibus ſeorſim in eodem teſtamento relinquit, n. 756. ibid.
Quid quando duo homines ſunt ejuſdem nominis & non conſtat cuinam ex illis relictum ſit legatum, n. 757. ibid.
An in hoc caſu hæres poſſit eligere unum ex illis, n. 758. ibid.
Legatum ceſſat primo ſi legatarius præmoriatur leganti, n. 759. p. 384
Secundo ceſſat legatum ſi legatarius poſt legatum factum ingratitudinem notabilem habeat cum teſtatore, & qualis requiratur, n. 760. ibid.
Ceſſat tertio legatum ſi teſtator legavit rem alienam putans eſſe ſuam, n. 761. ibid.

Livellum.

Quid ſit livellum exprimitur, n. 40. p. 286

Digitized by Google

In quo differat emphyteusis à livello, exprimitur, n.1018. p.422
Quid sit livellus declaratur, n.1019. ibid.

Libellus famosus.

Libellus famosus, vide verbum *Contumeliam.*

Littera.

Qui alterius literas sigillo munitas quæ asservabantur etiam apertæ in loco secreto aperit & legit prævidens inde aliquod damnum secuturum peccat graviter, n.140. p.504
Quid si illas aperit & legit sine periculo gravis damni, n.141. ibid.
An qui literas laceratas colligit & legit peccet mortaliter, n.142. p.505

Locatio.

Ponitur locationis definitio, n.970. p.416
Omnes res quæ vendi possunt, possunt etiam locari nisi extet aliqua specialis prohibitio, num.972. ibid.
Quæ res prohibeantur locari, n.973. ibid.
Trienn u n quod conceditur ad locationem rerum Ecclesiæ quomodo computandum sit, num.974. ibid.
An res usu consumptibiles & vinum, &c. locari possint, n.975. ibid.
Ponitur quoddam corollarium, n.976. ibid.
Omnes qui facultatem habent emendi vel vendendi, possunt locare & conducere ni specialiter prohibeantur, n.977. p.416
Qui legibus prohibeantur, n.978. ibid.
Conductor potest rem quam conduxit alteri locare modo aliter non sit deductum in pactum, n.979. ibid.
Si locatio sit ad usumfructum illa est justa pensio secluso pacto inter contrahentes quæ fructus operatos deductis expensis non excedit, n.980. p.417
Si locatio sit ad usum tantum, ille censetur certum stipendium quod hujusmodi famulis & operariis dari solet, ita ut non sit minus in primo nec majus summo, n.981. ibid.
Debet etiam attendi an obsequium sit exiguum, n.982. ibid.
Debet etiam attendi liberalitas domini, num.983. ibid.
An famulus possit domino pro stipendio servire, quem scit non posse mercedem illi solvere nisi cum damno creditorum quibus multa debet, n.984. ibid.
Operarij qui locant operas suas si per eos non stet possunt jure accipere integrum stipendium, n.985. ibid.
Sed quid si mercator promisit gubernatori navis ut merces ad Indos transferret, sed medio confecto itinere ob reluctantes ventos reversa est navis in portum unde exivit, n.986. p.418
Locator tenetur primo tradere rem locatam conductori, n.987. ibid.
Quid si res ad plures pertineat & unus vult locare uni, & alter alteri, n.988. ibid.
Locator tenetur tradere rem non vitiatam in ordine ad usum, n.989. ibid.
Locator tenetur solvere expensas necessarias ad rem locatam & utiles, n.990. ibid.
Quid si locator imposuit in contractu ut fierent prædicta meliöramenta, non tamen expressit, quibus expensis, n.991. ibid.
An sic locator teneatur etiam ad prædictas expensas, n.992. ibid.
Locator tenetur remittere pensionem conductori quando calamitas & sterilitas tanta est, ut conductor nihil ex re conducta receperit, nisi aliter sit cautum, n.993. p.419
Finito locationis tempore potest locator expellere conductorem stando in jure communi, n.994. ib.
Si locator sciens finitum esse tempus permittit conductorem non locatam tenere censetur prorogare locationem, n.995. ibid.
Locator non potest invito conductore rem locatam repetere nisi finito locationum tempore, n.996. ibid.
Aliqui dantur casus in quibus potest invitum conductorem expellere qui referuntur, n.997. ibid.
Successor universalis tenetur stare locationi, vel conductioni factæ à suo prædecessore, n.1011. p.421 ibid.
Successor particularis non tenetur stare locationi, vel conductioni factæ à suo antecessore, n.1012. ibid.
Ponitur quoddam corollarium, n.1013. ibid.
Ponitur quædam advertentia, n.1014. p.422

Lucrum cessans.

Ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sed periculi veri alicujus damni potest venditor aliquid augere ultra justum rei pretium, n.827. p.395
Aliquæ ad id debent conditiones adesse & quales sint, n.828. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, n.829. ibid.
An mense Septembris possit venditor determinare pretium tradendum mense Maij, n.830. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.831. ibid.

Ludus.

Quid sit ludus describitur, n.1188. p.443
Ludus natura sua est licitus, & ex se res indifferens, n.1189. ibid.
Aliqui ludi legibus prohibentur, n.1190. ibid.
Ire contra has, leges quoad laicos non est mortale, nec veniale, n.1191. ibid.
Quid si clerici sint & beneficiati, n.1192. ibid.
Quid si moderata quantitas ludo exponatur & ludus pro animi recreatione sumatur, num.1193. ibid.
An præbentes domum mensam candelas, chartas & taxillos ad ludendum his ludis prohibitis peccent mortaliter, n.1194. ibid.
Ad ministrantes domum, chartas, aquam, vinum, dulcia, &c. ludentibus possit sine onere restitutionis retinere excessum pretij quem accipiunt pro dictis rebus à colludentibus, n.1195. ibid.
Ille solum potest ludo aliquid exponere qui illius habet liberam administrationem, n.1196. p.444
Quæ possit filius familias ludo exponere, n.1197. ibid.
Quid possit uxor ludo exponere, n.1198. ibid.
Quid possit servus ludo exponere, n.1199. ibid.
Quid si quis ludo exposuit rem alienã, n.1200. ibid.
Quid si quis cum ei deficeret pecunia, eam surripuit à colludente eáque postea lucratus est, n.1201. ibid.
Quæ fraudes licitæ sint in ludo, n.1202. p.445
Qui potiores chartas habet in ludo & securus iam est de victoria potest adhuc augere portionem ut plus lucretur, n.1203. ibid.
Quæ fraudes illicitæ sint in ludo, n.1204. ibid.
An qui per fraudes injustas lucratus est si consequenter cum eodem ludendo tantundem perdat maneat liber à restitutione, n.1205. ibid.
An fraudibus illicitis ludens possit ex ludo illo restituendo deducere quod dedit pro chartis lucernis & etiam honorarium, n.1206. ibid.
Ad justitiam ludi requiritur libertas, n.1207. ibid.

An

Digitized by Google

Index Rerum.

An qui nolentem cum traxit ad ludum teneatur quod in ludo lucratus eſt reſtituere, n. 1208. ibid.
Sententia negativa ſatis probabilis eſt, num. 1209. p. 446
Idem dicendum eſt de illis qui poſtquam amiſerunt cogunt colludentes perſiſtere in ludo, ut pecuniam perditam iterum lucrentur, n. 1210. ibid.
Ut ludus ſit licitus requiritur, ut æquales ſint ludentium conditio, n. 1211. ibid.
Habens decem nummos non poteſt primo jactu cum eadem perſona luctari viginti, num. 1212. ibid.
In ſolo ludo poteſt quis plus lucrari quam perdere, n. 1213. ibid.
An detur inæqualitas ſi Petrus ludat pro ſe, & Joanne hac conditione quoad Joannes ſolvat dimidium jacturæ, & ſolum acquirat tertiam lucri partem, n. 1214. ibid.
Qui fingit ſe poſitive imperitum ludendi, ut inducat alium inferiorem ad ludendum cum æquali conditione tenetur ad reſtitutionem, num. 1215. ibid.
Si quis ludat animo non ſolvendi altero id ignorante poteſt retinere quod lucratus eſt, n. 1216. p. 447
Si quis fingat habere pecuniam in crumena cum non habeat nec animum ſolvendi cum tamen ſolvere poſſit ſi velit hic licitè poteſt lucrum retinere, n. 1217. ibid.
An unus poſſit ludere pecunia credita ludente alio pecunia numerata, n. 1218. ibid.
Qui data fide ſolvendi perdidit in ludo tenetur jure naturæ in conſcientia ſolvere ſecluſo jure civili, n. 1219. p. 447
Qui ludo vetito lege humana perdidit non tenetur in conſcientia ſolvere ſtando in lege communi Cæſarea, n. 1220. ibid.
Quid dicendum ſit de jure regni Caſtellæ, n. 1221. ibid.
An ſi uterque ludens renuntiet his legibus cedatque juri ſuo poſſit alteruter non ſolvere, & ſolutum repetere, n. 1222. ibid.
An in Luſitania pecunia promiſſa in ludo etiam prohibito ſolvenda ſit lucranti, n. 1223. ibid.
Lucrans ludo prohibito non tenetur lucratum reſtituere ante ſententiam judicis, numero 1224. p. 448
Si victor impediat judicem vi, vel fraude ne eum per ſententiam obliget ad reſtitutionem tenetur reſtituere ſecus ſi alio modo, n. 1225. ibid.
Qui ludo prohibito aliquid amiſit poteſt illud in judicio repetere intra tempus ſibi à lege conceſſum, n. 1226. ibid.
Etiam in locis in quibus lex concedit victo repetitionem coram judice non poteſt victus ſibi occultè compenſare de re ludo prohibito perdita nec alterum obligare ad reſtitutionem ante ſententiam judicis, n. 1227. ibid.

M

Magia.

QUid per magiam intelligatur, n. 133. p. 87
Alia eſt naturalis, alia ſuperſtitioſa, n. 134. ibid.
Quid ſit magia naturalis, n. 135. ibid.
Quid ſit magia ſuperſtitioſa, n. 136. ibid.
Si mira per magiam fiant in oſtentionem communi nomine ſic operantes vocantur magi, n. 137. ibid.
Si fiant ad noxam alteri inferendam dicuntur maleſici, n. 138. ibid.
Ex quibus cognoſcuntur opera magiæ, num. 139. ibid.
Circa corpora humana, & animalium multa fiunt opera magiæ, n. 140. ibid.
Fœminæ huic arti deditæ variis nominibus appellantur & quibus, n. 141. ibid.
Fœminæ huic arti magis deditæ ſunt, quam homines, n. 142. p. 88
Multoties ad loca diſtantia per dæmones deferuntur, n. 143. ibid.
Quæcumque magia eſt ſuperſtitioſa, eſt peccatum grave, n. 144. ibid.
Pocula amatoria, & philtra illicita ſunt, num. 145. ibid.
Sagæ talia pocula facientes graviſſimè peccant, n. 146. ibid.
In hominibus non datur virtus naturalis ad includendos Dæmones quos vocant familiares, n. 147. ibid.

Magiſtri.

Quæ teneantur exhibere diſcipuli erga magiſtros, n. 152. p. 257
Magiſtri tenentur non diſſimulare diſcipulorum crimina, n. 153. ibid.
Canere debent ne animæ noxia documenta tradant, n. 154. ibid.
Tenentur ſtipendia juſto majora non exigere, n. 155. ibid.

Maleficum.

Multa dantur in Eccleſia remedia divina, ad tollenda maleficia, ut Miſſa, exorciſmus, &c. n. 153. p. 89
Licitum eſt ſolvere ligaturas, &c. ut Diabolus deſinat nocere, n. 154. p. 90
Confeſſarius poteſt obligare ſagas ad deſtruenda illa ſigna, n. 155. ibid.
Non ſolum licet illa ſigna deſtruere, ſed ponere aliquid, quo poſito deſtruatur pactum, n. 156. ibid.
Poteſt licite rogari à maga, ut ſignum ſuum auferat, & nocere deſinat, ſi hoc fieri poſſit ſine novo maleficio, n. 157. ibid.
Dicente maga ſe habere modum licitum ſolvendi maleficium, inſpiciendum eſt an talis modus ſit licitus ne cne, n. 158. ibid.

Maledictio.

Quid ſit maledictio deſcribitur, n. 151. p. 506.
Maledictio materialis ex ſuo genere tantum eſt peccatum veniale, n. 152. ibid.
Maledictio materialis qua quis imprecatur alteri malum ſuum ratione boni juſti, vel utilis non eſt peccatum, n. 153. ibid.
Qui eodem impetu plures maledictiones ex corde in alium jactat, unum numero peccatum committit, n. 154. p. 506
An qui ex habitu maledicunt ex corde proximos, ſint in ſtatu peccati mortalis, numero 155. ibid.
Parentes debent abſtinere à maledicendis filiis ob plura quæ ibi referuntur, numero 156. ibid.

Mandatum.

Quid ſit mandatum deſcribitur, numero 1332. p. 463
Mandatum reducitur ad contractum innominatum perficiturque ſolo conſenſu inter mandantem, & mandatarium exterius expreſſo, n. 1333. ibid.
Mandatum generale non extenditur ad illicita, de re licita validum eſt, n. 1334. ibid.

Omnes qui possunt contrahere, possunt etiam dare vel accipere mandatum nisi jure prohibeantur, n.1335. ibid.
De substantia mandati sunt, tam mandantis quam mandatarij consensus, n.1336. ibid.
Mandatarius solum tenetur ex dolo, & lata culpa, num.1337. ibid.
Posterius mandatum non derogat primum, nisi de eo faciant expressam mentionem, vel posterius esset arctius, vel pertineret ad publicam utilitatem, & primum respiceret tantum privatum, n.1338. ibid.
Quomodo & quando finiatur mandatum, n.1339. ibid.
In aliquibus casibus non finitur mandatum morte mandantis, & qui illi sint, n.1340. p.464
Mandans tenetur in solidum restituere si effectus sequatur, n.1395. p.470
Mandans non solum tenetur restituere damnum, tertio, sed etiam ipsi mandatario si quod illis ex mandato sit secutum, n.1396. p.471
Si mandans revocavit mandatum, & id intimavit debito tempore mandatario, si postea sequatur effectus non imputabitur mandanti, sed mandatario, n.397. ibid.
Mandans si iam non valet intimare revocationem mandati tenetur si potest monere illum cui damnum inferendum est, ut sibi consulat. n.398. ibid.
Qui non mandavit fieri damnum, sed postea ratum habuit non tenetur ad restitutionem, n.399. ibid.

Mendacium.

Quid sit mendacium describitur, n.129. p.503
Mendacium aliud est formale aliud materiale, & quid utrumque sit, n.130. ibid.
Omne mendacium est peccatum, n.131. ibid.
Mendacium perniciosum ex natura sua est peccatum mortale, n.132. ibid.
Mortaliter non peccat qui sine gravi proximi damno mendacium etiam in judicio profert, n.133. ibid.

Monopolium.

Quid sit monopolium describitur, n.880. p.403
Quando princeps concedit alicui privilegium, ut ipse solus vendat tale genus mercium, tale monopolium si fiat justa causa, & justum pretium constituatur licitum est, n.881. ibid.
Quæ causa ad hoc monopolium erit justa, n.882. ibid.
Quando venditores conspirant, ut non nisi certo pretio vendant si pretium illud sit supra justum pretium summum peccant contra justitiam cum onere restitutionis, n.883. ibid.
Quid dicendum quando unus, vel duo emunt omnes merces ipsique soli eas vendunt, eo quo pretio volunt sicque inducunt notabilem inopiam, & caritatem, n.884. ibid.
Quid si quis vi, vel fraude impediat ne maior mercium copia aliunde asportetur, ut maneat caritas in republica, n.885. ibid.

Missam audire.

Omnes baptizati adulti habentes usum rationis tenentur sub mortali unam Missam audire in die festo, n.20. p.216
Satisfaciunt fideles audiendo Missam quamcumque ritu Catholico celebratam, n.21. p.217
Fideles tenentur Missam integram audire, n.22. ibid.
Quæ sit pars notabilis, quæ si omittatur frangitur præceptum, n.23. ibid.
Quid si impeditus accedat ad Missam post præfationem, n.24. ibid.
An Sacerdote multum tempus consumente in memento possit interim Missam audiens ad aliquod negotium ire & iterum revertere, n.25. ibid.
A quolibet Sacerdote Catholico Missa licitè audiri potest, n.26. ibid.
Adimpletur hoc præceptum audiendo Missam in Ecclesiis regularium, n.27. ibid.
Fidelis satisfacit huic præcepto si partem Missæ audiat ab uno Sacerdote, partem ab alio, num.18. ibid.
Audiens Missam debet esse præsens localiter & moraliter in Ecclesia, n.29. ibid.
Non est necesse audire, vel videre Sacerdotem, n.30. ibid.
An possit quis Missam audire à fenestra domus suæ si sit parva distantia, n.31. p.218
Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio volendi Missam audire, n.32. ibid.
Quid si non habens intentionem satisfaciendi præcepto Missam quam audivit postea intra tempus debitum mutet voluntatem, numero 33. ibid.
Quid si solum sciat illa auditione Missæ satisfacere, n.34. ibid.
Quid si quis audiat Missam intentione alloquendi amicum, videndi mulieres, &c. numero 35. ibid.
Ad satisfaciendum præcepto sufficit attentio sola externa, & in quo hæc attentio consistat, n.36. ibid.
Prima causa excusans ab auditione Missæ est impotentia Physica seu Moralis, n.37. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.38. ibid.
Secunda causa est periculum alicujus mali, vel amissionis lucri notabilis, n.39. p.219
Ponuntur quædam corollaria, n.40. ibid.
Tertia causa est titulus charitatis, numero 41. ibid.
Ponuntur quædam corollaria, n.42. ibid.
Quarta causa est consuetudo regionis, num.43. p.219
Ponuntur alia corollaria, n.44. ibid.
Quinta causa excusans est ignorantia inculpabilis, & invincibilis, n.45. ibid.
Ponuntur quædam corollaria, n.46. ibid.
Sexta causa excusans est censura, n.47. p.220
Ponuntur quædam corollaria, n.48. ibid.
Qui mane prævidet non posse sub meridiem Missam audire tenetur prævenire audiendo illam diluculo, n.49. p.220
Potest quis Sabbato facere iter ad locum ubi non est Ecclesia etiam ex intentione, ne sequenti die Missam audiat, n.50. ibid.
Quid si exeat in eodem die festo ad locum ubi festum non observatur, n.51. ibid.

Mollities.

Ponitur mollitiei diffinitio, n.78. p.279
Mollities potest procurari animato sive inanimato instrumento, n.75. ibid.
Si fuit procurata instrumento inanimato non facit diversitatem specificam, n.80. ibid.
Quid si fiat instrumento animato, numero 81. ibid.
Qui suis manibus polluit uxoratum, vel Sacerdotem debet id explicare in confessione, num.82. ibid.
Motus seu contractus impudicus inter pueros qui non possunt præ ætate seminare est peccatum mortale, n.83. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Pollutio voluntaria ex nulla cauſa eſt licita etiam ad tuendam vitam, etiamſi fiat tantum medicamentis tendentibus ad ipſum, n. 84. ibid.
Quid dicendum de pollutione accidente in ſomno quando ſit peccatum, num. 85. p. 280
Quoties quis ſine neceſſitate dat operam alicui cauſæ per ſe notabiliter influenti in pollutionem ſi illam prævideris licet eam non intenderit peccat mortaliter, num. 86. ibid.
Quæ ſint cauſæ notabiliter in pollutionem influentes, num. 87. ibid.
Quæ ſint cauſæ leviter influentes in pollutionem, num. 88. ibid.
Quæ neceſſitas vel utilitas excuſet ponentem hujuſmodi cauſas, num. 9. ibid.
Procurare diſtillationem quæ ſit cum voluptate eſt peccatum mortale, num. 90. ibid.
Tenetur homo vitare cauſas per ſe influentes in diſtillationem, non tamen influentes per accidens, num. 91. p. 282
Quid ſi motus carnis accidat in ſomno & deciſio ſeminis in vigilia, num. 92. ibid.
Quid ſi quis patiatur in vigilia pollutionem ex aliqua infirmitate, vel ex ſectione, vel auditione turpium, num. 93. ibid.

Mons pietatis.

Quid ſit mons pietatis explicatur, num. 619. p. 367
Hujuſmodi montes pietatis liciti ſunt, n. 620. ibid.
Homo etiam privatus poteſt montem hunc pietatis licite erigere, num. 621. ibid.
Si mons revocetur & aliquid maneat cui dandum ſit, num. 622. ibid.
Senſus quæſtionis explicatur, num. 623. ibid.
Ratione lucri ceſſantis & damni emergentis poſſunt deponentes illud auctarium recipere, num. 624. pag. 367.
Secluſo lucro ceſſante & damno emergente non eſt licitum recipere illa quinque pro centum ſecluſo privilegio Pontificio, num. 625. ibid.
Quomodo tale lucrum ex indulto apoſtolico juſtificetur, num. 626. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 627. ibid.
Dantur alij montes pietatis qui revera non differunt à cenſibus & quales ſint explicatur, num. 628. pag 368
Aliud genus montium invenitur quod etiam ibi explicatur, num. 629. ibid.

Mutilatio.

Nemo poteſt ſibi ſine gravi cauſa membrum amputare, num. 66. p. 268
Pater de conſenſu filij poteſt citra periculum mortis ei teſticulos amputare ad conſervandam egregiam vocem, num. 67. ibid.
An miles in bello poſſit dentes amputare ut loco glandium ſe ab hoſtibus defendat, num. 68. ibid.

Mutuum.

Ponitur mutui etymologia & definitio & explicatur, num. 573. p. 360
Omnes qui contrahere poſſunt jure naturæ mutuum dare & accipere poſſunt, num. 574. ibid.
Quando aliquid Eccleſiæ datum eſt in mutuum Eccleſia non tenetur reddere niſi mutuans probet mutuum fuiſſe in utilitatem Eccleſiæ converſum, num. 575. ibid.
Idem dicendum eſt de tutore & curatore qui accepit mutuum nomine minoris, num. 576. ibid.

N

Neceſſitas.

PRo bono publico tenetur quis etiam vitam exponere, n. 54. p. 19
In æquali ſui & proximi neceſſitate nemo tenetur ſuccurrere proximo, n. 55. ibid.
Quid ſi neceſſitas ſit inæqualis, n. 56. ibid.
In æquali ſui & proximi neceſſitate poteſt quis ſuccurrere proximo cedendo proximæ conſervationi ſi detur aliqua ſpecialis ratio, & qualis eſſe debet, num. 57. ibid.
Deducitur quoddam corollarium, n. 58. ibid.
Aliquando tenetur quis unum proximum præ altero diligere & quando, n. 59. ibid.
Patiens extremam neceſſitatem poteſt aliena furripere, num. 85. p. 23
Idem poteſt facere graviter indigens ſi alia via non poſſit ſuccurrere, num. 86. ibid.
Quid ſi ante gravem vel extremam neceſſitatem, quis rem alienam accepit ex aliquo contractu, num. 87. ibid.
Debitor extreme laborans non tenetur rem acceptam ſive ex contractu, ſive non reſtituere creditori ſimili neceſſitate laboranti, num. 88. ibid.
Quid ſi eam injuſte acceperit quando dominus eadem neceſſitate laborabat, n. 89. ibid.
Debitor in gravi neceſſitate non tenetur rem acceptam ex contractu domino in ſimili neceſſitate reſtituere, num. 90. ibid.
Quid ſi rem injuſte poſſideat, n. 91. ibid.
quid ſi creditor ſit in extrema neceſſitate, n. 92. p. 24

Negotia geſta.

Quid dicantur negotia geſta deſcribitur, n. 1341. p. 464
Quatuor modis geritur negotium alterius & qui ſint declaratur, n. 1342. ibid.
Negotiorum geſtor qui geſſit negotium abſentis ſolum tenetur de dolo & lata culpa, n. 1343. ibid.
Quid ſi negotium non erat deſertum, n. 1344. ibid.
Si is cujus negotium geritur expreſſe ſignificavit ne ullus id gereret, non tenetur ad expenſas factas, & ſi negotium utiliter geſtum ſit, num. 1345. ibid
Qui negotium fecit alicui animo gratuito non poteſt petere expenſas, num. 1346. ibid.
Quid ſi fuit cum animo ſibi compenſandi, n. 1347. ibid.

O

Oblationes.

QVid proprie dicatur oblatio, numero 198. p. 67
In quo differat à decimis & primitiis, num. 199 ibid.
Quando miniſtris Eccleſiæ ſufficienter per decimas vel primitias proviſum eſt nullo jure debentur oblationes, n. 200. ibid.
Quid ſi detur conſuetudo, num. 201. ibid.
Vtuales oblationes quæ fiunt in altari pertinent ad parochum in cujus parochia fiunt, num. 202. p. 68.
Quædam corollaria referuntur, num. 203. ibid.
Quæ offeruntur in Eccleſiis Regularium jure communi rectori parochialis debebantur, num. 204. ibid.
Quid dicendum ex privilegiis regularium, num. 205. ibid.

Index Rerum.

Religioſi non tenentur ſolvere Epiſcopo vel parochis aliquam portionem de funeralibus, oblationibus, ſepulturis, legatis, &c. num. 206. ibid.
Non tenentur ſolvere parocho quartam funeralem, num. 207. ibid.

Obſervatio vana.

In quo differat vana obſervatio à divinatione, num. 68. p. 78
Ars notoria eſt ſuperſtitio & qualis, num. 69. ibid.
Quid ſit obſervatio eventuum, num. 70. ibid.
Quid obſervatio reliquiarum, num. 71. ibid.
Quid obſervatio ſanitatum, num. 72. ibid.
Hæ omnes obſervationes ſunt ſuperſtitioſæ & peccatum mortale, num. 73. ibid.
An ſalutatores & enſalmatores ſint ſuperſtitioſi, num. 74. p. 79
Salutatores aliquando tantum committunt peccatum vanitatis & injuſtitiæ, num. 75. ibid.
Aliquando ſunt ſuperſtitioſi & quando, n. 76. ibid.
An virtutes naturales pendentes ex complexione & temperamento hominis ſint admittendæ, n. 77. ibid.
Quædam corollaria referuntur, num. 78. ibid.
Ingreſſus fornacis qui ſit in oppido de Pombal an ſit miraculoſus, an ſuperſtitioſus, numero 79. ibid.
Refertur caſus hujus ingreſſus & judicium Authoris, num. 80. p. 80
An virtus per quam ſalutatores faciunt opera miraculoſa ſit naturalis vel gratia gratis data, num. 81. ibid.

Odium.

Odium directe opponitur charitati, numero 134 p. 28
Quibus modis contingat, num. 135. ibid.
Odium poteſt eſſe circa Deum & circa proximum & quomodo, num. 136. ibid.
Tam odium Dei quam proximi eſt peccatum mortale, num. 137. ibid.
Quomodo differat odium Dei & proximi, n. 138. ibid.
Omnia odia reſpectu proximi ſunt ejuſdem ſpeciei, num. 139.
Quibus modis poſſint mala alicui imprecari, n. 140. pag. 28
Malum culpæ ob quemlibet finem numquam poteſt alteri imprecari, num. 141. p. 29.
Poſſumus mala peccatoribus imprecari per modum prænuntiationis & prædictionis, numero 142. ibid.
Poſſumus mala optare peccatoribus ſi deſiderium referatur ad juſtitiam punientis & non ad pœnam hominis, num. 143. ibid.
Quid ſi deſiderium referatur ad pœnam hominis ut peccatoris, num. 144. ibid.
Poſſumus optare actu inefficaci alicui malum temporale ob bonum finem ſervato tamen ordine, num. 145. ibid.
Quid ſi actus ſit efficax tendens in executionem. num. 146. p. 29
Licitum eſt petere à Deo vel judice vindictam contra inimicos, num. 147. ibid.
Licitum eſt gaudere de morte peccatoris ſcandaloſi ne ultra aliis ſit occaſio ruinæ, num. 148. ibid.
Licitum eſt deſiderare mortem militum & principis injuſte bellum moventium, num. 149. ibid.
Quid dicendum de eo qui ſibi mortem imprecatur ut effugiat aliquam miſeriam, num. 150. p. 30

Opera prohibita in die feſto.

Opera quæ in die feſto prohibentur ſunt ſervilia & mechanica, num. 52. p. 220
Licitum eſt in die feſto iter agere ſive equeſter ſive pedeſter, num. 53. ibid.
Licitæ ſunt in die feſto actiones ſaltandi, ducendi choreas, canendi, &c. num. 54. p. 221
Licitum eſt ſtudere, legere, ſcribere, &c. num. 55. ibid.
Licitum eſt pictoribus pingere ſine magno apparatu, num. 56. ibid.
Licitum eſt in die feſto audita miſſa venatio, piſcatio, & aucupatio, num. 57. ibid.
Licitum eſt præliari in die feſto etiam extra neceſſitatem, num. 58. ibid.
An liceat in die feſto uti molendinis, num. 59. ibid.
An liceat in die feſto opus ſervile injungere Turcis vel Mauris, num. 60. ibid.
Prima cauſa excuſans operantem in die feſto eſt brevitas temporis ut ſi quis per duas horas laboret, num. 61. p. 221
Ponuntur quædam corollaria, num. 62. ibid.
Secunda cauſa excuſans eſt divinus cultus, num. 63, pag. 222
Ponuntur quædam corollaria, num. 64. ibid.
Tertia cauſa excuſans eſt pietas in proximum, n. 65. ibid.
Quæ opera pietatis ſint, quæ excuſant operantem in die feſto, num. 66. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 67. ibid.
Quarta cauſa excuſans eſt neceſſitas tam privata quam publica, num. 68. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 69. ibid.
Quinta cauſa excuſans eſt magna ſpes lucri, n. 70. pag. 222.
Quædam corollaria ponuntur, num. 71. ibid.
Sexta cauſa excuſans eſt diſpenſatio ſuperioris; num. 72. ibid.
Quis ſit ſuperior qui poſſit in hoc diſpenſare, n. 73. ibid.
Septima cauſa excuſans eſt legitima conſuetudo, num. 74. p. 223
Quædam corollaria ponuntur, num. 75. ibid.
In die feſto prohibetur mercatum, placitum, jus civile & criminale & quid per hæc intelligatur, n. 76. ibid.
Nundinæ quæ ſemel fiunt in anno aut bis licitæ ſunt in die feſto, num. 77. ibid.
Quid de illis nundinis quæ fiunt ſingulis menſibus, num. 78. ibid.
Mercatus pro ut ſignificat actus mercandi vel vendendi fere ubique non eſt prohibitus in die feſto, num. 79. ibid.
Omnis ſtrepitus judicialis prohibitus eſt in die feſto, num. 80. p. 223
Quid ſi detur neceſſitas vel pietas, num. 18. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 82. ibid.
Iuramentum judiciale prohibetur in die feſto ſeclusa cauſa pietatis aut neceſſitatis, num. 83. p. 224
Non prohibetur juramentum in die feſto quod ſit pro rebus ſpiritualibus ut in actu publico fidei, num. 84. ibid.

Oratio.

Ponitur orationis definitio, num. 11. p. 41
Oratio formaliter conſiſtit in actu voluntatis neceſſario, tamen præſupponit actum intellectus, n. 12. pag. 42.
Oratio eſt actus elicitus à virtute Religionis, n. 13. ibid.

Index Rerum.

Oratio dividitur in mentalem & vocalem & quid utraque ſit, num.14. ibid.
Oratio eſt adultis neceſſaria neceſſitate præcepti naturalis, divini, & poſitivi, num.15. p.42
Præter tempus determinatum ab Eccleſia aliquando obligat præceptum naturale orationis, n.16. ibid.
Quo tempore obliget hoc præceptum naturale orationis, num.17. ibid.
Summa petendorum comprehenditur in oratione dominica, num.18. p.43
Bona temporalia petenda ſunt tacita vel expreſſa conditione ſi nobis ſint futura ſalutaria, num.19. ibid.
Soli creaturæ rationali ſuperiorem agnoſcenti convenit orare, num 20. ibid.
Sancti & angeli poſſunt à nobis orari, num.21. ibid.
Pro omnibus qui non ſunt in termino etiam inimicis orandum eſt, num.22. ibid.
Non datur oratio ſine intentione, num.23. ibid.

P

Pactio.

CEſſio beneficij litigioſi propria authoritate facta propter pecuniã eſt ſimonia, n.379. p.126
Ex authoritate prælati licita eſt conventio & pactio oneroſa ad componendam litem, n.380. ibid.
An talis penſio poſſit poni ad vitam penſionarij vel ad vitam ſolventis penſionem, n.381. ibid.
Inferiores Papa non poſſunt hanc penſionem imponere, num.382. ibid.
Penſio non poteſt ab arbitris abſque ordinarij conſenſu imponi, num 383. p.127

Pagani.

Pagani non poſſunt cogi ad fidem, n.36. p.6
Poteſt pagano damnato ad mortem offerri fides ad mortem evadendam, num.37. ibid.
Rex Chriſtianus poteſt cogere paganos ſibi ſubditos ad audiendum evangelium, n.38. ibid.
Poteſt bellum movere contra infideles communiter nolentes admittere prædicationem Evangelij & alia contra legem naturalem facientes, n.36. ibid.
Princeps Chriſtianus poteſt tolerare in paganis ſibi ſubditis ipſorum ritus, modo non ſint contra jus naturæ, num.40. ibid.
Poteſt expellere à Regno ſuos paganos eo ſolum quia ſunt infideles ſi noluerint fidem recipere, num.41. ibid.
Quæ communicatio prohibita ſit fidelibus cum infidelibus, n.42. ibid.

Parentes.

Parentes tenentur curam filiorum habere in ſpiritualibus & temporalibus, num.29. p.239
Peccant parentes mortaliter ſi non curent ut filij bonis moribus imbuantur, num.30. p.240
Tenentur facere ſumptus neceſſarios ut filius adciſcat ſaluti neceſſaria & litterarum ſtudia, n.31. ibid.
Quid de ſtudiis ad altiores ſcientias, n.32. ibid.
Quid ſi habeat aliqua bona filij caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia, num.33. ibid.
Etſi pater habeat bona filij adhuc ſi velit poteſt eum alere in ſtudiis & Aula Regia propriis bonis num.34. ibid.
Pater tenetur filiis etiam ſpuriis alimenta præſtare, num.35. p.240
Quæ veniant nomine alimentorum, n.36. ibid.
Quid ſi pater bonis careat, polleat vero mater, n.37. ibid.
An clerici teneantur filiis ſpuriis egenis alimenta præbere, num.38. ibid.
Mater uſque ad exactum triennium tenetur filium etiam ſpurium alere lac præbendo, num.39. ibid.
An mater poſſit repetere expenſas factas in alendo filio uſque ad decimum annum, num.40. ibid.
Parentes in caſibus in quibus poſſunt filios exhæredare poſſunt eis alimenta negare, num.41. p.241
Cauſæ ob quas parentes poſſunt filios exhæredare, num.42. ibid.
An filia de jure Luſitano nubens ſine conſenſu patris vel luxurioſam vitam degens poſſit exhæredari, num.43. ibid.
Quid ſi viro manifeſte nobiliori nubat, n.44. ibid.
An de jure communi poſſint parentes filias abſque voluntate parentum nubentes ſive digno ſive indigno exheredare, num.45. ibid.
Parentes qui abſque gravi cauſa filios exponunt peccant mortaliter & tenentur expenſas hoſpitali reſtituere, num.46. ibid.
An matres proprio lacte filios non lactentes peccent, num.47. ibid.
Si pater vivendo bona fide ſua bona diſſipavit cum præjudicio legitimorum filiorum non tenetur ex tertio legitimas filiorum integrare ſecus ſi ex mala fide id fecit, num.48. ibid.

Pœna hæreticorum.

Pœna ab Eccleſia conſtituta contra hæreticos ſolum comprehendit hæreticos externos, n.52. p.8
Prima pœna contra hæreticos eſt excommunicatio Papæ reſervatæ, n.53. ibid.
Secunda pœna eſt irregularitas & à quibus hæc pœna incurritur, num.44. ibid.
Tertia pœna eſt infamia, num.55. ibid.
Quarta pœna eſt privatio beneficiorum & officiorum poſſeſſorum & inhabilitas ad futura, n.56. pag.9.
Quid ſi hæreticus ſponte reconcilietur, n.57. ibid.
Quid ſi renunciet beneficia ante ſententiam declaratoriam, hæreſis, num.58. ibid.
Quinta pœna eſt quod filij hæreticorum non poſſint ad nullum officium Eccleſiaſticum vel publicum admitti, num.59. ibid.
Sexta pœna eſt privatio dignitatum, n.60. ibid.
Septima pœna eſt confiſcatio bonorum, n.61. ibid.
Ad quæ bona hæc pœna extendatur, num.62. ibid.
Pœna confiſcationis non obligat ante ſententiam judicis, num.63. ibid.
Hæreticus ante ſententiam declaratoriã poteſt bona ſua alienare & quomodo, num.64. ibid.
Quid ſi bona alienet in fraudem fiſci, n.65. p.10
Hæreticus poſt ſententiam ſi fiſcus ab eo non petat bona poteſt ea retinere & eis frui, num.66. ibid.
Octava pœna eſt incapacitas teſtandi, n.67. ibid.
Non pœna eſt incapacitas hæreditatis ſucceſſionis & legati & donationis, num 68. ibid.
Decima pœna eſt exemptio filiorum à patria poteſtate, num.69. ibid.
An filius hæretici ſuccedat in majoratu, n.70. ibid.
Vndecima pœna eſt privatio dominij in ſervis, n.71. ibid.
Duodecima pœna eſt pœna carceris flagellationis exilij & mortis, num.72. ibid.

Pœna ſchiſmaticorum.

Schiſmaticus ſi ſimul ſit hæreticus incurrit omnes pœnas hæreticorum, num.77. p.11

Purus

Index Rerum.

Papa ſchiſmaticus incurrit excommunicationem Papæ reſervatam & inhabilitatem ad officia Eccleſiaſtica habenda & illorum juriſdictionem, n. 78. ibid.

Schiſmaticus ſi crimen fuerit notorium, incurrit irregularitatem ex infamia, num.79. ibid.

Pœnæ contra maleficos.

Omnes venefici ſtriges ſortilegi divini & magi & eis conſulentes excommunicatione ferenda, afficiuntur jure pontificio, num.159. p.91

Referuntur aliæ pœnæ quibus ſolent condemnari, num.160. ibid.

Iure civili hi ſcelerati pœna mortis plectendi ſunt, num.161. ibid.

Iure Luſitano pœna mortis afficiuntur, num.162. ibid.

Si hoc crimen habuerit admiſtam hæreſim vel ſuſpicionem illius ad inquiſitores fidei pertinet, num.162. ibid.

Raro dari poteſt caſus in quo iſti non pertineant ad inquiſitores, num.164. ibid.

Si fuerit pura ſuperſtitio ſine ſuſpicione hæreſis eſt crimen mixti fori, num.165. p.91

In crimine hæreſis tenentur judices laïci ſtare ſententiis latis per dominos inquiſitores quando hæretici relaxantur, num.166. ibid.

Si dum examinantur lamiæ à dominis inquiſitoribus inveniuntur plures occidiſſe infantes non ſunt tradendæ judicibus ſæcularibus ut propter homicidia puniantur, num.167. ibid.

Si judices ſæculares examinantes lamias vel veneficos conveniunt hæreſim commiſiſſe, tenentur prius hos ſceleratos dominis inquiſitoribus remittere, num.168. p.92

Domini inquiſitores peracto judicio hæreſis, etiamſi convertantur tenentur eos iterum tradere judicibus ſæcularibus ut illorum criminum pœnam recipiant, num.169. ibid.

Lamiarum peccatum de jure communi non eſt reſervatum, num.170. ibid.

In omnibus diœceſibus Luſitaniæ peccatum lamiarum eſt reſervatum, num.171. ibid.

Inter peccata quæ poſſunt reſervari inter regulares unum eſt, veneficia, ſortilegium, & incantationes, num.172. ibid.

Pœnæ Simoniacorum.

Simoniacus in beneficio quam pœnam incurrat, num.384. p.117

Nulla pœna eſt impoſita ſimoniacis niſi ſimonia ſit commiſſa in ingreſſu religionis, in ordine, & beneficio, num.385. ibid.

Committens ſimoniam in conferendis ſacramentis, &c. præter ordinem nullam pœnam ipſo jure incurrit, num.386. ibid.

Quid dicendum de committente ſimoniam in redemptione & commutatione penſionis, num.387. ibid.

Simoniæ mentali nulla eſt impoſita pœna, n.388. pag.117

Pro ſimonia conventionali ex nulla parte completa nullæ pœnæ ipſo jure ſunt impoſitæ, num.189. ibid.

An requiratur ad pœnas incurrendas ſimoniam eſſe completam ex utraque parte, num.390. ibid.

Quid ſi conſequens beneficium ſub promiſſione pecuniæ illam poſt multum temporis ſolvat, num.391. p.118

Simonia realis & completa ſolo jure Eccleſiaſtico prohibita non ſubjacet reſtitutioni & & pœnis ſimoniæ, num.392. ibid.

Ab hac regula excipitur ſimonia confidentialis, num.393. ibid.

Tam dantes quam recipientes religionem ob pretium incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ſi ſint perſonæ regulares, num.394. ibid.

Simoniace receptus in religionem eſt inhabilis ad manendum in illo monaſterio ubi receptus fuit, num.395. ibid.

Prædictæ pœnæ non incurruntur niſi quando profeſſio fit, num.396. p.119

Qui confert ordines vel mediator ad illos exiſtit per ſimoniam realem eo ipſo eſt excommunicatus, num.397. ibid.

Ordinans ſimoniace ipſo jure eſt ſuſpenſus à collatione cujuſvis ordinis & ab executione omnium munerum pontificalium, num.398. ibid.

Qui ordinem aliquem per ſimoniam realem ſuſcepit ipſo facto eſt excommunicatus, numero 399. ibid.

Eſt etiam ſuſpenſus ab executione ordinis qui ſuſcepit, num.400. ibid.

Abſolutio harum cenſuratum & inhabilitatum Pontifici reſervatur, num.401. ibid.

Qui beneficium confert vel procurat alteri per ſimoniam realem eligendo, præſentando &c. eſt ipſo jure excommunicatus, num.462. p.130

Qui Beneficium comparat per ſimoniam realem eſt ipſo facto excommunicatus & collatio eſt nulla, num.403. ibid.

Quid ſi ſimonia ſit commiſſa ab alio tertio, n.404. ibid.

Simonia commiſſa in beneficio non privat electum ipſo jure beneficiis antea rite obtentis, n.405. ibid.

Hæc ſimonia non conſtituit electum inhabilem ad alia beneficia obtinenda niſi poſt ſententiam judicij, num.406. ibid.

Simonia confidentialis inducit primo excommunicationem Papalem, n.407. p.131

Secundo collatio eſt nulla, num.408. ibid.

Recipiens ſic beneficium eſt inhabilis ad idem & ad alia beneficia, num.409. ibid.

Hæ pœnæ ipſo facto incurruntur excepta privatione beneficiorum antea poſſeſſorum, num.410. ibid.

Mediatores ſi ſimonia eſt completa incurrunt excommunicationem, num.411. ibid.

Pœnæ contra perjuros.

Ponuntur pœnæ quas incurrit periturus jure communi civili, num.91. p.149

Ponuntur quas incurrit jure canonico & jure Luſitano, num.91. ibid.

Propriiſſima pœna perjurij apud omnes nationes eſt repulſa à teſtificando in judicio, n.93. pag.150

Pœnæ raptorum.

Ponuntur pœnæ quas de jure civili incurrunt raptores, num.73. p.278

Ponuntur quas incurrunt jure Luſitano, n.74. ibid.

Ponuntur quas incurrunt ex Tridentino, num.75. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, num.76. ibid.

Qui fœminam non pro ſe, ſed pro alio rapuit poteſt cum ea nubere, num.77. ibid.

Pœnæ contra inceſtuoſos.

Explicantur pœnæ quas incurrunt ſecundum jus canonicum inceſtuoſi, num.58. p.277

Quid ſi inceſtus fuit conjunctus cum adulterio, num.59. ibid.

De

Index Rerum.

De jure Luſitano quas pœnas incurrant inceſtuoſi, declaratur, n.60. ibid.

Pœnæ contra adulteros.

Referuntur pœnæ quas adulteri in jure incurrunt n.35. p.275

Adulter amittit jus petendi debitum, num. 36. ibid.

Quando à conjuge innocente non eſt privatus debito poteſt illud exigere, n.37. ibid.

Peccatum.

Minus malum intrinſecè malum nunquam poteſt eligi ad evitandum majus, n.181. p.34

Quando malum eſt malum quia prohibitum poteſt quis & tenetur eligere minus malum ad evitandum majus, n.182. ibid.

Reducuntur quædam corollaria, numero 183. ibid.

Quando duo præcepta poſitiva concurrunt quod magis obligat proponendum eſt, numero 184. p.35

Non poteſt eligi minus malum certum ad vitandum majus malum incertum, n.185. ibid.

Ex ſuppoſitione quod homo vult libere malum lege prohibitum non peccat quia minus eligit malum ſed ratione præcepti peccatum vitandi, n.186. ibid.

Peccati cooperatio.

Ex cauſa rationabili non peccat qui ex bono fine cooperatur cum aliquo in actione de ſe indifferente licet alias ille ea abutatur ad culpam, n.187. p.36

Ratio communis famulatus eſt ſufficiens cauſa ad excuſandum famulum ſubditum & filium facientem opera indifferentia remota actioni pravæ reſpectu domini, &c. numero 188. ibid.

Quando opera indifferentia ſunt proximiora peccato major cauſa requiritur, n.189. ibid.

Ratio communis amicitiæ non ſufficit ut quis emat imaginem concubinæ pro amaſio, numero 190. ibid.

Quando teneatur dominus ejicere famulum, quem ſcit extra domum habere concubinam, num.191. ibid.

Poteſt quis licite concubinæ judicis munera dare ut intercedat pro dante apud judicem, n.192. ibid.

Puella advertens ſe ab alio libidinosè tangi, ſi tactus ſint ex ſe liciti ſecundum morem patriæ & publice fiant licite poteſt eos tolerare, num.193. ibid.

Mulier nimium ſe ornando, ſi credat alicui etiam indeterminate fore lapſus occaſionem, tantum peccat venialiter, n.194. p.37

Ex graviſſima cauſa poteſt pictor depingere imaginem concubinæ amaſio & quæ cauſa hæc ſit, n.195. ibid.

Idem dicendum eſt de hiſtrionibus res laſcivas repræſentantibus dummodo abſit periculum ſuæ impuræ delectationis, n.196. ibid.

Qui res ſuas veniales habeat poteſt eas vendere etiam ſi ſciat ementem illis abuſurum ſi alias eas nequaquam venderet, n.197. ibid.

Vendentes eſculenta poſſunt ea vendere ſoluturis jejunium, n.198. ibid.

Non poteſt quis idolum fabricare infideli niſi hoc faciat ex metu mortis, n.199. ibid.

Poteſt quis petere à ſacerdote quem ſcit eſſe in mortali ut ſibi miniſtret ſacramenta, ſi præſto non ſit alius qui ea poſſit miniſtrare vel ſi petenti intereſſet potius cum illo, n.200. ibid.

Poteſt quis ob ſuam neceſſitatem vel utilitatem petere ab aliquo juramentum quem timet falſum juraturum dummodo non petat ut falſum juret, n.201. p.38

Ob mortis metum poſſunt Chriſtiani captivi propugnacula ædificare, arma afferre ad bellum contra Chriſtianos, ſi alias id per alios fieri poterat, n.202. ibid.

Non poſſunt contra Chriſtianos tormenta dirigere, ignem applicare, n.203. ibid.

Poteſt quis ab uſurario etiam non parato ob finem honeſtum petere mutuum ſub uſuris, num.204. ibid.

Famulus dicens domino uſurario ut det huic petenti mutuum ſub uſuris non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, n.205. ibid.

Si famulus cogat mutuarium ad ſolvendas uſuras peccat & tenetur ad reſtitutionem, n.206. ibid.

Famulus qui ſcribit in libris uſurarij vel facit apotechas facientes fidem ad cogendum mutuarium peccat, tenetur ad reſtitutionem, numero 207. ibid.

Non poteſt quis miniſtrare indifferentia illi qui tranſgreſſurus eſt præceptum ea ſolum cauſa quia alibi eſt tranſgreſſurus etiam, ſi ille tales res non miniſtraret, n.208. ibid.

Quid ſi detur alia cauſa, n.209. ibid.

Non licet paratum ad peccandum invitare ad actum in ſe peccaminoſum, n.210. p.39

Parato abſolute ad peccandum poteſt quis etiam ſine neceſſitate, cum aliqua tamen utilitate offerre occaſionem peccati quæ ex ſe ſit res indifferens, n.211. ibid.

Quid ſi id ab alio ſine peccato æque bene conſequi poſſet, n.212. ibid.

Penſio.

An penſio ad componendam litem in cauſis beneficialibus poni poſſit ad vitam penſionarij vel ad vitam ſolventis penſionem, n.381. p.126

Inferiores Papæ non poſſunt hanc penſionem imponere, n.382. ibid.

Penſio non poteſt ab arbitris abſque ordinarij conſenſu imponi, n.383. p.127.

Permutatio.

Authoritate Papæ potus in permutatione beneficiorum compenſari pecunia vel penſionum fructuum inæqualitas, n.360. p.123

Talis compenſatio non poteſt fieri Epiſcopi authoritate, n.361. ibid.

Authoritate ordinarij non poteſt poni penſio in beneficio pingui permutato cum beneficio tenui, n.362. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, n.363. ibid.

Non eſt ſimonia commutare beneficium cum onere quod ante erat annexum beneficio, n.364. ibid.

Pertinacia.

Quid & in quo conſiſtat pertinacia ad hæreſim neceſſaria, n.48. p.7

Quæ pertinacia requiratur ad hæreſim, num.49. ibid.

Pignus.

Quid ſit pignus deſcribitur, n.1301. p.458

In quo differat ab hypotheca oſtenditur, n.1302. ibid.
Pignus prout comprehendit etiam hypothecam dividitur in conventionale, prætorium, & judiciale, n.1303. ibid.
Quid ſit pignus conventionale, prætorium, & judiciale, n.1304. ibid.
Prælati poſſunt ſubjicere hypothecæ univerſali omnia bona Eccleſiæ, n.1305. p.458
Non ſolum res quæ exiſtunt, & vendi poſſunt, ſed quæ ſperantur, & fructus pendentes, &c. poſſunt oppignorari, n.1306. ibid.
De jure Luſitano res pretioſæ Eccleſiæ, ut lampades, calices, &c. non poſſunt oppignorari ſub gravi pœna quæ ibi refertur, n.1307. ibid.
Si res fructifera detur in pignus, fructus pignoris, ſunt computandi in ſortem, n.1308. p.459.
Quædam corollaria proponuntur, numero 1309. ibid.
In aliquibus caſibus poteſt pignoratitius excipere fructus ex pignore, & quales ſint, num.1310. ibid.
An in pignoribus licitum ſit pactum legis commiſſoriæ, n.1311. ibid.
Quid ſi fiat pactum quod debitore non ſolvente debitum pro juſto pretio, an ſit hoc pactum licitum, n.1312. ibid.
Si maneat aliquid de ſubſtantia rei oppignoratæ id maneat ſemper oppignoratum, numero 1413. p.460
Si nihil ex variatione de ſubſtantia remanſit, ſed tantum aliquid pertinens ad rei qualitatem non remanet pignori ſubjecta, n.1314. ibid.
Si res oppignorata in melius varietur manet tota pignori ſubjecta, n.1315. ibid.
Si detur pactum quod non ſolvente debitore pignus juſto pretio vendatur, & exceſſus reddatur debitori licita eſt talis venditio, num.1316. ibid.
Si non præceſſit tale pactum de jure communi non poteſt creditor vendere pignus conventionale niſi aliquibus præmiſſis conditionibus quæ ibi aſſignantur ex jure, n.1317. ibid.
Hæc juris diſpoſitio non obligat niſi in foro externo, n.1318. ibid.
An ſi pignus ſit judiciale poſſit à creditore vendi ſecundum jus commune numero 1319. p.461
Quid dicendum de jure Luſitano, numero 1320. ibid.
An creditor teneatur reddere pignus debitori eo indigenti, & aliud idoneum offerenti, n.1321. ibid.
Creditor qui ut creditor vendi. pignus non tenetur de evictione, n.1322. ibid.
In aliquibus caſibus tenetur creditor de evictione qui ibi referuntur, n.1423. ibid.
An in omnibus caſibus in quibus creditor non tenetur de evictione, ſi debitor ſolvendo non ſit teneatur creditor in ejus defectum reddere emptori pretium receptum ſi exiſtat, vel ſi non exiſtat id in quo factus eſt ditior, num.1324. ibid.

Precarium.

Ponitur precarij definitio, & explicatur, n.569. p.359
Qui precario accipit ex qua culpa teneatur, n.570. ibid.
Precarium finitur morte ejus cui conceditur nec tranſit ad hæredes, n.571. p.366
Non finitur morte concedentis donec ab hærede revocetur, n.572. ibid.

Prebendati.

Præbendati. Vide, *Horas canonicas.*

Periurium.

Periurium, vide verbum: *pœna contra periuros.*

Prælati.

Epiſcopi etiam Cardinales tenentur reſidere in ſuis Eccleſiis de jure divino, n.144. p.256
Quando & quomodo poſſint ab illis abeſſe, n.145 ibid.
An Rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione Regni, vel Concilij, n.146. ibid.
Epiſcopus debet habere ſufficientem ſcientiam Theologicam, vel ſacrorum Canonum, n.147. ibid.
Epiſcopus tenetur ſingulis annis Synodum convocare & quolibet triennio provinciale ſi Archiepiſcopus fuerit, n.148. ibid.
Curatus tenetur ſuis ovibus ſacramenta miniſtrare, n.149. ibid.
Parochus per ſe, vel per alium tenetur populum doctrinam Eccleſiaſticam docere, numero 150. ibid.

Primitiæ.

Quid intelligatur nomine primitiæ, numero 193. p.67.
In quo differant à decimis, n.194. ibid.
Quo jure debeantur, n.195. ibid.
Præceptum primitiarum fere nullibi eſt in uſu, n. 196. ibid.
De jure communi primitiæ ſolvendæ erant parocho in cujus parochia prædia exiſtunt, n.197. ibid.

Præſcriptio.

Quid ſit præſcriptio explicatur, numero 157. pagina 301
Uſucaptio explicatur & definitur, numero 158. ibid.
Præſcriptionis & uſucaptionis beneficium ob bonum publicum introductum eſt, n.159. ibid.
Beneficium præſcriptionis tam in foro externo, quam interno locum habet, n.160. ibid.
Quid ſit poſſeſſio, & unde dicatur, numero 161. p.302
Non eſt neceſſe quod poſſeſſio ſemper reali apprehenſione acquiratur, n.162. ibid.
Ut poſſeſſio ſit civilis requiritur, ut nomine proprio fiat, & non ſufficit poſſeſſio naturalis ex nomine alieno, n.163. ibid.
Quoddam corollarium ponitur, numero 164. ibidem.
Quomodo probetur hujuſmodi poſſeſſio, n.165. ibid.
Titulus eſt cauſa exſe ad transferendum dominium, n.166. ibid.
Non eſt neceſſe ut titulus ſit verus, ſufficit ſi probabiliter verus putetur, n.167. ibid.
Ad præſcriptionem triginta, quadraginta, vel centum annorum nullus titulus requiritur, ſed ſufficit illius præſumptio, dummodo jus ei non reſiſtat, n.168. ibid.
Poſſeſſio immemorialis non ſufficit ad præſcribendum

Digitized by Google

bendum ſi conſtet de mala fide poſſeſſoris, n. 169. ibid.
Quid ſit bona fides explicatur, numero 170. p. 302
Si quis antequam rem incipiat poſſidere dubitet an res ſit aliena non ei ſuffragatur bona fides, n. 171. ibid.
Quid dicendum ſi dubium ſit in principio poſſeſſionis ut ſi quis inveniat in monte gemmam & dubitet an habeat dominium, numero 172. ibid.
Qui bona fide cœpit poſſidere poſtea adveniente dubio poteſt proſequi poſſeſſionem, num. 173. p. 303
Quid ſi per errorem patet ſe non poſſe continuare poſſeſſionem, n. 174. ibid.
Ignorantia craſſa non facit bonæ fidei poſſeſſorem, n. 175. ibid.
Ignorantia facti cauſa bonam fidem in poſſeſſore ad præſcribendum, n. 176. ibid.
Ignorantia invincibilis juris dari in foro conſcientiæ, facit bonæ fidei poſſeſſorem, numero 177. ibid.
Quid dicendum ſit in foro externo, n. 178. ibid.
Mala fides authoris nocet ſucceſſori univerſali, n. 179. ibid.
Succeſſor in re particulari valide præſcribit modò bonam fidem habeat, n. 180. p. 303
Idem dicendum & in ſucceſſore in officio & beneficio, n. 181. p. 304
Poteſt quis habere bonam fidem reſpectu unius partis fundi & non reſpectu alterius, n. 182. ibid.
Bona fides anteceſſoris prodeſt ſucceſſori ad præſcribendum, n. 183. ibid.
In nullo caſu dari poteſt præſcriptio cum mala fide, n. 184. ibid.
Poteſt dari lex quæ præcipiat quod aliquis ſine poſſeſſione bonæ fidei poſitivæ, ſed tantum abſque mala fide aliquid præſcribat, n. 185. ibid.
Damnatus ad pœnam vel amiſſionem ſuorum bonorum, poteſt certo tempore præſcribere contra fiſcum, n. 186. ibid.
Poteſt quis extinguere jus quod alter habet ratione ſervitutis in re ſua & præſcribere paſſive libertatem, n. 187. ibid.
Res mobilis de jure communi præſcribitur triennio & bona fide, n. 188. p. 304
Res immobiles privatorum quo tempore præſcribantur, n. 189. p. 305
Quod tempus requiratur ad præſcribendum contra Eccleſiam tam Romanam quam alias, num. 190. ibid.
Bona principis quomodo præſcribantur, num. 191. ibid.
Servitus perſonalis quæ debetur perſonæ à perſona nunquam præſcribitur, n. 192. ibid.
Servitus mixta quæ debetur à re perſonæ quomodo præſcribitur, n. 193. ibid.
Initium poſſeſſionis quomodo accipiatur in ſervitutibus affirmativis & quomodo in negativis ut detur præſcriptio, n. 194. ibid.
Servitus naturalis quomodo extinguatur, n. 195. ibid.
Juſpatronatus Eccleſiæ quomodo à laïco præſcribi poſſit, n. 196. ibid.
Beneficia Eccleſiaſtica quomodo præſcribantur, n. 197. ibid.
Debita & actiones æris alieni & rerum mobilium & immobilium quomodo præſcribantur, n. 198. p. 306
Bona prohibita alienari ut ſunt majoratus an & quomodo præſcribi poſſit, n. 199. ibid.
Contra leges civiles an præſcribi poſſit, n. 200. ibid.
Sextus quæſtionis explicatur, n. 201. ibid.
Homo liber non poteſt præſcriptione fieri ſervus, n. 202. ibid.
Ea quæ principi competunt in recognitionem ſupremæ poteſtatis præſcribi non poſſunt, n. 203. ibid.
Exemptio à ſuperiore præſcribi non poteſt, n. 204. ibid.
Ponuntur alia quæ præſcribi non poſſunt & explicantur, n. 205. ibid.
Quando currat præſcriptio explicatur, n. 206. p. 306
Quando dicatur dormire, n. 207. ibid.
Quando dicatur interrumpi, n. 208. ibid.

Pretium.

Triplex datur pretium ſcilicet muneris linguæ & obſequij, n. 218. p. 97
Quid comprehendatur ſub munere à manu, n. 219. ibid.
Quid ſit munus à lingua, n. 220. ibid.
Quid ſit pretium obſequij, n. 221. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 222. p. 98
Dare beneficium ob aliquod obſequium ſpirituale factum vel faciendum non eſt ſimonia, n. 223. ibid.
Pretium aliud eſt legitimum, aliud arbitrarium, n. 815. p. 393
Pretium legitimum quid ſit, n. 816. ibid.
Pretium arbitrarium quid ſit, n. 817. ibid.
Pretium arbitrarium augeri poteſt primo ex abundantia vel penuria rerum, n. 818. p. 394
Secundo augeri poteſt ex abundantia pecuniæ, n. 819. ibid.
Tertio ex parte ementium & vendentium ut quando frequentes vel minus frequentes ſunt, n. 820. ibid.
An exteris carius vendi poſſit quam naturalibus, n. 811. ibid.
Quarto augeri poteſt pretium ex modo vendendi minutatim vel ſimul, n. 822. ibid.
Quinto augeri poteſt ex neceſſitate vel utilitate mercis, n. 823. ibid.
Sexto augeri poteſt pretium ratione expenſarum, n. 824. ibid.
Res quæ non habent communem uſum ut gemmæ, falcones, &c. poſſunt vendi quanti venditor potuerit, n. 825. p. 394
Pretium quis licite pro ſimia accipere in pretium regnum, ſi res illud poſcit & voluit dare ei pretium ſimiæ, n. 826. ibid.

Profeſſio fidei.

Omnes curam animarum habentes tenentur in manibus Epiſcopi, vel ejus vicarij elicere fidei profeſſionem, n. 85. p. 12.
Eandem obligationem habent proviſi in canonicatibus & dignitatibus in cathedralibus, num. 86. ibid.
Ad idem tenentur proviſi in Patriarchas, Epiſcopos vel Archiepiſcopos, n. 87. ibid.
An non facientes fidei profeſſionem amittant fructus ante judicis ſententiam, n. 88. ibid.
Hæc lex non obligat ad culpam gravem ſed tantum ad pœnam, n. 89. ibid.
Hoc præceptum non obligat prælatos Regulares, n. 90. ibid.
Hæc lex in multis locis non eſt uſu recepta, n. 91. ibid.
Ubi hæc lex eſt recepta ſufficit quod ſemel profeſſio

professio fidei fiat, n.92. ibid.

Promissio.

Ponitur promissionis definitio & explicatur, n.452. p.343

Promissio debet esse libera libertate ad peccatum mortale requisita, n.453. p.344

Debet esse spontanea ut excludat metum & coactionem injustam, n.454. ibid.

Promissio de re turpi & impossibili non obligat, n.455. ibid.

Quid si res promissa partim sit licita partim illicita, n.456. ibid.

In quo differat promissio à præposito explicatur, n.457. ibid.

Promissio & donatio ante acceptationem non obligant nec naturaliter, nec civiliter, num. 458. p.344

An remissio debiti requirat acceptationem debitoris, n.459. ibid.

Mera promissio interna facta homini non obligat, num. 460. ibid.

Donatio facta absenti dum non acceptatur non obligat, n.461. ibid.

Promissio & donatio non possunt valide acceptari post mortem donatoris & promittentis, n.462. ibid.

Idem dicendum est si ante acceptationem moriatur donatarius, n.463. ibid.

Quid si donatio directa etiam sit ad hæredes defuncti, n.464. ibid.

Quis possit pro absenti acceptare donationem & promissionem, n.465. p.345

An ex consensu illius qui donationem pro absenti acceptavit possit donator revocare donationem, n.466. ibid.

An quando donatio vel promissio facta est alicui sub conditione ut post certum tempus Petro vel Ecclesiæ restituat possit hoc gravamen saltem consentiente primo donatario vel promissario soli, n.467. ibid.

Promissio gratuita acceptata secluso damno per accidens ex tali promissione secuto saltem sub veniali obligat. n.468. ibid.

Quid si ex non impleta conditione sequatur promissario grave damnum, n.469. p.336

Quoties quis promittens se ex justitia voluit obligari tenetur sub mortali promissionem exequi, n.470. ibid.

Promissio acceptata desinit obligare si res promissa fiat illicita, inutili, vel impossibilis, num.471. ibid.

Secundo quando duo ad invicem promiserunt, & alter non vult implere promissum, n.472. ibid.

Tertio quando aliquid promissum est ob causam quæ non subsit, n.473. ibid.

Quarto si status rerum vel personarum mutetur, n.474. ibid.

Ponitur quoddam corollarium, n.475. ibid.

R

Raptus.

POnitur raptus definitio, n.69. p.278

Raptus metaphysice loquendo non est propria species luxuriæ sed injustitiæ, & tantum includit circunstantiam generalem luxuriæ, numero 70. ibid.

Ad raptum requiritur abductio cum violentia de loco in locum & quomodo id intelligatur, n.17 ibid.

An abductio sponsæ de futuro vel sponsæ de præsenti in duobus mensibus qui illi conceduntur ad deliberandum sit raptus, n.72. ibid.

Renunciatio.

Quid sit renunciatio proponitur, numero 365. p.124

Ad validam renunciationem requiritur conventus superioris, n.366. ibid.

Quis sit superior qui resignationes potest admittere, n.367. ibid.

An renuntiatio sub aliqua conditione facta in manibus ordinarij sit simonia, n.368. ibid.

An ordinarius reiecta conditione possit beneficium libere concedere, n.369. ibid.

Resignatio absque assignatione personæ existente aliqua ex conditionibus assignata à Pio V. admitti potest ab ordinario, numero 370. ibid.

An resignans in manibus ordinarij supplicans ab illo ut alicui certæ personæ beneficium conferat faciet contra constitutionem Pij V. n.371. ibid.

Quid dicendum sit de resignatione triangulari, n. 372. p.125

Ordinarius non potest admittere resignationem simpliciter factam cum reservatione pensionis, n.373. ibid.

Resignatio confidentialis.

Quid sit resignatio confidentialis, numero 374. p.125

Non est simonia confidentialis renunciare beneficium cum spe quod illud beneficium aliquando cedat in favorem alterius à se nominandi vel ipsius conferentis, n.375. ibid.

Quid si quis resignet cum intentione ad id obligandi, n.376. ibid.

Si quis alicui beneficium procuret cum pacto ut is qui beneficium accepturus ut illud sibi vel alteri resignet vel fructus præstet erit simoniacus confidentialis, n.377. p.126

An resignatio beneficij cum conditione ut sibi pensio solvatur sit simonia confidentialis, n.378. ibid.

Restitutio.

Res spiritualis ob pretium comparata non est obnoxia restitutioni, n.412. p.131

Qui accepit pretium cum pacto dandi beneficium vel aliquid spirituale tenetur ad restitutionem non impleta conditione, n.413. ibid.

Pretium receptum pro præsentatione, collatione, confirmatione, &c. beneficij debet necessario restitui ante sententiam judicis, numero 414. ibid.

Cui debeat fieri hæc restitutio, numero 415. ibid.

Excepto casu beneficiorum in nullo alio etiam in ingressu Religionis vel receptione ordinis tenetur quis restituere pretium simoniace acceptum, n.416. p.132

Qui pretium simoniace accepit sed non injuste seu cum injuria contra ipsum dantem non tenetur jure naturali ad restitutionem pretij accepti, n. 417. ibid.

Qui pretium accepit pro re spirituali cum injuria & injustitia contra ipsum dantem tenetur jure naturali & divino ad restitutionem pretij accepti, n.418. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, n.419. ibid.

Qui vendit rem spiritualem ut talis est, sed habita ratione ad materiale illius vel ad emolumentum temporale vel ad honorem quo se privat venditor simoniam

Digitized by Google

simoniam committit non tamen tenetur ad restitutionem si pretium non excedat quod pro tali materia potest æstimari, n.420. ibid.

Quid sit restitutio explicatur & dicitur in quo differat à satisfactione, num.237. p.311

Vnde oriatur, describitur, num.238. ibid.

Ex quibus capitibus oriatur restitutio declaratur, num.239. ibid.

Restitutio est necessaria non necessitate medij, sed præcepti sicut facultas restituendi, num.240. ibid.

Ex solo delicto contra justitiam oritur obligatio restituendi, num.241. ibid.

Obligatio restitutionis solum oritur ex actione externa injusta, num.242. ibid.

Quid si actio externa fuit injusta venialiter, n.243. ibid.

Quomodo sumatur culpa in præsenti explicatur, num.244. p.312

Nemo tenetur ad restitutionem ex damno alteri illato ex culpa Theologica saltem veniali, n.245. ibid.

Nemo tenetur sub mortali ad restitutionem in conscientia ex damno alteri illato nisi ex culpa mortali Theologica, num.246. ibid.

Negligentia quæ in uno genere actionis est leviter culpabilis in alio aliquando est gravis, num.247. ibid.

An hæc doctrina intelligatur de eo qui causavit alteri damnum ex culpa Theologica veniali circa suum officium exequendum, vel consilium dandum, num.248. ibid.

Quid si quis sine culpa mortali, bona fide, dedit consilium ex quo damnum petenti consilium, vel alijs sequitur, num.249. ibid.

Quid si consilium non fuit de re alteri debita ex justitia, sed ex liberalitate, donatione, &c. num. 250 pag.313.

Qualis culpa requiratur ut sit obligatio restituendi ex contractu explicatur census quæstionis, n. 251. ibid.

Nemo tenetur de damno dato in re alterius etiam si apud ipsum sit ex contractu in gratiam ipsius, nisi ob dolum & culpam mortalem, num.252. ibid.

Ponitur quoddam corollarium, num.253. ibid.

Pro censu vel usu rationis præcise nulla est restitutio facienda, num.254. p.314

Facienda est restitutio pro damno temporali, seu lucro cessante quod inde sequitur, num.255. ibid.

Qui alteri suasit errores speculativos quando peccet mortaliter, num.256. ibid.

Quid si errorem practicum suasit, num.257. ibid.

Qui vi, metu, vel fraude ad peccandum induxit tenetur ex justitia ipsum suæ libertati restituere, n. 258. ibid.

Qui alterum sola suasione, vel malo exemplo induxit ad peccatum tenetur ex charitate eum revocare quoad poterit ad meliorem statum, n.259. ibid.

Regulariter non est peccatum mortale desiderare, vel causare per fraudem, vel in malum leve spirituale proximum, num.260. ibid.

Qui novitium extraxit à religione sine vi, vel fraude tenetur ex charitate ei suadere ingressum non tamen ex justitia, num.261. p.315

Qui novitium à Religione extraxit vi vel fraude tenetur Religioni restituere quanti spes illa temporalis commodi ex ingressu, vel perseverantia novitij valebat, num.262. ibid.

Idem dicendum est de extrahente professum à religione, num.283. ibid.

Homicida qui occidendo non peccavit mortaliter contra justitiam, non tenetur ad restitutionem, n.264. p.315

Qui occidit hominem liberum volentem, & scientem non tenetur ad restitutionem, num.265. ibid.

Quid si affectus injuria injuriantem velit occidere & injurians illum de facto ad se defendendum occidit, num.266. p.316

An pugnante Petro & Paulo, si socij alterutrius aliquem occidant, Petrus vel Paulus teneantur ad restitutionem, num.267. ibid.

Qui omnino casualiter occidit non peccavit, nec tenetur ad restitutionem, num.268. ibid.

Qui confecit venenum ad occidendum inimicum si vidente illo amicus ex eo bibat & non contradicat ne se prodat, an teneatur ad restitutionem, num.269. ibid.

An occidens alium injuste teneatur compensare damnum alteri cui per errorem homicidium fuit imputatum maxime si id providit, num.270. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, num.271. ibid.

Occidens Petrum putans esse Joannem tenetur ad restitutionem, num.272. ibid.

Homicida pro ipsa vita, mutilatione, cicatrice hominis liberi nihil tenetur restituere, num.273. p.317.

Quid si occisus, vel mutilatus sit servus, num.274. ibid.

Quomodo debeat lucrum cessans ad damnum emergens in hoc casu computari, num.275. ibid.

Quomodo homicidium fuit indirectum, vel casuale in quo per actionem injustam externam contra justitiam non peccavit mortaliter homicida quid teneatur restituere, num.276. ibid.

Si læsus mortuus non est, cui expensæ sint restituendæ explicatur, num.277. p.318

Si mortuus est cui restitutio facienda sit explicatur, num.278. ibid.

Homicida non tenetur restituere alimenta fratribus, vel hæredibus extraneis occisi, num.278. ibid.

Homicida non tenetur restituere creditoribus occisi, num.280. ibid.

Quid si homicida damnatus fuit ad mortem, quæ teneatur restituere, num.281. ibid.

Si homicida non tenetur restituere, non tenetur pro occiso preces fundere, num.282. ibid.

Non restituente prædicta damna homicida ejus hæredes ad prædictam restitutionem tenentur, n. 283. ibid.

Quid si occisor non solum non prævidit damno uxori, vel filiis occisi ex occisione sequi, sed invincibiliter judicavit nulla sequi eis damna, num.284. ibid.

Stuprator solum tenetur pro damno pecuniario in ordine ad matrimonium, num.285. p.319

Si violata nupsit æquè bene quia vir non cognovit violationem violator nihil tenetur restituere, num.286. ibid.

Quid si ante matrimonium violata aliquam accepit recompensationem, num.287. ibid.

Quid si violata monialis fiat, vel statum continentiæ sit amplexa, num.288. ibid.

Qui virginem consentientem defloravit absque vi, fraude, vel promissione nihil ei tenetur restituere, num.289. ibid.

Qui vi vel metu aut fraude absque promissione matrimonij virginem defloravit, quid ei teneatur restituere, num.290. ibid.

Qui muneribus, aut importunis precibus virginem defloravit non tenetur ad restitutionē. n.291. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Si fœmina vi oppreſſa concepit, tenetur qui eam oppreſſit ex juſtitia alere fœtum & ſolvere fœminæ omnes expenſas & damna quæ paſſa eſt, num. 292. ibid.

Dominus qui ſuam ancillam vi vel fraude oppreſſit ad quid teneatur, num. 293. ibid.

Qui virginem defloravit ſi ei verè promiſit matrimonium obligatur ad nuptias, num. 294. p. 320

Quid ſi promiſſio matrimonij fuit ficta, num. 295. ibid.

Plures dantur caſus in quibus fictus promiſſor non tenetur defloratam ducere qui numerantur, num. 296. ibid.

Si fictus defloror velit defloratam ducere & illa nolit ad nihil amplius tenetur, numero 297. ibid.

Qui corruptæ pro copula promiſit matrimoninm ſciens eſſe corruptam tenetur eam ducere, n. 298. ibid.

An qui habens morbum contagioſum ſi habuit rem cum aliqua teneatur ei pro damno illato reſtituere, num. 299. ibid.

Quoties verus vel fictus promiſſor matrimonij qui virginem defloravit, tenetur eam ducere ex vi promiſſionis, quando non præceſſit tale votum, tenetur eam ducere etſi præceſſerit votum ſi virgo illud ignoravit, num. 300. p. 320

Quid ſi virgo illud ſciebat, num. 301. ibid.

Quid ſi vir defloravit puellam ſub promiſſione vera vel ficta matrimonij, & poſtea vovit Religionem, num. 302. ibid.

An in his caſibus debeat peti voti diſpenſatio, n. 303. ibid.

Si partus non ſit ſecutus ex adulterio; non tenetur adulter aliquid reſtituere, numero 304. p. 321

Si partus ſit ſecutus non tenetur adulter reſtituere ſi moraliter certum non ſit partum eſſe ſuum, num. 305. ibid.

Quid teneatur reſtituere quando certus eſt prolem eſſe ſuam, num 306. ibid.

An teneatur reſtituere ex parte damna hæreditatis, num. 307. ibid.

Adulter tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum per ſe filiis legitimis provenientium, n. 308. ibid.

Quid ſi res non ſit debita filiis tanquam filiis, n. 309. ibid.

Ex ſex capitibus excuſatur adultera ab hac reſtitutione, num. 310. ibid.

An teneatur adulter vel adultera reſtituere alimenta hoſpitali, ſi filium expoſuerunt, num. 311. p. 322.

An quando quis recepit rem cum dubio an ille qui dabat, vel vendebat, eſſet verus dominus, teneatur reſtituere, num. 312. ibid.

Quid ſi debitor dubitet an ſolverit debitum quod debebat, num. 313. ibid.

Quid quando commodatarius, vel depoſitarius dubitant an ſua culpa res commodata perierit, num. 314. ibid.

Quid ſi miles dubitet de juſtitia belli, num. 315. ibid.

Is qui iniuſtè detinet id quod alteri debet ex delicto, tenetur reſtituere rem debitam, & lucrum ceſſans, & damnum emergens, num. 316. p. 323

Poſſeſſor iniquus rei alienæ tenetur ſtatim eam ſuo domino reſtituere, ſi abſque periculo infamiæ, vel gravis damni poteſt & non ſatisfacit dando æquivalens, num. 317. ibid.

Quid ſi effecta ſit melior & majoris pretij, n. 318. ibid.

Quid ſi rem vendidit vel alienavit juxta quem valorem teneatur eam reſtituere, num. 320. ibid.

Quid ſi ſit effecta deterior & minoris pretij, n. 319. ib id.

Quid ſi res facta eſt melior apud iniquum poſſeſſorem, deinde facta eſt deterior, vel perit quæ ſi ſuo tempore reddita fuiſſet id incommodum apud dominum non accepiſſet, num. 321. ibid.

Quid ſi res apud dominum eodem caſu fortuito ita peritura erat, num. 322. ibid.

Quid ſi res peritura erat apud dominum per injuſtitiam alterius, num. 323. ibid.

Quid ſi fur eripiat rem à domino ante incendium in quo apud dominum, certo erat peritura, num. 324. p. 324.

Iniquus poſſeſſor moroſus tenetur reſtituere fructus rei naturales & mixtos, nō tamen fructus meræ induſtriæ, num. 325. ibid.

An teneatur reſtituere pretium locationis rei quæ locari non ſolet ut torquis aurei, &c. num. 326. ibid.

Debitor ex contractu adveniente termino præfixo in contractu tenetur ſolvere quod alteri debet, niſi adſit legitima excuſatio, num. 327. ibid.

Quid ſi non fuit terminus præfixus, num. 328. ibid.

Si debitor termino præfixo non ſolvat, tenetur non ſolum rem, ſed intereſſe reſtituere, num. 329. ibid.

In quibus caſibus excuſetur debitor ad ſolvendum intereſſe, num. 330. ibid.

Acceptum ob turpem cauſam ſi receptio, vel traditio ex parte dantis, vel recipientis, vel utriuſque non eſt contra juſtitiam non datur obligatio reſtituendi, num. 331. p. 324

Quid ſi aliunde ſit contra juſtitiam, n. 332. p. 325

Quid ſi ſit contra alias virtutes, num. 333. ibid.

Si opus vel omiſſio bona debita ſit gratis proximo ex juſtitia non poteſt pro illa quidquam exigi, & acceptum debet reſtitui, num. 334. ibid.

Iudex tenetur reſtituere quod accepit ut juſtam ſententiam ferret, num. 335. ibid.

Quid ſi aliquid accipiatur pro opere vel omiſſione illius quæ ſolum cadit in commodum accipientis vel Dei & non debetur ex juſtitia, num. 336. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, num. 337. ibid.

Qui per culpam gravem injuſtitiæ directè rem alienam deſtruxit, tenetur reſtituere non ſolum rem & ejus fructus, ſed omne damnum emergens & lucrum ceſſans, num. 338. ibid.

Quid ſi damnificatio fuit indirecta, num. 339. p. 326

An teneatur reſtituere valorem, quem res haberet in futurum ſi non deſtrueretur, num. 340. ibid.

Quid dicendum ſit de reſtituenge ſegetes antequam matureſcant, num. 341. ibid.

Qui bono zelo ſine vi, vel fraude impedit aliquem, ne aſſequatur juſtam hæreditatem, legatum, &c. nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, n. 342. ibid.

Quid ſi id ex odio faciat, num. 343. ibid.

Quid ſi vi vel fraude, vel ſine illis impediat aliquem à bono quod ei ex juſtitia commutativa debetur, num. 344. ibid.

Quid ſi vi vel fraude impediat bonum alteri quod tamen ex liberalitate ei debebatur, n. 345. ibid.

Quid

Index Rerum.

Quid ſi propalat peccata occulta quibus motus teſtator abſtinuit ab hæreditate vel legato, n. 346. ibid.

Ponitur quoddam corollarium, num. 347. ibid.

Supponuntur aliqua pro explicatione ſectionis, num. 348. p. 327

Qui à conſequutione alicujus rei impeditur, vel poteſt habere jus in re vel ad rem, vel tantum jus remotum, num. 349. ibid.

Qui impedit indignum à conſequutione alicujus rei quomodocunque impediat non tenetur ad reſtitutionem ſecus ſi dignum impediat, num. 350. ibid.

Quid ſi ex duobus jus ad rem habentibus impedit dignum ut detur digniori, vel æque digno ſecluſa fraude vel vi, num. 351. ibid.

Qui impedit alterum non habentem jus in re nec ad rem, ſed tantum jus remotum ut beneficium conferatur indigno etiam abſque vi vel fraude peccat contra juſtitiam, & tenetur reſtituere Reipublicæ, vel Eccleſiæ, num. 352. ibid.

Quid ſi quis ut facilius ſibi impetret beneficium impedit procuratorem pertendentis idem beneficium, num. 353. ibid.

Qui proprie dicatur falſarius, num. 354. p. 328

Falſarius ex parte materiæ, vel ponderis diminuens monetam tenetur illud damnum reſtituere, n. 355. ibid.

Cui hoc damnum ſit reſtituendum, num. 356. ibid.

Extenuans materiam relinquens tamen illam in legitimo valore an peccet & teneatur reſtituere, & quibus, num. 357. ibid.

An qui monetam cudit ſub regio nomine propria authoritate, peccet mortaliter & teneatur reſtituere, num. 358. ibid.

Qui mala fide accepit monetam adulteratam non poteſt eam expendere, & ſi illam expendat tenetur ad reſtitutionem, num. 359. ibid.

Quid ſi bona fide accepit & expendit, num. 360. ibid.

Qui ficta paupertate, conſanguinitate, & eleemoſynas acquirit, peccat mortaliter ſi materia gravis ſit, num. 361. ibid.

An peccet contra juſtitiam & teneatur reſtituere, num. 362. ibid.

Pauperes qui exaggerant neceſſitatem non tenentur reſtituere, num. 363. ibid.

Cui teneatur fictus pauper ſic accepta reſtituere, num. 364. p. 329

An defraudantes gabellas vectigalia & tributa juſta peccant mortaliter, num. 365. ibid.

Vtrùm neganda ſit abſolutio, pœnitenti qui defraudavit gabellas & vectigalia ſi non reſtituat, n. 366. ibid.

Quis dicatur poſſeſſor bonæ fidei, n. 367. ibid.

Qui rem alienam bona fide poſſidet, ſtatim ac certo cognoſcit eſſe alienam, tenetur eam ſi extet ſuo domino reſtituere, num. 368. ibid.

An ſi res extet poſſit aliquando unam pro alio reſtituere ſaltem propter aliquod inconveniens, n. 369. ibid.

Qui rem bona fide accepit & bona fide conſumpſit, ſi in nihilo factus eſt ditior, nihil tenetur reſtituere, num. 370. p. 330

Si in aliquo factus eſt ditior, id tenetur reſtituere, num. 371. p. 330

Quædam corollaria ponuntur, n. 372. ibid.

Si quis rem bona fide emit & eodem vel minori pretio vendit nihil tenetur reſtituere, num. 373. ibid.

Qui lautiſſimis cibis alienis uſus eſt bona fide qui alias communibus uſurus erat, ſolum id in quo factus eſt ditior tenetur reſtituere, num. 374. ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere ſimul cum re fructus extantes deductis expenſis ſive naturales, ſive ſint ſimul induſtriales, ſive mixti, n. 375. ibid.

Si fructus percepti non extent poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior, num. 376. p. 331

Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus mere induſtriales, num. 377. ibid.

Ponuntur quædam corollaria, num. 378. ibid.

An ſi poſſeſſor bonæ fidei locet rem quæ non ſolet locari faciat ſuum pretium locationis, num. 379. ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei, vel malæ fidei quas expenſas poſſit petere factas in melioramentis rei poſſeſſæ, num. 380. ibid.

Si poſſeſſor bonæ fidei poteſt pretium à fure recuperare, tenetur rem domino reſtituere, num. 381. ibid.

Qui bona fide rem à fure emit poteſt reſcindere contractum, & rem reddere furi ut ſuum pretium reddat ſi aliter non poteſt pretium à fure obtinere, num. 382. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, num. 383. p. 332

Qui rem dono à fure accepit tenetur eam vero domino reſtituere, & non donatori, num. 384. ibid.

Licitum eſt rem alienam parvo pretio à fure emere ut reddatur domino ſuo, num. 385. ibid.

Mulio qui bona fide accepit rem à fure tranſportandam poteſt illam tradere illi cui portandam accepit ne amittat ſuam mercedem, num. 386. ibid.

Qui mala fide emit rem à fure ſi alia via non poteſt pretium recuperare poteſt rem tradere furi ut pretium ſuum recipiat, num. 387. ibid.

Si emptor retinuit rem diu cum gravi damno domini tenetur tale damnum reſarcire, num. 388. ibid.

Quid ſi ſolum retinuit rem per tempus neceſſarium ad ſuum pretium recuperandum, num. 389. ibid.

Proponuntur aliqua ad intelligentiam quæſtionis, num. 390. ibid.

Qui accepit bona fide res uſu conſumptibiles quas fur habebat jam permiſtas cum ſuis non tenetur reſtituere, dummodo fur non maneat impotens ad reſtituendum, numero 391. p. 331

Qui bona fide accepit res uſu conſumptibiles ut pecunia, vinum, oleum, &c. & eas immiſcuit cum propriis ſi poſtea intelligat fuiſſe alienas, non tenetur eos domino reſtituere, num. 392. ibid.

Incipiens bona fide poſſidere, ſuperveniente dubio tenetur facere diligentiam ut veritatem aſſequatur: quod ſi veritas non detegatur poteſt rem retinere non obſtante dubio ſpeculativo, num. 393. ibid.

Si facta diligentia inveniat dari opinionem rem eſſe Antonij, non tenetur ei rem reſtituere, n. 394. ibid.

Si res vacet morte alicujus & dubitetur ad quem pertineat, nemo ex illis inter quos eſt tale dubium poteſt eam ſibi occupare, ſed omnes debent ſtare ſententiæ judicis, numero 395. ibid.

Quid ſi quis accepit ab eo qui bona fide cœpit poſſidere, vel ei ſuccedit titulo hæreditatis; accepit tamen

tamen dubitando, an ad illum à quo accepit pertineat, num. 396.
Si poſſeſſor bonæ fidei neglexit inveſtigare veritatem conſtituitur poſſeſſor malæ fidei, num. 397. pag. 334
Ponuntur quædam corollaria, numero 390. ibidem.
An qui primo habuit bonam fidem deinde malam, fructus conſumpſit ſit injuſtus poſſeſſor, n. 399. ibid.
An ſi quis mala fide rem conſumpſit putans eſſe Petri cum illa vere ſit Pauli obligatio reſtituendi ex injuſta acceptione, vel tantum ex re accepta, num. 400. ibid.
Si poſſeſſor laboravit mala fide ſucceſſorum bona, teneatur ſucceſſor reſtituere ob malam fidem prædeceſſoris, num. 401. ibid.
Qui per occultam acceptionem ſibi debitam compenſat nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, num. 402. ibid.
Prima conditio ad hanc compenſationem eſt, quod ſit de liquido ad liquidum & quid per hoc intelligatur, num. 403. p. 337
Secunda conditio eſt, ut vitetur periculum ſpirituale, vel temporale debitoris, & quomodo id ſit intelligendum, num. 404. ibid.
Tertia conditio eſt, ut res quæ in compenſationem accipitur non ſit furtiva, vel data in depoſitum pignus, vel commodatum, n. 405. ibid.
Quarta conditio eſt, ut creditor non poſſit rem aliter recuperare, & quomodo id intelligendum, num. 406. ibid.
Quinta conditio eſt, ut per quod ſit compenſatio actu debeatur, num. 407. ibid.
Qui his conditionibus uſus eſt, compenſatione non ligatur cenſura lata contra uſurpantes, vel furantes, num. 408. ibid.
Poſitis his conditionibus poteſt creditor retinere pecuniam debitoris quam ipſe alteri dono mittit dummodo res illa non ſit admodum à donatario acceptata, num. 409. ibid.
Fidejuſſor compulſus ſolvere pro eo cujus fidejuſſor extitit poteſt uti compenſatione, numero 410 pag. 338
Poteſt quis compenſari in bonis debitoris defuncti, quæ apud ſe ſive alibi inveniuntur, numero 411. ibid.
An per vim poſſit quis rem ſevam, vel debitum à debitore ſuo recuperare, num. 412. ibid.
Neceſſitas, alia gravis, alia eſt externa, alia communis, & quæ utraque ſit, num. 413. ibid.
Quilibet in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate poteſt licitè accipere rem alienam, numero. 414. ibid.
Quid ſi Dominus ſit in eadem extrema neceſſitate, numero 415. ibid.
Quilibet in gravi neceſſitate poteſt licitè accipere alienum ad ſibi ſuccurrendum, numero 416. ibid.
Quilibet poteſt furripere alienum, ut extremæ, vel graviter indigenti ſuccurrat, ſi ex ſuo eis non poteſt ſuccurrere, num. 417. p. 339
Qui in extrema, vel gravi neceſſitate rem alienam accipit ſine ſpe morali poſtea habendi bona, non tenetur eam accipere animo reſtituendi ſi ad meliorem frugem deveniat, num. 418. ibid.
Qui tempore quo non erat in extrema neceſſitate rem furatus eſt, ſi incidat in neceſſitatem extremam poteſt rem ſic furatam licitè conſumere, num. 419. ibid.
Idem dicendum eſt, ſi rem alienam haberet in pignus depoſitum, &c. num. 420. ibid.
An dives non ſuccurrens pauperi graviter, vel extreme indigenti peccat contra juſtitiam, & teneatur reſtituere, num. 421. ibid.

Reſtitutio in integrum.

Contra præſcriptionem datur reſtitutio in integrum & in quo conſiſtat, num. 209. p. 307
Hoc remedium conceditur minoribus & piis locis num. 210. ibid.
Majoribus ætate conceditur in præſcriptionem decem, & viginti annorum dummodo probent præſcriptionem ex ignorantia ſua fuiſſe per actum, num. 211. ibid.
An majoribus concedatur contra præſcriptionem longiſſimi temporis, num. 212. ibid.

Reſtitutio famæ.

Reſtitutio famæ vide verbum: *fama.*

S

Saga.

NOn eſt licitum ſagas adire ad maleficia inferenda, etſi ſint ad id paratæ, n. 148. p. 89
Non licet petere à ſaga aliàs parata ut unum maleficium alio maleficio tollat, n. 149. ibid.
Non licet petere à malefico, ut ſolvat maleficium quod poteſt modo licito ſolvi, quando modus licitus ignoratur, num. 150. ibid.
Quando dubitatur, an maleficius ſciat modum licitum diſſolvendi maleficium præſumitur ſcire ſolum malitioſum, num. 151. ibid.
Licitum eſt abſolutè petere à malefico, ut diſſolvat maleficium quando conſtat illum ſcire ſolvere modo licito, num. 152. ibid.

Sacrilegium.

Ponitur ſacrilegij definitio, num. 173. p. 92
Sacrilegium aliud eſt in perſonam ſacram, aliud in rem, aliud in locum ſacrum, n. 174. ibid.
Qui veniant nomine perſonæ ſacræ, num. 175. ibid.
Fornicatio cum habente votum caſtitatis eſt ſacrilegium, num. 176. ibid.
Ordinati in minoribus etſi differant tonſuram ſi fornicentur non committunt ſacrilegium, n. 177. ibid.
Religioſus peccans cum Religioſo committit duplex ſacrilegium, num. 178. p. 93
Exactio vectigalium à perſonis Eccleſiaſticis & protractio earum ad tribunal ſæculare eſt ſacrilegium, num. 179. ibid.
Clericus ſi furetur, ſi inebrietur, vel maledicta dicat in ſanctos non eſt ſacrilegus licet peccet, num. 180. ibid.
Eſt ſacrilegus ſi celebret in peccato, numero 181. ibid.
Quæ veniant nomine loci ſacri, n. 182. ibid.
Incendere, deſtruere, ſpoliare loca ſacra eſt ſacrilegium, num. 183. ibid.
Occidere homines in Eccleſia culpabiliter eſt ſacrilegium, num. 184. ibid.
Effuſio ſeminis in Eccleſia eſt ſacrilegium, n. 185. ibid.
An debeat ad hunc effectum eſſe notoria, n. 186 ibid.
Tactus nudi quantumvis impudici in Eccleſia facti non ſunt ſacrilegium, num. 187. ibid.

Sepelire

Index Rerum.

Sepelire excommunicatum vitandum in loco ſacro eſt ſacrilegium, n. 188. ibid.
Sepelire nõ baptizatum in Eccleſia eſt ſacrilegium, n. 189
Extractio violenta perſonæ à loco ſacro quæ aſyli cauſa eo ſe contulit eſt ſacrilegium in caſibus in jure expreſſis, n. 190. ibid.
Quid de comœdiis, ludis, comeſſationibus, &c. in Eccleſia, n. 191. ibid.
Furare rem quæ eſt veluti in cuſtodia in Eccleſia eſt ſacrilegium, n. 192. ibid.
Quid de actionibus forenſibus factis in Eccleſia, n. 193. ibid.
Quæ dicantur res ſacræ, n. 194. ibid.
Adminiſtrare ſacramenta, vel illa recipere in mortali eſt ſacrilegium, n. 195. p. 94
Abuſio vaſorum ſacrorum eſt ſacrilegium, n. 196. ibid.
Geſtatio reliquiarum in actu venereo non eſt ſacrilegium, n. 197. ibid.
Violatio diei feſti opere ſervili vel retentio decimarum non eſt ſacrilegium, n. 198. ibid.
Sententia quæ aſſerit hanc diviſionem eſſe in ſpecies ſubalternas eſt communis, num. 199. ibid.
Sententia D. Thomæ quæ aſſerit eſſe in ſpecies infi-
Simonia eſt ſpecies ſacrilegij, numero 201. p. 95.
ſacrilegij malitia ex genere ſuo eſt mortalis, niſi excuſetur ratione parvitatis materiæ, num. 202. ibid.
Poterit eſſe venialis ex inadvertentia, vel indeliberatione, num. 203. ibid.
Peccatum quod habet ſolam repugnantiam cum rei ſanctitate quamvis ex ſe ſit mortale, non tamen tale eſt in ratione ſacrilegij, numero 204. ibid.
In confeſſione explicari debet in qua ſpecie ſacrilegij fuerit peccatum, n. 205. ibid.
Hoc peccatum ſacrilegij frequenter eſt conjunctum cum altero, aliquando poteſt malitia ſacrilegij reperiri ſeparata, n. 206. ibid.
Quibus pœnis puniantur ſacrilegi, numero 207. ibid.
Explicantur pœnæ quibus afficiuntur ſacrilegi, numero 208. ibid.

Scandalum.

Datur ſcandalum activum & paſſivum, num. 161. p. 31
Quomodo utrumque definiatur, n. 162. ibid.
Datur ſcandalum activum per ſe, & per accidens, n. 163. ibid.
Scandalum per ſe ſive ſpeciale ſive generale ex ſuo genere eſt peccatum mortale contra charitatem ſi inducat proximum ad mortale, num. 184. p. 32
Scandalum per ſe ſive ſpeciale, ſive generale non ſolum contra charitatem, ſed contra virtutem cui opponitur, n. 165. ibid.
Scandalum per accidens eſt peccatum ſpecie ab aliis diſtinctum, n. 166. ibid.
Scandalum per accidens non opponitur aliis virtutibus ſpecialibus à Charitate, n. 167. ibid.
Quid ſi quis ſuo malo opere induxit alios præter ſuam intentionem ad fornicandum, num. 168. ibid.
Qui ſuo malo exemplo multos induxit tenetur dicere in confeſſione quot perſonas induxit, num. 169. ibid.
Permittere in alio peccatum eo fine ut ipſe peccet, eſt peccatum grave contra charitatem, num. 170. p. 32
Quo permittit peccatum alterius eo ſolum fine ut in eo comprehenſus puniatur, peccat mortaliter, n. 171. ibid.
Quid ſi habeat ſpem ut in eo comprehenſus emendetur, n. 172. p. 33
Ut quis ſe indemnem ſervet, poteſt licite permittere proximi delictum ſi alia via commoda non detur, n. 173. ibid.
Quid ſi quis offerat proximo occaſionem delicti ut in eo comprehenſus corrigatur, n. 174. ibid.
Invitare ad minus peccatum non paratum ad majus, eſt peccatum mortale, n. 175. ibid.
Suadere minus malum omnino parato ad majus licitum eſt, n. 176. ibid.
Quid ſi paratus ad majus malum de minori non agitabat, n. 177. p. 34
Quid ſi ſit reſpectu diverſarum perſonarum, num. 178. ibid.
Poteſt quis juvare latronem ad furtum minus ut omittat furtum majus reſpectu ejuſdem perſonæ, n. 179. ibid.
Non poteſt adjuvare ad vulnus inferendum Petro ut evitet majus malum, n. 180. ibid.

Servi.

Quid per ſervos intelligatur, n. 73. p. 245
Servi tenentur differre honorem dominis, n. 74. ibid.
Servi non tenentur dominis obedire in eis quæ ſunt mala, n. 75. ibid.
Servi tenentur dominis obedire non ſolum probis, ſed etiam improbis, n. 76. ibid.
Servi qui capti ſunt in bello injuſto licite poſſunt fugere ad ſuas, n. 77. ibid.
Secus dicendum eſt de ſervis qui ſe ipſos vendiderunt, vel à parentibus ob egeſtatem venditi ſunt, n. 78. ibid.
An ſervis licite fugientibus licitum ſit dare conſilium ut fugiant, n. 77. ibid.
An ſervus magis obligetur ſervire domino, quam uxori, n. 80. ibid.
Servi liberantur à ſervitute ſi dominus eos manumittat, exponat, vel ægrotos deſerat, num. 86. p. 292
Si ſacris ordinibus initietur, ſi dominus ſervum adoptet in filium, ſi ſuum hæredem, vel ſuorum filiorum tutorem relinquat, n. 8 . ibid.
Si dominus ſervum ad aliquod peccatum mortale compellat, ſed hoc poſt ſententiam judicis, n. 88. ibid.
Si dominus Paganus, vel Judæus, vel Hæreticus ſervum Chriſtianum emat ad ſibi ſerviendum, n. 89. ibid.
Si dominus ancillam uſque ad mortem habuit concubinam, n. 90. ibid.
Si ſervus contraxit matrimonium cum libera ſervi, tutis ignara ſciente domino, & qualitatem ſervitutis non detegente, n. 91. ibid.

Servitus.

Quid ſit ſervitus declaratur, n. 39. p. 286

Simonia.

Ponitur ſimoniæ definitio, n. 209. p. 96
Ad ſimoniam ſaltem coram Deo ſufficit intentio virtualis, n. 210. ibid.
Simonia contrahitur in emptione & venditione rei ſpiritualis, n. 211. ibid.
Simonia committitur omni contractu oneroſo & non gratuito, n. 212. ibid.

Dare rem ſpiritualem ex metu gravi non eſt ſimonia, n. 213. ibid.
Quid ſi detur pactum in futurum, n. 214. ibid.
Quid promittit pecuniam animo non emendi, nec ſolvendi, ſed tantum decipiendi non committit ſimoniam, n. 215. ibid.
Quid ſit materia ſimoniæ, n. 216. ibid.
Commutatio rei ſpiritualis cum alia ſpirituali non eſt ſimonia, n. 217. p. 97
Simonia dividitur in eam quæ eſt juris divini, & in eam quæ eſt juris humani, numero 224. pagina 98
In quo conſiſtat ſimonia conventionalis, num. 225. ibid.
Ad quod ex his membris reducatur ſimonia confidentialis, n. 226. ibid.
Quotuplex ſit res ſpiritualis circa quam eſt ſimonia, n. 227. p. 99.
Simonia eſt peccatum grave contra religionem, n. 228. ibid.
In peccato ſimoniæ non datur parvitas materiæ, n. 229. ibid.
Jure divino naturali eſt prohibita ſimonia circa res ſpirituales, quæ ſuapte natura ſunt ſacræ, n. 230. ibid.
Circa venditionem beneficiorum quomodo detur ſimonia, n. 231. ibid.
Dari poteſt ſimonia jure tum Eccleſiaſtico prohibita, n. 232. ibid.
In ſimonia reſpectu Dei, non datur malitia injuſtitiæ, ſed tantum contra religionem, num. 233. ibid.
Quid dicendum ſit reſpectu hominis, num. 234. p. 100.
Non eſt ſimonia ſcientiam, ſeu dona ſpiritualia intellectus ſpeculativa, vel practica vendere, numero 235. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 236. ibid.
Non eſt ſimonia vendere opera virtutum naturalium ſive intellectus, ſive voluntatis, num. 237, ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 238. ibid.
An in materia religionis naturalis dari poſſit ſimonia, n. 239. p. 101
Quædam ſuppoſitiones proponuntur, num. 240. ibid.
Vendere Theologiam quo ad actum deducendi concluſiones ex articulis fidei, & interpretandi ſacras ſcripturas, & docendi caſus conſcientiæ per modum doctrinæ non eſt ſimonia, num. 241. p. 102
Prædicare, vel docere doctrinam Chriſtianam ob pretium, eſt ſimonia, n. 242. ibid.
Recipere pretium ob conſilium, quod ordinatur ad ſalutem animæ, vel tollendos ſcrupulos eſt ſimonia, n. 243. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 244. ibid.
Vendere gratiam unionis eſt ſimonia & quomodo id fieri poſſit, n. 245. p. 102
Perſona increata non poteſt eſſe materia ſimoniæ, n. 246. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 247. ibid.
Gratia ſanctificans dona ſupernaturalia, & actus ejus poſſunt eſſe materia ſimoniæ, num. 248. p. 103
Vendere materiam remotam ſacramentorum non eſt ſimonia, n. 249. ibid.
Recipere pretium pro materia proxima ſacramentorum eſt ſimonia, n. 250. ibid.
An in extrema neceſſitate poſſit quis dare pecuniam pro receptione ſacramenti ad redimendam vexationem, n. 251. ibid.
Quædam collationes ponuntur & reſolvuntur, numero 252. ibid.
Quid ſi Tyrannus poſtulet pecuniam in pretium pro reſtituenda Euchariſtia quam apud ſe habet, n. 253. ibid.
Quædam corollaria referuntur, n. 254. p. 104
Omnes actus pendentes à poteſtate ordinis ſunt materia ſimoniæ, n. 255. ibid.
Vendere tam ſacramentalia permanentia quam tranſeuntia eſt ſimonia, n. 256. ibid.
Sacramentalia permanentia vendi poſſunt ratione materiæ, n. 257. ibid.
Quid dicendum ſit de jure Luſitano, numero 258. ibid.
Locus in quo non eſt aliquis ſepultus nec deputatus pro ſepulturis ab Epiſcopo, nec benedictus, ſed deputandus, non eſt materia ſimoniæ, n. 259. p. 105
An locus deputatus ab Epiſcopo ad ſepulturas vendi poſſit ratione terræ, n. 260. ibid.
Quando quis vult onerare Eccleſiam poſſidendo in illa ius ſepulturæ in certo loco poteſt vendi illa obligatio, n. 261. ibid.
An poſſit ſumi pretium pro honoratiori ſepulturæ, n. 262. ibid.
An ſæcularis emendo ſepulturam acquirat illius dominium, n. 263. ibid.
Quid dicendum ſit de capellis & inſigniis in eis poſitis, n. 264. p. 106
Ponitur aliorum placitum, n. 265. ibid.
Ponitur ſententia authoris, n. 266. ibid.
An arma fundatoris in aliquo caſu poſſint avelli, à capellis, vel ſepulturis, n. 267. ibid.
Accipere aliquid tanquam pretium pro divinis officiis eſt ſimonia, n. 268. ibid.
Simonia committitur accipiendo pretium pro privatis orationibus, n. 269. p. 107
Laïcus qui inſervit Miſſæ, vel aliis functionibus ſpiritualibus pro pretio eſt ſimoniacus, numero 270. ibid.
Quando datur pauperibus pecunia, ut orent pro defuncto non datur in pretium, ſed in eleemoſynam pro labore, n. 271. ibid.
Licitum eſt dare pecuniam ad reddendum aliquem benevolum, ut religioſus, vel Chriſtianus fiat, vel ſacramenta frequentet dummodo donatio non inducat obligationem, num. 272. p. 107
Ponuntur aliqua corollaria, n. 273. ibid.
Licitum alicui munera dare poſtulando ab eo, ut Chriſtianus fiat cum conditione, quod ſi non fiat Chriſtianus, reſtituat acceptum, num. 274. ibid.
Non licet munera alicui tradere cum pacto, ut Chriſtianus, vel Religioſus fiat ita ut recipiens maneat obligatus, num. 275. ibid.
Recipere aliquem pro pretio in Religionem eſt ſimonia juris divini, num. 276. p. 108
Recipere aliquem in profeſſione, vel ingreſſu religioſi in Religione pro illius ſuſtentatione, non eſt intrinſecè malum aut ſimoniacum, n. 277. ib.
Et ſi Monaſterium dives ſit, licitum eſt aliquid ſuſcipere pro ſuſtentatione Religioſi, & de hoc paciſci, numero 278. ibid.
Quid dicendum ſit de dotibus Monialium, n. 279. ibidem.
Recipere pretium pro recipiendo aliquem in confraternitatem, non eſt ſimonia, numero 280. ibid.
Emere habitum ordinum militarium eſt ſimonia, numero 281. ibid.

Index Rerum.

Vendere commendas clericales eſt ſimonia, n. 282. p. 109

Vendere commendas militares non eſt ſimonia, n. 283. ibid.

Qui pecunia procurat commendam militarem non committit ſimoniam, n. 284. ibid.

Recipere, pretium pro quacumque functione ordinum eſt ſimonia, n. 285. ibid.

Idem dicendum eſt de orationibus, ſive publicis, ſive privatis, n. 286. ibid.

Quando datur pecunia pro functionibus ſpiritualibus datur in ſtipendium, vel eleemoſynam, n. 287. ibid.

Si in collatione ordinum detur aliquid non in pretium, ſed in ſuſtentationem Epiſcopi, non committitur ſimonia de jure divino, bene tamen de humano, n. 288. p. 109

Quid nomine miniſtrorum intelligatur in Tridentino, n. 289. p. 110

In ordinatione poteſt Epiſcopus, & alij miniſtri recipere aliquid ſponte oblatum, numero 290. ibid.

Pro nullo exercitio ordinis, & poteſtatis ſpiritualis poteſt recipi pretium abſque ſimonia, n. 291. ibid.

Quid dicendum ſit de aſſiſtentia Parochi in Matrimonio, n. 292. ibid.

Vendere actus Eccleſiaſticæ juriſdictionis quoad forum externum, qui per poteſtatem ſpiritualem formaliter fiunt etiam ſi circa res materiales verſentur eſt ſimonia, n. 293. ibid.

Actus juriſdictionis voluntariæ, ut diſpenſationes, &c. ſunt materia ſimoniæ, numero 294. p. 111.

Officiales quibus à Sede Apoſtolica committuntur diſpenſationes, ſi aliquid recipian pro labore excepto notario, incurrunt pœnam excommunicationis reſervatæ, n. 295. ibid.

Quid dicendum ſit de patrimonio in judicio pro cauſis ſpiritualibus, n. 296. ibid.

Omiſſio actuum juriſdictionis ſpiritualis, quando talis negatio procedit à poteſtate ſpirituali eſt ſimonia, n. 297. ibid.

Quid dicendum ſit de actu non denuntiandi peccatorem, quando quis ex officio non tenetur ad denuntiandum, n. 299. ibid.

Diverſi labores in operibus ſpiritualibus explicantur, n. 300. p. 112

Non poteſt recipi pretium pro labore intrinſeco, vel etiam extrinſeco neceſſario tamen conjuncto operibus ſpiritualibus, n. 301. ibid.

Quid ſi parochus concedat licentiam parochianis, ut cum alius confiteantur pro pecunia, n. 298. p. 111

Labores accidentales, & extrinſeci, & qui moraliter neceſſarij non ſunt ad actiones ſacras faciendas, poſſunt vendi abſque ſimonia, numero 302. p. 112

Qui dat pecuniam privato Pontificis ob laborem in obtinendo ſibi beneficium, &c. committit ſimoniam, n. 303. ibid.

Quid ſi quis det pecuniam Petro, ut hic intercedat apud Paulum, ut Paulus intercedat apud Epiſcopum pro beneficio, n 304. ibid.

Mediator aſſumens curam præciſè informandi Prælatum de meritis talis perſonæ, poteſt pro hoc munere pretium recipere, numero 305. pagina 113

Simonia mentalis conſiſtit in voluntate dandi rem temporalem in pretium rei ſpiritualis tanquam ex contractu oneroſo, n. 306. ibid.

Dare aliquid temporale cum ſpe gratitudinis, & intuitu remunerationis per ſpirituale donum, vel beneficium ſine alia obligatione exteriori non eſt ſimonia, nec per ſe illicitum, numero 307. ibid.

Aliqua corollaria ponuntur, n. 308. ibid.

Petere gratitudinem ab eo cui quis temporale donum tradidit non eſt ſimonia, numero 309. p. 114.

Aliqua corollaria referuntur, n. 310. ibid.

Quid ſi ante antidoralis obligatio in pactum deducatur, n. 311. ibid.

Proponuntur quædam corollaria, numero 312. ibid.

Stipendium ſuſtentationis pro functione ſpirituali non debita ex officio poteſt deduci in pactum, n. 313. ibid.

Quid ſi non ſit debita ex officio, numero 314. ibid.

Quid ſit jus ad rem, & jus in re, numero 315. ibid.

Habens jus in re acquiſitum in beneficio poteſt redimere vexationem ſibi factam in jure illo acquiſito tollendo, n. 316. ibid.

Quid ſi quis acquiſito beneficio per certam inſtitutionem à capienda poſſeſſione impediantur, n. 317. ibid.

Quid ſi electus vexetur per viam juris circa poſſeſſionem jam habitam, n. 318. ibid.

An poſſit redimere vexationem qui habet jus acquiſitum in foro externo, ſed coram Deo illud non habet, n. 319. ibid.

Qui injuſtè impeditur à beneficij conſecutione, non poteſt abſque ſimonia redimere vexationem ab his qui beneficium conferebant, num. 320. ibid.

Quid ſi ab aliis qui ad collationem non concurrunt impediatur, n. 321. p. 116

Quædam corollaria proponuntur, numero 322. ibid.

Quid ſi quis det pecuniam alteri qui non poteſt prodeſſe electioni, ut deſiſtat à poſſeſſione veri criminis, quod ex zelo vult opponere, numero 323. ibid.

Poteſt quis redimere vexationem caſu quo vexatio fiat precibus, vel muneribus factis electori, n. 324. ibid.

Quædam corollaria ponuntur, n. 325. ibid.

Quid ſi quis det pecuniam alicui ex competitoribus ab beneficium, ut à prætentione juſta deſiſtat, n. 326. ibid.

Poteſt quis monere pecunia electores, ut digniſſimum eligant, caſu quo in aliquo concurſu, vel electione vehementer timeatur indignum eſſe eligendum, n. 327. p. 117

Quid ſi unus tantum reperiatur idoneus, licetne offerre pretium, ut eligatur poſito, quod electores velint in alios declinare, numero 328. ibid.

Res quæ datur ad redimendum vexationem injuſtam non debet eſſe ſpiritualis, ſed temporalis, aliàs erit ſimonia, n. 329. ibid.

Ponitur beneficij definitio, numero 330. pagina 117.

Beneficium qua parte importat jus adminiſtrandi ſpiritualia, invendibile eſt jure divino, n. 331. ibid.

Beneficium qua parte eſt jus obtinendi fructus, eſt invendibile jure canonico, n. 332. ibid.

An etiam in hoc caſu ſit invendibile jure divino. n. 333. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Quædam corollaria ponuntur, numero 334. pagina 118
Penſio quotuplex ſit, n. 335. ibid.
Penſio quæ datur laicis ob officium temporale ſi vendatur non eſt ſimonia, neque juris divini, neque humani, n. 336. ibid.
Penſio quæ ſoli clerico concedi poteſt, quocumque titulo, ſi vendatur propria authoritate, committitur ſimonia juris divini, ubi Bulla Pij V. eſt recepta, n. 337. ibid.
Contraria ſententia non eſt improbabilis, n. 338. ibid.
Hujuſmodi penſiones poſſunt redimi propria authoritate abſque ſimonia, n. 339. ibid.
Penſionarius poteſt alteri vendere, vel donare pro tota ſua vita fructus ſuæ penſionis retinendo titulum beneficij abſque ſimonia, numero 340. p. 119.
Quid dicendum ſit de præſtimoniis, numero 341. ibid.
Quid de cogitatiis beneficiorum, numero 342. ibid.
Quid de hoſpitalibus, n. 343. ibid.
Ponuntur varij modi probandi ſimoniæ crimen, n. 421. p. 132
Quid dicendum ſit de conjecturis, & præſumptionibus explicatur, n. 422. p. 133.
Particeps debiti poteſt eſſe teſtis in hoc crimine, n. 423. ibid.
Concluſa approbatione ſi detur ſententia contra ſimoniacos non ſuſpenditur appellatione, n. 424. ibid.

Schiſma.

Schiſma non opponitur fidei, ſed paci & charitati, n. 35. p. 6
Quomodo ſchiſma definiatur, n 216. p. 40
Schiſma ex genere ſuo eſt graviſſimum peccatum, n. 217. ibid.

Schiſmaticus.

Quis dicatur purus ſchiſmaticus, numero 76. pagina 11.
Schiſmaticus ſi ſimul hæreticus ſit, incurrit omnes pœnas hæreticorum, n. 77. ibid.
Purus ſchiſmaticus incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, & inhabilitatem ad officia Eccleſiaſtica habenda, & illorum juriſdictionem, n. 78. ibid.
Schiſmaticus ſi crimen fuerit notorium incurrit irregularitatem ex infamia, n. 79. ibid.

Sodomia.

Ponitur definitio ſodomiæ, n. 94. p. 281
Ad malitiam ſodomiæ ſufficit quod duo mares, vel fœminæ procurent quocumque modo inter ſe, pollutionem cum affectu ad indebitum uſum n. 95. ibid.
Ponitur contraria opinio, n. 96. ibid.
An committens ſodomiam teneatur explicare in confeſſione, an fuerit agens, vel patiens, n. 97. p. 282
Sodomia imperfecta eſt peccatum contra naturam, n. 98. ibid.
An ſi quis ſe polluat inter brachia, vel crura fœminæ ſit ſodomia imperfecta, n. 99. ibid.
An fœmina coiens cum fœmina incidit in caſum reſervatum ſodomiæ, n. 100. ibid.

Sortes.

Quo ſenſu in præſenti ſortes ſumatur, n. 1239. p. 449
Ponitur definitio contractus ſortium, num. 1240. ibid.
Si fraudes abſint, & inæqualitates ſortium contractus eſt licitus, n. 1241. p. 450
Quomodo procedendum ſit in contractu ſortium, qui ſolet fieri in hoc Regno, numero 1242. ibid.

Societas.

Quid ſit ſocietas deſcribitur, n. 1243. p. 450
Multiplex eſt omnium bonorum ſocietas, n. 1244. ibid.
Societas variis modis contrahitur qui ibi explicantur, n. 1245. ibid.
Contractus ſocietatis licitus eſt aliquibus conditionibus ſervatis, quæ ibi referuntur, num. 1246. ibid.
Qui hunc contractum inire poſſint declaratur, numero 1247. p. 451
Hæc ſocietas poteſt contrahi ad certum tempus aliquando ad finem certi negotij, aliquando ad vitam, num. 1248. ibid.
Non licet contractus ſocietatis in quo qui apponit pecuniam paciſcitur per ſolum ipſum contractum ſocietatis, ut periculum capitalis ſit pœnes accipientem, n. 1249. ibid.
Quid ſi contractui ſocietatis annectatur aſſecuratio capitalis, & venditio periculi, numero 1250. ibid.
Non eſt opus, ut hujuſmodi contractus expreſsè fiant, ſatis eſt ſi fiant tacite, & implicite, n. 1251. p. 452
An ſocietas in qua quis apponit pecuniam alter verò ſolum opera, & induſtriam ſit vera ſocietas, vel locatio operum, n. 1252. ibid.
Quomodo facienda hæc diviſio in ſocietate omnium bonorum, & in ſocietate totius lucri exponitur, n. 1253. ibid.
Quomodo facienda ſit in ſocietate rei certæ, num. 1254. ibid.
Quid ſi nullum ſit lucrum, & maneat capitale ſalvum, n. 1255. ibid.
Damna quæ patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis debent eſſe communia modo non eveniant ex levi culpa ſocij, n. 1256. p. 452
Si circa expenſas aliquid inter ſocios conventum ſit id ſervendum eſt, ſin minus ſervanda eſt conſuetudo, n. 1257. ibid.
Quid ſi non detur pactum nec conſuetudo, n. 1258. ibid.
Quid ſi pro conſervatione mercium, vel capitalis vel acquiſitione lucri faciendæ ſint aliquæ expenſæ, & non poſſit extrahi pecunia ex ſocietate ad eas faciendas, n. 1259. p. 453
Variis modis contrahitur hæc ſocietas qui explicantur, n. 1260. ibid.
Ad ſocietatem animalium tres conditiones requiruntur quæ explicantur, n. 1261. ibid.
Iniqua eſt ſocietas in qua dantur animalia paſtori cum pacto, ut ea cuſtodiat & paſcat, & ſemper ſerventur in eodem numero ita ut ſi aliqua pereant compleatur numerus fœtibus, & paſtor in fine annorum ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum, n. 1262. ibid.
Illicita eſt ſocietas in qua quis tradit Petro duas vaccas cum pacto, quod in fine temporis præſcripti, lucrum dividatur, pretium verò illarum tradatur Franciſco juxta æſtimationem quam vaccæ habebant tempore conditionis, niſi gravamen juſta mercede compenſetur, n. 1263. ibid.
Socius cujus culpa animalia tradita cum æſtimatione ſimpliciter perierunt, tenetur ad reſtitutionem illorum

illorum juxta æſtimationem quam habent tempore amiſſionis, num. 1264. ibid.
Quando incipiat ſocietas exponitur, numero 1265. pag. 454.
Societas finitur primo tempore conſtituto, n. 1266. ibid.
Societas ſecundo ponitur per renunciationem, num. 1267. ibid.
Societas finitur tertio per mortem alicujus ſocij, num. 1268. ibid.
An non ſolum morte naturali, ſed etiam civili finiatur ſocietas, num. 1269. ibid.
Societas quarto finitur egeſtate alicujus ſocij & quando id locum habeat, num. 1270. ibid.

Spes.

Spes eſt virtus Theologica, num. 1. p. 12
Quomodo definiatur, num. 2. ibid.
Quid ſit objectum ſpei, num. 3. ibid.
Datur præceptum affirmativum & negativum ſpei, num. 4. ibid.
Quando obliget affirmativum, num. 5. ibid.
Quomodo peccator peccet contra præceptum ſpei, num. 6. p. 13
Quando detur deſperatio, num. 7. ibid.

Sponſatio.

Quid ſit ſponſatio deſcribitur, num. 1228. p. 448
Hic contractus ex natura ſua eſt licitus dummodo ſervetur æqualitas, num. 1229. ibid.
Qui certo ſcit rem de qua certatur, non poteſt facere ſponſionem, num. 1230. ibid.
Quid ſi res tantum ſit nota ex opinione probabili, num. 1231. ibid.
Quid dicendum de eo qui rem ſciens poſtea dubitare incepit, num. 1232. p. 449
Sponſationes cum conditione illicita ponenda ab ipſo ſpondente ſunt illicitæ, num. 1233. ibid.
Si quis ſpondeat ſe non peccaturum altero id affirmante talis ſponſio eſt licita, numero 1234. ibid.
Quid ſi ſponſio fieret de peccato ab alio tertio committendo, num. 1235. ibid.
Si quatuor aſpirent ad idem officium ſi quis cum ſingulis certet ſeparatim eos non adepturos officium juſte lucratur ſponſionem, num. 1236. ibid.
Cenſus vitalitius licitus eſt, num. 1237. ibid.
Si Petrus ſpondeat cum Paulo quod illum in ſaltu ſuperabit & poſtea Paulus nollet currere, tenetur ſolvere ſponſionem, num. 1238. ibid.

Stuprum.

Ponitur ſtupri definitio, num. 61. p. 277
Conſentiente virgine non datur ſtuprum, n. 62. ibid.
Omnes actus venerei quos virgo libenter in ſe patitur non habent malitiam ſtupri, num. 63. ibid.
Idem dicendum eſt de viro, num. 64. ibid.

Subditi.

Quibus obligationibus teneatur vaſſallus erga principem ſæcularem declaratur, num. 137 pag. 255
Quæ obligationes dentur erga vaſſallos ex parte principis proponuntur, num. 138. ibid.
In quibus peccent mortaliter principes ſæculares erga ſubditos, num. 139. ibid.
Quibus obligationibus teneantur ſubditi erga ſuos prælatos eccleſiaſticos dilucidatur, n. 140. p. 255
Quæ clerici ſubditi teneantur ſuis prælatis exhibere, num. 141. ibid.
Quã obligationem habeant beneficiatij, n. 142. ibid.
Quam obligationem habeant curati, numero 143. ibid.

Superficies.

Quid ſit ſuperficies exponitur, n. 38. p. 283

Superſtitio.

Vnde dicatur ſuperſtitio, num. 45. p. 74
Ponitur definitio ſuperſtitionis, num. 46. ibid.
Superſtitio alia eſt ratione rei cultæ, alia ratione indebiti modi & quæ utraque ſit, num. 47. ibid.
Superſtitio indebiti modi eſt duplex, altera qua falſus vel pernicioſus cultus vero deo tribuitur, num. 48. ibid.
Altera qua cultus ſuperfluus Deo exhibetur, n. 49. pag. 75
Quædam corollaria ponuntur, num. 50. ibid.
Pœnitens tenetur in confeſſione explicare plures malitias ſub genere ſuperſtitionis contentas, n. 51. ibid.
Superſtitioſum eſt uti in Miſſa & officio divino vanis & inutilibus ceremoniis, n. 82. p. 80
Miſſæ Sancti Amatoris cum certis vanis cæremoniis ſunt ſuperſtitioſæ, num. 83. ibid.
Aperire venam jumentis in die alicujus ſancti ſuperſtitioſum eſt, num. 84. p. 81
Efformare cruces dum canitur paſſio in dominica palmarum eſt ſuperſtitio, num 85. ibid.
Dicere quod, qui in die alicujus ſancti jejunat pane & aqua, vel recitat certas orationes abſque dubio non repente morietur vel quod ſalvabitur, eſt ſuperſtitio, num. 86. ibid.
Orationes Sanctæ Brigitæ ſi hac intentione dicantur ſunt ſuperſtitioſæ, num. 87. ibid.
Colligentes herbas in die Sancti Ioannis putantes habere majorem ſanitatem, ſuperſtitioſi ſunt, num. 88. ibid.
Scindere arborem & per eam ſic ſciſſam tranſire ægros pueros ut recipiant ſanitatem, ſuperſtitioſum eſt, num. 89. ibid.
Amentare ſeu incantare certis verbis lupos ne accedant ad greges in montibus relictas ſuperſtitioſum eſt, num. 90. ibid.
Orationes quibus ſagæ benedicunt roſaria pro parturientibus eſt ſuperſtitio, num. 91. ibid.

T

Tentatio Dei.

Ponitur tentationis Dei definitio, numero 6. pag. 69
Eſt actus contra religionem & quomodo, n. 7. ibid.
Altera eſt expreſſa, altera interpretativa & in quo utraque conſiſtat, num. 8. ibid.
Qui orat ſine præparatione dicitur tentare Deum, num. 9. ibid.
Tentatio Dei ſi ſine cauſa fiat regulariter eſt peccatum mortale, num. 10. ibid.
Aliquando poteſt eſſe veniale & quomodo, n. 11. ibid.
Nolle recipere medicinas in infirmitate ordinariè eſt tentare Deum, n. 12. p. 70
Quædam corollaria referuntur, num. 13. ibid.
An in confeſſione explicandum ſit, an tentatio Dei fuerit expreſſa, vel interpretativa, num. 14. ibid.

Teſtamentum.

Ponitur teſtamenti definitio, num. 649. p. 370
Teſtamentum alterum eſt ſcriptum ſeu clauſum, aliud nuncupativum, n. 650. ibid.

Index Rerum.

Ad teſtamentum in ſcriptis quæ requirantur de jure communi, num.651. p.371
Quæ requirantur ad teſtamentum nuncupativum de jure communi, num.652. ibid.
Quæ requirantur de jure Luſitano ad teſtamentum in ſcriptis, num.653. ibid.
Quæ requirantur de jure Luſitano ad teſtamentum nuncupativum, num.654. ibid.
Teſtamentum paternum inter liberos quas conditiones requirat, num.655. ibid.
Teſtamentum ad pias cauſas quas ſolemnitates requirat ut ſit validum, numero 656. pagina 372
Teſtamentum militare in tentoriis factum quæ habeat privilegia, num.657. ibid.
An hæc omnia procedant de jure Luſitano, n.658. ibid.
Quando cenſeatur miles exiſtere in caſtris, n.659. ibid.
Ad teſtamentum tempore peſtis factum de jure Luſitano quæ ſolemnitates requirantur, num.660. ibid.
Ad teſtamentum ruri factum vel in eremo quæ ſolemnitates requirantur, numero 661. ibid.
Teſtamentum ad cauſam non piam ſine ſolemnitatibus juris, licet in foro externo ſit nullum in foro conſcientiæ eſt validum, num.662. p.372
Hæres ab inteſtato tenetur in foro animæ reſtituere hæreditatem & legatum ei qui ſic eſt inſtitutus in minus ſolemni teſtamento, numero 663. ibid.
Hæres ab inteſtato ad hoc etiam poteſt cogi in foro externo ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe ut hæreditas alteri daretur, numero 664. ibid.
Quilibet niſi prohibeatur teſtari, poteſt dummodo uſum rationis habeat & liberam bonorum adminiſtrationem, num.665. p.373
Surdus ſimul & mutus à nativitate teſtari non poteſt, num.666. ibid.
Prodigus cui prohibita eſt ſuorum bonorum adminiſtratio teſtari non poteſt, numero 667. ibid.
Damnati ad mortem naturalem vel civilem non poſſunt teſtari, num.668. ibid.
Quid dicendum ſit de jure Luſitano in damnatis ad mortem, num.669. ibid.
Religioſi niſi de Pontificis licentia non poſſunt teſtari, n.670. ibid.
Teſtamentum per ſe uſque ad mortem revocari poteſt & mutari, num.712. p.379
Quomodo revocetur teſtamentum, numero 713. ibid.
Qui jurat ſe non revocaturum teſtamentum non poteſt abſque perjurio illud revocare, num.714. ibid.
Qui juravit non revocaturum teſtamentum illicite, valide tamen revocare poteſt, numero 715. ibid.
Si teſtator aliqua pœna promittat non revocaturum teſtamentum pœna non obligat, num.716. ibid.
Si teſtator voto ſe Deo obligavit dare mille aureos pauperibus & illos in teſtamento reliquit non poteſt ſine voti violatione hoc legatum revocare, num.717. ibid.
An ex facultate Regis poſſit teſtator teſtamentum irrevocabile condere, numero 718. ibid.
Quando conditum eſt teſtamentum à non habente filios, ſi illos poſtea habeat teſtamentum quoad hæredis inſtitutionem nullum eſt, numero 719. pag.379
Quid dicendum ſit de legatis, num.720. ibid.
An qui in morbo fecit teſtamentum cum hac clauſula ſi hoc morbo è vita deceſſero, &c. ſi convaluerit & nullum aliud teſtamentum fecerit an teſtamentum valeat, num.721. ibid.

Theſaurus.

Theſaurus vide verbum *dominium*.

Tutela.

Quid ſit tutela deſcribitur, n.1348. p.465
Triplex datur tutela & quæ unaquæque ſit, n.1349. ibid.
Inſtitui poteſt tutor ille qui alterius jura ſuſcipere valet, & à jure non prohibetur, n.1350. ibid.
Tutor & curator tenentur ex eadem culpa ac negotiorum geſtor, num.1351. ibid.
Si ad æs alienum vendenda ſunt aliqua bona pupilli quæ bona prius vendenda ſint à tutore vel curatore, num.1352.
Pupillus & minor tenentur ſolvere tutori & curatori ſalarium conſtitutum à principe, n.1353. ibid.
Tutor & curator tenentur quamprimum facere inventarium de rebus pupilli & minoris niſi cauſa juſtiſſima impediantur, numero 1354. ibid.

V

Venatio.

VEnatio tribus titulis à principe prohiberi poteſt ſcilicet ratione perſonæ, temporis & loci, num.100. p.293
Ratione perſonæ prohibetur aliquando clericis & religioſis num.101. ibid.
Ratione temporis prohibetur ſi diebus feſtis vel jejunij inſtituatur, num.102. p.294
Ratione loci prohibetur ſi in lacu vel prædio alieno ſine conſenſu domini fiat, num.103. ibid.
An princeps poſſit piſcationem vel venationem prohibere in aliquibus locis ſui regni, num.104. ibid.
Præter regem nullus de jure Luſitano poteſt habere defenſas hoc eſt contadas, num.105. ibid.
Quod peccatum committant piſcantes vel venantes tempore, loco & inſtrumentis prohibitis, n.106. ibid.
Piſcantes vel venantes in alieno fundo vel palude quod peccatum committant & an ad reſtitutionem teneantur, num.107. ibid.
Quid ſi quis furetur cuniculos ex cuniculario alicujus, num.108. ibid.

Venditio.

Qui ſcit res inter paucos dies minoris valitura, poteſt ſine injuſtitia hodie pretio currenti majori vendere ſuas vel è contra, numero 852. pag.305.
Quid ſi ſit unus ex conſiliariis qui pretium taxavit & ex induſtria diſtulit promulgationem legis ut ipſe carius vendat, num.853. ibid.
Quid ſi quis ſcientem interroget an taxa minuenda vel valor monetæ augendus ſit

Index Rerum.

ſit poteritne dicere neſcire ut interim res ſuas carius vendat, num.834. ibid.
An peccet in hoc caſu ſaltem contra charitatem, num.835. p.396
Quando pretium non eſt lege taxatum, licitum eſt intra limites juſti pretij carius rem vendere dilata ſolutione quam præſenti pecunia numerata, num.836. ibid.
Vſura eſt ſi quis ob ſolam dilatam ſolutionem carius ſupremo juſto pretio vendat, num.837. ibid.
Quid ſi hoc fiat ratione periculi ne pretium ſolvatur ſi vere periculum ſit, num.838. ibid.
An vendens fundum credita pecunia poſſit pro eo tempore quo pecunia non ſolvitur è campo fructus colligere non computando illos in ſortem, num.930. ibid.
An ille contractus in quo quis dat pecuniam & alter fundum hac conditione quod accipiens fundum ex eo fructus colligat & accipiens pecuniam ea utatur donec alteruter reddat acceptum ſit juſtus, num.840. ibid.
Fas eſt vilius emere præciſe ob anticipatam ſolutionem, num.841. p.396
Quid ſi interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel periculum non habendi rem emptam, &c.842. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, numero 843. p.397
Quomodo abſtrahendo à lucro ceſſante, vel damno emergenti conſtituendum ſit pretium pro mercibus quæ anticipate emuntur, numero 844. ibid.
Si creditum ſive maturum ſive immaturum ſit difficile, periculoſum, litigioſum, &c. licitè poteſt minus emi juxta proportionem talium difficultatum, num.845. ibid.
Etiam ſi nulla ſit difficultas adhuc poſſunt minus vendi creditum, & chirographum numeratata, ſeu anticipata pecunia, numero 836. ibidem.
Quædam corollaria ponuntur, numero 847. ibid.
In foro conſcientiæ licitum eſt vendere carius credito ut ſtatim vilius numerato eidem emptori ematur, num.848. p.398
Quid ſi mercator cogat emptorem ad illi vilius vendendum numerato quod carius ab eo credito emit, num.849. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, numero 850. ibid.
Si dives à pauperе emat boves quo ſcit pauperem re ipſa non habere & ſtatim eos ei locet pro annua penſione eſt uſura in utroque foro, n.851. ibid.
An dives poſſit emere ab agricola penſionem annuam ſuper uno bove deſignato dando ei quatuor aureos ea conditione ut quotannis ſolvat ei conſuetam frumenti penſionem, num.852. ibid.
Sive hoc pactum fiat in favorem venditoris, ſive in favorem emptoris contractus de re immobili eſt licitus, ſive fiat tempore determinato, ſive indeterminato, num.853. p.399
Quanto minoris valeat res quæ cum hoc pacto venditur, num.854. ibid.
Quando pactum retrovenditionis ſit in favorem emptoris, pretium juſtum debet eſſe majus, n.855. ibid.
Quando res cum hoc pacto retrovendendi fuit vendita quanto deinde redimi debeat, pretio ne quo res fuit vendita, an quo vellet tempore redemptionis, num.856. ibid.
Idem quod dictum eſt de re immobili dicendum etiam eſt de re mobili quacunque, num.857. ibid.
Si commiſſarius cui res vendenda traditur illam ſupra juſtum pretium vendat, debet pretium emptori utpote decepto reſtituere, num.858. ibid.
Famulus vel qui mercedem pro ſuo labore vendendi accepit, tenetur totum pretium juſtum quod invenit reddere domino qui rem vendendam tradidit, num.859. p.400
Si præceſſit pactum quod tanti venderet & ſi quid plus inveniret ſibi retineret certum eſt venditorem poſſe illud ſibi retinere, numero 860. ibid.
In dubio quando proximetæ aliquid vendendum traditur aſſignato pretio, & non promiſſo alio ſtipendio ſui laboris, cenſetur hujuſmodi pactum, num.861. ibid.
An amicus qui gratis rem ſuſcipit vendendam poſſit recipere id quod correſpondit ſuo labori, etiam ſi expreſſe dixiſſet gratis ſe velle rem vendere, num.862. ibid.
Qui vendens rem ſuam pro ea accepit minus pretium quam valeat in foro externo non datur actio niſi defectus, vel exceſſus ſit ultra vel infra dimidium, num.863. ibid.
In foro conſcientiæ debet reſtitui illud quod ultra, vel infra juſtum pretium accipitur, num.864. ibid.
Qui alicui vendit rem quam alteri jam vendiderat ſi res non eſt tradita ſecundo emptori, tenetur venditor priori emptori tradere, num. 865. ibid.
Si res tradita ſit ſecundo emptori hic aliquibus caſibus exceptis, antefertur primo emptori, n.866. p.401
Referuntur caſus in quibus primus emptor anteponitur ſecundo emptori licet res ſit poſteriori tradita, num.867. ibid.
Qui rem libere vendit juſto pretio infimo non poteſt aliquid detrahere de pondere & menſura, num.868. ibid.
Quoties in venditione tacetur vitium notabile quo cognito emptor non emiſſet ſive dolus fuerit in ſubſtantia, ſive in qualitate ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo ex contrahentibus, vel eo ſciente contractus in utroque foro eſt nullus, num.869. ibid.
Quid ſi dolus fuit appoſitus ab aliquo tertio contrahentibus, neſcientibus, & ſit tantum in qualitate, & non in ſubſtantia contractus, num.870. ibid.
Quando vitium quod reticetur in venditione non eſt notabile, neque reddit rem minus utilem ad uſum ad quem res ipſa emitur contractus non eſt invalidus, num.871. ibid.
Ponuntur quædam corollaria, numero 872. ibid.
Venditor non tenetur per ſe loquendo manifeſtare emptori vitium patens, numero 873. p.402
Venditor interrogatus de vitiis occultis rei tenetur illa manifeſtare, num.874. ibid.
Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei validus eſt, debet tamen, vel reſcindi contractus, vel reddi ad æqualitatem, num.875. ibid.
Si venditor vendit rem pretioſam quæ communiter reputatur vilis, emptor poſt emptionem

Digitized by Google

nem inveniat esse pretiosam non tenetur aliquid venditori restituere, numero 876. ibidem.
Quid si ante venditionem cognovisset esse pretiosam num. 877. ibid.
Quid si res ipsa nec quoad substantiam cognoscitur, nec videtur, ut si in falce lignorum adsit confusa herba pretiosa, num. 878. ibid.
Emptor qui restituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum debet restituere fructus rei venditæ medio tempore collectos deductis expensis, num. 879. ibid.
Vide etiam verbum *Emptio*.

Viri.

Maritus tenetur diligere uxorem, num. 49. p. 242
Peccat si absque legitima causa ab impletione præceptorum Dei & Ecclesiæ impediat, num. 50. ibid.
Tenetur uxorem ut sociam tractare, numero 51. ibid.
Adulterium committente uxore potest ei vir propria authoritate debitum negare, num. 52. ibid.
Conjux Catholicus non tenetur admittere conjugem hæreticum de hæresi damnatum si in sæculo maneat, num. 53. ibid.
Potest in hoc casu ordinibus initiari, numero 54. ibid.
Post sententiam divortij ob adulterium idem potest facere, num. 55. ibid.
An conjux hæreticus post sententiam hæresis possit invito conjuge Catholico transire ad sacros ordines, num. 56. ibid.
An per copulam post sententiam hæresis innocens teneatur remittere conjugi hæretico, num. 57. ibid.
An adulterium corporale condonetur in adulterio spirituali, num. 58. p. 243
Tenetur vir alimenta uxori præstare etiam si absque dote uxorem inopem duxerit, numero 59. ibid.
Quid si pater uxoris dives esset & dotem constituere nollet, num. 60. ibid.
Maritus si non potest non tenetur uxorem alere, tenetur tamen quantum in se est laborare ut uxorem & familiam alat, num. 61. ibid.
Quid si dos uxoris fuerit fisco publicata, sive ob crimen hæresis, vel læsæ majestatis, num. 62. ibid.
Maritus dote promissa & non soluta, non tenetur uxorem alere, num. 63. ibid.
Non potest maritus ob dotem non solutam non traducere in domum uxorem nec potest eam è domo dimittere, num. 64. ibid.
Si uxor ex propria levitate sine culpa viri decedat à domo mariti non tenetur maritus ei alimenta præbere, num. 65. ibid.

Virginitas.

Virginitas prout est virtus quomodo sive à viro, sive à fœmina perdatur, num. 65. p. 277
Virginitas prout est status quomodo amittatur, n. 66. ibid.
Virginitas quoad existimationem humanam quomodo amittatur in fœmina, numero 67. ibid.
Monialis potest velum & consecrationem virginum accipere dum conservat signaculum virginale, num. 68. ibid.

Votum.

Ponitur voti definitio, num. 198. p. 167
In quo consistat essentia voti, numero 199. ibid.
Quid sit materiale voti, num. 200. ibid.
Quid sit terminus formalis voti, numero 201. ibid.
Votum non consistit in proposito, numero 202. p. 167
Qui promittit cum animo non se obligandi non vovet, num. 203. ibid.
Quid si non habuit expressam voluntatem non se obligandi, num. 204. p. 168
Promissio cum animo se obligandi, cum animo tamen non exequendi sufficit ad votum, num. 205. ibid.
Quale peccatum sit vovere aliquo simulato modo, num. 206. ibid.
Ad votum requiritur & sufficit libertas quæ requiritur & sufficit ad peccatum mortale, n. 207. ibid.
Quale peccatum sit vovere absque plena deliberatione, num. 208. ibid.
An deliberatio virtualis, seu in causa sufficiat ad votum, num. 209. p. 169
Quid si quis voveat ex consuetudine vovendi sine actuali advertentia, num. 210. ibid.
Metus alius intrinsecus, & alius extrinsecus, n. 211. ibid.
Metus alius cadens in constantem virum, alius non cadens in constantem virum, numero 212. ibid.
Metus cadens in constantem virum, alius justus, alius injustus, num. 213. ibid.
Si metus à Deo vel à causis intrinsecis proveniat votum validum est, num. 214. ibid.
Ob nullum metum juste incussum etiam ad extorquendum votum jure naturæ vota irritantur, num. 215. p. 170
Ob nullum metum etsi injuste incussum etiam ad extorquendum votum, annullatur votum, n. 216. ibid.
Ex metu levi nulla vota irritantur, numero 217. ibid.
Omnia vota metu gravi facta jure Ecclesiastico irritantur, num. 218. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, numero 219. ibid.
Quid de voto facto ex metu levi, numero 220. ibid.
Multiplex error, vel ignorantia circa vota explicatur, num. 221. p. 171
Ignorantia voventis mere negativa non eximit ab obligatione voti, num. 222. ibid.
Quædam limitationes ponuntur, numero 223. ibid.
Votum emissum ex errore, vel ignorantia positiva quidditatis voti, aut proprietatum ejus substantialium non est obligatorium, numero 224. ibid.
Quid si quis dubitet an ab isto errore cessaverit per admonitionem ante vel post voti emissionem, num. 225. ibid.
Quid si ignorantia vel error sit circa conditiones rei votivæ adeo graves ut moraliter existimetur pertinere ad rei votivæ substantiam, numero 226. ibid.
Quid si error versetur circa aliquas circumstantias, vel impertinentes, vel levioris momenti, n. 227. ibid.

Quid

Digitized by Google

Index Rerum.

Quid ſi talis ignorantia dedit cauſam voto, n. 228. ibid.

Quid ſi error verſetur circa cauſam impulſivam vel occaſionem voti, n. 229. p. 172

Si votum ſumatur pro cultu recognoſcente divinum numen, ſoli Deo fit, n. 230. ibid.

Si votum ſumatur prout cedit in cultum & honorem ſanctorum propter illorum propriam excellentiam, tunc talis promiſſio non habet rationem voti, n. 231. ibid.

Ad quam virtutem pertineat, numero 232. ibid.

Quomodo ſit hoc votum interpretandum, n. 233. ibid.

Quomodo ſit intelligendum votum obedientiæ factum prælato, numero 234. ibidem.

Malus finis aliquando eſt finis ejus boni quod vovetur, aliquando ipſius voventis, num. 235. ibid.

Si finis rei promiſſæ per votum malus ſit, votum invalidum eſt, n. 236. ibid.

Si malus finis non ſit finis rei quæ vovetur, ſed vel applicationis voluntatis ad vovendum, validum eſt votum, n. 237. p. 173

Quæ res dicatur indifferens, n. 238. ibid.

Votum de re quæ omnibus circunſtantiis ſpectatis indifferens eſt, invalidum eſt, numero 239. ibid.

Res indifferens concurrentibus quatuor conditionibus poteſt eſſe materia voti, num. 240. ibid.

Explicatur prima conditio, numero 241. ibid.

Explicatur ſecunda conditio, numero 242. ibid.

Explicatur tertia conditio, numero 243. ibid.

Explicatur quarta conditio, numero 244. ibid.

An votum faciendi eleemoſynam ſi vovens ex bello injuſto incolumis evadat ſit validum, n. 245. ibid.

Quid de voto emiſſo in gratiarum actionem pro victoria injuſta iam parta, numero 246. p. 174

An votum rei bonæ factum ob finem indifferentem aut ad obtinenda bona temporalia valeat, n. 247. ibid.

Opus malum ſive mortaliter, ſive venialiter non poteſt eſſe materia voti, n. 248. ibid.

Ponuntur quædam corollaria quæ inde ſequuntur, n. 249. ibid.

Quale peccatum committat qui opus malum vovet, n. 250. ibid.

Quid ſi quis verbo tenus ſine animo promittendi vel implendi promiſſionem vovet, num. 251. p. 175.

Quid ſi detur ignorantia, n. 252. ibid.

Impoſſibilia Deo promitti non poſſunt, num. 253. ibid.

An votum de nunquam peccando mortaliter vel venialiter ſit validum, n. 254. ibid.

Votum de nunquam peccando mortaliter validum eſt, n. 255. ibid.

Votum confitendi omnia venialia validum eſt, n. 256. ibid.

Si materia voti partim ſit poſſibilis, partim impoſſibilis, partim honeſta, partim inhoneſta, &c. per modum unius promittatur ita ut neutra pars volita ſit, niſi dependenter ab alia, votum eſt irritum, num. 257. ibid.

Quomodo dignoſcatur votum fuiſſe per modum unius factum, num. 258. p. 176

Quædam corollaria ponuntur, numero 259. ibid.

Si modus ſub quo objectum voti promiſſum eſt impoſſibilis eſſet, valor voti non impeditur, num. 260. ibid.

Quid ſi modus impoſſibilis gravaret objectum voti, num. 261. ibid.

Quid ſi in communi æſtimatione res promiſſa per modum unius exiſtimetur, numero 262. ibid.

Quoties votum quoad partem principalem impleri non poteſt non obligat acceſſorium, num. 263. ibid.

An votum diſiunctivum, cujus una pars eſt materia apta voti, non vero altera ſit validum, num. 264. pag. 177

Quædam corollaria ponuntur, numero 261. ibid.

Votum poteſt eſſe de rebus præceptis, n. 266. ibid.

Præceptum non neceſſitat voluntatem ſed liberam relinquit, num. 267. ibid.

De eadem re poteſt dari multiplex obligatio, n. 268. ibid.

Votum debet eſſe de re meliori quam ſua contradictoria, num. 269. p. 178

Quædam corollaria ponuntur, numero 270. ibid.

An votum non ingrediendi Religionem ſit validum, num. 271. ibid.

Quid ſi votum ſit non vovendi non ingrediendi religionem abſque conſilio, num. 272. ibid.

An votum non petendi diſpenſationem ſit validum, num. 273. ibid.

Quid de voto non amplius ludendi, numero 274. ibid.

An ex voto non petendi diſpenſationem obligetur ad non petendum irritationem vel commutationem, num. 275. ibid.

Quomodo petenda ſit diſpenſatio in caſu quo votum non petendi diſpenſationem valeat abſque peccato, num. 276. p. 179

An votum non aſcendendi ad epiſcopatum valeat, num. 277. ibid.

Quid de voto ſerviendi perpetuo in hoſpitali, numero 278. ibid.

An ſi quis voveat caſtitatem tantum intendens vitare actus externos non vero internos circa illam tale votum ſit validum, numero 280. ibid.

Quid de voto non comedendi delicatè, num. 278. ibid.

Votum contrahendi matrimonium abſolute ſumptum invalidum eſt, numero 281. ibid.

Quid ſi matrimonium eſſet in præcepto, num. 282. ibid.

Quid ſi fiat animo contrahendi, ſed religionem petendi, num. 283. p. 180

Quid ſi fiat in remedium frequentis lapſus, n. 284. ibid.

Quid ſi fiat cauſa pietatis, numero 285. ibid.

Quomodo intelligendum ſit hoc votum, promitto Deo me doćturum puellam pauperem, num. 286. ibid.

Quid dicendum ſit de hoc voto promitto me nullum

nullam aliam religionem ingreſſurum niſi hanc, num. 287. ibid.
Validum eſt votum ſi negatio excludat materiam voti ineptam, num. 288. p. 181
Votum eſt opus laudabile & meritorium, n. 289. ibid.
Votum elicitur à virtute Religionis, n. 290. ibid.
Executio voti imperatur à virtute Religionis, n. 291. ibid.
Votum aliud eſt perſonale, aliud reale, aliud mixtum, num. 292. ibid.
Votum aliud eſt expreſſum, aliud implicitum, n. 293. ibid.
Votum aliud eſt ſolemne, aliud ſimplex, num. 294. ibid.
Votum aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum, num. 295. ibid.
Votum aliud eſt commune, aliud privatum, n. 296. p. 182
Votum obligat ſub peccato, numero 297. ibidem.
Hæc obligatio voti ex genere ſuo eſt ſub mortali, num. 298. ibid.
Poteſt eſſe venialis ex inadvertentia, numero 299. ibid.
Poteſt eſſe venialis etiam circa rem gravem ex intentione voventis qui tantum ſe voluit obligare ſub veniali, num. 300. ibid.
Poteſt eſſe venialis ex levitate materiæ, num. 301. ibid.
Vnde levitas materiæ deſumenda ſit, numero 302. ibid.
An graviter peccet qui ſæpe violat votum de materia levi, num. 303. ibid.
An qui plura vota faciendi rem levi in eandem diem emittit, ſi ea omnia non adimpleat peccet mortaliter, num. 304. p. 183
Quod peccatum committat violans votum n. 305. ibid.
Pueri ante uſum rationis de jure naturæ vovere valide non poſſunt, num. 306. ibid.
Votum ſolemne Religionis nullus poteſt valide emittere niſi poſt decimum ſextum annum, n. 307. ibid.
Omnia vota religioſorum filiorum impuberum, uxorum, ſervorum de materia majus bonum non impediente ſunt valida, num. 308. ibid.
Omnia vota religioſorum in illis in quibus ſubſunt ſuperiori ſunt nulla, numero 309. ibidem.
Vota realia ſeu mixta filiorum ſeu ſervorum aut religioſorum ſi ad illa neceſſarij ſint ſumptus &c. ſunt irrita, num. 310. p. 183
Votum religioſi impuberis ſervi & uxoris de re abſolute illis interdicta eſt nullum, numero 311. ibid.
Quid ſi quis voveat cum conditione ſi prælatus conſenſerit, num. 312. ibid.
An teneatur ſubditus cum petit licentiam votum manifeſtare prælato, num. 313. p. 184
Quædam corollaria ponuntur, numero 314. ibidem.
An ſi quis prohibitus ſit vovere abſque ſuperioris licentia votum factum de materia alias apta ſit validum, num. 315. ibid.
Votum aliquando dicitur poſitivum aliquando negativum, num. 316. ibid.
Votum qui determinat tempus pro ſua impletione eo tempore debet impleri, numero 317. ibid.
Votum in quo non determinatur tempus obligat ad quam primum vovens potuerit moraliter, n. 318, ibid.
Aliqua corollaria ponuntur, numero 319. pagina 185.
Quæ dilatio in votis peccatum mortale conſtituat, n. 320. ibid.
Si votum fiat animo ne ultra tempus deſignatum executio differatur & tempore deſignato non impleatur manet vovens obligatus implere, n. 321. p. 185
Si votum fiat animo finiendi ibi obligationem tempore deſignato ſi eo tempore votum non impleatur extinguitur votum, n. 322. ibid.
Quoties circunſtantia temporis ſpecialem devotionem communiter continet & in illius memoriam quis votum emiſit principaliter ſi eo tempore votum non impleatur extinguitur, n. 323. ibid.
Quid ſi circunſtantia temporis non ſit principaliter intenta, n. 324. ibid.
An hæc doctrina locum habeat non ſolum in votis perſonalibus, ſed etiam in realibus, num. 325. p. 186
Quid ſi dubium ſit an vovens decreverit tempus in honorem diei, necne, n. 326. ibid.
Quoties vovens impotens eſt ad voti executionem non obligatur ad aliquam compenſationem, n. 327. ibid.
Explicatur ſenſus quæſtionis, numero 328. ibid.
Si terminus præfixus ſit ne ultra differatur votum ſi vovens prævideat tempore præfinito non poſſe implere votum tenetur anticipare ſolvere, num. 329. ibid.
Quando opus vovetur ut proprium onus diei certi, non tenetur vovens illud tempus prævenire, n. 330. ibid.
Votum aliquando eſt perſonale, aliquando reale, aliquando mixtum, n. 331. ibid.
Votum perſonale non poteſt per alium impleri, n. 332. p. 187
Votum reale non poteſt alium à vovente adſtringere, n. 333. ibid.
Quando vovens non poteſt per ſe ipſum illud implere tenetur adimplere per alium, numero 334. ibid.
Quid dicendum ſit de voto mixto, numero 335. ibid.
Qui non poteſt votum ſive reale, ſive perſonale implere non tenetur commutationem facere in rem quam implere poſſit, numero 336. ibid.
Vota perſonalia non tranſeunt ad hæredes neceſſarios etiam volente teſtatore niſi hæres ſponte ſua acceptet, n. 337. p. 187
Quid ſi teſtator relinquat hæreditatem ſi hæres impleat ſua vota perſonalia, n. 338. ibid.
Obligatio voti realis tranſit ad hæredes ex vi creditoris receptæ, n. 339. ibid.
Si conventus conſtituatur hæres profitentis religionem non tenetur ad vota realia ipſius profitentis, n. 340. p. 188.
Quid ſi ille in cujus favorem factum eſt votum, iam acceptaverit votum ante profeſſionem, n. 341. ibid.
Qui ordo ſervandus ſit in ſolutione horum votorum, n. 342. ibid.
An quando multi ſunt hæredes, quilibet teneatur vota defuncti ſolvere, numero 343. ibid.
An idem dicendum ſit de legatariis, n. 344. ibid.

Qui

Digitized by Google

Index Rerum.

Qui dubitat an votum emiſerit non tenetur illi, n. 345. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 346. ibid.
Quando conſtat votum factum eſſe, & ſolum eſt dubium an vovens habuerit intentionem ſe obligandi, vel vovendi obligat votum, num. 347. p. 189.
An qui fecit votum animo negativo hoc eſt abſque expreſſa vel tacita intentione ſe obligandi tenetur ad illud, num. 348. ibid.
Puer dubitans an quando voverit habuerit uſum rationis ſi nondum expleverit ſeptennium non tenetur ad votum, n. 349. ibid.
Quid ſi dubium ſit an votum ſit factum tempore ſomnij, vel ebrietatis, vel phreneſis, num. 350. ibid.
Quid ſi quis certus ſit de nullitate voti, dubitat tamen an illud ratificaverit, numero 351. ibid.
Si detur dubium an quando quis voverit ita fuiſſet ira vel alia paſſione affectus, ut verum dubium ſit an tunc habuerit uſum rationis non tenetur ad votum, n. 352. ibid.
Quando dubitatur de bonitate materiæ an ſit bona vel mala, vel indifferens votum non obligat, n. 353. p. 190
An dubitans, an votum impleverit, teneatur illud iterum exequi, n. 354. ibid.
Quando quis certus eſt ſe emiſiſſe votum caſtitatis, dubitat tamen an habuerit animum ſe obligandi tale votum non eſt reſervatum eſto valeat, n. 355. ibid.
Votum ſemper eſt explicandum iuxta intentionem voventis, n. 356. ibid.
Verba voventis in dubio explicanda ſunt ſecundum patriæ uſum & conſuetudinem, numero 357. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 358. ibid.
In dubio votum eſt ſtricte interpretandum ut quantum fieri poſſit minus obliget ſervata proprietate verborum, & communi uſu, numero 359. p. 191
Quædam corollaria ponuntur, n. 360. ibid.
Quando dubitatur de intentione voventis ſervanda eſt materia voti ac ſi eſſet materia alicujus legis divinæ, vel humanæ, numero 361. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n. 362. ibid.
Explicantur multiplices conditiones quæ votis apponi poſſunt, n. 363. p. 192
Votum ſub conditione turpi regulariter eſt nullum n. 364. ibid.
Quid ſi ſub conditione futura contingente & honeſta votum emittatur; n. 365. ibid.
Quando conditio cenſeatur impleta, numero 366. ibid.
An conditio debeat impleri in ſpecifica forma, an ſufficiat æquivalenter, n. 366. ibid.
An vovens ſub conditione futura contingente teneatur expectare conditionis eventum ut obligetur, n. 368. ibid.
Qualiter peccet contra votum conditionem impediens, n. 369. p. 193
Quid ſi conditio nulla lege prohibita ſit nec pendeat ex voluntate voventis ſi de facto à ſic vovente impediatur, n. 370. ibid.
Quædam corollaria deducuntur, numero 372. ibid.
Votum ſub conditione ſi Petrus poſitive conſentiat non obligat ſi Petrus mortuus eſt antequam conſentiat, n 372. ibid.
Quid ſi petrus in prædicto caſu det fatuum conſilium, num. 373. p. 194.
Quid ſi quis voveat ſingulis ſextis feriis jejunare ſi fiat illo anno judex prætoris & de facto factus ſit judex magnæ curiæ tenebiturne voto, num. 374. ibid.
Quid ſi petrus voveat dare centum Eccleſiæ ſi nubat cum filia Franciſci, & illa nolit cum eo nubere, num. 375. ibid.
Quid ſi quis voveat dare centum Eccleſiæ, ſi ejus filius honeſte nubat, & ille primo honeſte, deinde mortua uxore inhoneſte nupſit, numero 376. ibid.
In quo conveniat votum pœnale cum conditionali, & quomodo ab eo differat, numero 377. ibid.
Votum pœnale dupliciter emitti poteſt, primo vovendo pœnam caſu quo talem rem non faciat, ſecundo utrumque vovendo, num. 378. p. 195
Quando tranſgreſſo voti pœnalis culpa caret ex aliqua cauſa vovens non tenetur ad pœnam, num. 379. ibid.
An caſu quo quis voveat virare fornicationem ſub conditione peregrinationis ſi blato voto de vitanda fornicatione per diſpenſationem cenſeatur ſublatum votum de pœna incurrenda, num. 380. ibid.
An ad petendam diſpenſationem voti principalis debeat vovens facere mentionem acceſſorij, n. 381. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 382. ibid.
An quoties quis violat votum pœnale pœnam incurrat, num. 383. ibid.
Votum ceſſat ceſſante cauſa finali, numero 384. p. 196
Quædam corollaria ponuntur, num. 385. ibid.
Quæ materiæ mutatio voti obligationem ceſſare faciat, num. 386. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, num. 387. ibid.
Quid ſi dubium ſit an promiſſum ita mutatum ſit ut moraliter diverſum cenſeri debeat, num. 388. ibid.
Ob periculum vitæ, honoris, alteriuſve detrimenti ſupervenientis poſt emiſſum votum, poteſt votum ceſſare, num. 389. ibid.
An pœnitere de voto facto ſit peccatum, num. 390. ibid.
Ponitur definitio irritationis, num. 391. p. 197
Cujus poteſtatis actus ſit irritatio, num. 392. ibid.
Poteſtas dominativa propria & directa quibus competat, num. 393. ibid.
Qui ſint prælati qui poſſint ſubditorum votum irritare, num. 394. ibid.
An hæc poteſtas competat Summo Pontifici, tam reſpectu religioſorum, quam omnium Chriſtianorum, num. 395. ibid.
Quæ vota Epiſcoporum poſſit Pontifex irritare, num. 396. ibid.
Qui poſſint alij Prælati inferiores Papa, Reges & Principes circa vota ſubditorum, numero 397. ibid.
An ſuperiores qui poſſunt vota ſubditorum irritare poſſint ea aliis irritanda committere, num. 398. ibidem.
Poteſtas irritandi vota extenditur ad vota interna & futura, num. 399. p. 198.
Extenditur ad vota emiſſa ex licentia ſuperioris, num. 400. ibid.
Quid ſi ſuperior dicat concedere ſubdito facultatem

tatem irrevocabilem ſeque eximere illum à ſua poteſtate, n.401. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.402. ibid.
Quando cenſeatur ſuperior concedere ſubdito licentiam vovendi,n.403. p.199
Irritativa poteſtas extenditur ad vota quæ ſubditus fecit tempore quo erat ſubditus, ſi poteſtas non eſt extincta in ſuperiore, n.404. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.405. ibid.
Quid dicendum ſit de votis filiorum ante pubertatem emiſſis nec in pubertate confirmatis an poſſit pater ea poſt pubertatem irritare,n.406. ibid.
Quid dicendum ſit de curatore, n.407. ibid.
An irritativa poteſtas extendatur ad vota quæ filius emiſit implenda poſt pubertatem,n.408. ibid.
An votum impuberum poſt pubertatem commutatum in opera perſonalia poſſit à patre irritari, num.409. p.200
Quomodo vota tempore ſubjectionis emiſſa cenſeantur confirmari tempore pubertatis, n.410. ibid.
An votum emiſſum poſt pubertatem non petendi irritationem voti emiſſi in pubertate ſit illius confirmatio,n. 11. ibid.
An ſi quis in pubertate fecit votum diſiunctivum, & poſt pubertatem aliquam partem determinavit cenſeatur confirmatum poſt pubertatem, n.412. ibid.
An poteſtas irritativa extendatur ad vota emiſſa tempore ſubjectionis,implenda tamen ſubjectione diſſoluta, n.413. ibid.
Irritativa poteſtas nequaquam extendi poteſt ad vota emiſſa tempore, quo voventes erant ſui juris, bene tamen indirecta & ſuſpenſiva, n.414.ibid.
Quando cenſeatur ſuperior votum irritare, n.415. pag.201
Quando ſuperior ignarus voti deneget licentiam exequendi illud non cenſetur illud irritare,n.416. ibid.
Ad irritationem procedentem ex poteſtate dominativa nulla requiritur cauſa ad ſui valorem,n.417. ibid.
Poteſt concedi irritatio ſine cauſa abſque ullo peccato, num.418. ibid.
An ſuperior poſſit efficere hanc irritationem contradicente ſubdito, n.419. ibid.
Vt irritatio valida & juſta ſit non eſt neceſſarium ſuperiorem cognoſcere votum irritandum, n.420 ibid.
An hæc irritativa poteſtas exerceri poſſit in caſu dubio, n.421. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.422. p.202
An irritativa poteſtas alteri delegari poſſit, n.423. ibid.
Regulares poſſunt plura vota abſque ſuperioris licentia efficere, num.424. ibid.
Prælati regulares præter votum aſſumendi Religionem ſtrictiorem omnia alia vota ſubditorum etiamſi ſint de reſervatis Papæ poſſunt irritare dummodo ſtatum religioſum non conſtituant, num.425. ibid.
Præter prælatos Religioſorum & Papam nemo poteſt religioſorum vota irritare, n.426. ibid.
Novitiorum vota neque pontifex neque prælatus religionis poſſunt irritare, bene tamen eorum parentes,n.427. ibid.
Prælati religionis & magiſtri novitiorum poſſunt novitiorum vota ſuſpendere pro anno novitiatus, num.428. ibid.
Triplex datur in hominibus ætas,infantia,impubertas & pubertas,num.429. p.203
Quando exeat filius à patria poteſtate,n.430. ibid.
Ad quid datum ſit officium tutoris & curatoris, n.431. ibid.
Pater poteſt irritare omnia vota filij impuberis, n.432. ibid.
Sub nomine filij etiam filij illegitimi intelliguntur, n.433. ibid.
Nomine patris venit tutor,n.434. p.203
Quid dicendum ſit de matre,n.435. ibid.
An ſub nomine patris veniat hæres & magiſter, n.436. ibid.
Pater reſpectu filiorum puberum ea ſola vota poteſt irritare quæ gubernationi domeſticæ præjudicaverint,n.437. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.438. ibid.
Quid dicendum ſit de curatore & matre reſpectu filij puberis, n.439. p.204
An minoribus competat reſtitutio in integrum in votis, n.440. ibid.
Maritus poteſt omnia vota uxoris irritare quæ præjudicant matrimonio & gubernationi domus, n.441. ibid.
Quid dicendum ſit de aliis votis, n.442. ibid.
Ponuntur quædam corollaria, n.443. ibid.
An vir poſſit irritare vota quæ uxor fecit ante matrimonium, n.444. ibid.
Quid dicendum ſit de voto ingrediendi religionem facto ab uxore ante matrimonium conſummatum, n.445. p.205
Quæ vota mariti poſſit uxor irritare, n.446. ibid.
Dominus ea ſola vota ſervi poteſt irritare quæ juri & poteſtati ſuæ officiunt,obſtant,& præjudicant, n.447. ibid.
Quædam corollaria ponuntur, n.448. ibid.
Hæres non poteſt vota famuli irritare, poterit tamen ea ſuſpendere ſi obſequio debito præjudicent, n.449. ibid.
In Eccleſia datur poteſtas eccleſiaſtica relaxandi vota,n.450. ibid.
Quid ſit votum diſpenſare, n.451. p.206
Quomodo Papa & prælati poſſint divinum jus relaxare, n.452. ibid.
Ad validam voti diſpenſationem ſemper requiritur juſta cauſa, n.453. ibid.
Illæ cauſæ dicuntur ſufficientes quæ obſtant executioni voti, n.454. ibid.
Quæ ſint cauſæ obſtantes executioni voti,n.455.ib.
Quid ſi cauſa ſit inſufficiens, diſpenſans tamen bona fide proceſſerit & diſpenſatus putans ſe eſſe ſufficientem, n.456. ibid.
An aliquando teneatur ſuperior diſpenſationem concedere,n.457. ibid.
Quid dicendum ſit de delegato,n.458. p.207
Omnes prælati habentes poteſtatem quaſi epiſcopalem poſſunt diſpenſare omnia vota ſuorum ſubditorum non reſervata, n.459. ibid.
An Epiſcopus poſſit vota vagorum in ſuo epiſcopatu diſpenſare, n.460. ibid.
An poſſit vota religioſorum viventium in ſuo epiſcopatu diſpenſare,n.461. ibid.
An prælatus regularis poſſit vota novitiorum diſpenſare,n.462. ibid.
Quis poſſit ipſorum prælatorum vota diſpenſare, n.463. ibid.
Quinque tantum dantur vota Pontifici reſervata & quæ ſint, n.464. p.208
Hujuſmodi vota quomodo ſunt interpretanda n.465. ibid.
Votum Religionis non approbatæ reſervatum non eſt, n.466. ibid.
Votũ Religionis caſtitatis & peregrinationis emiſſi ſub

Digitized by Google

ſub aliqua circunſtantia accidentali reſervatum non eſt qua parte illam circunſtantiam ſpectat num.467. ibid.
Votum in quod votum reſervatum commutatum & non eſt, reſervatum, num.468. ibid.
Votum diſiunctivum de materia reſervata & non reſervata non eſt reſervatum, n.469. ibid.
Primus caſus in quo prælatus poteſt diſpenſare in votis reſervatis eſt quoties votum eſt dubium, num.470. p.209
Secundus caſus eſt quando votum emittitur ex metu injuſto ad extorquendum votum, n.471. ibid.
Tertius eſt ſi conſuetudine ſit præſcriptum in talibus votis diſpenſare, n.471. ibid.
Quartus eſt ſi hæc vota emittantur à perſonis dominativæ poteſtati ſubjectis, num.473. ibid.
Quintus eſt in extraordinario aliquo eventu & qualis requiratur, num.474. ibid.
Quomodo in hoc caſu concedenda ſit diſpenſatio, num.475.
Sextus caſus eſt ſi vota fuerint conditionalia pœnalia, num.476. p.210
Quid ſi fuerint pure conditionalia, n.477. ibid.
Quid ſi jam conditio ſit adimpleta, n.478. ibid.
Poteſtas delegata provenit ab habente poteſtatem ordinariam, num 479. p.210
Tenor delegationis atttendendus eſt, n.480. ibid.
Si conceſſio ſit ad diſpenſandum in omnibus votis non extenditur ad reſervata, n.481. ibid.
Si alicui concedatur facultas ad omnia vota reſervata omnia cenſentur comprehendi, n.482. ibid.
Si unum reſervatum tantum excipiatur, omnia alia cenſentur commiſſa, num.483. ibid.
An facultas diſpenſandi in votis reſervatis extendatur ad vota facta in commodum tertij, n.484. ibid.
Hæc poteſtas diſpenſandi in votis generaliter ſolum reperitur in religioſis mendicantibus, n.485. p.211
An hæc poteſtas mendicantibus conceſſa extendatur ad alios regulares alterius vel ejuſdem religionis ad illos venientes, num.486. ibid.
An hæc facultas extendatur ad vota reſervata quæ Epiſcopus diſpenſare poteſt ratione urgentis neceſſitatis, & quia eſt periculum in mora, n.487. ibid.
Quid poſſint regulares reſpectu diſpenſationis debiti conjugalis in eo qui contraxit matrimonium poſt votum caſtitatis, num.488. ibid.
Ponitur commutationis definitio, n.489. p.212
Vovens propria authoritate poteſt commutare votum in opus evidenter melius, num. 490. ibid.
Quid ſi ſit dubium an ſit melius, n. 491. ibid.
An vovens poſſit commutare votum in evidenter æquale, num.492. ibid.
Quoties datur dubium an ſit evidenter æquale vel inæquale requiritur poteſtas eccleſiaſtica, n.493. ibid.
Quibus competat hæc poteſtas commutandi vota, num.494. ibid.
An mera commutatio ſit facienda neceſſario in bonum æquale, num.495. ibid.
An votum in favorem tertij poſſit quis propria vel prælati authoritate in rem evidenter meliorem commutare, num.496. ibid.
An ad voti commutationem requiratur cauſa, num.497. ibid.
An ſi non detur cauſa & votum commutetur in minus valeat commutatio, num.498. p.213
Quædam corollaria ponuntur, num.499. ibid.
Qualiter peccet commutans votum ſine legitima cauſa, num.500. ibid.
An poteſtas delegata diſpenſandi vel commutandi vota extendatur ad commutanda vel diſpenſanda juramenta Deo facta, num.501. ibid.
Quid ſi res ſit promiſſa vinculo voti & juramenti, num.502. ibid.
Commutatione facta extinguitur prioris materiæ obligatio, num.503. p.214
An liceat aliquando voventi redire ad priorem materiam, num.504. ibid.
Quid ſi votum in melius ſit commutatum, n.505. ibid.
An poſtquam quis reddit ad priorem materiam poſſit illa omiſſa redire ad ſubrogatum, n.506. ibid.
An facta materia ſubrogata inutili vel impoſſibili reviviſcat prioris materiæ obligatio, n.507. ibid.
An redeunte ex aliqua cauſa priori materia voti extinguatur obligatio materiæ ſubrogatæ, n.508. ib.

Vſura.

Ponitur uſuræ definitio & explicatur, n.577. p.361.
Ponitur quædam regula ad cognoſcendum animum uſurarium mutuantis, num.578. ibid.
Quando non conſtat de animo dantis mutuum regula ex qualitate ipſius mutuatarij aliquid dantis ſumenda eſt & quando, n.589. ibid.
Speculative loquendo licitum eſt mutuantem rogare & excitare mutuatarium imo, & cum illo paciſci, ut aliquid ſupra ſortem ex mera liberalitate & abſque ulla obligatione donet, n.580. ibid.
Hæc opinio in praxi non eſt conſulenda, n.581. pag.362
Inique deducitur in pactum ut mutuatarius ex gratitudine frequentet molendinum mutuantis vel emat in tali officina, num.582. ibid.
Non eſt uſurarium pactum, quo mutuatario qui quinquaginta debet mutuandi, alia quinquaginta mutuentur ea conditione ut centum ſolvat, n.583. ibid.
Vſura committitur ſi mutuans obliget mutuatarium ad emendum aliquid vel vendendum fidejubendum vel ſervandum depoſitum, &c. n.584. ibid.
Non eſt uſurarium pactum ut mutuatarius reſtituat pecuniam mihi vel alteri vere debitam, n. 585. ibid.
Vſura eſt obligare mutuatarium ad dandum alicui etiam digno aliquod officium vel beneficium, privilegium, &c. num.586. ibid.
Pactum quod mutuatarius uxorem mutuantis ad Eccleſiam comitetur uſurarium eſt ubi etiam alia pacta illicita referuntur, num.587. ibid.
An dare centum alicui ex conditione ut ſi Petrus qui illa dat intra decennium decedat accipiens illi centum retineat, ſi vero vixerit Petrus ea reſtituat & inſuper decem in ſingulis annis hoc eſt ducentos omnino reddat, num.588. ibid.
An pactum non repetendi mutuum per aliquod tempus in pactum deduci poſſit, num.589. ibid.
Pro obligatione mutuandi non poteſt aliquid accipi ſupra ſortem, num.590. p.363
Licitum eſt mutuatori pacifici cum mutuatario de aliqua pecunia ſupra ſortem reddenda ratione damni emergentis, num.591. ibid.
Vt mutuator licite poſſit exigere damnum emergens requiritur primo, ut mutuum ſit cauſa damni, num.592. ibid.
Secundo requiritur ut id mutuatario manifeſte dicatur ad tollendum ſcandalum, num.593. ibid.
Si non præceſſit pactum de ſolvendo damno emergenti cenſetur mutuatorem remittere illum niſi mutuatarius fuerit cauſa injuſta damni vel in mora ſolvendi, num.594. ibid.
Tertio requiritur ut certum ſit vel rationaliter timetur damnum mutuatori eventurum eſſe, n.595. ib.

Index Rerum.

Licitum eſt paciſci de lucro ceſſante in mutuo, num. 596. ibid.

Vt hoc pactum ſit licitum primo requiritur ut mutuum ſit vera cauſa lucri ceſſantis, n. 597. p. 364

Secundo debet ſervari æqualitas ne ſcilicet plus accipiatur quam lucrum ceſſans, n. 598. ibid.

Tertio requiritur ut id mutuatario explicetur dummodo mutuator ad mutuandum non cogatur, num. 599. ibid.

Mutuator non poteſt licite initio mutui ſumere lucrum quod ex mutuo ſibi ceſſabit, n. 600. p. 364

Quid ſi ſimul cum contractu mutui detur contractus emptionis, num 601. ibid.

Ponitur ſententia authoris, num. 602. ibid.

Qui fecit contractum uſurarium quem bona fide exiſtimabat eſſe juſtum poteſt retinere lucrum ex eo partum ſi illud ex aliquo contractu juſto habere potuiſſet quando habuit voluntatem generalem contrahendi modo licito, n 603. ibid.

Non eſt idem dicendum de eo qui mala fide contraxit contractu uſurario, num. 604. p. 365

Ponitur quoddam coroliarium pro aliquarum mulierculârum contractibus, num. 605. ibid.

Pactum de aliquo auctuario pro periculo amittendæ ſortis vel pro expenſis in illa recuperanda licitum eſt, num. 606. ibid.

Quid ſi periculum non ſit rationabile, n. 607. ibid.

Pactum de aliquo auctario pro ſuſcepto in ſe periculo ſortis licitum eſt dummodo mutans non obliget mutuatarium ad hujuſmodi contractum, num. 608. ibid.

Si mutuatarius ad hunc contractum obligetur eſt manifeſta uſura, num. 609. ibid.

Si mutuans obligavit mutuatarium ad hunc contractum non tenetur reſtituere id quod pro aſſecuratione ſortis accepit ſi juſtum fuit, n. 610. p. 366

An teneatur ei aliquid reſtituere pro injuria quam illi fecit ad id eum obligando, n 611. ibid.

Ex conventione contrahentium poteſt imponi & accipi prædicta pœna ſupra ſortem, n. 612. ibid.

Aliquæ conditiones requiruntur ut apposita pœna prædicta juſta ſit quæ ibi referuntur, n. 613. ibid.

Prædicta pœna non eſt debita in conſcientia ante ſententiam judicij, num. 614. ibid.

Non computare fructus pignoris in ſortem uſurarium eſt, num. 615. ibid.

Excipe niſi ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis vel pœnæ conventionalis vel expenſarum in pignore cuſtodiendo aliquid ex fructibus accipiatur, num. 616. ibid.

An in contractu mutui liceat imponere pactum legis commiſſoriæ in pignore, n. 617. ibid.

Si pactum legis commiſſoriæ in pœnam moræ apponatur licite apponetur, num. 618. ibid.

Qui alterius mandato pecuniam fœnore ſumpſit poteſt ſtipulare ut ſe indemnem ſervet, n. 630. p. 368

Qui ſua ſponte ut abſentis negotium gereret pecuniam ſub fœnore accepit poteſt ſe indemnem ſervare & id totum ſtipulari & in pactum deducere, num. 631. ibid.

Qui pecuniam in proprios uſus accepit fœnore quam vult creditori reddere poteſt eam roganti amico mutuo dare eo pacto ut uſuras ſolvat vel ſibi vel fœneratori, num. 632. ibid.

Quid ſi quis non erat pecuniam ſuo creditori redditurus, num. 633. ibid.

Omnes qui faciunt cauſas uſurarias & ſunt cauſa efficax ut uſuræ ſolvantur vel ſolutæ non repetantur, tenentur ad reſtitutionem ſaltem in ſecundo loco, n. 634. p. 369

Peccat & tenetur ad reſtitutionem qui ſuadet alicui ut fiat uſurarius aliquibus caſibus exceptis qui ibi declarantur, num. 635. ibid.

Notarij qui faciunt contractum uſurarium quomodo & quando peccent, num. 636. ibid.

Factores & famuli uſurarij quando peccent & teneantur ad reſtitutionem, num. 637. ibid.

Illi qui faciunt partes mutuatarij non peccant nec tenemtur ad reſtitutionem, num. 638. ibid.

Idem dicendum eſt de proxinetis qui quærunt eos qui pecunia egent & adducunt ad mutuatarium, num. 639. ibid.

Licitum eſt mutuatario ſolvere uſuras ob mutuum jam acceptum, num. 640. p. 369

Poteſt quis licite petere mutuum ab uſurario parato ſi eo indigeat, n. 164. ibid.

Idem dicendum eſt ſi petat dicendo da mihi mutuum & tibi ſolvam tot uſuras ſi alias certus ſit uſurarium non mutuaturum ſine uſuris, numero 642. ibid.

Petere mutuum ſub uſuris à fœneratore parato abſque neceſſitate vel utilitate petentis eſt peccatum mortale, num. 643. p. 370

Vſusfructus.

Ponitur uſusfructus definitio, numero 30. pagina 285

Ponitur uſus nudi definitio, numero 31. ibidem.

An in rebus quæ uſu conſumuntur uſus diſtinguatur à dominio, num. 32. p. 286

Vxores.

Vxor tenetur viro amorem, honorem, & obedientiam exhibere in his in quibus eſt ei ſubjecta, num. 66. p. 244

Tenetur uxor ſequi virum quo velit eam conducere, num. 67. ibid.

Vxor tenetur viro inopia preſſo alimenta præbere, num. 68. ibid.

An uxor nobilis teneatur viro vilia obſequia præſtare, num. 69. ibid.

An mortuo marito teneatur uxor ex bonis dotalibus debita, quæ maritus ad alendam familiam contraxit ſolvere, num. 70. p. 244

An uxor non plus inſumens de bonis mariti per uſuras acquiſitis quam quod ad congruam ſuſtentationem ſufficeret teneatur poſtea de propriis bonis ſatisfacere his quibus maritus per uſuras damna egit, numero 71. ibidem.

An uxor, quæ aliquid accepit à primo marito teneatur illud reſervare filiis prioris mariti, n. 72. ibid.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google